





# ANNALES
## ECCLESIASTICI
AB ANNO MCXCVIII.
UBI DESINIT
## CARDINALIS BARONIUS,
AUCTORE
## ODORICO
# RAYNALDO
CONGREGATIONIS ORATORII PRESBYTERO.

Accedunt in hac Editione

NOTÆ CHRONOLOGICÆ, CRITICÆ, HISTORICÆ,

QUIBUS RAYNALDI ANNALES ILLUSTRANTUR, SUPPLENTUR, EMENDANTUR,

AUCTORE

## JOANNE DOMINICO MANSI
LUCENSI

CONGREGATIONIS MATRIS DEI

## Tomus Undecimus.





LUCÆ

Typis LEONARDI VENTURINI MDCCLIV.

*De Superiorum Licentia.*

# ANNALES
## ECCLESIASTICI.

| JESU CHRISTI ANNUS | SIXTI PAP. IV. ANNUS | FRIDERICI III. ROM. REG. |
|---|---|---|
| 1481. | 11. | 42. |

I. Insignes res hoc anno gestæ.



Nno post Christum natum millesimo quadringentesimo octogesimo primo indictione XIV. attulit universo Christiano orbi felicem rerum conversionem repentinus interitus Mahometis II. hostis Christi cultorum acerbissimi, qui Rhodios iterum bello petere decreverat; ea namque insula ab imminente pernicie liberata est, atque Hydruntum pulsis Turcis fuit receptum: de quibus acturi, quæ ordine temporum gesta sunt, tum ex Jacobi Maffei Volaterrani diariis, tum ex pontificiis literis ejusque temporis historicis afferemus. Cum in Germania ordinum imperii solemnes conventus celebrandi essent ad conficiendam contra Turcicas grassationes expeditionem, ac Fridericus Cæsar & Matthias Hungarus ob id in concordiam redigendi essent, decretum est in sacro purpuratorum senatu, ut Cardinali Melphetensi, qui postea accepto Innocentii VIII. nomine Sixto in pontificatu successit, ea provincia daretur, quod idem Volaterranus (a) suis ita monumentis consignat: *Senatus hodiernus habitus die veneris* XIX. *januarii peperit nobis legatum ad Germanos. Designatus est Cardinalis Melfetensis. Legationis causa, quæ affertur in vulgus est ea potissimum, ut Fredericum Cæsarem & Regem Hungarorum Matthiam, multos jam annos invicem contendentes, simul conciliet: eo autem maturius creduns profecturum, ut concilio Germanorum Pontificis nomine intersit, quod apud Norimbergam Germaniæ nobile oppidum indictum est ad secundam diem venturæ quadragesimæ celebrandum*. Et infra: *Joannes Baptista ei est nomen Genua oriundus*. Addit ipsum proximo mense legationem deposuisse, atque subrogatum Ursinum Theanensem episcopum in ejus locum esse.

Card. Melphetensis legatus in Germ. decernitur.

(a) *Volat. ms. arch. Vatic. sig. n.* III. *l.* 2.

Conciliandis Cæsari & Ungaro operam navare jussus.

II. Fudere plura contra Turcas verba inania Germani Imperatore Frederico, cui non modo imperii Christiani defendendi Mahumetanique invadendi deerat animus, sed ne quidem hereditarias provincias a Turcicis irruptionibus tutari poterat: cum vero barbari retundendi specie expeditionem confecisset, & post Mahometis II. mortem amplissima recuperandæ ditionis amissa affulgeret occasio, non cum Matthia junxit arma in Turcas, sed veteri occupandæ Hungariæ ambitione percitus, regnum Hungaricum evastavit, atque ita Matthiam a persequendo Bajazete Mahometis successore, ac redintegranda in pluribus provinciis religionis majestate revocavit, ut Nauclerus Germanus author ejus temporis observat, sic inquiens (b): *Matthias Hungarorum Rex eidem*, nimirum Bajazeti, *maximum bellum indixit, & prorsus illum ex Danubii finibus ejecisset, nisi Frederici Imperatoris exercitus ductor Pannoniam igni, & ferro, ac depopulationibus vastare cœpisset. Verumtamen Stephanus Valachiæ episcopus acceptis a Matthia Rege copiis hunc Valachia, id est, Mysia superiori vi & armis expoliavit*. At de Mahometis morte repentina, deque Bajazete successore inferius: nunc institutam de bellico apparatu ad frangendos superstitis adhuc tyranni impetus narrationem repetamus.

Cæsar in tuenda re Christiana ignavus.

Ungariæ vastandæ intentus est.

(b) *Naucl. vol.* 2. *gen.* 50.

Revocat Matthiam ex Ungarico bello.

Valachia ab Ungaro recepta.

Celebrati fuere Romæ a Sixto Pontifice III.

Interprete Gallo foedus initum ad Turcas pellendos Italia.

una cum Regum, ac principum oratoribus conventus solemnes, ut universi ad sustentandam labantem Christianam rempublicam consurgerent, factumque est Ludovico XI. Francorum Rege urgente, ut ad sacrum bellum gerendum in Turcas, eosque Italia pellendos fœdus sanxerint, sumptuumque bellicorum onera ad suppeditanda militi stipendia conflandamque classem inter se partiti fuerint: qua de re extant in ms. codice Vallicellano (a) publicæ tabulæ tunc confectæ, ex quibus historiæ veritas potius haurienda est, quam ex iis scriptoribus, qui ex sparsa rerum gestarum fama, vel ex narrationibus aliorum haud ita exploratis historias suas texere consueverunt.

(a) *MS. Val. sign. lit. B. n. 19. p. 212.*

*Contractus obligationis, contributionis, & taxationis triennalis potentatuum contra Turcum.*

IV. Publicatæ pactiones sancitæ.

*In nomine Domini Amen. Anno Incarnationis Dominicæ MCDLXXXI. indictione XIV. pontificatus sanctissimi in Christo patris, & domini domini Sixti divina providentia Papæ IV. anno X. Pateat omnibus evidenter præsens publicum instrumentum inspecturis, qualiter cum proxima superiori æstate, dum Turci Christianæ religionis, & orthodoxæ fidei, ac profitentium eam atrocissimi hostes insulam Rhodi arcta obsidione tenerent, & in Apulia Hydruntinam civitatem cum miserabili incolarum illius clade, & horrenda crudelitate occupassent, præfatus sanctissimus dominus noster, qui cum serenissimo Ferdinando Rege Siciliæ illustri, & nonnullis aliis Italiæ potentatibus pro insulæ defensione, & Hydruntinæ civitatis recuperatione possibilia remedia ex tempore adhibuit, & pro sedandis, & submovendis non sine labore grandi per sanctitatem suam potentatuum Italiæ dissensionibus, in quibus plurimum Turci confidebant, inter eosdem potentatus treuguas, & sufferentias ad certum tunc tempus expressum indixit; proinde attendens rempublicam Christianorum, Turcis jam Italiam calcantibus, quod antea inauditum fuerat, in longe majori periculo constitutam fore, quam umquam retroactis temporibus fuisset, & ejus defensionem etiam Romanorum Imperatori, ac universis catholicis Regibus, & potentatibus fidelium incumbere; ex parte domini nostri Jesu Christi, cujus vices gerit in terris, eosdem Imperatorem, Reges, principes, & potentatus Christianorum ubilibet existentes, tam intra quam extra Italiam per legatos, nuntios, & literas cum instantia requisivit, ut per eorum oratores instructos cum opportunis mandatis in alma urbe coram sanctitate sua certo & determinato tempore convenirent ad consultandum, deliberandum, & concludendum cum eadem sanctitate, & reverendissimis in Christo patribus sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus super hujusmodi imminenti gravissimo fidei periculo, & Christianæ religionis defensione: convenerint quoque ad hanc dictam oratores habentes ad infrascripta plenum, & sufficiens mandatum per illorum authenticas literas, & instrumenta per eos exhibita, & penes sanctissimum dominum nostrum, & cameram apostolicam existentia, & in diversis, ac repetitis conventionibus, & tractatibus super defensione prædicta habitis inter eos, ut dixerunt, quamplurima salubria, & utilia, ac pernecessaria ad defensionem eamdem remedia proposita, discussa, & mature examinata fuerint, & præsertim salubre consilium prædicti Christianissimi Francorum Regis consulentis & suadentis, quod præfato sanctissimo domino nostro, utpote capiti Christianæ religionis & fidei universæ Christianorum, Imperator, Reges, principes, & alii potentatus debeant seipsos eorumque amplissimas vires ad profugandos fidei hostes propugnatores adjungere, & unire, & ad hoc faciendum juxta suarum virium facultates se suæ sanctitati obligare, & unam sanctissimam unionem animorum, & virium eorumdem cum sua sanctitate inire.*

Ui induciæ inter Italos imperatæ fuerint.

Salubre consilium Pontifici a Gallo Rege suggestum.

V.

*Quod non immerito fuit a sanctissimo domino nostro & reverendissimis dominis Cardinalibus & oratoribus præfatis collaudatum, cum nihil consultius, nihil salubrius, & ad expellendos a finibus Christianorum Redemptoris nostri immanissimos hostes efficacius, quam ut ii, qui militiæ Christianæ stipendiis sunt astricti, quique unum Deum colunt, unam fidem, unum profitentur baptisma, eidem omnipotenti Deo, ejusque vicario tamquam capiti adhæreant, confirmentur, uniantur, omnes sicut vir unus eadem mente unoque consilio in id ipsum conveniant, ut quorum unum est mysticum Christi corpus, unus ad bene operandum, & expugnandum communes hostes sit animus, & sicut una fides, una etiam sit pietas actionum. Idcirco præfatus sanctissimus dominus noster, ad quem ut Jesu Christi vicarium hujusmodi orthodoxæ fidei, & evangelicæ veritatis illiusque cultorum, quorum pater est, defensio principaliter pertinet: quique dum adventus prædictorum oratorum ultra quam rei magnitudo, & imminens periculum exigeret, differre videretur, cum prædicto serenissimo Rege Ferdinando defensioni hujusmodi intendere sub certis tunc expressis modo, & forma convenit; & deinde triennales inducias inter universos Imperatorem, Reges, & alios diffidentes per totum orbem constitutos noviter indixit, hos continuatos labores ad effectum deducere cupiens; suadente præsertim hoc, ut præfertur, Christianissimo Francorum Rege, qui inter alios catholicos Reges, & principes spontaneus ad hoc opus adjutor, & cooperator accedit, & tantæ expeditionis molem amplecti, & cum suo potentissimo exercitu prædecessorum suorum Regum Francorum*

Gallicas acies in Turcas educere pollicetur Ludovicus Rex.

rum sequendo vestigia, hostis ejusdem infestissimi atroces injurias ulcisci tota mente affectat, cum præfatis reverendissimis dominis S. R. E. Cardinalibus in consistorio suo secreto congregatis vice, & nomine Romanæ ecclesiæ, & oratores præfati agentes omnia, & singula infrascripta vice, & nomine eorum potentatuum, a quibus respective ad dictam dietam missi sunt volentes consulta, discussa, examinata, tractata, & conclusa inter eos ad optatum finem perducere, coram nobis notariis, & testibus infrascriptis devenerunt ad hujusmodi sanctam, & unanimem, ac laudabilem convenientem concordiam, ac animorum, & virium cujuslibet eorumdem Regum, principum, & potentatuum cum præfato sanctissimo domino nostro, Romana ecclesia, & sede Apostolica illiusque potentia, & viribus unionem solemni stipulatione interveniente vallatam, per quam voluerunt quod præfatus sanctissimus dominus noster, ut caput Christianæ religionis & fidei, hujusmodi sanctissimæ unionis ad hujusmodi fidei confessionem caput, ductor & director existeret, & una cum collegio præfatorum reverendissimorum S. R. E. Cardinalium pro ejusdem fidei defensione & hostium profligatione viginti quinque triremes instruere & armare annis singulis teneatur, serenissimo Rege Ferdinando prædicto quadraginta triremes secundum conventionem inter eundem, & ipsum Regem alias unitam instruente & armante, ac aliis potentatibus Italiæ summas & quantitates infrascriptas juxta taxas eis per sanctissimum dominum nostrum alias proinde moderatas modo & forma in præsentibus capitulis expressa solventibus, & cum per præfatum sanctissimum dominum nostrum & alios incorporatos seu incorporandos fuerit deliberatum, quod serenissimus dominus Rex Hungariæ contra Turcum bellum gerat, eadem sanctitas quinquaginta millia florenorum auri de camera & Rex Ferdinandus prædictus centum millia, & alii potentatus taxam eis convenientem prædicto Regi Hungariæ dare, & solvere teneantur, modo & forma per præfatum sanctissimum dominum nostrum ac incorporatos prædictos statuendis, & ordinandis.

Fœdus sacrum inter Italos percussum.

Pontifex ad triremes XXV. instruendas se obstringit, Neapolitanus Rex ad quadraginta ornandas.

Quinquaginta millia aureorum stipendiorum Regi Ungaro promissum.

VI.
Gallorum Rex eodem fœdere comprehensus.

Item voluerunt, quod præfatus Christianissimus Francorum Rex cum sua potentia ex nunc præfato sanctissimo domino, Romanæ ecclesiæ, & sedi Apostolicæ illiusque potentiæ, & viribus ad ejusdem fidei defensionem unitus sit, & in unione hujusmodi, ut una ex principalioribus ejusdem sanctissimæ unionis, eo laudante initæ, columnis interveniat, & pro ejusdem fidei defensione, ac illius persecutoris exterminatione, eam quantitatem dumtaxat, ad quam Rex ipse seipsum in pecunia, vel in classe taxabit anno quolibet, similiter statutis temporibus ad pernecessarium opus defensionis hujusmodi persolvere debeat; sperantes quod Rex ipse more suorum prædecessorum Christianissimorum Francorum Regum, qui pro fide præfata, & Apostolica sede se, & sua exponere sæpenumero non formidarunt, se ipsum tali solutionis onere prægravabit, quale recognoscet rei magnitudinem exigere, & suæ regiæ celsitudini in tanta catholicæ fidei necessitate convenire.

VII.
Principes Itali ad illius societatem vocati.

Item similiter voluerunt, quod singuli alii potentatus prædicti, pro quibus oratores præfati respective, ut præfertur, intervenerunt, ex nunc cum omni eorum potentia sanctissimæ dominæ nostræ Romanæ ecclesiæ, & sedi Apostolicæ præfatis censeantur uniti, & in hujusmodi sanctissima, & apud Deum meritoria, ac commendabili animorum, & virium unione, ad fidei præfatæ defensionem ordinata, recepti & incorporati, ut præfatæ unionis honorabilia, & principalia membra, teneantur ad opus defensionis, & expugnationis persecutorum fidei memoratæ solvere annis singulis summas, & quantitates infrascriptas, juxta taxas per præfatum sanctissimum dominum nostrum alias provide moderatas.

VIII.
Data Cæsari & Regibus Christianis potestas ut sacro fœderi accedant.

Item voluerunt, quod serenissimus Imperator, & omnes singuli alii catholici Reges, principes, & potentatus Christianorum cujuscumque status, gradus, & conditionis existant, & quacumque ecclesiastica, vel mundana dignitate præfulgeant possint seipsos, & eorum vices, & potentiam in fidei favorem præfato sanctissimo domino nostro unire, & adjungere, prout pro eorum zelo fidei, & religionis indubitanter eos facturos esse speratur: debeantque super hoc per præfatum sanctissimum dominum nostrum solicitare, & eis, de quibus sanctitati suæ videbitur, mediis induci ad intrandum, & se incorporandum hujusmodi unioni, & contribuendum pro eorum virili ad fidei memoratæ defensionem.

IX.
De nummario vectigali parando.

Item quod omnes, & singuli incorporati, & quos incorporari contingat in unione, & sanctissima concordia præfata debeant quantitates, ad quas taxæ eorum ascendunt, promptas & paratas tenere quolibet anno, & dum desuper requisiti per præfatum sanctissimum dominum nostrum fuerint, illas in aliquo loco certo, & tuto deponere ad opus ipsum pernecessarium defensionis fidei, & non in alios usus exponendas juxta declarationem præfatorum sanctissimi domini nostri, & collegii reverendissimorum dominorum Cardinalium, ac potentatuum unioni hujusmodi incorporatorum, & deinde incorporandorum in locis, & causis, quæ expositionem hujusmodi, & subventionem celerius indigere, & majori periculo subiici videbuntur; nec in hujusmodi taxis, & quantitatibus possint aut debeant computari illæ quantitates, quas unus potentatuum prædictorum virtute particularium confœderationum earundem persolvere teneretur, & solveret etiam in defensionem ejus, cui solveret ab infidelibus memoratis.

X. *Item quod præfata sanctissima unio, & concordia ad hostium fidei exterminationem duret, & durare debeat per triennium, a die stipulationis præsentis contractus computanda, & ultra ad sanctissimi domini nostri, & Regum, ac potentatuum unioni hujusmodi incorporatorum, & deinceps incorporandorum, vel majoris partis ipsorum beneplacitum.*

XI. *Item voluerunt, & convenerunt, quod omnes & singuli Reges, principes, & potentatus, qui in hac unione, ut præfertur, incorporati sunt, & uniti, ad majoris roboris firmitatem teneantur & debeant, omni excusatione semota, ultramontani videlicet infra tres, citramontani vero infra unum menses in forma de jure valida omnia & singula in præsenti sanctissimæ unionis, & concordiæ fidelium in Turcos instrumento contenta ratificare: & idem Christianissimus Rex Francorum infra trimestre tauam suam declarare, & per publica desuper confecta instrumenta, aut literas authenticas cum insertione tenoris præsentis instrumenti de ratificatione, & tauatione hujusmodi præfatum sanctissimum nostrum, vel reverendissimum Cardinalem Sabinensem sedis Apostolicæ legatum nomine, & vice suæ sanctitatis certificare, qui ut ejusdem unionis caput hujusmodi ratificationes, & tauationes ad singulorum ejusdem unionis membrorum, & potentatuum notitiam deducere non postponet.*

Definitum tempus in quo stipendiorum ratio describenda sit.

XII. *Item voluerunt, & convenerunt, quod omnia, & singula præmissa bona fide efficaciter adimplere debeant sub pœna mille marcarum argenti per illos, qui non adimplerent, eo ipso incurrenda, medietate videlicet ad opus hujusmodi defensionis, & expugnationis præfatæ, & reliqua aliis adimplentibus applicanda: quam pœnam sanctissimus dominus noster, & singulorum potentatuum oratores præfati dare, & solvere promiserunt toties, quoties fuerit contrafactum, volentes quod pœna hujusmodi commissa exacta, vel non exacta nihilominus præmissa omnia in sua firmitate remaneant, & observentur. Pro quibus omnibus adimplendis, & observandis, ac jam dicta pœna præfatus sanctissimus dominus noster se, & omnia bona Romanæ ecclesiæ, oratores vero præfati eorum potentatus prædictos, & cujusque illorum bona præsentia, & futura solemniter invicem respective obligarunt, &c.*

Constituta fœdifragis pœna.

XIII. *Quantitates autem, quas solvere tenentur potentatus prædicti tauati præfatæ sanctissimæ unioni incorporati sunt infrascriptæ, videlicet: serenissimus Rex Ferdinandus quadraginta triremes, & serenissimo Regi Hungariæ, ut præfertur, centum millia ducatorum: dux Mediolani triginta millia ducatorum: Januenses quinque triremes annis singulis dicto durante triennio, Florentini viginti millia ducatorum: dux Ferrariæ quatuor triremes: Senenses quatuor triremes: Lucenses unam triremem: marchio Mantuanus, & Montisferrati unam triremem: Bononienses duas triremes.* Contulerunt (a) etiam se in illius sacri belli societatem Alfonsus Rex Lusitaniæ, quem egregie instructam classem submisisse visuri sumus, quæ tamen tardius re jam confecta Neapolim appulit; ac Ferdinandus Rex Aragonum, qui viginti octo naves majoris alvei, minoris vero alias duodecim comparavit (b), sed de eo iterum inferius. Nunc reliqua, quæ sub anni initio gesta sint, prosequamur.

Quæ sint a singulis fœderatis pendenda in sumptus bellicos. Lusitanus accedit fœderi.

(a) Jacobus Vol. l. 3. ms. arch. Vat. sig. n. 115.

(b) Id. ib.

Turcarum horrenda grassatio.

XIV. Dum Italia, exceptis Venetis, qui antea deserti a cæteris Christianis pacem a Mahomete II. redemerant, bellum parabat in Turcas, ii in finitimos Hydruntino agros factis excursionibus omnia vastabant, tantusque Calabros terror invaserat (c), ut ex Italia in Hispanias abjectis omnibus fortunis vitæ servandæ cupiditate aufugerent: qui vero ceperant arma Turcici furoris formidine pavidi, abjectis in prælio armis, vitam ignave orarent mox a barbaris immaniter contrucidabantur: quam ob caussam Julius Aquaviva, cum a copiarum parte desertus fuisset, una cum aliis a Turcis cæsus periit, de quo agit Volaterranus, (d) meminitque Joannes Albinus, & fugam, ut vitæ consuleret, capere detrectasse narrat; atque ex nostris mille quingentos cecidisse, neque incruentam fuisse victoriam Turcis, qui paulo post Alfonsi adventum non tam temere discurrere ausi sunt, compositis tamen ordinibus, quo prædæ spes trahebat irrupere omni calamitatum genere Christianis insultantes.

(c) Jo. Albin. de bello Hydrunt.

(d) Volat. ubi sup.

XV. Dum late ferrum flammasque circumferebant Turcæ, instruebantur classes Genuæ, & Anconæ pontificio sumptu ad infringendos Turcicos conatus, cui Cardinalem Genuensem die vigesima februarii cum amplissima legati apostolici potestate præfectum narrat Jacobus Volaterranus (e): qui etiam tradit Julianum Robureum Cardinalem in Galliis legatum adeo naviter ad elicienda auxilia incubuisse, ut Gallus subsidiariam auri vim in belli Turcici sumptus suppeditandam decreverit; de illius enim oratoribus in sacro senatu auditis hæc prodit: *Prima dominica quadragesimæ, quæ venit ad* XI. *mensis martii*, & infra, *vocati a Pontifice Gallorum oratores die mercurii* XIV. *martii in secreto senatu auditi sunt. Obtulerunt in subsidium belli adversus Turcos aureorum trecenta millia, ducenta videlicet a clericali potestate exigenda, cætera a sæculari, sub conditionibus tamen, quæ mihi adhuc penitus sunt ignotæ. Postulaverant & alia a Pontifice & senatu ad consequendam pacem cum Burgundo.*

Instructa Genuæ classis.

(e) Jac. Vol. l. 2. MS. arch. Vat. sig. n. 111.

Galli trecenta aureorum millia pollicenti contra Turcas.

XVI. Impetravit etiam idem Julianus legatus, ut Cardinalis Balva, quem postulatum de

læsæ

Salva Card. ecclesiasticæ potestati permissus.

læsæ majestatis crimine vidimus, conjectumque in carcerem, ecclesiasticæ potestati traderetur. Consultum itaque a legato Pontificem exeunte januario narrat prædictus Volaterranus, quis ordo judiciarius in ea causa constituendus esset: xxx. *januarii delectus patrum nonnullorum apud Neapolitanum*, nempe Cardinalem, *est habitus, actum est de Cardinali Andegavensi, qui annos circiter duodecim a Rege Francorum Ludovico carceri fuerat mancipatus ob suspicionem læsæ majestatis, qui videlicet cum Carolo Burgundorum principe in necem suam machinatus esset. Nunc vero studio apostolici legati Juliani Cardinalis S. Petri ad vincula est custodia eductus, & ipsi legato a Rege judicandus traditus: sed legatus absque decreto Pontificis, & senatus judicium ejusmodi sumendum non putavit, ideo a Pontifice dicitur petiisse quid agendum.*

XVII. Caroli Provinciæ comitis legatio. Mota lis an ut regii excipiendi forent.

Subdit author de oratoribus ad Pontificem missis a Carolo Andegavensi comite Provinciæ, qui patrui Renati Regis Siciliæ controversia jura ad se devoluta contendebat: *Quarta dominica quadragesimæ, quæ evenit kalendis aprilis oratores Caroli Andegavensis Provinciæ comitis, qui se Regem Siciliæ nominat, mortuo Renato patruo suo, cujus relictus est heres, urbem ingressi sunt. Hi dies aliquot Narniæ restiterunt, eo quod Pontifici, & patribus non placeret ingredi eos tamquam regios oratores: qui titulus suspicionem daturus videbatur Ferdinando Aragonensi; tempora vero minime pati, ut suspicionibus novis augerentur mala præsentia.*

XVIII. Promulgata in Turcas sacra militia.

Operam navabat egregiam Sixtus ne bellum accenderetur, annoque superiori triennales omnibus Christifidelibus inducias imperarat, ne Christianum imperium opprimeretur a Turcis, atque octavo aprilis hujus anni die sacros solemnes cœtus in basilica Vaticana celebravit, atque inter divina mysteria, quæ augustiori pompa peracta sunt, encyclicas datas ad omnes Christifideles literas legi jussit, quibus per baptismalia sacra, perque fusum a Christo in cruce cruorem solicitati sunt, ut pacta inter se sequestra pace junctis animis armisque in ferocientem communem hostem prosilirent, qua de re memorabili hæc Jacobus Volaterranus scriptis mandavit.

XIX. Qui solemnes ritus servati.

*MCCCCLXXXI. v. id. aprilis, qui dies dominicus est de passione nuncupatus, itum est de more a patribus ad rem divinam: quæ quidem acta fuit in basilica principis apostolorum: sacris autem est operatus Baptista Cardinalis S. Cæciliæ Melfitensis nuncupatus. Intra divinæ rei solemnia jussit Pontifex in throno sedens circumstantibus ad subsellia Cardinalibus, præsulibus, oratoribus, & totius curiæ, ac Romani populi, & cleri proceribus, recitari a latere suo diplomata, quæ de patrum consensu edita erant. Eorum series admodum longa fuit, sed hæc, quæ sequuntur exposuit.*

Expositæ belli gerendi causæ.

*Primo Ecclesiæ nascentis initia, & felices ejus per tempora longa successus in eadem postea decrementa delapsus est. Hostium deinde Christi nominis victorias, & triumphos, & ruinas nostras, & clades enumerat. Ac nunc tandem positis ante oculos periculis, & discriminibus, in quibus adducta est Christiana respublica, monstratisque ingentissimis apparatibus Turcorum Regis adversus Christianos omnes, novissime contra Italiam, in quam proxima æstate, cujus Imperator, bassam vocant, magna classe trajecit, & Hydruntinam civitatem occupavit, hortatur, admonet, & obsecrat Reges, principes, & potentatus omnes fidei orthodoxæ, ut qui bello laborant, pacem inter se agant: qui si minus ratione aliqua pacem agere vel nolunt, vel non possunt, inducias saltem per triennium paciscantur in proximis kal. juniis incipiendum: convertantque quaque eorum arma in bellum Turcorum, quilibet juxta vires suas: qui si ipsimet ire in bellum nequeant, suo nomine, & sumptu alium mittant, vel tantum pecuniæ ministrent, quantum ipsi toto triennio essent exposituri. Recipit idem Pontifex in suam, & Romanæ sedis protectionem omnes euntes, vel mittentes in bellum durante toto triennio, & toto semestri secuturo, postquam a bello redierint domum, promittens se defensurum statum omnem illorum adversus quoscumque interim offendentes. Proponit cœlestia præmia, monita, Dei, sua, & obsecrationes recipienti; negligenti vero æternam damnationem, & maledictionem suam enuntiat. Quia vero diplomata ipsa passim habentur, non insistam in his pluribus verbis. Recitavit ea altiori voce a Pontificis latere, ut dixi, amplissimus pater Franciscus diaconus S. Eustachii Cardinalis Senensis primum inter diaconos Cardinales locum tenens, non quidem in sacra veste constitutus, ut alias ipse item sedente Paulo II. in æde capitolina in simili fere cerimonia, sed in quotidiana senatoria, quam capam vocant. Is nepos fuit Pii II. Pontificis maximi pontificatus sui anno II. ad cardinalatum evectus.* Quæ pervulgata erant Volaterrani temporibus, nunc vetustate & oblivione sepulta sunt magna ex parte, nec regestum pontificium hujus anni reperimus; encyclicæ tamen literæ, de quibus memorat, extant in m. s. codice (a) tabularii Vaticani, nec non in alio (b) Vallicellanæ nostræ bibliothecæ nobis a Cardinale Baronio una cum aliis insignibus monumentis relicto, ex quo pauca hæc ad illustrandam historiam decerpsimus.

(a) *MS. perg. arch. Vat. inscript. lib. brev. seu bull. divers. pag. 244. bulla 158.*

(b) *MS. Vall. bibl. sig. n. 19. p. 208. & to. 2. rer. Ger. ex Freher. edition. p. 162.*

XX.

*Ad futuram rei memoriam.*

*Nos, qui dum Turci insulam Rhodi superiore anno arcta obsidione tenerent, & eodem tempore Hydruntinam civitatem occupassent*

*sent*

*sent, quamplurima possibilia nobis auxilia pro insulæ liberatione & Hydruntinæ civitatis earundem recuperatione terra marique adhibuimus; & cum civitas ipsa Hydruntina recuperari non potuisset, prout nec adhuc potuit, licet insula prædicta ab hujusmodi obsidione fuerit liberata, universos Italiæ potentatus pacare, & ut invicem pacifice viventes contra eosdem Turcos arma sumerent, & ad illorum ex Italia expulsionem vacarent, efficacem operam adhibere curavimus, sperantes ipsorum potentatuum facultates & vires ad id sufficere. Cum autem nuper intellexerimus eosdem Turcos maximam classem parare, & omnibus aliis curis omissis ad insulæ prædictæ Italiæ, & Pannoniæ & Austriæ occupationem, & fidei catholicæ omnimodam conculcationem omnes suos divertissent cogitatus, & aperte cognoscamus ipsius sævissimi hostis vires adeo auctas esse, & in immensum crevisse, ut omnibus Christianis principibus merito formidandæ videantur, neque eas posse cohiberi, nisi a pluribus & diversis locis distrahantur, atque Italiam, Germaniam, Hungariam inprimis ut hostibus viciniores in manifesto periculo versari, quæ profecto si singulariter & separatim invaderentur tantis viribus sufficientes esse non possent, more pii patris pro filiorum salute semper anxii atque soliciti de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium,* & infra, *per triennium a die kal. mensis junii proxime sequentis inchoandum treuguas, inducias, seu belli moram, quas tenore præsentium authoritate omnipotentis Dei, & pro defensione & securitate dominici gregis, quem Salvator noster pascendum tuendum atque curandum nobis commisit, indicimus:* tum nonnullis interjectis subiicit. *Pro libertate igitur, pro liberis, pro patria, pro ipsa vita, pro religione & fide Christiana, pro salute æterna sumantur arma, cum talis immineat necessitatis articulus, a quo se valeat legitime nullus excusare, & in hostes, antequam interius penetrent, forti animo proficiscantur; seque & suos ulciscantur a tantis fœdissimi hujus hostis injuriis, atque imminentem sibi suorumque cervicibus gladium avertant.*

Pluta regna uno impetu invasa a Mahomete. Non ferri poterant ejus vires si conjunctas in unum effudisset.

XXI. *Non impossibilia, vel nimis ardua eis injungimus, aut minus utilia: necessitas ipsa utilitatem arguit, cum nisi defensioni se accingant, manus dare & in servitutem venire, atque ea pati, quæ victoribus libuerint, sit necesse: quæ quidem qualia sint, aliorum exempla nos docent: Imperator Constantinopolitanus, dum regia urbs expugnatur, prælio cadens etiam mortuus capite truncatur: Græcorum proceres, atque omnis nobilitas, depositis armis trucidantur: Rasciæ despotis in potestatem redactis eruti sunt oculi: Trapezuntinorum Imperator contra datam fidem occiditur: Rex Bosniæ in fidem susceptus inter vina mactatur. Verum est, quod ille ait:* Regnum non capit duos.

Ablatam salutis spem nisi armis compararetur probatur exemplis.

XXII. *Nolint igitur sperare Christiani principes, & populi, ut libertatem victore Turco retinere possint: nolint multum in suis fictis blandiciis, & falsis pollicitationibus confidere. Quem ex devictis regulis vel cum toleranda conditione servatum videmus? Cui fidem unquam servavit Turcus? Abiciant hanc falsam & inanem spem Christiani proceres, & in Deo solum, atque in eorum dextris salutem reponant: si enim viriliter pugnaverint, non solum propria defendent, sed ab aliis jam deperdita recuperabunt: sin vero, quod Deus avertat, in solita negligentia atque desidia perseveraverint, seipsos & rempublicam Christianam perdent. Quid enim Christianis deest, quod ad victoriam consequendam desiderari possint? eis viri fortes, equi, arma, pecuniæ, commeatus abunde suppetunt; adsit tantum voluntas pugnandi, adsit & vera religio, & ad Deum redemptorem nostrum, a cujus viis declinavimus, humilis, & devota conversio: adsit & Petri, quæ nunquam deficiet, fides, Pauli constantia, zelus Phinees, & Mathathiæ, ac fortissimi Machabæi animus, & certa proculdubio de cœlo promittitur ac indubitata victoria; præcedet enim angelus Domini exercitum ejus, & unicæ crucis, ac Jesu Christi in ea pendentis vexillum, quod humiliter intuentes, & defixis in sublime oculis victoriam sperantes de cœlo: exurget omnipotens, & misericors Deus, & misertus eorum, quos plasmavit, regeneravit, redemit, exurget, & dissipabuntur inimici ejus, & fugient qui oderunt eum a facie ejus.*

Insidias esse Turcarum blanditias.

Si non defuerint sibi Christiani, certam sperandam victoriam.

XXIII. *Et ut principes ipsi, & alii Christifideles sic per nos vice Dei moniti & requisiti contra eosdem Turcos arma sumere, & Christianæ religionis, & fidei defensioni vacare eo liberius ac securius possint, quo intelligetur illas, quæ viguerunt, & vigent inter eos dissensiones guerrarum, & offensionum quarumlibet suspiciones fore sublatas, eisque licere per seipsos militare, & eos atque illorum stipendiis militantes extra territoriorum suorum fines absque ulla suspicione, ad eorundem Turcorum expugnationem progredi, & mittere, & ad id pecunias erogare, classemque instruere, & parare, universos & singulos Christianorum principes, & potentatus ecclesiasticos, vel sæculares, & omnes Christifideles cujuscumque præeminentiæ, ac potestatis existant, etiam imperiali, pontificali, regali, reginali, ducali, vel alia quatumque dignitate ecclesiastica, vel mundana fungentes, ac in terris Christianorum temporale dominium quomodolibet obtinentes, qui per supradicti triennii tempus per seipsos, vel eis legitime impeditis per eorum capitaneos, seu duces, pro sua virili, & cum notabili parte suæ potentiæ ibunt, vel mittent, ut præfer-*

tur

*tur, exponent, aut alias secundum eorum facultates in tam sanctam, & pernecessariam expeditionem per singulos dicti triennii annos erogabunt, a die arrepti itineris, vel quam pecuniam hujusmodi pro primo anno erogaverint, & quoad in his perseveraverint, ac deinde post ipsorum videlicet reditum, vel auxilii cessationem ad sex menses cum eorum statu, civitatibus, terris, dominiis, subditis, territoriis, ac bonis omnibus; sicut ea nunc tenent, & possident; sub beatorum Petri & Pauli, & Romanæ ecclesiæ protectione recipimus atque nostra:* imperatæ sunt a Sixto præterea triennales induciæ, atque anathematis pœna eas violaturis intentata. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCCLXXXI. VI. id. aprilis pontificatus nostri anno* X.

Crucesignati in Apostolicam clientelam accepti.

XXIV. Exortæ in Germania turbæ. (a) *MS. Vat. arch.*

Oborti tum erant in Germania non leves motus, quorum causa describitur in MS. tabularii Vaticani (*a*), nimirum Fridericum Palatinum Rheni Philippum ex fratre Ludovico nepotem, ad quem septemviratus jus spectabat, filium sibi adoptasse, ac debitam illi dignitatem in se derivasse, ipsique eam in re ceteros principes electores assensisse: at Fridericum Imperatorem obluctatum: ad sedandam vero controversiam, ne bellum pareret, Sixtus proximo a promulgato superiori diplomate die Philippum Palatinum monuit (*b*), ut imperatas Christianis principibus inducias religiose servaret.

(*b*) *Ext. ejus lit. to. 2. rer. Ger. ex edit. Freher.*

Philippus comes Palatinus de pace servanda admonitus.

*Dilecto filio nobili viro Philippo comiti Palatino Rheni sacri Romani imperii principi electori.*

*Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Animadvertentes Christianorum principum discordias truculento hosti ad communem perniciem viam in dies magis aperire, volentesque pro pastorali officio nostro his tot incommodis, & periculis obviare, ne in deterius serpant, postquam eo jam deductæ sunt res nostræ, ut minime cunctandum sit cum perfidissimus, & vigilantissimus hostis apparatum maximum adversus Italiam, Germaniam, & Rhodum indefesso studio, ut ex pluribus locis compertum habemus, instruat, triennales inter omnes Christianos principes, & potentatus inducias indiximus: ad defensionem catholicæ fidei paterna charitate omnes hortati sumus: venientes aut mittentes ad tam piam, & necessariam expeditionem sub nostra & Apostolicæ sedis protectione suscepimus: eis bella aut impedimenta quomodolibet inferentes sub spiritualis, & temporalis gladii pœna, ut abstineant commonuimus, prout in literis nostris desuper confectis, quas & in tuis, & reliquorum omnium principum, & potentatuum Christianorum regnis, provinciis, & dominiis publicari mandavimus, latius continetur. Volentes igitur literas ipsas plenum sortiri effectum, & debitæ omnino executioni demandari, nobilitatem tuam in Domino hortamur, & per religionem, quam profiteris, per passionem Salvatoris nostri, quam ut nos ab æterna morte redimeret subire dignatus est, per tot fideles populos, qui in teterrimam ducti servitutem præsidium tuum implorant, per miseram stragem, quæ tot præclaris civitatibus, tot nationibus imminet nisi quam primum occurratur, per gloriam, & splendorem Christiani nominis, quod a spurcissimis hostibus totum conculcatur nisi nosmetipsos excitaverimus, te obtestamur, & apostolica authoritate tibi mandamus, ut literarum ipsarum tenorem, & continentiam in omnibus, & per omnia serves, & cum effectu adimpleas, sicuti pro catholico animo suo te facturum confidimus, ne in extremo judicio apud tribunal Dei reus sis effusi Christiani sanguinis, qui e manibus tuis requiratur; alioquin contra obedientes, & contumaces ita urgente communi periculo, & necessitate ad executionem contentorum in literis ipsis procedemus. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die* XII. *aprilis anno MCDLXXXI. pontificatus nostri anno* X.

XXV. Mahometes virtute crucis extinctus

Non suffecissent hæc pontificia ad frænandos Turcicos impetus, liberandamque ab eorum tyrannide Italiam adhibita studia, nisi divina providentia Mahometem II. crudelissimum Christianorum hostem repentina morte sustulisset. Contigit ejus obitus tertia die mensis maii sanctæ crucis inventioni sacra, ut hostem crucis virtute crucis triumphatricis extinctum constaret, inquit Bosius, at secunda junii die illius famam increbuisse Romæ ex literis Nicolai Crucei Veneti apud Constantinopolim oratoris tradit Jacobus Maffæus Volaterranus (*c*): *Literarum*, inquit, *summa hæc erat, Regem obiisse tertio die mensis maii duabus ferme horis ante solis occasum, cum prope Constantinopolim esset in castris.* Addit Stephanus Infessura (*d*), Pontificem de Mahometis morte certiorem factum solemnes supplicationes decrevisse, instructoque agmine religioso die quarta, quinta, & sexta junii in suburbanis S. Petri una cum Cardinalibus de depulsa effera peste Deo gratias egisse, quod Raphael Volaterranus (*e*) his verbis confirmat: *Hydrunto capto, in quo bello per triennium gesto flos omnis Italiæ absumptus est, benigne nobiscum egit Dei providentia, auctore inter hæc de medio sublato, ad cujus nuncium mortis Sixtus Pontifex, qui jam de fuga in Galliam, & alma urbe beatis Apostolis, qui eam tuerentur, relinquenda, cogitaverat, cum patribus, ac plebe Deo gratias agens tabernas claudi, justitium, ac triduale sacrum indici jubet.* Interemptum veneno nonnullos suspicatos refert Nauclerus, qui tyranni immanissimi præcipuas res gestas perstringit (*f*). Ipsum interiisse in procinctu expeditionis Syriacæ (potius Italicæ quamvis Syriacam fingeret) trigesimo secun-

(*c*) *Jac. Vol. l. 2. ms. arch. Vat. sig. n. 111. & alii.*

(*d*) *Steph. Infess. ms. arch. Vat. sig. n. 111.*

Acta Numini de eo sublato gratiæ.

(*e*) *Raphael. Volat. l. 7.*

Mahometis mors.

(*f*) *Naucl. vol. 2. gen. 50.*

(a) Turcogr. l. 2.

Patriarcharum Græcorum successio.

cundo anno regni refert Turcogræcæ historiæ auctor (a), additque eo imperante novem patriarchas sedisse Constantinopoli: *Regnavit*, inquit, *iste Mechemeta triginta duos annos, quo regnante fuere patriarchæ hi, quorum nomina subiicimus: I. Gennadius scholarius ille doctissimus: II. Isidorus a confessionibus: III. Josephus Cusas, cui barbam præcidi Sultanus jussit: IV. Marcus Xylocarabes: V. Simeon Trapezuntinus, sub quo initium Pescescii in ecclesiam introductum est: VI. Dionysius metropolita Philippopoleos: VII. Iterum Simeon Trapezuntinus: VIII. Raphael Servius Charazii auctor: IX. Maximus vir doctissimus, in cujus patriarchatu Sultanum mortuum esse diximus*. Ex iis quatuor primos liberis suffragiis electos a clero vidimus, comprimente Deo effrænatam tyranni ferociam, adeo ut Christianos frequentare ecclesias, & patriarcham sibi præficere permiserit, quorum primus Gennadius catholicus Græcos a veteribus erroribus abducere, Romanæque conjungere ecclesiæ studuit, [1] rogatusque a Mahomete ipso Christianæ fidei mysteria, ut suo loco vidimus, illi exposuit, potitaque esset Constantinopolitana ecclesia sua libertate, ni schismatici Mahometem corrupissent (c) muneribus, ut præficiendi deiiciendique patriarchæ, prout ab impiis major auri vis illi offerretur, potestatem sibi arrogaret: quæ infanda servitus ad successores hactenus propagata est: porro Mahometem e Christiana matre natum Mahumetica deliramenta floccifecisse tradunt (d), atque de Christiana religione plura percontatum, ad quem Pii II. de sacrorum illius mysteriorum veritate extant literæ (e), quinetiam paulo ante mortem a Maximo patriarcha sacri symboli interpretationem poposcisse addit Turcogræca historia (ni forte ascribat Maximo, quod de Gennadio constat) pluresque libros de rebus fidei nostræ e Græca in Arabicam linguam traductos perlegisse, sed vitiorum dulcedine corruptum in Mahumeticæ impietatis cœno hæsisse, quamquam religionis Christianæ mysteria suspiciebat: quem etiam prodigio, quo ecclesiasticarum censurarum in nefarios Christianos vis divinitus patebat, vehementer perculsum narrat.

(c) Turcogr. auct. eod. l. 2.

Christiana matre satus fuit Mahometes.

(d) Bizar. l. 9.

(e) An. 1461. n. 44.

De Christianæ religionis mysteriis doceri aliquando voluit.

XXVI. *Summa*, inquit, *rerum sacrarum ad virum eruditum Maximum relata, totius Ecclesiæ status pacatus cernebatur, omnibus dissidiis e medio sublatis. Pascebat is populum Dei erudiendo, & ad pietatem animos informando, docens eu suggesto patriarchali, semplisque aliis verbum Dei liberrime, nemine impediente, singulis dominicis, & festis diebus concionans. Erat disciplinis philosophicis perpolitus, & profluente quadam orationis copia supra quam quisquam alius illis temporibus præditus. Ac tantum percrebuit fama eruditionis ipsius, & sapientiæ, ut ad aures etiam Agareni Regis pervenerit. Accitum itaque rogavit, ut scriberet explicationem sancti symboli fidei Christianæ, sibique daret. Paruit hic commentario cum omni libertate e sacra theologorum disciplina optime sapientissimeque confecto, sicut res ipsa in multis loquitur, atque sultano obtulit: quem librum per omnia bene in Arabicam linguam conversum ipse diligenter legit clementer accipiens, & reverenter. Ad id faciendum cum ab aliquot palatii sui aulicis juvenibus* (Christianæ *enim adhuc ibi religionis nonnulli erant) adductus, tum in primis a filio Amerutzæ, qui par erat in utriusque linguæ facultate Græcæ, & Arabicæ, impulsus. Multos hic vir rogatu, & jussu Regis nostrorum librorum in Turcicam transtulit linguam, omnia quidem acta, & tabulas publicas, codices Imperatorios, alia utilia nonnulla etiam religionis nostræ: non cessabat enim sciscitari sultanus, identidem aliquid cognoscere, & certior fieri de fide Christiana studens. At nihil ad salutem profecit, non enim Deus in stolidi corde locum habet. Inter alia, quæ interrogans discebat etiam de anathemate, seu excommunicatione audivit, videlicet quicumque a pontificibus, & sacerdotibus Christianis justa de causa ob peccatum aut scelus e sacro cœtu expellatur, hunc talem humatum non dissolvi in terram, sed manere corpus ejus indissolutum, & integrum in terra, conspicique sepulchro talis hominis aperto, cadaver instar tympani inflatum, & nigrum nullo membro amisso, ne ipso quidem capillo. Rursus si veniam precibus, & invocatione Numinis divini ei impetrent, dissolutionem cadaveris in cinerem fieri. Accivit his auditis patriarcham, ut ejus rei sibi ab eo fides fieret: qui veniens audita sultani postulatione, se planum & facturum promisit ubi primum aliquis succurreret anathematis oneri immortuus. Reverso in domicilium suum patriarcha cogitatione, & dispicientia, si quis præteritis temporibus ea mole pressus obiisset suscepta, patribus in mentem venit mulieris cujusdam libidinosæ, quæ de quodam patriarcha hunc ipsi consuevisse famam sparserat, cui famæ a nemi-*

Plures libri e Græca lingua in Arabicam translati.

NOTÆ [1] QUæ narrantur de orthodoxia Gennadii Scholarii, & de re Christiana sub eo patriarcha restituta, profecto commentitia sunt, cum Gennadio Scholario nemo esset in catholicos Romanos infestior, qua de re satis superque disputatum est a nobis alio in loco. Ex his lectores intelligent Gennadium illum qui Latinis favit, quique ob admissa eorum dogmata e patriarchatu extorris exulare Romam coactus fuit, alterum fuisse a Gennadio Scholario, quem in Latinos animatum ecclesiam Constantinopolitanam ab illis avulsam rexisse compertum est. MANSI

*nemine fuerat habita fides: is vero improbitate cognita anathemati illam quodam die festo subjecerat. Quæ mulier, cum longo ante tempore e vivis excessisset, patriarcha existimans eam, quia tantum virum infamasset, adhuc anathemate constrictam teneri, sepulchrum ejus aperiendum curavit. Tunc illa,* Prodigium in fœmina anathemate percussa. *o miraculum Dei! in eo statu, quo deposita reperta fuit tumida turgidaque tantum, & nigra, nondum etiam crinibus de capite amissis. Re ad sultanum allata, misit is ad contemplandam illam certos homines, qui contemplati admiratione obstupuerunt: cadavere deinde in arca posito, hanc sigillo regio muniverunt: diem dixerunt, qua die ad videndum reverterentur. Reversis, rem divinam patriarcha fecit, recitata precatione, qua crimen illius aboleretur, quam ut sancte nec sine lachrymis recitavit: en miraculum, articuli manuum pedumque disjungi, vincula solvi, ita ut ab astantibus etiam ossium crepitus audiretur. Reposito cadavere, & rursus obsignato, cujus tantum nervi omnes dissoluti fuerunt, obsignatam arcam, quæ id continebat, in sacello patriarchico deposuerunt. Post triduum reversis regiis ministris, arcaque resignata, & aperta, apparuit corpus illud jam dissolutum, de quo nihil restans nisi cinis homines in admirationem adduxit: abeunt ad Regem, quæ suis oculis viderint renuntiant. Admirari ille, stupescere religionem Christianorum, veram & admirandam confiteri.* Hæc Turcogræcæ historiæ auctor, cujus rei fides sit penes auctorem [1]. Non absimile vero prodigium de Lusitano milite, qui censuris constrictus objerat, cujusque corpus terram eiiciebat, ex Indiarum annalibus inferius afferemus.

XXVII. Certatum de imperio inter filios. De secuta porro inter Turcas intestina dissensione post Mahometis mortem consentiunt universi historici, & Volaterranus ex Veneti oratoris literis confirmat, ac Janissaros absente apud Trapezum Bajazethe, ne Zizimus imperium corriperet, Bajazethis loco, Isacio bassa præcipuo authore, illius filium, donec Constantinopolim reversus esset, ad solium extulisse. Sublato itaque tyranno, & Turcis inter se digladiantibus, de recuperando Hydrunto urgeri magis cœpta sunt consilia, antequam novus tyrannus subsidiariam suis classem submitteret. Missus porro superiori anno Genuam Cardinalis Sabellus legatus Apostolicæ sedis, honorificeque exceptus a civibus obtinuerat (a) unam & viginti triremes sumptu pontificio instruendas, tres vero aliæ Anconæ parabantur; nec leves in ædificanda, & ornanda eadem classe, cujus imperium summum Paulo Fregoso Cardinali & archiepiscopo Genuensi delatum est, intercessere difficultates: Ibletus enim Fliseus, sive Turcicis stipendiis conductus, sive vesano livore incitatus, illum apparatum disturbare annisus, ac Genuam proditione adortus, submissos a Pontifice ad classem commeatus suorum opera intercepit, clientes suos a sacra militia abduxit, piraticam adversus Lusitanos, qui Rhodo obsessæ arma & annonam inferebant, exercuit, quamvis ejus satelles Montenegro a Lusitanis egregie superatus sit: ipsum ergo Christiani nominis proditorem Sixtus perculit anathemate, atque omnibus honoribus exuit (b).

(a) Steph. Inff. l. 5. & Bizar. l. 19.

Classis Genuæ comparata in Turcas.

Ibleti Flisei ad eam disturbandam conatus impii.

(b) Sixt. IV. lib. bull. 62. p. 225.

Sixti in eum sententia.

*Ad futuram rei memoriam.*

*Novit universus orbis quanto cum desiderio, & nostræ mentis affectu, ac studio, vigilantia, & solicitudine pro defensione populi Christiani hoc præsertim tempore, quo furor hostium crucis, & acrius solito in sanguine Christiano debacchatur, pacem inter principes Christianos, & maxime Italiæ potentatus, in qua, quod sine lachrymis referre non possumus, jam hostes memorati dominium occuparunt, conciliare conati fuerimus, ut exinde collectis viribus tantis periculis imminentibus obviare liceret, ad quod tam præclarum, tamque salutiferum opus peragendum cum civitatem Januensem, quæ ingenti navium copia hominum ad rem maritimam exercitatissimorum multitudine, & cæterarum rerum, quæ ad hujusmodi negotium feliciter peragendum conducere videbantur, opportunitate abundat, in primis pacare, & seditiones, quæ in ea vigere consueverunt vel tollere, vel saltem ad tempus sedare, opportunum factu fore existimavissemus dilectum filium nostrum Joannem Baptistam S. Viti in Macello diaconum Cardinalem, quem alias in arduis Romanæ ecclesiæ rebus prudenter fortiterque versatum noveramus de fratrum nostrorum consilio legatum de latere ad ipsam civitatem Januensem pro paranda classe contra Turcos, qui ut omnibus notum est, civitatem Hydruntinam occupaverant, prout occupant de præsenti, transmisimus, eidemque Cardinali inter alia injunximus, ut literis, vel nuntiis propriis seu*

Proposita rei summa indignitas.



NOTÆ [1] EX Malaxi Turcogræcia narrat hic Annalista prodigium de homine, cujus cadaver eo quod anathemate damnatus obiisset, fœde adeo intumuerat, ut Mahometi Turcarum principi ad spectaculum invitato horrorem, & erga sacra Christianorum reverentiam incusserit. Id genus cadaverum βρυκόλακας Græci appellant, eamque familiarem esse pœnam eorum, qui anathemate innisi decedunt, testatur Allatius in epistola ad Zacchiam apud Bollandistas in historia patriarcharum Græcorum ante tomum I. augusti pag. 204. An vera illi narrent, nec affirmare audent Bollandistæ, nec abnuere; sed quemadmodum interdum id accidere potuisse admittunt, ita pariter, & sæpe contingere negant, planeque oppositam tuentur opinionem iis qui apud Græcos schismaticos veram potestatem anathematis infligendi permanere hoc argumento probant. MANSI

*alias, prout sibi melius videretur, potentatus Italiæ prædictos, & maxime dictæ civitatis dissensionum, & perturbationum authores ad pacem intra se habendam, vel discordiarum hujusmodi intermissionibus faciendam pro tanta fidei Christianæ necessitate exhortaretur, easque sub excommunicationis, & interdicti sententiis, censuris, & pœnis ecclesiasticis etiam formidabilibus moneret, ut ab armis, & controversiis hujusmodi desisterent: quibus per præfatum Cardinalem diligenter peractis, iniquitatis filius Ibletus de Flisco clericus Januensis, & tunc noster, & Apostolicæ sedis notarius, qui nonnulla castra in locis Januæ circumvicinis detinet, præmissarum exhortationis, & monitionis non ignarus, spiritu tentationis elatus, exhortatione, monitionibus, ac censuris, & pœnis hujusmodi spretis tam sanctum opus atque necessarium omnimode perturbare conatus, semel noctis tempore cum quingentis fere hominibus armatis diversis generibus armorum, appositis scalis ad mœnia dictæ civitatis, & perforatis mœnibus ejusdem, ipsam hostiliter ingressus fuit cum ingenti perturbatione ipsius legati, & apparatus dictæ classis, & nihilominus interim semper retinuit apud se publicum piratam vocatum Montenegro, qui non solum alios deprædatus fuit, verum etiam cum nos certam quantitatem grani pro expeditione dictæ classis ad dictam civitatem Januensem mitteremus sub fide, & salvo conductu dicti Ibleti de grano hujusmodi secure transportando; attamen præfatus Ibletus animo, & intentione disturbandi dictam classem contra suum salvum conductum hujusmodi perfidiose veniendo granum prædictum per piratam memoratum surripi fecit, illudque in suum usum convertit, & licet requisitus pluries restituere promiserit, tamen id facere recusavit, prout recusat de præsenti, in contemptum, & vilipendium sedis, & grave præjudicium classis prædictarum, nec non pejora malis accumulando ad impediendam dictam classem remos, & armamenta, ac homines sub ejus jurisdictione constitutos, qui pretio ad negotium ipsius classis conducti fuerant, ne obligationi, qua astricti erant, satisfacerent, & in classem se conferrent, multipliciter impedivit. Porro cum duæ naves caravellæ nuncupatæ, ut dicitur en regno Portugalliæ venirent armatæ pro præstando subsidio insulæ Rhodi, quæ tunc obsidione Turcorum cingebatur, dictus Montenegro gente ipsius Ibleti, ipsiusque favore suffultus, animo illas expugnandi & capiendi eas hostiliter invasit, verum sicut Deo placuit per virtutem Portugalensium virorum fortium ipse Montenegro pirata vulneratus unam ex triremibus suis amisit. Insuper cum nos per breve propter tantum facinus dicto Cardinali legato mandavissemus, ut ipsum Ibletum excommunicatum publice declararet, prout etiam declaravit, Ibletus ipse contemptis clavibus, & censuris hujusmodi non solum a divinis abstinere contempsit; verum etiam ne sibi subditi, & subjecti abstinerent prohibuit. De quibus omnibus partim ex processibus rite, & solemniter per dictum Cardinalem agitatis, & ut depositione fideli plurimorum testium, ac facti evidentia notorie nobis constat prout, & præfatus Cardinalis in concistorio secreto coram nobis, & fratribus nostris de præmissis relationem fecit fidelem. Nos igitur attendentes, quod præfatus Ibletus classem hujusmodi, immo negocium fidei, defensionem populi Christiani, expugnationem infidelium, salutem Italiæ, & commune bonum Christianitatis quantum in eo fuit impedivit, & prosequens quasi stipendiatus ab eis favorem Turcorum hostium nominis Christiani etiam quantum in eo fuit procuravit, quodque nobis ad culpam potius, quam ad clementiam ascribi posset, si tam graves excessus, & enormia facinora conniventibus oculis transiremus; en præmissis, & ex certis aliis causis nobis notis, quas hic pro expressis haberi volumus, Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nomine invocato de fratrum prædictorum consilio pariter & assensu, præfatum Ibletum tamquam rebellem mandatorum apostolicorum, & contemptorem clavium, ac perturbatorem defensionis Christianorum, & fautorem infidelium, nec non excommunicatum, & pro tali publice denuntiatum ordine, & privilegio clericali, ac protonotariatus officio, honore, insigniis, nec non prærogativis quibuscumque, ac omni ecclesiastica, & mundana dignitate, nec non feudis, & bonis, quæ tam a Romana, quam aliis ecclesiis, & monasteriis obtinet, & infra sententialiter privamus, & tamquam membrum putridum ab ecclesia separamus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCDLXXXI. IV. non. julii pontificatus nostri anno X.*

Genua ab ipso tentata licet conatu irrito.

Insignis ejusdem perfidia in classico commeatu intercipiendo.

Cruceſignati ab eodem oppugnati.

Turcarum stipendiarius vilus.

Defixus anathemate.

Repressa sunt impia Ibleti molimina a XXVIII.
Genuensibus, siquidem tradit Jacobus Volaterranus (a) in diariis suis, exeunte junio pontificiam classem, quæ Genuæ comparata fuerat, per Tyberis alveum ad urbem appulisse, additque solemni ritu sacra prece, ut feliciter in hostem contenderet, lustratam: *Ad ultimam*, inquit, *mensis junii, quæ fuit dies sabbati, in quo commemoratio Apostoli Pauli celebratur, cum nuntiatum jam esset classem per Tyberim adventare, movit se Pontifex sub ortum solis ex Vaticano, patribus aliquibus comitantibus, & ad ejusdem Apostoli basilicam est profectus.* Et infra: *Perfecta divina re benedixit Pontifex ex cerimonialibus libris vexilla duo, quæ eodem die solemni pompa data fuere Cardinali Genuensi legato classis.* Nonnullis interpositis verbis ritum ita describit: *Pontifex ad illum se convertens ait. Venerabilis fra-*

Pontificia classis appulsa ad Tyberim.

(a) *Volat. l. 2. in ms. arch. Vat. sig. n. 111. Aug. Justinian. l. 5. & alii.*

Solemnis ritus servatus pro ea sacra prece lustranda.

Pontificia ad legatum oratio.

*frater, superioribus mensibus benignitate Apostolicæ sedis, & meritis tuis exigentibus, cum & rectum Apostolicæ sedi esse arbitraremur, te tit. S. Anastasiæ presbyterum Cardinalem creavimus, sperantes dignitatem hanc tuam orthodoxæ fidei, & sedi Apostolicæ profuturam, & quæ tibi pro illius honore etiam commodo esset injungenda prompto, & indefesso animo esses impleturus, etiam cum capitis sui certo discrimine; evenit ut paulo post hostes fidei nostræ Turci in Italiam trajicientes Hydruntum civitatem Apuliæ occuparint, quod sine suspiriis referre vix possumus, nunc etiam occupant: eam ob rem nos paratam classem decrevimus, atque illi hominem præficere cupientes, qui sanctum opus consilio regere, authoritate sustinere, laboreque exequi sciret & posset, occurristi tu oculis mentis nostræ, qui inter cæteros tui ordinis duram hanc, nec minus necessariam provinciam obedienter subiturus esses. Itaque de consilio, & assensu hujus sacri apostolici senatus legatum te classis apostolicæ designavimus. Venisti nunc Deo duce, paratam classem tecum adduxisti, fidelibus & strenuis viris instructam, eam ante oculos habemus, præfectos uniuscujusque triremis & intuemur, & noscimus, spem eam victoriæ præferentes, quam & nos auspicati animo sumus, & tu ipse ante alios tanta vultus alacritate polliceris. Hortamur te, frater & fili, ita te geras, ut ex legatione hac tua ii proveniant fructus, quos in mente concepimus, & proculdubio Domino etiam adjuvante speramus: dominum Jesum Christum redemptorem nostrum, cujus causam agis, propitium tibi esse confide: nos & senatum nostrum nullo vel loco, vel tempori defuturos tibi persuadeas. Magno animo rem aggredere, & in domino Deo nostro spem pone, qui non sinet Petri naviculam mergi, nec fideliter in vinea sua operantes vel deseret, vel mercede fraudabit. Accede ad nos, fili, cape annulum dignitatis, & de manibus nostris phrygiata ad sanctum opus vexilla prompto animo, & obviis manibus apprehende. His præcedentibus constanter disperde eos ante faciem tuam, & ut stipulam siccam persequere, ac victoriam ad sanctam sedem hanc reporta: manet te certe de crudeli & impio hoste insignis triumphus. His dictis annuloque & vexillis legato traditis, præfectis omnibus ad osculum pedis admissis, cruceque in eorum pectore facta, dimissus senatus est. Pontifex cum patribus, & frequentibus prælatis, & cujuscumque dignitatis, & ordinis hominibus, qui visendi studio frequentes venerant, ad vicinum sanctæ basilicæ flumen, ubi ad ripam triremes consistebant devenit, allatus lecticariorum humeris, triremes singulas ex ipso littore perlustrans, singulasque benedixit.*

XXIX. Pluribus interjectis addit Raphael Volaterranus classem Alfonsi Regis Lusitaniæ vigesima octava augusti die per amnem Tyberim in urbem venisse, ut nimirum pontificia prece sacraretur, in Turcos vela factura. Urgebatur vero tum acerrime terra marique Hydrunti obsidio: & quidem mari ab Alfonso duce Calabriæ plures hostium naves captas refert Stephanus Infissura (a), præliumque illud navale pluribus describit Joannes Albinus (b), additque præda Italica fuisse onustas, atque navem prætoriam, qua Admetes bassa vehebatur, singulari prodigio e nostrorum manibus evasisse. Commissæ etiam fuere terra plures pugnæ, & cuniculis, & impressionibus oppugnati Turcæ, neque illi minus audacter missilibus ollisque sulphure oppletis flammas evomentibus submovere nostros, ac mœnia intrepide tueri annitebantur; & ubi plurimum periculi ostendebatur, ibi vi majori obsistebant: eumque in omnes urbis partes impetus factus esset, superataque ascensu mœnia, neque ob subjectam fossam in urbem miles posset penetrare, plures e nostris telorum tempestate discerpti sunt, & datum receptui signum; conquesti (c) vero sunt Ligures primum pugnæ ineundæ ordinem ipsis non fuisse datum. Demum barbari novarum impressionum metu concussi, cum auxiliorum expectatione languerent, ac Selimus eunuchus, qui Ablonem Macedoniæ portum maritimamque oram præsidio tuebatur, dum Cerauniis populis quos Christiana classis premebat, suppetias ferre nitebatur, inito cum Illyriis certamine ad Saxa Acroceraunia fugatus captusque esset, & Mahumetem Imperatorem obiisse, nec submitti a Bajazethe auxilia accepissent, animo consternati incolumitatem pacti Hydruntum dediderunt. Comportarant jam sua in naves, cum visæ sunt in iis puellulæ Appulæ barbarico cultu indutæ, quas secum abducebant, quare ad justam indignationem abducti Christiani in illos, ut in fœdifragos impetum fecissent, eosque gladio concidissent, nisi Alfonsus ipsos vitæ servasset, quibus postea in bellis Italicis usus est: pars Pontifici ut belli socio in prædam cessit.

Submissa etiam classis a Rege Lusitano in Turcas. Hydruntum terra & mari obsessum.

(a) Steph. Infiss. mſ. Vat. sign. n. 111.

(b) Jo. Albin. de bello Hydrunt.

Turcarum in defendendo Hydrunto pertinacia.

(c) Jo. Albin. de bello Hydrunt. Volater. ubi sup. Jo. Albin. ubi sup.

Selimes bassa ab Illyriis victus. Demum Hydruntum restitutum Christianis. Turcæ ob fractam fidem capti.

Receptum porro Hydruntum est decimo septembris die, ut Jacobus Maffeus Volaterranus suis consignat monumentis (d), ac laureatas Ferdinandi Regis ad Sixtum datas literas adducit: *Hodie*, inquit, x. *septembris recuperatum est Hydruntum ab exercitu regio & Xysti. Vidi ego literas regias Ferdinandi ad Pontificem, eam victoriam nunciantis.* XXX.

(d) Volat. l. 3. mſ. arch. Vat. sign. cod. num.

*Sanctissimo & beatissimo domino nostro Papæ.*

*Sanctissime & beatissime pater, & domine post humilem & filialem commendationem, & pedum oscula beatorum. Illuxit tandem dies illa, quam diutissime vehementissimeque optavimus. Receptum est Hydruntum decima mensis hujus die ejusque hora fere tertia, &*

Ferd. Regis ad Pont. literæ de Hydrunto recuperato.

*quidem cum ſummo ſanctitatis veſtræ meoque honore, incredibilique utriuſque gloria: dediderunt enim id nobis hoſtes cum jam tueri id diutius non poſſent, poſſideturque ab Alfonſo primogenito meo, hoſtibus ipſis cedentibus: recipientibuſque ſeſe in triremes, quas veriti ne quid per militum noſtrorum impetum trucidationis acciperent, paulo ante hoc ipſo propoſito in mare deduxerant. Gaudeo itaque ego, incedoque adeo omnibus lætitiis, ut iis pene occupatus ne ſcribere quidem ad ſanctitatem veſtram poſſim, ut par eſſet, latius; tamen ſcribam mox etiam latiſſime, remque omnem quo geſta eſt ordine referam. Lætitiarum autem harum cauſa eſt illa potiſſimum quod poſt illud idem oppidum receptum regnum meum, Italiaque, & univerſus orbis Chriſtianus a præſentiſſimo periculo videntur jam liberati, videlicet veſtræ unius velut ducis meaque velut miniſtri opera. Gaudendum lætandumque veſtræ ſanctitati perinde ac mihi ipſi jure cenſeo, quod ſimul nomen ſuo uno hoc beneficio reddiderit jam æternum: ſimul apud Deum immortalem ſit gratiam conſequutura, quæ & ſit perpetuæ & in hac & in altera vita voluptati. Dat. Baroli x1. ſeptembris MCCCCLXXXI. Ejuſdem ſanctitatis veſtræ devotiſſimus filius Ferdinandus Rex Siciliæ.*

XXXI. In eo bello abſumpta, in ſervitutemve adducta ad viginti quinque Chriſtianorum millia teſtatur Joannes Albinus (*a*), ac Ferdinandum ad ſumptus in rem militarem faciendos non modo decimas e ſacerdotiis coegiſſe, verum pontificio permiſſu vaſa quoque ſacra & donaria conflaſſe tradunt, Regemque Matthiam Hungariæ duo delectorum equitum millia Turcicis præliis aſſueta ſubſidio miſiſſe (*b*). Interea idem Matthias, cui Ferdinandus fœdere centum millia aureorum dare obſtrictus erat, ad diſtrahendas vires Turcicas in provincias Hungariæ finitimas incurrebat, eumque Valachiam ſuperiorem Stephano Valachiæ epiſcopo duce recuperaſſe diximus, pluresque alias retuliſſet victorias, niſi Fridericus Imperator illum bello petiiſſet: addit Nauclerus alias provincias e Mahumetica ſervitute ad Chriſtianum imperium redactas: *Nicolaus Macedoniæ olim dux mortuo Mahumeto ſtatim amiſſam ditionem cum ingenti Turcarum cæde recuperavit, nec diſſimilia egit Joannes Cernovichius*. Inferre quoque Turcico imperio arma capto Hydrunto meditatum Alfonſum ducem Calabriæ refert Joannes Albinus, cum maxima populorum pars militeſque omnes Byzantium provolaſſent: ubi Mahometis morte cognita inter fratres certamen exarſit; ſed Cardinalem Ligurem, nimirum Paulum Fregoſum, qui pontificiæ claſſi præerat, liberatæ Italiæ contentum gloria, Sixti mandato viginti triremes Liguſticas ad oſtia Tyberina rednxiſſe: tum inique perſtringit Pontificem abjectas ideo urgendæ in Turcam victoriæ curas, quod concepta bello Etruſco in Ferdinandum odia nondum poſuiſſet. Sed ad rei veritatem collocandam in luce, & aſperſam inique Sixto labem eluendam digniſſima fide monumenta producemus, atque in primis repetenda altius eſt rerum geſtarum memoria, ut Ferdinandus ſedi Apoſtolicæ injurias pro accepta illius beneficio Neapolitana corona intulerit, inito cum Florentinis fœdere omnia ad ſuam dignitatem pontificiumque dedecus retulerit, non ſervatis confectis cum Romana eccleſia pactionibus: Turcarum tyranno invadendi regni Neapolitani occaſionem dederit, miſſa illi Genuenſi & pontificia claſſe ſubſidiaria adeo ſocios ſpreverit, ut annona laborantibus commeatum aurumve modicum ſuppeditare turpiſſime recuſaverit, nec permiſerit ab iis primam impreſſionem in Hydruntum fieri: quibus exulcerati Ligures bellicos labores ſuſcipere dedignati ſunt ad amplificandum illius imperium, qui egentibus cibariis illa crudeliter & avare ſubduxiſſet.

(*a*) *Albin. de bello Hydrunt.*

(*b*) *Bon. fin. 4. dec. 6. mſ. Vallic. ſig. lit. B. n. 19. p. 212. Naucler. vol. 2. gen. 50.*

Macedoniæ pars recepta ex Turca.

Invidia belli in Turciam non tranſlati inique Pontifici aſperſa.

Ferdinandus fœderatis malam gratiam reponit.

Cum itaque ad Romana littora applicuiſſent, & Ferdinandus Rex miſſo oratore Sixtum deprecaretur, ut claſſem contra Turcas dimitteret, & illi ſævientem epidemiam, inopiam commeatuum, lapſum opportunum ſulcandi maris tempus, hyememque ingruentem prætexerent; Sixtus vero ad faciendos bellicos ſumptus argenteam ſupellectilem & ſacra vaſa conflare, nec non thyaram diſtinctam gemmis oppignerare paratus eſſet, re demum infecta ob adverſam tempeſtatem, detrectantibus Liguribus novæ expeditionis labores ſuſcipere, Ferdinandi Regis conſilia fracta ſunt ut refert Jacobus Volaterranus, qui habitas ea de re concertationes accurate deſcribit: *Capto Hydrunto pontificia claſſis abſceſſit: Ferdinandus qui Velonam, olim Apolloniam, Turcis eripere meditabatur, Anellum oratorem miſit, qui a Pontifice flagitaret, ut eam redire ad bellum juberet. Excuſavit legatus Paulus Fregoſus tit. S. Anaſtaſiæ presbyter Cardinalis naviculariós lue laborare: tum inopia rerum, ut quadraginta quinque millia aureorum claſſi reficiendæ non ſufficerent; cumque remiſſius ageret Julianus Stella Genuenſis, poſtulata venia, ita apud Pontificem peroravit.*

*Ut primum in conſpectum Hydrunti appulit claſſis tua, expoſitis in terra nonnullis noſtris regio filio imperatori exercitus operam, & ſtudium noſtrum obtulimus. Quam amanter illi ſint habiti ſciunt ipſi, & nos non utique ignoramus: tamen officii, & fidei noſtræ memores mille & quingentos ſagittarios in terram expoſuimus, a quibus tali artificio ſagittæ in hoſtes emittebantur, ut quicumque partem aliquam corporis e muris proferret illico transfixus cadebat: tantuſque inde timor a noſtris Turcos invaſerat, ut non modo erumpere, ut* XXXII.

con-

consueverant, sed ne ostendere quidem se aliquo in loco postea ausi sint. Atque hoc non modo velim existimes, quod toti orbi notum cupio, nisi hæc tua classis illuc accessisset, Hydruntum hoc anno nequaquam in ditiones Regis rediisset: id fatentur ingenue, qui veritati, non gratiæ serviunt. Tibi ante alias debet Rex, pater sancte, & Christiana respublica, quod Genuenses tuos illuc miseris. Dicant, quod velint alii, loco moveri suo veritas non debet, nec potest civitas abscondi supra montem posita: futura tempora de his judicium dabunt: sed nunc missa hæc facio. Audientes præterea imperatorem ipsum instructis aciebus muros aggredi, & omni conatu hostem invadere, ut si daret Deus urbe tunc potiretur, ad eum accessimus, rogavimus primas partes ut nobis concederet, qui ejus generis belli non eramus ignari, & quibus quotidie erant cum nostris certamina: accedebat agilitas nostrorum hominum, qui in montibus, & scopulis nati & educati ita muros ut scalas ascendunt. Pollicebamur ei, pater sancte, certam victoriam, & annuisset proculdubio Deus nobis, & petitionibus nostris, si ille annuisset: sed quod invideret gloriæ tuæ, & nostræ, vel avaritia ductus, quod in urbis direptione primæ essent suæ, non nostræ copiæ, negavit id velle, causatus nonnulla parvi momenti admodum: sed voluit Deus, quod in intimis affectibus doluimus, & dolemus, quod in contrarium cuncta reciderent. Initum a suis prælium est ad muros, & magno impetu concursum: tormenta a nostris pluribus in locis emissa uno momento, & vires omnes exercitus in unum adductæ, valide hostes conatus omnis exercitus sustinentes, & ipsi ex superioribus tormenta emittunt tanto impetu & frequentia, ut nostris pedem referre necessarium fuerit, ac tanta cædes in nostros edita est, in eos præcipue, qui primas partes sumpserunt, ut miserabile sit non vidisse modo, sed referre etiam, & audire, & infra: Sub conditionibus tandem paulo post cladem acceptam recuperata urbecula est, ut audisti, & opinor x. septembris mensis; singuli cum singulis vestibus, & signata pecunia abire permissi sunt: cætera in potestatem ducis pervenere. Instrumenta bellica multa, & mira; tormentorum, quæ bombardas dicimus, capita septingenta ibi inventa sunt, res certæ æstimationis maximæ, sed quid ad Genuenses tuos relatum, quid classi tuæ concessum, pater sancte, nihil per immortalem Deum ne sagittæ quidem ullæ de nobis, vel potius de te habita ratio, cui præcipue, ut dixi, habendæ sunt gratiæ. Aliisque interjectis.

Indignati sunt non sibi permissum in Hydrunto muros assilire.

Quam male commissa sit pugna a Ferd.

Sed posterum hoc accipe beatissime Pontifex, idque vel malignitati, vel avaritiæ adscribe, ut videtur. Laborabat classis tua annona, quæ tamen non in dies, sed in horas subministrari debeat a nostris, petivimus dari nobis ab imperatore mutuos aureos ducentos in paucos admodum dies, ut quousque adveheretur annona pecunia nobis consuleremus; illud id non posse dixit. O impietatem omni tempore referendam! salutem sibi, patriæ, & liberis, ac toti regno, ne dicam Italiæ, & Christiano orbi exhibebamus cum vitæ discrimine, & nobis unius, vel duorum dierum panis negatus est. Vide quid spei in cæteris ponendum erat. Considera ergo, qua in eum animo simus omnes, & si cui sit, vel esse possit redeundi desiderium. In calamitate, & rerum suarum discrimine positus nos despexit, quid nunc agendum putamus, cui jam fortuna arridet, & Apulia tota etiam? Tandem devictis hostibus triumphum Romano more apud Neapolitanos suos parari sibi intelligo. Refert Anellus orator commoda Christianis, & incommoda hostibus plurima provenire posse si redeamus: non video ego jam urgente hyeme quæ possint commoda nostris aut hostibus incommoda provenire. Instat octobris mensis jam dies tertius, parari necessaria paucis diebus non possunt. Et infra: Dicit, nempe Anellus Ferdinandi Rex, Velonæ expugnationem facilem fore: ego difficilem puto, & dierum multorum ejus opus existimo. Mitto faciles portus qui opportuna tempore anni occupari non possint; sed arcis in montibus positæ, natura loci, & humana ope munitæ, quis hoc anni tempore sibi victoriam tam facile polliceri potest? Hydruntum solum sit nobis exemplo, quod in terra, qua positum vix sexto mense, quo obsideri cœptum est, in regiam potestatem devenit.

Objecta avaritia in negando commeatu.

Proposita difficultas expugnandæ Apolloniæ.

XXXIII. His omnibus nequaquam obstantibus instabat orator, de reditu cum Pontifice: initis illum conditionibus urgens, ferocia ejus verba magnifica magis quam vera non debere sanctum opus impedire, & in hac præsenti occasione omitti damnosum esse toti orbi Christiano, & ignominiosum valde, raro autem uno in sæculo. Videri tot classes adeo instructas in bellum adversus Turcas: adest enim hæc tua, pater sancte, triremibus quinque, & viginti: a Genuensibus naves quatuor magnæ: ab Hispanorum Rege Ferdinando naves itidem magnæ octo, & viginti, ac duodecim alia navigia, quæ caravelhas appellant: Lusitanorum vero Rege ejusdem generis navigia quatuor viginti, quæ tu beatissime pater, superioribus diebus propriis oculis supra Tyberim amnem perspexisti. Sunt & Regis mei naves decem magnæ, triremes triginta, & alia diversi generis navigia decem. Quis unquam nostris temporibus tot simul vel audivit, vel vidit? quis negat hanc occasionem rei bene gerendæ omitti non debere? Propterea nescio, quæ magis tumultuarie dicta, quam vere. Certe, pater sancte, dolebimus aliquando sivisse hæc per negligentiam labi & plorabimus plenis oculis nec proderit pœnitentia ulla.

Quanta classis instructa foret in Turcas.

XXXIV. Sed clementissimus Pontifex cum videret sibi undique esse angustias, nec tamen vellet verbo suo aliquem contristari, ad oratorem conversus: Vera proculdubio recenses, Anelle,

*le, spei plurimum ponendum esse in tam valida classe quis neget? ac raro tot & tantos conatus vident tempora nostra, quamvis opportunæ navigationis tempus nostris, ne dicam vestris cunctationibus lapsum sit: sed quod eu conventis, dilecte fili, nos urges, nonnihil miramur; memores enim sumus ad quæ tenemur eu fœdere, quæ nihilominus cuncta a nobis impleta sunt hactenus: ac voluisset Deus ita nobis servata promissa per alios fuissent, forte præsenti disputatione opus non fuisset, quandoquidem Turci traicere in Italiam ausi non essent: sed hæc in præsentia missa faciamus. Fidei nostræ, ut dinimus, sumus admodum memores, & cumulate satis omnibus satisfecimus: sed eu parte alia, Anelle, impossibilium, ut est in civili lege, nulla est obligatio. Audisti quas difficultates præfecti classis cum legato suo proponunt: nam de cæteris videat dominus Deus, cordium scrutator & renum. Anni tentpus ejusmodi est, ut omnes videtis, pauci admodum dies idonei ad navigationem: accedit pestilentiæ morbus fere inevitabilis, & præcipue navigantibus, qui non habent, quo possint divertere. His duabus difficultatibus, nisi Deus mederi non potest. Mitto pecuniam necessariam, aureorum videlicet quadraginta millium, cujus etiam quid minimum in nostra potestate non est: exhaustum est ærarium nostrum, vectigalia hujus sedis fere cuncta pignori data, & Ecclesiæ fideles filii ita emuncti tributis imperatis, ut sæpenumero illis jam compatiamur. Attamen si mederi potest primis difficultatibus, pecuniam subministrabit de cœlo Deus, qui nunquam non deseruit fideliter pro sua causa operantes. Est adhuc nobis mithra pontificia, est etiam argenti reliquum, quo nostra quotidiana utimur mensa: in opus Dei sanctum cuncta conflabimus, damascenam mithram gestabimus, si auream gemmatamque non habebimus, quæ minus etiam pondere nos gravabit, vitro utemur: si aurea pocula in Dei ministerium erunt conversa, fictilibus cœnare non dedignabimur, quod Pontifices Romani multi, & sanctissimi patres turpe non putarunt. Respiciat nos postea de excelso suo sancto Pater omnipotens, & vicarium suum non sinet inhonoratum in terris, quem tam fideliter communi Christianorum causæ subvenisse conspexerit, & ut potestate supremum esse voluit, ita ornamentis etiam super cunctos excellere faciat; circumdabit colla nostra torque pretiosissimi honoris, gloriæ, capiti nostro imponetur diadema, quod non conflabitur ab igne, & pluviali vestiemur, quod non comedetur a tinea. Itaque, dilecte fili Apostolicæ sedis legate, & pontificiæ classis præfecti, precamur vos, & oramus, per viscera matris Domini rogamus, ut nostras & regias preces audientes utriusque pium desiderium impleatis: aderit nobis Deus, qui medicam manum super ægrotantes imponet, non sinet quemquam deinceps tangi pestilentia, & fidelibus commilitonibus suis mare tranquillum faciet, & autumnum in æstatem convertet: nobis erit cura pecuniæ, ne quid ad belli nervos deficiat. Si quid autem, quod non credimus, acceptum utrinque injuriarum esset, id totum Deo condonetis, qui pro nobis pepercit, crucifixoribus suis, & Ecclesia sancta communis mater jubet pro inimicis, & persequentibus exorare. Benedicat vos Deus, & corda vestra molliat, & in verba oris nostri humiliet.* His dictis cum quievisset Pontifex, legatus & præfecti veniam precati, responderunt impossibile esse mutare sententiam, quandoquidem eis impossibilia mandarentur; sancta tamen suæ beatitudinis verba, & monita ad intima ipsorum corda penetrasse, quæ nullo unquam tempore oblivioni mandarent: sicque assurrenerunt omnes, & consessus dimissus est. At de his hactenus.

Sixti ad oratorem Neap. oratio.

Offert Sixtus mithram ditissimam pro stipendio militari. Et argenteam supellectilem usurus fictilibus.

Legatus & trierarchæ solicitati, ut navigent in Græciam.

Negant Ligures adverso tempore bellum geri posse.

XXXV.

Ita confracta sunt consilia conficiendæ in Turcas expeditionis, dumque Christiana religio in Græcia sensim aboletur ob schismaticorum scelera, ea authore divino Numine apud incognitas incultasque gentes propagata est; subactæque (a) a Ferdinando Castellæ Rege plures Canariæ insulæ, ac barbari ad humanitatem Christique cultum traducti fuere. Cum autem Lusitani etiam earum insularum imperium sibi vendicarent, ne ex dissensione bellum oriretur, easdem insulas cum Ferdinando & Elizabetha partitus est Alfonsus Rex iis legibus, ut numquam a Ferdinando ejusve heredibus de Azoribus insulis, nec de Guinea, sive Æthiopia occidua, nec Phutensi regno ad Lusitanicum imperium a Saracenorum tyrannide revocato lis Lusitanis inferretur, qua de re publica acta his concepta verbis sunt edita (b).

(a) Sur. l. 28. n. 39. Marinæus l. 19.

Canariæ insulæ plures partæ a Castellæ Rege.

Lusitani de iis certant.

(b) Ext. apud Sixt. l. 60. pag. 30.

XXXVI.

Concordia quibus legibus inita.

*Voluerunt præfati Ren & Regina Castellæ, Aragoniæ, & Siciliæ, & illis placuit, ut ista pan sit firma, & stabilis, & semper duratura, promiserunt eu nunc & in futurum, quod nec per se nec per alium secrete seu publice, nec per suos heredes, & successores turbabunt, molestabunt, aut inquietabunt de facto, vel de jure in judicio, vel extra judicium dominos Regem, & principem Portugalliæ, nec Reges, qui in futurum in dicto regno Portugalliæ regnabunt, nec sua regna super possessione, & quasi possessione, in qua sunt, in omnibus commerciis, terris, & permutationibus sine resignatis Guineæ cum suis mineris sive aurifodinis, & quibuscumque aliis insulis, littoribus, seu castris maris, terris detectis seu detegendis, inventis insulis de Matera, de Portu sancto, & insula deserta, & omnibus insulis dictis de los Aquores, id est accipitrum, & in sylvis florum, & etiam in in insulis de Cavoverder, id est promontorio viridi, & insulis, quas nunc invenit, & quibuscumque insulis, quæ deinceps invenientur, aut acquirentur ab in-*

Insulæ capitis viridis & Azores Lusitano permissæ. Cedunt Castellani jure detegendorum in posterum.

su-

Quæ insulæ assertæ Castellanis.

*sulis de Canaria ultra, & circa in conspectu Guineæ, ita quod quidquid est inventum, vel invenietur, & acquiretur ultra in dictis terminis, id quod est inventum, & detectum remaneat dictis Regi, & principi de Portugallia, & suis regnis, exceptis dumtaxat insulis Canaria, Lanzarota, Palma, Forteventura, la Gomera, Hofiero, Hagratiosa, Hagran, Canaria, Canarise, & omnibus aliis insulis de Canaria acquisitis aut acquirendis, quæ remanent regnis Castellæ, & ita non turbabunt, nec molestabunt, nec inquietabunt quascumque personas, quoad dicta mercimonia, & contratas Guineæ, ac dictas terras, & littora, aut contratas inventas, & inveniendas nomine, aut potentia, & manu dictorum dominorum Regis, & principis Portugalliæ*, nonnullisque in eam sententiam adjectis de Phutensis regni jure additum est.

XXXVII Phutensis regni conquisitio permissa Lusitano.

*Praeterea Rex, & Regina Castellæ, & Legionis promiserunt, & concesserunt modo supradicto pro se, & successoribus, ut se non intromittant ad inquirendum, & intendendum aliquo modo in conquesta regni de Fez, sicuti se non intromiserunt Reges antecessores sui præteriti Castellæ, immo libenter dicti domini Rex, & principes Portugalliæ, & sua regna, & sui successores poterunt prosequi dictam conquestam, &c.* Confirmatæ fuere a Sixto authoritate apostolica hæ pactiones, necnon jura a Martino V. Eugenio IV. Nicolao V. concessa Henrico principi, atque Eduardo, & Alfonso Regibus instaurata fuere amplissimo diplomate, hac loci, & temporis nota consignato. *Datum Romæ apud S. Petrum anno MCDLXXXI. XI. kal. julii pontificatus nostri anno* X.

Concordia confirmata a Sixto.

XXXVIII. Lusitani ad regnum Manicongi perveniunt.

Non destitere cœptis egregiis Lusitani, ac novas in dies incognitas oras, quæ evangelicæ legis expertes erant, patefecerunt; Alfonsus enim eo nomine V. Fernando Gomesio munus imposuit, ut ab ultimo detecto portu quingentas oræ maritimæ ad orientem meridiemque pertinentis leucas lustraret: itaque ita nautæ Lusitani longius prætervecti ad Manicongi regnum pervenerunt. Navigationes Raphael Volaterranus ex Cardinalis Ulissiponensis (a) ore exceptas historiæ mandavit his verbis: *Visum*, inquit, *mihi ea loca commemorare, quæ Lusitanorum inclyti Reges in Hesperio mari ad Æthiopas Hesperios pertinentia postremo in indico reperta adsecuti sunt quemadmodum mihi pater amplissimus Cardinalis Ulyssiponensis, qui regibus familiarissimus fuit, retulit scriptoque tradidit.* Interjectis nonnullis de Fortunatis insulis, & aliis capitis viridis, nec non littore Æthiopiæ occiduæ invento subjicit: *Postremo vasto in pelago navigantes contigere civitatem, quam Maniqongum nominant vallo pro mœnibus circumdatam, quæ viros ad centum millia procreat. Huic Rex præsidet, qui advenientes Lusitanos comiter invitavit: septemque atris ex eo*

(a) Jo. Barros dec. 1. Asia l. 2. Raphael Vola. l. 12.

De Manicongi regno.

*loco viris donavit, qui sese coram honoris gratia sponte interemere, quorum capita deinde cæsa jussu Regis, respuentibus Lusitanis, oppidani depasti sunt. Vescentem Regem magna ministrorum mulierumque tum canentium atque saltantium multitudo circumsistebat, spectaculo etiam multis millibus convenientibus. Mos etiam illis extinctum Regem charsores una omnes ministros morte sibi consciteconsequi putantes hoc amoris, & meriti gratiam. Has igitur omnes Gymneæ terras appellant, quod nudi forte ex magna temporis parte in eis agant.* Ab urbe principe, cui Genne nomen est Guineæ nomen potius deductum vult Maffeius qui de Alfonsi V. in patefaciendis Africæ meridionalibus regionibus prosperis successibus hæc refert (b): *Alfonsus V. ut primum regni potens fuit [ nam Eduardus pater ei mature decesserat fuitque sub tutoribus ad septimum usque decimum ætatis annum ] quamquam finitimis, & domesticis implicitus bellis, in eandem tamen laudem acerrime incubuit, perque strenuos duces, & gubernatores ab Leæna monte ad Arsinarium [ quod recentiores viride caput vocarunt ] atque inde usque ad D. Catharinæ promontorium [ is locus est ultra æquatorem gradus partesve duas, & semis, hoc est leucas circiter duas, & quadraginta ] crucis trophæum, & arma Lusitanica protulit. Multæ etiam insulæ per idem tempus inventæ, quas commemorare hoc loco non est operæ pretium, & commercia variis cum nationibus instituta, sed cum Æthiopibus præcipue occiduis, quam regionem hodie Guineam vulgus appellat, ducto nomine ab urbe celeberrima Genne, ad quam ingenti fluvio Zanage impositum loci opportunitate illecti, olim negotiatores undique confluebant: patet autem Guinea latissime, & quamquam zonæ mediæ ferme subjecta flagrantissimo sole torretur, non tamen idcirco [ ut falso prisci putarunt ] ab incolis est deserta, quinimmo plurimos numerat populos, e quibus maritimi pisce, mediterranei, partim lacertis, & immundis animalibus, partim ubi cœlum favit nonnullis frugibus & lacte vescuntur, mutantque subinde loca non per vicos, aut oppida, sed per familias ubique dispersi: eæque familiæ sæpe inter se propter inopiam de aquatione & pastione decertant: infelix genus hominum, ac servituti natum, & cum aliis nominibus, tum unius veri Dei præsertim ignoratione miserandum.*

Guinea unde dicta.

(b) Maffejus hist. rer. Indic. l. 1.

Æthiopia est occidua.

Zona torrida non deserta.

Obiit porro hoc anno Alfonsus Lusitaniæ Rex virtutibus principe dignis ornatissimus, quem ad submittendas in Turcas victrices classes paratissimum vidimus, de quo hæc habet Jacobus Volaterranus: *Mortuus est Alfonsus ætatis suæ anno quinquagesimo secundo die XXVIII. augusti apud Sintram oppidum Ulysponensis diœcesis eo ipso die, quo classis sua per amnem Tyberim trahebatur.* Præter navalem exercitum, de quo paulo XXXIX.

XXXIX. Alph. Regis Lusit. mors.

ante

ante memoravimus, etiam aliquas naves ad ferendam Rhodiis opem misit, quas duæ triremes Ibleti Flisci oppugnarunt; sed non impune latum facinus, altera enim capta, altera in fugam versa (*a*). Summæ illi datur laudi auxisse rem Christianam in occidua Æthiopia, cui Guineæ nomen inditum, ut referunt (*b*) authores, qui de regione illa tunc recens detecta scripsere. Provexisse etiam ipsum literarum studia ferunt, inque regiis ædibus insignem bibliothecam condidisse, denique in redimendis captivis tanta liberalitatis laude floruisse, ut redemptoris captivorum cognomen retulerit. Perlata ejus mortis fama Lusitana classis, quæ ex viginti tribus navibus in Italiæ subsidium præfecto Garsia Elborensi antistite regio sanguine procreato conflata erat, Lusitaniam repetiit, novi Regis mandata acceptura. Successit in paternum regnum Joannes virtutum ornamentis excultissimus, de quo hæc tradit Jacobus Volaterranus (*c*): *Successit ei*, nimirum Alfonso, *Joannes major natu filius novem & viginti annos natus, quinto post patris obitum die, in ipsa Ulyssiponensi urbe communi suorum lætitia sceptra, & insignia regni suscipient.*

(*a*) *Volat. lib. 2. ms. arch. Vat. sign. n.* III.

Auctum est ab eo Christianum imperium.

(*b*) *Joann. Barros in Asia dec. 1. l. 2. Ant. Vasconcel. in Alfons. V.*

Joannes filius illi succedit.

(*c*) *Volat. l. 3. ms. arch. Vatic. sign. n.* III.

XL. Amplificatam admodum sub Joannis II. Regis auspiciis rem Christianam in Æthiopia occidua, necnon inventam pixidem nauticam ad sulcandum certo duce Oceanum narrat Maffejus (*d*), additque, Jacobi Cani virtute superiores metas Alfonsi Regis auspiciis superatas fuisse, penetratumque ad ingens flumen, cui Zaires nomen est, quod e Nili fontibus originem trahit, munitumque evangelio latius circumferendo apud Æthiopas iter. Cæterum antequam circumducta Africa ad orientales Æthiopas sive Abyssinos pervenirent Lusitani, excepta est hoc anno Romæ a Sixto Æthiopum legatio pro instauranda vetere cum Romana ecclesia conjunctione, ut refert in diariis Volaterranus.

(*d*) *Maff. l. 1.*

XLI. *Indiæ Regis*, ita loquitur author veteri more eorum, qui Præstojannem in India collocabant, *oratores per hos dies urbem ingressi sunt habitu, & pallio toti orbi ob novitatem conspicuo. Eis comes erat Joannes Baptista Imolensis magna paulo ante apud Pontificem, & comitem authoritate, nunc nulla. Hos ego non ab eorum Rege destinatos audio, sed ab ipsius secretario viro primario regni illius, cui desiderium est fœdus, & amicitiam inire cum Pontifice, & ritibus Latinorum Christianorum: at veri Christiani tamen sunt quibus Rex ille imperitat, quem nos Prestojannem vulgo dicimus, sed eorum ritus a nostris admodum differunt. Id fuit præcipuum petitionum suarum, ut cum eis Latinæ legis, & linguæ episcopus mitteretur, qui & sacra nostra illis ostenderet, & Christianam doctrinam in eorum terris seminaret. Non inventus est, qui se illis voluerit credere: tamen religiose admoniti sunt Pontificis nomine: illis quoque spes data petitionum suarum. Quousque autem Romæ fuerunt Pontificis liberalitate sunt aliti, & donati muneribus quibusdam: actis quoque publicis honorati; pluries etiam per interpretem ab eodem pie, & amanter auditi.*

Hoc anno Sixtus sanctorum martyrum cultum honoremque decrevit minoritis quinque, qui anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo, Honorii III. anno IV. XVII. kal. februarii Marrochii a tyranno Mahometano, quem evangelii luce collustrare annitebantur, trucidati fuerant (*e*), pluribusque editis miraculis post mortem effulserant: quorum sacra pignora Conimbricam delata, magnaque religione culta a fidelibus, qui eorum precibus ingentia beneficia retulerunt. Insigne illud est, quod decimoquinto ante anno apud Joannem Bollandum ex Marco Ulyssiponensi narratur: *Anno MCDLXXVI.* XVI. *januarii cum esset Conimbricensis episcopus in sanctorum sacello, confluit eo vis ingens hominum ad vota solvenda, erantque complures seminudi. Sciscitatur episcopus, quæ quemque causa ad vota, & illum supplicandi ritum impulisset: alii se hernia, alii surditate, aliave infirmitate simul, ac se ejusmodi peregrinationis voto obstrinxerant, liberatos prædicabant. Adstabat episcopi nepos annos undecim natus, ita molesta conflictatus hernia, ut negarent medici arte ulla curari posse. Hunc jubet antistes in sacrarium secedere, positisque vestibus cæterorum ritu nudum supplicare martyribus. Paruit adolescens: ipse quoque cum adstantibus preces dedit episcopus. Dum ergo nudus, finis humi genibus manu cereum gestans precatur sanctos [ mira res ? ] ita sanus continuo evasit, ac si nihil unquam passus esset adversi: antistes gaudio exiliens, & qui spectare vellent sinit testes miraculi fieri, & Deo sanctisque martyribus gratias egit.* Referuntur plura alia miracula eorundem sanctorum martyrum precibus a Deo patrata, quibus permotus Sixtus hanc sanctionem (*f*) edidit.

XLII. Martyres Marrochitani in sanctorum albo repositi.

(*e*) *Sur. to. 1. die 16. januar. Bollan. to. 2. 16. jan.*

Conimbricæ plura edita miracula.

Nepos episcopi Conimb. Sanctorum Martyrum ope liberatus.

(*f*) *Ext. autograph. in archiv. S. Mariæ de Araceli.*

*Sixtus episcopus servus servorum Dei universis fratribus ordinis Minorum dilectis filiis ubicumque morantibus seu moraturis, salutem & Apostolicam benedictionem.*

XLIII. *Cum alias animo revolveremus merita beatorum martyrum Berardi, Petri, Othonis, Accursii, & Adjuti, qui ex ordine fratrum minorum, sub quo & nos coaluimus, fuerunt, qui post multa tormenta sub Rege Marochiorum, pro Christo mortem subierunt, & martyrii palmam gloriose promerentes plurimis miraculis in ipsa morte & post claruerunt, ex quo incensus B. Antonius de Padua ex ordine canonicorum regularium, in quo tunc erat, ad ordinem ipsum fratrum Minorum se legi-*

*tur*

Decretum Sixti ut iidem Martyres officio ecclesiastico colantur.

*tur transtulisse, concessimus ex authoritate apostolica & benignitate vivæ vocis oraculo, ut fratres prædicti ordinis Minorum possint publice & solemniter celebrare in suis ecclesiis missam & horarum officium de supra memoratis sanctis martyribus. Verum cum frequenter adversarius humani generis nitatur bona & sancta opera perturbare, ne tam divinum & pium opus possit aliquis in posterum impedire tenore præsentium, ex certa nostra scientia authoritate apostolica concedimus, quod prædicti fratres minores ubique solemniter & publice officium plurimorum martyrum pro ipsis Berardo, Petro, Accursio, Adjuto, & Othone, sub officio duplici majore, ac etiam* XVI. *januarii, qua die ab hoc sæculo per martyrium decesserunt, ac cum sana & serena conscientia dicere ac celebrare possint, inhibentes præfata apostolica authoritate, ne quis huic nostræ concessioni audeat se opponere, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque &c. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die* VII. *augusti anno Domini MCCCCLXXXI. pontificatus nostri anno* X.

I. *Obortum inter Sixt. & Ferd. bellum.*

Anno excurrentis saeculi octuagesimo secundo indictione decimaquinta Sixtum Pontificem urbemque ipsam, ac totam fere Romanae ecclesiae ditionem in summas angustias adduxere Ferdinandus Rex Neapolitanus beneficiorum ab Apostolica sede, cujus vectigalis erat, acceptorum immemor, ejusque filius Alfonsus Calabriae dux occasione dissensionis Venetos inter & Herculem Ferrariae ducem ob Rhodiginum agrum ortae: Ferdinandus enim Herculi genero, cui Elionoram filiam matrimonio junxerat, laturus suppetias praemisir Alfonsum filium quatuor millibus militum succinctum, quem Sixtus, (qui animadversa Ferdinandi in sedem Apostolicam perfidia foedus cum Venetis pepigerat) aditu in pontificiam ditionem prohibuit: tum ut ducem Ferrariensem ecclesiastici imperii beneficiarium, qui contra sedem Apostolicam Florentinis antea subsidio adfuerat, justa poena percelleret. Offenderunt quoque Pontificem retentae ab Ferdinando Turcarum cohortes, quae Hydrunto capto in nostrorum potestatem venerant, ut eas adversus Christi cultores immitteret, novumque ab ipso cum Florentinis Romanae ecclesiae hostibus sancitum foedus: nec modo vectigal eidem ecclesiae debitum non pensum, sed pontificium etiam in regno Neapolitano jus labefactatum.

*Alfons. aditu in pontificiam ditionem prohibitus.*

II. *Agitatum de pace.*

Mollire justas Sixti iras velle prae se tulit Ferdinandus, missisque suis & foederatorum, videlicet Mediolanensium, Florentinorum, ac Ferrariensium oratoribus pacem cum eo conficere, vel ipsum a Venetorum societate dimovere nisus est, illos vero diu apud Pontificem moratos refert Jacobus Masseus Volaterranus (a): cumque nihil proficere potuissent, communi consilio eadem die & hora rebus desperatis urbe abiisse. Verum regios administros eam causam obtendisse, ut culpae omnis invidia in Pontificem verteretur, inde colligitur, quod jam ante Ferdinandus in Sixtum conjurasset jamque superiori mense Columnenses omnes, exceptis iis, qui Praenestinam toparchiam tenebant, ac Sabellae stirpis proceres subornatos in suas partes perduellionemque pellexisset, narrat idem author: *Hoc*, inquit, *tempore*, nimirum mense aprili, *Columnenses omnes praeter eos, qui Praeneste dominantur, & Sabelli communi consilio relictis Pontificiis partibus, qui cum Venetis sentiebant, Neapolitano Regi adhaeserunt, cui Mediolanenses, Florentini, Ferrarienses juncti sunt foedere, ac paulo post intra Marinum oppidum urbi propinquum, & alia ditionis suae loca regium praesidium receperunt: post etiam ducem Calabrorum Alfonsum intra suum dominatum vocaverunt. Defectio haec initio celabatur, & propterea a plerisque non credita, tamen nonnulli ex patribus dissidium formidantes, quod maximi incendii fomentum esse videbant, Marinum & Genatianum quoque se contulerunt, ut Columnenses a sententia dimoverent, & Pontifici reconciliarent, tandem semper infectis rebus Romam redierunt*, paucisque interjectis haec haber ad diem secundam junii.

*(a) Volat. l. 3. ms. arch. Vat. sign. n. 49. & 111.*

*Subornati a Ferd. clientes pontificii.*

*Columnenses & Sabelli rebellant Sixto.*

III. *Ursini tuentur partes pontificias.*

*Comes*, nempe Hieronymus, *& Ursini, quorum magna nunc est authoritas, & potestas, de Columnensibus, & Sabellis in senatu conqueruntur, vereri se dicunt ne malum omne a capitibus eorum proveniat, Sabellum & Columnensem Cardinales in senatu praesentes verbis designantes. Ii autem vel pertinacia, vel innocentia moti magno animo se purgare conantur, gentilium suorum errorem potius reprehendentes, quam illos excusantes; & contra illi culpam omnem in eos reiiciunt; sicque magnis contentionibus senatus protrahitur quasi ad ultimam diei horam. Tandem novo exemplo placuit Pontifici ad evitandum majus malum, quod imminere videbatur, ut duo ii Cardinales quasi obsides in pontificia potestate remanerent, & cum his etiam Marianus Sabelli Germanus frater: quamvis vulgatum fuerit ad id eos etiam se obtulisse.*

*Columna & Sabellus Cardinales ut obsides detenti a Sixto.*

IV.

Addit recurrente sacro institutae a Christo Eucharistiae die, qui in quintam junii eo anno incidit, Calabriae ducem Alfonsum in ditionem Columnensium urbi propinquam venisse, atque in clivo Marini oppidi, qui Romam spectat, castra posuisse: tum duodecima junii ad veteres aquaeductus duxisse exercitum, sed Romanis obviam venientibus recessisse. Haec fuere infidi Regis in sedem Apostolicam officia, a qua sceptrum indignus acceperat, & contra Turcicam tyrannidem tectus fuerar. Tum adulto junio Nicolaus Vitellius Tifernas pluribus ante annis in exilium pulsus cohortium praesidio munitus facta cum suae factionis hominibus conjurarione Tifernum occupavit, arciumque custodes ad proditionem auro pellexit. Hunc novum motum foederaros de industria excitasse, refert Jacobus Volaterranus, ne Venetae copiae pontificiis jungerentur; sed praeter expectationem contrarium accidisse, evastato enim Trifernate agro Robertum Malatestam, Sigismundum Ariminensis filium militia clarum, & Tolentinatem duces in urbem excitos, ut Romanam rem in periculum a Calabro adductam tuerentur. Medio julio aliquot pontificiarum urbium defectiones secutae sunt; Beneventum enim in Ferdinandi partes concessit: expugnata etiam Lavinia: Romanus ager excursionibus hostilibus vastatus; tum mari interclusi sunt iis commeatus immissa ad Ostiam septendecim

*Ad Marinum defixa a Ferd. castra.*

*Ferdinandi insignis perfidia in ecclesiam.*

*Tifernum a Vitellio occupatum.*

*Veneti auxilia Sixto submittunt.*

*Classis Neapol. ad ostia Tyberina immissa.*

tri-

(a) Step. Infiss.

triremium & navium duarum classe a Ferdinando Rege. Joannes (a) Galeatius Mediolanensium dux ac Florentini hosti se conjunxerunt, ac fideles aditu ad sedem Apostolicam prohibuere: qui cum anathemate jure percelli possent ex edicto, quod sacræ cœnæ dominicæ die recurrente promulgari consuevit, Pontifex tamen illos paternis monitis blande ad saniora suscipienda consilia pellicere maluit (b): Tum Gallorum Regem oravit (c), ut regiam auctoritatem apud Mediolanensem ad dandos aditus liberos adhiberet, cui demum x. decembris de re impetrata actæ gratiæ.

(b) Bern. Corius hist. Mediol. par. 6.
(c) Sixt. lib. brev. p. 80.

V.
Genuenses classem pro Pont. parant. Actæ illis gratiæ.
(d) Ib. p. 79.

At Genuenses in hoc bello pontificiam fidem secuti ad reprimendas Ferdinandi maritimas excursiones classem adornare constituerunt, quorum libertatis dignitatisque assertorem se futurum Sixtus hisce literis pollicitus est (d): *Nos una cum inclyto Venetiarum dominio vobis nequaquam defuturi sumus juxta fœderis nostri conventiones; quin omnibus viribus nostris conservationi libertatis vestræ consulemus, futurum enim confidimus, Deo auxiliante, ut & virtute vestra & mutuo præsidio nihil hostile timere possitis, atque ea de causa commendamus eam demonstrationem instruendæ classis, quam scribitis. Dat. die* XXVII. *octobris MCCCCLXXXII. pontificatus nostri anno* XII.

Prophanata a militibus ecclesia Lateran.

Cæterum insultante portis urbis Calabro, Roma militibus completa est, atque ad Lateranensem basilicam castra defixa sunt, cumque sacræ ab illis ædes prophanarentur, ac super capsas sacris reliquiis refertas luderetur, cœlestis iræ signa in eosdem ostensa refert Stephanus Infissora (e): *Tertia decima*, inquit, *die julii in die dominica hora missarum non fuit passus Deus omnipotens, beatusque Joannes Baptista, & Evangelista, ac Apostoli protectores urbis Petrus & Paulus, & alii sancti, quorum corpora in ecclesia Lateranensi requiescunt, scelera & vitam militarem agitari in dicta ecclesia Lateranensi, voluitque Deus omnipotens ostendere se cuncta videre: nam dicta hora signum cœleste ostendit, ortusque fuit ventus repentinus, & aer turbatus est valde, & adeo impetuosa tempestas orta est, ut vix dici possit: arbores quidem vinearum concussæ ad terram usque, ac inclinatæ sunt: demum ignis quidam exortus est apud tentoria existentia apud S. Joannem & portam asinariam, arsitque tentoria omnia, & loca militum una cum eorum bonis, & equis, & aliquos eu his ibi infirmos existentes, extenditque se dictus ignis de loco ad locum usque ad illos, qui in Merulana via, & prope ecclesiam S. Matthæi morabantur, tantumque incommodum illis attulit, ut communi omnium existimatione ad sex millia ducatorum, & ultra damnum ascendisse fertur de eo, quod æstimari poterat. Eadem hora Terracina civitas ab hominibus Regis Ferdinandi capta est, excepta arce*. At hæc quoque paulo post præfecto corrupto auro in hostis potestatem redacta fuit.

(e) Infiss. ubi sup.

Divinæ vindictæ signa cœlitus data.

Ignis per tentoria grassatus.

VI.
Immissus in regnum Neapol. exercitus.

Inclinatis pontificiis rebus, Veneti ad Ferdinandum bello distrahendum classem navigiorum centum impositis octingentis equitibus Illyricis, præfecto Jordano, in littoreas Aprurii & Apoliæ oras immisere, factaque excursione, & mira equorum velocitate longis spatiis emensis obvia quæque ferro & flammis vastarunt: tum portum S. Viti, Piscariæ arcem, nonnullaque alia loca occuparunt. Exercitum etiam terrestrem subsidiarium, cui Robertus Malatesta præerat, ad Pontificem misere, qui sacro assumptæ Virgini die urbem ingressus est. Paucis post diebus facta ex urbe eruptio, atque insignis victoria de hoste reportata, de qua hæc tradit Jacobus Volaterranus (h): *Congressus copiarum Ecclesiæ, & Calabri die* XXI. *augusti mensis campo, quem mortuum dicunt, ad B. Petri basilicam pertinente prope Velitras oppidum, in quo profligatus est Calabri exercitus, ipse fugam arripuit, plerique ex suis capti Romam post duos dies ducti sunt. Emicuit in eo bello Roberti Malatestæ ducis exercitus virtus, quem dicunt opera imperatoris, & militis strenue usum esse, pugnatum acriter ab hora* XVI. *diei usque ad* XXIII. *Marinum oppidum Columnensium, & nonnulla alia oppida a Columnensibus, & Calabro Pontifici se dedunt, seque ad Ecclesiæ partes convertunt*. Describit fusius hanc victoriam Stephanus Infissura (i), ac singulas circumstantias accurate recenset obsoletiore ac minus terso stylo, ex quo præcipua capita repetemus.

Auxiliaris exercitus in urbem admissus. Profligatæ Ferdinandi copiæ.

(h) Volat. ms. arch. Vat. sig. n. 49. & 111.

Alphonsus in fugam aversus. Oppida Columnensium in deditionem accepta.

(i) Infiss. ms. arch. Vat. sign. n. 111. & aliud ms. arch. Vat. sign. eod. n. Surit. l. 20.

VII.

Refert ergo decima quinta die augusti egressum urbe ecclesiasticum exercitum cum auxiliari Veneto egregie instructum duce Roberto Ariminensi ad propulsandum hostem, qui in Velitrensi agro insederat, atque in loco munito arte, ac natura, cui S. Petri in forma nomen est, castra fixerat, dispositis ingentibus tormentis bellicis ad submovendos pontificios: habita vero colloquia fuisse inter Alfonsum Ducem Calabriæ & Robertum de universali pugna conferenda, condictamque diem fuisse, sed cum Jacobus de Comitibus cum novis copiis suppetias Roberto laturus accessisset, Alfonsum animo consternatum in munitiorem locum se subduxisse, quem pontificii insecuti sunt: displosis vero ab hoste tormentis bellicis plures ferreis globis misere discerptos fuisse.

Adductus in discrimen exercitus pontificius.

VIII.
Divina ope parta victoria.

Adductus erat in extremum discrimen ecclesiasticus exercitus, cum cælum tulit opem, addit enim auctor crebro imbre effuso pulverem tormentarium madefactum adhibitum ab hostibus ignem concipere non potuisse, atque ita pontificios milites in castra inimica irrupisse, atque tum Alfonsum veritum, ne ab iis circumfunderetur, fuga Terracinam versus se proripuisse, cum suis dedisset im-

peria, ut prælii molem sustinerent. Tenuit pugna horas sex: direpta sunt a victore omnia illius impedimenta, & capta tormenta bellica: ingens dedititiorum numerus fuit, qui in vincula abducti fuere: cujus victoriæ fama Romam perlata vigesima secunda augusti die festi ignes publice accensi sunt, & actæ Deo gratiæ, ac postridie castrum Marini deditionem fecit.

IX. (a) *Lib. brev. an. 12. p. 1.* Profitetur victor Sixtus se pacem exambire.

De hac victoria Pontifex Fridericum Imperatorem certiorem fecit (*a*), ut ipse inique petitus bello fuisset a Ferdinando, demumque vim vi repulisset: tum divini Numinis allato testimonio professus est, nihil se antiquius, quam pacem habuisse, ac lacessitum invitumque imperasse arma nullam aliam ob causam, nisi ut dignitatem sedis Apostolicæ tueretur.

*Imperatori.*

De ea re ad Cæsarem lit.

*Novit Deus, qui est cordium omnium scrutator, nihil nos magis appetiisse, quam pacem, quam Christianorum omnium unitatem, quo fidelium populorum saluti perpetuo consuleretur. Ad hoc studia nostra, curas, cogitatus, facultates libenter contulimus: & si quando aliquorum injuria ab hoc sanctissimo opere nos retraxit, lacessitosque coegit arma suscipere, inviti quidem, nec nisi pro conservando Apostolicæ sedis honore ea suscepimus, pro qua & facultates, & vitam ipsam effundere debemus, si officio pastorali, prout decet, volumus satisfacere. Erant in Ferdinandum Regem ea ex nobis beneficia, is amor, ea charitas, ipsius autem erga nos, & Romanam ecclesiam ea obligatio tum promissionis, tum investituræ, ut præsidium potius ab eo sperare, quam injuriam timere deberemus. Quid enim nos bello invadi conveniebat, si Veneti ad mutuam statuum defensionem nobiscum conjuncti cum Ferrariensi principe de finibus contendebant, quibus nullum subministravimus subsidium?*

Ut belli culpa a Ferdinando suscepta sit.

*Verum cum nihilominus res in suspicionem belli verteretur, ne vis in nos tentaretur, atque ideo ad propulsandam vim comparatus a nobis esset exercitus, neminem quidem offensurus, nisi prius lacesseretur, invasit nos de improviso Rex misso cum magna militum manu primogenito, recepti in protectionem rebelles nostri, eorum oppida, quæ urbi imminerent, & ad excursiones in agrum Romanum faciendas accommoda essent adversus nos munita, solicitati ad defectionem populi, Romani magistratus, castra ante urbem posita,*

Invasa sit ab eodem ditio ecclesiast.

*prædæ quotidie abactæ, Tifernum, Terracinaque insignes Romanæ ecclesiæ civitates interceptæ, littora nostra numerosa classe assidue infestata, & [ quod damnabilius est ] Turcorum gens immanissima communis Christiani nominis hostis, a cujus feritate Regem ipsum superiore anno sumptibus nostris liberavimus, contra nos armata.*

*Toleravimus hæc quousque placuit Altissimo justitiam nostram omnibus notam facere, qui sperantes in se non deserit, qui fluctuantem olim Petri naviculam perire non patitur, & Ecclesiam suam sanctam opprimere conantes erroris sui admonet.*

Propulsatus demum a piis impius exercitus.

*Siquidem collectis tandem in unum tum nostris tum aliorum præsidiis, qui eximia sunt in Apostolicam sedem pietate, collatisque cum hoste signis, tantus fuit militibus nostris pugnandi ardor, tanta animorum alacritas, & invicta ducum virtus, ut uno prælio fusus fugatusque sit hostilis exercitus, captique fere omnes exercitus principes cum venillis, & magna militum multitudine, sicuti ex inserto literarum exemplo diffusius videre poteris. Quæ ideo tibi significare voluimus, non ut existimes electione gloriæ ex re bene gesta nos moveri, inviti enim ad hoc descendimus, & Deus iis ignoscat, qui effundendi sanguinis Christiani causam dederunt. Verum ut intelligas causæ nostræ justitiam, quam divina majestas auxilio suo prosequi dignata est, a qua insignem hanc victoriam, & liberationem Ecclesiæ a persequentibus eam recognoscimus, persuadeasque tibi nos ad unitatem Christianorum principum, & ad salutem dominici gregis adversus communem fidei hostem ex prisco desiderio nostro ita esse intentos, ut nihil sit, quod magis exoptemus,*

Rogatus Cæsar ut concordiæ agat interpretem.

*hortantes majestatem tuam, ut ad hoc sanctissimum, & necessarium opus, quod diu desideravimus, non solum promptum sese velit exhibere, sed etiam nobis, & Apostolicæ sedi, cujus protector existis, adesse adversus ejus inimicos, & rebelles, qui in causa sunt, ne tam salutaris provincia ad optatum finem perducatur. Dat. Romæ, &c. XXV. augusti MCCCCLXXXII. pontificatus nostri anno* XII.

(b) *Reg. in eand. ep.*

Conceptas (*b*) iisdem ferme verbis literas ad alios Christiani orbis Reges, ac principes dedit, ad illustrandam suæ causæ æquitatem Sixtus.

X. Ferdinandum perfidiam subrogare nisus.

At contra Ferdinandus Neapolitanus variis fucis, & conquisitis coloribus perfidiam suam subornare nitebatur, missisque oratoribus insusurrabat Lusitano Regi justis de causis Pontifici illatum bellum, cujus dolos confutavit Sixtus, missis ad episcopum Elborensem, qui superiori anno pontificio rogatu Lusitanam classem ad pellendos Italia Turcas adduxerat, literis (*c*).

(c) *Ibid. pag. 115.*

Quod vero attinet ad Robertum Malatestam, quo duce hostis profligatus fuerat, ejus laureæ brevi in funereas cupressos versæ, illæque triumphales laudes in titulum sepulchri abierunt: cum enim reversus Romam magnificentissime a Sixto fuisset exceptus cultusque, paulo post ex castrensi labore, & æstu pugnæ correptus febre obiit, cujus funeri ingentem a Pontifice honorem habitum refert Stephanus Infissura (*d*), & equestrem statuam marmoream ejus sepulchro impositam, cui subjectam hanc inscriptionem refert Sabellicus (*e*): *Veni, vidi, vici, lauream Pontifici retuli, mors secundis rebus invidit;*

(d) *Infiss. ms. Vat. sign. n. 111.*
(e) *Sabell. Enn. 10. lib. 7.*

(a) Mſ. arch. Vat. ſign. n. 111. (b) Volat. mſ. arch. Vatic. ſign. n. 49. & 111.

dit ; quæ in (a) funereis inſignibus exarata fuerat. Ornat ipſum Jacobus Maffeus Volaterranus (b) hoc elogio : *Id nemini*, inquit, *dubium eſſe poteſt, quin terrorem maximum a cervicibus noſtris depulerit : inſtabat quotidie Calaber portis urbis, & tanquam novus Hannibal pluries & Romanos, & curiales non parum formidare coegerat*. Cum ita Robertus meritis præmiis defuiſſet, Sixtus ejus filios illegitimo thoro procreatos juſtorum natalium dignitate ornavit (c), atque Venetis & Ariminenſibus conceptum ex ejuſdem morte dolorem ſignificavit. Contuliſſe Sixtum illi morituro extremæ unctionis ſacramentum, atque una cum Cardinalibus defuncto funebria ſacra peregiſſe, narrat [1] vetus civis Romani MS. (d). Mirum autem eſt, quod de alterius viri inſignis Roberti affinis morte obſervat his verbis Volaterranus (e) : *Eodem die, quo Romæ Robertus, Fredericus quoque Feretranus dux Urbinas Ferrariæ moritur, hic ſocer, ille gener, ambo ut locis diverſis, ita inimicorum exercituum imperatores*.

Roberti Malateſtæ mors.

(c) Sixt. ubi ſup.

(d) Mſ. arch. Vat. ſign. n. 111.

(e) Vola. MS. arch. Vat. ſign. num. 49. & 111. Sabellic. Ennead. 10. l. 6.

XI. E bellicis laboribus brevi pacis fructus collecti fuere, victus enim Ferdinandus, occupatiſque a Veneto pluribus maritimis arcibus timebat, ne pro demeritis regno deturbaretur a Sixto, Galluſque in veterum jurium recuperandorum ſpem vocaretur ; officiis itaque mox demulcere ſtatuit, quem armis opprimere non potuerat. Miſſum ab eo Anellum oratorem ad Pontificem, qui puram chartam detulerit, in qua Pontifex ipſe quas vellet leges præſcriberet, refert dictum vetus Romani civis mſ. (f) concordiam a pacis percupido facillime immeritus elicuit, de qua hæc enarrat Stephanus Infiſſura : *Inde ad paucos dies facta fuit pax inter eccleſiam, & præfatum Regem, & Columnenſes redacti ſunt in gratiam cum certis pactis, & capitulis inter alia, quod terræ hinc inde reſtituerentur acceptæ, & quod Cardinales, qui carcerati erant dimitterentur, & terra Terracinæ cum ejus arce rediit ad eccleſiam, & Marinum cum reliquis ad Columnenſes Cardinales*. De Terracinenſibus, ac Beneventanis ad pontificium obſequium reductis extant apoſtolicæ literæ die VII. januarii proximi anni exaratæ, quibus perduellionis crimine abſoluti (g) ſunt. Pergit auctor : *Tamen qui carcerati erant non fuerunt dimiſſi, & incontinenti vigeſimo ſeptimo ſeptembris dux Calabriæ venit ad urbem dimiſſis captivis, permanſitque in palatio Papæ per aliquos dies*. Acceſſit poſtea Regum Hiſpanorum legatio, cujus princeps erat Gerundenſis epiſcopus, qui die XVI. octobris urbem ingreſſus (h) eſt ; ſignificabat autem Hiſpanus (i) impacatæ ſe Italiæ ſortis miſereri, cupereque omnes mutuo amicitiæ nexu ad infringendas vires Turcicas conſtringere.

Pertimescit Ferd. ne Gallus ipſi opponatur.

(f) MS. arch. Vat. ſign. n. 111.

(g) Sixt. lib. brev. an. 12. p. 300.

(h) Volat. mſ. arch. Vat. ſign. n. 49. & 111.

(i) Surit. l. 20. c. 44.

Pacem efflagitat.

XII. Victus igitur eſt ſua ſponte precibus, & officiis Sixtus, qui vi & armis vinci non potuerat, atque trophæum reportatæ victoriæ B. Virgini poſuit, nempe templum, cui pacis nomen inditum eſt, excitavit, in quo imaginem Deiparæ miraculis claram collocavit.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cum nuper ſuffragante divina gratia majorem, & ſaniorem partem principum, & dominorum Italiæ, inter quos magnum diſſidium cruentaque bella vigebant, ad mutuam concordiam, & pacis deſiderium per interceſſionem ejuſdem excellentiſſimæ Virginis, & opem Altiſſimi ad noſtras preces aſſidue propitiantis cum magna fere totius Italiæ lætitia & conſolatione perduxiſſemus, & reliquos adducere cogitaremus ante quandam imaginem beatæ Virginis, quæ nonnullis miraculis de novo coruſcare cœperat, & a fidelibus frequentabatur, eſſemus adorantes, & genibus flexis conſtituti, inſpirante (ut pie credimus) divina gratia, nobis viſum fuit incongruum, quod imago ipſa in quodam parvo tabernaculo conſiſteret, prout tunc ad parietem ejuſdem eccleſiæ extabat. Itaque in eodem loco templum ad honorem Altiſſimi, & beatæ Virginis ædificandum ſtatuimus, illudque ad perpetuam tam grandis muneris, nobis non humano conſilio, ſed divina providentia magna in parte conceſſi, ſub celebri forma miroque ædificio fabricari fecimus, ac ipſum in honorem Virginis prælibatæ noſtris ſumptibus a fundamentis erectum Deo dicavimus, & in memoriam hujus pacis, & concordiæ templum pacis nuncupari voluimus, ſperantes quod per hæc & alia quamplura præclara templa, & pia loca, quæ in alma Urbe, & extra a fundamentis propriis expenſis noſtris, & quidem magnis fundari, & inſtaurari facimus, & vita nobis comi-*

Imago Virginis clara miraculis.

Ad eam conceptum a Sixto votum pro pace.

Templum pacis ædificatum a Sixto.

NOTÆ [1] VEtus illud mſ. Romani civis, quod in codice Vaticanæ bibliothecæ nactum ſe Annaliſta hic ſcribit, idem eſſe opus cenſeo, quod Cl. Muratorius paucis ab hinc annis vulgavit Rer. Ital. to. III. part. III. Muratorius in præfatione operis illius ignorare ſe profitetur an Raynaldus lucubrationem illam noverit. Ex iis tamen quæ nactum ſe hic, & num. 16. ſcribit in hiſtoria quadam manuſcripta civis cujuſdam Romani, quæ totidem verbis in opere a Muratorio vulgato recurrunt, intelligimus hoc ipſum opus Raynaldum non latuiſſe. Ex ea vero lucubratione conſtat Robertum Ariminenſem die XI. Septembris vita exceſſiſſe. Morienti adſtitiſſe Sixtum, qui extremæ unctionis ſacramentum laboranti in mortis agone miniſtravit, tum & funeri interfuiſſe, non quidem illi quo defuncto ſtatim parentatum fuit, ſed alteri majori pompa die XXV. ſeptembris repetito, quo in funere majoribus literis picta epigraphes legebatur : *Veni, vidi, & vici, victoriam Sixto dedi, mors invidit gloriæ* ; quare errant qui elogium hoc ſepulchro ejus appoſitum ſcripſerunt. MANSI

*mite, cum aliis bonis operibus omnino perseverare intendimus, Italia ipsa dulcedine pacis fruetur, & in ea lætabitur, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCCLXXXIII.* XVII. *kal. octobris pontificatus nostri anno* XIII. Sequenti nimirum; verum ne eadem repeteremus, diploma superius hic inseruimus.

XIII. Pacis vero beneficio Italos omnes potiri voluit, qui ad id fœdus admitti vellent, professus nullum animo altius quam pacis Italicæ desiderium infixum animo suo hærere, qua de re Ferdinandum ipsum, & Isabellam Hispaniarum Regem, ac Reginam fecit certiores (*a*), rogavitque ut leges, quæ interpretibus ipsorum oratoribus compositæ fuerant, servandas curarent, sedisque Apostolicæ dignitatem commendatam haberent: *Reliquum est*, inquit, *ut postquam pium hoc institutum vestrum procurandæ pacis ab omnibus summa cum gloria commendatum est, veluti a catholicis, & religiosissimis Regibus profectum, ita etiam omni studio, omni conatu efficiatis, ut conditiones paci ipsi appositæ, & per partes acceptatæ in omnibus observentur, quemadmodum & oratores ipsi vestri nomine vestro in se receperunt, & vos facturos non dubitamus, præcipue cum persuadeamus nobis honorem sedis Apostolicæ vobis fore commendatissimum: cujus rei non obscura argumenta & antea sæpe ostendistis, & in futurum quoque semper, ut speramus ostendetis: aliter enim nihil aliud esset, quam immortalem laudem vestram, quam ex hoc consequuti estis, labefactare, non sine magna honoris nostri, & S. R. E. diminutione, rerumque non modo Italicarum, sed etiam totius Christianæ religionis perturbatione sicuti pro singulari prudentia vestra facile considerare potestis. Dat. Romæ die* XXI. *decembris MCCCCLXXXII. anno* XII.

*(a) Lib. brev. an. 12. pag. 291.*

XIV. Recenset (*b*) Jacobus Volaterrannus præcipuas illius concordiæ pactiones, quarum formulam, recurrente natalitio Domini, e sacro suggestu promulgari jussam ait: tum addit reconciliandi Nicolai Vitellii Tifernatis provinciam suscepisse Hispanos oratores: Columnensium causam permissam arbitrio pontificio: Calabriæ ducem illatæ a se Christi vicario injuriæ veniam petiisse, atque ense solemni ritu sacrato donatum, quæ ex ms. (*c*) codice tabularii Vaticani repetimus: *Profesto nativitatis domini Salvatoris jussit Pontifex recitari ex pulpito pacis nuper initæ conditiones. Pacis conditiones non omnes, sed quæ memoria retineri potuerunt, hæ sunt. Pax perpetua. Ita est fœdus dictum in annos viginti ab armis discessus repentinus. Venetis honorificus locus servatus, si & ipsi fœdus ingredi voluerint, & triginta dies ad id concessi. Totidem dies potentatibus cæteris dati in idem fœdus venire volentibus. Ratæ ac firmæ sint apostolicæ provisiones hactenus factæ, faciendæ vero nullo modo aut colore impugnandæ. Defensio Ferrariæ. Stipendium Hieronymo comiti in annos tres quadraginta aureorum millia pro rata ab unoquoque potentatuum. Equites numer ... &c. Pedites numero ... equitum stipendium pro rata. Defensio mutua. Sublata in præsenti bello restituenda. Ante omnia Nicolai Vitellii Tifernatis oratoribus Regis Hispaniæ potestas omnis tributa ad menses quatuor. Columnensium, & Sabellorum status omnis potestati, & arbitrio solius Pontificis. Dimissus Cardinalis Columnensis, & Sabellus. Itidem Cardinali Mantuano legato in omnes fœderatorum copias imperium tributum.*

*(b) Volat. ms. ubi sup.*
Præcipuæ pacis leges.
*(c) Id. ib.*
Promulgatæ pacis Italicæ leges.

XV. Quod ad Tifernum pertinet; illud in pontificiam potestatem revocatum memorat Bartholomæus Platina (*d*) a Juliano Cardinale tit. S. Petri ad vincula, cujus gesta in Umbriæ legatione recenset in vita ms. Sixti IV. ut magna seditione fluctuantem provinciam in officio continuerit. Tuderti enim principe Gabriele Gatellano Guelphæ factionis cæso, Jordanus Ursinus, & comes Pitiliani eo concurrere, ut Canalem cum Gibellinis pellerent, & cædibus ac rapinis misera urbs fœdata est; quos tumultus adjuncto sibi Julio Camertinorum domino sedavit Julianus, ac seditiosos dispulit. Inde Spoletum, quod Ursinæ potius factioni quam Pontifici parebat, profectus instructo exercitu eam urbem sub ejusdem Pontificis imperium redegit, quamvis dum militum licentiam in civium domos ad prædas agendas irruentium comprimere niteretur, periclitatus sit. Inde in Tifernum movens illud e Nicolai Vitellii tyrannide vindicavit: *In itinere*, inquit Platina, *multæ civitates gratulabundæ ob victoriam adeptam obviam factæ munera, & quidem præclara, ei obtulere, quæ Julianus non superbia motus, sed quod virum ecclesiasticum minime decerent vel constanter rejecit, vel ad pios usus transtulit, utpote ad templa cœnobiaque restituenda.*

*(d) Plat. ms. Vat. in Vit. Sixt. IV.*
Tudertinæ res compositæ a Juliano Card.
Tifernum ex Vitellio receptum.

XVI. Reversum ante ex Gallicana legatione IV. januarii die hujus anni Julianum, & secum Balvam Cardinalem, qui tot annis jussu Ludovici Regis in carcere proditionis reus fuerat reservatus, adduxisse refert ms. diarium Romanum (*e*). Quod vero ad præcipuum illius legationis caput attinet, nimirum de Ludovico & Maximiliano in concordiam revocandis, ita demum pactum fœdus tradunt (*f*), ut Margarita Maximiliani filia cum Burgundiæ Carolesii, Atrebati, Barri, & aliis nonnullis dotalibus principatibus Carolo sceptri Gallici heredi desponderetur, (*g*) at de his postea. Nunc ad res Italicas redimus.

Balva Card. Gallico carcere liberatus.
Inter Ludovicum & Maximilian. pax confecta.
*(e) Ms. arch. Vat. sign. n. 111.*
*(f) Lib. expedit. Sixt. IV. Gaguin. in Lud.*
*(g) Sabel. Enn. 10. lib. 6.*

XVII. Cultum magnis honoribus Alfonsum Calabrum dum amicitiam præ se ferret, qui armatus antea contusus fuerat, vixque a Ja-

nissa-

Habiti honores Calabriæ duci.

niffaris ſuis a morte ereptus, refert Volaterranus: *Dominico die infra octavam nativitatis extra ordinem celebrata ſunt ſacra in pontificia aula conſueta. Pontifex, & patres interfuere. Calabro inter primos patrum datus eſt locus, & honore eodem, quo Regis filius habitus. Tradidit illi Pontifex enſem proxima natali die benedictum, præcedentibus paternis, & ſanctiſſimis monitis, recitatiſque ex libris ceremonialibus nonnullis, & aliis, quæ ſua ſanctitas ad idem miniſterium ſcripſerat. Dux ſacra dona recipiens, præteritorum erratorum ſuppliciter petita venia, promittens deinceps obedientiam Eccleſiæ, & Pontificis, rediit ad cubicula ſua enſem manu geſtans medius inter duos patrum, qui in ordine poſtremi ſunt, cunctis aliis de more præcedentibus, ac longa poſt eum prælatorum tum procerum turba* XXX. *decembris Ferrariam verſus iter cepit, ut ſororio ſuo paternam fidem ſecuto opem ferat, Venetorum obſidione laboranti: nongentos equites ſecum duxiſſe fertur.*

(a) *Mſ. arch. Vat. ſign. n.* 111.

Confirmat hæc poſtrema Stephanus Infiſſura (*a*), qui addit Pontificem a fœdere Veneto diſceſſiſſe, armorumque ſocietatem cum Ferdinando Neapolitano in Venetos inivisſe: *Ipſe*, nimirum Calabriæ dux, *una cum Virgineo, & aliis Urſinis cum bona gratia a Papa diſceſſit* XXX. *decembris, & Ferrariam profectus eſt, facta confœderatione inter Papam, & Regem contra Venetos*. Inconſtantis ingenii rem leviter perpendentis notatur Sixtus, qui cum hoſte Neapolitano ſibi extremum intentante exitium adverſus fœderatum Venetum, cujus ope impendentem perniciem averterat, conſpirarit; ſed altius momenta rerum penetrando, illum Eccleſiæ dignitatem, juris æquitatem, Dei gloriam aſſeruiſſe conſtabit. Jam Veneti Herculem, Ferraria terra, & aquis obſidione cincta (*b*), in extremum diſcrimen adduxerant, (*c*) cum Sixtus, qui illum caſtigatum, non perditum voluerat (*d*), Veneta arma ab illius pernicie revocare tentavit: tum legatum Cardinalem ſubſidiariis ſuccinctum copiis ſubmiſit, qua de re ducem ipſum Ferrarienſem, quem in gratiam receperat, fecit (*e*) certiorem.

Sixtus fœdus armorum jungit cum Ferd. in Venetos.

(*b*) *Sixt. lib. brev. an.* 12. *pag.* 246.
(*c*) *Sabel. ennead.* 10. *lib.* 7.

Miſſus exercitus ad ferendam Ferrarienſi opem.

(*d*) *Sixt. in monit. ad Venet.*
(*e*) *Lib. brev. pag.* 246.

*Duci Ferrariæ.*

*Et nobilitati tuæ, quam paterna gratia benevole proſequimur, & civitati noſtræ Ferrarienſi bella, devaſtationes, ac noviſſimam obſidionem ab hoſtibus tuis illatam moleſto animo perferimus, & ſicut, pacatis jam aliis Italiæ potentatibus, & nobis ſanctæ pacis vinculo unitis, de neceſſariis tibi auxiliis providere cogitavimus, ita etiam dilectum filium nobilem virum Joannem Mocenigo ducem Venetiarum per literas noſtras hortati ſumus, ut ob noſtram, & ſedis Apoſtolicæ reverentiam, cujus loca læduntur, & impugnantur, ab armis deſiſtat, ac pacem ipſam nobiſcum, reſtitutis hinc inde ablatis, amplectatur, neve tibi, ac ſanctæ Romanæ eccleſiæ de cætero infeſtus ſit, in quo deſideramus ejus prudentiam juſtitiæ & honeſtati acquieſcere. Ut autem interim ſalubrius, & firmioribus præſidiis tibi conſulatur, dilectum filium noſtrum F. S. Mariæ novæ diaconum Cardinalem legatum noſtrum ad partes iſtas duximus deſtinandum, ut te & populos noſtros præſentia ſua conſolari, ac ſpiritualibus, & temporalibus favoribus, ſicuti res neceſſitas exegerit, promptius juvare, & reintegrationi ſtatus tui intendere poſſit, &c. Dat. Romæ die* XIII. *decembris MCDLXXXII. anno* XII.

Rogatus Mocenicus dux ut abſtineat a Ferrarien.

XVIII. Ferrarienſes excitati ad conſtantiam.

Hortatus eſt etiam Sixtus Ferrarienſes (*f*), ut Venetum fortiter propulſarent: tum Bononienſes (*g*) ad ferendas obſeſſis ſuppetias excitavit, qua de re etiam ad Joannem Bentivolium extant literæ (*h*): dumque pontificius, & Neapolitanus exercitus inſtruebantur, Jacobum Trivultium Mediolanenſis ducis copiarum præfectum rogavit (*i*), ut Bondenum interea ab hoſtium vi tueretur. Narrat Sabellicus (*k*) Sixtum conatum precibus Venetos ab eo bello revocare, quod eo authore indictum eſſet: quæ autem cauſa Sixti animum mutaverit difficile dictu ait. Sed ea ex hortativis ad Venetos, ut arma ponerent, nec inſignem urbem pontificii imperii occuparent, literis (*l*) conſtabit, quibus ſignificatum eſt conſulendum Italiæ ſaluti, quæ bello inteſtino premebatur, quo plura ditionis eccleſiaſticæ loca amiſſa, Romam obſidione cinctam, mari hoſtili claſſe obſeſſo commeatus fuiſſe interclusos, Florentinos, & Inſubres aditus ad ſedem Apoſtolicam obſepſiſſe; interea periculoſiſſimum ſchiſma conflari a ſeditioſis, Turcas in imperii Chriſtiani excidium allici, ad quæ ſedanda mala nil fore utilius, nil Veneti nominis gloria dignius, quam ſi Ferrariam, ad pontificiam ditionem ſpectantem, oppugnare deſinerent, communique fœderi accederent.

(*f*) *Ib. p.* 146.
(*g*) *Ib. p* 244.
(*h*) *Pag.* 248.
(*i*) *Pag.* 279.
(*k*) *Sabell. enn.* 10. *lib.* 7.
(*l*) *Lib. Brev. an.* 12. *p.* 239.

*Duci Venetiarum.*

XIX. De ſtudiis a Sixto pro pace tuenda adhibitis.

*Dilecte fili, &c. Ut primum ad apicem ſummi apoſtolatus, divina ita diſponente clementia, meritis licet inſufficientibus, fuimus evecti, nihil præſtabilius duximus, quam omni cura, omni ingenio, & induſtria procurare ea, quæ pacis eſſent, tum quod nihil magis officio noſtro convenire arbitrabamur, qui Regis pacifici vicem gereremus: tum quod reipublicæ Chriſtianæ a crudeliſſimis barbaris violenter impetitæ, maximiſque & diuturnis cladibus afflictæ, nihil ſalutarius videbamus. Hoc incenſi ſtudio non ſolum Italiam, accerſitis ad nos ſæpius potentatuum oratoribus, ad mutuam animorum conjunctionem excitavimus, ſed & tranſalpinos principes, & remotiſſimas nationes, miſſis ad id legatis, & nuntiis noſtris monuimus, & iterum atque iterum ſumus obteſtati, quod ſi aliquando aliquo-*

liquorum injuria nos impulit, ut præter institutum nostrum arma sumeremus, non nisi inviti, & lacessiti, ubi spiritualia non profecissent, id fecimus, & pro libertatis ecclesiasticæ conservatione, pro qua, si sit opus sit, vitam effundere debemus: atque hoc quidem eo consilio gestum est, ut rebus bello compositis pax optata sequeretur, quam semper animo nostro proposuimus, intimo affectu concupivimus.

Proposita incommoda quæ ex bello sit passus.

Cum autem præter ejusmodi desiderium nostrum superioribus mensibus Italia, ita cooperante humanæ pacis inimico, in periculosum, & grave bellum inciderit, eoque processerit furor bellicus, ut nos quoque immerito causa sua lacessiti, pluribus damnis, & incommodis affecti fuerimus, plerasque civitates nostras, & oppida amiserimus, urbem Romanam obsidione cinctam viderimus, agrum fere omnem depopulatum, cives adversus nos ad seditionem instigatos, littora nostra infesta classe exagitata, interclusam commeatibus civitatem, prohibitos transitu eos, qui Romam ex omni orbis terrarum natione accedere consueverunt, quo Romana curia dissolveretur, interceptos tam venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quam aliorum oratorum ecclesiasticos proventus, domicellos plerosque nostros aperta rebellione hostilia omnia in nos perpetrare, Ferrariam insignem ecclesiæ civitatem in manifesto periculo constitutam, universam Italiam intestino inter se bello conflagrantem: atque hæc omnia charissimi in Christo filii nostri Ferdinandus, & Elizabeth sapientissimi, ac pientissimi Castellæ Reges considerantes, animoque metientes, quam luctuosæ rebus Christianis, quam perniciosæ Apostolicæ sedi, quam periculosæ fidei catholicæ essent hujusmodi perturbationes, maxime propter schisma, quod in Ecclesia Dei a nonnullis jam procurabatur, pro zelo ducti universalis concordiæ miserint ad nos humiliter pro pace supplicatum: idem & venerabiles ipsi fratres nostri, idem populus Romanus, idem aliæ ecclesiæ, civitates, idem reliqui Italiæ potentatus summis precibus postulaverint rogaverintque, duximus eorum honestissimo desiderio annuendum, præcipue cum ad priscum institutum, & naturam nostram parandæ conservandæque pacis hoc accedat, atque in ea inciderimus tempora, in quibus nihil magis expetendum, nihil magis necessarium sit, quam Italiam inter se consentientem habere, ab armis discedere, capta hinc inde restituere, odia, & simultates deponere, in mutua tranquillitate conquiescere, si vere Christiani esse volumus, si libertatem, si fortunas nostras, si Dei cultum & religionem, qua nihil nobis charius esse debet, adversus immanissimam Turcorum gentem excidio Italiæ imminentem tueri, & protegere desideramus.

Ut Hispani Reges pacem necessariam esse rei Christianæ demonstrarint.

XX. Quamobrem cum persuadeamus nobis, & te & inclytam rempublicam tuam ab hoc communi bono non abhorrere, quippe quæ omni tempore pacem dilexerit, & omnes discordiarum causas de medio tollere studuerit, hortamur te paterno affectu, ut postquam reliqui omnes in mutua quiete nobiscum conjungi cupiunt, & postulant, velis & tu ad hanc sanctam, & optabilem unitatem accedere, ab armis discedere, capta restituere, res Ferrarienses omittere, neque amplius bello, & obsidione civitatem illam nostram urgere; quod profecto non solum summa sapientia tua dignum erit, qui considerare potes, quo in discrimine Italia omnis versetur, sed sibi ita erit honorificum, & gloriosum, ut immortalem laudem apud omnes sis consecuturus: si quidem offerimus nos excellentiæ tuæ in justitia prompte, & expedite non defuturos, si quid habes, quod de duce illo conqueraris. Dat. die XI. decembris MCCCCLXXXII. pontificatus nostris anno XII.

Vertenda necessario arma in Turcas.

Porrectæ Venetis preces ut capta restituant.

XXI. Flectere Venetos non potuit Sixtus, ut cœpto desisterent, quos proximo anno intentatis ecclesiasticis pœnis obsidionem Ferrariensem solvere jussit, omniaque Italica arma in hoc, bellum incubuisse proximo anno visuri sumus: neque enim Mediolanensis & Mantuanus duces æquo animo ferre potuerunt Ferrariensem spoliari principatu, ne Venetus potentia auctior in ipsos postea consurgeret: sua porro culpa suisque in sedem Apostolicam demeritis Hercules Ferrariensis tantum sibimet conflaverat periculum, ut duci Mediolanensi Pontifex significavit (a) hisce verbis: Quod attinet ad res Ferrarienses; sane neque tuo neque aliorum subsidio indigerent, si princeps ille paternis nostris exhortationibus, & monitis auscultasset, otio & quiete sua Italia frueretur, quod omni cura, & studio semper procuravimus, neque nos bellum, quod immerito nobis illatum est, lacessiti propulsare coacti fuissemus. Datum Romæ die XXVII. octobris MCCCCLXXXII. anno XII.

Commota ob Ferrariam obsessam universa Italia.

(a) Sixt. lib. brev. an. 12. p. 158.

Turbatorum author extitit Ferrariensis.

XXII. Eidem porro Joanni Galeatio Mariæ duci Mediolauensi Sixtus paternæ benevolentiæ signa explicuit: significavit non ob præteritam cum hoste conjunctionem ipsi infensum, culpam illius senatoribus ascribere; mouuit denique ne ecclesiasticos Cardinalium census invaderet.

Duci Mediolani.

Quid illi ita de te male meriti sunt, aut quid commiserunt, ut proventibus ecclesiarum, & beneficiorum suorum privarentur: membra nostra sunt, & sine capitis læsione offendi non possunt, proinde nobilitas tua si sibi adjutorem Deum conservare vult, si sedem Apostolicam sibi propitiam optat, debito pietatis officio matrem suam Romanam ecclesiam recognoscat, quæ filii sui saluti non minori studio semper intendit, & ut devoti animi sui indicia præseferat illam hortamur, ac monemus, & in verbo Salvatoris dicentis: Reddite

Commendata vicissim immunitas ecclesiastica.

Reddite

dite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo; *ex paterno officio, & zelo salutis suæ mandamus, ut liberos redditus beneficiorum ecclesiasticorum hujusmodi ad dominos suos pervenire patiatur, &c. Dat. Romæ die* VII. *novembris MCCCCLXXXII. pontificatus nostri anno* XII. Paruit Mediolanensis Sixto, & cum ipso fœdus redintegravit.

XXIII. Andreas archiep. Crajan. schisma molitus.

Quod autem antea querentem Pontificem audivimus, nonnullos schismatis conflandi nefaria agitare consilia; non prætermittimus fuisse hoc tempore in Germania nequissimum novatorem pseudodominicanum Andream nomine, archiepiscopum Crajanensem ac Friderici Imperatoris legatum, qui quod dignitatem cardinalitiam non adeptus esset, ira furens adversus majestatem pontificiam conjuravit, ac Basileæ conciliabulum, ut factionis socios sibi asciceret, cogere annisus est, de quo hæc tradit Jacobus Volaterranus (a): *Hoc tempore*, nempe junio ineunte, *vulgatum est Romæ quemadmodum Andreas archipræsul Crajanensis pro Cardinali in Basilea se gerit, ibique concilium inchoat contra Pontificem. Dicitur Fredericus Imperator secreto illi assistere. Basileenses illi aperte favere, ut frequens ibi concilium congregetur, non tam Pontificis odio, quam propria utilitate.* Agitabantur nimirum Basileenses avaritiæ stimulis, scilicet conficiendi plurimi auri spe, si episcoporum solemnes cœtus in ea urbe celebrarentur: aspersisse autem Andream Pontifici & sacerdotali ordini graves calumnias, simulato revocandæ in Ecclesiam primævæ sanctitatis studio, memorat Stephanus Infissura (b), eumque postea cum Romam accessisset, conjectum in vincula, atque dignitate archiepiscopali exutum.

(a) *Volat. ms. arch. Vat. sign. n. 49. & 111.*

Indictum ab eo Basileæ conciliabulum.

(b) *Ms. arch. Vat. sign. n. 111.*

XXIV.

Eo prorupit improbissimi hominis impudentia, ut Pontificem in jus vocare apud concilium ausus sit. Missam vero ad Cæsarem legationem addit auctor, ne cavillis impostorum subornari se pateretur, doceretur que pontificiam majestatem nullum in terris judicem agnoscere, indicendorum conciliorum jus ad eam spectare, neque ulla valitura, quæ illius auctoritate non fulciantur. Perfunctus est (c) eo munere episcopus Suessanus.

Monitus Cæsar ne Concilio cogendo immiscere se audeat.

(c) *Ibid.*

XXV.

Monitus de iis Imperator, atque adversus nova molientium susurros præmunitus amplissimis literis omni officiorum genere refertis sedis Apostolicæ supremam authoritatem dignitatemque professus est, pollicitus se novatorem Crajanensem nulla interposita mora coerciturum, quæ literæ in publico Cardinalium senatu magna omnium commendatione perlectæ: eumdem vero Sixtus hortatus est, ut egregia cœpta ad exitum perduceret.

*Imperatori.*

*Quoniam opinioni omnium abunde satisfecisti, dignissimamque operam navasti, jure ipso ingentes sibi, quod certe facimus, habendæ sunt gratiæ. Reliquum est, fili charissime, ut eodem, quo cœpisti, animo authoritatem, dignitatem, & honorem sanctæ sedis semper protegas, & tuearis, præsens vero negotium ita prosequaris, ut desideratus effectus subsequatur, & scelestus ille*, nimirum archiepiscopus Crajanensis, *pœnas suæ temeritatis, & audaciæ luat, ne tanta petra scandali in Ecclesia Dei cum perturbatione, & seductione fidelium populorum diutius maneat: ex hoc enim augebitur in dies magis cumulus benivolentiæ & charitatis, quam ex tuis pluribus meritis præfata sedes erga te gerit, & ab universo orbe uberius commendaberis, ac denique apud ipsum Deum æternum præmium consequeris. Dat. Romæ* XXIX. *decembris MCCCCLXXXII. pontificatus nostri anno* XII.

Actæ Cæsari gratiæ quod sedis Apost. honorem tueatur.

XXVI. Libertati restitutus Andreas ad vomitum redit.

Emissus e carcere Friderici Imperatoris rogatu fuerat Andreas, cum cæsarei oratoris partes egisset revocassetque errores, ac rursum postea de recta rationis via deflectens plura in sedis Apostolicæ dignitatem evomuit, ac novos motus apud Basileenses excitavit: de quo Sixtus apud Albertum Saxonicæ stirpis principem ecclesiæ Moguntinæ administratorem XIX. septembris die est conquestus, (d), addiditque illum ob scelera necis reum fuisse, ex apostolica autem mansuetudine vita donatum, meritas tamen illi pœnas, cum de pontificia dignitate obloqui pergat, non defuturas. Damnavit porro eundem novatorem Pontifex (e) schismatis, & hæreseos, & comiti Thierstenb munus imposuit, ut Basileam se conferret, judiciariaque illum acerbitate coerceret. Perfecta fuere sedulo mandata pontificia, ad calcem enim rerum hoc anno gestarum hæc in suis diariis habet Volaterranus (f): *Post hos dies nuntiata Crajanensis captivitas apud Basileam Germaniæ civitatem, captum fuisse dicunt in senatu civitatis, Cæ-*

(d) *Lib. brev. an. 12. pag.* 58.

(e) *Ib. p.* 238.

(f) *Volat. ms. arch. Vat. sign. n. 49. &* 111.

Cæsareo mandato iterum captus Basileæ.

*saris mandato & Pontifice petente*. [1]

XXVII. (a) *Lib. brev. pag.* 300. 313.

Egit Sixtus (*a*) proximo ineunte anno Friderico Imperatori, ejusque filio Maximiliano gratias de navato pio & religioso studio in capiendo novatore; cum se in vincula conjectum pontificioque satellitio tradendum expavesceret, ut justas hæreticorum pœnas lueret, ad declinandam ecclesiasticam severitatem a pontificio ad imperiale tribunal provocavit, subornavitque Basileenses, ut ipsius clientelam susciperent, licet itaque eum Pontifex internuntio apostolico dedi, pluribus Imperatorem, ducem Austriæ, ducem Sabaudiæ literis contenderit (*b*), extracta tamen res est, cum de judice idoneo orta lis esset. Porro episcopus Suessanus internuntius Basileenses, qui obstabant, ne ex eorum urbe ad pontificia subsellia abduceretur, interdicto ecclesiastico perculit, ac Sixtus hisce literis Fredericum convicit (*c*), ut ad sedem Apostolicam illius causæ cognitio spectaret.

(*b*) *Ibid. pag.* 470. Obstant Basileenses ne dedatur Pontifici. (*c*) *Sixt. lib. brev. an.* 13. *inter lit. mens. april.*

*Imperatori.*

XXVIII. *Majestas tua nos faciles ad brachii invocationem in literis suis appellat ita, ut ea de causa plura mala reipublicæ Christianæ evenisse commemoret Cæsarea majestas tua, id tantum respondebimus, quod si majestas tua semota omni affectione animi mature cogitare voluerit, quam urgenti necessitate compellenti, utpote cum de summa rerum extremaque majestatis apostolicæ eversione ageretur, justa arma propulsandæ injuriæ gratia moveri fecerimus, cum præsertim nobis sublata spes esset defensionis majestatis tuæ, quæ alias raro aut nunquam beatæ memoriæ prædecessoribus nostris per claræ itidem memoriæ prædecessores majestatis tuæ deesse consuevit, unde advocatiæ defensionisque, ac cæterorum, ornamentorum præconia clarissima sacro Romano imperio concessa fuere, re ipsa cognoscere poterit de nobis mirandum non esse, sed potius esse unde merito hujus sacrosanctæ sedis boni, & æqui semper cupidæ vexatoribus, ac perturbatoribus quivis justus æstimator succensere possit, & debeat: cum enim pontificale fastigium, & imperialis dignitas a Deo ita disposita, & ordinata sint, ut mutuis hinc inde officiis Deo ipso auctore conglutinentur, de tua sapientia, & religione confisi nunquam adduci potuissemus ad credendum majestatem tuam de causa ad solam sanctam Apostolicam sedem, quæ potestate a Deo tributa spiritualis omnium mater est & magistra, & nulli omnino alteri hominum pertinente se impedituram fuisse, cum, ut ait in decretis Nicolaus prædecessor noster, imperiali judicio non possint jura ecclesiastica dissolvi, & idem: Imperium, inquit, vestrum reipublicæ quotidianis administrationibus debet esse contentum, non usurpare, quæ sacerdotibus Domini solum conveniant; & præsertim cum a nobis, & hac sancta sede nihil unquam prætermissum fuerit quominus, quantum cum Deo licuit, imperialem majestatem tuam omni gratia & spirituali & temporali prosequeremur, &c. Dat. Romæ die ultima aprilis MCCCCLXXXIV. pontificatus nostri anno* XIII. Hæc licet variis annis distincta duximus conjungenda, ne eadem repetere cogeremur. Cæterum hunc novatorem merita affectum pœna orgente Sixto male periisse refert Stephanus Infissura (*d*): nunc ad alia orationem traducimus.

Monitus ne sibi arroget munera sacerdotis.

(*d*) *Steph. Infiss. ms. arch. Vat. sign. n.* 49. & 111.

Implicito difficili, & diuturno cum infidelibus, & Tartaris bello Casimiro III. Poloniæ Rege, Christi vicarius sacro crucis symbolo fideles distingui jussit, præmiisque indulgentiarum arma in hostem expedituros stipemve in bellicos sumptus collaturos affecit: qua de re extant ad Regem ipsum datæ literæ. Graves controversias habuisse Casimirum cum Joanne Moschoviæ duce, qui Novogrodo magno oppido potitus Lituaniam omnem Russiamque sibi subiicere affectabat, ac late protulerat occidentem versus imperium suum, ut refert Cromerus (*e*), additque eumdem principatum amplissimum Tartarici vectigalem imperii trans Rha sive Volgam obtinuisse, atque, incitante uxore Græca Palæologina stirpe sata, jugum Tartaricum a se depulisse, de quo superius dictum est. Non Polonum modo petierat bello Moschovita, verum cruciferos etiam equites inque Livoniam infestas excursiones fecerat: ad quas prohibendas Sixtus Stephanum archiepiscopum Rigensem ejusdem equestris ordinis legati apostolici authoritate ornavit (*f*), ut Christi cultores fœdere in communem hostem junge-

XXIX. Poloni ad cruccata signa in Tartaros vocati.

(*e*) *Crom. l.* 29. Principatus amplissimus ultra Volgam a Moscho partus. (*f*) *Lib. bull.* 70. *pag.* 112. In Livoniam excursiones actæ a Rhutenis.

NOTÆ [1] ADnotare hic juvat ad rectum chronologicum ordinem digerendum ea quæ de Andrea isto indictoque ab illo concilio narrat anonymus Misnensis in chronico inter scriptores rerum Germanicarum Menkenii to. II. col. 370. *Quidem frater ordinis prædicatorum assertus episcopus transtulit se Basileam, ordituruc telam, quam perfecturus non esset. Nitebatur enim adunare consilium generale contra Dominum apostolicum, sed nemo ei accessit, neque consensit, & sequenti anno fuit captus, & æternis carceribus addictus.* Quæ hic affirmat scriptor de carcere episcopi in annum sequentem transferenda, accipienda sunt de secundo illo carcere jussu Cæsaris, quem Volaterranus pariter verbis illis apud Annalistam recitatis sequenti anno contigisse satis indicat. MANSI

geret, exortasque inter eos controversias sedaret.

XXX. (a) Sixt. lib. brev. an. 12. p. 209. Bonfin. dec. 4. l. 6. Crom. l. 29. & alii. (b) Id. ib. Turcarum in Transylvaniam irruptio.

Hoc anno (a) centum Turcarum millia a Bajazethe eorum principe immissa in Transilvaniam irruperunt: qui tamen a Stephano Bathoro Pauli Knes præcipua virtute deleti sunt, de qua insigni victoria hæc tradit Cromerus (b): *Per id tempus autumni Turcarum centum millia cum quinque ducibus, quos ipsi bassas vocant, deductis secum transalpinorum auxiliis Transilvaniam ingressa ad Sabinoviam, sive Cibinium urbem castra posuere. Præsenserant eorum adventum Hungari, & ad defendenda sua tripartito cum totidem ducibus accurrerant. Forte in unum agmen, cui Stephanus Bathorus præerat, Turcæ incidere: Stephanus ubi se in arcto positum pugnam detrectare, & cum reliquis duobus suorum agminibus conjungere se non posse animadvertit, facit tamen eos certiores de necessitate dimicandi sibi objecta, & militibus suis voluntario jurejurando sese obstringentibus, quod morituri potius quam fugituri essent, arma expedit. Committitur acre prælium tribus ferme horis; jamque Hungari prægravante Turcarum multitudine referre pedem cœperant, & ægre eos sistebat Bathorus obtestans pariter & objurgans, & recentis jurisjurandi admonens, cum ecce duo reliqua agmina, in quibus erant aulici regii, & Rascii, citato cursu invecta in latus hostium impetum fecerunt. At illi re improvisa consternati aliquandiu tamen conversis equis restiterunt; ad extremum vero conturbati & impulsi fugam fecerunt.*

XXXI. Turcæ profligati.

*Ibi tunc magna fugientium strages edita, neminem enim præter quinquaginta insigniores captivos Hungari vivum servabant; nec tamen incruenta cessit eis victoria: cecidere multi fortes viri, in quibus nobiles in primis Paulus Knes, quo nomine Slavi ducem, & sacerdotem appellant, & Lanitius Rascius ductores agminum, quorum opera maxime victoriam illam tam præclaram, & omni ævo memorabilem Bathorus, quamquam & ipse saucius Matthiæ retulit, ille enim gravi pedum dolore impeditus in Hungaria decumbebat.*

XXXII. (c) Bonfin. dec. 4. l. 6. Significata ab Ungaro Pontifici victoria. (d) Lib. brev. an. 72. pag. 209.

Commissum prope Synderoviam prælium narrat Bonfinius (c), & cæsa in acie barbarorum tria millia ait. Certiorem fecit Pontificem medio septembris de præclaro triumpho de Turcis deportato Matthias Rex, cujus gloriam militari Pauli Knesii virtuti ascripsit, de quo Sixtus ingenti affectus gaudio hisce literis (d) gratulatus, solicitavit eumdem ut pernicioso bello, quod cum Frederico Imperatore victor gerebat, finem imponeret, ut conjuncti Germani Hungaricique exercitus occupatas a barbaris provincias recuperarent.

*Charissimo in Christo filio Matthiæ Hungariæ Regi illustri.*

[Paulus Knes dux Ung. exercitus.]

*Charissime in Christo fili noster. Gratæ fuerunt nobis admodum literæ tuæ majestatis datæ ad* xv. *septembris diem, quibus significas recentem victoriam sub Paulo Knesio copiarum tuarum præfecto cum tanta eorum strage & internecione partam. Sane, charissime fili, cum ob virtutem, & magnitudinem animi tui multa eu te præclara quotidie audire possemus, nihil est tamen, quod nos magis delectet, quam ea de te significari, quæ adversus impurissimam Turcorum gentem & strenue & feliciter gesseris: neque enim quidquam est, in quo tua laus illustrior aut diuturnior esse possit, quam benemereri de Christiana religione: quod sicut hactenus cum immortali gloria tua præstitisti, ita hortamur, ut in futurum non intermittas studium, & curam omnem in hoc colloces, pulcherrimamque hanc provinciam toto pectore complectaris, qua nulla rebus tuis commodior, universis fidelibus salutarior, apud Deum majoris meriti, apud homines celebrioris famæ esse potest; speramus enim divinam pietatem sicuti te pluribus victoriis ex immanissimo hoste partis insignem reddidit, ita etiam concessuram, ut, longe majori clade a te afflictus laudem, quam præclaram ex hoc tibi peperisti, multo illustriorem efficiat.* [Monitus Matthias ut in Turcas arma vertat.]

XXXIII. [Bellum cum Friderico exitiale esse.]

*Quæ autem per inclusam literis tuis cedulam nobis significasti de obsidione oppidi Hamburg, & qualem te erga imperiales copias, aliaque sacri Romani imperii principum præsidia exhibueris, gratiora profecto ea nobis fuissent, si pacis spem aliquam potius, quam mutui belli manifestum periculum intellexissemus, prout erat, & est desideris nostri pro nostra erga vos charitate, & publico fidelium commodo. Quid enim rebus Christianis, hoc tempore præsertim, perniciosius esse potest, quam duos potentissimos exercitus intestino inter se bello decertare, viresque, quas adversus communem hostem locis istis imminentem effundere æquius erat, inter se cum magna Christiani sanguinis effusione, quod Deus avertat, absumere?*

XXXIV.

*Quare etsi omni studio, & cura, & literis, & nuntiis, & legatis elaboraverimus, ut discordiæ istæ inter vos componerentur, parumque vigiliæ, & conatus nostri, ut videmus, ita cooperante humani generis inimico, perfecerint, tamen non desistemus iterum & hortari, & monere, & obtestari, ut rejecta penitus omni simultate, amputatisque dissensionibus omnibus, mutua pax inter vos constituatur, vel si id fieri ad præsens non possit, induciæ aliquæ ad longum tempus indicantur, quibus mediantibus ad pacem tandem valeat perve-*

*niri: quod non ſolum nobis & reipublicæ Chriſtianæ ſalutare erit, quandoquidem conjunctis viribus poterit immaniſſimus hoſtis facilius debellari, ſed etiam ita glorioſum, ut nihil futurum ſit, quod ad æternam hanc laudem veſtram poſſit comparari. Datum Romæ die* XX. *novembris MCCCCLXXXII. pontificatus noſtri anno* XII.

XXXV. Agit pluribus Bonfinius (*a*) de ejuſmodi bello, ſubditque Matthiam Hamburgum Auſtriæ munitiſſimum propugnaculum eripuiſſe Friderico, atque in Viennenſem agrum, ubi Imperator ipſe morabatur, excurriſſe: tum ſequenti anno Prucchum expugnaſſe: cujus belli cauſam hanc increbuiſſe ait Cromerus (*b*), quod Matthias Hungaricam coronam, quam Bernardus archiepiſcopus Strigonienſis una cum theſauro regio in Germaniam aſportarat, repeteret; maxima autem ex hoc bello damna rei Chriſtianæ evenere, cum Matthia ſuperiori anno victoriam in Turcicas provincias proferente, Fridericus Hungariam populatus a cœptis eum, ut ſupra indicavimus, revocarit (*c*). Hoc vero anno Auſtriam populantibus Hungaris Turcæ Pannoniam penetrarint, harumque occaſione turbarum Riſanum Chriſtiano imperio a Bajazete ereptum fuerit.

(*a*) *Bonfin. dec. 4. l. 6.*

Hamburgum a Matthia captum.

(*b*) *Cromer. l. 29.*

Fridericus Cæſar Matthiæ hoſtis perpetuus.

(*c*) *Sabell. ennead. 10. l. 8. Bonfin. ubi ſup.*

XXXVI. Gerendæ autem in Turcam rei præclara affulgebat occaſio, Zizimus enim Bajazetis frater Aſia minori cruento prælio ejectus in Ægyptum profugerat, ac dein inito cum Ciliciæ Rege fœdere, Aſiaque fruſtra tentata, cum a Bajazete urgeretur, e Cilicia navi conſcenſa Rhodum ſe receperat (*d*), ut Chriſtianorum principum arma ad paternum imperium recuperandum ſibi compararet; pollicitus eorumdem Chriſtianorum principum amicitiam ſemper ſe culturum, ſi eorum ope ſaltem regni partem reciperet: cauſam vero ſuam hoc argumento fulciebat, quod ipſe patre Imperium jam adepto, frater vero ex patre privatam tum vitam agente genitus eſſet. Porro Bajazete promiſſis miniſque inſtante, ut ſibi Zizimus dederetur, viſum eſt eum in Gallias avehendum, qua de re factus certior Pontifex Rhodiorum conſilium collaudavit hiſce literis (*e*).

Zizimus Bajazethis frater profugit ad Chriſtianos.

(*d*) *Sabellic. ennead. 10. l. 8.*

(*e*) *Lib. brev. an. 12. p. 193.*

*Magiſtro & conventui Rhodi.*

XXXVII. *Dilecte fili, &c. Accepimus literas veſtras datas* XXX. *die Auguſti proxime elapſi, quibus ſignificatis, Zizimum germanum Turci natu minorem, quem alias ſub fide, & ſalvo conductu veſtro in inſulam iſtam, ſicuti tunc ad nos ſcripſiſtis, receperatis, diſceſſiſſe nuper, & in Gallias navigaſſe. Laudamus in primis diligentiam veſtram in his perſcribendis, quæ magni ſunt momenti, & cauſam Chriſtianæ reipublicæ etiam concernunt, placetque nobis, quod ex inſula ipſa cum integra fide veſtra receſſerit. In Galliis autem comperiet Regem Chriſtianiſſimum, quem ſperamus pro ſingulari ſua ſapientia, & in orthodoxam fidem zelo aliquod ſalubre conſilium ſumpturum: nos vero ad omnia, quæ boni paſtoris officii ſunt, ſemper prompti reperiemur. Dat. Romæ die* IX. *novembris MCDLXXXII. pontificatus noſtri anno* XII. Proximo anno Sixtus (*f*) Ludovicum Gallorum Regem, ut eum exciperet eſt adhortatus, cum ipſum plures variis illecti præmiis rapere pertentarent.

Decernunt Rhodii in Gallias Zizimum amandare.

(*f*) *Sixt. IV. brev. p. 642.*

*Regi Franciæ.*

*Chariſſime, &c. Eſt in manibus, & cuſtodia dilecti filii magiſtri Rhodi hoſpitalis Jeroſolymitani, ſicut majeſtas tua ſcit, frater Germanus magni Turchi Chriſtiani nominis inimiciſſimi, quem magiſter ipſe pro majori ſecuritate, & cuſtodiæ hujuſmodi cautela duci facit ad partes ſui regni, ut ibi in caſtris dicti hoſpitalis maneat, & aſſervetur; verum quoniam intelleximus eſſe aliquos, qui perverſo ſpiritu ducti ſtudent omnibus viis ipſum Germanum Turci e manibus dicti magiſtri eripere, & in alienam poteſtatem tradere, nos conſiderantes quanti momenti res ipſa ſit, & quantum ſcandali turbationiſve religioni Chriſtianæ poſſit afferre, ſi ii tales voto ſuo potirentur, cum non bono zelo ducantur, ſed ſolum quærant zizanias, & confuſiones diſſeminare, duximus ad celſitudinem tuam ſcribendum, hortantes, & omni affectu requirentes, ut tamquam Rex Chriſtianiſſimus velis magiſtrum præfatum, & illos quos ad hujuſmodi cuſtodiam deputabit ſuſcipere commendatos, ac permittere, immo etiam favere, ut ipſum Germanum Turci in loca tuæ ditionis ducere, & intromittere in caſtris & domibus ejuſdem hoſpitalis inibi cuſtodire, & retinere libere valeant; id enim conducet honori, & utilitati ipſius Chriſtianæ religionis, & nobis erit vehementer acceptum; tua vero majeſtas plurimum commendationis reportabit. Dat. Romæ die* XXVIII. *junii MCDLXXXII. anno* XII. Perductus ita eſt in Gallias Zizimus. Inſtitit (*g*) vero vehementer Matthias Hungariæ Rex, ut ſibi Zizimus crederetur; victoriam enim ejus ope certam de Turcis, quos in varias diſtraheret factiones, ſe conſecuturum ſperabat. Ut vero fuerit ille demum Innocentio VIII. traditus, & amiſſa diſcindendi Turcici imperii occaſio, ſuo loco dicetur. Addimus nunc ex Jacobo Boſio (*h*) Zizimi patruum Amuratis Turcarum olim Imperatoris filium, Chriſtiana lege & Latinis excultum literis, qui tum in Hungarica aula agebat, Chriſtianos

De Zizimo in Gallias perducendo.

Rogatus Lud. Rex ut rei aſſentiat.

A Matthia expetitur.

(*g*) *Sabell. ennead. 10. l. 6.*

Bajazethis patruus affectat imperium.

(*h*) *Boſ. p. 2. l. 13.*

nos principes solicitasse, ut ipsum Turcico restituerent imperio, legitimo enim se thoro procreatum, Mahometem vero Bajazethis & Zizimi parentem, adulterino sanguine natum esse. At de Zizimo rursum inferius: nunc quod ad Mahometanos Granatenses attinet procurrat oratio.

XXXVIII. *Postremum Granatense bellum.* *(a) Surit. annal. to. 4. l.20. c. 42.*

Hoc anno injecta (*a*) est fax postremi Granatensis belli, quo demum Granata Maurorum in occidente regia aliquot post annis arsit, Mahumeticæque superstitionis sordibus Hispania expiata est. Memorabile certe est, quod Jacobi Regis oratores in Viennensi concilio Clementi V. de Granata retulere, in ea tum ducenta millia capita reperiri, neque ex iis quingenta esse, quæ gente Maurica sata essent, nec avos, aut patrem matremve Christianos nacta essent, Christianæ legis desertores ad quinquaginta millia in ea versari, mancipiorumque Christianorum numerum ad triginta millia, & eo amplius. *Granata apostatarum sentina.* Indignum itaque erat tandiu regnum illud Mauricum stare, in quod veluti in sentinam nostri apostatæ confluebant. Commendavit Ferdinandum & Elisabeth Aragoniæ & Castellæ Reges ipsos de tam felici bello hoc anno cœpto orator Romanus in panegyrica oratione septimo post anno Romæ habita, cum ob partam de Granatensibus apud Bacam insignem victoriam, de qua agetur suo loco, solemnis supplicatio decreta esset, necnon de excisis ex Hispania vitiis, deque militari disciplina adeo bene morata, ut crucesignatorum militum castra religiosorum conventus viderentur, quos celebrat his verbis (*b*).

XXXIX. *(b) Ext. typis cusa inter orationes ad Pontifices habitas.*

*Hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra: cujus sententiæ non immemores Christianissimi principes Ferdinandus V. Rex & Elizabeth Regina Hispaniarum illustrissimi inter alias virtutes, quas sibi peculiariter elegerunt, fidei & religionis munus præ cæteris amplexi sunt.* Et infra: *Hispaniam mille olim bacchantem criminibus sua religione excelsa purgarunt, blasphemia, & perjurium, vulgaria quondam Hispanorum crimina, sole justitiæ, & religionis Ferdinandi, & Elizabeth adventante ab universa provincia defecerunt: furta, rapinæ, violentiæ, scorta, lenocinia, fortium & taxillorum publica spectacula ab Hispania, quibus abundabat plurimum, fugata sunt.* *Omnium sceleratorum asylum.* *Hæresis iterum crucifigentium Christum circumcisione & sabbato castigata & punita est, ac reliqua crimina indifferenter meritas exactissime pœnas luunt, adeo ut exemplo & imitatione religionis principum, educatus Hispanus exercitus non exercitum videre modo militum, verum potius quasi religiosorum conventum inspicere gloria Dei magna sit. Armavit fide & religione exercitum suum catholicus Ferdinandus, quo hostilia omnia facile superavit, nempe ut dicam armatis contra inermes est usus. Fides profecto in sacris literis armatura scutum, & galea prædicatur, unde illud est Apostoli: Induite vos armaturam fidei, & alibi: Galeam fidei assumite & Ephesiorum VI. inquit Apostolus. In omnibus sumentes scutum fidei, & I. Petri V. Cui resistite fortes in fide. His igitur fœlicissimis fidei armis insignitus Hispanus exercitus tanquam fortis armatus custodiens atrium suum, & in pace sunt omnia, quæ possidet, & injuste possessa per paganos his armis carentes facile victoria de cælo præstita superavit. Anno igitur, salutis dominicæ LXXXII. supra millesimum quadringentesimum, tyrannis ac criminibus ab Hispania pulsis, adversus Mauros Granatenses Bæticæ insignem partem a septingentis, & ultra annis cum magna ignominia Crucifixi occupantes, Christianissimi principes Ferdinandus, & Elizabeth tum religionis augendæ tum avitæ possessionis recuperandæ gratia expeditionem felicissimam movere cœperunt.*

Expugnatam ab eorum ducibus improviso impetu, admotis nimirum antequam fulgeret aurora scalis, vigesima septima februarii die Alhamam arcem munitissimam, cæsosque Saracenos, refert Surita (*c*), provolasseque mox Albohacenum Granatæ Regum tribus equitum, & quinquaginta peditum millibus ad obruendos nostros antequam subsidiariæ ad illos copiæ accurrerent succinctum; sed Christiano exercitu veniente obsidionem solvere coactum, variasque in Bœticam excursiones, ac iterum novas in Alhamæ mœnia hostiles impressiones infelici exitu egisse: Ferdinandum vero ad urgendam victoriam conscripto novo exercitu mense julio castra Loxæ admovisse, sed a barbaris non levi accepta clade propulsatum: quocirca ad reficiendas vires tantique belli sustinendam molem apostolica præsidia imploravit a Sixto Pontifice: qui hoc diplomate (*d*) Christifideles ad religiosam profitendam militiam, & Ferdinandi signa sequenda, atque ad conferenda pecuniaria subsidia propositis indulgentiarum præmiis pellexit. XL. *Alhama arx expugnata.* *(c) Surit. to.4. l.20. c.42.* *Albohacenus Rex propulsatus.* *(d) Lib. 72. bull. p.3.*

*Ad futuram rei memoriam.*

XLI. *Auctoritate Dei omnipotentis, cujus vices quamvis immeriti gerimus in terris, hortamur, requirimus, & monemus universos Christifideles præsertim nationis prædictæ Hispaniæ, ut eisdem Regi & Reginæ ad expugnationem Saracenorum prædictorum, & acquisitionem dicti regni Granatæ, ac fidei præfatæ exaltationem cum bonis, & personis suis pro sua possibilitate*

vi-

*viriliter, & indeſinenter aſſiſtant, & illius exemplo, qui pro nobis mortem non abnuit, tollant in cordibus ſuis crucem ſuam, & illi ex eiſdem fidelibus, qui ad hoc idonei ſunt dictos Regem, & Reginam, immo verius Salvatorem noſtrum præfatum ſequantur, & pro illius nominis gloria, & Saracenorum prædictorum fidei hoſtium expugnatione mortis periculo ſe exponere non formident memores verbi ejus, qui dixit,* qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me: *pariter & confidentes in eo, qui dixit.* Ecce ego vobiſcum ſum uſque in conſummationem ſæculi; & *qui una nocte per Angelum ſuum centum octuaginta quinque millia hominum ex exercitu Sennacherib interemit: & qui alias eccleſiam ſuam in magnis periculis non dereliquit, nec permiſit inimicos ejus eorum impunitate gloriari, pro illius nominis gloria, & eorundem Saracenorum expugnatione mortis periculis ſe exponere juxta ipſorum Regis, & Reginæ ordinationem non formident, recepturi exinde præmia fœlicitatis æternæ, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MCCCCLXXXII.* IV. *id. auguſti pontificatus noſtri anno* XII.

XLII. Cœleſtis gloriæ ſpe confirmati fideles intrepido animo partim crucesignatæ militiæ ſe addixere (*a*), partim tanta ſuppeditarunt Ferdinando nummaria ſubſidia, ut plures deinde victoriæ de Mauris reportatæ ſint: cæterum Granatenſibus a finitimis ob agreſtes graſſationes gravibus affectis incommodis, Mauricæ res inclinarunt, expugnandæque deinde Granatæ iter paratum eſt: de quibus admonitum a Ferdinando (*b*) Sixtum facilem ſe in redintegrando cum Rege Neapolitano fœdere præbuiſſe antea indicatum eſt; ardenter enim cupiebat, ut Chriſtiani omnes mutuo amicitiæ nexu conjuncti eſſent ad arma adverſus dominicæ crucis hoſtes ſumenda, id quod diſerte profeſſus eſt aliis literis ad Eduardum Anglorum Regem datis, in quibus etiam eundem ob partam de Scotis victoriam Richardi fratris ducis Gloceſtriæ opera triumphantem cohortatus eſt (*c*), ut concordiam cum Scoto inſtaurare vellet.

(*a*) *Surit. annal. to. 4. l. 20. c. 43.*

Inclinata res Maurica.

(*b*) *Id. c. 44.*

Parta ab Anglis de Scotis victoria.

(*c*) *Sixt. lib. brev. an. 12. p. 7.*

*Regi Angliæ.*

XLIII. *Chariſſime in Chriſto fili noſter ſalutem, &c. Perlegimus nuper literas tuas datas Londini* VIII. *kal. ſeptembris, quibus majeſtas tua nobis ſignificat de rebus paulo antea per dilectum filium fratrem ſuum Richardum ducem Gloceſtriæ in Scotia geſtis, in quibus illud jucundum nobis fuit, quod dux ipſe, ac victor exercitus, cum cædes, rapinas, incendia, aliaque hoſtilia edere potuiſſent, ut ſcribis, ab iis tamen ſibi mirifice temperantes ſupplicibus hoſtibus pepercerunt. Sane, chariſſime fili, licet magna gloria ex potentia bellicaque virtute majeſtatis tuæ evenire ſoleat, multa tamen majora ex clementia adverſuſque hoſtes oſtenſa pietate aſſequuta eſt. Quod autem ipſa majeſtas tua, uti ſcribit, ad fœdus cum Scotis ineundum pacemque ſervandam, dummodo ab illis expetatur, paratiſſima ſit, ipſam majeſtatem tuam valde laudamus, & ei magnopere gratulamur, eamque hortamur in Domino, ut in hac perſeveret optima atque digna Chriſtiano principe voluntate: Quod ſi, uti confidimus, factura eſt, & ſibi ipſi liberiſque, ac poſteris ſuis firmius imperium diuturniuſque efficiet, & plurimum quoque conducet reipublicæ Chriſtianæ. Nos autem, etſi improbitate impietateque hoſtium ad tuendum noſtra, & propulſandum injuriam bello, proh dolor! implicamur, quæ res a natura, a moribus noſtris alieniſſima eſt, nihil tamen magis optamus, quam univerſalem pacem fieri inter omnes ubilibet principes, ac populos Chriſtianos, qua oblata tandem aliquando, ſicuti fore ſperamus, rei bene gerendæ idonea occaſione, tot terras recuperare de manibus infidelium, tot Chriſtianos de miſera ſervitute liberare, ac ipſam denique catholicam fidem ad priſtinos uſque limites propagare poſſimus. Dat. Romæ die* VIII. *novembr. MCCCCLXXXII. pontificat. noſtri an.* XII.

Gratulatoriæ ad Eduard. literæ.

Solicitatur ut pacem firmet cum Scoto.

XLIV. Ornavit eundem Regem Sixtus myſtico munere, nimirum enſe & galero veteri more & inſtituto, recurrente natalitiorum Domini feſto die, ſacratis a Pontifice, quibus ſignificabat Sixtus conceptam de eo ſpem, ut Eccleſiam regio ſtudio patrocinioque protecturus eſſet, atque in hoſtes fidei enſe fulminaturus. Quod ſacrum donum cum Anglus Londini in æde S. Pauli, recurrente celeberrimo in Anglia feſto S. Georgii, honorifice pieque accepiſſet, iterum illum Pontifex ad provehendam rem Chriſtianam excitavit (*d*). Ex his conſtat quanto cum ſtudio veteres Angliæ Reges ſedem Apoſtolicam proſequi conſueverint, quantoque recentiores Anglici ſceptri heredes poſt hauſta hæreſeos venena, diſpendio regiæ dignitatis, quin etiam & vitæ, a majorum virtute pietateque deflexerint.

Munera a Sixto ad Anglum tranſmiſſa.

(*d*) *Lib. brev. an. 12. p. 7.*

XLV. Tranſmiſit hoc anno ad Pontificem Ludovicus Francorum Rex ingentis pretii calicem in Lateranenſi æde collocandum, futurumque uſui in divinis myſteriis, de quo Sixtus ipſi gratias his verbis egit (*e*): *Accepimus lætiſſimo animo calicem, quem tua celſitudo ad baſilicam S. Joannis Lateranenſis de urbe nuper miſit, qui ei eccleſiæ magna cum ſolemnitate dedicatus eſt, & ingenti lætitia omnium receptus ad perpetuum nominis tui decus, & ornamentum,*

(*e*) *Ib. p. 53.*

Calix a Gallo Rege eccl. Later. oblatus.

ex

*ex quo religio, & pia mens tua multis ante argumentis cognita, & perspecta multum adaucta est, & præsertim a nobis laudata, &c. Dat. Romæ die* XVI. *septembris MCCCCLXXXII. anno* XII. Erogati præterea fuere ab eodem Rege mille nummi aurei pro ornanda S. Petri basilica, tum reficienda alia æde in monte aureo sita S. Petro sacra ubi cruci affixus fuit. Cæterum gravi morbo contracto Ludovicus diu elanguit, ac sanctorum piorumque suffragia anxie ad recuperandam valetudinem expetivit; de cujus obitu proximo anno agetur.

XLVI. Præterea Gallias hoc anno acerba insolitaque incessit pestis, ex qua ægri furore percíti efferatique sibi necem consciscebant, refert Belcairus (a) his verbis: *Pestis tota fere Gallia grassata est, quæ non multum ab illa Atheniensium, cujus meminit Thucidides, diversa videri potest, non ex fame*, qua laboraverat, *superiori anno, sed ex aeris intemperie manasse illud indicio est, quod opulenti juxta atque inopes, nobiles pariter & ignobiles, viri ac fœminæ ea lue corripiebantur. Incendebat cerebrum phrenesis ardens, miserisque furorem rabiosum invehebat; alii truculentos clamores, alii miserabiles ejulatus edebant, alii canum more horrendum quiddam ac terrificum ululabant, in fluvios alii, alii in puteos, alii se ex tectis præcipites dabant. Eo morbo periere Bituricensis, Narbonensis, Lemovicensis pontifices, Carolus Gaucurtius Lutetiæ prætor, Joannes Bolengerius Parisiensis senatus princeps*, & infra, *aliique fere innumerabiles*.

(a) *Belcair. l. 4. c. 16.*

Horrendæ pestis epidem. genus.

XLVII. Decrevit (b) solemni ritu hoc anno Sixtus sanctorum cultum B. Bonaventuræ episcopo Cardinali, & insigni Ecclesiæ doctori, de quo antea a nobis in concilii Lugdunensis historia mentio honorifica facta est. Singulos ritus in ea religiosa celebritate servatos describit accurate Jacobus Volaterranus, qui consentiunt iis, quæ a nobis alibi in consecranda alicujus viri sancti memoria allata fuerunt: *Die*, inquit, *mercurii post festa paschalia, qui fuit decimus ejusdem mensis nempe aprilis, vocati sunt patres in publicum senatum, qui coactus fuit in anteriori majori aula pontificia. Relatum est in eo de mortis, & vitæ sanctimonia viri, & patris beatissimi Bonaventuræ, quem inter sanctorum cœtum plures Reges, nationes, & populi referendum esse summis precibus a Pontifice, & sacro patrum senatu efflagitabant. Orationem vero habuit de ea re clarissimus jureconsultus, & senatorius advocatus Octavianus, quæ etsi propter strepitum frequentissimi senatus audiri vix potuit, mirifice tamen commendata fuit ab iis, qui illam audierunt. Paucis cum responsis Pontifex commisit prælatis omnibus in Romana curia existentibus, ut & ipsi de meritis beati patris edocti in primo senatu ea tantum causa cogendo sententiam dicerent. Die igitur veneris, qui secutus est, fuit enim duodecima mensis aprilis, vocati in consilium fuere non Cardinales modo, sed episcopi omnes, abbates, & judices rotæ palatinæ, religionum quarumdam prælati, & procuratores earumdem generales. Consilii locus fuit major aula supra primam palatii portam, quæ in S. Petri aream spectat. In senatu iterum oravit Octavianus, quem dixi, & quia priori senatu a paucis fuerat per strepitum auditus, eamdem, ut audio, orationem recitavit cum summa attentione, & commendatione. Rogati postmodum episcopi, & cæteri sententiam dicere, Cardinalibus silentibus, præsulum quisque, prout loco præerat, ita sententiam dixit. Censuit major pars Bonaventuram referendum esse inter sanctos, quos colit Ecclesia, quando quidem ea non posset errare, credere enim Pontificem diligentissime beati viri merita, & miracula perscrutatum esse, & per se ipsum, & per eos Cardinales, quos ad id multo ante tempore delegisset. Fuere ex prælatis nonnulli, qui eorum sententiam ad Pontificis judicium retulerunt: nonnulli etiam, qui sub conditione censebant inter sanctos referendum, videlicet si vera essent, quæ ab oratore Octaviano de meritis & miraculis recitata fuerant. Tandem communi voto ventum in causæ sententiam, quæ fuit, ut proximo die juxta consuetudinem ceremonia fieret, quæ in canonizandis servari consuevit. Itaque mandatum a clericis ceremoniarum, ut ad eam diem cuncta parata essent.*

(b) *Volat. ms. arch. Vat. sig. n. 111.*

Sanctorum catalogo B. Bonaventura adscriptus.

Qui servati sint ritus in decernendis illi Sanctorum honoribus.

Recensita in publico senatu sancti viri merita.

XLVIII. *Die vero dominico mane hora, qua consuevit agi divina res, convenere Cardinales, & prælati omnes in pontificia aula, magistratus quoque omnes tam urbani quam curiales, & proceres oratores, & nobiles; in ecclesia autem convenerat ingens multitudo utriusque sexus præ studio rem novam, & religiosam videndi. Erant in ecclesiæ medio recta tabulata supra staturam hominis, unde cerimonia ab omnibus circumstantibus facile videri potest, ac sine impedimento operari. Disposita quoque ibi erant subsellia omnia Cardinalium, & episcoporum, aliorumque prelatorum, & primatum tam clericalis, quam sæcularis potestatis. Ante vero omnia sedes Pontificis digniori loco supereminebat, humilior tantum aliquantulum quam altare, super quo divina res erat agenda. Ascensus in ea tabulata erat satis arctus, & per gradus, nec patebat nisi Cardinalibus, episcopis, & prælatis, ac magistratibus in curia, & in*

Apparatus pro consecranda illius memoria.

urbe

*urbe degentibus; oratoribus etiam, proceribus, & nobilibus, & viris dignitate aliqua præditis. Pontifex omnibus ita dispositis e cubiculo movit cum pluviali, & mitra præcedentibus Cardinalibus, episcopis, & prælatis in veste sacra: in supplicatione autem ipse sub umbraculo, & tam ipse quam Cardinales, & prælati cereum manu gestabant, ut operantes instruerent: qui quidem ordo talis est, videlicet.*

XLIX. *Pontifex exit de cubiculo suo Cardinalibus, prælatis, & officialibus suis curiæ processionaliter cum cruce, ceroferariis & thure: omnes vero vestiti paramentis albis sibi convenientibus. Pontifici existenti in anticamera dantur duo magni cerei albi ponderis librarum decem pro quolibet, quos duo nobiles portant, prout Pontifex mandat: Cardinalibus quoque dantur cerei albi librarum quatuor, aliis vero prælatis, oratoribus, baronibus, & magnis nobilibus duarum librarum ceræ communis: servientibus armorum, & aliis minoribus officialibus, item capellanis, scutiferis, cantoribus mediæ libræ, cæteris vero ut placuit. Septem præterea faculæ pro processione libræ unius pro qualibet de cera communi, septem aliæ albæ duarum librarum pro quolibet altari, duæ similes pro credentia, septem præterea intortitia magna pro elevatione corporis Christi sex librarum pro quolibet. Tum Papa descendit in basilicam processionaliter cum baldachino: in porticu ei obviam iverunt religiosi urbis, & clerus ipsius ecclesiæ S. Petri. Papa autem intra ecclesiam ascendit palcum, & facta oratione ante altare, ut moris est, ascendit sedem eminentem in sinistro cornu altaris sitam, ibique accipit reverentiam a Cardinalibus, & prælatis paratis. Facta reverentia ponitur alia sedes ante altare, ita ut Papa vertat renes ad altare, & ibi sedet, & facit sermonem, referens quæ gesta sunt, & vitam ac miracula canonizandi summarie, & in fine hortatur omnes, ut orent Deum ne permittat errare Ecclesiam suam in hoc negotio, ipse quoque identidem dicit se oraturum. Descendit, deinde tollitur sedes, & propterea genuflectit ante altare super faldistorio, & cantantur Litaniæ a Cardinalibus, in quibus fit nulla mentio de sancto canonizando. Illis finitis diaconus a dextris dicit alta voce versus ad populum: Orate & omnes secrete prolixius orant. Tunc diaconus a sinistris dicit eodem tenore: levate, & omnes surgunt. Papa elevatis manibus stans sine mitra incipit hymnum: Veni creator Spiritus, deinde genuflectit: cantores prosecuntur. Finito primo versu Papa surgit, & cum mithra vadit ad sedem eminentem, & detracta mithra expectat finem hymni. Quo completo cantores cantant versus: Emitte spiritum tuum, &c. Resp. Et renovabis faciem terræ: & Pontifex: Oremus. Deus, qui corda fidelium, &c. per Christum Dominum nostrum, &c.*

*His peractis procurator canonizationis petiit instanter a Pontifice pronuntiari, & canonizari beatum Bonaventuram his verbis videlicet.*

*Beatissime pater scriptum est prima epist. Joannis cap. 3. quod tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres testimonium dederunt, quod B. Bonaventura de Balneo regio quondam ordinis fratrum Minorum generalis, ac postmodum S. R. E. Cardinalis, & episcopus Albanensis veniat canonizandus, ut patet per processus commissione sanctitatis vestræ auctoritate apostolica super inde confectos. Ego frater Petrus de Rodulphis de Vilgevano prædicti ordinis Minorum in alma curia vestra procurator meo & procuratorio ordinis prædicti nominibus serenissimi Romanorum Imperatoris, & Christianissimi Francorum Regis, aliorumque Regum, ducum, & principum, marchionum, & magnificarum communitatum spiritualium, & temporalium dominorum quorumcumque, qui sanctitatis vestræ, & reverendissimorum Cardinalium collegio super canonizatione prædicti B. Bonaventuræ sæpius scripserunt, & ex parte sanctissimæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, qui, ut præfatum est, de ipsius gloria testificati fuerunt instanter, instantius, & instantissime requiro supplex, & adstringo sanctitatem vestram, non de gratia, sed de debito, ac justitia, quatenus nunc de præsenti ad canonizationem B. Bonaventuræ, secundum quod in publicis consistoriis decretum fuit, ne beatus suo fraudetur honore, procedere debeatis, ad orthodoxæ fidei, & sanctæ Ecclesiæ exaltationem: & ad laudem omnipotentis Dei, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.* Cum is perorasset, & Sixtus una cum cæteris flexis genibus precatus esset, ne Deus Ecclesiam in ea re labi errore pateretur, demum B. Bonaventuram, consultis Cardinalibus, & præsulibus in Romana curia tum agentibus sanctorum numero ascripsit hoc ritu descripto in promulgato diplomate (a).

L. Oratio habita a Minoritarum procuratore.

Sixti de ea re decretum.

(a) *Ext. in bull. in Sixt. IV. const. 21.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

LI. *Exaltet pontificem cætus beatorum, & sacra doctorum concio, qui fulgent in cælo tamquam stellæ in perpetuas æternitates, quos inter sanctus Bonaventura, tamquam novum sydus ex hac lachrymarum valle ad cælestem, quæ sursum est, Hierusalem vocante eum Domino migrare promeruit. Nos autem, qui disponente Altissimo ad culmen apostolatus evecti Christiani gregis curam gerimus, quem pro debito pastoralis officii*

jucun-

*jucundo sanctorum collegio conformare, ut debemus intensis desideriis affectamus, Ecclesiæ militanti, pro cujus ædificatione, & incremento ipsum Bonaventuram in catalogum sanctorum referendum duximus, haud incongrue dicere possumus. Exulta hodie, & lauda habitatio Syon, id est Christiana religio, in qua tanquam in monte Syon per veram fidem habitat verus Deus, quoniam magnus in medio tui sanctus, quippe in medio Ecclesiæ aperuit os ejus, & implevit eum dominus spiritu sapientiæ, & intellectus, & stolam gloriæ induit eum, & coronavit ad portas paradisi, in qua una cum Angelis gloria, & felicitate lætatur. Lætemur itaque & exultemus, quia cœlestis illa curia eu nobis habet, cui sit cura de nobis, qui suis nos protegat meritis, quos informavit exemplis, illuminavit doctrinis, & miraculis confirmavit, quem Deus dedit cunctis populis in gloriam & honorem, cujus memoria in benedictione est.*

De B. Bonaventuræ scriptis.

*Ea namque de divinis rebus scripsit, ut in in eo Spiritus Sanctus loquutus videatur: ita pie, religiose & sancte vivit, ut scriptis vita congrueret, & quod scribebat doceret exemplo, in quo morum virtus, & signorum claritas ita comperta est, ut congruentibus maximis meritis, ac miraculis veræ sanctitatis testimonium a militante Ecclesia debeatur eidem, nam cum in flore virente juventutis, humanis abjectis illecebris, divino se addixisset servitio, religionem B. Francisci, quæ per ardua tendit ingressus, tantum sedula lectione, & assidua oratione profecit, ut cum sapiente merito dicere posset:* Optavi & datus est mihi sensus. *Illuminatus enim ab eo, qui illuminat omnem sensum, qui lux, via, veritas est & vita, paucorum annorum spatio incredibilem est scientiam consequutus, nec talentum sibi a Domino creditum sudario alligavit, aut terræ infodit, sed ut sapientissimus dispensator in communem utilitatem convertit.*

Ut theologiam publice professus sit Parisiis.

*In celebri enim Parisiensi gymnasio cathedram rexit, ubi abscondita scripturarum enucleans non solum viva voce profuit multis, sed etiam plurima librorum optimorum tum in sacris literis, tum in majoribus scientiis monumenta reliquit, quæ essent omni tempore posteris profutura. Magnus doctrina, non minor humilitate, & vitæ meritis, quem Alexander de Ales doctor clarissimus, cui se in disciplina sanctus Bonaventura tradiderat, tantæ innocentiæ, ac columbinæ simplicitatis expertus est esse, ut dicere solitus fuerit sibi videri, quod in eo Adam nunquam peccasset. Magnus etiam in ordine fratrum Minorum, cui unus post B. Franciscum plurimum profuit, ad ejus enim gubernacula vocatus, & generalis minister Domino inspirante creatus, talem se suis præbuit subditis, ut in illo dominicum illud verbum videretur impletum: qui major est vestrum sit minister vester. Nam sapientia, & morum integritate major prælationis officium cum tanta exercuit charitate, quod sponte humilis nunc doctrina, nunc monitionibus, nunc exhortatione fraterna, nunc etiam corporali servitio satagebat, ut bonus Christi miles inferioribus ministrare, nec solum quæ ab ipso B. Francisco pie & sancte fuerant instituta diligentissime custodivit, sed multa etiam adinventa, quæ crescente fratrum numero necessaria videbantur, adiecit, ordinem quoque ipsum in provincias custodiasque divisit.*

*Magnus etiam in dignitate in Romana fuit ecclesia, increbescente enim fama innocentiæ, doctrinæ, ac prudentiæ ejus a fœlicis recordationis Gregorio Papa X. prædecessore nostro ad cardinalatus est vocatus honorem, ut ejus opera in maximis, & difficillimis rebus, quæ temporibus illis inciderant, uteretur, in quem Gregorius ipse ob ingentia viri merita novo est usus exemplo, statim enim illi Albanensem commisit ecclesiam, quæ nonnisi vetustioribus Cardinalibus solet committi.* LII.

Cardinalatum sancte gesserit.

*Non fefellit expectationem summi Pontificis, ac sacri senatus optimus, ac Deo amicissimus vir, sed in concilio Lugdunensi præsidens, omniaque ad Dei laudem dirigens, sedatis discordiis, difficultatibusque sublatis ipsi Ecclesiæ maximo usus fuit, & ornamento; quibus rebus aperte cognoscitur, quod statuit illi Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum, ut sit illi sacerdotii dignitas in æternum, quem inanis gloria non inflavit, non divitiæ sinistrorsum egerunt, sed in fide lenitateque perseverans pius in Deum, in pauperes misericors, justus in omnes, ita hoc corruptibile corpus exuit, ut cum Apostolo dicere posset:* Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ. *Qui etsi ex sola perseverantia poterat sanctus credi, juxta illud:* esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ, *subsequuta sunt tamen post vitam multa miracula, quæ certum ejus sanctitatis probent indicium, & nos ad ipsius venerationem inducant, quod Deus meritis præcedentibus venerandum ostendat, ipse enim Deus omnipotens, ut suæ virtutis potentiam manifestet, & nostræ salutis causam pandat, fideles electos suos, quos coronat in cælis, sæpe etiam honorat in mundo, ad eorum memoriam signa faciens, & prodigia, quo hæretica pravitas confundatur, & fides orthodoxa servetur.*

*Agimus igitur ipsi Deo quantum possu-* LIII.

*mus gratias, quod nos dignos duxerit, per quos hæc canonizatio celebraretur, quæ licet divinis literarum monumentis extantibus, coruscantibusque miraculis jam pridem potuerit rite fieri, numquam tamen antehac vel a principibus vel ab aliis tanta diligentia fuit petita, sicuti nostro tempore charissimi in Christo filii nostri Fredericus Romanorum Imperator semper augustus, Ludovicus Francorum Christianissimus, Ferdinandus Siciliæ, Matthias Hungariæ Reges illustres, dilecti quoque filii nobiles viri Alphonsus Calabriæ, Joannes Mocenico Venetiarum, Joannes Galeaz Mediolani, & Joannes Burbon duces insignes, præterea civitates Florentinorum, Senensium, Lugdunensium, Perusinorum, & quod tale jubar tulit, Balneoregium tanto studio tantaque perseverantia petierunt a nobis, ut durum & impium putaremus eis in re tam pia resistere, quam etiam Dei monitu petere videbantur. Accesserunt assiduæ venerabilis fratris nostri Juliani episcopi Subinensis ipsius ordinis protectoris, dilectorum quoque filiorum Francisci Samsonis generalis ministri, & Petri de Rodulphis procuratoris dicti ordinis sacræ theologiæ professoris preces, qui nomine generalis eorum capituli id tamquam justum & debitum reposcebant. Legeramus studiosissime sancti hujus divina scripta, quibus, postquam per ætatem aliquid sapere licuit, semper fuimus delectati: audiveramus quoque ab antiquioribus religionis præfatæ fratribus, & gravibus quidem viris quod & ipsi a majoribus natu acceperant, de sanctimonia vitæ ejus: constantem famam esse sciebamus de multis maximisque miraculis, nec erat propterea apud nos dubium quin in triumphanti Ecclesia triumpharet in cœlo & venerationem mereretur in terris. Sed memores nos eumdem minorum ordinem ex voto ingressos, in quo divina assistente gratia in sacris literis & religiosis moribus utcumque profecimus, eudemque ministeriatus officia exercuimus, atque inde ad cardinalatus dignitatem, ita ut per consimiles gradus ad pontificatus culmen sublevatos nos fuisse disponente Domino cognoscamus, per quos ipse Bonaventura sanctus ad triumphantis Ecclesiæ immarcescibilem gloriam evectus est, ne ad id videremur potius affectione propria, quam debita devotione moveri, eam adhibuimus diligentiam ac gravitatem, quam rei magnitudo poscebat. Commisimus enim tribus ex venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus, ut de veritate miraculorum mandarent inquiri, cumque unus ex eis inchoato processu, ut Deo placuit, ab hac luce migrasset, alium in locum defuncti subrogavimus Cardinalem, quo etiam decedente alium substituimus. Cum jam processus ipse pene perfectus esset, & hi qui delegati erant fidelissime retulissent, tamen quia non videbatur in procedendo tanta, quanta requiritur observata solemnitas, illum reiterari jussimus. Demum cum ex uberiori relatione & fidedignorum testium super hoc receptione compertum fuisset, multa & magna a Deo per ipsum sanctum miracula fieri, quæ in conspectu multitudinis cernebantur, nos, ne Spiritui Sancto resistere videremur, qui per os prophetæ laudare Deum in sanctis suis jubet, in consistorio nostro secreto, hujus rei causa habito, eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium vota super hujusmodi canonizatione sumus scrutati: cumque omnium una eademque fuisset sententia, videlicet ut in sanctorum numero referri deberet, consistorium publicum deinde habuimus, in quo magna multitudine astante, & in triduum orationes jejuniaque indiximus, ut Deus omnipotens nobis quod factu optimum in hac re esset ostendere dignaretur, nec pateretur Ecclesiam suam militantem errare, quæ se triumphanti conformare studet. Triduo deinde elapso omnes, qui in Romana curia erant, prælatos jussimus convenire, qui ad unum interrogati, quid faciendum videretur in eandem sententiam convenerunt, beatumque Bonaventuram canonizandum censuerunt.*

Qui principes decernendi illi cultus promotores extiterint.

Ut proprio affectu se non duci siverit Sixtus.

Data fit tribus Cardinalibus de miraculis inquirendi provincia.

Rogatæ sint præsulum sententiæ.

LIV.

*Nos ergo Dei nutum & voluntatem sequentes, attendentesque justum ac debitum esse, ut quos Deus honorat in cœlis, venerationis officio laudemus & glorificemus in terris, cum ipse potius laudetur & glorificetur in illis, qui est laudabilis & gloriosus in sæcula, hunc diem canonizationis ipsius sancti Bonaventuræ in media basilicæ principis Apostolorum de urbe, quo maxima omnis generis ordinisque multitudo confluxerat, celebrandum statuimus, ibi reliquis omnibus legitime peractis, ordinis minorum procurator in medio stans dictum illud B. Joannis Apostoli clara voce proponens, videlicet: Tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, probavit etiam habito super præmissis processu ipsus beatissimæ Trinitatis personas testimonium, quod B. Bonaventura in cœlo sit, præstitisse, patrem videlicet in miraculorum potentia, filium in doctrina & sapientia, & Spiritum Sanctum in vita ipsius bonitate: & propterea non solum nominibus omnium, qui hanc ipsam canonizationem fieri supplicarunt, sed etiam ex parte individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, ut ipsum Bonaventuram sanctum pronuntiare dignaremur, instanter instantius & instan-*

Decretoria Sixti sententia.

*stantissime requisivit. Confidentes igitur quod in hac canonizatione non permittat nos Deus errare, qui omnia in ea quomodolibet requisita etiam superabundanter observari fecimus & observavimus, de eorumdem fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, omniumque prælatorum in Romana curia existentium unanimi consensu & maturo consilio, de omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus authoritate confisi beatæ memoriæ Bonaventuram Balneoregiensem sacræ theologiæ professorem, ex gremio sacri ordinis Minorum, & ex officio generalatus in episcopum Cardinalem assumptum, sanctum esse ac aliorum sanctorum Dei catalogo ascribendum, adiiciendum, ac aggregandum fore: ac fideliter firmiterque teneri debere decernimus, ipsumque sanctorum confessorum pontificum & doctorum, quos sancta Dei veneratur Ecclesia, consortio solemniter in præsentiarum ascribimus aggregamusque per præsentes; statuentes etiam & mandantes venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac dilectis filiis dictorum ac patriarchalium metropolitanorum & cathedralium ecclesiarum capitulis, & quorumvis ordinum tam mendicantium quam non mendicantium professoribus, nec non quibuscumque ecclesiasticis personis, ut festum ipsius S. Bonaventuræ secunda dominica mensis julii singulis annis solemniter & devote celebrent: divinum officium veluti pro uno confessore, pontifice, & doctore tam publice quam privatim contigerit persolventes, &c.* Proposuit nonnulla indulgentiarum præmia iis, qui sacras illius reliquias pie venerarentur. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCDLXXXII.* XVIII. *kal. maii pontificatus nostri anno* XII.

I. Suscepti in Venetos belli causa.

ITalicis turbis inquietus extitit excurrentis sæculi annus octuagesimus tertius indictione prima, quo cum sacræ in Turcas expeditionis, conjungendarumque cum cæteris principibus virium desiderio flagraret Sixtus, Venetos vero nec prece nec promissis ab oppugnanda Ferraria Romanæ ecclesiæ vectigali posset divellere, judiciario ordine in eos agere constituit. De quibus acturi subiiciemus primum apostolicas ad Fridericum III. Imperatorem missas literas, quibus Pontifex exposuit (*a*), quanto studio pacem inter principes Italos conciliasset, precesque addidit, ut Joannem Mocenicum Venetæ reipublicæ principem a suscepto opprimendæ Ferrariæ consilio revocaret.

(*a*) *Lib. brev. an. 12. pag. 301.*

*Imperatori.*

II. *Charissime in Christo fili noster salutem, &c. Ut nihil omisteretur, quod ad communem omnium quietem pertineret, pacem cum Italicis potentatibus constituimus, in quo Deo immortali gratias agimus, quod prisco desiderio nostro est satisfactum, inter enim multiplices pontificatus curas, in quibus animus noster assidue versatur, illa semper præcipua fuit, ut sublasis de medio discordiarum omnium fomitibus inter catholicos principes mutuam benevolentiam pararemus, ea manime ratione, quod ita postulare videbatur rerum Christianarum necessitas: de qua quidem sanctissima re, & apud te, & alios principes nunsiis, & literis sæpius nos egisse meminimus. Si autem unquam menti nostræ is ardor fuit, profecto nunc potissimum est, ut communi fidelium populorum periculo, quod ab immanissimis Turcorum gentibus imminere videmus, possit occurri. Quæ res effecit, ut injuriarum omnium obliti publicæ causæ condonaremus, si quid offensionis a quoquam lacessisi suscepimus, privata nostra publicis commodis postponentes, quo pacem hanc, hanc salutarem omnibus unitatem toto pectore, totis charitatis visceribus complecteremur, cum magna populorum omnium lætitia, qui ex diuturnis laboribus, & incommodis, quæ bello impliciti hactenus passi sunt, respirare cœperunt.*

Sixti ad Imp. lit.

De propulsanda tyrannide Turcica.

*Unum solum, charissime fili, superest, quod ad perficiendam ex omni parte Italicæ tranquillitatis unitatem valde est necessarium, accessio videlicet dilecti filii nobilis viri Joannis Mocenici ducis Venetiarum, & inclytæ illius reipublicæ, qui nisi ab armis discedat, Ferrariamque nobilem & insignem Romanæ ecclesiæ civitatem, aliaque finitima loca oppugnare desinat, non potest Italica quies solido fundamento consistere, cum necesse sit ad ferendum obsessis subsidium armis iterum Italiam exagitare, & oppressos bello prosegere, & sic nunquam intestinis discordiis, & Christiani sanguinis effusioni finis erit. Hortati tamen sumus ducem ipsum, ut ab hujusmodi impugnationibus abstineat, reliquæ totius Italiæ consilium, & unitatem sequatur, nolis solus a tam communi, & salutari bono dissensire, sicuti per exemplum his inclusum videre poteris. Hortamur etiam majestatem suam, ut ad eum aut scribat aut mittat, studeatque omni ratione ad pacem eum traducere, & suadere ut arma deponat, ab impugnatione rerum alienarum abstineas, nobiscum & cum reliquis Italiæ potentatibus hanc optabilem & necessariam pacem complectatur, aliter alia provisione opus esset, cum nemo catholicus princeps pati debeat tantam Italiæ perturbationem, & discordiam in præjudicium totius Christianæ religionis. Dat. Romæ die x. januarii MCCCCLXXXIII. pontificatus nostri anno xii.*

Conjungendis mutua pace Italis.

Veneris a bello Ferrariensi revocandis.

III. Sunt ea de re ad ducem Saxoniæ literæ (*b*), quibus edoctus est, ut jam antea arctissimum a Sixto fœdus cum Venetis initum fuisset pro Italica pace alenda: sed cum a Venetis bellum Ferrariensi duci illatum fuisset, & cæteri principes Itali subsidio illi accessissent, eaque de causa Ferdinandus atroci bello ecclesiasticam ditionem invasisset, neque ad retundendam illius vim idonea a Venetis auxilia submissa essent, atque interea Ferraria sedis Apostolicæ fiduciaria urbs a Venetis in discrimen extremum conjiceretur, adhibitam omnem operam fuisse, ut permulcerentur Veneti, atque arma in religionis Christianæ hostem converterent, conceptumque animo pacis ab omnibus fidelibus colendæ pium ardorem explicuit (*c*).

(*b*) *Pag. 362.*

Ferraria cincta obsidione a Venetis.

(*c*) *Ibid.*

*Duci Saxoniæ.*

*Dilecte fili, &c. Scripsimus superioribus diebus ad nobilisasem tuam causas, quibus moti eramus ad novam cum Italiæ potentatibus ligam ineundum: sed quoniam breve nostrum, sicut eu relatione dilecti filii nostri Francisci Cardinalis Senensis didicimus, adhuc perlatum non erat, iterum ea paucis repetemus. Nos antea cum Venetis pro pace Italiæ conservanda, quam semper desideravimus, & procuravimus, & pro mutua statuum defensione confœderationem feceramus; verum cum Veneti ipsi duci Ferrariensi bellum intulissent, & ea de causa Ferdinandus Rex contra nos arma movisset, cæterique Italiæ principes contra Ve-*

De discordia cum Venetis Saxo fit certior.

ne-

*[Margin: Ut ii Ferrariam iniqueoppugnent.]* *nenos auxilio Ferrariensi duci venirent, occupatis nonnullis civitatibus, & oppidis nostris, neque auxilia a Venetis, ad qua ex forma capitulorum, sicuti ex copia hic inclusa videbis, obligabantur, præstarent nobis, civitasque nostra Ferrariensis ab ipsis oppugnaretur, coacti fuimus in tot difficultatibus novam cum ipsis Italiæ potentatibus inire ligam, & quod semper desideravimus, pacem cum omnibus amplecti supplicantibus nobis de hoc Regibus Castellæ, qui dedita opera oratores pro hujusmodi pace ad nos miserant sacroque collegio, & omnibus fere civitatibus Italiæ, cum aperte videremus ex hujusmodi Venetorum confœderatione contrarium subsequutum effectum, & perturbationem inde potius exortam, quam pacem & quietem partam, in qua nova liga etiam Venetis ipsis locum reservavimus, eosque hortati sumus, & continue hortamur, ut omissa obsidione* *[Margin: Solicitati sint ad pacem.]* *civitatis Ferrariensis, quæ nostræ, & S. R. E. jurisdictionis est, pacem ipsam una cum reliquis ingrediantur ad universalem Italiæ quietem, cui nos totis studiis incumbimus, accedant, neve soli in causa sint, quin ex omni parte pax Italia constituatur, sicuti ex exemplo literarum nostrarum ad ipsos Venetos, quod tibi his inclusum mittimus videre poteris, voluimus hæc repetere,* *[Margin: Vertendaque in Turcas arma.]* *ut cognoscat nobilitas tua nos studio pacis, & quietis hujusmodi ad ineundum ligam motos, & ut unanimi consensu, & communibus viribus contra infideles hostes decerni aliquid posset, simul ut habeas quid respondeas his qui nostris actionibus refragari, & consilia nostra ad quietem universalem spectantia carpere, & in pejorem vertere partem non cessant. Dat. Romæ die 11. februarii MCCCCLXXXIII. pontificatus nostri anno* XII. Eademque literarum (a) conscripta formula suum pacis amplectendæ flagrans studium in luce & oculis Galliæ, Castellæ & Aragoniæ, Lusitaniæ, Hungariæ, Poloniæ, Daniæ, Angliæ, Scotiæ Regum, necnon Burgundiæ, Britanniæ, Lotharingiæ ducum, archiducum Austriæ, & Imperii septemvirum, qui mutuo juncti erant fœdere, constituit, iterumque eosdem principes martio ineunte fecit certiores (b), ut Venetos de pace postulasset, quam ab ipsis repudiatam esse conquestus est, in literis ad episcopum Constantiensem scriptis (c).

*[Margin: (a) Reg. post eand. ep.]*

*[Margin: (b) Ib. p. 393.]*

*[Margin: Pax repudiata a Venetis.]*

*[Margin: (c) Ib. p. 468.]*

IV. Cum nil preces profuissent, Feru.nandum Regem Neapolitanum, Joannem Galeatium Mariam ducem Mediolani, Florentinos, Fridericum marchionem Mantuanum, Herculem Ferrariensem ducem ad propulsandam vim Venetam, quæ iis omnibus terrorem afferebat, sibi fœdere junxit interprete Francisco S. Mariæ novæ diacono Cardinale, socialiaque cum iis conventa, assentiente Cardinalium senatu, edito diplomate firmavit, in quo rem gestam ita promulgavit (d): *Comparuerunt statuto tempore ad dietam coram legato dilecti filii nobiles viri Alfonsus dux Calabriæ nomine prædicti Regis,* nimirum Ferdinandi, *& Ludovicus Sfortia locumtenens ducis Mediolanensis, ac Laurentius de Medicis tunc orator Florentinorum, prædictus dux Ferrariensis,* nempe Hercules, *ac marchio Mantuanus, ac post habita super his, quæ ad consequendam dictæ civitatis Ferrariensis defensionem, & totivam Italiæ perpetuam pacem plurima colloquia, tandem nominibus, quibus interveniebant in dieta die undecima proxime præteriti mensis maii quamplurima utilia, & salubria ad præmissum effectum per nos, & Regem, ac Mediolanensem ducem, & Florentinos, ipsosque Ferrariensem ducem, & marchionem Mantuanum fieri debere ordinarunt, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCCLXXXIII. pridie kal. maii pontificatus nostri anno* XII.

*[Margin: (d) Lib. bull. 104. p. 31.]*

Venetos igitur armis compressurus Pontifex, præmisso Francisco Cardinale Gonzaga, cui quod fuisset honorifice exceptus decima januarii die gratulatus est (e), pollicitusque (f) Ferrariensibus, se ipsis ope non defuturum, Alfonsum Ferdinandi Regis Neapolitani filium Calabriæ ducem suum in exercitu vicarium designavit (g), ac duci Mediolani fœderato ob impensum in tuenda Ferraria aurum subsidiarium permisit, ut nova Insubribus vectigalia imponeret (h). Interea pars Venetæ classis a pontificiis capta est, acceptisque Sixtus ea de re a Cardinale Gonzaga Apostolicæ sedis legato laureatis literis, ac divino Numini pro collato beneficio gratiis actis, hæc ei rescripsit (i): *Redditæ sunt nobis literæ tuæ datæ Ferrariæ* XXIV. *martii. Intelleximus ex illis partem classis hostium captam a nostris esse, quod nobis gaudio fuit, speramusque pro justitia nostræ causæ lætiora in dies nos audituros, &c. Dat. Romæ die 1. aprilis MCCCCLXXXIII. anno* XII. V.

*[Margin: (e) Pag. 312.]*

*[Margin: (f) Pag. 313.]*

*[Margin: (g) Pag. 287.]*

*[Margin: (h) Pag. 397.]*

*[Margin: Pars Venetæ classis capta ab exerc. Pont.]*

*[Margin: (i) Ib. p. 459.]*

De eadem victoria memorat in apostolicis literis mox datis ad Ferdinandum Regem Neapolitanum, cui significavit (k), quibus auxiliis exercitus pontificius ad victricia signa provehenda indigeret, eamque ob causam exemplum literarum Cardinalis legati ad eum se transmittere: tum Deum hominesque obtestatus est, si quid adversi accideret, culpam Regi ipsi, qui suis partibus deesset, ascribendam. VI.

*[Margin: (k) Pag. 459.]*

*Regi Ferdinando.*

*Charissime in Christo fili noster, &c. Credi-*

*dimus majestatem tuam intellexisse partam nuperrime a nostris victoriam, & confidimus te considerare, quo præsidio exercitus noster indigeat ad prosequendam hanc gloriosam, & necessariam provinciam, ut postquam Deus viam justitiæ nostræ aperit, nolimus nobis ipsis deesse in tanta occasione rei bene gerendæ, aliter loco perficiendæ victoriæ tanta possent subsequi infortunia, si negligentes nos præstiterimus, ut cum vellemus postea reparare, nequaquam possemus, ut autem clarius intelligat majestas tua, quid opus sit, mittimus ad te his inclusum exemplum literarum legati nostri Cardinalis Mantuani, quibus facile cognosces quid expediat, & quam propere id fieri conveniat. Quare hortamur te, & rogamus & obtestamur eo animi affectu, quo magis possumus, & protestamur coram Deo, & hominibus, si quid sinistri eveniat, quod Deus ipse pro sua clementia avertat, non culpa nostra id eventurum, omnes id majestati tuæ imputabunt.* Et infra, *si compertum hoc prius habuissemus, certe hanc provinciam nunquam fuissemus ingressi, quia apertissimam videmus Italiæ ruinam, nisi quamprimum copias tuas mittas, &c. Datum Romæ die* XVII. *martii MCCCCLXXXIII, pontificatus nostri anno* XII.

Neapolitanus excitatus ad urgendam in adversario victoriam.

Et mittendas auxiliares copias.

VII. Parte alia Veneti consurgente in eos universa Italia, transalpina auxilia accersiverunt, ac Renatum ducem Lotharingiæ Renati olim regis Neapolitani ex filia nepotem in spem aviti regni evocarunt, cum plures jam arces in Apulia expugnatæ essent, ingentesque motus excitandi viderentur: venientem transitu prohibuit archidux Austriæ Ferdinando fœdere junctus, cui Sixtus grates egit (*a*). Penetravit (*b*) tamen in Venetam ditionem dux, sed exiguis succinctus copiis, ducentis nimirum equitibus, ac peditibus mille neque conceptam suæ bellicæ peritiæ expectationem sustinuit, atque a Ludovico Rege Caroli filii tutor relictus in Gallias redire compulsus est, Extracto Ferrariensi bello habitum est Cremonæ concilium de eo sedando, pacandaque Italia, ac decretum Venetos anathemate percellendos, ni bello absisterent; quod deinde in Cardinalium senatu a Sixto confirmatum est, de quo hæc tradit Jacobus Volaterranus (*c*): *In privato senatu diei ultimi aprilis confirmata fuere literis apostolicis plumbeo signo quæ paulo ante decreta fuerant in concilio Cremonensi: diplomata a patribus scripta propriis manibus referuntur; Veneti tamen Cardinales S. Mariæ in porticu & S. Angeli ægre impetraverunt ad subscriptionem non cogi. Adducta in exemplum Pii tempora, quibus in decreto contra Andegavenses bello,* Galli Cardinales videlicet, *Rothomagensis & Avinionensis ad subscribendum non fuit coacti* XXIV. *maii extra ordinem vocati sunt in consistorium patres, & actum est de publicandis censuris contra Venetos propter obsidionem Ferrariæ.*

Renatus dux Lothar. Venetis adversus Ferdin. excitus.

(*a*) *Lib. brev. an.* 11. *p.* 597.

(*b*) *Sabell. lie. ennead.* 10. *l.* 7. *Brut.*

In Gallias redire cogitur.

Venetis anathema intentatum.

(*c*) *Volat. diar. ms. arch. Vat. l.* 4. *sign. n.* 111.

VIII. His sancitis diploma de ea re confectum, conceptumque hac verborum formula promulgatum est (*d*).

(*d*) *Ext. in arch. typis cuso Romæ ann.* 1607. *sign. lit. C.* 111. *n.* 43.

*Sixtus, &c. ad futuram rei memoriam.*

*Ad bonorum tutelam, & malorum perniciem, & vindictam justitia cœlitus emanavit, ut qui virtutis amore ad ea, quæ sua non sunt manus extendere non formidant, saltem pœnæ formidine arceantur. Dudum siquidem dum ad apicem summi apostolatus fuimus divina disponente clementia, meritis licet insufficientibus, assumpti mente revolventes calamitates, quas Christifideles pertulerant causantibus guerris, & dissensionibus eorumdem, & quod dominus noster Jesus Christus Dei filius, cujus vices gerimus in in terris, post peractum inter homines nostræ redemptionis salutiferum cursum cum ex hoc mundo ad patrem ascensurus esset, pretiosum suis discipulis, & perpetuo observandum jocale reliquerat in discessu, pacem videlicet, qua nihil dulcius nihilque desiderabilius est. Ejus saluberrimo exemplo edocti ad pacem & concordiam procurandam inter universos Christianæ religionis professores omnes nostros convertimus cogitatus. Et hoc incensi studio non solum Italiam, accersitis ad nos sæpius illius potentatuum oratoribus, ad mutuam animorum conjunctionem excitavimus, sed etiam transalpinos principes, & remotissimas nationes, missis ad id legatis, & nuntiis nostris, monuimus, & tandem pro instanti temporis necessitate omnes Christianorum principes, & potentatus ac universos Christifideles ecclesiasticos, & sæculares, cujuscumque præeminentiæ, & dignitatis existerent, per alias nostras literas monuimus, & mandavimus eisdem, ut mutuam inter se charitatem, & pacem ac concordiam, vel saltem per triennium, infra quod adhuc sumus, treuguas, inducias seu belli moram, quas per easdem literas authoritate omnipotentis Dei pro defensione, & securitate dominici gregis, quem Salvator noster pascendum, tuendum atque curandum nobis commiserat, indiximus, & per universos Christianos servari voluimus, observarent, arma deponerent, & privatarum injuriarum obliti Christi redemptoris nostri injurias, offensiones, & opprobria ulciscerentur, ac in infideles, qui Christianorum omnium sanguinem sitiebant, & evangelicam legem delere conabantur, arma sumerent. Et ut id liberius facere possent eos cum eorum statu, civitatibus, terris, dominiis, subditis, territoriis, ac bonis omnibus,*

Sixti studia pro concordia promovenda.

*sicut*

*ficut ea tunc tenebant & possidebant, sub beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ac Romani Pontificis protectione recepimus atque nostra; ita ut, eis per se ipsos, vel alios, qui mandabantur, ad nos implentibus, plena securitate, & quiete gauderent.*

IX. Imperatæ ab eo induciæ inter Italos.

*Omnibus quoque cujuscumque status, & conditionis existerent, ac quacumque dignitate præfulgerent auctoritate Dei omnipotentis districte præcipiendo mandavimus, ne durante dicto triennio quovis quæsito colore, directe vel indirecte, palam vel occulte quemquam ex eisdem principibus aut personis prædictis offenderent, aut offendentibus præstarent auxilium, consilium, vel favorem, seu ut civitates, terræ & loca uni principi subjecta ab illius, cui suberant, obedientia quomodolibet se subtraherent, vel ab aliis subtraherentur, aut alias illa obsinentes in illorum regimine perturbarentur, seu quod in eis aliquid innovaretur, procurarent: affirmavimus quoque quod nos contra omnes, & singulos, quos arma sumere, & indictas per nos authoritate Dei omnipotentis inducias hujusmodi violare, ac nostris inhibitionibus, & mandatis prædictis contravenire contingeret, per censuras ecclesiasticas, & alia juris remedia, quavis appellatione remota, usque ad satisfactionem condignam omnino procederemus, eosque persequi, & ad eorum persequutionem alios inducere non cessaremus, ut illos, in quorum præjudicium aliquid foret attentatum, pro posse indemnes conservaremus, non secus quam si talia contra nos, & sedem Apostolicam, ac loca ditioni dictæ sedis subjecta attentata forent, prout in eisdem literis plenius continetur, & quamquam jure optimo possemus nonnullos subditos nostros, qui contra nos graviter deliquerant punire, tamen, ne ulla pacis turbandæ occasio daretur, omnium injuriarum oblivisci, & illis parcere maluimus. Denique hæc omnia pro pace ordinaveramus, sed inimico humani generis & satore zizaniæ procurante, dilecti filii nobilis vir Joannes Mocenico dux, ac consilium & commune Venetiarum, quibus nulla gerendi belli occasio antea data fuerat, propugnacula quædam erigendo, primi contra mandata nostra prædicta venire, & pacem in Italia turbare cœperunt: & cum dilectus filius nobilis vir Hercules dux Ferrariensis propugnacula hujusmodi intra Ferrariensis territarii fines ad quintum ferme milliare constructa fuisse conquereretur, nos qui adduci non poteramus ad credendum eosdem Venetos, quos nostrarum rerum, atque honoris nostri, & sanctæ sedis Apostolicæ defensores, non offensores reputabamus, præmissa in nostrum contemptum, & pœnarum apostolicarum elusionem fecisse, eos ad removendum propugnacula prædicta enixe hortati fuimus. Qui intra suos fines, & terminos illa constituisse, & Ferrariensem ducem præfatum pacta a majoribus suis servata violare & servare nolle responderunt, nobisque suaserunt nulla ratione in bellum, aut in Ferrariam occupandam, sed in fines suos, & jura tutanda animum habere: quamobrem cum propter ipsorum propugnaculorum constructionem innovatum fuisse diffiteri non posset, quamvis ad censurarum & pœnarum in literis nostris præfatis contentarum promulgationem procedere potuissemus, & ut id per nos fieret pro parte ejusdem ducis Ferrariensis cum instantia requisiti fuissemus; tamen cupientes hujusmodi discordias paterna charitate sopire, & ignem extinguere, non augere, exhortati fuimus ipsum ducem Ferrariensem ad pactorum, sicuti majores sui fecerant observationem, qui eadem illa se observaturum Venetis præfatis obtulisse rescripsit. Et cum ipsi Veneti non eo modo ducem ipsum Ferrariensem eis obtulisse nobis significassent, ne quid ad compositionem inter eos faciendam deesset, misimus eisdem Venetis verborum formam in scriptis, quam ipse dux Ferrariensis observasse, & observare velle nobis scripserat, quod ab eisdem Venetis denegabatur, & ob id ipsius ducis Ferrariensis, & potentatuum Italiæ, cum quibus confœderatus erat, oratores ad nos, & sedem Apostolicam destinati promissionem hujusmodi sub eorundem verborum formula in consistorio nostro se facturos obtulerunt, literasque eorundem potentatuum Italiæ, & ducis Ferrariensis confœderatorum attulerunt, qui ad nos sacrumque collegium venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium omnes hujusmodi controversias retulerunt, pollicentes, quidquid a nobis decisum super his fuisset ducem ipsum Ferrariensem expleturum.*

Ut Joannes Mocenicus dux arces in agro Ferrariensi excitarit.

Monitus fit ne quid novaret.

Quæsiti sunt omnes concordiæ modi.

X. *Veneti vero sæpius a nobis rogati, ut idem facerent, quod sane omni ratione facere debuissent, facere noluerunt, affirmantes se in rebus Ferrariensibus nullum recognoscere superiorem: quod tametsi contra honestatem, contra jura, & sanctorum patrum decreta in nostrum contemptum, ac nostræ authoritatis, & jurisdictionis diminutionem plane esset; quia tamen ipsi Veneti inde nullum bellum, sed concordiam sequi nobis persuadebant, toleravimus, atque eos quantum potuimus hortari non cessavimus ad benevolentiam reintegrandam cum duce ipso Ferrariensi, ad quam ipse dux se offerebat.*

XI. *Et ut nihil omitteremus, quod eorundem honori, & quieti Italiæ expediret, noluimus ad censuras, & executionem litera-*

rum

rum prædictarum progredi, quoniam concordiæ, & belli minime faciendi Veneti præfati nobis spem certam dabant: in qua cum essemus, & eosdem Venetos ad mittendum nobis jura sua in præmissis hortaremur, contra eumdem ducem Ferrariæ, contra justitiam contra nos, quos bellum abhorrere sciebant, contra Romanam ecclesiam, cujus juris civitas Ferrariensis existit, nobis penitus insciis aperto marte impia arma moverunt, dilectus vero filius nobilis vir Alfonsus dux Calabriæ dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Elionoræ ducissæ Ferrariensis frater pro liberatione cognati, sororis, & filiorum eorundem ab ipsorum Venetorum oppressione ad territorium Ferrariense cum suis gentibus, & armigeris se transferre volens, a nobis transitum petiit per terras præfatæ ecclesiæ. Poteramus ei ad propulsandam injuriam, per eosdem Venetos eidem duci Ferrariensi illatam, proficiscenti jure optimo per urbes agrosque nostros transitum dare; non fecimus tamen, immo transitum ei penitus denegavimus, quia dilectus filius Franciscus Diedus civis Venetiarum orator, ad nos, & sedem prædictam destinatus, eorundem Venetorum nomine nobis persuasit, concordiam cito proventuram inter eos, quodque ipsi Veneti præmissa contra eundem ducem Ferrariensem attentaverunt, ut ducem ipsum Ferrariensem facilius ad concordiam adducerent, non ut bellum excitarent, ac Italicam quietem, & pacem perturbarent; sed compositio aliqua secuta non fuit: immo subito Veneti præfati per eorum terrestrem exercitum, & navalem classem cœptum per eos bellum contra civitatem Ferrariensem, & illius ducem præfatos acerrime prosequi, pleraque oppida ipsius ducis expugnare, & multa ferro & igni usque ad mœnia ejusdem civitatis depopulari, conflammare, ac denique civitatem eandem obsideri fecerunt, nosque pro eo, quia Venetis favere dicebamur, in nostris civitatibus, terris, & locis gravia, & intolerabilia damna, etiam occupationes civitatum, & terrarum nostrarum pertulimus, nec tamen unquam cessavimus omni nobis possibili via eosdem Venetos, alios Italiæ potentatus ad communem intelligentiam, pacem, & mutuam charitatem pro posse inducere, & exquirere media, per quæ pax concludi posset: nec quanto magis Venetos præfatos omnia eorum studia omnemque conatum non, ut a principio dicebant, ob suorum finium conservationem, sed ad Ferrariam, & reliqua loca dominii ejusdem Herculis ducis diripienda, conferre manifeste videbamus, tanto plus reliquos potentatus ad optatam per nos universalem Italiæ pacem inducere, & ejusdem pacis conclusionem accelerare conabamur.

Motum adversus Ferrariam bellum.

Fallaci concordiæ spe injecta extremos impetus effundunt.

XII. Cumque tandem, Deo auxiliante, reliquos Italiæ potentatus ad convenientia media pacis hujusmodi induxissemus, Venetis præfatis, de quibus sperabamus quoties vellemus, prout sæpius per eorum oratorem præfatum obtulerant, pro communi Italiæ, & reipublicæ Christianæ bono, ut de filiis obsequentibus decernere posse, ita ut quando cæteris Italiæ potentatibus pacem ipsam societatemque conficiendam persuasissemus, videremur sic omnia consequuti, ut ad eandem ipsam præclarissimam rem conficiendam nihil nobis relinqueretur difficultatis, nihilque negotii, ut media honesta pacis hujusmodi amplecterentur, persuadere nequivimus, processimusque tandem ad ejusdem pacis conclusionem, locum relinquentes eisdem Venetis, ut si vellent possent pacem ipsam honestis conditionibus amplecti, eisque scripsimus paterna charitate causas non minus justas, quam necessarias, quæ nos pro totius Italiæ, reique publicæ Christianæ incolumitate ad pacem componendam impellebant, hortantes eos, ut eandem susciperent, & a bello abstinerent, ac occupata restituerent, obtulimusque eis omnem illorum, & ducis Ferrariensis controversiam, justitia mediante, sopire: ipsi vero responsivas literas dederunt longe aliter scriptas, quam legere speraremus, Ferrariense bellum variis fucantes coloribus, quæ ideo nos molestia doloreque summo affecerunt, quia mentem animumque eorum a pace ac societate, quam publicam in Italia conficere statueramus, alienum esse, eosque vehementer id abhorrere significarunt.

Fœdus inter Italos initum.

Veneti, ut illi accederent solicitati.

XIII. Et quamquam statuisse bellum prosequi velle sic aperte nobis scripsissent, decrevimus eos adhuc aliis nostris literis ad pacem amplectendam, bellumque Ferrariense deserendum invitare, assumptos per eos colores in id negando confutare, eosque paterna, ut semper fecimus, charitate monuimus, ut accuratius ad ea omnia, quæ scribebamus, animum ex religione converterent, nec eos dominandi libido e ratione deduceret: nam etsi victoriam in manibus haberent, ut eorum ad nos literis affirmabant, eo major honor, & laus eis foret, si communem pacem omnibus aliis postpositis amplecterentur, contra vero, si bellum prosequerentur, uti decrevisse statuisseque affirmabant, eos scire debere, se bellum gerere cum Christo Jesu Deo nostro, & ejus sancta Ecclesia, pro cujus honore, & defensione Ferrariæ rebus omnibus divinis, & humanis adesse curaremus, gererentque bellum etiam cum reliquis Italiæ potentatibus, qui Ecclesiam Dei, & Italiam ipsam per eosdem labefactare non sinerent, haberentque quoque causam injustam, & bellum illicitum, nos vero e contra justitiam fovere-

Admoniti bellum iniquum adversus ecclesiam suscipi.

mus

mus, & cum totam Italiam contra se accensam provocassent, nisi a tanto facinore desisterent, & occupata restituerent, prout eis persuadebamus, essent Christianis omnibus derisui pariter, & odio; omnes enim eos alienarum rerum occupatores, non suarum defensores, vere dicerent. Suadebamus præterea eis, ut memores essent, luciferum perfectionem, sublimitatem, dignitatem, ac excellentiam super omnes angelos ante lapsum habuisse, & eum superbia elatus voluisse exaltari, humiliatum, ac depressum fuisse usque in profundum abyssi, & ut in mente haberent verbum Salvatoris nostri: Durum est tibi contra stimulum calcitrare; quodque in die cœnæ Domini omnes, qui civitatem nostram Ferrariensem prædictam occupare niterentur, per nos ac prædecessores nostros Romanos Pontifices excommunicati, & anathematizati fuerant. Suadebamus etiam eis, ne jactabunde dicerent victoriam in manibus habere, nam hanc dabat adimebatque solus Deus immortalis, cujus causa agebatur; ex quo facile fieri posse videbatur, ut & ipsi, qui vicisse asserebant, brevi tempore amisisse viderentur, & quantum progressi ultra forent, tanto regredi cogerentur.

Intentatæ iisdem censuræ.

XIV. Denique hortati fuimus eos, & requisivimus, ac monuimus in Domino, ut cogitationes istas inanes deponerent, cupiditates effrænas compescerent, arma revocarent, Ferrariam dimitterent, castella per eos capta restituerent, quod suum est possidendum cuique tranquille relinquerent, & pacem Italiæ amplecterentur, sicque rei suæ totiusque Italiæ quieti consulerent, alioquin non dissimularemus amplius spiritualibus, & temporalibus armis procedere contra eos, uti nobis expediens videretur, & justitia suaderet, quia ista eorum dominandi libido inhumana nimium, & a Christiana religione aliena ferenda non erat, nosque pacem publicam in Italia vigere omnino volebamus, ut simul bellorum injurias caveremus, simul quieti restitueremus omnes, & reipublicæ Christianæ unitis viribus contra immanissimos hostes consuleremus. Veneti vero præfati in eorum proposito perseverantes nostris persuasionibus hujusmodi annuere nullatenus voluerunt, & immemores, quod sancta Romana ecclesia eos semper dilexit ut filios, ac multis privilegiis, & gratiis insignivit, cœptum per eos bellum contra Ferrariam, immo contra nos & præfatam Ecclesiam, cujus nomen in omni provincia, in qua apostolicæ prædicationis sonus exivit, celeberrimum habetur, adeo ut etiam barbaris gentibus sit terrori, prosequi non cessarunt nec cessant.

Objectus armorum pontificiorum terror.

XV. Nos igitur præmissis omnibus debita meditatione pensatis, non valentes ulterius eorumdem ducis, consilii, & communis Venetiarum ausus hujusmodi, & tam manifestum ecclesiæ præfatæ, ac totius Italiæ præjudicium sub dissimulatione transire, ac inhærentes vestigiis felicis recordationis Clementis Papæ V. prædecessoris nostri qui contra eosdem Venetos pro eo, quia præfatam Romanam ecclesiam possessione civitatis prædictæ Ferrariensis spoliaverant, & civitatem ipsam occupaverant, atque occupabant, excommunicationis, interdicti & anathematis, ac æternæ maledictionis nec non privationis, & inhabilitationis ecclesiasticas sententias, censuras, & pœnas apud Avinionem in cœna Domini promulgavit, & brachium sæculare invocavit, eorum bona omnia capientibus in prædam concessit, ac voluit eos fieri servos capientium eosdem; prout in ejusdem prædecessoris literis plenius continetur, licet absque alia monitione, & ulteriori dilatione juste possimus animadvertere in eosdem Venetos, qui Italicam pacem violare, & Ferrariam nostram invadere contra priores, & in cœna Domini publicatas alias nostras literas prædictas præsumpserunt, & repetitis literis nostris moniti, & requisiti, ut desistant, id facere aperte denegarunt, & denegant, bellumque ipsum prout ex decreto, ac statuto prosequendum esse scripserunt, prosequuntur; nihilominus volentes de solitæ sedis apostolicæ benignitatis affectu adhuc experiri, si aliqua in eis scintilla devotionis, & obedientiæ remanserit, & eos, ut oves errantes, ad ovile humilitatis humeris reportare ac summi Dei exemplo in benigniorem partem inclinare, habita super his cum præfatis fratribus nostris deliberatione matura, de illorum consilio præfatum Joannem Mocenico ducem, & tam rogatorum, quam generalis nuncupati consilii consiliarios, ac commune Venetiarum universaliter, & singulariter singulos eorumdem consiliorum, & communis cives, ac qui exercitus eorum contra civitatem præfatam Ferrariensem, immo contra nos, & præfatam ecclesiam provveditores existunt, & quorum nomina, & cognomina, ac designationes opportunas pro expressis habemus, cives Venetiarum, nec non qui ejusdem exercitus ductor, & capitaneus fuit, & est, Robertum de S. Severino, omnesque & singulos, qui in locis ditionis dicti Herculis ducis aliquod gerunt officium, seu immorantur nomine eorumdem Venetorum, & quoscumque alios, qui eisdem duci, consiliariis, & communi ad hujusmodi belli prosequutionem præstant quomodolibet auxilium, consilium, vel favorem, directe vel indirecte, publice vel occulte, eorumque complices,

Clementis V. edicta in eos instaurata.

Monita duci & singulis magistratibus data.

& adhærentes existunt, cujuscumque status, gradus, ordinis, & præeminentiæ sint, ac quacumque dignitate, & authoritate præfulgeant, præfata authoritate hortamur in Domino, requirimus, & monemus, ac ipsis, & cuilibet eorum per hæc apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus infra quindecim dies post affixionem præsentium in valvis basilicæ Principis Apostolorum de urbe immediate sequentes, quorum quinque pro primo, quinque pro secundo, & reliquos quinque pro ultimo, & peremptorio termino canonica monitione præmissa eis, & cuilibet eorum assignamus, dux, consiliarii, commune, providitores, capitaneus, & alii, qui pro eis in dictis locis immorantur a belli hujusmodi ulteriore prosecutione, & omni hostili incursu in locis dictionis dicti Herculis desistant, occupata per eos dicti ducis castra, terras, & loca quæcumque cum suis juribus, & pertinentiis, & quæcumque alia bona, & jura, quæ dictum Herculem, ducem, & loca suæ ditionis contingere quomodolibet dignoscuntur, præfato Herculi duci plene & integre restituant, ac revocatis exinde, & exclusis eorum gentibus & armigeris, ac cunctis, per quos infestantur, & detinentur, ea omnia dimittant & dimitti faciant vacua & libera & penitus expedita, ita ut Hercules dux præfatus quocumque eorumdem Venetorum impedimento sublato comitatum, districtum, castra, & loca ipsa possidere valeat libere, pacifice, & quiete, prout facere solitus erat ante propugnaculorum erectionem prædictam, nullam super illis, vel eorum aliquo præfato Herculi duci molestiam seu violentiam illaturi deinceps: consultores vero, auxiliatores, adhærentes, complices, & sequaces a præstatione auxilii, consilii, vel favoris hujusmodi omnino cessent.

Ferrariensis agri libera possessio Herculi duci restitui jussa.

XVI. Et si dux, consiliarii, commune, providitores, capitaneus, immorantes, consultores monitioni, & mandato nostris hujusmodi infra dictos quindecim dies non paruerint cum effectu, in eosdem Joannem Mocenigo ducem rogatorum, & generalis consilii consiliarios, ac alias singulares personas communis præfati Venetiarum, nec non providitores, capitaneum, immorantes, fautores, consultores, adhærentes, complices, & sequaces, ac quemlibet eorum, qui sic non paruerint, aut ut non pareatur seu pareri differatur consuluerint, suaserint, fecerint, dixerint, vel procuraverint, seu alias qualitercumque in hoc culpabiles fuerint directe vel indirecte, tacite vel expresse, ex nunc prout ex tunc de eorumdem fratrum consilio majoris excommunicationis sententiam promulgamus, & eos illam incurrere volumus eo ipso, a qua, præterquam in mortis articulo constituti, ab alio quam Romano Pontifice, etiam prætextu cujuslibet facultatis cuicumque pro tempore desuper concessæ, nequeant absolutionis beneficium obtinere, ita ut si quem eorum, tanquam in tali articulo constitutum, absolvi contingat, qui postmodum convaluerit, in eandem excommunicationis sententiam reincidat ipso facto, nisi post convalescentiam monitioni, & mandato nostris prædictis paruerit cum effectu: & si moniti, & excommunicati præfati dictam excommunicationis sententiam per alios tres dies dictos quindecim dies immediate sequentes animo, quod absit, sustinuerint indurato, sententiam ipsam aggravamus, & ex nunc prout ex tunc Venetiarum, Paduanam, Veronensem, Vicentinam, Brixiensem, Tarvisinensem, Pergamensem, reliquasque a Venetis præfatis tentas, & possessas civitates, terras, castra, & loca quæcumque citra, & ultra mare, ac in maritimis insulis consistentia, & generaliter loca quæcumque, etiam ab eisdem Venetis non possessa, ad quæ aliquem eorumdem excommunicatorum declinare contigerit, quandiu in illis permanserit, & triduo post recessum ejusdem, ac, quæ in illis sunt, ecclesias, & monasteria, ac religiosa, & pia loca quæcumque de eorumdem fratrum consilio præfata auctoritate ecclesiastico subjicimus interdicto: ita ut illo durante in illis, etiam prætextu cujusvis etiam apostolici indulti, personis, ordinibus, vel locis concessi, præterquam in casibus a jure permissis, & etiam in illis alias quam clausis januis, ac excommunicatis, & interdictis exclusis, nequeant missæ, & alia divina officia celebrari. Si vero moniti excommunicati, & interdicti præfati per alios tres dies dictos ultimos tres dies immediate sequentes ad cor reverti, occupata restituere, & a bello desistere, ac nostris monitioni, & mandatis prædictis obsemperare distulerint, & in sua voluerint cordis duritia, & perversa obstinatione permanere, eos & quemlibet eorum reaggravationis, anathematizationis, & æternæ maledictionis, ac perpetuæ damnationis cum Dathan, & Abiron, quos vivos terra absorbuit mucrone ligamus, & irretitos esse decernimus ipso facto, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnat. dominicæ MCDLXXXIII. x. kal. junii pontific. nostri an. XII.

Expiandi criminis potestas in re Ferrariensi reservata Pontifici.

Dictio Veneta ecclesiastico interdicto mulctata.

XVII. Imploratа adversus Venetos Regum auxilia.

Transmisit (a) judiciarium hoc edictum in Venetos Sixtus ad Fridericum Imperatorem, ad Reges Galliæ, Hispaniæ, Pannoniæ, Angliæ, & Lusitaniæ, ad septemviros Germaniæ, aliosque principes, ut illud promulgandum in sua ditione curarent; tum eos adhortatus (b) est, ne præ-

(a) Lib. brev. ann. 12. p. 597.
(b) Ib. p. 617. 620. 622. 623.

præsidio Romanæ ecclesiæ deessent, conquestus (a) gravissime Venetos, Cardinales & præsules suæ nationis a Romana curia revocasse, quo argumento extant hæ ad Maximilianum archiducem Austriæ missæ literæ.

(a) Sup. p.617.

*Maximiliano.*

Veneti occupandæ Ferrariæ inhiant.

*Dilecte fili salutem, &c. Intellexisse debet nobilitas tua, quo studio, quibus persuasionibus institerimus apud Venetos, ut nobiscum, & cum reliquis Italiæ potentatibus consentire vellent in mutuam pacem ob publicam Christiani nominis utilitatem, vellentque desistere ab iniqua civitatis nostræ Ferrariensis oppugnatione, qua in re cum nihil profecerimus, sed tumida, & superba ab eis responsa acceperimus, ut, quod animo conceperunt, non solum Ferrariam, sed etiam alias Italiæ partes occuparent, devenimus ad ea remedia, ad quæ felicis recordationis Clemens prædecessor noster in eo ipso casu adversus Venetos devenit, ut intelligas non incipere nunc immoderatam Ferrariæ subjugandæ Venetorum libidinem. Itaque de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium bullam censurarum adversus Venetos ipsos edidimus, quam ad nobilitatem tuam mittimus hortantes, ut per omnia dominii tui loca publicari, & observari eam facias, nisi enim tantæ audaciæ, & superbiæ occurratur, verendum est, ne ex Ferraria ad cæteras Italiæ civitates, & demum ex Italia ad transalpinas nationes virus hoc serpat, neque solum temporaliter ecclesiam offendere non verentur, sed etiam spiritualiter, quandoquidem gravi edicto omnes eorum Cardinales, prælatos, cæterosque ecclesiasticos ditionis suæ homines ex Romana curia ad se revocarunt insurgentes adversus Dominum, & adversus Christum ejus. Erit igitur officii tui, qui de Ecclesia Dei tanquam catholicus princeps benemeritus es, ambitiosæ huic dominandi cupiditati resistere, repellere fictas eorum obloquutiones, adesse sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ totis viribus tuis, & præsidio, sicuti sane confidimus, quod non solum tibi immortalem apud omnes gloriam, sed etiam apud Deum meritum allaturum est. Dat. Romæ die XIII. junii MCDLXXXIII. pontificatus nostri anno XII.*

Districtæ in eos censuræ.

Ut inique ecclesiasticos e Rom. curia ad se revocent. Concitatus in ipsos Maximilianus.

XVIII. Moniti porro officii Veneti abjecta censurarum religione, aliarumque pœnarum acerbitate cœpto non destitere, sed a Pontifice ad concilium œcumenicum provocarunt: quo acerrimo telo plures principes usos alias vidimus ad defugiendam ecclesiasticam severitatem, ad quos coercendos ausus, cum flexu iniquorum temporum magis ingravescerent, sedisque Apostolicæ majestas obsolescere videretur, Pius II. in conventu Mantuano tantum facinus ausuros anathemate jam ante perculserat: cujus vestigia sectatus Sixtus accepto de ejusmodi Venetorum appellatione nuntio, edito diplomate (b) demonstravit, Apostolicam sedem, & in ea sedentem universis conciliis authoritate antecellere.

Non absistunt a cœptis Veneti.

(b) Ext. in dict. lib. typis cuso Romæ ann. 1607. sign. lit. C. III. n.43.

*Sixtus episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.*

*Cum superiori anno Veneti nostrum Ferrariensa territorium hostiliter invasissent, & a nobis, ut desisterent, moniti & instantissime sæpius requisiti, se id non belli gerendi, sed pacis habendæ causa, & pro jurium suorum conservatione agere affirmarent, ac bellum continue acrius prosequerentur, & adeo ultra processissent, ut de Ferrariensis civitatis occupatione in brevi dubitaretur; ne tam longa mora nostra qui in illorum verbis confidebamus, Romanæ ecclesiæ damnosa foret, ipsique eorum voti compotes fierent, Ferrariensi civitati prædictæ, ne occuparetur ab eis occurrere etiam cum gentibus nostris armigeris, & alias, prout fas & possibile fuit, ac tenebamur, curavimus, & universali in Italia pace inter aliquos illius potentatus per nos composita, eisdem Venetis, ut a bello prædicto Ferrariensi desisterent, & pacem ipsam, quam nos ut inæstimabile bonum fidei catholicæ ardenti desiderio ad effectum deducere curaveramus, amplecterentur, conditionibus eorum & statui, & potentatui convenientibus, repetitis nuntiis, & literis persuadere, & eos saluberrimis paternis monitis ab eorum belli proposito ad tramitem rectitudinis revocare ardentius non cessavimus. Cumque expectatis pluribus mensibus nostris persuasionibus obtemperare nullatenus velle, & bellum ipsum Ferrariense contra nos & Romanam ecclesiam omnino prosequi decrevisse responderent, ne quid omitteremus de iis, quæ nostro incumbunt officio, eosdem Venetos, quos ob invasum Ferrariense territorium prolatas in id facientes, nominatim in cœna Domini, per nos, & prædecessores nostros Romanos Pontifices ecclesiasticas censuras, & pœnas incurrisse notorie constabat, ut jure optimo facere potuissemus, censuras ipsas incurrisse minime declaravimus, sed ut mitius ageremus cum eisdem nostris patentibus literis eos, ut a bello prædicto tam injusto desisterent, & occupata restituerent denuo monuimus, & requisivimus, ecclesiasticas, quas facti qualitas exigebat, sententias, censuras, & pœnas proferentes in eos si nostris, ut debebant, tam sanctis tamque justis non obtemperarent mandatis.*

Commoniti iterum officii.

XIX. *Ipsi vero quanto mitius processimus contra eos, tanto magis excedere non formida-*

runt, nam non solum monitionibus, & mandatis prædictis obtemperare, aut præfixi eis ad id termini prorogationem petere, & de parendo spem dare non curarunt; immo spiritu rebellionis assumpto, accersitis in eorum ducali palatio nonnullis prælatis ecclesiasticis tunc Venetiis commorantibus, coram eis, ut honestis personis a monitionibus, & mandatis hujusmodi nostris ad tribunal omnipotentis Dei, & ad id, quod de proximo celebrari debere temere affirmare non erubuerunt, futurum generale concilium appellare, & ut appellatio ipsa per eosdem prælatos reciperetur, laudaretur, & admitteretur, ac tandem ad nostram deduceretur notitiam procurare, & Christifidelibus clero, & populo cujuslibet civitatum, terrarum, & locorum eorum ditioni obtemperantium, quod prætextu appellationis hujusmodi monitionibus, & mandatis nostris obtemperare non tenerentur, nihilque contra eos hujusmodi prætensa eorum appellatione pendente posse aut debere innovati persuadere, & eorum animas hujusmodi falsis persuasionibus illaqueare non formidarunt in hujus sanctæ sedis Apostolicæ auctoritatis contemptum, perniciosum exemplum, & scandalum plurimorum. A quibus omnibus Veneti prædicti profecto, ut credimus, abstinuissent, si considerassent attente eam, quæ apud nos in B. Petro a Domino nobis concessa ligandi atque solvendi juxta meritorum exigentiam plenitudo residet potestatis, qua non extollimur ad superbiam, sed ad providentiam excitamur: & illius exemplo, qui omnes salvat, & neminem vult perire, libentius utimur ad solvendum quam ligandum; & voluissent diligentius intueri qua facta nostra prosequi perfectione velimus, quodque eos, ut peculiares Romanæ ecclesiæ filios semper gessimus in visceribus charitatis, & gratiis, ac favoribus prosequi non cessavimus.

Provocationis ad Concilium diffugia iniqua captant.

XX. Nos igitur, qui disponente Domino, qui nos unxit oleo lætitiæ præ consortibus nostris, in eo sumus officio constituti, ut singularum animarum saluti consulere, justitiam colere & iniquitatem odire debeamus, attendentes quod de minoribus ad majores judices dumtaxat appellare legalis permittit auctoritas, & propterea inhibet ab imperiali, & præfato prætorio judicio appellari, & quod non homo, sed is dumtaxat, qui solo verbo fecit cælum & terram, Apostolicam sedem, & in ea sedentem prætulit universis etiam conciliis, quæ ab ea robur accepisse sanctorum patrum decreta testantur, & etiam Gelasius Papa contra Acacium Fausto legato scribens, dum ait: Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluere deferri, ab ipsa autem nunquam appellari debere, & ipsam de tota Ecclesia judicare; de ipsius autem judicio nunquam judicari senserunt. Et dum scribit ad orientales episcopos dicens: sedem prædictam nulla synodo præcedente solvendi quos synodus inique damnaverat, & damnandi quos oportuit, nulla existente synodo habuisse facultatem. Testantur etiam quamplurimorum antiquorum conciliorum epistolæ, in quibus verba illa apponuntur: Salva in omnibus Apostolicæ sedis auctoritate; & quod de iis, & quamplurimis aliis juribus, & canonibus, ac auctoritatibus piæ memoriæ Pius Papa II. prædecessor noster dudum de fratrum suorum S. R. E. Cardinalium, & prælatorum, ac jurisperitorum tunc Romanam curiam sequentium consilio in conventu Mantuano auctoritate apostolica in perpetuum valitura constitutione; omnes qualiscumque appellantes a Romano Pontifice canonum transgressores, & illos ex eis, qui ad non indictum nec congregatum concilium appellare præsumerent, aliud caput in Ecclesia Dei, ac imaginarium majus, & sublimius tribunal confingentes contra Apostolum dicentem: Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod Christus instituit, hujus sanctæ sedis primatum negare, Ecclesiæ unitatem dividere, non unum solum privilegium eidem Ecclesiæ adimere, sed præcipuam principalem dictæ sedis auctoritatem, quam & vox Christi & majorum traditio, & canonum fulcit auctoritas, penitus subvertere non verentur, præ cæteris detestabiliores esse, & eorum appellationes hujusmodi quacumque occasione interponerentur non solum irritas, & inanes, sed fraudolosas & sacrilegas, & hæreticas esse declaravit; ac statuit nulli cujuscumque status, ordinis, vel conditionis existeret, licere deinceps pro quacumque causa a sede Apostolica, præsertim sub hoc prætextu nominis futuri concilii, appellare, aut hujus appellatione uti, & innixi sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, a qua a nemine absolvi possit, præter quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo constitutus: & voluit omnes adhærentes appellationibus eisdem, procuratores quoque, sindicos, & alios quoslibet alio nomine appellantes simili sententiæ subjacere: notarios vero, & scribentes, dictantes, & testificantes in eis, aut consilium præstantes, vel favorem, ultra anathematis pœnam, perpetua notari infamia, & advocationis, procurationis, & notariatus officiis fore privatos; & si in hujusmodi excommunicationis sententia per annum persisterent tanquam de hæresi, & schismate suspectos ab omnibus haberi, & reputari; & contra eos ut tales juxta canonum præcepta procedi, prout in eadem constitutione latius continetur.

Appellationis iniquitas demonstrata.

Ut eam editoris inflictum sit anathema.

Suspecti sint iidem schismatis & hæreseos.

Ex

XXI. *Ex quibus manifeste infertur, quod hujusmodi eorundem Venetorum appellatio eu eo quia a Romano Pontifice non appellatur, est ipso facto nulla: & quia ad fictum, & imaginarium concilium interposita fuit sacrilega, & abhorrenda extitit, & ut ad tribunal omnipotentis Dei interposita per eos sustineri non potest, nisi alterum de duobus affirment, videlicet vel omnipotentem ipsum B. Petro Apostolorum principi, & per eum ejus successoribus omnimodam potestatem in terris non tradidisse, & aliquid de ea retinuisse, vel quod a vicario ad eum, cujus vices gerit, cujusque unum & idem est tribunal, valeat appellari, quorum primum hæreticum, aliud vero a sacris canonibus alienum esse nemo ambiget. Et non minus considerantes, quod si Veneti præfati non appellassent, sed concessa gravatis a Romano Pontifice via nos supplicandi, aut in integrum restitutionem a nobis petendi usi fuissent, nihilominus eu seu causis in eorum prætensa appellatione prædicta deductis, quæ si recte procederetur ad unum reducuntur, videlicet quod ob pacta eis non servata a duce Ferrariensi nobis consentientibus bellum ei indixerunt, & quæsita in eo bello, utpote licito ad eos pertinent exaudiri nullatenus deberent, cum causæ ipsæ a facti veritate, & juris dispositione sint penitus alienæ: nam ut eu nostrarum literarum, per quas moniti fuere, lectura evidenter apparet, dux ipse Ferrariensis pacta servare, & nostræ ordinationi desuper parere sæpius obtulit, & ad bellum ipsum penitus nobis insciis deventum extitit, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCCLXXXIII. id. julii pontificatus nostri anno XII.*

XXII. Obfirmati contra hæc imperia Veneti, missis in Gallias & Hispanias oratoribus, Reges adversus Sixtum incitare pertentarunt (*a*), ut ad regiam authoritatem confirmandam pontificiam eliderent, provocationique ab sede Apostolica ad concilium assentirentur: sed eorum conatus non profuere: immo Ludovicus Francorum Rex eam a Sixto in Venetos sententiam in solemni hominum frequentia promulgari jussit: quo nomine plurimas illi Pontifex per apostolicas literas gratias egit (*b*), perque sanctissimum virum Franciscum Paulanum sacri Minimorum ordinis conditorem, cui etiam provinciam dedit (*c*), ut Regem hortaretur, ne venientem ad se Venetum oratorem audiret, donec pontificii & fœderatorum principum oratores ad aulam regiam pervenissent.

(*a*) *Lib. brev. an. 12. p. 739. & an. 13. p. 2.*
Veneti trahere nituntur Gallos ut valere appellationem ad Concilium contendant. Gall. Rex Pontificiis decretis parendum decernit.
(*b*) *Lib. brev. an. 12. p. 738.*
(*c*) *Ib. p. 739.*

*Fratri Francisco de Paula.*

*Dilecte fili salutem, &c. Agimus majestati regiæ gratias, quod bullam censurarum contra Venetos editam tam benigne in regnis suis publicari mandavit, super quo etiam volumus, ut tu nostro nomine, quando eum illius majestate eris, itidem facias, & gratias illi agas, eamque horteris, ut si orator Venetorum, qui istuc venturus dicitur, justificationes nostras mendaciis, & oblocutionibus refellere volet, ne audiatur, aut fides ei adhibeatur, vel saltem nulla capiatur deliberatio, donec nostri, & confœderatorum nostrorum oratores, quos missuri propediem sumus, istuc perveniant, qui etiam justitiam nostram aperient, & majestatem regiam plenius informabunt: constitutiones vero tuas confirmabimus, & de hoc bono sis animo. Prosequere modo, & Deum pro incolumitate ejusdem Regis ora, sicut nos hic fieri facimus, & ad venerabilem fratrem archiepiscopum Turonensem scripsimus, ut per totum Franciæ regnum idem fieri faciat. Dat. Romæ die XVI. augusti MCCCCLXXXIII. pontificatus nostri anno XII.*

S. Franciscus de Paula rogatus ut Gallo Regi pontificiam causam contra Venetos exponat. Indictæ pro regia salute in Galliis preces.

XXIII. Hispaniarum etiam Reges præmonuit (*d*) Sixtus, ut adversariorum obtrectationibus aures clauderent, tum apud plures principes de illata Romanæ ecclesiæ vi atque injuria gravissimas querelas fudit (*e*): *Nemo est*, inquit, *qui non cognoscat illos*, id est Venetos, *miserabili libidine trahi ad occupandum Italiæ dominatum, & injusta nefariaque arma movisse contra Ferrariam Romanæ ecclesiæ civitatem propria authoritate, spreto omnino judicio, quod illis offerebatur ad dicendum si quid esset differentiæ inter eos, & ducem ipsum Ferrariæ: quæ quoniam ita aperta sunt, ut nulla possint tergiversatione celari, superfluum est nos in hoc esse longiores. Dat. XXX. octobris anno MCCCCLXXXIII.* Hæc Sixtus (*f*): cum Veneti non modo Ferrariam oppugnarent, verum immissa classe Galliopolim aliasque arces in regno Neapolitano in potestatem suam redegissent, junctisque (*g*) sibi fœdere Genuensibus etiam adversus Insubrem majora molirentur: ad quorum infringendos conatus de comparanda omnium fœderatorum sumptibus ingenti classe actum est (*h*).

(*d*) *Lib. brev. an. 13. p. 2.*
(*e*) *Lib. brev. an. 12. p. 756. & lib. brev. an. 13. mens. octob.*
Iniqua arma a Venetis mota demonstratum.
(*f*) *Sabellic. ennead. 10. l. 7.*
Neapolitana littora infestata a Venetis.
(*g*) *Lib. brev. an. 12. pag. 678.*
(*h*) *Ib. p. 461. & p. 1.*

XXIV. Instructam aliam habebat Ferdinandus Rex Neapolitanus classem, triremium quinquaginta, cui Fredericum filium præfecerat: is vero cum Anconitanum portum insedisset; atque Venetis metum attulisset, ne ex ea statione infestiora omnia Venetis redderet, ille in Dalmatiæ oras irrupit, ac Lyssam insulam ferro populatus est & igni: sed cum illo procul agente ditio pontificia Apuliaque hostium excursionibus maritimis pateret, Sixtus Ferdinandum monuit (*i*), ut classem e Dalmatia ad Piceni & Apuliæ oras tuendas revocaret; Mediolanensem ursit (*k*), ut in

Classis a Ferdin. instructa in Venetos.
(*i*) *Sabell. en. 10. l. 7.*
(*k*) *Sixt. lib. brev. an. 12. p. 683.*

In-

(a) Ib. p. 678. & & 511.
Plura hostilia in eos exercita.
(b) Pag. 592.
(c) Pag. 652.
(d) Sixt. lib. brev. an. 13. mens. novemb.
(e) Ib. 30. decemb.

Insubria Venetos adoriretur: Panormitanos etiam adhortatus est, ut eosdem mari oppugnarent (a); denique Venetorum mercatorum bona prædæ exposuit (b). Inter quæ hostilia agitata sunt plura de pace concilianda colloquia, pioque componendæ pacis desiderio permotus accessit ad Sixtum Antibarensis archiepiscopus, ac mense novembri ad Venetos dimissus (c), ut paci redintegrandæ operam navaret: quem exeunte hoc anno Pontifex ad studium omne in perficienda concordiæ reconciliatione collocandum adhortatus (d) est, ut vero Sixtus (e) sat tolerabiles & honestas pacis leges a Venetis oblatas aspernatus sit fœderatorum spe fultus; fœderati autem eo inconsulto ingratas ac turpes ipsi sanxerint, proximo anno dicetur: sed a Ferrariensi bello ad Senensium civiles tumultus digredimur.

XXV.
Senia gravissimæ factiones ortæ.

Nullius principis subditi imperio Senenses urbis principatum, & honorum fasces singuli exambiebant, hinc inter æmulos accensæ iræ; & factiones libertatis imperiique cupidos in tetrum servitutis genus, quo misera urbs partim suis orbata civibus in exilium pulsis, partim aliorum sanguine fœdata est, conjecerunt. Decretum ad concordiam Senis restituendam Cardinalem tituli S. Cæciliæ refert Jacobus Maffeus Volaterranus (f): *Ad diem, inquit, XIV.* nempe februarii hujus anni, *legatus ad comprimendos Senenses motus designatur Cardinalis Melphitensis.* Confugisse eos ad Pontificem, ac præsulem ab eo mitti flagitasse, qui pontificio nomine discordias compesceret, ensesque strictos a miserorum cervicibus averteret narrat Sixtus in literis ad eumdem Cardinalem datis (g) die sexta martii.

(f) Volat. diar. ms. arch. Vat. sig. n. 49. & 111.
(g) Lib. brev. an. 12. p. 406.

XXVI.
Civium sanguis immaniter fusus. Legatus ad cives conciliandos decretus.

Profectus Senas legatus ardentem odiis populum mitigare non potuit, concitataque seditione in ejus conspectu nonnulli cives contrucidati sunt; ex quo magno dolore affectus abscessit. At Pontifex tollendi mali cupidus legatum redire Senas jussit: nec abnuit ille, modo cruori parceretur, quare Sixtus paternis literis (h) Senenses monuit, ne sævirent in proximos præsente legato, qui urbis statum compositurus esset,

(h) Ibid. p. 476.

*Senensibus.*

XXVII.

*Discessit legatus justo percitus dolore, cum videret neque exhortationibus, neque precibus, neque protestationibus ullum apud vos locum esse: tamen tanta est charitas nostra erga populum Senensem & libertatis, & quietis illius conservandæ desiderium, ut sis non obstantibus legato statim mandaverimus ad vos reverteretur, qui nullum laborem recusans mandatis nostris obtemperare perseveravit, modo promitteretis in nullum civem amplius sævire, aut pati ut sæviretur, ut dignitati Apostolicæ sedis consuleretur, quæ legatos hujusmodi tamquam pacis angelos non ad crudelitatem, sed conservationem civium, & concordiam mittere solet. Rescripsistis autem ipsi, non posse vos hoc promittere, ut qui popularem tumultum continere posse diffidatis, si quid plebes furoris excitaretur: quod certe nobis summo dolori fuit, considerantes imminentem civitati illi calamitatem & ruinam, nisi prudentia & sapientia vestra occurratur, quos hortamur ut conservationi vestræ diligenter invigilantes velitis procurare ea, quæ pacis sunt, non quæ majora discordiæ alimenta præbere possunt. Si cautionem præstiteritis legato, ne in aliquos sæviatur libere reverteretur ea perfecturus, quæ feliciter, & pacifice incœpit. Si vero animus vobis est effundendi civilem sanguinem, non patitur Apostolicæ sedis dignitas, ut tamquam speculatores, & inspectores cædis cujusquam legatos mittat, erimusque apud Deum, & homines excusati per nos non stetisse, quin omnia malis vestris adhibuerimus remedia, &c. Dat. Romæ die XI. aprilis MCCCCLXXXIII. pontificatus nostri anno XII.* Hactenus de rebus Italicis.

Redire jussus a Pont.

Senenses ad mutuam solicitati pacem.

Nunc ad S. Franciscum Paulanum Italiæ lumen, a quo digressa est narratio redeamus. Efflorescebat hoc tempore ejus sanctitatis gloria, nec modo Calabriam omnem, in qua novæ religiosæ familiæ fundamenta jecerat, verum & Gallias ingentium ab eo editorum miraculorum fama pervaserat, qua Ludovicus Francorum Rex, qui diuturno ingravescenteque morbo languebat horrebatque metu mortis, recreatus erectusque in spem recuperandæ cœlesti ope valetudinis, Pontificem interpretem adhibuit, ut virum sanctum in Gallias alliceret. Sixti igitur hortatu & imperio longinquum iter sanctus senex hoc anno ingressus est, Gallias sanctimoniæ suæ radiis collustraturus, novoque religioso ordine decoraturus: quem a Ludovico Rege nixo genibus, & venerabundo exceptum, refert Philippus Comineus (i), de cujus ad Regem accessu eidem viro sancto Pontifex gratulatus est (k) ipsumque adhortatus, ut pro impetranda illi a divino Numine sanitate preces funderet.

B. Franciscus Paulanus miraculorum fama clarissimus.

Gall. Rex pro eo in Gallias palliciendo interpretem Pont. adhibet.

(i) Comin. l. 6. c. 9.
(k) Lib. brev. an. 12. p. 594.

*Francisco de Paula.*

Sixti ad S. Francicicum de Paula lit.

*Dilecte fili salutem, &c. Intelleximus te pervenisse incolumem ad regiam majestatem, quod nobis summopere placet: & quoniam vehementer desideramus, ut ejus serenitas eum fructum, quem speravit, de tuo illuc adventu sentiat, volumus ac tibi in virtute sanctæ obedientiæ strictissime* præ-

*præcipiendo mandamus, ut omni cura, studio, & diligentia intendas ad recuperationem incolumitatis majestatis suæ, & nihil in hoc prætermittas Deum rogando, & omnia alia remedia adhibendo, quæ ad prosperam illius valetudinem pertinere quoquo modo possint, non obstantibus quibuscumque persuasionibus, quæ tibi forsan ab aliis factæ essent in contrarium. Nos quoque non desinimus ad ipsum Deum crebras preces effundere, ut celsitudinem suam mediantibus orationibus tuis in bona dispositione, & incolumitate conservet, quam nos pro nostra in eum benevolentia maxime optamus. Dat. Romæ die 11. junii MCDLXXXIII. pontificatus nostri anno XII.*

Jussus pro Galli Regis valetudine Deum orare.

XXIX. Non hæc modo Sixtus sancto seni dedit mandata, sed etiam anathematis terrore objecto illum ad orandum Deum pro Gallo Rege obstrinxit, de quibus Gallum valetudinis cupidissimum exaratis eodem die literis (*a*) fecit certiorem.

Ni Deum oraret objectum viro sancto anathema.

(*a*) *Ib. p.* 594.

*Regi Franciæ.*

*Charissime in Christo fili noster. Quoniam celsitudinis tuæ incolumitatem, & felicem statum semper optavimus, & optamus, mandamus dilecto filio Francisco de Paula, quem ad te venire jussimus per duo brevia allegata, in altero in virtute sanctæ obedientiæ, in altero sub excommunicationis pœna, ut omni cura studio, & diligentia Deum orare non desinat pro bona dispositione, & optimo statu celsitudinis tuæ non obstantibus quibuscumque persuasionibus, quæ forsan ei in contrarium ab aliis factæ essent. Itaque poterit majestas tua alterum ex ipsis brevibus, quod sibi magis videbitur, ipsi fratri Francisco reddere. Nos quoque non omittimus ipsi Deo supplicare, ut celsitudinem tuam in ea, quam desiderat, valitudine & felici regimine conservet, & manuteneat, etiam si aliud per nos contra hoc tibi faciendum videbitur.*

XXX. Concrediderat animam viro sanctissimo Ludovicus Rex, atque universos illi conscientiæ sinus expandebat, queruntur que Galli politici injecta nimia religione a S. Francisco Hispanis artibus subornato comitatum Ruffinonensem Aragonio restituisse (*b*). Restituit quoque Romanæ ecclesiæ Diensem & Valentinensem comitatus, atque in Hieronymum comitem Riarium nepotem pontificium transfundendos decrevit, qua de re actæ illi a Sixto (*c*) gratiæ.

(*b*) *Arnold. Perronius l.* 1.

(*c*) *Lib. brev. an.* 13. 1. *decemb.*

XXXI. Cum etiam Ludovicus Rex nonnulla vota nuncupasset, quæ facile complere non poterat, ea Sixtus in alia pia opera commutavit, quare a Ludovico ad ornandas urbis ecclesias nonnulla sacra munera transmissa fuere, ob quæ a Sixto commendatus est (*d*).

(*d*) *Lib. brev. an.* 12. *p.* 104.

*Regi Franciæ.*

*Charissime in Christo fili noster. Gratissimæ fuerunt nobis tuæ majestatis literæ, quibus gratias agit nobis de votorum suorum commutatione, & tuæ devotionis fervorem magnopere laudamus, quia jam ea, in quæ vota commutavimus, diligenter, & cumulate fueris executus, missis quingentis scutis ad basilicam principis Apostolorum de urbe pro illius tectorum, & ecclesiæ reparatione, & totidem in supplementum fabricæ B. Petri in monte aureo, quæ per dilectum filium nostrum Philippum tit. SS. Joannis & Pauli presbyterum Cardinalem Matisconensem fecimus tuo nomine præsentari, eidemque ordinavimus, ut curet ipsam pecuniam quam utillime expendi: conspicuum quoque & liberalissima devotione tua dignum calicis aurei donum, per te nuper ad sacrosanctam Lateranensem ecclesiam missum tanto libentius vidimus, quanto cognoscimus non solum tuam devotionem mirifice in dies augeri, sed continuis tuæ erga Deum, & sanctos pientissimæ liberalitatis exemplis cæteros ad divinum excitari cultum, & majorem devotionem accendi, ex quo tanto majoris id tibi apud Deum meriti est, & apud mortales laudis, & honoris. Dat. Romæ die v. martii MCCCCLXXXIII. pontificatus nostri anno XII.*

Galli Regis vota in pia opera commutata.

Calix aureus ab eodem donatus ecclesiæ Lateran.

Nonnullis etiam conscientiæ aculeis lancinatum ipsum fuisse ecclesiasticarum decumarum causa, ostendunt pontificiæ literæ datæ tum ad eundem Regem (*e*), qui ea de re Sixtum consuluerat; tum ad S. Franciscum (*f*), quem eos motus concitare vetuit. Proximo mense eundem sanctum virum ursit, ut Regiam valetudinem a Deo posceret, deque constitutis ab eo pro sancienda sodalitii sui religiosa disciplina legibus confirmandis spem auxit. Præterea obtinendæ a Deo Ludovico Regi sanitatis desiderio incensus Pontifex, piisque ejus votis obsecutus, sacras ad eundem reliquias misit die festo principum Apostolorum, quas religiose a Rege cultas refert Jacobus Volaterranus (*g*); haud tamen restitutum valetudini. De iisdem meminit Comineus, atque inter alia transmissum (*h*) linteum eucharisticum, in quo olim S. Petrus inter divina mysteria Christi corpus reponere consueverat, idque postea Romam revectum. XXXII.

(*e*) *Lib. brev. an.* 12. *p* 660.

(*f*) *Ib. p.* 661.

Sacræ reliquiæ ad Gall. Regem transmissæ.

(*g*) *Volat. ms. arch. vat. sig. n* 49. & 111.

(*h*) *Comin. l.* 6. *c.* 10. *Belcair. dec.* 1. *l.* 4. *n.* 23.

Licet vero ad sanctorum virorum repetitas preces optata sanitas arcano Dei consilio Regi reddita non sit, animæ tamen ejus saluti summo emolumento extitit consuetudo operaque B. Francisci, adeo ut qui ad mortis mentionem inhorrescere consueverat, denuntiationem illius constantissime exceperit, & sacris omnibus, quæ ad animam expiandam spectabant rite pro- XXXIII.

S. Franc. Paul. opera Lud. Rex pie vitam claudit.

procuratis, editaque pietatis insigni significatione sanus mente, & libera locutione animam Deo reddidit die sabbati uti expetierat Deiparæ, cujus cultui addictissimus fuerat, sacro, in ejusque templo, Cleriaci a se magnificentissime constructo, sepeliri voluit. Peracta Romæ sacra a Pontifice & Cardinalibus pro Rege Francorum XIII. septembris refert Volaterranus (*a*).

(*a*) *Volat. l.* 5. *ms. arch. Vat. sig. n.* 49. *&* III.

XXXIV. Succedit Ludovico Carolus filius.

Successit Ludovico Carolus filius ejus nominis octavus, quem ante obitum inunctum, Regemque salutatum videre optaverat (*b*): sed cum allatum Rhemense simpulum est jam animam agebat. Tyrannidis illum plerique insimulant, e quibus Belcairus (*c*) observat novi carceris auctorem eo maceratum fuisse: *Ferreas*, inquit, *suppliciorum ligneasque arculas hominis, & nonnihil amplius capaces extruendas curaverat, quarum architectus, aut certe inventor Virdunensis pontifex Perilli exemplo in primam conjectus continuos quatuordecim annos ibidem exegit*. At sub mortem errores suos agnovisse, atque hisce monitis Carolum filium successorem informasse narrat idem auctor: *Illis*, nimirum aulicis, *non nimis largiendo, & ab istis*, nempe plebeis, *non nimis exigendo te pariter omnibus æquum præstabis: æquitate regna crescunt atque confirmantur, tyrannica imperia cito dilabuntur, ac ruunt: Regem ex bono, & æquo imperantem non solum sui, ut communem parentem, amant, colunt, venerantur, sed finitimi quoque sibi asciscere cupiunt, seque sponte subdunt; tyrannum ut communem hostem, etsi metu interdum dissimulant, omnes pariter execrantur. Scio me & hic graviter deliquisse, atque ingentem in bella pecuniam præter jus, & æquum sæpenumero, & non consultis tribus ordinibus paterna licentia indixisse: verum si me superstitem aliquos adhuc menses Deus optimus maximus conservabit, huic malo etiam mederi, tributaque ex equitum stipendiis metiri, atque utraque veteri more exæquare: ne quidquam amplius exigatur destinavi, idque me facturum recipio, ac coram te, omnibusque quotquot hic adsunt, persancte profiteor. Liberorum autem est parentum virtutes æmulari, peccata sempiterna oblivione sepelire, ut finitimorum, Maximiliani vero in primis, quocum mihi continua prope bella fuerunt, amicitia fruaris*. Laudat (*d*) eum idem Belcairus, quod Christiana constantia Bajazetis legatos, qui ingentia munera deferebant, modo fratrem Zizimum diligenti custodia observaret, repulerit: *Turcicam legationem*, inquit, *in provinciam Narbonensem appulsam haud ultra progredi, sed Gallia statim excedere animo vere Christiano jussit, atque inauditam dimisit, nihil sibi cum immani tyranno Christiani nominis acerrimo hoste commune habendum ratus, quem utinam deinceps cæteri Galliarum Reges imitati fuissent, nec ipsa communicatione barbaros mores imitari, aut posteris suis imitandos proponere didicissent*.

(*b*) *Paul. Æmil. in Lud. X.*
(*c*) *Belcair. dec.* 1. *l.* 4. *n.* 17.

Monita a Ludovico data Carolo filio.

(*d*) *Id. n.* 23.

Repudiata a Lud. Turcarum amicitia & munera.

XXXV.

De Ludovici morte certior factus Sixtus maximo ex eo se dolore affectum esse Delphino significavit (*e*); æquo tamen animo ferenda quæcumque divino fierent consilio: tum pontificia pollicitus studia e sacro purpuratorum senatu legatum in Gallias mittendum decretum fuisse addidit, necnon præcepis salubribus ad sectandas virtutes regias erudivit.

(*e*) *Lib. brev. an.* 13. *p.* 2.

*Delphino*.

Consolatoriæ ad Carol. VIII. de patris obitu lit.

*Dilecte fili salutem, &c. Auditus est a nobis claræ memoriæ genitoris tui Ludovici Christianissimi Regis obitus magno dolore, quod cognoscimus quantum in eo jacturæ fecerit respublica Christiana, & nos præcipue, qui singulariter illum diligebamus, & ex cujus præclaris virtutibus magnum Apostolica sedes ornamentum suscipiebat, quæ tali orbata præsidio non potest nisi cum lachrymis tanti principis mortem prosequi: verum ut cogitationes nostras ad Deum erigamus, a quo omnia procedunt, neque possumus neque velle debemus ab illius voluntate dissentire, qui nos in hunc mundum deduxit, ut aliquando ab eo revocaret; quamobrem oportet nos moderato animo ferre quæcumque divinæ majestati placuerint, præsertim cum apertissime habeamus in quo merito possimus ægritudinem animi nostri consolari, quam ex illius obitu suscepimus. Mortuus est gloriosissimus princeps pater tuus ea laude, his rebus gestis, ea religione, ea pietate, ut de illius felicitate potius nobis sit lætandum, quam de morte contristandum: non enim solum tuos progenitores factis illustribus æquavit, sed etiam longe superavit, ita ut in vita hac nihil potuerit habere præstantius, in morte autem, ut accepimus, ita migravit ad creatorem suum, ut nihil fieri potuerit religiosius, quæ potius hortari omnes debent ad admirandum præclara illius vestigia, quam ad dolendum quod a nobis sit sublatus. Et ut ex latere nostro eam tibi consolationem afferamus, quam possimus, cum te in filium nostrum jamdiu susceperimus, ex patris tui commendatione, qui vivens protectioni nostræ te dedit, persuadeas tibi nos omnia promptissimo studio facturos, quæ spectent ad quietem, stabilimentum regni tui, ita ut patris officia in nobis desiderare non possis. Jam ex sacro collegio legatum aliquem designabimus ad te profecturum cum opportuna facultate, qui nostro nomine omnia peragat, quæ ad commo-*

Ludovici XI. elogium.

*modum, honorem, & conservationem tuam, & regnorum tuorum pertinere quoquo modo possunt, & si quid aliud supereris faciendum, non deerimus necessario præsidio, ut facile perspicere possis remansisse in filio, quam in patre habuimus dilectionem. Superest autem, ut te hortemur, & amanter moneamus, ut Deum ante omnia timeas, religionem colas, Apostolicam sedem præcipuo cultu venereris, ab oppressoribus eam tuearis, illius mandata reverenter suscipias, & exequaris: quod si facias, ut speramus, res tuæ semper prosperabuntur, & a vestigiis majorum tuorum, qui ex hac Christianissimum nomen consecuti sunt, non degenerabis. Dat. Romæ die* XI. *septemb. MCCCCLXXXIII. pontificatus nostri anno* XIII.

Salobria præcepta novo Regi data.

Turbida fuisse ejus regni initia tradunt authores (*a*), ac plures in querelas ob imposita a patre onera solvisse ora, quæ metus ante compresserat. Principes etiam, cum decimumtertium tantum ætatis suæ annum Carolus ageret, rerumque usu parum exercitus, de regni procuratione capessenda inter sese contenderunt. Ad quos motus sedandos Sixtus octavo octobris die Carolo significavit (*b*) legari in Gallias Joannem tit. S. Susannæ presbyterum Cardinalem, (qui paulo post episcopus Albanensis renuntiatus est) eodemque argumento datis literis (*c*) Britanniæ, Borbonii, Aureliani duces & Engolismæ comitem ad promovendos pios legati conatus est adhortatus.

Turbida Caroli VIII. regni principia.

(*a*) *Paul. Æmil. in Car. VIII. & alii.*

(*b*) *Lib. brev. an. 13. mens. octob. Volat. l. 5.*

(*c*) *Reg. post eand. ep.*

XXXVI. Obsoleverat porro in Gallia vitio temporum ecclesiastica disciplina: nam & præsules, abbates, ac sacerdotes licentiæ fræna laxaverant, venatui litibusque vacabant, immo & clericalem abjiciebant cultum, vel deformabant: de sacerdotiis orta controversia ad profana tribunalia provocabant; nec deerant, qui perperam de Apostolicæ sedis in conferendis sacerdotiis & dignitatibus authoritati detrahere non verebantur: aliæque irrepserant corruptelæ: ad quas tollendas, ecclesiasticæque dignitatis splendorem restituendum Sixtus Cardinalem legatum amplissima authoritate hoc diplomate munivit (*d*).

Ecclesiastica libertas in Galliis labefactata.

(*d*) *Lib. bull. 95. pag. 313.*

*Venerabili fratri Joanni episcopo Albanensi ad regnum Franciæ, & universas Galliarum partes Apostolicæ sedis legato.*

*Fraternitati tuæ per apostolica scripta committimus, & mandamus quatenus solum Deum præ oculis habens omnia, & singula præmissa, quæ reformationis, & correctionis ministerio, prout clare patet, indigere noscuntur secundum Deum, & canonicas sanctiones corrigere, reformare & emendare authoritate nostra procures, monendo omnes, & singulos tam archiepiscopos, quam episcopos, & alios prælatos, ac ecclesiasticos, & laicos prædictos, exemptos, & non exemptos, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ac etiam suarum dignitatum, & beneficiorum quorumlibet, quæ obtinent, privationis & aliis formidabilioribus, de quibus tibi expediens videbitur, sententiis, censuris & pœnis, ut de cætero a præmissis omnibus, & singulis debeant abstinere ac secundum canonicas sanctiones tam in habitu, quam in eorum vita, & moribus vivere, fugiendo venationes, & occupationes, deferendo in ecclesiis, & locis publicis roquetos, & mantellum, sive clocam, prout prælatos decet, devitando breves vestes cum corvectis, quæ habitus sunt laicorum, non incedendo cum roquetis discoopertis in præsentia superiorum suorum, & Cardinalium prædictorum, causas eorum in foro sæculari non tractando, de sede prædicta, & membris non obloquendo, nec de sedis Apostolicæ potestate judicando neque confirmationes electionum ad cathedrales, vel metropolitanas ecclesias, ac monasteria, & alias dignitates electivas hujusmodi contra reservationes apostolicas reservando, & alia, quæ juxta sacrorum canonum instituta ad honorem Dei, & ordinis clericalis augmentum, animarum salutem, & bonum exemplum Christifidelium necessaria, seu quomodolibet opportuna tibi videbuntur, gerendo, statuendo, faciendo, disponendo, & exequendo*, & infra, *plenam liberam, & omnimodam authoritate apostolica tenore præsentium tibi concedimus facultatem, &c. Addita sunt amplissima mandata, ut obnitentes contra censuris percelleret, regiaque vi implorata coerceret. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ MCCCCLXXXIII.* VI. *id. octobris pontificatus nostri anno* XIII.

Objectum anathema clericis decus clericale abjicientibus.

Ejusdem legati mittendi alia suberat causa extinguendorum (*e*) nimirum Gallos inter & Hispanos dissidiorum, instaurandique veteris fœderis, quo ea regna olim juncta fuerant. Geminam earum dissensionum occasionem attingit Elias Antonius Nebrissensis (*f*): nimirum Ludovicum XI. Regem, cum moreretur testamento jussisse Russinonis, & Ceretaniæ comitatus a Joanne Aragonensium Rege acceptos illius heredibus restitui, fidemque publicam solvisse missis literis ad arcium præfectos, ut earum possessionem in eos, quos Ferdinandus designasset transferrent, non tamen a Gallis paritum extincto Ludovico, sed consultum Carolum: a Ferdinando vero & Isabella postulatum de fœdere, respondisse sibi non constare quo jure possideret, atque an e possessione sibi cedendum foret, missurumque legum ju-

XXXVII.

(*e*) *Sixt. reg. 1. legation. p. 397.*

Gallos inter & Hispanos exorta dissidia.

(*f*) *Nebriss. l. 3. c. 1. & 2.*

jurisque peritos, qui causam omnem cum Hispanis jureconsultis disceptarent dirimerentque: at Hispanum extrahi rem non ferentem, exercitum in Russinonem immisisse: parte alia ad Navarram occupandam signa extulisse, ac Tutelam nonnullasque arces firmissimo præsidio munivisse (*a*), Obierat (*b*) enim ante Ludovicum Gallorum Regem Franciscus Phoebus illius nepos Rex Navarræ in ipso adolescentiæ flore non sine suspicione veneni, cui Catharina soror successerat, nupseratque Joanni Lebretensium principis filio: quod ægerrime ferebant Ferdinandus, & Isabella, qui illam Joanni primogenito jungi optaverant, ut regnum illud Castellæ adjungerent: temperarunt tamen postea ab hoc bello Hispani Reges, qui vires in Granatense regnum effuderunt (*c*) studio & hortatu Pontificis, qui Joannem Cardinalem Albanensem non modo in Gallias, sed etiam in Castellæ & Legionia regna legavit (*d*) hoc alio ad eum dato diplomate, ut emergentia dissidia comprimeret.

Navarra a Ferdinando affectata.

(*a*) *Id. c. 2. & Marian. l. 24. c. 22. & l. 25. c. 3. & 5.*

(*b*) *Nebris. sup. c. 2.*

(*c*) *Nebris. l. 3. c. 3.*

Concordiæ interpretem agit Sixtus.

(*d*) *Sixt. reg. 1. legat. 297.* XXXVIII.

*Fraternitati*, inquit, *tuæ principes tam spirituales quam temporales cujuscumque dignitatis, & excellentiæ, ac communitates, & singulares personas tuæ legationis hujusmodi, si opus fuerit, & ut præmissa perfectius subsequi valeant, ad pacem invicem, & mutuam charitatem inducendi, ac omnia, quæ propterea tibi necessaria videbuntur, nostro & præfatæ ecclesiæ,* nimirum Romanæ, *nomine promittendi, nosque & ecclesiam præfatam obligandi, securitates opportunas præstandi, & quæ propterea firmata & conclusa fuerint sub censuris & pœnis ecclesiasticis observari mandandi, ac omnia & singula alia, quæ in præmissis necessaria erunt, seu quomodolibet opportuna, juxta traditam tibi a Domino prudentiam faciendi, ordinandi, & exequendi eadem auctoritate concedimus facultatem. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ* VIII. *id. octobris MCCCCLXXXIII, pontificatus nostri anno* XIII.

Amplissimis ob id mandatis fultus legatus.

XXXIX. Licet amplissimis hisce imperiis a Sixto legatus fultus esset, tum ad quosvis sedandos motus, tum ad ecclesiasticam disciplinam suo restituendam nitori, novæ tamen turbæ excitatæ in Galliis a quibusdam ecclesiasticis cœtibus, in quibus decreti sunt nonnulli præsules, qui ordinis sacerdotalis clientelam gererent, ecclesiæque Gallicanæ mores perpoliendos, & corruptelas abolendas curarent: in quo licet pietatis aliqua affulgeret species, altius tamen rem penetranti Pontifici indignum visum est, alios tuendæ ecclesiasticæ immunitati, vel disciplinæ præfici in Galliis, cum id munus ad sedem Apostolicam spectaret; atque ideo ducem Borbonii, cui regni procurationem a Ludovico moriente commendatam refert Comineus (*e*), rogavit (*f*) ne quid novari permitteret, neque enim Gallicano clero pontificiam curam defuturam.

Orti in Gallia novi motus adversus pontificiam auctoritatem.

(*e*) *Comin. l. 5. c. 41.*

(*f*) *Lib. brev. an. 13. 24. decemb.*

*Duci Borbonii.*

*Intelligimus electos esse nonnullos prælatos in defensores, & reformatores ecclesiæ Gallicanæ: quod cum sit absurdum, & sacris canonibus, bonæque consuetudini repugnans, possitque ea res metus, & perturbationes excitare, & pessimo exemplo esse, hortamur nobilitatem tuam, ut suam in hoc pietatem, quemadmodum in aliis fecit & factura esse videtur, erga hanc sedem ostendere velit, & huic rei, & in cœpto maxime improbando obviare, ne locum habeat: ad nos enim spectat, si quid ecclesiæ Gallicanæ deest, providere, qui & possemus, & volumus opportune procurare, & agere, quæ necessaria ad illius defensionem essent, &c. Dat. Romæ die* XXIV. *decembris MCCCCLXXXIII, pontificatus nostri anno* XIII.

Defensores & reformatores ecclesiæ Gall. creati. Id munus solum ad sedem Ap. spectare contendit Sixtus.

XL. Præterea (*g*) cum Diensem & Valentinensem comitatus Ludovicus, ut religionis aculeos ex animo suo removeret, Sixto, ut paulo ante meminimus, restituisset, Delphinates senatus consulto eos principatus ad Gallicam coronam contra fas reduxerunt: quos cum censuris posset Sixtus juste percellere, clementia tamen usus ducem Borbonium rogavit, ut Romanæ ecclesiæ sua jura assereret.

(*g*) *Lib. brev. an. 13. 1. decemb.*

*Duci Borbonii.*

*Hortamur nobilitatem tuam, ut pro solita tua, & prædecessorum ad nos, & Ecclesiam devotione, & pro justitiæ debito, omnem tibi possibilem operam adhibere procures per nostrorum officialium, & castellanorum ad sua solita officia restitutionem, nec permittas tam gravem injuriam nobis, & præfatæ ecclesiæ illatam in regno Franciæ, cujus Reges, & incolæ hujus sanctæ sedis, & sedentes in ea cultores, & fautores semper fuere, impunitam transire; distulimus usque modo publicare quibus censuris ecclesiasticis qui talia fecerint, & eis ad id auxilium, consilium, vel favorem directe vel indirecte, tacite vel expresse præstiterunt, eorumque descendentes usque in tertiam generationem, ac loca dominii eorum censuris, & pœnis ecclesiasticis irretiti sunt juxta apostolicas constitutiones, non dubitantes Regem ipsum re hac intellecta eos, qui talia perpetrarunt, condigna animadversione puniturum in aliorum exemplum, & missurum ad Apostolicam sedem a censuris prædictis, injuncta eis pœnitentia, absolvendos. Alioquin expediens foret pro juris dictæ ecclesiæ tuitione ad opportuna a*

Rogatus Borbonius jus ecclesiæ tueatur.

*jure*

*jure & constitutionibus prædictis data remedia recurrere contra eos, qui talia fecerunt, & alios, qui cum possint, illa negligant emendare: quod tandem faciemus, quamquam non libenter, sed necessitate compulsi, ne nos præfatæ ecclesiæ sponsæ nostræ jura negligere videamur, qui alios in sua injustitia confovemus. Dat. Romæ die* I. *decembris MCCCCLXXXIII. pontificatus nostri anno* XIII.

XLI. Eduardi Regis Angl. obitus.

(a) Polydor. Virg. l. 24. in fine Philipp. Comin. l. 6. c. 9. Belcair. dec. 1. lib. 4. n. 19. & alii.

(b) Lib. brev. an. 12. p. 541.

Eodem anno quo Gallus, & Navarræus Reges obiere, vita functus (*a*) est Angliæ Rex Eduardus V. Walliæ principe ac Richardo filiis impuberibus superstitibus relictis, quos fratri suo Richardo duce Glocestriæ testamento commendasse tradunt. Qua de re factus certior Pontifex mœrentem defuncti Regis matrem hisce literis solatus est (*b*): *Non est*, inquit, *usque adeo ingemiscendum, ut vel omnipotentis Dei voluntati resistere, vel humanæ conditionis immemores esse videamur, quod divinæ clementiæ placet, id grave videri non debet. Acquiesce igitur æquo animo, & acerbitatem doloris prudentia, & ratione, quæ in te magna est, moderare: nos autem cum te propter virtutem, & laudatissimam vitam tuam paterna charitate prosequimur, studebimus nihil paterni officii prætermittere, sed ad omnia, quæ cum Deo pro honore, & commodo tuo, ac tuorum, & præsertim superstitis nepotis tui Eduardi, fieri poterunt, semper prompti & bene dispositi reperiemur. Dat. Romæ die* XV. *maii MCCCCLXXXIII. pontificatus nostri anno* XII.

XLII. Richardi ducis in nepotem Regem sævitia.

(c) Ibid. p. 653.

Cumulatum est paulo post Eduardi funus filiorum cruentis funeribus; Richardus enim dux (cui Pontifex nondum cognita ejus sævitia, de susceptis regni gubernaculis, donec pupillus Rex adolevisset, ineunte julio gratulatus erat) (*c*) postquam nepoti, ut Regi justo fidem addixit; eum, ac fratrem, quos in suam variis artibus potestatem redegerat, interfecit; utque flagitium aliquo fuco colorarct, non in vulgus solum, verum e sacro suggestu per nefarium ecclesiastem promulgari jussit Eduardi fratris demortui filios non justis nuptiis procreatos, de quibus Cominius (*d*), Polydorus Virgilius (*e*) & Thomas Morus (*f*) agunt. Tot scelerum authorem Richardo fuisse ait Belcairus (*g*) episcopum Bassensum, qui cum viginti ante annis ab Eduardo in carcere tentus fuisset, ea, quo magno pretio redimere se coactus fuerat ulciscendi cupidine commentus est: Eduardum adolescentem virginis cujusdam amore captum eam clandestino matrimonio se teste sibi junxisse, eaque deinde potitum contempsisse, induxisseque aliam uxorem, ex qua prolem susceperat. Addit Belcairus, eumdem facinorosum episcopum filium habuisse, cui Richardus in paterni sceleris præmium alteram exheredatarum regiarum virginum conjugem spoponderit: *Verum*, inquit, *impiis pœnas fere semper divina providentia reservat: qui modo regias virgines ambiebat, & augustius sua forte matrimonium sibi despondebat, paucis post mensibus captivus Lutetiam deductus, atque in carcerem detrusus pudore, mœrore, fame consumptus est*. Ut vero tyrannus ab Henrico, qui in Britannico exilio degebat, Gallorum ope, regno vitaque privatus fuerit, suo loco dicetur. Nunc ad Hispanicas res narrationem convertimus.

(d) Comin. l. 6. c. 9.

(e) Polyd. Virg. hist. l. 25.

(f) Thomas Morus.

(g) Belcair. dec. 2. l. 4. n. 19.

Inanes causæ pro fovendo tyranno quæsitæ.

XLIII. Castellæ Regis irruptio in Granatenses.

(h) Ælius Ant. Nebr. de reb. Hisp. dec. 2. l. 1. c. 2. 3. 4. 5.

(i) Id. c. 5.

Pervaserat in ipsa Granatensis regni penetralia Castellanus victor exercitus, atque Alhamam superiori anno impetu ceperat, quam Maurorum Rex vehementissime oppugnavit (*h*): sed Henricus de Methyma Asindica, qui diu ante cum marchione Gaditano, a quo parta fuerat Alhama inimicitias gesserat, religionem vindictæ prætulit, & contractis raptim copiis ad ferendas æmulo suppetias provolavit, junctusque illi arctissimo fœdere hostem strenue retudit. Tum Mauro iterum Alhamæ obsidionem repetente magno apparatu in barbaros bellum instauratum est, cui duo Cardinales Petrus Mendoza, & Jacobus Furtatus interfuere (*i*): ac licet plures Alhamam evertendam censerent, decretum tamen fuit non esse deserendam, sed ad eam tutandam vicinas expugnandas arces. Ut vero expiata sint Saracenica templa, & Christo consecrata, nec non suæ pietatis monumenta in iis Regina Elisabetha reliquerit, describit Nebrissensis (*k*): *Erant*, inquit, *in ea urbe tria Maurorum fana, mesquitas illi vocant; quas ex profano ritu expiatas Cardinalis Hispanus Regis, & Reginæ jussu Christianæ religioni dedicavit primam dominicæ incarnationis nomine, alteram divi Jacobi Hispanorum patroni, tertiam Michaelis archangeli: has Regina vasis aureis argenteisque vestibus, & aulæis, libris, cymbalis, tintinnabulis, & omnibus, quæ ad cultum divinum necessaria sunt, adornavit. Ipsa quoque religionis ardore commota suis digitis textilia quædam velamina laboravit, quæ adhuc in templo illo prima manuum suarum monumenta extant.*

(k) Id. ib.

Prophana Mahometis templa Christo consecrata.

XLIV. Vastatus deinde est a Ferdinando Rege Granatensis ager: tum maritima classe instructa Mauritaniæ infestata obsessaque litora, ne ex Africa auxilia ab hoste peterentur. Quibus de rebus Pontifex factus certior hisce literis Ferdinandum, & Elisabetham (*l*) ad urgendam proferendamque victoriam incitavit.

(l) Id. c. 7.

*Regibus Hispaniæ.*

Mauri ab Hisp. victi.

*Accepimus literas vestras, quibus nobis significatis partam de Mauris hostibus victoriam, quæ nobis magnæ lætitiæ, & jucunditati fuit: jussimus literas ipsas in consistorio recitari, ut omnes hujus gaudii participes faceremus, egimusque Deo gratias, cujus ductu, & auspicio eam victoriam estis consequuti, quam hortamur, ut magno, & indicto animo prosequamini: confidimus enim Deum ipsum, pro cujus etiam honore id agitis, pio vestro incœpto fauturum: felicem vobis hujus belli exitum de sui nominis contemptoribus, & inimicis daturum. Datum Romæ die* VII. *junii MCCCCLXXXIII. pontificatus nostri anno* XII. Consensere pontificiis votis felices exitus, deque excisis Maurorum in Hispania reliquiis dicetur postea.

XLV. Mahometis nomen inclamari vetitum in ditione Christiana.

Addimus nunc Ferdinandum magna laude imperasse, ne Mahometis nomen a Saracenis ex turrium fastigio inclamaretur, ac Viennensis concilii ea in re mandatum perfecisse: Babylonium vero sultanum, cujus viribus opibusque diutius Granatense regnum stetit, & Saracenis fuisse adversus Christianos incitatum, & questum gravissime apud Pontificem, cujus iras Sixtus suis literis lenire conatus est (a), illique Christianos commendavit.

(a) *Lib. brev. p.* 472.

Soldanus Babylonius templa Saracenica in Hisp. eversa queritur.

*Magno soldano Babyloniæ.*

*Magne, & potens domine. Acceptis literis tuis super meschitarum demolitione, quam fieri a charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Aragonum Rege in suis regnis asserebas, scripsimus ad illum opportune, ut si vera essent, quæ ad nos scripseras, debitis remediis prohiberemus. Invenimus falso ad te rumore delata esse omnia, nam neque meschitarum ulla demolita est, & tui omnes in illis regionibus Saraceni existentes in sua pace, & quiete vivunt, nulla injuria, nulla molestia lacessiti. Verum est quod, cum illi præter antiquos ritus turres, & summitates quasdam meschitis ipsis valde eminentiores, quas ipsi comas vocant, construxissent, & in altiori illarum parte Mahumetem alta, & humana voce invocarent, religiosus ille Rex non injuria prohibuit id quod præter morem in populo Christiano non sine scandalo fieret. Itaque ejusmodi comas æquari meschitis, & dictam invocationem nonnisi cum voce tubæ corneæ juxta vetus institutum fieri jussit: quod si recte meritis minime te commovere debet cum ob causas prædictas, tum quia pari vice & tu ipse in ecclesiis nostris, quæ sub ditione tua sunt, & campanilia, & campanarum sonum prohibes. Hortamur te, ut æquo animo feras, quod nullo contemptu, nulla tuorum jactura factum est. Noli malorum hominum mendacia, & eorum præsertim, qui diffidium, & simultates optant apud te quam ratione, & æquitate, & tua modestia prævalere, nostros vero religiosos, & Christianos omnes, qui in terris tuis moram faciunt, tibi enixe commendamus, gratissimum habituri quidquid commodi, & officii eisdem præstiteris. Datum Romæ die* VIII. *aprilis MCCCCLXXXIII. pontificatus nostri anno* XII.

Docetur prohibitum tantum palam inclamari Mahometem.

Commendati illi Christiani.

XLVI. Judaica impietas in Hispania.

Nec modo Mahumetica superstitio coercita est, sed judaica etiam repressa perfidia a Castellæ & Aragoniæ Regibus: plures enim reperti (b) sunt qui cum sacris Christianis initiati fuissent, clam veterem superstitionem repetentes sabbatarios ritus, cæterasque Judaicas cerimonias observabant, noctuque synagogam ingrediebantur: cumque eorum numerus adeo excrevisset, ut religioni ab iis magnum discrimen impenderet, piis viris re cum Gonsalvo Mendozio & Hispalensi archiepiscopo & S. R. E. Cardinale communicata, eam detulere ad Reges, ac Pontificem Romanum, cujus imperio constituta sunt sacra tribunalia in eos, qui in flagitio obdurescerent; iis vero, qui perfidiam damnarent, venia proposita: ut vero acerbe de sontibus sumptum sit supplicium, ac resipiscentibus venia data fuerit, ita describit Marinæus (c).

(b) *Lucius Marin. Sic. de reb. Hisp. l.*19. *c.*22.

(c) *Id. ib.*

XLVII.

*Revelavit tempus, vel potius justitia Dei catholicis principibus Marrhanos in tenebris noctis, & occulto delinquentes, nec impune diutius peccare permisit, quorum maleficiis, & erroribus catholici principes obviantes consilio Cardinalis, quem supra memoravimus, primum sacerdotibus, & viris religiosis in omnibus civitatibus, & populis jusserunt, ut omnes, qui nuper ad religionem Christianam conversi fuissent, tum concionibus publicis, tum privatis sermonibus diligenter admonerent, instruerent in omnibus Ecclesiæ sacramentis, & in catholica fide retinerent, & confirmarent. Deinde vero cum hoc parum, vel nihil profuisse cognovissent, hanc ob causam Romam legatos miserunt ad summum Pontificem, qui cum causam legationis audivisset admiratus novam hæresim, & molestissime ferens dedecus, & ignominiam, quam Christi cultoribus impium hominum genus inferebat, literas suas bullatas, & apostolico sigillo signatas ad principes catholicos destinavit, quibus in eos inquisitionem fieri diligenter, & animadverti jubebat, qui Christianæ religioni fideique catholicæ quocumque modo detraherent aut detraxissent. Rex igitur & Regina literis acceptis authoritate jussuque Pontificis inquisitoribus, quos ad hanc rem enquirendam en omnibus* sa-

Censura fidei instituta.

*sacerdotibus regnorum suorum moribus, & doctrina probatissimos delegerant, hunc ordinem, & hanc legem statuerunt, ut in omnibus citerioris, & ulterioris Hispaniæ civitatibus, & populis literas suas, & edicta publicarent pontificio jure composita, quibus publicatis, & inspectis omnes, qui crimen hæreticæ pravitatis incurrissent, infra certum temporis spacium suos errores inquisitoribus, qui patres appellantur, confidenter revelarent, veniam suppliciter deprecantes, Ecclesiæ reconciliari, scelerum, quibus Christi nomen abnegassent, injunctas sibi pœnitentias agerent. Ad quod judicium priusquam terminus temporis concessus præteriret, hominum millia circiter septemdecim utriusque sexus convenerunt: quibus Ecclesia, quæ fons est misericordiæ magnæque pietatis contenta, pœnitentiis unicuique pro qualitate criminis impositis, vitam, qua fortasse digni non erant, clementer indulsit. Multi autem, qui literis, & edicto parere noluerunt in sua hæresi perseverantes, habita probatorum testium relatione, capti fuerunt, & tormentis affecti sua crimina confitentes in ignem conjecti, vitam cum morte commutarunt: quorum alii sua crimina flebant Christum recognoscentes: alii pertinaces in erroribus, Mosis nomen invocabant, quorum paucis annis utriusque sexus millia duo combusta fuerunt.*

Marrani ad duo millia exusti.

*Multis præterea, quos delictorum suorum pœnituit, quamvis graviter peccavissent, concessum est, ut in carcere pœnitentias agentes vitam finirent. Aliis quoque, qui morte liberati carcereque soluti fuerunt, hoc pœnæ genus datum est, ut scilicet infames essent & privati officiis, auro, & omni genere serici, duabus crucibus coloris ignei signarentur, quorum alteram in pectore, alteram a tergo super exteriorem vestem, quæ viderentur ab omnibus, gestarent & ipsi cognoscerentur.*

In mortuos districta severitas.

*Animadversum est etiam in mortuos, quos in vita deliquisse constabat, quorum ossa, quæ plurima fuere, publicatis bonis, filiisque privatis honoribus, & officiis, e sepulturis extracta publice cremata fuerunt. Hoc justitiæ genus homines quamplurimi de stirpe Judaica suorum criminum conscii pertimescentes, patria sua domoque relicta, & multis magnisque rebus ea catholicorum principum regnis aufugerunt, multi siquidem in Portugalliam, multi in Navarram, alii in Italiam, alii in Galliam, alii in alias regiones, ubi se tutos fore putabant, migraverunt, quorum res, & bona tam mobilia, quam stantia catholici principes in bello, quod adversus Mauros, & barbaros alios gerebant, distribuenda censuere, quarum rerum omnium summa fuit ingens: in Bœtica namque provincia dumtaxat eorum, qui cum filiis, & uxoribus fugerant inanium, & vacuarum domuum millia quinque reperta fuere. Et quoniam, ut supra diximus, Judæorum consuetudo nuper ad Christianam religionem conversis perniciosa videbatur, propterea quod occasionem peccandi sine dubio præbebat, catholici principes Judæos omnes a regnorum suorum finibus in perpetuum depulerunt, & exterminarunt: qui cum per edictum moniti neque vendere suas domos, neque secum transferre pecunias possent, eorum nonnulli deprehensi fuere, qui nummos in asinorum clitellis, & auribus deferebant.*

Pulsi Judæi Hispania.

XLIX. Ea in plectendis apostatis neophytis Judaici generis acerbitas summam apud pios laudem, apud nonnullos vero invidiam Elisabethæ Reginæ Castellæ peperit; sparsus enim rumor est, non ad vindicandam læsi Numinis injuriam, sed ad eogendum aurum prædamque cumulandam adhibitam illam judiciorum severitatem: cumque eadem Regina se ambigere significasset, ne apud Pontificem ea suspicione aspergeretur, Sixtus eam hisce literis ambiguitatem omnem ex ejus animo depulit (a), collaudavitque ejus pietatem: monuit tamen, ne immunitatem ordinis ecclesiastiei labefactari, neve imperia apostolica administrorum fraude impietateque eludi pateretur.

Calumniæ in Reges catholicos diffusæ.

(a) *Lib. brev. an.* 12. *p.* 380.

*Reginæ Castellæ.*

L. *Quantum attinet ad negotium neophytorum,* & infra: *conati semper fuimus, miserti illorum insaniæ, tam pestifero morbo opportuna remedia adhibere.* Et infra: *Nunc vero perspecta optima, ac perpensa voluntate tua gratissimum nobis est, quod in illis regnis tuis in vindicanda divinæ majestatis offensa tanto studio, ac devotione desiderio nostro satisfacias. Equidem, filia charissima, cum multis regiis virtutibus personam tuam divino munere insignitam cognoscamus, nullam tamen magis quam istam in Deum religionem, ac in fide orthodoxa affectum, atque constantiam tuam commendaverimus; proinde sanctum istud propositum tuum in Domino probantes, ac benedicentes, serenitatem tuam attente hortamur, atque oramus, ne tanta labes diutius per illa regna serpat simili studio huic negotio intendas, & juxta provisiones nostras desuper editas, & edendas, in quibus favor tuus præcipuus requiritur, causam Dei amplectaris, cui ulla in re alia magis placere non potes. Quod autem dubitare videris nos forsan existimare, quod in perfidos illos, qui Christianum nomen ementiti Christum blasphemant, & Judaica perfidia crucifigunt, quin ad sanitatem redigi nequeant, tam severe animadvertere cures, ambitione potius, & bonorum temporalium cupiditate,*

Laudati a Sixto.

De relapsis puniendis.

*quam*

*quam zelo fidei, & catholicæ veritatis, vel Dei timore certo scias, ne ullam quidem apud nos ejus rei fuisse suspicionem*, &c. *Datum Romæ die* XXV. *februarii MCCCCLXXXIII. pontificatus nostri anno* XIII.

LI. Quod vero queritur Sixtus multa novata in Castella, & ab administris regiis falcem in messem alienam immissam: id propterea dictum videtur, quod ii emendandorum sacerdotum, ac religiosorum virorum auctoritatem sibi arrogarent, cum id munus ad Pontificem, & episcopos spectaret. Navatam autem a Ferdinando, & Elizabetha operam sanciendæ religiosorum disciplinæ memorat (*a*) Marinæus dum ait: *Cum vidissent religiosos omnium ordinum, & præcipue Minores & Prædicatores alios honestius, & præcepta suæ religionis observantes, alios liberius ac dissolutius viventes, nec ordini suæ professionis, nec superioribus obsequentes, omnes qui claustrales dicuntur, & libere vagabantur ad observantiæ normam, & honestiorem vitam compulere. Etiam sacras virgines, quas moniales appellant, quæ licentius vagari consueverant a virorum, qui suspecti videbantur, consuetudine, secreto colloquio, & monasteriorum suorum exitu prohibuere. Præterea juvenibus adolescentulis aliis cunctis, & qui literarum studiis, & bonis artibus operam dabant, usum longarum sericarum vestium, promissorumque capillorum, quibus nonnulli maxime studebant, ademerunt. His rebus & a studiosis omnibus colebantur, & a virtutibus alienis timebantur. Prohibuerunt & ludos aleæ præcipue atque chartarum, eu quibus multa quotidie malorum genera nascebantur: sunt enim ludi, de quibus alibi plene scripsimus, persimiles meretricibus, quæ voluptate quadam non solum vulgares homines, & insipientes, sed etiam nobiles equites virosque primarios fallunt, literatos sacerdotes, atque pontifices.* De egregiis aliis horum Regum gestis dicetur suis locis; nunc ad res boreales digredimur.

Religiosi ad primævam sanctitatem adacti.

(*a*) *Lucius Marinæ. Sicul. l.19. de reb. Hisp.*

Sublatus aleæ ludus.

LII. Invasit (*b*) septentrionem gravissima pestis, eamque calamitatem Bohemicæ seditiones, ac funebre bellum inter Imperatorem, & Hungarum gestum auxere. Affectarat nimirum Hungaricam coronam Fridericus Austriacus, atque ingentes regno clades, & sibi curas, & ignominiam peperit; lacessitus enim Matthias bellica laude viribusque præstantior illum Austriaca ditione exuere constituit intermissa Turcica expeditione, a qua intempestive revocatus a Frederico fuerat, potitusque (*c*) anno superiori Hamburgo magnis molitionibus bellum ursit, quo territus Fridericus, in bello pacem, & in pace bellum quærere assuetus, pontificium oratorem ad Matthiam misit, ut eum de fœdere postularet: quo nuntio recreatus Sixtus, atque in spem conficiendæ, pacatis Christianorum bellis, insignis in Turcam expeditionis, exaratis ineunte anno literis Fridericum ad provehenda pacis consilia incitavit (*d*): *Cum nuper audiamus serenitatem tuam misisse venerabilem fratrem Alfonsum episcopum Forliviensem oratorem ad illustrem Hungariæ Regem pro pace tractanda, gavisi admodum sumus Deumque oramus, ut illa confici possit, quo auctore, & episcopi ipsius prudentia accedente, speramus pacem ipsam esse secuturam; nos etiam, & ut concordibus animis, & unitis viribus aliquid contra ipsos hostes Turcos Christiano nomine dignum posset decerni, pacem fecimus, & publicavimus, prout ex capitulis, quæ ad tuam celsitudinem alligata transmisimus, videre poteris. Dat. Romæ die* X. *januarii MCCCCLXXXIII. pontificatus nostri anno* XII.

(*b*) *Cromer. l. 29.*

Fridericus Cæsar Ungarum in se efferat.

(*c*) *Bonfin. rer. Hung. dec. 4. l. 6.*

Petitur bello pacem ambit.

(*d*) *Lib. brev. an. 12. p. 303.*

Inter Cæsarem & Ungarum agitata pax. Sixtus in Turcos arma vertere decernit.

LIII. Non fuit conciliata pax, quandoquidem Matthias, cum bello superior esset, victoriæ cursum tenere statuit, & Prucchum arcem Austriæ munitissimam crebris impressionibus, quamvis multo cruore fuso, in suam potestatem redegit hoc anno, ac deinde Viennæ maximum terrorem intulit. Ex quo bello Bajazetes intentus in omnes occasiones amplificandi imperii ad novas res excitatus est & Bohemi hæretici concitandarum in catholicos magnas turbas occasionem sumpserunt, ex quibus catholica res admodum depressa est, eo procedente hæreticorum furore, ut cum primum in Pontificem (*e*) & Cardinales conceptum animis virus effudissent, in Wladislaum Poloniæ primogenitum, & Bohemiæ Regem probra jactarint, ac demum senatum catholicum, & viros religiosos contrucidarint: de quibus Cromerus (*f*) hæc historiæ mandavit: *Nec Bohemia interim, & Praga præsertim a domesticis motibus quieta fuit, schismaticis, & profligatis sacerdotibus, atque concionatoribus in absentes episcopos, Cardinales, & Pontificem maximum, mox in præsentes monachos, & magistratus urbanos, ac in Regem denique populum concitantibus; nec profuit indulgentia, & patientia Regis, ac ne coercitio quidem seditiosorum, quo minus probra, & contumeliæ in eum jactarentur, ac de vita is quoque Pragæ, & apud Cuthnos montes, quo secesserat, periclitaretur. Senatus quidem veteris, & novæ Pragæ a*

Austria ab Hungaro vexata.

(*e*) *Bonfin. dec. 4. l. 6.*

Turcæ in Bessarabiam irrumpunt.

(*f*) *Crom. l. 29.*

In Bohemia tumultuantur hæretici.

*furen-*

*furente multitudine contrucidatus est, & monasteria direpta.* [1] Agit de iis fusius Dubravius (a), de quibus admonitus Pontifex Matthiam Pannoniæ Regem, cui jam ante ab Apostolica sede Bohemia, ut eam hæretica superstitione expiaret, attributa fuerat, ac post gesta varia prælia cum Wladislao Rege Bohemiæ convenerat (b), ut Moraviam, Silesiam, & Lusaciam Hungarus teneret, rogavit (c) ut hæreticos catholicorum sanguine perfusos edomaret.

(a) *Dubr. hist. Bohem. l. 31.*

(b) *Id. ib.*

(c) *Lib. brev. an. 13. 4. decemb.*

*Regi Hungariæ.*

LIV. Pragæ cæsi catholici ab hæreticis.

*Innotuisse credimus majestati tuæ, quod nuper etiam nobis tristi nuntio relatum est, hæreticos scilicet civitatis Pragensis proximo facto tumultu insurrexisse contra catholicos nostros, & rabiem suam crudeliter exercentes eos, quotquot in prætoriis, in sacris ædibus, in privatis denique domibus inventi sunt, varie trucidasse. Quæ res sicuti enormis in conspectu Dei, & hominum extitit, ita nos, quibus curæ est semper causa catholicæ fidei, affecit incredibili dolore. Timentes itaque plurimum nisi statim de remediis opportunis provideatur, ne longius serpat hic morbus, ac majorem in partibus illis producat infectionem, majestati tuæ scribendum duximus, non quia putemus necessarium esse verbis excitare te, qui semper malleus infidelium, & hæreticorum fuisti, & cui regnum illud Bohemiæ existens etiam tuæ majestati subjectum conservare, ac defendere ab hujusmodi oppressionibus expedit, sed pro debito nostri pastoralis officii non omittendum omnino censuimus te, charissime fili, hortari, sicut per præsentes affectuose facimus, ut saluti catholicorum hoc tempore velis consulere, & opem ferre, ne ab impiis hæreticis tam fœde lanientur, omne enim malum nascens facile opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius, facile tamen erit, si manum tuam, semper a Christo juvari solitam, apposueris, priusquam magis abundet sanies, & hæc sanentur vulnera: facies majestas tua sanctum, ac pium opus dignum laude apud homines, ac meritis perpetuis apud Altissimum. Nos quæcumque in hac causa intelligemus fore pro conservatione fidelium, & oppressione hæreticæ pravitatis accommoda, modo reddamur de statu ipsius rei certiores non omittemus efficere. Scripsimus de hoc etiam venerabili episcopo civitatis Castelli nuntio, & oratori nostro, eique commisimus, ut cum eadem tua majestate latius nomine nostro loquatur. Dat. Romæ die IV. decembris MCDLXXXIII. pontificatus nostri anno XIII.*

Ungarus ad eos comprimendos excitatur.

LV. Polonus Germanusque in eosdem solicitati.

Accendere etiam pio studio Casimirum Poloniæ Regem ejusque filium Wladislaum Regem Bohemiæ nisus est Sixtus ad asserendam in Bohemia religionem, cui etiam significavit non modo Hungariæ Regem, verum etiam Fredericum Imperatorem, finitimosque principes solicitatos ad exoriens malum comprimendum, subditque: *Credimus non defuturum huic negotio quemquam pro virili parte, cum & etiam de communi re omnium catholicorum agatur, majestati tuæ non propterea scribimus, quia putemus in eadem causa necessarium esse te Christianissimum Regem excitare verbis; præsertim cum & ibi habeas pignus charissimum, ad quod juvandum satis majestatem tuam excitat paterna charitas, verum has breves dedimus, ut scires causam hanc nobis esse vehementer cordi, & nihilominus te, sicut facimus hortamur ad provisiones, & remedia necessaria adhibenda, ne isthæc hæreticorum oppressio atque injuria magis contra catholicos invalescant, &c. Dat. Romæ die IV. decembris MCDLXXXIII. pontificatus nostri anno XIII.* Missæ eodem argumento ad internuntium literæ (d), ut Imperatorem accenderet in hæreticos, concitatique (e) præcipue in arma sacra Sigismundus

(d) *Reg. post eund. ep.*

(e) *Ibid.*

NOTÆ [1] DE vexatione hac Bohemica Hussitarum peculiaria tradit eorum temporum author Misnensis in chronico vulgato a Menkenio Rer. German. to. II. col. 372. quem præstat exscribere: *Eodem anno* (1483.) *feria IV. Wenzeslai* [ die XXIV. septembris ] *Pragenses expulerunt omnes religiosos, tam mendicantes, quam non mendicantes, & captivaverunt omnes catholicos, quorum aliquot occiderunt, reliquos etiam de civitate expulerunt. Audivi ego a quodam lectore ordinis Prædicatorum, qui dixit se audivisse a quodam fratre ordinis sui, qui cum aliis tunc fuit expulsus, quod originem habuerit ista seditio occasione fratrum Minorum, qui nominant se de observantia: Nam isti fratres habentes conventum in Praga, per concessionem regis Bohemiæ, qui fuit catholicus, filius scilicet regis Poloniæ, fundaverant sibi novum conventum. In isto conventu fuit quidam frater Ordinis, natione Bohemus qui in sermonibus popularibus, certo tempore, sicut moris est illis, valde exacerbaverat animos Hussitarum. Nam publice proclamando condemnavit eos, cum ipsi valde excederent catholicos & numero & auctoritate ac potentia. Huic accessit, ut supra dictus frater retulit, abusus privilegii a Sixto concessi mendicantibus, quod dicti mendicantes, eos qui sibi confessi fuissent, & in forma ecclesiæ absoluti, quos ecclesiarum rectores nollent communicare, vel inungere ipsi publice communicare, & inungere possent. Unde sacerdotes Hussitarum commoverunt seditionem istam, in qua, ut dictum est, omnes catholici fuerunt expulsi, qui a tempore supradicti regis valde fuerant adaucti. Destruxerunt etiam tunc Hussitæ prædictum conventum Minorum de observantia usque ad solum, & multa horrenda commiserunt in imagines crucifixi & alias.* Hæc scriptor eorum locorum vicinus. MANSI

dus archidux Austriæ, Albertus, Georgius, Fridericus, Otho Bavariæ, Ernestus, & Albertus Saxoniæ duces, ac Brandeburgensis marchio, nec non episcopi Ratisponensis, Pataviensis, Bambergensis, Herbipolensis adversus hæreticos Pragenses, quorum immanitatem ita deplorat: *Indigne quidem illa veluti tormenta nostri cordis audivimus: patritios scilicet in prætoriis apprehensos, & ex fenestris præcipitatos, religiosos viros trucidatos esse, in ecclesiis direpta sacra, domos Christianorum tam privatas quam publicas cruore ac cæde respersas.*

Crudelia hæreticorum facinora.

LVI. Oppressæ eorum insidiæ.

Instructas etiam Wladislao Regi Bohemiæ Poloni primogenito sævas insidias a Pragensibus, ac feliciter discussas fuisse refert Dubravius (a), nec tamen Polonus, non Germanus, non Hungarus, ut erant a Pontifice solicitati in hæreticos ipsos consurrexerunt; sed catholica posthabita causa exitialia inter se bella gesserunt, de quibus anno sequenti. Porro fusi catholici sanguinis crimen hæreticis condonatum scribit Cromerus (b), interpretibus concordiæ Georgii Podiebratii filiis, qui præcipui seditionum authores erant adeo, ut proditores & conjurati, cum raperentur ad supplicium, conspectis Henrico & Hincone Podiebratiis ad regium latus, exclamarint (c): *Vide, o Rex, quam causæ agas, qui discipulos proditionis punis, magistros autem honoras.* Fluctuavit deinde Bohemia aliquot annis suorumque sanguine maduit, quarum turbarum principes erant nonnulli impii sacerdotes (d), qui calicis usum ab omnibus usurpandum, & concilii Basileensis conventa violari contendebant. Ut vero Lutherus sopitum ignem accenderit, suo loco dicetur: nunc reliqua persequamur.

(a) Dubr. l.31.

(b) Cromer. l.29.

(c) Dubr. l.31.

Instaurantur lites de calice.

(d) Id. ib.

LVII. Kioviam instaurare Polonus meditatur.

Inter superiores principum septentrionalium motus Kioviam in Russia urbem insignem proditione captam Moscovitæ ac Tartari populati erant; ad quam instaurandam validisque, munitionibus firmandam, ut posthac barbaricos impetus reprimeret, vires convertere decrevisset, Casimirus a Sixto apostolica præsidia flagitavit: qui indulgentiarum præmia iis, qui pro sacra in infideles expeditione conficienda stipem erogarent, impertiit (e), ac pia Regis Poloniæ studia exposuit.

(e) Lib. bull. 91. p.104.

*Sixtus, &c. Charissimus in Christo filius noster Casimirus Rex Poloniæ illustris provide considerans, quod proximis annis Turci una cum Tartaris ejusdem perditionis alumnis quandam dicti Regis civitatem satis amplam & populosam in partibus Russiæ consistentem nomine Kioviam dolo, & fraude, prout ipsorum pessima conditio solet, crudeliter invaserunt, diripuerunt, & incendio consumpserunt, multis ex Christianis interfectis, necatis & excruciatis, liberis utriusque sexus stupratis, & in miseram captivitatem abductis, templis profanatis, & episcopo dictæ civitatis & sacerdotibus partim una cum aliis oppressis & in miserabilem captivitatem abductis, bonis omnibus denudatis, ac cupidus Rex præfatus, cujus pietate singulari episcopus & alii captivi complures redempti fuere, civitatem ipsam restaurare, &, ne de cætero similia contingant, obviare, exercitum & alia bello necessaria pro tantæ rei expeditione parare intendit, cujus pium ac sanctum desiderium plurimum in Domino commendantes, ejus conatus salutiferos, quantum cum Deo possumus, confovere æquum necessariumque existimamus.* Subdit deinde ut opem ad sacrum bellum collaturis indulgentias proposuerit, &c. *Dat. Romæ apud S. Petrum an. MCCCCLXXXIII. kal. martii pontificatus nostri anno* XIII. Non ita in bellum sacrum vires opesque contulere Poloni, quin proximò anno Bessarabia a Turcis vastata fuerit.

Indulgentiæ operam ad id daturis propositæ.

LVIII. B. Leopoldus clarus miraculis.

Efflorebat in Austria B. Leopoldi olim Austriæ ducis gloria ob res mirabiles ejus precibus a Deo patratas, de quibus cum Fridericus Imperator ad Pontificem retulisset, de consecranda illius memoria actum est, ac demum anno proximo ea de re decretum editum, de quo Fridericus hisce literis certior factus est (f): *Quod sæpe per literas & oratores majestas tua petiit de canonizatione beati Leopoldi decretum tandem est, & vota venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in consistorio secreto recepta sunt, declaratumque per nos ipsis fratribus nostris assentientibus, ipsum beatum Leopoldum fore canonizandum, &c. Dat. Romæ die* XIV. *februarii MCCCCLXXXIII. pontificatus nostri anno* XIII. Decretos postea ab Innocentio VIII. eidem B. Leopoldo olim duci sanctorum honores, suo loco dicetur (g).

(f) Lib. brev. an. 14. 14. febr.

(g) Nauel. vol.2. gener. 50.

LIX. B. Simon sanctitate illustris.

Migravit hoc anno in Polonia magna sanctitatis opinione Simon Lipnicensis Minorita, de quo miraculorum gloria conspicuo hæc memoriæ tradidit Cromerus (h): *Insignis fuit Simon Lipnicensis ecclesiastes disertus Bernardiniani sodalitii ad meridianam portam Cracoviæ degentis, homo plebeius quidem & obscuro loco natus, sed probitate & sanctimonia visa clarus, ita ut ægroti complures ad sepulchrum pristinæ sanitati restituti esse memorentur.* Illum claruisse post mortem ingentibus miraculis confirmat Michovias (i), quæ Wadingus annalium suorum monumentis mandavit.

(h) Cromer. ubi sup.

(i) Michov. l. 4. c.73. Vvaddin. in annal. to.7. an. 1482. n. 11.

LX.

Illustrem etiam sanctitatis fama Hugonem

nem

Hugonis Pisan. archiep. obitus. (a) Raphael. Volat. Georg. l. 5.

nem Pisanum archiepiscopum hoc anno obiisse testatur Raphael Volaterranus (a) his verbis: *Ornavit eam cathedram post Jusium Ugo præsul sanctissimus. Hic ex Aguani vicini castri nobili Saladinorum familia quamvis Volaterranus simul, & Paduanus esset canonicus, ob vitæ modestiam, ac juris pontificii scientiam promotus, varios labores, ac ærumnas ab infestis civibus ob Ecclesiæ libertatem, & res conservandas est passus: quæ omnia patientia superando ad senectutem sine querela pervenit. Decessit anno MCCCCLXXXIII. inhumatus diebus x. a populoque adoratus ob visa ex eo prodigia: deinde conditus in ejus urbis basilica fuit.*

Ejus elogium.

LXI. Card. Estotevillæ mors.

Obiere hoc etiam anno præstantes aliquot Cardinales, inter quos fuit Cardinalis Estotevilla, cujus nomen relicta Romæ ab eo augusta monumenta posteris transmittunt, de quo hæc scribit Jacobus Maffeus Volaterranus (b): *Camerariatum defuncto Latino Ursino adeptus est, cœnobia multa, quibus præfuit præcipue extra Italiam ornavit, & ampliavit, & sacris vestibus decoravit. Romæ testimonium perhibent basilica B. Mariæ majoris cultu præcipuo, & religione semper a se habita, & templum Augustiniensium paulo ante obitum a fundamentis instauratum.* Consecuti sunt eum mense septembri presbyteri Cardinales Auxias tit. S. Sabinæ, ac Ferricus Cluniacus tit. S. Vitalis, qui repente intercluso spiritu interiit; vigesimo secundo autem octobris Franciscus Gonzaga diaconus Cardinalis S. Mariæ novæ Bononiæ legatus (c).

(b) Volat. ms. arch. Vat. sig. n. 49. & 111.

Ecclesia Augustiniana ab eo condita.

(c) Id. ib.

Suffecit autem proximo mense Sixtus in eorum locum quinque viros insignes, de quibus hæc tradit idem Jacobus Volaterranus (d): *Ad XV. novembris vocavit Pontifex extra ordinem patres in senatum, in quem ex Hadriana mole per murum ad Pontificem pervenientem Sabellus, & Columna venerea collega Cardinale S. Georgii deducti ad Pontificis gratiam recepti: quo in senatu vel creati, vel publicati fuere quinque Cardinales, Joannes archiepiscopus Consanus ex comitibus Romanis proceribus pater fere octogenarius, episcopus Turonensis natione Gallus ex ordine Minorum vir sanctitate clarus, tunc absens: Joannes episcopus Gerundensis orator Regis Hispaniæ vir senio confectus, sed authoritatis maximæ, & virtutis magnæ, & curialis antiquus: Joannes Jacobus episcopus Parmensis vir mediocri literatura maxima humanitate, & dexteritate preditus: Baptista prothonotarius ex Ursina familia vir summæ industriæ, & peritia legum admodum clarus.*

(d) Lib. brev. an 13. mens. octobr.

Cardinalitius senatus auctus.

LXII. Quod ad Turonensem archiepiscopum attinet, quem sanctitatis opinione claruisse retulit Volaterranus; is erat Elias vicecomitum de Bourdeille nobilissima stirpe natus, qui mortalibus humanis rebus valere jussis, Franciscanis institutis mores excoluerat, & theologicæ scientiæ laude florens de pontificia authoritate, deque abroganda pragmatica sanctione elucubrationes edidit, Nicolai V. imperio Petragoricensem primum episcopatum suscepit, deinde ad Turonensem traductus archiepiscopatum a Sixto presbyter Cardinalis tit. S. Luciæ in Silice renuntiatus, oblato sibi dignitatis insigni nullum lætitiæ signum edidit; proximo vero anno e mortali vita migravit, ac miraculis post mortem effulsisse refertur, de quibus Joannem e Planis episcopum Petragoricensem acta publica instrui curasse anno MDXXVI. ut illius memoria consecraretur, refert Lucas Wadinghus (e).

Insignis humanar. rerum contemptus in archiepisc. Tur.

(e) Vvadin in annal. to. 7. ann. 1483. n. 35. & in catal. Scriptor. ord Min. Petr. Boismoren. in ejus vit. Petr. Frez. in Gall purpur.

LXIII. De Regina Cypri.

Addit superioribus Jacobus Maffeus Volaterranus: *XXIII. novembris Regina Cypri Carola cum a Pontifice per interpretem audiretur, non ignobiliori, nec inferiori sede sedebat Pontificis sella; quod ab aliquibus probatum non fuit.* Plura de ea narrat Raphael Volaterranus (f), ut regno ad Venetos translato confugerit ad Sixtum, deinde ad sultanum Ægyptium, iterumque ad Sixtum Pontificem, cujus liberalitate vitam reliquam sustentarit, viro Ludovico in solitudine Ripaliensi agente.

(f) Volat. l. 9.

LXIV. Controversia de immaculata Conceptione.

Agitabatur hoc tempore gravis inter theologos controversia de beatæ virginis immaculata conceptione, cum eam assererent alii, atque in sacris suggestibus celebrarent, alii non immunem labe originali conceptam, sed divino mox beneficio ab ea macula liberatam contenderent pertinacissimis animis (g), adeo ut alterius opinionis sectatores de hæresi criminarentur, & peccato lethali eos, qui immaculatæ conceptionis festum celebrarent, sacrasque de ea conciones audirent, devinciri effutirent, eaque de re libros ederent, quos Sixtus intentata anathematis pœna compressit, cumque in ea controversia nulla ab Ecclesia decretoria fidei sententia lata fuisset, ad sedandas ejusmodi turbas eandem anathematis pœnam imposuit iis, qui perstringerent hæreseos crimine eos qui labis originalis immunem fuisse Deiparam negarent.

(g) Ext. ejus lit. in append. to. 4. concil. p. 1. pag. 742.

*Sixtus, &c. Assertiones prædicatorum eorumdem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent eos, qui crederent aut tenerent, eamdem Dei genitricem ab originalis peccati macula in sua conceptione præservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter* pec-

*peccare, aut hujusmodi officium conceptionis celebrantes, seu hujusmodi sermones audientes alicujus peccati reatum incurrere, utpote falsas, & erroneas, & a veritate penitus alienas, editosque desuper libros id continentes quo ad hoc authoritate apostolica tenore præsentium reprobamus, & damnamus, ac motu, scientia, & authoritate prædictis statuimus, & ordinavimus, quod prædicatores verbi Dei, & quicumque alii cujuscumque status, gradus, aut ordinis, ac conditionis fuerint, qui de cætero ausu temerario præsumpserint in eorum sermonibus ad populum, seu alias quomodolibet affirmare hujusmodi, sic per nos improbatas, & damnatas, assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, postquam de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, a qua ab alio quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere. Item motu, scientia, & authoritate similibus simili pœnæ ac censuræ subiicientes eos, qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cum nondum sit a Romana ecclesia, & Apostolica sede decisum, non obstantibus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCDLXXXIII. non. septembris pontificatus nostri anno XIII.*

Damnati pariter qui ajunt hæreticum esse asserere cum originali peccato conceptam.

Anno

I. *Immunitati ecclesiast. asserendæ data a Sixto opera.*

ANno a Virgineo partu millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto secunda indictione Sixtus IV. egregia pontificii in tuenda ecclesiastica libertate, conciliandaque principum ac populorum concordia studii documenta edidit. Novatum in Lusitania fuerat adversus jura pontificia, ac præter intermissam solutionem annui vectigalis, quod Lusitani Reges, ut sedis Apostolicæ beneficiarii, pendere debent, decretum erat, ne quis Apostolicæ sedis literas atque imperia, nisi prius facta a regii sigilli præfecto potestate, exciperet, ac plura alia immunitati ecclesiasticæ adversantia fiebant: quibus ut occurreret Pontifex, Joannem Regem superiori anno literis apostolicis revocare a cœptis annisus erat (a); cumque nondum sublatum id vitium esset, gravissimis iterum sententiis eumdem Regem edicta ecclesiasticæ libertati contraria rescindere, annuumque censum solvere jussit, tendentique contra apostolicam severitatem intentavit (b).

(a) *Lib. brev. an. 12. pag. 571.*

(b) *Lib. brev. an. 13. 5. febr.*

*Regi Portugalliæ.*

II. *Ut saluti tuæ consulas, & honori, & nos ac Ecclesiam de violationis ecclesiasticæ libertatis tolerantia non parum notatos a lingua liberes detractrice, & dominum nostrum Jesum Christum, per quem Reges regnant, & domini dominantur, & quem hactenus ejus, quam fundavit, Ecclesiæ suæ libertatem violando coram te provocasti, tibi reddas propitium, serenitatem tuam regiam requirimus, monemus, & hortamur in Domino, & in remissionem injungimus peccatorum per apostolica tibi scripta mandantes, ut in te ipsum aciem tuæ considerationis reflectens, sic tuos actus dijudices, ut ab aliis non debeas judicari, & memor sis conditionis tuæ, ac novissima juxta verbum sapientis attendens, quod scandalum in Ecclesia parit, quod nobis detractionem de tolerantia generat, quod in perniciem tuæ salutis vertitur, & alios corrumpit exemplo, corrigens per te ipsum, & statutum prædictum, si quod sit, felicis recordationis Honorii Papæ III. prædecessoris nostri, & imperialibus desuper editis parendo sanctionibus de capitularibus statutis tui regni deleri facias, & ab omni ecclesiasticæ libertatis violatione prorsus abstineas, ac mandes & facias tibi subditos abstinere, teque ut catholicum Regem decet justum & gravem exhibens omni creaturæ, ac præfatæ Ecclesiæ, a qua regiæ dignitatis culmen accepisti, cuique annuum censum debes a memorata libertatis ecclesiasticæ violatione prorsus abstineas, nec permittas illam per alios ullatenus violari.*

Contraria illi edicta revocet.

III. *Sin autem, quod non credimus, nec famæ tuæ, nec honori consuleres, nec mandatis nostris, & monitionibus obedires, quantumcumque molestum nobis existere, te in aliquo molestare, tanto amplius contra te moveremur, & manum curaremus apostolicam aggravare, quanto serenitatem tuam sinceriori diligimus in Domino charitate, & quos amamus severius arguere intendimus, & durius castigare: nec poteris quantacumque potentia ante faciem [ non dicimus nostram ] sed Dei, cujus licet immeriti vices gerimus in terris, divinæ ac æternæ repugnare omnipotentiæ majestatis. Facias igitur, fili charissime, de necessitate virtutem, & nostris, immo illius, cujus vices gerimus, & per quem vivis, & regnas, studeas obtemperare mandatis, sicque Altissimum tibi reddas propitium, & nos tibi constituas nostris justis obtemperando mandatis in tuis opportunitatibus debitores. Scriturus pro certo quod, nisi mandatum nostrum curaveris publice adimplere, & de impedimento nobis infra duos menses a præsentatione præsentium tibi facta reddere certiores, non differemus ulterius, quin officii nostri debitum exequamur, procedendo contra te tamquam contra violatorem ecclesiasticæ libertatis. Dat. Romæ die v. februarii MCCCCLXXXIV. pontificatus nostri anno XIII.*

Ni pareat minæ objectæ.

IV. Graviter etiam questus est de eodem Rege, mulctatum fuisse exilio ab eo episcopum Silvensem, quod ad regium arbitrium nutumque dignitate episcopali se abdicare abnuisset: ob quod facinus illum pœnas in Viennensi concilio decretas contraxisse pronuntiavit (c). Prodebant ecclesiastici ordinis dignitatem nonnulli præsules acceptorum a sede Apostolica beneficiorum immemores, inter quos Joannes episcopus Conimbricensis, cum ad archiepiscopatum Bracarensem traductus Pontificis & sacri senatus sententia fuisset, nondum diplomate nec pallio receptis, se archiepiscopali muneri ingessit, occupavit vectigalia, & cum administris regiis ad ecclesiasticam immunitatem opprimendam conspiravit: de quibus factus certior Sixtus illi diem dixit (d), qua sententia de abrogata ei dignitate ab eadem Apostolica sede esset ferenda.

Silvensis episc. indigne actus in exilium.

(c) *Reg. post eand. ep.*

(d) *Ead. lib. brev. an. 13. 6. febr.*

*Joanni episcopo olim Conimbricensi.*

V. *Venerabilis frater. Sæpenumero & a multis viris gravibus, & fidelibus nobis extitit relatum, quod tu, quem revoluto jam*

Intentatum Conimbriensi episcopo judicium.

*anno & ultra a vinculo, quo ecclesiæ Conimbriensi, cui tunc præeras, tenebaris, de fratrum nostrorum consilio, & apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ad ecclesiam Bracharensem tunc vacantem transtulimus, præficiendo te eidem Bracharensi ecclesiæ in archiepiscopum, & pastorem, minus quæ honori tuo expedirent attendens, literis super tua translatione hujusmodi minime expeditis, immo plumbeo per nos a jam confectis propter tua demerita remoto, regimini, & administrationi ejusdem Bracharensis ecclesiæ propria temeritate te ingessisti, & illius mensæ archiepiscopalis fructus percepisti, ac te archiepiscopum Bracharensem archiepiscopali pallio non obtento nominare, ac ad ea, quæ pallio non obtento facere non poteras, manum extendere de facto præsumpsisti, & quod deterius est sæculari potestati illarum partium, & illius ministris, quæ eis visa fuere in præjudicium ecclesiasticæ libertatis auxilium, consilium, & favorem præstare non erubuisti, quæ omnia non sine grandi animi molestia intelleximus. Et quamquam præmissa notoria esse asserantur, propter quæ tuis exigentibus demeritis a jure privatus es ipsa ecclesia, cæterisque beneficiis; nos tamen, ut via regia, & exemplo Salvatoris nostri incedamus, tenore præsentium te requirimus, & monemus, ut infra tres menses post receptionem præsentium coram nobis personaliter compareas ad videndum te declarari privatum, & allegandum causas, quare ad prædicta procedi non debeat, intendentes termino prædicto effluxo, teque non comparente, juxta sanctorum patrum decreta te punire, prout justitia suadebit. Datum Romæ die VI. februarii MCCCCLXXXIV, pontificatus nostri anno XIII.*

VI. Ut vero ecclesiasticum jus ab Rege in Lusitania labefactari passus non est Sixtus, ita nec regia jura ab ecclesiasticis in Scotia infringi permisit, ediditque Jacobi Regis rogatu decretum (a), quo præsules justis illius imperiis parere jussit.

(a) *Lib. brev. an. 13. 6. maji.*

Datum ob Apost. sede imperium ut præsules proceresque Scoto Regi pareant.

*Jacobo Regi Scotorum.*

*Literas majestatis tuæ accepimus, & dilectum filium Robertum Belmma oratorem tuum pro paterna, & singulari nostra erga te benevolentia benigne audivimus, qui omnia per celsitudinem tuam sibi commissa prudenter accurateque exposuit. Quantum spectat ad bullam illam, quod prælati, & proceres regni obedientes sint coronæ tuæ, concessimus eam in ampla forma, ita ut tuo in hoc desiderio plene satisfactum existimemus, sicuti ex ejus tenore latius videbis. Circa vero esum carnium, quem tibi ex rationibus adductis cupis concedi, contentamur, & ita majestati tuæ præsentium tenore apostolica authoritate indulgemus, ut de consilio confessoris possis diebus, quibus esus hujusmodi ab Ecclesia est prohibitus, libere & licite, ac sine alicujus ecclesiasticæ censuræ incursu, vel conscientiæ, quoad vineris, carnibus, & lacticiniis vesci, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, &c. Dat. Rom. die V. maii MCCCCLXXXIII. pontificatus nostri anno XIII.*

Permissus eidem carnium esus diebus prohibitis.

VII. Urgebat inter hæc magno rei Christianæ damno bellum Matthias Hungariæ Rex adversus Fridericum Imperatorem, dumque victricia signa latius circumferebat in Austria, finitimas Turcico limiti provincias suas barbarico furori relinquebat expositas: quos, ut in concordiam adduceret (b) Christi vicarius nullas apostolici muneris partes prætermiserat: sed odiorum pertinacia omnia ejus studia respuerat, cum Imperator sua recuperare niteretur, Hungarus vero ad eum obterendum vires omnes intenderet; hoc vero anno apostolicus internuntius (c) episcopus plurima de pace colloquia fecit. Perrexit etiam in Pannoniam, ut refert Bonfinius (d), Joannes Cardinalis Aragonius, quem ad provehenda pacis consilia multum operam contulisse dubium non est. Denique Pontifex Matthiam victorem nomine totius Ecclesiæ obsecravit, ut pacem Frederico daret.

Austriacus ab Ungaro bello gravi petitus.

(b) *Ibid. inter lit. martii.*

(c) *Id inter lit. febr.*

(d) *Bonfin. dec. 4. l. 6. & alii. Brev. an. 13. 10. mart.*

*Regi Hungariæ.*

VIII. *Quam vehementi semper desiderio cupierimus pro bono reipublicæ Christianæ, partiumque illarum Germaniæ, & regni tui Hungariæ quibus maxime afficimur, inter charissimum in Christo filium nostrum Fredericum Imperatorem, & majestatem tuam, vestraque dominia sublatis discordiis pacem, & tranquillitatem esse tam majestas imperialis, quam tua plene cognovisse potuerunt: nunquam enim literis, nuntiis, & oratoribus nostris utrumque vestrum hortari, admonere, & rogare cessavimus, ut pacem amplecti velletis, misimusque illuc propterea etiam S. R. E. Cardinales legatos nostros, nec quidquam omisimus faciendum, quod ad hujusmodi rem conducere arbitraremur. Verum cum videamus, humani generis hostis prævalente malitia, in longum nimis hujusmodi rem pertrahi, cruciamur animo continue, nec quidquam dulce aut jucundum nobis esse potest, considerantibus inter vos potentissimos principes, vestraque dominia Christianitatis propugnacula, tam diutina bella discordiasque vigere: dolemus rempublicam Christianam nostram tam gravissimo detrimento ex bellis vestris affici. Compatimur subditis vestris, qui tot cædes, rapinas, incendia, & cætera bellorum mala patiuntur. Deum rogare non desistimus, ut vos ad pacem*

Pontificium studium pro Ungaro & Austriaco conciliandis.

Proposita ex bello mala ingentia.

*concordiamque reducat pro sua pietate, & requirimus, ac per viscera domini nostri Jesu Christi rogamus, ut se paci accommodare velit: & si quid superest impedimenti, illud causa, & contemplatione nostra, & hujus sanctæ sedis removere velit. Petimus hoc a majestate tua in munus singulare: petit hoc universa Christianitas, & sancta mater Ecclesia. Noli hoc nobis denegare, quod unicum consolationis nostræ culmen futurum est: si unquam nos, & hanc sanctam sedem tibi obligare cupis, amplectere hoc tempore sine ulteriori dilatione pacem cum imperiali majestate. Habes illic venerabilem fratrem episcopum Castelli oratorem nostrum, qui imperiali majestati, & tuæ affectissimus est, & per cujus manus non nisi optime, & cum laude pax fieri potest: faciet maiestas tua rem universæ Christianitati acceptissimam, Deo gratissimam & nobis eam dabit animi consolationem & quietem, quam super omnia desideramus & optamus. Dat. Romæ die X. martii MCCCCLXXXIV. pontificatus nostri anno* XIII.

IX. Poscebat res catholica, ut pax Germanum inter Hungarumque fieret non modo ut arma verterentur adversus Turcas, sed ut etiam expeditio sacra ad Pragenses fuso catholicorum sanguine infectos puniendos conficeretur: ad quam ducendam episcopus Castellanus internuntius incumbere jussus (a) est. Affulgebat (b) etiam spes, Friderico & Matthia conciliatis, eorum authoritate Venetos, quorum dominatus amplificatio iis erat invisa, ad officium pacemque conficiendam coactum iri: sed Matthias pontificiis precibus non assensit, atque in expugnandis Austriæ arcibus arma exercuit, interque alias Cornamburgum asperrimo bello sub imperium suum redegit finitimisque Viennæ oppidis potitus castra apud Viennam posuit, quam ab eo subactam, in eaque ipsum demum extinctum visuri sumus (c). Interea evanuere consilia de expeditione in Pragenses conficienda, Turcæque in Hungariam incurrerunt, de quibus inferius agetur, atque Achilejam & Nestoralbam ad Istri ostia sitas barbaricæ adjunxerunt (d) tyrannidi, tanta celeritate confecto bello, ut cum Matthias delectus novos imperasset, antequam Varadinum exercitus Stephani Valachiæ principis Hungaricæ regiæ clientis rogatu conscriptus perveniret, jam de Achileja & Nestoralba actum tristis nuntius perveniret. Cum vero Matthias incumbere in sacrum bellum, & castra ad recuperandas eas urbes movere debuisset, signa reflecti in Austriam jussit, iisque copiis Fridericum Imperatorem attrivit. Neque

(a) Inter lit. mens. jul.

(b) Inter lit. mens. febr.

Repudiata pax a Matthia Rege.

(c) Bonfin. dec. 4. l. 6.

(d) Bonfin. dec. 4. l. 6.

Achileja & Nestoralba ereptæ Ungaro a Turcis.

Hungariæ modo fiduciarias terras, sed ejusdem Friderici etiam provincias vastabat Turca, septem enim barbarorum equitum millia per Corvatiam in Carinthiam & Carniolam excurrerunt: sed cum præda inde ingenti onusti incederent, ac decem captivorum millia abducerent, contractis raptim Christianorum copiis a despota Lupo Garaii, & Matthiæ bano, comite Berardino, cæterisque provinciæ regulis cæsi sunt, amissaque omnia recuperata: in quo bello Berardini Frangepanis virtus admodum enituit. Neque ea clade deterriti sunt Turcæ, quin novas in Christianos irruptiones aucta ex Matthiæ & Friderici dissensionibus audacia moliti sunt.

Corvatia, Charintia & Carniola direptæ.

X. Implicitus æque ac Fredericus erat bello Maximilianus illius filius Belgarum Burgundorumque princeps, qui a ferendis parenti suppetiis distractus erat: potiri ille Belgicarum rerum ambiebat, ac Philippi filii principatus materno jure partos moderari. At contra Belgæ Philippi principis aulæ procurationem educationemque sibi arrogabant, ac superiori (e) anno Margaritam ipsius filiam Gallico Delphino, fremente Maximiliano, despondérant, adduxerantque in Gallias, tum Gandavi Philippum tenebant; cum vero leges poscerent, ut filius in patria esset potestate, illiusque educandi cura ad Maximilianum spectaret, controversiæ sedandæ studio Pontifex universos Belgii ordines apostolicis literis (f) inflectere ad æquitatem enisus est, ut filium patri alendum permitterent.

Inter Maximilian. & Belgas de Philippi educatione certatum.

(e) Philipp. Comin. l. 6. c. 9.

(f) Lib. brev. an. 13. inter lit. mens. jul.

*Tribus statibus Flandriæ.*

XI. *Dilecti filii, &c. Audiveramus jam diu inter dilectum filium nobilem virum Maximilianum Austriæ & Burgundiæ ducem & vos aliquas esse discordias & simultates, pro quibus sedandis hactenus distulimus, quod sperabamus ducem ipsum & vos pro prudentia & probitate, quas semper in illo & vobis cognovimus, absque alicujus medio & exhortatione invicem reconciliaturos & ad unionem redituros; cognito postmodum id factum adhuc non esse, & vos natum ducis ipsius, invito patre & renuente, retinere, assereréque illum apud vos debere educari, existimavimus ad paterni amoris nostri erga vos officium pertinere, ut partes nostras pro utriusque vestrum pacis & quietis bono interponeremus, & quoniam discordiæ ipsæ præcipue super alendo puero ducis ipsius nato versi videntur, inde ordiemur, & ibi commorabimur, ut hac si fieri possit dissensionis amputata causa, facilius cætera resecentur. Non possumus cogitare quonam pacto juste aut honeste filium, recusante patre, retinere valeatis.*

Belgæ sollicitati ad concordiam.

Contendebant apud eos educandum filium.

Na-

*Natura & nobiscum genita ratio exposcit ut pater in educandis liberis omnibus præferatur; quis enim aut ad amorem aut ad curam erga illos propensior esse potest? quis divino & humano jure patribus liberorum regimen & alendi studium præ cæteris omnibus non tribuat? quæ major esse charitas, quod vinculum charitatis arctius reperiri potest? jam illud quis non videt ducem illum singulari sapientia magnanimitate & probitate præditum non modo patrem, sed optimum præstantissimumque patrem & esse & censeri. Non potest nisi ægre ferre & indignari pater filium a se eripi, & tanquam ablegatum apud alios detineri, & nos nulla ratione adduci possumus, ut credamus id vobis licere fieri, & si ulla subesset causa, non potest tamen non esse multo minor ea, quam natura & pietas præscribit. Itaque studiosi pacis & quietis omnium vestrum paterno affectu hortamur, monemus & requirimus pro nostra erga vos charitate, proque item vestra erga nos & hanc sanctam sedem apostolicam observantia, velitis duci præfato natum restituere, & illi alendum tradere, ut omnis inter illum, & vos scandalorum, quæ oriri ex eo forsan possent, amputetur materia, & ea, quæ inter vos jure debetur, unionis & pacis amœnitas conservetur, in quo nobis commodorum vestrorum studiosis rem facietis gratissimam, & vos vestræ quieti, & honori consuletis. Dat. Romæ die IX. julii MCCCCLXXXIV. pontificatus nostri anno XIII.*

Monentur id æquum non esse.

Italia intestinis bellis cruentata.

XII. Cruentata (a) est inter hæc variis in provinciis suorum indigenarum sanguine Italia, neque enim modo ad Ferrariæ mœnia, sed etiam in Bergomensi, Brixiensi, & Veronensi agris, in maritima Apuliæ & Calabriæ ora, tum in urbe (b) concitatæ seditiones, ac demum ad Pallianum, Cavium, nonnullaque alia oppida bellicus fragor ob Columnensium Ursinorumque dissidia intonuit, utque a postremo ducamus initium, describunt fusius Stephanus Infissura (c) & alii vetustorum diariorum auctores, excitatos Romæ exeunte majo ingentes motus, in quibus Columnensium ædes sociorumque ab Ursinis expugnatæ excisæque sunt jussu pontificio, captusque vi Laurentius Columna protonotarius, adductusque in pontificium conspectum, ad quem jussus non venerat, deinde in carcerem inclusus, ac demum ultima junii ut perduellionis reus cum aliquot sociis capitali supplicio affectus est. Mota deinde castra in Columnensium oppida, & Cavium iis duce comite Hieronymo Riario ereptum, de qua victoria eidem nepoti Sixtus est gratulatus (d), quod eam sanguine & rapinis non fœdasset.

(a) *Sabell. ennead.* 10. *l.* 7. *Brut. hist. flor. l.* 8. *& alii.*

Bellum in Columnenses.

(b) *Steph. Infiss. diarium ms. arch. Vat. sig. n.* 111.

(c) *Id. ib. & aliud diar. sign. eod. n. Jacobus Volat. ms. arch. Vat. sign. n.* 49. *&* 111. *& Raphael. Volat. antropol. l.* 22. *in Sixt.*

(d) *Sixt. lib.* 13. *brev. mens. jul.*

*Comiti Hieroymo.*

XIII. *Dilecte fili, magna cum animi jucunditate audivimus nobilitatem tuam oppido Cavensi potitum esse, quod fuit virtuti tuæ conveniens, & ab omnibus summopere commendatum, neque tantum delectat victoria ipsa summa cum gloria & laude tua parta, quantum clementia, qua usus es in medio cursu victoriæ, nam cum oppidum ipsum nobis rebelle, & contumax obsidione cinctum esset, ita omnium undique tormentorum vi, & frequentia, ita angustiis circumseptum, ut nullam amplius salutem oppidani superesse viderent, quin omnia ferro, & igni, ac militari licentiæ jam exposita essent, tantam habuisti mansuetudinis tuæ rationem, ut ad gratiam & misericordiam omnes receperis, incensos iratosque militum animos continueris, pulcherrimam judicaveris eam victoriam esse, quæ sine cæde, rapinis, & hostili sanguine haberi possit, in quo quidem plurimum animo nostro satisfecisti, qui non desideramus populorum desolationem, sed ut vivant, & convertantur ad gremium S. R. E. matris suæ, quam injuste offenderunt, &c. Dat. Romæ die XXVIII. julii MCCCCLXXXIV. pontificatus nostri anno XIII.*

Cava expugnata a pontificiis.

XIV. Expugnatæ (e) etiam plures Columnensium arces in agro Romano, & Pallianum cinctum obsidione, quæ postea ob Pontificis obitus famam, castris amissis, soluta est, cujus belli causa ex Bruto cæteroqui Sixto parum æquo petenda visa est, cum Stephanus Infissura maledicendi libidine percitus in his narrandis Sixtum turpiter traducat, proscindatque. Narrat itaque Brutus (f) superiori bello, quod Ferdinandum Pontifici intulisse vidimus, Taliacotium ademptum Ursinis fuisse, quod pontificias partes propugnarent, transfusumque in Columnenses, quos a fide pontificia ad Neapolitanum contra fas descivisse, ac Romam in magnum discrimen adduxisse diximus supra: deleto autem ingenti prælio Alfonso Calabro ictum fœdus pontificia indulgentia iis legibus, ut capta utrinque pari fide restituerentur: at Columnenses partum scelere Tagliacotium pertinacissime retinuisse, commotum itaque pontificem in tanta sui contemptione leges tuendas armis censuisse. Pari etiam æquitatis tuendique juris pontificii studio bellum gessit cum Venetis, nilque intentatum reliquit, ut honorificas sacrosanctæ majestati leges ferret; ac propterea legatum ab eo ad Venetum principem, ac senatum Cardinalem Ulissiponensem XIX. martii die refert manuscriptum diarium vetus (g), confirmantque Jacobus Mapheus Volaterranus (h), & Joannes Burchardus (i). Is erat Georgius

(e) *Jac. Maf. ubi supr.*

(f) *Brut. l.* 8 *hist. Flor.*

Belli causæ datæ a Columnensibus.

(g) *MS. diar. arch. Vat. sign. n.* 111.

(h) *Jacob. Volat. ms. arch. Vat. sig. n.* 49. *&* 111.

(i) *Jo. Burch. ms. arch. Vat. sig. n.* 37.

tit. SS. Marcellini & Petri presbyter Cardinalis theologicæ scientiæ laude clarissimus, qui summa ad componendas discordias potestate instructus est hoc diplomate (*a*).

(*a*) *Reg. 1. legation. p. 327.*

XV. Ea Georgio Card. demandata.

*Te tanquam pacis angelum nostro & ecclesiæ Romanæ nominibus ad pacificandam Italiam Apostolicæ sedis legatum de latere nostro de fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, comitante pacis angelo, provide duximus destinandum, indubitabili ratione tenentes, quod inspirante pacifico regum Rege, qui pacem jure hereditario transiturus de mundo ad patrem suis reliquit discipulis, in discessu semina discordiarum quæcumque mota submovere, & salutaris concordiæ & inæstimabile pacis bonum perducere modis omnibus satages, tibique propterea inter potentatus invicem dissidentes, ac illis adhærentes, complices & sequaces eorundem de & super quibuscumque discordiis, differentiis, atque guerris vigentibus, & quæ esse possunt inter eos ac quibuscumque juribus, actionibus, occasionibus seu modis quomodocumque & qualitercumque nostro & dictæ ecclesiæ nomine tractandi & componendi, ac indicendi sub spe pacis treguas, & inducias quaslibet temporalas,* & infra, *plenam & liberam præsentium tenore concedimus facultatem, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum an. Incarnationis dominicæ MCDLXXXIV. IV. kal. aprilis pontificatus nostri anno XIII.* Extant eodem argumento datæ ad ducem Venetorum hortatoriæ ad pacem literæ (*b*).

Induciarum imperandarum collata auctoritas.

(*b*) *Sixt. lib. brev. an. 13. 28. mart.*

XVI. Decreta porro hæc legatio fuit, cum Joannes Mocenicus Venetæ reipublicæ princeps censurarum laqueis irretitus ea religione solvi flagitaret, controversiamque de Ferrariensis agri limite, tum de Roberto Sanseverinate, & Guidone Rubeo Parmensi in pristinis juribus principatus restituendis pontificio arbitrio se permissurum significasset: quam causam Ferdinando, & Elisabethæ Castellæ & Aragoniæ Regibus Pontifex exposuit (*e*), cum pacis interpretes se fore essent polliciti.

(*e*) *Ib. 23. martii.*

*Regibus Hispaniæ.*

*Cum ex insperato res se obtulerit, visum est nobis, & venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus eam amplecti, & non permittere tantam occasionem conficiendæ pacis, quam nos semper desideravimus, maxime cum Veneti ipsi libere omnia in pectore nostro remittere velle scribant, non enim honestum nobis fuisset, si tantam liberalitatem, & reverentiam fuissemus aspernati, præcipue ubi speramus secuturum esse tantum commoditatis, & boni toti Italiæ, & per consequens universæ reipublicæ Christianæ. Itaque legatum creavimus, qui statim versus partes illas proficisceretur, recepturus nomine nostro in manibus suis omnia loca in præsenti bello capta juxta eorum oblationes, & alia facere curabit, quæ expedire videbuntur huic sanctissimo operi ad optatum effectum deducendo. Dat. Romæ die XXIII. martii MCCCCLXXXIV. pontificatus nostri anno XIII.*

Cardinalis Olyssippon. illius interpres.

XVII. Delusum se spe & expectatione pacis fuisse questus est (*d*) Sixtus, Venetosque pronos se ad concordiam fallaci specie præbuisse, ut tutius instruendo bellico apparatui vacarent: cumque Reges gravate accepissent, Lusitanum Cardinalem ad ineunda concordiæ colloquia adhibitum, cum ipsi facilius rem ad optatum exitum se adducturos præsiderent, Sixtus hæc iis rescripsit.

(*d*) *Sixt. lib. brev. mens. jul.*

*Regi Hispaniæ.*

*Exposuit nobis dilectus filius noster Cardinalis Gerundensis, majestatem tuam admirari, & dolere quod pacem, de qua superioribus diebus cum Venetis actum est, non per manus tuas, sed per dilectum filium nostrum Cardinalem Ulissiponensem tractari voluerimus, & multa in hanc sententiam loquutus est, quæ non parum animi tui dolorem præ se ferebant. Non est, charissime fili, quod ex hoc ulla afficiaris molestia, si enim rei necessitatem consideraveris intelliges aliter fieri non potuisse; scis enim quantum honori tuo semper tribuerimus, prout tributuri semper sumus.* Pergit narrare Venetos controversiam Pontificio arbitrio permittendam præ se tulisse, ac omnia ecclesiæ erepta restituturos spopondisse, ad quæ recipienda missum prædictum Cardinalem Ulissiponensem, sed vana specie expectationem delusisse tum addit: *Quomodo res successerit, credimus majestatem tuam ex literis Cardinalis Gerundensis jam cognovisse. Veneti sicut occulta fraude illa tentarunt, ut commodius, & liberius præparamentis futuri belli, quod in animo habebant, vacare possent, ita rem ex die in diem dolose protrahentes, cum fere singula eis concessissemus, quæ postulassent, & quæ concedi non debebant: cupidi enim Italicæ quietis eorum petitionibus satisfacere studebamus, ne quam detrectandæ pacis occasionem haberent. Cum crederemus esse conclusum, actualem tandem depositionem impudenter facere negaverunt, quam per literas suas polliciti erant, & ob quam præcipue legatum miseramus. Ita apertam eorum fraudem animadvertentes revocavimus ad nos Ulissiponensem, ne frustra diutius illic tempus contereret, non sine magna honoris nostri, & confœderatorum nostrorum diminutione. Habes nunc rei seriem, & intelligis quo ordine sit processum: noli dubitare magnam authoritatis tuæ ratio-*

Dolo ostensa a Venetis pacis species.

Promissi fides ab iis violata.

tio-

*tionem a nobis haberi, &c. Dat. Romæ die* xv. *julii MCCCCLXXXIV. pontificatus nostri anno* XIII. Flagitabant continentibus votis Castellæ Reges Italicam pacem, cum ipsi Granatensis belli molem versarent, optarentque piorum arma in infideles verti; ad quorum promovenda pia consilia Sixtus bellum sacrum in Mauros obituris criminum veniam proposuit: *Indulgentias*, inquit, *sanctæ cruciatæ contra Mauros ad supplicationem majestatum vestrarum concessimus*.

XVIII. Non admisisse porro Sixtum tolerabiles pacis cum Venetis leges memorat Jacobus Maffeus Volaterranus (a) ex dictis pontificiis paulo post afferendis, quas legato apostolico Cæsenæ agenti obtulerant; sed dum sui juris tenax Sixtus plura posceret, paucioribus contentus esse coactus est, cujus ignominiæ dolorem illi mortem accersivisse creditum fuit: Ferdinandus enim Rex Neapolitanus, cujus consilio Sixtus bellum susceperat in Venetos, & reliqui socii principes pontificiam causam prodiderunt, suisque commodis inservientes ecclesiastico nomini parum detulere. Urgebat etiam eos imminentium extracti belli malorum timor: nam Ferdinandus, Venetis Galliopoli, Nerito, Recalisca, & aliis locis in Calabriæ ora potitis (b), novos motus in regno metuebat, ne veteres in eo factiones recrudescerent, extantque Ferdinandi literæ hoc anno datæ ad Cardinalem Fregosium Genuæ principem, quibus illum rogat, ut arma adversus Venetos Italiæ imperium affectantes conjungat.

(a) *Volat. ubi sup.*

Proditus a fœderatis Sixtus.

(b) *Ann.* 13. 18. *febr.*

XIX. Veneti Ferdinandi res in discrimen adducunt.

(c) *Sabell. ennead. l.* 7.

(d) *Id. ib.*

(e) *Ext. ea de re ad Matth. lit. brev. an.* 13. 10. *mart.*

Mediolanensis maximis curis æstuat.

(f) *Lib. brev. an.* 13. 13. *jul.*

(g) *Volat. ms. arch. Vat. sig. n.* 40. *&* 111. *Sabell. ennead.* 10. *l.* 7. *in fin. Brutus hist. Flor. l.* 8. *& alii. Sabellic. ubi sup.*

At Veneti continuis Mediolanensis ducis in Brixiensi, & Veronensi agris excursionibus vexabantur (c): tum apud Ferrariam non parvam cladem pluribus captis cæsisque acceperant, impendebatque metus, ne Matthias Pannoniæ Rex, qui duci Ferrariensi affinitate erat junctus, & quem Sixtus ad inferendum ipsis bellum incitabat (d), quasi Veneti totius Italiæ dominatum affectarent, repente exercitus in eos immitteret. Ludovicus vero Sfortia, qui Mediolanensis rei administrationem capessiverat, curarum expers non erat, ne Ludovicus Aurelianensis ad avita jura repetenda e Galliis evocaretur (e), neve Bona ducissa novos motus excitaret, quo filio principatus habenæ restituerentur. Inconsulto itaque summo Pontifice, qui plura cum Venetis irrito exitu colloquia de pace agitarat, apud Balneolum Brixiensis agri oppidum inter socios principes, ac Venetos fœdus sancitum est (f), de quo Marcus Antonius Sabellicus horum, ut ipse testatur, inspector hæc prodidit (g).

XX. *Concidit Ferdinandi animus ubi recepta vidit suis finibus, nempe in Calabria, Veneta arma mox alia atque alia appetendo plusquam sibi tutum esset invalescere, nec jam inde destitit, priusquam id incendium latius serperet, de pace cogitare, quæ non multo post secuta est: enimvero Aragonius dux cum centum viginti turmis equitum post Severinatem in apertum egressus apud Balneolum, ubi superiore anno fecit castra, Severinas, cui tres circiter & nonaginta aderant equitum turmæ, peditumque ingens numerus ad Zenonem medius inter Brixiam consedit, & hostium castra, atque hic demum de pace actum: de qua cum adhuc ageretur, Venetus circa Ferrariam parum prospere dimicavit; quadringenti circiter capti sunt, multi etiam interfecti; eratque jam pax ad exitum propemodum perducta, cum ex Verona Brixiam contuli me Veneta castra visurus. Erant tunc in his legati Nicolaus Pisaurius & Lucas Pisanus, a quibus perhumane acceptus, cum per otium omnia lustrassem, facta est mihi copia ex illorum auctoritate ad hostes sub publica fide penetrandi. Hic cum ad Alfonsi tabernaculum pervenissem, observata sunt mihi principum fere omnium, & populorum Italiæ signa ante vestibulum sua: quæ res demonstrare visa est quantam belli molem Veneti jam biennio, & amplius pertulissent: nec ita multo post pax sancita est anno humanæ salutis* MCDLXXXIII. * Deest unus apex, hujus enim sæculi octuagesimo quarto pacem firmatam constat ex dictis dicendisque: *In pace sancienda hæc sunt conditionibus ascripta, ut Venetus Galliopolim, & oppida in Calabria bello capta Ferdinando restitueret, ut præsidia ex circumpadanis locis educeret, & quæ Ferrariensi bello occupasset; ipsi Rhodigianam, Polesinum habèrent Asulam, & quidquid in Brixiano agro aut Bergomati hostis cepisset, reciperent. Fuit ea pax, ut Veneto honesta, ita universæ civitati pergrata.*

Fessi principes de pace agunt.

* MCDLXXXIV. Quæ leges dictæ.

Meminere de eadem pace historici (h), quorum nonnulli Sixtum carpunt (i) lethiferum ex ea traxisse dolorem quod ardente Italia bello consanguineos suos in supremo gradu collocare non potuisset, cujus calumniæ labem detergit Raphael Volaterranus, veramque concepti doloris causam demonstrat, non quod honestandi suos prærepta foret occasio, sed quod, cum juris pontificii vindex esset acerrimus, detractum Ecclesiæ juri & honori doleret, atque ita ingravescente, quo jam laborabat, morbo arthritico confectum obiisse: *Rem*, inquit (k), *Romanam sedisque Apostolicæ dignitatem ita tuebatur, ut non facile cuiquam quamvis maximo pessumdari pateretur: quod cum in cæteris supradictis, tum in ultimo ostendit bello pro Hercule*

(h) *Raph. Volat. l.* 4. *Brutus hist. Flor. l.* 3.

(i) *Id. ib.*

(k) *Raph. Volat. l.* 22.

Sixtus animi dolore & podagra extinguitur.

*cule Estensi cum pacem a sociis præter ejus voluntatem, & consensum fieri conspiceret, eu animi uti putatur dolore, podagra insuper aggravante, qua in ultimis annis maxime laborabat, in quintum diem expiravit, qui fuit pridie idus augusti anno salutis MCCCCLXXXIV. pontificatus* XIII. Nimirum absoluto ineuntis decimiquarti die quarta, sedit enim annis tredecim diebus tribus, cum ex Paulo Benedicto, Nicolao (*a*), & Bartholomæo Platina (*b*) creatum Pontificem nona augusti anno MCCCCLXXI. viderimus. De tempore obitus consentit Joannes Burchardus (*c*) ceremoniarum magister in suis diariis: *Obitus*, inquit, *ea Sixti Papæ IV. feria* v. XII. *mensis augusti inter horam quartam noctis, vel circa* [1].

(*a*) Paul. Bened. Nicol. Ms. arch. Vat. sig. n. 110.
(*b*) Bar. Plat. ms. arch. Vat.
(*c*) Jo. Burch. ms. arch. Vat. sign. n. 37.

XXI. His addemus Jacobum Maffeum Volaterranum (*d*), qui causam accersitæ mortis a Raphaele Volaterrano designatam accuratius describit, neque enim pacis odio, quam summis studiis consectatum semper vidimus, sed spretæ in illius formulis sacrosanctæ majestatis dolore nimio morbum auxit: *Moritur*, inquit, *Xystus IV. Pontifex maximus die jovis, quo celebratur solemnitas B. Claræ inter quartam & quintam horam noctis, cum paucis ante diebus languisset. Post vesperas*, nempe diei mercurii XI. augusti die, *cum jam conclusa esset pax in Longobardia apud Bagnolum, ita enim illi vico est nomen, agri Brixiensis venientes legatos fœderis Italici pacem nunciaturos intromitti jussit, atque in novis superioribus cubiculis eos audivit: quibus auditis indoluit non pacis nuntio, ut dictitant maledici, & illius gloriæ æmuli, sed iniquis pacis conditionibus intellectis, atque in hæc verba prorupit: Bellum gessimus periculosum & grave, ut parta victoria honorificam pacem cum securitate Romanæ sedis, & honore nostri hujus fœderis consequeremur: & cum jam, ut scitis, volente Deo, esset in manibus, conditiones pacis adfertis [venia vestra sit dictum] victis quoque, quam victoribus convenientiores. Obtulerant Veneti alias legato nostro apostolico, ac Cæsenæ agenti multo æquiores, tam nobis quam vestris principibus utiliores: honor dabatur huic sedi, qui nunc adimitur: capta bello hinc inde oppida nostræ fidei mandabantur: obsides nobilitatis illius primates ad nos mittebantur, expectaturi judicium nostrum: de peninsula Ferrariensi nulla fiebat tunc mentio: horum aliquid non adfertis modo, sed contra ignominiæ, & dedecoris pacem nunciatis plenam confusionum, & opprobriorum, & quæ plus mali, quam boni cum tempore sit paritura. Eam, dilecti in Christo filii, commendare aut probare non possumus. Legati videntes sanctum senem præsenti nuntio affligi & languores ejus incrementa suscipere, linguam quoque loquendo hebetiorem fieri, conabantur bonis verbis illum solari, medicis etiam adjuvantibus: & iidem consilium abeundi capientes dixerunt se alias ad ejus beatitudinem quietiorem, ut sperabant, reversuros, supplicantes nihilominus* pla-

(*d*) Jac. Vol. ms. arch. Vat. sig. n. 49. & 111.

Ægre tulit inhonestas ecclesiæ pactiones sancitas.



NOTÆ [1] Agit hic Annalista de obitu Sixti IV. quem anno, mense, & die in annalibus designato interiisse plane constat. Hunc pontificem vituperant multi, pauci laudant; sed nec laudatoribus nec detractoribus plurimum deferendum ex eo constat, quod cum tota omnino Italia, atque ipsa demum Roma divisa esset in partes, quarum uni favebat Sixtus, alteri adversabatur, scriptores quique, pro studio factionis suæ de pontifice loquebantur. Plerisque tamen invisior fuit, quod bellum plus æquo amasse videretur, & nepotum suorum ambitionem nimis foverit. Vicissim autem benignitate, & clementia plurimum valuit. Liberalitate in pauperes præsertim fuit insigni, ex qua factum est, ne quæ prædecessorum suorum plerisque vitio data sunt ab authoribus, immoderatam scilicet cogendarum divitiarum cupiditatem, nemo illi exprobrarit. Indolem, vitia, & virtutes hujus pontificis nemo melius pingit, ac Philippus Bergomas Augustinianus, quem lectores adeant.

Literas, quales tunc Monachum decebat, excoluit diligenter. Quid profecerit demonstrant vulgata ab ipso opera, quorum catalogum diligenter texit Ludovicus Jacob a S. Carolo Burgundo-carmelita in bibliotheca pontificia, sicut & tria ex illis operibus potissima commemorat Sanutus in vitis ducum Venetorum, qui scripsisse Sixtum perhibet librum *de sanguine Christi*, alterum *de futuris contingentibus* & tertium *de Conceptione B. Virginis*.

Sub eo pontifice christianæ disciplinæ rigorem plurimum elanguisse ex iis colligo, quæ idem pontifex permisit Jacobo Scotorum regi literis hic in annalibus num. 6. recitatis, tum pariter ex iis, quæ Castellanus episcopus in Germania A. S. L. ex apostolica indulgentia concessit, quæ singula enarrat chronista Misnensis: scribit enim inter cætera ab eodem legato dispensatum *in cibo quadragesimali in quadragesima, & aliis jejunii diebus, mutando in lacticinia*. Quibus verbis intelligimus lacticiniorum in quadragesima usum non recepta ab antiquo consuetudine obtinuisse, sed ex indulgentia pontificis concessum invaluisse.

Justis solemnibus defuncto pontifici exactis cardinales die XXV. augusti in conclave ad electionem novi pontificis concessuros Guillelmus de Perreriis totius ecclesiæ nomine pro concione allocutus est, rogans ut optimum pontificem flagitanti ecclesiæ darent, qui clerum in veterem sanctitatem refingeret, qui literas a clero exulantes reduceret, pristinam authoritatem cardinalibus apud exteros vindicaret. Hanc orationem ex ms. codice dedit Martene Anecdot. to. I. col. 1757. Nec frustra ille admonuit; nam cardinales brevi in optimum pontificem Innocentium VIII. convenerunt, qua de re in annalibus. MANSI

*placeret benignitati suæ paci jam dictæ benedictionem suam adiicere, quandoquidem eorum potentatus nihil ab illa diversum petituri essent, Pontifex mota paululum manu, vel paci, vel illis jam a se abeuntibus benedixit. Cubicularii vero senem labore, & dolore confectum in lectulo collocarunt, & quibus possunt medicamentis & pio & amanti ministerio illum consolantur, & adjuvant: sed ea nocte, & die jovis sequenti semper in horas auctus est languor, & dolor adeo, ut adveniente hora, quam dixi, spiritum creatori suo reddiderit, nullis non modo ambagibus obversantibus, sed multa certe quiete. Communicaverat quatriduo ante per manus Cervicensis episcopi, acta prius per eum divina re. Iterum hoc etiam die, sed paulo ante obitum, cum adhuc essent integri sensus a præsulibus Palatinis Deo, & B. Virgini ejus est anima commendata. Mortuum minores pænitentiarii laverunt, & veste sacra ex eorum munere ornaverunt, & in feretro collocantes spectandum publice statuerunt.*

Sacramentis rite procuratus obiit.

XXII. Sepultus est in sacello Vaticanæ basilicæ, quod vivus extruxerat, ejusque sepulchrum visitur hodie ornatum hoc epitaphio: *Sixto IV. Pontifici maximo ex ordine Minorum doctrina, & magnitudine animi omnis memoriæ principi: Turcis Italia submotis, auctoritate sedis aucta, urbe instaurata, templis, ponte, foro, viis, bibliotheca in vaticano publicata, jubilæo celebrato, Liguria servitute liberata, cum modice ac plano solo condi se mandavisset, Julianus Cardinalis patruo bene merenti, majore pietate quam impensa faciendum curavit. Obiit idibus sextilis hora ab occasu quinta anno Christi MCCCCLXXXIV. vixit annos LXXX. dies* XXII. *horas* XII. Emblemate hoc sacro in pontificio sigillo uti erat solitus: *Auxilium meum a Domino, qui fecit cælum, & terram.*

Epitaphium illius.

XXIII. Plura de insignibus ejus operum molitionibus referunt authores, atque inter alios Bartholomæus Platina (a) hæc tradit: *Xystus recepto honorifice Marco Barbo S. Marci presbytero Cardinale a Pannonia redeunte, ut pacem inter Pannoniæ Poloniæque Reges de regno Bohemiæ contendentes componeret, ad urbem Romam exornandam omnino conversus pontem, jam pridem disjectum, quemque Romani cives merito ruptum vocabant magna cura, & impensa a fundamentis ex Tyburtino lapide restituit ad utilitatem populi Romani peregrinæque multitudinis ad jubileum venturæ, suoque de nomine Xystum merito appellari voluit. Aggressus sane opus, ut cernere licet, principe dignum, quod certe nulli Pontificum antea contigit umquam. Hoc ideo potissimum ab eo factum existimo, ne peregrini euntium ac redeuntium multitudine obtriti perirent, quemadmodum Nicolai V. tempore, ut diximus, in Adriani ponte contigit. Præterea vero utilitati urbanæ consulens ductus aquæ virginis pene amissæ elimatos prius perpetuo fornice a monte Quirinali ad Trivii fontem sua impensa perduxit.* Et infra: *Divina quoque templa exornara aggressus D. Petri in Vaticano basilicam repurgatam prius marmoreis & vitreis fenestris templo accommodatis dilucidiorem reddidit, appendicem quoque miræ profunditatis & altitudinis ad sinistram ejusdem templi, quæ non longe ab obelisco ducit, ne paries ille a reliquo corpore parumper sejunctus ponderi aliquando cederet. Sternit & latera Constantinianæ basilicæ, repurgata prius & in meliorem formam redacta. Ædificatur præterea apud sanctos Apostolos sua impensa fornix major, quam tribunam vocant, mire fastigiatus ad templi caput ducitur tanta cum arte, ut nulla basilica Romæ pro magnitudine futura sit augustior, si quod Julianus nepos mente concepit, & jam inchoavit, tandem perficiet.* Nonnullis interiectis: *Portum e regione Ostiæ ultra Tyberim a Claudio inchoatum, a Trajano perfectum, repurgare instituit, ac navigiorum, ut antea fuit, capacem reddere, opus sane regium & pontificio nomine dignum. Hospitale item sancti Spiritus, sepulchrum potius ob situm & incommoditatem loci, pauperum & ægrotantium hospitium restituere adorsus, magna jecit fundamenta, tum ad ornatum urbis, tum vel maxime ad peregrinorum & ægrotantium commoditatem. Magna quoque impensa Assisii S. Francisci ædes illas egregias & multorum fratrum capaces jam collabentes ob rimosos parietes & fundamenta subsidentia, restituit, ducta ingenti appendice, quæ totum cœnobium sustineret:* Hactenus Bartholomæus Platina, cujus commentarium, ne cætera Sixti gesta recenseret, mors abrupit.

(a) *Plat. mss. arch. Vat.*

Pons ab eo Tyberi impositus qui Sixtinus dictus.

Restituta aquæductus aquæ virginis.

Ornata basilica Vaticani.

Instaurata basilica XII. Apost.

Portum Tyburtin. pro navalibus restituere annisus.

Refecta ecclesia Assisii S. Franc.

XXIV. Scripsit reliquas ejusdem Pontificis res gestas Raphael Volaterranus (b), qui simulandi nescius nonnullos ejusdem pontificis nævos perstringit, tum ejusdem virtutes in luce collocat. Suorum in primis ipsum fuisse amantissimum, nimisque in eos indulgentem, quorum causa magnam sibi creavit invidiam. Petrum Riarium Franciscani ordinis cardinalitia dignitate donavit, juvenem luxui deditissimum ubi ex mendicitate emersit, quique tabidus voluptate decessit: Hieronymum autem Forilivii Foricorneliique principem creasse virum sæviorem ingenio, non sine rei ecclesiasticæ damno. Tum de Cardinalibus ab eo renuntiatis subdit: *Xistus post hos fratrum sororumque filios extulit,*

(b) *Volater. in antropol.*

Suorum amori nimium indulsit.

Quinam ab eo Cardinalatu donati sint.

*tulit, neque enim alter propinquis fœcundior fuit: inter quos Julianum S. Petri ad vincula Cardinalem ejusque fratrem Joannem urbis præfectum, Soræque, ac Senogalliæ principem fecit: deinde Christophorum & Dominicum de Ruvere fratres patria Taurinenses ex successione in patrum etiam collegium cooptavit, ab his enim, & nomen olim familiæ sumpserat, & plura vitæ commoda: præter autem supradictos, & alios diversis temporibus creavit Joannem Columnensem, & Joannem Baptistam Sabellum, quos, postea quam suspectos haberet, post consistorium die quadam in molem Hadriani conjecit, unde post annum incolumes dimisit. Præterea Georgium Ulyssipponensem, Stephanum Nardinum Mediolanensem præsules, Raphaelem Savonensem Hieronymi comitis supradicti ex sorore nepotem ætate annorum XVII. Ascanium Mariam ducis Francisci filium qui ambo nunc, & gratia, & authoritate pars maxima senatus sunt.* Donatum hoc anno sacra purpura Ascanium refert Jacobus Volaterranus (a) sic inquiens: *Ascanius Maria Sfortia Vicecomes Joannis Galeatii ducis avunculus hodie mercurii decima septima martii in secreto senatu Cardinalis designatus est viginti patrum, qui senatui interfuere, concordantibus suffragiis.* Confirmat hæc Joannes Burchardus (b), atque Ascanium renuntiatum diaconum, & ecclesiam S. Viti in macello illius curæ commendatam ait. Pergit Raphael Volaterranus. *Postremo Joannem Jacobum patria Mediolanensem Parmensem, præsulem, cubicularium suum, quem servitio tantum acceptum ex humili loco promovit.*

(a) Jac. Maph. Volat. ms. arch. Vat. sign. n. 49. & 111.
(b) Burch. ms. arch. Vat. sign. n. 37.

XXV. Interjectis nonnullis de bellis a Sixto gestis in Nicolaum Vitellium Tifernatem, in Laurentium Mediceum Florentinum, in Ferdinandum Regem Neapolitanum, in Venetos, in Columnenses queritur, illum viam industriæ præclusisse, muneribus Romanæ curiæ turpissime auro divenditis, non suo sed administrorum vitio: *Cum*, inquit, *tot tumultibus absumpta pecunia indigeret, nova collegia primus excogitavit, quæ licerentur. Dato itaque negotio Sinolpho protonotario e castro Octerio viro solerti breviatores minoris præsidentiæ instituit, quondam a Pio creatos, deinde a Paulo successore sublatos, quorum loca quingentis: postea, sollicitatores, quorum trecentis veniere, deinde adstipulatores, certos, sine quibus nullæ possent confici tabulæ: sed hi per successorem antiquati: postremo apostolici fisci novem notarios, quibus emolumenta unius adsignavit, quia antea cunctis præerat; is fuit ætate nostra Gerardus Maffeus Volaterranus, qui ob egregium bonitatis, ac prudentiæ nomen ei muneri gratuito a Ludovico patriarcha, ac camerario delegatus fuerat, ac Gasparem Blondum successorem habuerat: atque hoc modo curiæ Romanæ libertas in compedes quasi conjecta, ut nulla industriæ via sperari possit. Verum hæc seu necessitati, seu verius proximis, ac ministris tribuenda, manu eo Pontificum nullus nec animo munificentior, nec in dando hilarior, nec in promovendis hominibus promptior repertus fuit; misores enim atque a Turcis ejectos principes, Bosnæ Cyprique Reginas, præterea Andream Palæologum Peloponesi, & Leonardum Toccum Epiri despotos aluit; Saxoniæ ducem, Christiernum Daciæ, deinde Moesiæ, novissime Ferdinandum Siciliæ Reges Apostolorum limina salutatum venientes magnificentissimis sumptibus excepit. In operibus publicis æque maximus urbem a situ ac cœno vindicavit, viis primum munitis, porticibus quoque ejectis, quæ vias occupabant, vicorumque magistris, ac curatoribus institutis. Templa insuper vetustate obsita omnia restituit: xenodochium S. Spiritus pulcherrimis ædificiis ampliavit; templum pacis de novo constituit, ubi canonicos regulares a basilica Lateranensi ejectos reposuit, pontem Aurelium penitus collapsum suo nomine refecit, ædes in vaticano pontificias refecit, prætorianis excubitoribus magistratibus, muneraque obeuntibus loca commoda assignavit, cum prius præter dignitatem in cellis fere penuariis situ squallentibus habitarent: Romam denique ex lutea lateritiam, sicut olim Augustus ex lateritia marmoream reliquit: annum jubileum ad XXV. reduxit primusque celebravit.*

Instituta ab eo nova collegia pro cogendo auro.

Serviit tum necessitati. Munificentissimus in principes extitit.

Ornavit Romam.



XXVI. Addimus cæteris elogiis Sixtum de Moscovia ad Romanæ ecclesiæ obsequium revocanda egisse (c), ac Joannem Basilium ducem poposcisse ab eo ut Christi vicario regium vel imperiale nomen: cui adversari visus est Casimirus Rex Poloniæ, cum de Russia eum Moscovita quem Novogardiam magnam mense nov. anni MCDLXXVII. Poloniæ eripuisse tradunt Moscovitici commentarii (d): Sixtus vero Polono rescripsit se illius consulturum juribus, nec eo inconsulto Moscovitam totius Russiæ Regem Imperatoremve se dicturum. Non perfecta est (e) ea Moscoviticæ ecclesiæ cum Romana conjunctio, quæ ad augendas Christianas vires, Mahumeticamque superstitionem obterendam admodum erat necessaria: Moscovitas autem olim Romanæ ecclesiæ paruisse vidimus, deque redintegrando ecclesiarum fœdere cum Clemente VII. egisse inferius dicemus. Porro Joannem Basilium regium titulum sibi arrogasse narrat Sigismundus

De Moscovia Romanæ eccl. conjungenda egit.

(c) Sixt. lib. brev. an. 13. 7. febr.
(d) Sigism. lib. comm. rer. Mosch. p. 74.

Cur Basilium Regem non dixerit.

(e) Sixt. ub. sup.

(a) *Sigismund. Lib. p. 15.*

Liber toparcha (*a*) in commentariis Moſcoviticis, quos dum Maximiliani Cæſaris in Moſcovia legationem agebat, conſcripſit: *A tempore*, inquit, *Rurickh uſque ad hunc præſentem principem non alio titulo uſi ſunt principes illi, quam magnorum ducum, aut Vvolodimeriæ, aut Moſcoviæ, aut Novogardiæ, &c. præter Joannem Baſilii, qui ſe dominum totius Ruſſiæ, & magnum ducem Vvolodimeriæ, &c. appellat. Hic vero Baſilius Joannes ſibi vendicat & titulum, & nomen regium in hunc modum. Magnus dominus Baſilius Dei gratia Rex, & dominus totius Ruſſiæ, & magnus dux Vvolodimeriæ, Moſcoviæ, Novogardiæ, Pleſcoviæ Smolenskiæ, Tuveriæ, Jugariæ, Permiæ, Viackiæ, Bulgariæ, &c. Dominus, & magnus dux Novogardiæ terræ inferioris, & Czernigoviæ, Rezaniæ, Wolotkiæ, Reſcoviæ, Beloiæ, Roſtoviæ, Jaroslaviæ, Bielozeriæ, Udoriæ, Obdoriæ, Condiviæ, &c.*

Moſchi principis tituli.

XXVII. Addit author eumdem Moſcovitam Album Regem appellari, & cauſam a proceribus ſciſcitatum, non aliam comperiſſe, quam quod albis tegumentis utebatur, ut Perſam propter rubea capitis tegumenta Kiſilpaſſa, id eſt, rubrum caput vocant. Licet vero is regio titulo utatur in literis ad Romanum Pontificem, Imperatorem, Sueciæ & Daniæ Reges, magiſtrum Pruſſiæ, nec non ad Turcam datis; a nemine tamen, niſi forte a Livonibus, Regem appellari. Tum de inſigni Chriſtiano emblemate titulis inſcribi ſolito meminit: *Titulis*, inquit, *antiquitus tribus circulis triangulo incluſis uti ſolebant, quorum primus in ſupremo circulo hiſce verbis continebatur: Deus noſter Trinitas, quæ fuit ante omnia ſæcula Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; non tamen tres dii, ſed unus Deus in ſubſtantia. In ſecundo titulus Imperatoris Turcarum erat particula adiecta. Fratri noſtro dilecto. In tertio titulus magni ducis Moſcoviæ, quo ſe Regem, ac dominum totius Ruſſiæ orientalis, & meridionalis fatebatur.* Hactenus de Sixti IV. pontificatu, nunc de ejus ſucceſſore agendum eſt.

Eximia de Trinitate profeſſio publica.

XXVIII. Controverſum an Aſcanius Card. admittendus ad conclave.

Peractis demortuo Pontifici novem dierum ſpatio funebribus ſacris, cum purpurati patres conclave ingrederentur ſuffragia de novo pontifice renuntiando laturi, revocatum eſt in dubium, an Aſcanius Sfortia Cardinalium ſenatui antea aſcriptus, in quo ſacer ritus de aperiendo ore nondum perfectus fuerat, ſuffragium conferre ad creandum novum Pontificem poſſet, tandemque patrum ſententia decretum eſt poſſe petito ex veteribus exemplo, cujus nos in Urbano V. meminimus (*b*); in illius enim creatione

(b) *Id. ib.*

Androinus abbas Cluniacenſis, cui os nondum clauſum apertumque vetere inſtituto fuerat, una cum cæteris ſententiam tulit. At antequam rogarentur de novi Pontificis creatione ſententiæ, Cardinales nonnullas leges partim ad ſua augenda commoda, partim ad rem eccleſiaſticam temperandam condidere, quibus novum Pontificem conſtrictum voluere, quamvis jam ante ab Innocentio VI. ſancitum viderimus (*c*) nulla humana arte pontificiam authoritatem contrahi poſſe, neque Cardinales, Romana eccleſia ſuo viduata paſtore, ulla alia poteſtate quam ad dandum orbi antiſtitem pollere.

Conditæ in conclavi leges a Cardinalibus.

(c) *Annal. to. 16. A. C. 1353. n. 29.*

Quæ vero leges inventæ ſint a Cardinalibus refert accuratiſſime prædictus Joannes Burchardus Argentinenſis clericus, (*d*) ſacris ceremoniis præfectus in manuſcripto codice tabularii Vaticani, quarum priores ſcriptæ fuere ad dignitatis cardinalitiæ augendam amplitudinem, in primis nimirum, ut centum aurei menſtrui ex pontificio ærario ſuppeditarentor Cardinalibus, qui annua quatuor millia aureorum ex ſacerdotiorum vectigalibus non haberent; ur libertas omnis in conſiliis dandis permitteretur, ut in nullum judiciarius ordo inſtitueretur, niſi conſentientibus tribus Cardinalibus ex quolibet ordine ſingulis delectis, neque in eum ferretur ſententia, niſi ex conſtitutione Silveſtri: immunitas pendendi vectigalis ſancita: omnium ſacerdotiorum in eccleſiis, quibus præſunt, conferendorum jus datum. Conſtitutum etiam cenſuras cuipiam Cardinali non incuſſum iri, niſi juris canonici leges ita ſanxerint; quæ omnia ſinguli Cardinales, ſi ad pontificatum eveherentur, ſacramento confirmarunt.

(d) *Jo. Burch. mſ. arch. Vat. ſign. n. 37. p. 75.*

*Tenor capitulorum prædictorum.*

*In primis de cameræ apoſtolicæ proventibus dare & ſolvere, ſeu dari & ſolvi facere centum florenos auri de camera omni menſe cuilibet Cardinali non habenti integre de proventibus eccleſiaſticis quatuor millia florenorum annuatim: quouſque ei proviſum ſit de dicta ſumma in redditibus & Cardinales omnes habentes quæcumque beneficia eccleſiaſtica, etiam incompatibilia in titulum, vel commendam, manutenebo, & defendam in perceptione eorumdem. Item, ut mihi ab eiſdem Cardinalibus libera proveniant conſilia, non apponam, nec per quempiam apponi permittam manum in perſona, vel bonis alicujus ex eis, nec aliquid in eorum ſtatu, & proviſione mutabo quacumque ratione, cauſa, vel authoritate, vel occaſione ſine expreſſo conſilio, & conſenſu duarum partium dominorum Cardinalium, nec aliquo modo procedam,*

Vectigal pro ſuſtentandis Cardd. conſtitutum.

*aut*

Asserta eorum libertas.

*aut procedi mandabo, vel permittam contra aliquem ex eis, nisi assistentibus, & consentientibus tribus Cardinalibus, uno videlicet ex quolibet ordine eorum per ipsos Cardinales, aut majorem partem eorum ad id deputandis: nec damnabo aliquem ex eis, nisi convictum numero testium expresse ex constitutione Silvestri Papæ facta in synodo, quæ incipit:* Præsul non damnabatur, *servaboque eos liberos, & exemptos ex omni datio, & gabella, prout tempore felicis recordationis Nicolai V. & Sixti Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum factum fuit, nec eis ecclesiis, monasteriis, & aliis beneficiis ecclesiasticis per eos pro tempore obtentis ullum decimæ subsidii, aut alterius nominis quocumque nomine nuncupati gravamen quacumque ratione, vel causa imponam, vel ab iisdem Cardinalibus pro ecclesiis, monasteriis, quibus eos præfici, & beneficiis quibuslibet ecclesiis, de quibus eis pro tempore provideri in titulum, vel commendam continget, sub annatorum, seu mediorum fructuum minutorum servitiorum, seu alio quocumque nomine penitus exigam, aut ab eis sponte offerentibus, & solventibus recipi seu exigi faciam, vel permittam quoquomodo directe vel indirecte, privilegiaque*

Restituta privilegia.

*eorum omnia, & singula illæsa, qualiacumque sint, conservabo: & si aliquæ obligationes in camera apostolica ratione prædictarum annatarum reperiantur, eas in totum aboleri faciam, & cassari.*

Collatio sacerdotiorum permissa in ecclesiis quibus præsunt.

*Item cum Cardinales S. R. E. assidue assistant summo Pontifici, & proinde debeant specialibus prærogativis, & privilegiis gaudere, ex nunc concedo ipsis Cardinalibus plenariam, & liberam dispositionem omnium, & singulorum monasteriorum, prioratuum, præpositurarum, dignitatum, personatuum, administrationum, & officiorum, canonicatuum, & præbendarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, & sine ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, confirmationem eorumdem ratione ecclesiarum, & titulorum Cardinalium, & etiam ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, dignitatum, personatuum, administrationum, & officiorum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, quibus præsunt, & quæ obtinent, eosque præesse, & pro tempore obtinere continget in titulum, vel commendam:* Et infra.

XXIX. Absentes immunitatibus gaudeant.

*Item quod omnes, & singuli Cardinales in electione mea præsentes, quos pro tempore, & qui pro tempore fuerint, quacumque de causa a Romana curia se absentare contigerit ad ecclesias suas, vel quæcumque loca, etiam remota, & extra Italiam cum licentia mea vel verbo, vel in scriptis, gaudeant omnibus, & singulis privilegiis consuetis, ac si præsentes existerent, in omnibus, & per omnia plenissime absque alia interpretatione, vel tergiversatione. Item omnes, & singulas absolvendi, dispensandi, & alia faciendi facultates, privilegia, concessiones, & indulta, quæ a felicis recordationis Sixto Papa IV. & quocumque alio prædecessore meo in favorem Cardinalium eorundem in genere, vel in specie quomodolibet hactenus emanarunt, approbabo, & confirmabo.* Et infra: *Præterea cum periculosum sit, quod ii, qui summo Pontifici in executione pastoralis officii frequenter assistunt, ne in aliquo casu excommunicationis, interdicti, vel suspensionis sententiam incurrant, statuo, decerno, & declaro, quod Cardinales præfati, etsi contingat eos aliquibus constitutionibus, ordinationibus, sententiis, præceptis, mandatis, quæ a prædecessoribus meis hactenus emanassent, aut in futurum emanarent in genere, vel in specie, in quibus etiam de ipsorum Cardinalium personis expressa mentio fieret directe vel indirecte, tacite vel expresse, palam aut occulte, de cætero quomodolibet contravenire censuras, & pœnas ecclesiasticas, aut alia in talia facientes in eisdem constitutionibus, & ordinationibus, sententiis, præceptis, & mandatis forsitan fulminatis, etiam per literas, quæ leguntur in cœna Domini, minime incurrant, nisi solum dumtaxat pro hujusmodi contraventione ex aliqua constitutione in corpore juris inserta constaret, quod talis pœna in eosdem Cardinales specialiter sit inflicta, & non alias, nec alio modo. Et non fulminabo aliquas censuras adversus aliquem, vel aliquos Cardinales, nisi de consensu duarum partium eorundem, & tunc tantum in casibus expressis in jure, &c.*

De censuris non incurrendis ipsis nisi jus canonicum jusserit.

XXX. Editæ etiam fuere aliæ leges, quæ ad rei Christianæ amplificationem defensionemque pertinebant, quibus hic titulus præfixus est.

*Tenor aliorum capitulorum, ut supra statutorum.*

*Nos omnes, & singuli S. R. E. Cardinales suprascripti pro bono, & fælici regimine, atque modo ratione status universalis Ecclesiæ juramus atque vovemus Deo omnipotenti, SS. Apostolis Petro & Paulo, & omnibus sanctis Ecclesiæ suæ sanctæ promittimus, quod si aliquis ex nobis electus fuerit in Papam, post celebrationem de se factam statim jurabit, & vovebit pure, simpliciter, & bona fide servare, & servare facere, ac cum effectu adimplere omnia, & singula capitula infrascripta, nec non infra tres dies post coronationem suam dare tres bullas ejusdem tenoris secundum capitula infrascripta ad perpetuam rei memoriam,*

Paciscitur ut qui creatus fuerit Pont. rata habeat conventa.

ba-

habentes vim decretalis, & constitutionis perpetuæ, inviolabiliter observandæ cum decreto irritante, si quidquam secus factum fuerit, vel in aliquo contravenire, vel dispensare, nisi prout infra in singulis capitibus exprimetur, & hoc cum consilio, & assensu majoris partis dominorum Cardinalium, easque bullas præfatas tenere, & conservare apud se debeant tres Cardinales cujuslibet ordinis priores ad petitionem sacri collegii, nulli unquam eas assignare sine omnium Cardinalium expresso consensu.

XXXI. De vectigale aluminis collocando in belli sacri sumptibus.

In primis jurabit, & promittet, quod adveniente casu necessitatis subveniendi fidelibus Christianis ed eorum defensionem contra perfidos Turcas, idem sanctissimus dominus noster Pontifex omnes aluminis, seu apud Tolpham redditus causa talis subventionis exponet ad usum subventionis præfatæ, qui si ad summam quinquaginta millia ducatorum non attingent, idem Pontifex tantum de aliis redditibus ecclesiæ Romanæ dabit, & exponet usque ad dictam summam, in qua tamen computari debent provisiones nobilium profugorum, & expulsorum ab infidelibus, quæ tamen octo millia excedere non debeant, ite ut nunquam de dictis aluminis redditibus dispensari, aut aliter, & in alios usus exponi possit sub pœna intermissionis, & anathematis, & sacrilegii; quodque redditus prædicti per clericos cameræ apostolicæ, & sacri collegii insimul scribantur, & computentur, & computa eorum videantur, deputandusque depositarius teneatur prædictas pecunias exponere de mandato communi clericorum cameræ collegii secundum determinationem summi Pontificis & trium Cardinalium priorum de quolibet ordine: & in tali casu Cardinales de ipsorum pecuniis offerunt dare, & solvere pro tali auxilio decem millia ducatorum solvendorum pro quolibet secundum ratam, & proportionem redditunm suorum quorumcumque. Cum vero Deus concesserit generalem expeditionem validam & sufficientem concursu sanioris partis potentatuum, principum, & populorum Christianorum ad offensionem ipsorum perfidorum Turcarum fidei ultra aluminis redditus offert bona fide, & corde puro ducentos centum millia modo quo supra: omnes insuper ecclesiarum decimas, prout videbitur expedire, indulgentias omnes, nempe auri vim ex iis redigendam, vigesimas, &

Decumis & vigesimis eo derivandis.

trigesimas, & alias quascumque impositiones, quæ utiles, necessariæ, & supportabiles videantur, Cardinalesque ipsi XX. millia ducatorum causa expeditionis generalis sponte offerunt, promittentes efficaciter pro ratn, ut supra, realiter & cum effectu solvere. Item quod curiam Romanam in capite, & membris reformabit immediate post tres menses post suam coronationem secundum consilium majoris partis dominorum Cardinalium, & deinde continuabit usque ad plenam satisfactionem.

De curia non transferenda nisi certis legibus.

Item quod dictam curiam non educet de urbe Romana, nec transferet de loco in locum, de provincie in provinciam, & de patria in patriam, intra Italiam quidem sine consensu & consilio majoris partis Cardinalium, extra vero Italiam sine consensu duarum partium, de quo quidem consensu debeat constare per subscriptionem eorum, ut evitentur scandala, & pericula omnia.

Item quod cum primum commode fieri posse videbitur concilium generale celebrabit, aut celebrari faciet solemniter secundum formam entiquorum conciliorum in loco tuto, & commodo, prout ei justum videbitur, & consultum fuerit per majorem partem Cardinalium ad concitandos principes Christianos ad defensionem fidei, & generalem contra infideles expeditionem, & ad reformandum universam Ecclesiam circa vitam, & mores tam respectu clericorum secularium, & regularium, quam religiosorum militantium, & tam respectu principum, quam communitatum, & super eo, quod pertinebit ad judicium, & provisionem Romanæ ecclesiæ.

Quæ dotes exigendæ in cardinalibus creandis.

Item quod non creabit nec assumet aliquem Cardinalem etiam precibus quorumcumque Imperatoris, Regum, ducum, & principum, nisi excedat trigesimum annum, sitque doctor vel in sacre pagina, vel in altero jurium, vel ad minus quoad filios, & nepotes Regum, sit competentis literaturæ, & id de consilio duarum partium Cardinalium.

E propinquis unus tantum creari possit. Definitus num. Card.

De parentela & consanguinitate sua non plures quam unum dumtaxat qualificatum, ut supra, promovebit, nec unquam excedet numerum viginti quatuor Cardinalium ubicumque, & quandocumque & undecumque consistentium, & aliter vel alio modo creari post mortem Pontificis, etiamsi interim exercuerint officium, sint inhabiles in electione Pontificis active, & passive, nec in posterum habeantur pro Cardinalibus: non creabit unquam aliquem, nisi prius reducatur collegium ad minorem numerum viginti quatuor, & eum non excedant, ut prædictum est, ipsosque creandos subito publicabit, nec eos tenebit secreto; inque creatione eorum convocabit dominos Cardinales, omnesque, qui commode venire poterunt existentes in Italia, Bononia, vel Florentia, citra quoque exquisitio dominorum Cardinalium fiet consistorialiter, & non auricolariter, & hoc intelligatur in creatione Cardinalium tantum.

XXXII.

Item quod nullam provisionem, sive permutationem faciet de ecclesiis cathedrali-

bus

Circa ecclesiarum principum collationes nonnulla statuta.

*bus, abbatiis, prioratibus, magistratibus, aut aliis quibuscumque in camera apostolica taxatis, & non taxatis, etiam sub titulo commendæ, administrationis, vel alio quocumque titulo sive modo, nisi consistorialiter, aut interveniente consensu saltem majoris partis Cardinalium, præterquam de iis, quæ conferet dominis Cardinalibus, & præterquam de abbatiis, quæ non excedunt valorem ducentorum ducatorum, & nihil ultra taxam recipiat. Item quod nullam facultatem præsentandi aut nominandi ad ecclesias cathedrales, & monasteria concedet principibus sæcularibus, aut prælatis ecclesiasticis cujuscumque conditionis, status, aut qualitatis existent, sive imperialis, regalis, ducalis, archiepiscopalis, episcopalis, vel cujuscumqe alterius præeminentiæ, nisi de expresso consilio, & assensu majoris partis Cardinalium.*

XXXIII. De nemine exauctorando nisi constiterit de crimine.

*Item quod nullam bullam unquam expediri permittet, seu alicui concedet, per quam se astringat principibus, vel alicui ipsorum, aut eos certificet, quod nullas ecclesias cathedrales, & monasteria conferet nisi de ipsorum beneplacito aut voluntate. Item quod non deponet aut privabit aliquem ad petitionem alicujus principis, nisi juridice se instruat, vel crimina sint notoria, & in Romana curia, partibus hinc inde auditis, plenarie comprobata, nec eosdem prælatos invitos transferet, nisi ex eisdem caussis, & propter illa crimina notoria, propter quæ venirent deponendi: & si ex aliqua necessitate secundum constitutiones canonicas dandos fuerit alicui archiepiscopo, episcopo, abbati coadiutor, non dabis nisi in forma juris, omni penitus successione remota.*

XXXIV. *Item quod bona Cardinalium, & religiosorum, aliorumque prælatorum, nec non omnium Cardinalium, seu curtisanorum in Romana curia decedentium nullo modo occupabit, vel occupari faciet quacumque ratione, vel causa, sed permittet, juxta juris dispositionem, vel consuetudinem, & concessam facultatem, & privilegia, ac voluntatem decedentium, ut iidem decedentes de bonis ad eos quomodocumque pertinentibus, prout eis placuerit, disponant, liceatque eis absque alia legitima obtenta condere testamentum libere & explicite, non obstante bulla alias super hoc in favorem cruciatæ edita; aliis religiosis vero non Cardinalibus, qui propriam facultatem a se abdicaverunt tantummodo exceptis, quorum bona devolvi permittet ad illum, vel illos, ad quem, vel ad quos pertinent de jure, consuetudine, vel privilegio, nec de proventibus, & juribus capelli Cardinalium decedentium aliquid occupabit, vel occupari faciet, aut permittet, immo volet ut sit liberum eisdem Cardinalibus, etiam religiosis de iisdem proventibus, & juribus testari, & disponere, ac facere, prout eis videbitur; & si eos intestatos decedere contingat, permittet quod jura, & proventus hujusmodi eisdem decedentibus debita transeant ad heredes eorundem, ad quos de jure, vel de consuetudine spectant, sublatis controversiis omnibus, & abusibus quibuscumque.*

Libera testandi facultas relicta Cardinalibus.

*Item quod nullam infeudationem de regnis, civitatibus, terris, & castris insignibus, etiam de rebus, quæ consueverunt infeudari, seu alienationem sub quocumque titulo etiam vicariatus, pignoris, emphiteosis, vel alterius contractus faciet in quamcumque personam ecclesiasticam, vel sæcularem, aut communitatem de rebus, & juribus, & bonis spectantibus ad patrimonium Ecclesiæ, aut ad diminutionem, vel remissionem census terrarum Ecclesiæ faciet, nisi deliberatione prius habita consistoriali, & consentientibus duabus partibus Cardinalium cum eorumdem subscriptionibus: & ita eodem modo de noviter acquisitis in Tuscia, Marchia, & Romandiola.* XXXV.

XXXV. De non abalienandis ecclesiæ juribus.

*Item quod nulli Regi, duci, principi, domino aut communitati non subditæ sibi movebit guerram, aut cum eis ligam faciet ad inferendum alicui guerram sine expresso consensu duarum partium reverendissimorum dominorum Cardinalium.* XXXVI.

*Item quod feudatarios regnorum, & alios vicarios, quos de novo investiet, capitaneos, gubernatores, castellanos, omnesque alios & singulos officiales hujusmodi de urbe Romana faciet jurare in eorum institutione obedientiam, & fidelitatem Romanæ ecclesiæ, videlicet sibi, & successoribus. Faciet insuper jurare supradictos feudatarios, & officiales, cæterosque in hoc capitulo nominatos, quod sede vacante ad mandatum ipsorum dominorum Cardinalium civitates, terras, loca, arces, fortalitia, & castra ecclesiæ Romanæ immediate tredent cœtui ipsorum Cardinalium, & expedient libere sine ulla contradictione; & de hoc dabunt cautionem, & fidejussionem sufficientem.* XXXVII.

Vacuo solio ad Card. ditionis eccl. jura devolvenda.

*Item quod arces S. Angeli, civitatis vetulæ, Tyburis, Spoleti, & Cæsenæ non concedet alicui de parentela sua nec prælato nec sæculari; sed aliis prælatis, & ecclesiasticis personis illisque non in longum tempus duorum annorum, nisi de consilio duarum partium Cardinalium aliter fieri videatur, neque faciet eundem Castellanum & gubernatorem alicujus civitatis, gubernatoresque civitatum majoris importantiæ, utpote Spoleti, & aliarum civitatum similium, erunt prælati, & ecclesiasticæ personæ, nec capitaneatum generalem ecclesiæ* XXXVIII.

nepo-

*nepoti, nec alicui conſanguineo ſuo concedet.*

XXXIX. Clauſula de conſilio Cardd. ut ſervanda ſit.

*Item quod ſuper omnibus, & ſingulis ſupradictis, & dependentibus ex eis, & aliis, in quibus conſilium dominorum Cardinalium requiratur, promotionibus ad prælaturas dumtaxat exceptis, nullam bullam unquam expediri conſentiet, in qua inſit clauſula, videlicet:* De conſilio fratrum noſtrorum; *niſi prius realiter, & cum effectu conſiſtorialiter vota fratrum ſuper contentis in ea ſint exquiſita, & major pars conſenſerit, & hoc ſubſcriptione trium Cardinalium ex quolibet ordine conſtet, &c.*

## INNOCENTIUS VIII.

XL. Integritas ſingularis Card. S. Marci.

His conventis, cum Cardinales numero viginti quinque vota explicuiſſent, undecim ſuffragiis ornatum Cardinalem S. Marci ferunt, virum præſtanti pietate, qui religionem pontificatui prætulerit, ut refert Infiſſura (*a*), verum mutatis animis omnium, conſentientibus (*b*) ſuffragiis Joannes Baptiſta Cybo patria Genuenſis, presbyter Cardinalis tit S. Cæciliæ, idemque epiſcopus Amalphitanus IV. kal. ſeptembris Pontifex renuntiatus eſt, & Innocentii VIII. nomen accepit. Addit Infiſſura (*c*): *Rite & recte & abſque aliqua calumnia creatus fuit, & bonus in ſe fuit, & ſemper juſtitiam in propoſito habuit, & niſi fuiſſet impeditus a ſuis æmulis & inimicis, certe oſtendiſſet qualitatem animi ſui erga Eccleſiam. Sed ejus æmuli & inimici, qui volebant in eorum iniquo propoſito perſeverare, ſemper detraxerunt ſanctitati ſuæ & literis & voce.* Mox illi Cardinales ſuperiorum in conclavi confectarum pactionum tabulas ſacramento confirmandas exhibuere (*d*): neque ipſe abnuit, a quo jurisjurandi nuncupati formulam conceptam hiſce verbis refert Burchardus (*e*).

(*a*) *Infiſſ. mſ. arch. Vat. ſign. n.* 111.
(*b*) *Leonell. concord. epiſc. in orat. apud Maſſon.*
(*c*) *Steph. Infiſſ. mſ. arch. Vat. ſign. n.* 111.
(*d*) *Id. ib. Volat. l.* 22. *& alii.*
(*e*) *Burchard. mſ. arch. Vat. ſign. n.* 104. *pag.* 144.

XLI. Conventa jurejurando ab eo confirmata.

Ego *Innocentius electus & aſſumptus in ſummum Pontificem præmiſſa omnia, & ſingula promitto, voveo, & juro obſervare, & adimplere in omnibus, & per omnia pure, ſimpliciter, & bona fide, realiter, & cum effectu ſub pœna perjurii, & anathematis, a quibus nec me ipſum abſolvam, nec abſolutionem alicui committam. Ita me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.* Nonnulla ex iis, ut vidimus, quæ pollicitus ſacramento eſt, ſpectabant ad retinendam imperii eccleſiaſtici majeſtatem, alia ad tuendam religionem, veluti de ſacro in Turcas decernendo bello, reſtituendoque non modo inferiori, verum etiam celſiori, atque adeo cardinalitio & pontificali ordine in primævum ſanctitatis nitorem. Alia verò ab Innocentio promiſſa ad Cardinalium commodum detorta erant, quæ cum contra fas conventa eſſent, in aliquibus infringendis religione ſe minime teneri putavit, uti videbimus: nonnulla autem tenuit, quamobtem Cardinales ampliſſima bona eccleſiaſtica, nec non munera publica tum in urbe, tum extra urbem inter ſe ſe partitos queritur Stephanus Infiſſura.

XLII.

Nec ſolum Cardinales leges novo Pontifici dicere conſpirarant, verum etiam magiſtratus urbis idem pro Romanis pertentarunt, quorum deluſas ſpes refert idem Infiſſura: *Egomet*, inquit, *vidi in palatio conſervatorum certa capitula, & promiſſiones factas per præfatum Innocentium in manibus conſervatorum, intra quæ erat verbum hujus tenoris, vel ſubſtantiæ: Promitto & juro ego Innocentius Papa octavus in præſentia omnium dictorum Cardinalium, me daturum, & conceſſurum civibus Romanis omnia officia, & beneficia urbis, prioratus, abbatias, & alia; & non conſentire neque authoritatem præſtare alicui alteri perſonæ, ut promiſſa officia ſeu beneficia alteri contribuantur, niſi ſolum & dumtaxat ipſis ſolis civibus Romanis idoneis. Et quod plus eſt, de promiſſis promiſit facere unam bullam plumbatam, & ſubſcriptam ab omnibus Cardinalibus.* Et infra: *Tandem bullam bis inciſam dedit conſervatoribus cum hac diminutione videlicet, quod reſervabat ſibi poteſtatem concedendi abbatias urbis ad ſuum placitum. Item moveri fecit filiis Romanorum, per quæ verba intelligebat conferre talia beneficia etiam non civibus, dummodo acceptarentur pro civibus, & ſic facta eſt fraus legi. Item in ea bulla voluit habere pro civibus ſeipſum, & futuros Pontifices, & omnes Cardinales ita, quod dicti Cardinales eligerentur ad talia officia, & iſto modo executus eſt promiſſionem dictæ gratiæ.*

Quæ ab ipſo Romanis promiſſa ſint.

At non jure conquetitur fraudem ita factam ab Innocentio legi, ſed animadvertere debuit author non eam legem fuiſſe, ſed corruptelam inductam ad pontificiam poteſtatem labefactandam, temerariorumque hominum audaciam vel eludendam arte, vel potius apoſtolica conſtantia infringendam: quandoquidem nec Regibus, nec Cæſaribus, multo minus urbanis magiſtratibus licet Eccleſiæ gubernacula accepturo ſummo Pontifici leges de conferendis ſacerdotiis imponere. Numqnid enim eccleſiaſticum ordinem, ac pontificatum Romæ intulit Romanus civis? quinimmo ut Græci, Hebræi, vel Romani apud Deum diſcrimen nullum eſt, ita illius vices in terris gerens, omnium gentium abſciſſo reſpectu, dignis quibuslibet ſa-

Quæ temere, auſa.

sacerdotia conferre potest. Ita Clemens VI. Alfonsi Castellæ & Legionis Regis iniquas de extero homine ad Caurienſem episcopatum evecto querelas refregit (a): *Nunquid, fili chariſſime, Apoſtoli Domini, quorum doctrina fulget Eccleſia, & Christiana fides incrementa ſuſcepit, immo in quibus jacta ſunt fidei fundamenta, & quorum ſunt epiſcopi ſucceſſores, extra proprias nationes, & gentes provincias alias atque regna in ſortem prædicationis diſponente Domino non ſuſceperunt? Nunquid B. Jacobus, per quem Hiſpaniis evangelicæ veritatis lumen reſplenduit, & ſacri baptiſmatis innotuit ſacramentum, in Hiſpaniis ortus eſt? Quid igitur mirum ſi Romanus Pontifex ad exequendum miniſterium ſervitutis injunctæ illius, cujus vices gerit in terris, & apud quem non eſt Judæi Græcique diſtinctio, neque acceptio perſonarum, inſtructus exemplo perſonas idoneas elegit, & quamquam alienigenas vacantium eccleſiarum regimini præficit, deputatque paſtores ad dominici gregis curam.*

(a) Annal. to. 16. A. C. 1348. n. 14. epiſt. ſecr. 335. ann. 7. Clem.

Innocentii patria & genus.

Hactenus de conventis & legibus partim æquis, partim iniquis, quibus Cardinales, & Romani novum Pontificem aſtrictum eſſe contenderunt. Nunc aliqua de ejus primordiis adjungemus ex Leonello epiſcopo Concordienſi in funebri oratione (b), qua Innocentium coram Cardinalibus laudavit.

(b) Ext. apud Maſſon. in Innoc. VIII.

XLIII. Antiqua Cyborum familia.

*Patria*, inquit, *ortus Genua Ligurum metropoli, terra marique potentiſſima*. Et infra: *familia Cyborum vetuſta nobilitate, apud Neapolitanos quoque ſub Thomacellorum cognomine inſigni, ex qua & Romanus Pontifex Bonifacius ejus nominis nonus & Cardinales, & epiſcopi complures prodiere: parentibus honeſtiſſimis, ex bonis enim, ut Plato ait, boni naſcuntur, & bona arbor, ut Servator noſter affirmat, bonos fructus producit. Aaron ſiquidem pater equeſtris ordinis vir probatiſſimus, & in regenda Neapoli, & in prætura urbana, quem nunc ſenatum appellant, adminiſtranda mirifice claruit. Liberalibus, cum primum per ætatem licuit a parentibus traditus diſciplinis ad eruditionem magis quam oſtentationem profecit. Initiatus eccleſiaſticis ſacris Romam veniens in clientelam Philippi Cardinalis Bononienſis Nicolai V. primæ ſedis antiſtitis germani ſe contulit, qui ejus virtuti tantum tribuit, ut ipſius fidei, ac diligentiæ proprii corporis, ac rerum ſuarum curam crediderit, & per omnes cum gradus ad epiſcopatum uſque provenerit. Quo in ſtatu tantum omnium ſuaviſſimis moribus benevolentiam ſibi conciliavit, ut aſſumptus ad ſupremam cathedram Xyſtus ejus nominis IV. quem prius ob ejus ingenii amœnitatem, dexteritatem atque modeſtiam majorem in modum dilexerat, in domeſticum, & datarium, quod eſt, ut noſtis, non parvæ exiſtimationis officium aſcivit: in quo ita ſe induſtrium, fidum, vigilantem, & integrum geſſit, ut creſcente in dies magis magiſque ipſius apud Sixtum gratia, & authoritate, non ſolum ex Savonenſi eccleſia ad Melphitenſem tranſlatus, verum etiam ſecundis Cardinalium comitiis in ampliſſimum ordinem veſtrum ſummo omnium conſenſu, nec minori gratulatione fuerit cooptatus.*

Primitiæ Innocentii.



XLIV. Ut ſe geſſent in Cardinalatu.

Paucis interjectis addit, ut in cardinalatu gradibus virtutis ad pontificatum aſcenderit: *Vidiſtis quam crebro, quod eſt optimi ſenatoris, in ſenatum ventitabat, quam graves, quam liberas, quam opportunas de rebus magnis, & arduis ſententias dicebat. Aderat aſſiduis publicis ſolemnitatibus rei divinæ, & præter ſuam, quam promptiſſime obibat, aliorum quoque deſidentium vicem hilari, & devota mente ſupplebat. Alebat præterea vir ditiſſimæ paupertatis multam honeſtamque familiam tanta moderatione, ut in recta privatæ domus gubernatione juxta ſcitam divi Apoſtoli traductionem, optimum ſe univerſalis Eccleſiæ rectorem futurum demonſtrarit. Præbuit tamen prius majus de ſe ſpecimen probitatis; demandatam ſiquidem turbulentiſſima peſtilentiæ tempeſtate legationem Romanam, Sixto Pontifice maximo cum tota curia urbem Romam deſerente, ſancte, integre, ac etiam pacatiſſime adminiſtravit. Senenſem quoque difficillimis temporibus tanta prudentia, & magnitudine animi geſſit, ut ex ea ſplendidiſſimam laudem reportaris. Deſignatus eſt deinde in Germaniam legatus, cum in cunctis ad Eccleſiæ dignitatem proſperitatemque ſpectantibus ſe obſequentiſſimum, omni labore poſtpoſito, ſummo Pontifici exhiberet: ſed viſum eſt poſtea Sixto per inferiorem minore incommodo rem peragi poſſe.* Subdit Leonellus meritis aſcendiſſe pontificatum: at orator panegyricorum more illius nævos prætermittit, juveniles etiam maculas eluere lachrymis ita potuit, ut ſanctiſſimum munus caſte ſuſciperet.

Legationes ab eo geſtæ.

XLV.

Denuntiatam populo novi Pontificis creationem a Franciſco Picolominæo Cardinale Senenſi, ſervatoſque de more ſacros ritus accuratiſſime ita deſcribit Burchardus (c), de quo ſupra memoravi. *Reverendiſſimus dominus Cardinalis Senenſis* & infra, *voce potenti exclamavit. Annuntio vobis gaudium magnum: Papam habemus. Reverendiſſimus dominus Cardinalis Melphitenſis electus eſt in ſummum Pontificem, & elegit ſibi nomen Innocentius VIII. His dictis omnis populus acclamvit.* Nonnullis interjectis ſubdit: *Cum eſſemus*

(c) Burch. mſ. arch. Vat. ſig. n. 104. p. 144.

Sacri ritus in creatione ſervati.

*ante portam aulæ conclavis, quidam ex subdiaconis apostolicis accepit crucem, & eam portavit ante altare majus basilicæ S. Petri. Electus Pontifex genuflexus in faldistorio aliquantulum oravit, tum detecto capite stans incœpit in cantu: Te Deum laudamus, & cantores sunt usque ad finem prosecuti. Incœpto carmine positus fuit electus ad sedendum super altari prædicta, & accesserunt singuli Cardinales, primo Vicecancellarius, deinde alii omnes, & osculati sunt pedem, manum, & os electi cum consueta reverentia: deinde plures alii pedem sunt osculati. Quo facto, & hymno finito electus descendit de altari, & stans versus ad illud, dixit versiculum, Emitte spiritum tuum, & creabuntur. ℟. Et renovabis faciem terræ. Oremus. Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum, &c. Cantores autem dixerunt. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.* Et infra; *His dictis electus sedit in sede particulari, quæ interim parata est, in qua præcedentibus cruce, & Cardinalibus portatus est ad palatium.*

XLVI. Peracta (*a*) hac die vigesima nona augusti refert manuscripti tabularii Vaticani author, qui ceremoniis consuetis se interfuisse ait. Postridie ejus diei Innocentius de inito a se pontificatu certiorem fecit Paulum Cardinalem Fulgosium, qui Genuensem rempublicam dignitate abire jusso (*b*) anno superiori Baptista Fulgosio nepote suo, qui acerbioribus imperiis sævoque, & arroganti ingenio Genuenses exasperarat, urbemque Cæsari subiicere meditatum accusatus fuerat, administrabat, obtuleratque, Romana ecclesia suo Pontifice orbata, Cardinalium senatui auxiliarem classem, aliaque subsidia bellica ob tumultus, qui suborti fuerant: de quo egregio studio commendavit eum Pontifex, atque apostolica officia Genuensibus, cum posceret occasio, est pollicitus (*e*).

(*a*) *Ms. arch. Vat. sign. n. 111.*
(*b*) *Brut. hist. Flor. l. 8. Bizar. Genuen. hist. l. 15. Aug. Just. hist. Gen. l. 5. Foliet. l. 11.*
Oblata classis a Card. Fulgosio.
(*e*) *Lib. 1. brev. p. 1.*

*Cardinali Januensi.*

Acta illi ab Innocentio gratiæ.

*Dilecte fili noster salutem, &c. Sublato nuper, sicut Deo placuit, e medio felicis recordationis Sixto IV. prædecessore nostro, fuerunt allatæ literæ circumspectionis tuæ, quibus sacro Cardinalium collegio pro Apostolica sede tunc vacante, & naves, & omnia, quæ pro ea posses, offerebas. Fecisti rem plurima laude, & commendatione dignam, & quæ æque omnibus grata fuit. Cum vero paulo post nos, meritis licet imparibus, divina favente clementia ad apicem summi apostolatus fuerimus evocati, volumus id tibi significare, ut qui non dubitamus te pro ea, qua nos semper prosecutus es, benevolentia voluptatem, & consolationem esse capturum, ut scias nos omnia, quæ pro tuis, & istius nostræ patriæ amantissimæ commodis agere possumus, libenter [quantum cum Deo licuerit] esse facturos. Dat. Romæ die ultima augusti MCDLXXXIV. ante coronationem.*

XLVII. Consignatæ sunt eodem die aliæ ad Genuenses literæ paterni amoris, & benevolentiæ significationibus refertæ (*d*). Cepisse inter alios de Innocentii pontificatu ingentem lætitiam visus est Ferdinandus Neapolitanus Rex, cum Innocentius adolescens inter Alfonsi Regis familiares (*e*) fuisset, ac Ferdinandi opera Amalphitensi episcopatu donatus (*f*) fuisset, vicissimque illum Innocentius ante pontificatum amore & observantia, ut suæ dignitatis authorem maximum, complectebatur, quem amore cum dignitate auctum eidem rescripsit (*g*).

(*d*) *Ib. p. 2.*
(*e*) *Raph. Volat. l. 22.*
(*f*) *Brut. hist. Flor. l. 8.*
Pontificia studia Ferdinando promissa.
(*g*) *L. 1. brev. p. 6.*

*Regi Ferdinando.*

Innoc. de ea re literæ.

*Charissime in Christo fili noster salutem, &c. Non erat nobis dubium, quin majestas tua plurima jucunditate afficeretur ob nostram ad apicem summi apostolatus assumptionem. Præcesserunt jamdiu permulta, & magna benevolentiæ tuæ in nos argumenta, quibus judicare facile possumus gratam majestati tuæ merito esse debere omnem nostræ dignitatis accessionem, quod literæ ipsæ tuæ plenæ intimi affectus, plenæ amoris aperte declarant, & orator tuus Anellus Archamonus vivo sermone testatus est. Gratulationem tuam istam acceptissimam habemus, quæ profecto ex animo benevolenti, & optime constituto proficiscitur. Amavimus te semper in minoribus agentes benevolentia non vulgari, quod unice quoque a te amari sentiebamus, idque plurimis in rebus cognovimus; nunc autem persuadeas tibi cum dignitate quoque auctam esse benevolentiam: ita ut sperare possis a nobis omnia paterna officia, quæ cum Deo præstari poterunt: quandoquidem & nos confidimus te talem nobis, & huic sanctæ sedi exhibiturum more catholici Regis, qualem te semper præstitisti, ut de promptitudine animi sui fide, dilectione, & observantia maximam simus voluptatem suscepturi. Dat. Romæ die 111. septembris MCCCCLXXXIV. ante coronationem.*

XLVIII. Non usus est ea gratia, qua pollebat apud Innocentium, Ferdinandus, sed ea abuti voluit, indeque exercendæ in suos tyrannidis, infringendi juris ecclesiastici, avertendi vectigalis Romanæ ecclesiæ pendi soliti occasionem sumpsit, quasi Romanus Pontifex injustarum ejus voluntatum mancipium esse debuisset: quare postea Innocentius ad eum redigendum ad offi-

Pontificis benevolentia inique usus Ferdinandus.

ci-

cium arma sumere, & cum Gallis de Ferdinando deturbando e folio consilia agitare coactus est, non defuisse autem illi in justis rebus, atque hoc ipso anno de instruendo bellico apparatu ad illius regnum a Turcica irruptione vindicandum agitasse postea videbimus. Cæterum Innocentius antequam insigne pontificium acciperet plures officiorum plenas literas dedit ad alios etiam principes, ad Laurentium Mediceum (*a*) Florentinum, tum ad Mediolani ducem (*b*), quæ hac temporis nota consignatæ sunt. *Dat. Romæ die* XI. *septembris ante coronationem*.

(*a*) *Inn. reg. p.* 8.
(*b*) *Ib. p.* 9.
Seditionum urbanarum auctores pulsi.

Postridie ejus diei impositam illi solemni ritu thyaram pontificiam memorat oculatus testis manuscripti Vaticani auctor (*c*), qui etiam tradit factionum, quæ urbem extremo Sixti pontificatu & interpontificii tempore seditionibus vexarant, principes urbe jussos excedere, ne celebritas aliquo tumultu disturbaretur: ritus vero in ea servatos cerimoniarum magister accurate describit (*d*), non discrepantes ab iis, quos Baronius (*e*) ex Centio Camerario in Cœlestino III. recenset, & nos in Bonifacio VIII. ex Jacobo Cardinale repetiimus (*f*).

(*c*) *Ms. arch. Vat. sign. n.* 111.
(*d*) *Burchard. ms. arch. Vat. sig. n.* 27. *p.* 229.
(*e*) *Bar. annal. to.* 23. *ann.* 1191. *n.* 2. *& seq.*
(*f*) *To.* 14. *an.* 1295. *n.* 2. *& seq.*

XLIX. *Dominica* XII. *septembris MCDLXXXIV. Quamprimum Papa fuit extra capellam S. Georgii imposui parvum manipulum stuppæ in summitate cannæ, & genu flexi cannam ipsam dextera manu erectam tenens, quam socius meus accendit, me interim ad Pontificem verso, & alta voce dicente: Pater sancte, sic transit gloria mundi. Idem factum est, & dixi secundo cum essemus ante .... cum Papa venisset extra navem Vaticani prædictam, & esset circa medium altare majus transversalis ecclesiæ, occurrerunt ei tres juniores presbyteri Cardinales videlicet de comitibus, Gerundensis, Parmensis, qui detectis capitibus Papæ reverentiam fecerunt, osculantes eum primo in ore, deinde in pectore juxta crucem pallii, incipiente Cardinale de comitibus, & aliis duobus idem post ipsum facientibus: qui omnes Pontifice hoc modo recepto ipsum usque ad altare majus associarunt, immediate ante Cardinales diaconos incedentes. Papa ante majus altare constituto redierunt ad sua loca domini tres presbyteri Cardinales, & Papa deposita mithra, & in altari posita, fecit reverentiam, deinde confessionem ordine consueto dixit. Facta confessione Papa non ascendit ad altare, sed ad sedem in plano sibi paratam inter eminentem, & altare juxta infimum gradum solii, ubi ad altare versus sedit mithram in capite tenens, quam recepit facta confessione antequam de loco confessionis recederet, & cum ea ante conspectum crucis prædictæ in altari fecit reverentiam, Papa sic in dicta sede sedente accesserunt ante eum tres primi episcopi Cardinales, videlicet Vicecancellarius episcopus Portuensis collegii decanus, Neapolitanus episcopus Sabinensis S. Marci episcopus Prænestinus, omnibus prælatis, ac aliis in suis locis remanentibus. Hi tres ante Pontificem inter sedem præfatam, & altare, juxta tamen infimum gradum altaris ad ipsum Pontificem versi se locarunt: quisque eorum capellanum suum de mithra sibi servientem post se habens. Omnes etiam alii Cardinales, videlicet episcopi, & presbyteri ad dexteram, diaconi vero ad sinistram Papæ accesserunt inter solium, & altare stantes capellanos suos de mithra eis servientes post se habentes.*

Ritus in coronatione Innocentii servati.

*Omnibus sic stantibus, depositis a Papa ac omnibus mithris, surrexit Pontifex, & Cardinales S. Marci tertius, & ultimus ex prædictis tribus stans in medio ante dictum gradum altaris facie ad Pontificem versa, ad dexteram suam habens Vicecancellarium & ad sinistram habens Neapolitanum Cardinalem, qui quasi sibi ipsis facies vertebant, sicuti assistentes episcopi in consecrationibus episcoporum stare solent, magis tamen ad Pontificem tendentes, dixit hanc orationem, nullum versiculum præmittens, neque Dominus vobiscum, absolute incœpit dicens in sono orationum solemnium festivitatum consueto: Oremus. Deus, qui adesse non dedignaris ubicumque devota mente invocaris, adesto quæsumus invocationibus nostris, & huic famulo tuo Innocentio, quem ad culmen apostolicum commune judicium tuæ plebis elegit, ubertatem supernæ benedictionis infunde, ut sentiat se tuo munere ad hunc apicem pervenisse per Christum dominum nostrum. Cardinales responderunt: Amen. Ego tenui librum præfato Cardinali orationem dicenti stans ad ejus sinistram; lecta oratione prædicta per Illustrissimum dominum S. Marci, Neapolitanus venit ad locum, in quo stetit dominus S. Marci, qui accessit ad locum, in quo steterat Neapolitanus. Papa & alii omnes, ut prius, stabant sine mithris manentibus, & ipse Neapolitanus, me librum juxta ejus sinistram tenente, similiter absolute incipiens dixit in tono prædicto. Oremus. Deus, qui Apostolum tuum Petrum inter cæteros coapostolos primatum tenere voluisti, eique universæ Christianitatis molem superimposuisti, respice propitius, quæsumus, hunc famulum tuum Innocentium, quem ex humili cathedra violenter sublatum in novum ejusdem Apostolorum principis locum sublimamus, ut sicut profectibus tantæ dignitatis augetur, ita virtutum meritis cumuletur, quatenus Ecclesiæ universitatis onus te* L.

Precum formulæ.

adjuvante ferat, & a te, qui es beatitudo tuorum, meritam vicem recipiat: qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia, &c. cantores responderunt. Amen. Interim cum orationes præfatæ dicerentur dominus Ugo Bencius loco prioris sui subdiaconorum posuit pallium Pontifici imponendum super altare, & illud ibidem aptavit more consueto.

LI. Finitis orationibus supradictis amota fuit sedes Papæ in plano, ut supradictum est, posita, & omnes Cardinales demptis assistentibus ad sua loca sunt reversi. Papa vero cum bireto sine mithra accessit ad inferiorem gradum altaris: quo ibidem constituto domini Senensis, & S. Georgii seniores diaconi Cardinales ascenderunt ad altare, & pallium recipientes, illud Senensis ad dexteram, & S. Georgii ad sinistram Papæ coram eo elevatum tenuerunt, quod Senensis prior diaconorum solus in ambas manus apertum recipiens Papæ illud imposuit: dicens. Accipe pallium, plenitudinem scilicet pontificalis officii ad honorem omnipotentis Dei, gloriosæ virginis Mariæ ejus genitricis, BB. Apostolorum Petri & Pauli, & sanctæ Romanæ ecclesiæ. Et infra: Cantores incœperunt introitum pro missa, & Kyrie eleison, Papa ascendit ad altare, & illud detecto capite in medio osculatus est. Deinde & librum evangeliorum per subdiaconum more solito sibi oblatum. Tum idem imposuit incensum priore diaconorum Cardinalium evangelium dicturo naviculam ministrante, & incensavit altare: deinde per eundem priorem incensatus fuit ibidem ipse Papa in cornu epistolæ cum mithra stans. Quo incensato non accepit diaconos assistentes ad osculum, ut moris est; sed ascendit ad sedem eminentem: ubi Cardinales & prælatos paratos omnes ad reverentiam venientes accepit, Cardinales ad pedis, manus, & oris, prælatos vero ad pedis, & manus osculum.

Quo ritu pallium illi datum.

LII. Facta reverentia furgit Pontifex deposita mithra, & cum assistentibus tantum Cardinalibus dicit introitum, & Kyrie eleison, cantoribus interim continuo kyrie eleison decantantibus. Missa dicta est de octava nativitatis B. Mariæ virginis. Dictis per Pontificem kyrie eleison, cessarunt cantores, & Papa dixit. Gloria in excelsis Deo; quod cum suis assistentibus complevit more solito. Tum in dicta sede dixit aliam orationem etiam alta voce dicens. Deus qui corda fidelium; ea completa interim, quod cantores responderent. Amen. Dixit secreto aliam per se stans, ut prius videlicet: Adesto supplicationibus omnipotens Deus, & quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu, per Christum, &c.

Finitis, ut supra orationibus præfatis Papa sedit in sede eminenti prædicta, imposita sibi mithra, & prior diaconorum Cardinalium, videlicet Cardinalis Senensis, ferulam in manu accipiens & portans, sequentibus ipsum subdiaconis, auditoribus, secretariis, ut supra dictum est, indutus descendit ad portam castelli ubi in plano ibidem inter altare, & portam fecit duas lineas ab altare ad portam, ad dexteram, & sinistram, in qualibet linea de quolibet ex dictis tribus ordinibus officiales collocans: primus versus ad altare subdiaconos: tum auditores, & secretarios, ita quod de linea ad lineam sibi invicem facies vertant. Quibus sic ordinatis, & omnibus detectis capitibus existentibus, Cardinalis Senensis stans & ipse capite detecto medius inter primos duos subdiaconos ad altare versus dixit alta voce quasi legendo: Exaudi Christe; Responderunt auditores, & secretarii simili voce quasi dicendo suo ordine stantes: Domino nostro Innocentio a Deo decreto summo Pontifici & universali Papæ vita; quod tertio dictum est per Cardinalem præfatum, & toties ab aliis prædictis responsum. Deinde Cardinalis Senensis dixit responsorium: Salvator mundi; responderunt alii prædicti: Tu illum adjuva; quod similiter tertio per priorem prædictum dictum est, & toties per illum responsum subjunxit. Post hæc prior: S. Michael; & responderunt: Tu illum adjuva; & id semel per priorem est dictum, & semel per illos responsum, sicque laudes continuatæ prout infra: S. Gabriel, S. Raphael, S. Joannes Baptista, S. Petre, S. Paule, S. Andrea, S. Stephane, S. Laurenti, S. Leo, S. Gregori, S. Nicolae, S. Benedicte, S. Basili, S. Saba, S. Agnes, S. Cæcilia, S. Lucia. Deinde dixit idem prior eadem voce: Kyrie eleison; & illi responderunt: kyrie eleison. Subjunxit prior: Kyrie eleison, & illi responderunt Christe eleison. Tandem omnes, & prior, & etiam alii prædicti insimul eadem voce dixerunt: kyrie eleison. Laudibus sic expletis, quæ dum dicerentur Papa sedit in solio suo, & Cardinales, ac prælati in suis locis cum mithris sedebant. LIII.

Fœlix vita publico clamore illi a Christo expetita.

Prior deinde, & alii prædicti redierunt ad loca sua videlicet prior ad cornu epistolæ altaris in scabello suo sedit, alii in terra; & subdiaconus in loco solito dixit epistolam, & post eum alius Græcam, & continuata est missa ordine consueto Papa celebrante nihil penitus immutato. Qua finita Papa in altari sine mithra dedit benedictionem, & non indulgentiam. Data in altari benedictione, Papa retenta pallio, ac omnibus aliis paramentis reassumpsit mithram pretiosam, chirothecas, & an- LIV.

& annulum pontificalem, & alios annulos, & accessit sella portatus sub baldachino ad suggestum in loco benedictionis præparatum, præcedentibus omnibus ipsum Cardinalibus, prælatis, & aliis paratis in suis paramentis seu habitibus, prout missæ interfuerunt, processionaliter, sine tamen luminaribus, & incenso. Papa in suggesto constituto sedit in sede eminenti ibidem parata, ubi expectato, quoad populus ab ecclesia exiret & in platea congregaretur extra per Cardinalem S. Georgii. Interea Cardinalis Senensis prior prædictus imposuit Papæ regnum, nobis circumstantibus acclamantibus: Kyrie eleison; alta voce semel tantum, Papa sic coronato idem Senensis renunciavit populo plenarias indulgentias concessas verbis Latinis: & post eum Cardinalis S. Georgii verbis vulgaribus.

Pontificium diadema solemni pompa illi impositum.

LV. Describit idem author fuso stylo pompam, quam Lateranensis ecclesiæ possessionem proximo a suscepta imperii thyara temporis intervallo initurus novus Pontifex duxit; ex quo nonnullos præcipuos ritus describemus, qui illis consentiunt, quæ in XIV. tomo ex carmine Jacobi Cardinalis S. Georgii ad velum aureum attulimus: Cum Papa pervenisset prope castrum S. Angeli, se firmavit, & Judæi, qui ad inferiores merulas in angulo dicti castri versus plateam se cum ornatu & lege sua receperant, obtulerant Papæ legem adorandam, & honorandam verbis Hebraicis in hanc ferme sententiam Papam acclamantes: Beatissime pater. Nos viri Hebræi nomine synagogæ nostræ supplicamus sanctitati vestræ, ut legem Mosaicam, ab omnipotenti Deo in monte Sinai pastori nostro traditam nobis confirmare, & approbare dignemini, quemadmodum alii summi Pontifices sanctitatis vestræ prædecessores illam confirmarunt, & approbarunt. Quibus respondit Pontifex: Commendamus legem; vestram autem observantiam, & intellectum condemnamus, quia quem venturum dicitis Ecclesia docet & prædicat venisse dominum nostrum Jesum Christum. Et infra: Pervento ad altare maius, nempe basilicæ Lateranensis, Papa descendit de sede, quam soldati irrumpentes, & lacerantes sibi vendicarunt, & genuflexus in faldistorio deposito regno oravit.

Equestris pompa agitata ad Later. basilicam.

Vetustus Hebræorum Pontifici occurrentium ritus.

Quid ad impios responsum.

LVI. Facta oratione accepta mithra ascendit ad sedem eminentem marmoream a tribuno solito paratam, ubi prior, & canonici Lateranenses Papam sedere fecerunt, quod facere videbantur, quo sic sedente, Cardinales omnes elevarunt vocem dicentes: Suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Quo facto Pontifex accepit de gremio domini Falconis thesaurarii sui tres pugillatas quaternorum, & denariorum minutorum successive, & inter populum projecit: Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do. Accepit deinde priorem, & canonicos præfatos tantum, & non alios, ad pedes osculandum, & non alios beneficiatos. Stans deposita mithra prope crucem suam, quæ per subdiaconum more solito coram eo retinebatur, populo solemniter benedixit dicens: Sit nomen Domini, &c. Erat autem ordinatum, quod Papa ad Lateranum pervento per scalam suam, quæ ibi parata erat, de equo descenderet, & priores canonici Lateranenses qui processionaliter ibidem aderant, cum superpeliciis, & almuciis ipsum reciperent, & in sede marmorea stercoreacia nuncupata collocarent, ut jacere potius, quam sedere videretur, ac deinde Cardinales ipsum elevarent dicentes: Sicut de pulvere, &c. Argentum & aurum, &c. Tum prior prædictus crucem, quam manu gestabat, Cardinali Mediolanensi archipresbytero Lateranensi, si interesset, alioquin priori diaconorum Cardinalium offerret, qui eam Pontifici porrigeret osculandam, & inde eam ipsi priori restitueret.

Sedes marmorea.

Missilia dona populo data.

Post hæc prior ipse, & canonici dicunt: Ecce sacerdos magnus, &c. Benedictione per Pontificem, ut supra, data ascendit per basilicam prædictam ad palatium Lateranense, & cum pervenisset ad primam aulam magnam, quæ aula concilii nuncupatur, positum fuit faldistorium ante gradus lapidis, super quatuor columnas positi, qui mensura Christi dicitur, ubi Papa sedit renibus ad dictum lapidem versis. LVII.

Interim reverendissimus dominus Cardinalis Novariensis subprior presbyterorum, & infra, ad Pontificem versus fecit laudem alta voce, quasi legendo: dicens: Exaudi Christe; illis respondentibus: Domino nostro Innocentio, &c. tot vicibus & eo ordine, ac de verbo ad verbum voce & tono, prout prior decanorum supradictus in dicta basilica S. Petri fecerat. Laudibus finitis Papa ductus est ad portam capellæ S. Silvestri, juxta quam positæ sunt duæ sedes porphyreæ nudæ, ad quarum primam a dextris portæ positam Papa sedit, quasi jaceret, quo sic sedente, prior Lateranensis prædictus dedit Papæ ferulam in manu in signum regiminis, & correctionis, & claves ipsius basilicæ, & Lateranensis palatii in significationem potestatis claudendi, & aperiendi, ligandi, & solvendi. Pontifex receptis, ut supra, ferula & clavibus surrexit de sede præfata, & accessit ad aliam a sinistris dictæ portæ, in qua similiter sedit quasi jaceret, sicque sedens ferulam & claves priori præfato restituit. LVIII.

Qui

*adjuvante ferat, & a te, qui es beatitudo tuorum, meritam vicem recipiat: qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia, &c. cantores responderunt. Amen. Interim cum orationes præfatæ dicerentur dominus Ugo Bencius loco prioris sui subdiaconorum posuit pallium Pontifici imponendum super altare, & illud ibidem aptavit more consueto.*

LI. *Finitis orationibus supradictis amota fuit sedes Papæ in plano, ut supradictum est, posita, & omnes Cardinales demptis assistentibus ad sua loca sunt reversi. Papa vero cum birero sine mithra accessit ad inferiorem gradum altaris: quo ibidem constituto domini Senensis, & S. Georgii seniores diaconi Cardinales ascenderunt ad altare, & pallium recipienses, illud Senensis ad dexteram, & S. Georgii ad sinistram Papæ coram eo elevatum tenuerunt, quod Senensis prior diaconorum solus in ambas manus apertum recipiens Papæ illud imposuit: dicens. Accipe pallium, plenitudinem scilicet pontificalis officii ad honorem omnipotentis Dei, gloriosæ virginis Mariæ ejus genitricis, BB. Apostolorum Petri & Pauli, & sanctæ Romanæ ecclesiæ.* Et infra: *Cantores incœperunt introitum pro missa, & Kyrie eleison, Papa ascendit ad altare, & illud detecto capite in medio osculatus est. Deinde & librum evangeliorum per subdiaconum more solito sibi oblatum. Tum idem imposuit incensum priore diaconorum Cardinalium evangelium dicturo naviculam ministranse, & incensavit altare: deinde per eundem priorem incensatus fuit ibidem ipse Papa in cornu epistolæ cum mithra stans. Quo incensato non accepit diaconos assistentes ad osculum, ut moris est: sed ascendit ad sedem eminentem: ubi Cardinales & prælatos paratos omnes ad reverentiam venientes accepit, Cardinales ad pedis, manus, & oris, prælatos vero ad pedis, & manus osculum.*

Quo ritu pallium illi datum.

LII. *Facta reverentia surgit Pontifeu deposita mithra, & cum assistentibus tantum Cardinalibus diris introitum, & Kyrie eleison, cantoribus interim continuo kyrie eleison decantantibus. Missa dicta est de octava nativitatis B. Mariæ virginis. Dictis per Pontificem kyrie eleison, cessarunt cantores, & Papa dixit. Gloria in excelsis Deo; quod cum suis assistentibus complevit more solito. Tum in dicta sede dixit aliam orationem etiam alta voce dicens. Deus qui corda fidelium; ea completa interim, quod cantores responderent. Amen. Dixit secreto aliam per se stans, ut prius videlicet: Adesto supplicationibus omnipotens Deus, & quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu, per Christum, &c.*

*Finitis, ut supra orationibus præfatis Papa sedit in sede eminenti prædicta, imposita sibi mithra, & prior diaconorum Cardinalium, videlicet Cardinalis Senensis, ferulam in manu accipiens & portans, sequentibus ipsum subdiaconis, auditoribus, secretariis, ut supra dictum est, indutus descendit ad portam castelli ubi in plano ibidem inter altare, & portam fecit duas lineas ab altare ad portam, ad dexteram, & sinistram, in qualibet linea de quolibet eu dictis tribus ordinibus officiales collocans: primus versus ad altare subdiaconos: tum auditores, & secretarios, ita quod de linea ad lineam sibi invicem facies vertant. Quibus sic ordinatis, & omnibus detectis capitibus existentibus, Cardinalis Senensis stans & ipse capite detecto medius inter primos duos subdiaconos ad altare versus dixit alta voce quasi legendo: Exaudi Christe; Responderunt auditores, & secretarii simili voce quasi dicendo suo ordine stanses: Domino nostro Innocensio a Deo decreto summo Pontifici & universali Papæ vita; quod tertio dictum est per Cardinalem præfatum, & toties ab aliis prædictis responsum. Deinde Cardinalis Senensis dixit responsorium: Salvator mundi; responderunt alii prædicti: Tu illum adjuva; quod similiter tertio per priorem prædictum dictum est, & toties per illum responsum subjunxit. Post hæc prior: S. Michael; & responderunt: Tu illum adjuva; & id semel per priorem est dictum, & semel per illos responsum, sicque laudes continuatæ prout infra: S. Gabriel, S. Raphael, S. Joannes Baptista, S. Petre, S. Paule, S. Andrea, S. Stephane, S. Laurenti, S. Leo, S. Gregori, S. Nicolae, S. Benedicte, S. Basili, S. Saba, S. Agnes, S. Cæcilia, S. Lucia. Deinde dixit idem prior eadem voce: Kyrie eleison; & illi responderunt: kyrie eleison. Subjunxit prior: Kyrie eleison, & illi responderunt Christe eleison. Tandem omnes, & prior, & etiam alii prædicti insimul eadem voce dixerunt: kyrie eleison. Laudibus sic expletis, quæ dum dicerentur Papa sedit in solio suo, & Cardinales, ac prælati in suis locis cum mithris sedebant.* LIII.

Fœlix vita publico clamore illi a Christo expetita.

*Prior deinde, & alii prædicti redierunt ad loca sua videlicet prior ad cornu epistolæ altaris in scabello suo sedit, alii in terra; & subdiaconus in loco solito dixit epistolam, & post eum alius Græcam, & continuata est missa ordine consueto Papa celebrante nihil penitus immutato. Qua finita Papa in altari sine mithra dedit benedictionem, & non indulgentiam. Data in altari benedictione, Papa retento pallio, ac omnibus aliis paramentis reassumpsit mithram pretiosam, chirothecas,* LIV.

*& an-*

*& annulum pontificalem, & alios annulos, & accessit sella portatus sub baldachino ad suggestum in loco benedictionis præparatum, præcedentibus omnibus ipsum Cardinalibus, prælatis, & aliis paratis in suis paramentis seu habitibus, prout missæ interfuerunt, processionaliter, sine tamen luminaribus, & incenso. Papa in suggesto constituto sedit in sede eminenti ibidem parata, ubi expectato, quoad populus ab ecclesia exiret & in platea congregaretur extra per Cardinalem S. Georgii. Interea Cardinalis Senensis prior prædictus imposuit Papæ regnum, nobis circumstantibus acclamantibus: Kyrie eleison; alta voce semel tantum, Papa sic coronato idem Senensis renunciavit populo plenarias indulgentias concessas verbis Latinis: & post eum Cardinalis S. Georgii verbis vulgaribus.*

Pontificium diadema solemni pompa illi impositum.

LV. Describit idem author fuso stylo pompam, quam Lateranensis ecclesiæ possessionem proximo a suscepta imperii thyara temporis intervallo initurus novus Pontifex duxit; ex quo nonnullos præcipuos ritus describemus, qui illis consentiunt, quæ in XIV. tomo ex carmine Jacobi Cardinalis S. Georgii ad velum aureum attulimus: *Cum Papa pervenisset prope castrum S. Angeli, se firmavit, & Judæi, qui ad inferiores merulas in angulo dicti castri versus plateam se cum ornatu & lege sua receperant, obtulerant Papæ legem adorandam, & honorandam verbis Hebraicis in hanc ferme sententiam Papam acclamantes: Beatissime pater. Nos viri Hebræi nomine synagogæ nostræ supplicamus sanctitati vestræ, ut legem Mosaicam, ab omnipotenti Deo in monte Sinai pastori nostro traditam nobis confirmare, & approbare dignemini, quemadmodum alii summi Pontifices sanctitatis vestræ prædecessores illam confirmarunt, & approbarunt. Quibus respondit Pontifex: Commendamus legem; vestram autem observantiam, & intellectum condemnamus, quia quem venturum dicitis Ecclesia docet & prædicat venisse dominum nostrum Jesum Christum.* Et infra: *Pervento ad altare maius,* nempe basilicæ Lateranensis, *Papa descendit de sede, quam soldati irrumpentes, & lacerantes sibi vendicarunt, & genuflexus in faldistorio deposito regno oravit.*

Equestris pompa agitata ad Later. basilicam.

Vetustus Hebræorum Pontifici occurrentium ritus.

Quid ad ipsos responsum.

LVI. *Facta oratione accepta mithra ascendit ad sedem eminentem marmoream a tribuno solito paratam, ubi prior, & canonici Lateranenses Papam sedere fecerunt, quod facere videbantur, quo sic sedente, Cardinales omnes elevarunt vocem dicentes: Suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Quo facto Pontifex accepit de gremio domini Falconis thesaurarii sui tres pugillatas quaternorum, & denariorum minutorum successive, & inter populum projecit: Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do. Accepit deinde priorem, & canonicos præfatos tantum, & non alios, ad pedes osculandum, & non alios beneficiatos. Stans deposita mithra prope crucem suam, quæ per subdiaconum more solito coram eo retinebatur, populo solemniter benedixit dicens: Sit nomen Domini, &c. Erat autem ordinatum, quod Papa ad Lateranum pervento per scalam suam, quæ ibi parata erat, de equo descenderet, & priores canonici Lateranenses qui processionaliter ibidem aderant, cum superpeliciis, & almuciis ipsum reciperent, & in sede marmorea stercoreacia nuncupata collocarent, ut jacere potius, quam sedere videretur, ac deinde Cardinales ipsum elevarent dicentes: Sicut de pulvere, &c. Argentum & aurum, &c. Tum prior prædictus crucem, quam manu gestabat, Cardinali Mediolanensi archipresbytero Lateranensi, si interesset, alioquin priori diaconorum Cardinalium offerret, qui eam Pontifici porrigeret osculandam, & inde eam ipsi priori restitueret.*

Sedes marmorea.

Missilia dona populo data.

*Post hæc prior ipse, & canonici dicunt: Ecce sacerdos magnus, &c. Benedictione per Pontificem, ut supra, data ascendit per basilicam prædictam ad palatium Lateranense, & cum pervenisset ad primam aulam magnam, quæ aula concilii nuncupatur, positum fuit faldistorium ante gradus lapidis, super quatuor columnas positi, qui mensura Christi dicitur, ubi Papa sedit renibus ad dictum lapidem versis.* LVII.

*Interim reverendissimus dominus Cardinalis Novariensis subprior presbyterorum,* & infra, *ad Pontificem versus fecit laudem alta voce, quasi legendo: dicens: Exaudi Christe; illis respondentibus: Domino nostro Innocentio, &c. tot vicibus & eo ordine, ac de verbo ad verbum voce & tono, prout prior decanorum supradictus in dicta basilica S. Petri fecerat. Laudibus finitis Papa ductus est ad portam capellæ S. Silvestri, juxta quam positæ sunt duæ sedes porphyreæ nudæ, ad quarum primam a dextris portæ positam Papa sedit, quasi jaceret, quo sic sedente, prior Lateranensis prædictus dedit Papæ ferulam in manu in signum regiminis, & correctionis, & claves ipsius basilicæ, & Lateranensis palatii in significationem potestatis claudendi, & aperiendi, ligandi, & solvendi. Pontifex receptis, ut supra, ferula & clavibus surrexit de sede præfata, & accessit ad aliam a sinistris dictæ portæ, in qua similiter sedit quasi jaceret, sicque sedens ferulam & claves priori præfato restituit.* LVIII.

Qui

*Qui prior deinde Pontifici adhuc, ut præfertur, sedenti supra planetam cinxit zonam de serico rubeo cum bursa purpurea illi appendente, in qua erant duodecim lapides pretiosi modici valoris cum undecim sigillis, & muscho: licet antiqui libri ponant prædicta fieri debere per priorem basilicæ S. Laurentii, quæ sancta sanctorum dicitur: tamen quia illa hodie, & Lateranensis basilica idem sunt, & illa nullum priorem habet, præfata fiunt per priorem Lateranensem. Papa sedens amictus, ut præfertur, accepit de gremio domini Falconis de Sinibaldis protonotarii thesaurarii sui tres pugillatos carlenorum, & alterius monetæ argenteæ, quas populo projecit, dicens. Dispersit, dedit pauperibus, &c.*

Zona mystica e qua pendet marsupium cum duodecim lapillis pretiosis.

LIX. *Surgens deinde Papa adhuc cinctus ductus fuit ad basilicam S. Laurentii sancta sanctorum appellatam, in qua coram altari genuflexus sine mithra oravit in faldistorio. Finita oratione voluit offerre super altare, & nullus de suis cubiculariis pecunias secum habentibus aderat, neque thesaurarius. Mutuavi Pontifici florenos Rhenenses duos, & unum ducatum: plures mecum non habui, quos Pontifex posuit super altare. Rediit Pontifex ad capellam S. Silvestri, in qua deposita sibi mithra, zona, pallio, planeta, annulis, & chirothecis, recepto pluviali, & mithra, ac annulis reassumptis sedit in sede eminenti ibidem in medio capellæ sibi parata versus ad ostium illius: quo sic sedente accesserunt singuli Cardinales mithras ante se in manibus portantes, & post eos eodem modo omnes prælati parati: quibus singulariter coram Papa constitutis, Papa presbyterium dedit singulo Cardinali duos ducatos, & duos carlenos, & cuilibet prælato ducatum unum, & unum carlenum; totidem etiam dabat cuilibet ex aliis officialibus, subdiaconis, auditoribus, clericis cameræ, auditoribus rotæ, acolythis, &c. quos Papa prius recipiebat de gremio præfati thesaurarii sui. Cardinales recepto presbyterio osculabantur manum Papæ capite inclinato stantes, prælati vero genuflexi osculabantur pedem Papæ post subdiaconos inter auditores, quia magna conculcatio fuit. Accessi & ego ad Pontificem, qui mihi dedit ducatum unum, & carlenum unum. Dato presbyterio Papa sic paratus ascendit ad palatium Lateranense.* Cæterum ipsum pontificio sigillo sententiam hanc insculpi voluisse: *Ego autem in innocentia mea ingressus sum, redime me, & miserere mei*; ostendunt ipsius diplomata (*a*).

Datum ab Innocentio presbyterium.

Quæ sententia usurpata ab Innoc.

Defendere rem Christianam nititur Innoc. adversus Turcas.

(*a*) *Ext. lib. bullar. 40. p. 308. &c.*

LX. Salutatus est (*b*) novus Pontifex ab Alfonso duce Calabriæ, a Ferrariensi bello reverso, die vigesima octobris, quem honorificentissime exceptum refert ms. Vaticani author (*c*). Admonitus (*d* autem est a Ferdinando, qui post Mahometis II. mortem Macedoniæ littora infestarat (*e*), Bajazethem maximam instruere classem, ut Italiam invaderet: quamobrem Innocentius encyclicis literis (*f*) principes omnes ad conferenda in communem hostem subsidia, ne imparatos aggressus ipsos opprimeret, perque obtritos Italos ad cæterarum gentium eversionem prosiliret: ipsosque eam ob causam oratores suos amplissimis fretos mandatis ad sedem Apostolicam mittere jussit (*g*).

(*b*) *MS. arch. Vat. sign. n. 111.*

(*c*) *Ibid.*
(*d*) *Ibid.*
(*e*) *Sabel. dec. 10. l. 7.*
(*f*) *Inn. lib. brev. an. 1. p. 59.*

*Ad potentatus Italiæ, & ad omnes principes Christianos.*

(*g*) *Ib. p. 63. & reg. post eand. ep.*

LXI. *Dilecte fili, &c. Ex inclusis his literarum exemplis tam charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Siciliæ Regis illustris quam magni Rhodianorum magistri, quod nuncium etiale ex aliis quoque pluribus locis accepimus, videre poterit nobilitas tua; quam magnum ab immanissimis Turcis periculum modo adversus Christianos, præsertim Italos, immineat, quodque insatiabilis sit illorum barbarorum perpetuo in sanguinem fidelium nostrorum sitis; cui rei si non per illos, in quorum facultate est providere, statim occurratur, paulo post periculum erit, ne insanabile vulnus istud fiat. Censemus igitur, ut quanto celerius fieri possit, ex quo de re communi totius Christianitatis agitur, etiam communiter hoc negotium suscipiatur, & mon remedia quæque opportuna adhibeantur: quod facere nobis quanto majore studio poterimus in animo est pro officio pastorali, & cura Christiani gregis nobis injuncta, paratique sumus pro executione sancti ipsius operis nihil, quod per nos fieri possit, omittere. Scripsimus hoc eodem tenore ad reliquos Christianos potentatus ac principes, hortando eos in Domino, ut unusquisque pro virili parte esse hujus propositi velit, una consulere, & ad effectum rei denique procedere, ita quod rabies hujus immanissimi Turci confundatur & comprimatur. Tempus est enim, dilecte fili, ut non moremur diutius, ne idem hostis adveniens incautos & imparatos nos opprimat, quod ideo dicimus per præsentes nobilitati tuæ, hortantes ipsam enixius, & requirentes in Domino, ut, quod facere continuo Christianum principem decet, saluti scilicet populorum, & fidei rebus insistere, nunc maxime necessario tempore eadem faciat, disponatque se alacriter una cum aliis ad sanctum istud opus strenue prosequendum. Quocirca ut melius ac citius possit hoc fieri, & necessaria abs te quoque subsidia simul conferantur, oratores ad nos dedita opera mittas cum pleno & sufficienti mandato, oratoribus proxime ad nos venturis suo nomine*

Moniti principes de classe instructa a Bajazethe.

*mine*

mine specialiter, ac plene commissas, ut sine ulteriori dilatione concludere super præmissis valeant, & conclusa firmare, ne tu in præsenti necessitate minus circa rem fidei fervent, vel erga sanctam hanc sedem obsequens videare, quam hactenus fueris. Interim quoque nobilitas tua studium omne velis adjungere, ut quantum in se est, sublatis quibuscumque privatis odiis & discordiis, populi inter se pace fruantur, quo liberius & unitius præmissa exequi omnes pariter valeamus. Dat. Romæ die XXI. novembris MCDLXXXIV. pontificatus nostri anno I.

Rogati ut oratores mittant pro conferendis consiliis.

LXII. Præter has encyelicas ad universos principes missas literas, aliis eodem die exaratis Matthiam Hungariæ Regem solicitavit, ut omisso bello Austriaco victricia in Turcas signa converteret ad distrahendas eorum vires: pergeretque agere fortissimum defensorem Christiani imperii, religionisque athletam invictissimum.

Monitus Rex Ungar. ut arma in Turcas vertat.

Regi Hungariæ.

Charissime in Christo fili salutem, &c. Posteaquam Altissimo ita disponente ad pontificale fastigium, licet meritis minus sufficientes, ascendimus pro veteri institutione nostra zelo ac religione, paterno denique quod nobis præcipue nunc incumbit, officio nihil magis animo nostro insidet, nihil magis inhæret cordi, nihilque aliud potius dies noctesque nobiscum cogitamus, quam ut pro catholicæ fidei & reipublicæ Christianæ salute, juxta sanctæ memoriæ prædecessorum nostrorum instituta, opitulante glorioso Deo, nefarium hoc & jampridem ab omnibus deploratum, jam jamque cervicibus nostris, quod sine cordis amaritudine exprimere non possumus, imminens excidii & servitutis Christianorum periculum, a sævissimis fidei communibus hostibus tot per annos maximis Christianorum cladibus intentatum excutere valeamus. Id autem ut assequi possimus, quantum in hoc pontificatus nostri primordio licet, nihil intentatum relinquimus, nec in futurum relinquemus unquam, quo minus hæc ignominia & labes a Christiana republica deleatur. Pii hujus propositi ac desiderii nostri ardentissimi, quo etiam in minoribus constituti per omnes ætatis nostræ gradus imbuti fuimus semper, locupletissimi testes nobis esse possunt cum plures alii, tum præcipue, ac maxime excellentiæ tuæ oratores plerique, cum quibus Christianorum præteritas calamitates, & nisi mature occurreretur, impendentia pericula, quasi id tibi peculiariter pertineret, sæpenumero deflevimus; ita enim & opinio quædam nostra jampridem inveterata, & rerum usus experientiaque ipsa quodammodo edocti existimavimus, semper inclytum Hungariæ regnum, quasi obicem quemdam murumque, ut ita loquamur, a divina providentia ad crudelissimorum hostium impetus cum ipsorum cædibus, & clade retardandos reprimendosque fuisse dispositum. Quod cum ita esse omni tempore usu ipso probatum sit, maxime te principe, ac Rege illi præsidente, rerum omnium magistra experientia ipsa nos docuit: nam cum exemplo clarissimæ, ac singularis memoriæ parentis tui, tum etiam præclara animi tui indole, ac zelo fidei concitatus, statim a regni tui primordio bellum pro regno, patria, & universa fide Christiana, partim contra fidei hostes hæreticos, partim contra infideles magno animo susceptum usque ad hæc tempora cum hostium calamitate, summaque cum gloria tua, & inclyti Hungariæ regni existimatione gessisti adeo, ut quocumque terrarum Christianæ reipublicæ nomen pervagetur, te quoque pro ejus saluto tanquam invictum pugilem & excubasse contra, & in præsenti excubare omnes intelligant.

Exposita imminentia a Turca pericula.

Commendatus Matthias de præteritis rebus gestis.

LXIII. Quapropter te quia semper in minoribus & corde, & animo gessimus, in præsentiarum pro pastoralis officii nostri debito facere non potuimus, quo minus paternam hanc nostram benevolentiam erga te, hujusque sanctæ sedis, sibi sæpe alias perspectam, & cognitam per literas hujuscemodi significaremus excellentiæ tuæ: quam hortamur, rogamus, & per viscera misericordiæ domini nostri Jesu Christi obsecramus, & obtestamur in Domino, ut quod ab ineunte ætate cum summa, & immortali laude in persequendis hostibus, & tutanda religione hactenus fecit excellentia tua, nunc cum & gloria, & rebus gestis, ac existimatione, ætatisque maturiori accessione universæ Christianæ reipublicæ judicio floreat, in religioso, ac sancto proposito suo majore, quam umquam antea, desiderio perseveret, plurisque facere velit periclitantis fidei catholicæ causam, quam quascumque alias a nequissima ipsius fidei hoste conditiones forsan oblatas, quamquam enim & invictum animi tui robur, & constantia singularis, fideique tuendæ, quo semper flagrasti ardor, ac prudentia excellentiæ tuæ nobis jam pridem perspecta sint; tamen propter ea, quæ de expugnationibus quorumdam Valachiæ super Danubium, nova allata proxime fuerunt, & quæ idem Rhodiani scribunt se a Turco literas recepisse, quibus expresse affirmat, se iturum in expeditionem, non tamen ad eorum damna, & charissimus in Christo filius noster Ferdinandus Rex Siciliæ de illius apparatu, qui fit apud Apolloniam significat, atque idem Ragusæi affirmant, cogimur etiam in tuto timere, atque prospicere, ne perfidissimi hostes re ipsa, id quod omnes jampridem sciunt, experti excellentiam scilicet tuam ad eorum impetus re-

Pactiones a Turc. oblatas repudiet.

Significatum in Apolloniæ porta classem instrui.

*reprimendos plurimum omnium posse, consuetis artibus, & innata calliditate aliquid moliri conentur, quod sanctum istud propositum tuum aliqua ex parte retardari per ipsorum falsas pollicitationes valeat. Confidas autem in Domino, & Altissimi dextera, quod quemadmodum ante hoc tempus felix successus ex spurcissimorum hostium clade excellentiam tuam apud omnes nationes claram fecit & gloriosam, ita in posterum omni felicitate auctam clariorem gloriosioremque quotidie efficiet. Nos autem pro fidei orthodoxæ, quod videmus, periculo, & officii nostri pastoralis ratione una cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus interea dabimus omnem operam, ut Italiæ, ac finitimarum provinciarum primum, deinde cæterorum potentatuum rebus in tranquilliore statu dispositis, ante omnia de ratione fidei catholicæ tutandæ, ac defendendæ aliqua opportuna media, favente inceptis nostris glorioso Deo, inveniri possint: quod ut assequi possimus, quantum erit in nobis, nunquam deerimus. Datum. Romæ die* XXI. *novembr. MCCCCLXXXIV. pontificatus nostri anno* 1.

LXIV. Expeditio Bajazethis in Valachiam. (*a*) *Michov. l.*4. *c.*73. (*b*) *Crom. l.*29.

Quod spectat ad Turcicas in Valachiam ac Moldaviam irruptiones, subactasque bello urbes, de quibus memorat Pontifex, refert Michovias (*a*), Bajazethem, dum voluptatibus indulgebat, a suis excitatum exercitum duxisse in Bessarabiam, & Kiliam Bialogrodumque urbes expugnasse: additque Cromerus (*b*), Stephanum palatinum imparem viribus ad aspera montibus silvisque obsita loca se subduxisse, omnemque regionem late hoc & proximo anno evastatam, cujus belli causas affert Turcogræcæ historiæ auctor, nimirum illatas antea a Stephano Turcis clades Bajazethem ulcisci voluisse (*c*): *Altero*, inquit, *anno imperii in Moldovalachiam copias sultanus duxit: cepit oppida Ciliam, Asprocastrum, & alia: inde quidquid virorum fœminarumque cepit in urbem traduxit. Causa hujus expeditionis erat, quod superior Moldaviæ princeps sultano Mechmetæ bellum fecerat, in quo victoria positus magnum Turcarum numerum deleverat. Hinc causa accepta Bajazetes ab urbe contra eum movit, hujusmodique maleficia regioni intulit*. Sed ad Pannoniæ Regem redeamus, quem Bonfinius (*d*) ait, jam ante cum Turca inducias, nulla socii Mysiæ inferiotis dynastæ mentione facta, pepigisse; rogatumque ut Achilejæ vulgo Cheliæ dictæ, & Nestoralbæ obsidione pressis opem ferret, comparasse exercitum, sed ita lente, ut antequam Varadinum versus castra moverentur de Achileja & Nestoralba jam actum nuntiatum sit. Non ille ultra progressus est, ut amissas urbes ex Mahumetica tyrannide erutas Christiano restitueret imperio, sed majori in consortem Christianæ fidei, quam Turcam ardens odio, bellum Austriacum, quod ob Turcicam irruptionem intermittere, motis Cornamburgo castris, noluit, majori molitione ursit, nec pontificiæ preces superioribus susæ literis illum ad recuperanda amissa permovere potuerunt; quinimmo in Viennenses impetus vertit: quod bellum describit pluribus Bonfinius.

(*c*) *Turcogr. l.* 1. Captæ ab eo arces.

(*d*) *Bonfin. dec.* 4. *l.*6.

Omissis Turcis aversa arma in Austriacum.

LXV. Valachus ad Casimirum confugit. (*e*) *Cromer. l.*29.

At Stephanus Valachiæ princeps fide & clientela regiæ Hungaricæ destitutus, cum furentes Turcas solus retundere non posset, ad Casimirum Poloniæ Regem confugit (*e*), illique clientelarem fidem addixit, ut Polonicis armis principatum recuperaret, de quo proximo anno dicetur. Quamvis vero Turcas ex agris dispulerit, Kiliam tamen, & Bialogrodum recuperare nunquam potuit, quibus urbibus Bajazethem etiam tum potitum scribit Michovias (*f*). Significante porro hanc Moldavicam cladem sedi Apostolicæ principe Rhodiorum equitum, admonenteque præter terrestrem exercitum, etiam validissimam classem a Bajazete instrui, rescripsit Innocentius incumbere se ad decernendam in sævum hostem sacram expeditionem: interea consuluit Rhodio, ut adversus Turcicos dolos ingentibus præsidiis se communiret, neque enim fidendum hosti, qui Christiano cruore expleri non posset; dum enim hos armis opprimebat, alios circumvenire dolo nitebatur, Rhodiorumque equitum, a quibus Zizimus fratet in custodia tenebatur in Galliis, magistrum variis lenociniis sibi devincire conabatur, ne a Zizimo Christianorum principum subsidiis imperio everteretur.

(*f*) *Michov. sup. c.*73.

Rhodius ut vires comparet admonitus.

*Magistro Rhodi.*

LXVI. Innoc. ad eum lit.

*Dilecte fili salutem, &c. Grave ac molestum nuncium nobis tulerunt eæ literæ, quas nuper de victoria contra Moldavos habita per immanissimum Turchum, & de novissimis illius apparatibus abs te missas vidimus, quæ vera esse credimus, quoniam ex aliis tam charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Siciliæ, &c. Regis, quam plurimorum ex eadem modo simili nunciata percepimus, nec dubitamus quin idem tyrannus superbia victoriæ hujus inflatus majora concipiat animo, crudelitatemque paternam apud immanes illas ferasque gentes velis æquare: sollicisi propterea sumus vehementer, totisque diebus angimur cogitantes, quo pacto conatibus rabidi canis ipsius possimus obsistere. Scripsimus iis statim auditis nunciis ad Italiæ, & Christianorum cæteros principes, monentes eos quam grave periculum immineat, quamque celeriter opus sit huic malo, antequam fiat ro-*

*bu-*

*bustius, providere, communiter hortati denique sumus unumquemque, ut oratores mittere cum plenis mandatis velint, cum quibus de summa totius negotii possit concludi, & ab ipsius Sultani impetu salvari Christiana respublica. Speramus eorum quemlibet pro virili parte non defuturum tam sancto negotio, quod ideo significandum duximus tibi, ut intelligas rem fidei, & Christianorum salutem, sicut debet, nobis maxime esse cordi, denique ut te paterne moneamus diligenter cavere vicini serpentis insidias, qui licet muneribus, literis ac nuntiis assidue blandiatur tibi, & sui dominii aliquando patrem, aliquando amicum te appellet, tamen nulla alia de causa fidem sibi in parvis hujusmodi quærit adstruere, nisi ut cum operæ pretium sit eum mercede magna fallat. Potes cognoscere quanta sit ejusdem summi rabies adversus Christianos, cum vix uno confecto bello adeo sit in sanguinem fidelium nostrorum debacchatus: aliud quoque majus festinet parare, nec credas vicinitatem istius insulæ, religionisque hujus aspectum parva illi esse incitamenta, quare te cogitet omnibus, quibus possit, modis decipere, improvisumque opprimere, idcirco prudenter feceris, si vacaris circa defensionem istius insulæ, civitatem istam Rhodi bene munieris, & insuper omne studium adhibueris ne sub amicitiæ, & blanditiarum specie incautus opprimare. Dat. Romæ die XXX. novembris MCCCCLXXXIV. pontificatus nostri anno 1.*

Caveat ab insidiis barbaricis.

LXVII. Periclitata Sicilia.

Invasit etiam Turcicus terror Siciliæ insulam, cujus imperium tenebat Ferdinandus Aragonum & Castellæ Rex, quem de tanto discrimine certiorem fecit Innocentius (*a*): potitum Asia & Græcia barbarum jam vires in Siciliam atque Italiam effundere meditari: elatum reportata ex Hungaris, quibus Achilejam & Nestoralbam, uti ante diximus, eripuerat, victoria magis insolescere, neque ecclesiasticas vires tantæ Mahometanorum potentiæ pares esse posse, nisi arma Reges sociarint: urgeri porro a Mauris Bajazetem ad invadendam Siciliam duce, milite, armisque imparatam.

(*a*) *Ib. pag. 64.*

*Regibus Hispaniæ.*

*Charissimi in Christo filii nostri salutem, &c. Ex harum exemplis, quæ his inclusa mittimus, intelligent majestates vestræ, quo in periculo sit res Christiana, nisi celeriter, & opportune magnis Turcorum apparatibus occurratur. Multa hactenus fortasse Christianorum principum animos retardare potuerunt, quod immanissimus hostis cum remotis nationibus bellum gerebat, quod militem classi, & terrestri exercitui non ita idoneum habebat, quod ex regno Hungariæ magnum fere quotannis illi vulnus infligebatur, quæ omnia faciebant, ut illius impetus minus fortasse, quam æquum erat, æstimaretur, sperareturque futurum aliquando, ut truculentissimi hostis temeritas publico Christianorum bello reprimeretur, ne majoribus auctus viribus majora in dies auderet; at longe aliter evenisse videmus. Occcupatis immanissimus hostis Asiæ, & Græciæ civitatibus, quæ nobis adversus eum antea propugnacula fuerant, Christianisque inter se diffidentibus, & alienam calamitatem non curantibus, jam propiora invadere meditatur, Italiam, Siciliamque animo versat: huc omnes illius tendunt cogitatus apparatusque, robustiorem, quam nunquam habuerit, exercitum possidet: scientia rei militaris, & longo bellandi usu peritissimum. Accedit, quod parta nuper adversus Hungaros victoria majores illi animos præstat ad omnia quæque aggrediendum. Itaque filii, non est par temporum cum hoste conditio, quæ prius; quotidie labitur Christiana religio, quotidie augetur illius potentia: videmus periculum appropinquare, & ex diuturno somno non excitamur: Deum testamur in his pontificatus nostri primordiis, ad quem, meritis licet insufficientibus, placuit divinæ pietati nos provehere, nihil aliud nos dies noctesque cogitare, quam quomodo immanissimo barbarorum furori in tempore resistatur. Hæc nos perpetuo angit sollicitudo, hæc cura assidue nobis insidet: sed quam opem præstare possit in tanto rerum discrimine Apostolica sedes, quæ vix littora terrarum suarum communi huic periculo exposita tutari potest, credimus unumquemque considerare. Opus est Christianorum principum præsidio & consilio: ad omnes scribimus, imminentia pericula proponimus, nisi quam primum subveniatur de catholica fide actum esse edocemus.*

Hispaniæ Rex certior factus de apparatu belli Turcici.

Ex victoria recenti hostem insolescere.

LXVIII. *Verum ad vos præcipue visum est orationem nostram convertere, quibus a natura insitum est pro gloria Dei adversus infideles fortiter pugnare: classe & armis virisque admodum præstatis: & monere vos debet plurimum nobilissima Siciliæ insula manifestis periculis exposita, qua si barbarus hostis (quod Deus avertat) potiatur, quid de reliquis regnis vestris futurum sit, considerate: hanc illum invadere statuisse ex pluribus locis compertum habemus. Ducitur ea opportunitate, quod insulam intelligit armis machinisque nudatam, pecuniis exhaustam, civitates & loca maritima sine munitionibus incustodita: deinde, ea in potestatem redacta, videt faciliorem sibi futuram esse Italiæ oppugnationem. Rogamus vos, charissimi filii, ut hæc diligenter consideretis: non loquimur temere: habet ad hæc sollicitatores Mauros, qui æquo animo pa-*

Sicilia expugnata expugnandis aliis regnis aditum iri.

*pati non possunt majestates vestras eorum gentem bello persequi*. Bellica adversus Mauros Granatenses Ferdinandi facinora pluribus describit Mariana (*a*). *Advertite ad insulam illam animum: cogitate quanti momenti sit & vobis, & Italiæ. Curate, ut quamprimum opportuna loca muniantur, arma subministrentur, præsidia disponantur, educite classem, quam maxime potestis, numerosam, qua Dei gratia plurimum valetis, eu qua fiet, ut ne dum damna inferre, sed ne quidem progredi audebit: non est amplius cunctandum: potuimus hactenus impune desides esse, quod periculum longius erat, non poterimus amplius cum hostem in foribus habeamus: ad radicem securis posita est, incauti opprimemur nisi in tempore nosmet excitaverimus. Ut id faciatis, filii, non solum immortalis gloria, quæ vos animo excelsos, ætate florentes, imperio potentissimos sequutura est, debet vos monere, sed rerum vestrarum salus, & necessitas ipsa, quæ, ut videtis, ee jam in loco est, ut evitari non possit. Super his venerabilis frater Angelus episcopus Suessanus nuncius, & orator noster erit cum majestatibus vestris, quem placeat benigne audire, & juxta rei necessitatem, quæ ut videtis major esse non posset, expeditionem ordinare. Dat. Romæ die* XXI. *novembris MCCCCLXXXIV. pontificatus nostri anno* 1.

(*a*) *Marian. hist. rer. lib.* 25.

Non licere desidem impune esse

LXIX. Neque his contentus Innocentius Cardinalem Toletanum, qui summa in Castellana aula gratia pollebat, cujusque consiliis Christiana res in Hispania amplificabatur, dare operam jussit (*b*), ut ad infringendos Turcarum conatus Hispanus Rex Siciliæ insulam fortissimis præsidiis muniret.

Tolet. Card. de imminenti discrimine edoctus.

(*b*) *Innoc. lib. brev. ann.* 1. *pag.* 56.

*Cardinali Toletano.*

*Difficile est præparationis hujus novæ consilium posse discernere, quoniam Turci in suis rebus callidissimi sunt, & simulare adeo norunt, ut sæpius unam in partem minantes, in alteram feriant, improvisosque semper adoriantur, quos quærunt opprimere: sed parare hæc ipsum maxime dubitamus contra Italiam, quod & illi perpetuo magis infensa extitit, & magis est ad petendum vicina. Præterea sunt ejus quoque naturæ Turci, ut semel victos non cessent lacessere, quos vero fuisse senserint aliquando victores, non sinant quiescere. Transitum istum Italiæ, quem pater ille perfidus olim fecit, hic filius forsan tentare conabitur; ut æquasse paternam apud immanes illas gentes videatur audaciam: quæ res quanto illi potissime animato & armato facilior esset, tanto magis remedio celeriori præsentique indiget, ne per socordiam aut ignaviam majora illi commoda, occasionesque malefaciendi præstentur.*

Ut Turci victos non cessent lacessere, victores quiescere, non sinant.

*Scripsimus ad Italiæ Christianorumque cæteros principes, hortantes eos, ut commune Christianitatis opus ac defensionem velint unanimi voto suscipere, & suis ad nos venturis oratoribus pro conclusione desuper necessaria facienda mandata tradere: speramus unumquemque tam sancto ac necessario negotio pro viribus non defuturum. Monuimus insuper præfatum charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum, ut, quod facere ad ipsum pertinet, regnum scilicet illud tutari Turcis oppositum diligenter efficiat; ad retardandos enim ipsius impii canis rabidos impetus nulla major est ratio, quam si senserit Christianos communiter & privatim ad se tuendos paratos esse, remque fortiter ac prudenter obsistendo gerere. Sed cum de partibus totius Italiæ non inferior nec ignobilior sit Siciliæ insula, quam si forte idem Turcus, sicuti ad explorandum quæque solicitus est, sciens esse præsidiis & armis nudatam invaderet, sedemque ibi ad maria infestanda percommodam classe firmaret, illinc non sine magno totius Christianitatis labore posset expelli; circumspectionem tuam hortamur in Domino, ut cum charissimis istis in Christo filiis nostris Regibus seriosius loqui debeat, magnitudinemque periculi hujus exponens, instanter hortetur & moneat nomine nostro, ut considerare ista maturius velint, & quanto citius fieri possit circa provisionem Siciliæ ipsius incumbere, huic denique majori incendio præcavendo, antequam propius fiat, diligenter occurrant: unum enim quodque malum nascens facile opprimitur, inveteratum vero fit plerumque robustius: non erit certe minor Regibus ipsis laus & gloria per defensionem Siciliæ secura maria portusque tot Christianorum salvos reddere, quam quod nunc laboribus tantis conantur, Bæticorum scilicet bellum conficere, in quo quidem licet suorum prædecessorum gloriam excesserint, ad ea loca penetrantes, quæ nulli ipsorum principum inspicere prius licuerit, tamen tanto ferventiores in fidei rebus athletæ videbuntur, si illud bellum prosequentes, huic quoque majori ut decet prospexerint; non enim sine diminutione æstimationis ipsorum Regum fieret, si in uno loco acquirentes alibi perderent; debilitatem namque ipsius insulæ Siciliæ, & facilem ad eam aditum non sine causa veremur. Quare in exponendis præmissis efficaciterque suadendis abs te fieri diligentiam exactam requirimus. Nos quod ad negotium fidei & defensionem Christianorum bene gerendam pertinet, parati erimus semper totis viribus nostris ej cere. Dat. Romæ die* XX. *novemb.* MCDLXXXII. *pontificat. nostri an.* 1.

LXX.

Capta Sicilia ex ea ad reliqua regna decursus.

Commendati Hisp. Reges de bello Granatæ illato.

In-

LXXI. (a) Ib. pag. 59. De statu rei Christianæ edoctus Rex Neap.

Insequenti die incitavit (a) similiter Neapolitanum Regem, a quo de Turcarum in Apolloniæ portu, aliisque oris maritimo apparatu edoctus fuerat, ut eo majori contentione ad tuendum regnum, communiendasque arces littoreas incumberet, nec facilem in Italiam aditum barbaris patere posse, si necessaria ad comprimendos eorum impetus pararentur: *Non diffidimus, quod si eadem apud omnes circa rem fidei solicitudo fuerit, quæ esse debebit, quin ab ipsius Turci conatibus respublica Christiana, & Italia defendi possint, id quoque per præsentes dicimus majestati tuæ, quam licet non dubitemus pro sua singulari prudentia considerare, contra quos potissimum hæc Turcus paret, & nihil omittere, quod ad defensionem istius regni pertineat, tamen quia majestatem tuam præcipuo cordis affectu prosequimur, quam paterne monemus, ut tanto magis necessariis provisionibus invigilet, quanto regnum istud ipsius hostis invasionibus, & periculis expositum est, non erit illi tam facilis ad Italiam petendam aditus, si senserit majestatem tuam, quæ illi opposita est opportunis in locis præmunitam esse, ac præsidia debita parasse: quod & nobis in locis nostris maritimis facere convenit, ut nihil omittamus, quod ad propulsandum immanissimi hostis impetum possit pertinere. Dat. Romæ die* XXI. *novembris MCDLXXXIV. pontificatus nostri anno* 1.

LXXII. Dum ita de instruendo bellico apparatu urgebantur consilia, tentatum est an Bajazethes deliniri, atque a bello retardari posset: Innocentius namque, ac Ferdinandus Neapolitanus Rex Petrum Ambussonium Rhodiorum equitum supremum magistrum, non minus prudentiæ laude, quam rei militaris gloria præstantem rogarunt, ut suam apud illum ea in re authoritatem adhiberet: qui jam ante misso oratore Turcicæ linguæ peritissimo Bajazethem monuerat, Christianos principes in eum armorum fœdere conjunctum iri, atque illius fratrem Zizimum vi & armis in imperium Turcicum in-

Monitus Bajazethes Christianos conjunctum iri si bellum alicui inferat.



vecturus, si cuipiam Christiano principi bellum inferret: tum professus erat, sancitas antea cum ipso concordiæ leges violari, si classem ex Hellesponto educeret. Quibus auditis Bajazethes damnavit belli consilia, ne Christianos Reges ad opponendum sibi Zizimum æmulum imperii incitaret, ac Petro ipsi significavit, se ejus precibus adductum bellum intermisisse, quin etiam ornare illum muneribus constituit, cumque nullum dignius haberet quam dexteram S. Joannis Baptistæ, [1] qua Christus baptismo ablutus fuerat, quamque Mahometes Turcarum princeps ex sacrario Constantinopolitanæ basilicæ in thesaurum regium intulerat, ipsam dono eidem equitum magistro misit. Institutum deinde de veritate sacri pignoris examen fuit, ac majorum traditione fideque dignissimorum testimonio veritas comprobata atque illustrata est, cujus historiam Guillelmus Caturcensis eques latino sermone conscripsit, quæ paucis delibanda visa est.

Dextera S. Joannis Bapt. dono missa ab eo Rhodiorum principi.

Narrat itaque sacrosanctam illam manum in templo Constantinopolitano S. Joanni sacro a Justiniano Imperatore ædificato annis quingentis, & eo amplius asservatam, cultamque fuisse, a Græcis autem scriptoribus, nec non traditione confirmari, S. Lucam evangelistam, S. Joannis Baptistæ reliquiarum cupidum, illam ex reliquo corpore avulsisse, quod Sebastiæ inter Hely & Abdiam a discipulis sepulchro conditum fuerat, deinde Antiochiam transtulisse: habitam autem a Christifidelibus magna in veneratione, ingentiaque ad illam patrata miracula, atque inprimis draconem immanem, cui puella Christiana devoranda objecta fuisset, particula digiti præcursoris in os injecta, repente extinctum corruisse: consuevisse etiam sacram manum singulis annis ostendi a patriarcha, ac, si fœcundus annus futurus esset, exporrectam videri: si vero sterilis, in pugnum contractam; quo miraculo Christiana religio in iis oris confirmata effloruit. Ejus vero fama LXXIII.

Miraculum annuum dexteræ S. Joan.



NOTÆ [1] Manus dexteræ S. Joannis Baptistæ Melitensibus equitibus a Bajazethe Turcarum imperatore dono datæ sinceritatem plures defenderunt, sed omnium novissimus P. Sebastianus Pauli Lucensis, Congregationis meæ decus eximium in adnotatione ad tomum II. codicis Melitensis pag. 554. quæstionem illam excussit, & pro Militensibus decidit. Rem ille totam conficit probans, Rufini hist. eccles. lib. 2. cap. 28. authoritate sacra Joannis Baptistæ lipsana, ita quidem ab ethnicis Palæstinis exustas fuisse, ut aliquæ tamen portiones superfuerint intactæ. Id vero de Præcursoris manu affirmandum esse indicat vetus traditio a Theodoro Diaphnota, decimi sæculi scriptore, asserta. Porro scriptor ille testatur ætate sua, nempe sub Constantino, & Romano imperatoribus, sacram illam Præcursoris manum Antiochia, quo illam transferri jusserat Justinianus, Constantinopolim reductam fuisse. Ibi vero facili negocio servari potuit atque ad ea tempora, quibus urbs Græcis erepta transivit ad Turcas, qui dein ad Bajazethem usque sibi retinendam illam censuerint. Hæc omnia amplissima eruditione ornat, & fulcit P. Pauli, cujus labor id obtinuit, ut decus illud quod Melitensibus equitibus invidissent eruditi, nunc faciliores concedant, vel saltem permittant. Mansi

A Constantino II. deportata erat Constantinop.

permotus Constantinus II. orientis Imperator, sacrique pignoris habendi cupidus Jobi diaconi Antiocheni astu & opera Constantinopolim deferendum curavit, atque in monasterio S. Joannis solemni pompa collocavit: cujus translationis festivitas in ea ecclesia annis singulis celebrabatur. Potitus demum Mahometes II. Constantinopoli, arcano Numinis consilio eandem S. Joannis Baptistæ manum, tum aliqua dominicæ passionis instrumenta, nimirum spongiam, arundinem, & ferrum lanceæ ex eodem templo una cum sacris aliis reliquiis & ornamentis in regium thesaurum afferri jusserat. Ut vero ferrum lanceæ Bajazethes Innocentio VIII. transmiserit: suo loco dicetur, nunc reliqua hujus anni prosequamur.

Sacræ reliquiæ repositæ a Turcis inter thesaurum.

LXXIV. Fascinatorum secta grassatur.

Non modo palam Christiana religio a Turcis oppugnata est, sed etiam dæmonum insidiis a magis, quorum ingens numerus pullularat in Germania, fœdaque adeo erant illorum opera, ut ad eorum mentionem animus perhorrescat: ac licet incredibilia videantur, tamen Innocentii testimonio fiunt perspicua: bisque similia jam ante sæpius detecta, atque animadversum in tantorum flagitiorum patratores vidimus: ad quæ excindenda Pontifex fidei censores amplissima authoritate, quam nonnulli labefactare nisi erant, fulcivit (a).

(a) Lib. bull. to. 1. an. 1. sign. n. 1918. p. 465.

*Ad futuram rei memoriam.*

*Nuper ad nostrum, non sine ingenti molestia, pervenit auditum, quod in nonnullis partibus Alemaniæ superioris, nec non in Maguntina, Coloniensi, Trevirensi, Salzeburgensi, & Bremensi provinciis, civitatibus, terris, locis, & diœcesibus quamplures utriusque sexus personæ, propriæ salutis immemores, & a fide catholica deviantes, cum dæmonibus incubis, & succubis abuti, ac suis incantationibus, carminibus, & conjurationibus, aliisque nefandis superstitiis, & sortilegiis, excessibus, criminibus, & delictis, multorum partus, animalium fœtus, terræ fruges, vinearum uvas, & arborum fructus, nec non homines, mulieres, jumenta, pecora, pecudes, & alia diversorum generum animalia, vineas quoque, pomaria, prata, pascua, blada, frumenta, & alia terræ legumina perire, suffocari, & extingui facere, & procurare, ipsaque homines, mulieres, jumenta, pecora, pecudes, & animalia diris tam intrinsecis quam extrinsecis doloribus, & tormentis afficere, & excruciare, ac eosdem homines, ne gignere, & mulieres ne concipere, virosque ne uxoribus, & mulieres ne viris actus conjugales reddere valeant, impedire; fidem præterea ipsam, quam in sacri susceptione baptismi susceperunt, ore sacrilego abnegare, aliaque quamplurima nefanda, excessus, & crimina, instigante humani generis inimico, committere, & perpetrare non verentur, in animarum suarum periculum, divinæ majestatis offensam, ac perniciosum exemplum, & scandalum plurimorum, &c.* Data imperia Henrico Institori, & Jacobo Sprengero, ut Germaniam ab ea peste vindicarent. Addit Innocentius Henricum Institoris ordinis Prædicatorum in superiori Alemannia sacræ fidei censorem, necnon Jacobum Sprenger in Rhenanis provinciis, dum adversus ejusmodi pestilentes homines judiciariam severitatem adhibebant, a nonnullis fuisse impeditos eo colore, & fuco, quod loca expressis nominibus non designarentur, in quibus ea authoritate judiciaria valerent: Pontifex vero, ut suo munere defungi pergerent edixit, atque episcopo Argentinensi dedit mandata, ut omnes, qui peragendæ in magos censuræ obsisterent, nullo discrimine authoritate apostolica reprimeret subdens: *Ne labes hæreticæ pravitatis, aliorumque excessuum hujusmodi in perniciem aliorum innocentium sua venena diffundat. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCDLXXXIV. IV. non. decembris pontificatus nostri anno* 1. Exercuere Henricus Institor ac Jacobus Sprengerus magno pietatis ardore censuram fidei, ac doctrinæ eximia monumenta reliquere.

Dæmones incubi & succubi magis illudunt.

Nefanda eorum facinora.

Censor fidei in eos severitatem exercere jussus.

Nec vana narrari a Pontifice de incubis & succubis dæmonibus magos fœda illusione contaminantibus, demonstrant quæ biennio proxime evoluto in Scotia contigisse scribit Hector Boetius (b) hisce verbis: *Anno Christianæ salutis sexto supra octagesimum millesimum, & quadringentesimum navigantibus e Phortea æstuario negotiationis causa in Flandriam tanta ventorum oborta est vis, ut velis, malo, armamentisque ruptis, navique fœde inter tumentes undas jactata, certissimam mortem cuncti expectarent, navicularius tantam atque insolitam aeris inclementiam eo tempore demiratus [ suberat enim solstitium æstivum ] cum id non syderi, sed malorum dæmonum, qui hominibus semper sunt infesti, insidiis magnis tribueret, clamoribus reddita est vox ea ima navi mulieris se misere incusantis, quod incubo dæmoni humana sub effigie, qui cum per multos ante actos annos habuisset consuetudinem, jam tum fuisset commixta, & ab eo subacta: mari ergo celerius se tradendam, ut ipsa pereunte, quæ tanti mali imminentis causam præstitisset, cæteri Dei benignitate permanerent incolumes. Accedens ad lachrymantem fœminam, jubente* LXXV.

(b) Boeth. hist. Scotor. l. 8.

Tempestas in mari concitata a dæmonibus.

Misera muliercula incusat se oppressam a dæmone incubo.

Solicitata ad veniam a Deo flagitandam Dæmon e navi cum flamma & fumo exilit.

*bente naviculario, sacerdos, ejus atque cæterorum saluti consulendi causa, crimen jam palam fatentem, horrentem scelus, vehementer alto e pectore suspiriis indicibus pœnitentem facti, pie est hortatus, ne sibi deesset, cui certo cognosceret Numinis favorem adesse: crimina lachrymis, ac animi pœnitudine deleri: tantam miserentis Dei clementiam esse erga mortales, ut altius vel in malorum profundum lapsos resipiscentes nonnumquam ad maiorem longe, quam umquam antea habuissent, gratiam recipiat. Media pii sacerdotis adhortatione cum multis suspiriis afflicta mulier admissum facinus deploraret, cunctis visa est atra nubes e navis sentina prosiliisse ingentique sono, flamma, fumo, atque fœtore sese dejecisse in mare. Sedatum est inde cœlum, pacatumque mare, & negotiatores cum navi cunctis suis rebus salvis in optatum portum abiere.*

LXXVI. Adolescens a dæmone succuba delusus.

*Haud multis annis, quam hæc facta fuerant in Gareotha regione vico quatuordecim vix passuum millibus ab Aberdonia, adolescens multa formositate coram Aberdonensi antistite questus est palam, sese a dæmone succuba, ut dicunt, gratissima omnium, quæ vidisset, forma, multos ante menses infestatum, eandem occlusis foribus noctu ad se ingredi, blanditiis in sui amplexus compellere, dubia luce abire sine strepitu: pene nullo se posse modo, cum pluries id tentasset, a tanta, ac tam turpi vesania liberari. Jubet continuo optimus episcopus adolescentem alio se conferre, & ut Christiana religione magis laudatis jejuniis, & orationibus plus solito accommodaret animum, fore ut piis operibus intento victus cacodæmon tandem terga esset daturus. Evenit adolescenti salubre consilium religiose executo paucos post dies uti venerandus antistes erat profatus. Idem pene sub tempus accidit, & aliud haud dissimile miraculum, malo dæmone illudente mortalibus, haud reticendum. In Marrea regione, uti ex iis, qui fœdissimam rem conspexerant, accepimus, Puella natalibus altis, forma conspicua, complurium nobilium aversata connubium, in infandam cum cacodæmone incidit consuetudinem: quæ cum uterum tumidum ferret parentum rigore coacta edere stupratorem, adolescentem mira pulchritudine frequentius secum noctu, interdiu nonnunquam convenisse; unde venisset quove abiisset nescire se respondit. Parentes tametsi filiæ parum crederent, accuratius rem advertentes consilio quis esset, qui gnatæ expugnasset pudicitiam explorandi, cognito post tertio die indice ancilla stupratorem adesse, reclusis foribus accenso tædarum ingenti numero cubiculum ingressi, horrendum monstrum figura supra humanam existimationem terribili in filiæ amplexibus sunt conspicati. Cucurrere ocyus complures ad fœdum acciti spectaculum, inter eos sacerdos probatæ vitæ, sacræ disciplinæ haud ignarus, cæteris aut trepide abeuntibus, aut pavore terræ illisis, cum Christi Apostoli Joannis Evangelii initium recitare orsus ad eum locum, Verbum caro factum est, perduxisset, malus dæmon horrendo sublato clamore, cubiculi tectum secum asportans omni supellectili incensa abiit. Fœmina periculo servata post triduum enixa est monstrum undequaque fœdum aspectu, quale nusquam antea [ ut ferunt ] inter nostrates visum. Id obstetrices, ne servatum in contumeliam esset familiæ, accensa ingenti pyra citissime concremarunt. Hæc de incubis nostris diebus conspecta placuit paucis historiæ inserere, [ & si plura similiaque haud sine multorum admiratione prioribus sæculis evenisse accepimus ] ut legentes dignoscerent haud prorsus esse fictitia, quæ de malorum dæmonum cum hominibus consuetudine feruntur.* Ab impurissimis illis impudicitiæ monstris ad puritatis nitidum sydus digrediamur.

Liberatus episcopi Aberdonen. consilio.

Puella nobilis illusa a dæmone incubo.

A monstro horrendo stuprati visa.

Fugatus dæmon evangelio S. Joannis repetito. Monstrum horridum profusum partu.

Non sunt figmenta quæ de dæmonibus feruntur.

LXXVII. S. Casimiri obitus.

Hoc anno (a) Vilnæ in Lusitania S. Casimirus Casimiri Regis Poloniæ & Elisabethæ filiæ Alberti Cæsaris Hungariæ & Bohemiæ Regis filius, ac Joannis Alberti, Alexandri, & Sigismundi postea Regum, & Friderici S. Luciæ in septem soliis diaconi Cardinalis frater in cœlum abiit, cum spretis nefariis hortatibus mori quam fœdari maluisset: cujus vitam sanctissimam, & gloriosissimam mortem consecutis cœlestibus miraculis charissimam describit hisce verbis Zacharias Ferrerius, Gardensis episcopus (b) in Polonia, & Lithuania legatus Apostolicus: *Animo adeo erat desponsata virginitas, ut carnales nuptiæ sive a parentibus, sive ab amicis ei nusquam persuaderi potuerint, nec caro, nec sanguis, nec blanditiæ, nec titillationes ullæ venereæ inficere, aut ab arrepto pudicitiæ instituto dimovere aliquando valuere: virginem enim ad finem usque vixisse, virginemque postremum diem clausisse omnes & a cubiculo, & a secretis ejus viri maximi, & optimi, quorum adhuc nonnulli supersunt, quibusve intus & in cute agnita illius conversatio fuerat, asseverant, & attestantur: quod cum ex pluribus evidentibus argumentis satis superque liqueat, ex eo potissimum, quod potius mori elegit quam fœdari manifestissime compertum habemus: cum enim medio florentissimæ juventutis in morbum quendam chronicum incidisset, cui medela alia nulla occurri posse, quam puellari concubitu medici judicabant, illiusque parentes necessariique plurimi, ut virginem speciosissimam,*

quam

(a) Michov. l. 4. c. 73. Cromer. l. 29. Zachar. Ferrer. Gar. epis.

(b) Apud Gallon. ms. Vall. bibl. sig. L. p. 160.

Castitas ejus insignis.

Mori maluit quam fœdari.

*quam e multis delegerant, una in lecto cubare, & pro servanda vita in amplexus & copulam ire permitteret enixissime suaderent, rogarent, efflagitarent, ille sapientissime [ ut semper solebat ] respondit, se temporalem hanc, & momentaneam vitam malle amittere, quam aterna, & immarcescibili in cœlo carere; objurgabatque eos omnes, quod rem sibi suggerere illicitam non erubescerent: cumque adhuc, ut floridæ juventuti vitæ ac saluti consuleret magis ac magis adhortarentur, & importunis etiam precibus obtestarentur domestici, respondit ille salutem vitamque aliam nescire, quam Christum dominum, cum quo ut esset, cupiebat dissolvi (a), & ad quem jam se ea valetudine brevi profecturum esse perspiciebat: quod & ita factum est. Nam ingravescente morbo, cum naturali robore destitui cœpisset, ecclesiasticis sacramentis veluti spiritualibus quibusdam contra adversus potestates, & tenebrarum harum rectores munitus armis inter assiduas orationes, & sancta colloquia, adstantibus sacerdotibus, & viris religiosis, animam illam candidissimam, & Christo amabilem, ut prædixerat perendie carnis vinculo solutam omnipotenti Deo reddidit.*

(a) Philip. 1.

Mortis suæ tempus prædicit.

LXXVIII. *Obiit autem apud Velliam sive Vilnam Lituania seu Litalianæ primariam civitatem in Grodno oppido anno a virgineo, & salutifero partu MCCCCLXXXIV. die IV. martii illucescente aurora, annoque ultimo Sixti IV. Pontificis maximi. Vixit annos viginti tres; menses sex, sepultusque est collacrymantibus cunctis apud arcem, ubi sedes pontificia Vilnensis sita est in divi Stanislai martyris, ac pontificis æde sub sacello almæ genitricis Mariæ, cui & mentem omnem, & pudicissimum corpus addixerat. Erat autem pius adolescens, & famulus Dei Casimirus mediocris staturæ, cæsariem mustellini vel subnigri coloris habens, subnigris oculis, & naso æquali, ac temperati ruboris, facie eleganti, formosa & venerabili, ut qualis intrinsecus esset ex ipsa effigie existimari posset: aspectu profecto pulcher, sed longe pulchrior religione divina utpote moribus ornatus angelicis, cujus mentem atque regium pectus nihil fœdi, nihil turpis, nihil obscœni unquam tetigerat, quo post ejus obitum luculenter ostensum est. Nam omnipotens author, ut indicaret quanta meritorum celsitudine virtutumque sublimitate apud se Casimirus magnus extiterit, mox eu ejus sepulchro tot tantaque signa, ac miracula patefacere dignatus est, in diesque magis ostendit, ut hæsitare nemo debeat, quin æterna cum Christo felicitate in cælo fruatur: hi enim, qui sine spe humani auxilii morbis incurabilibus gravissimisque valetudinibus laborant, surdi, muti, claudi, aridi, cæcique, ut primum ejus mausoleo se devoverint, auditum, loquelam, incessum, visum, pristinamque incolumitatem recuperant, quodque longe admirabilius, ac pene incredibilius est, reviviscunt mortui, aliaque quotidie obstupescenda fiunt miracula, &c.*

Miraculis inclarescit.

Cum eorum fama late increbuisset, Zacharias Ferrerius episcopus Gardiensis in Polonia, Lithuania, & Moscovia legatus apostolicus de iis inquirere jussus ecclesiasticum officium, quo illius memoria recoleretur, instituit, ac postea Leo X. eum solemni ritu in sanctorum albo collocavit. Si vero Michovias (b) ad superiorem annum B. Casimiri obitum retulisse videatur, id ideo contigit, quia annos ab Incarnatione Verbi numerat, Cromerus vero ad præsentem annum ejus obitum refert, dum ait, Casimirum intra vertentem annum post Simonis Lipnicensis miraculis celebris mortem obiisse. Ex dictis emendes errorem, qui in notis Baronianis ad martyrologium Romanum ad ɪv. martii irrepsit, dum anno MCDLXXXIX. obiisse dicitur.

(b) Michov. l. 4. c. 74.

LXXIX. Obiit hoc anno Leopoli in Russia acerrimus hæreticorum, & schismaticorum impugnator Joannes e Ducla B. Joannis Capistranensis discipulus, qui S. Bernardini Franciscanæ disciplinæ instauratoris instituta in Poloniam invexit, & quamvis cœcitate percussus in errorum tamen tenebris jacentes meliori luce collustrare non destitit. Ipsum ingentibus post mortem miraculis coruscasse, refert Lucas Vvadingus (c), ob quorum splendorem Sigismundus Poloniæ Rex professus regnum Polonicum barbaris cinctum sanctorum tutelarium patrocinio stare, a Paulo V. primum, tum ab Urbano VIII. expetiit (d), ut Joannem ipsum e Ducla in sanctorum numerum referret.

Joannes e Ducla Minor celebris miraculis.

(c) Vading. in annal. Minorit. tom. 7. an. 1484. n. 25.

(d) Ext. ejus lit. n. 31. 32.

LXXX. Navata hoc anno est ab Innocentio opera, ut fœneratores, & Marrhani (e) in Judaicam superstitionem relapsi in Hispania coercerentur, ac sanctio nefaria, qua fœneratoria fraus in Aragoniæ regno permittebatur, sublata (f) est ab Innocentio.

(e) Innoc. VIII. lib. sign. num. 1909. p. 49.

(f) Pag. 46.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Non sine grandi displicentia nuper accepimus, quod vix credere possumus, in Aragonum regno vigere constitutionem, per quam usurarii puniri prohibentur, & quod deterius existit, charissimum in Christo filium Ferdinandum dicti regni Regem circa regni sui initia juramento promisisse per se vel alium, publice vel occulte, directe vel indirecte non impetrare, vel impetrari facere commissionem vel rescriptum aliquod, vel aliam quamvis provisionem a*

Ro-

*Romano Pontifice pro tempore existente, nec ab altero judice ecclesiastico, vel persona ecclesiastica, per quem seu quos posset fieri inquisitio, aut procedi contra aliquam personam dicti regni de & super crimine usuræ, & impetratis seu aliter obtentis non uti, nec uti facere, quinimmo si quid horum teneret, vel ad suas manus, & posse suum perveniret, illas vel illud restituere deputatis dicti regni, & non facere aut fieri permittere seu procurare, quod inquisitiones fierent, vel jam inceptæ ad finem deducerentur per judices aut commissarios, vel alios quoslibet super crimine usuræ contra personas dicti regni, aut aliquam earum, & non jubere nec procurare sibi dari, & etiamsi libere sibi daretur non recipere, nec per aliquem aut aliquos suo nomine, vel ad utilitatem suam recipi facere pecuniam, aut aliam quamlibet rem quocumque quæsito colore ex emolumentis, & obventionibus, quæ ex causa dictorum processuum, & sententiarum super dicto crimine usuræ factorum, datorum, & dandorum, aut alicujus eorum aut eorum pervenirent, vel pervenire possent, & directe vel indirecte non impetrare aut impetrari facere relaxationem aut absolutionem hujusmodi juramenti, statuisseque propterea de voluntate curiæ, quod simile juramentum tenerentur præstare sui successores, & omnes locumtenentes generales, & primogeniti dicti regni, priusquam possent uti aliqua jurisdictione, prout in scriptura authentica desuper confecta plenius dicitur contineri.*

LXXXI. *Cum autem præmissa cedant in divinæ majestatis offensam, & proximi læsionem, ipseque Rex per illa contra divina, & humana jura approbasse quodammodo videatur usurariam pravitatem, nec facile excusari valeat ab incursu censurarum, quas Viennense concilium protulit in prohibentes per eorum statuta repetitionem usurarum. Nos, qui salutem quærimus singulorum, & ob favorem puræ devotionis, & fidei, quam Rex ipse ad nos & Romanam gerit Ecclesiam, Regem ipsum sincero corde diligimus, & gerimus in visceribus charitatis, motu proprio, non ad ejusdem Regis, vel alterius pro eo nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, auctoritate apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus Regem præfatum,* nimirum Ferdinandum, *& quoscumque alios ad præstiti per eos contra bonos mores juramenti prædicti observantiam minime obligari; immo Regem ipsum ad extirpandum de prædicto, & aliis regnis suis usurariam pravitatem opportunos debere præstare favores, quod usurarii puniantur, & citra animæ suæ præjudicium abstinere non posse a præstando opem, & operam efficaces, ut ejuscemodi conditionis homines Deo, & mundo exosi suorum condignas perferant pœnas delictorum, ut & ipsi debita pœna puniti, & alii eorum exemplo a similibus studeant in posterum abstinere, & ne quidquam scrupuli ejusdem Regis, & aliorum conscientiæ in iis remaneat, legem ipsam seu forum, tanquam bonis moribus, & divinis præceptis sacrisque canonibus contrariam, eisdem motu, scientia, & auctoritate abrogamus cassantes, & cassamus, annullamus, & damnamus, ac Regem ipsum, & omnes regnicolas, nec non magistratus, & officiales suos, qui contra illam legem, & forum senserunt, aut processerunt, ab ejusdem juramenti observatione, quatenus Rex præfatus, vel illi dubitarent, se illo ligari, & a censuris præfati Viennensis concilii se ob præstitum per eos juramentum prædictum illas incurrisse absolvimus, & præfato Regi in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut circa eorumdem usurariorum punitionem eas, quas præstare tenetur, suæ solicitudinis partes interponere merito non omittat, ita, ut dici possit Rex ipse suam purgasse negligentiam; nec non regnicolis ipsis, ut eidem Regi in hoc nulla parte resistant, aut eum ab hujusmodi proposito retrahere tentent sub pœnis concilii memorati. Et nihilominus venerabili fratri Angelo episcopo Suessano ad prædictum Aragonum, & alia Hispaniarum regna nostro, & Apostolicæ sedis nuntio, oratori, & commissario, & dilectis filiis Cæsaraugustano, & Oscensi, & Tarraconensi officialibus committimus, & mandamus, quatenus ipse episcopus, quandiu in regnis, & dominiis dicti Regis prosequendo sibi factas commissiones permanserit, per se, vel alium seu alios, & finita ipsius episcopi commissione, ipsi officiales præfati, vel duo aut unus eorum contra hujusmodi locis ejusdem degentes per accusationem, denuntiationem, & etiam ex eorum mero officio instituendam inquisitionem procedant & compertos punibiles prout juris fuerit punire, & condemnationes, quas tulerint, exequi procurent ea qua decet, diligentia utentes in præmissis, &c. mulctas pecuniarias in bellicos sumptus partim contra Granatenses Mauros, partim contra Turcas, & alios fidei hostes derivandas decernit. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCCLXXXIV. kal. octobris pontificatus nostri anno 1.*

Inventum hoc anno (*a*) est sub Joannis Regis Lusitaniæ auspiciis a Jacobo Cano regiæ classis præfecto Congi regnum amplissimum, in quo religionem Christianam feliciter propagatam, excisumque ido- LXXXII.

(*a*) *Osor. l.3. & Maff. l.3.*

Congi regnum inventum a Jacobo Cano.

idolorum cultum inferius visuri sumus. Narrat vero accurate Osorius quanta prudentia Canus, cum in fauces altissimi fluminis pervenisset, coniecerit multis gentibus illius ripas incoli, provectusque viderit Æthiopas, quos humaniter ad se pellexerit, muneraque transmiserit ad Regem, & quatuor nobiles adolescentes in Lusitaniam advexerit, ut Lusitanica lingua & Christianis sacris erudirentur, ut quo pro evangelio Congitanis inferendo munere interpretum fungerentur. Propagato ita in dies latius Lusitano imperio, Innocentius regiis permotus precibus confirmavit jura in Guineam, & alia Saracenorum & cæterorum infidelium loca, quæ subiici contingeret Lusitano Regi a Nicolao V. Callisto III. & Sixto IV. concessa. Ascripta est pontificio diplomati hæc loci, & temporis nota. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCCLXXXIV. pridie idus sept. pontific. nostri anno* 1.

Guinea & infidelium inventa loca concessa Lusitano.

Ineun-

I. INeunte anno humanæ salutis millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto indictione tertia Innocentius conceptas jam una cum pontificatu salutares de retundenda Turcica tyrannide curas intendit: ferebat enim rumor ingentem haberi a Bajazethe militum delectum, classemque instrui & ornari in portubus Macedoniæ, ex qua in Italiam priore concussam bello summa vi invecturus esset. Favebat barbarorum audaciæ Christianorum mutuis se se bellis petentium furor: quamobrem Pontifex universos principes ad tuendam Christi causam excitaturus imminentis discriminis admonitos hortatus est, ut sacrum armorum fœdus sancirent, communesque sumptus ad sustentandum militem suppeditarent, cujus eximium studium non præterit silentio Panvinus (*a*): *Pacis*, inquit, *atque otii studiosissimus*, nimirum Innocentius, *omnes Christianos principes frequentibus nuntiis hortabatur, ut mutuis dissensionibus & bellis compositis fœderibus juncti, Turcarum vires, toto jam terrarum orbe formidabiles, retunderent*.

Objectus Italiæ a Bajaz. gravis terror.

(*a*) *Onuphr. Panvin. in Innoc. VIII.*

II. Testes sunt illius pii laboris literæ ineunte februario ad Ferdinandum Regem Neapolitanum datæ (*b*), quibus significat se crebris orientalium nuntiis de formidando Bajazethis maritimo apparatu permotum Cardinalium & oratorum principum cœtus habuisse, communique consilio decretum, comparandam triremium sexaginta & viginti navium majoris alvei classem ad tutanda Italiæ littora arcendumque hostem, ne quem portum vel munitum locum occuparet: tum de sumptuum, qui a singulis fœderatis principibus Italis conferendi erant æqua & rata portione certiorem fecit, suoque exemplo, utpote qui non aurum modo, sed cruorem pro tam justa causa alacriter profusurus esset, ad contrahenda undique valida in barbarum auxilia solicitavit.

Principes jungere fœdere nititur Innoc.

(*b*) *L. 1. brev. p. 14.*

*Regi Ferdinando*.

III. *Classem constare oportet en sexaginta triremibus & viginti navibus onerariis ad defensionem tantum, non autem ad offensionem, nam majore numero opus esset: quingenti vero aurei pro singulis triremibus, mille autem pro singulis navibus singulo mense necessarii sunt, qui pro quatuor mensibus summam conficiunt ducentorum millium aureorum. Adduntur deinde viginti millia pro viginti corporibus triremium comparandis, cum en sexaginta, quas necessarias duximus, non nisi quadraginta in promptu sint: itaque erit omnis summa ducentorum, & viginti millium ducatorum. Quomodo autem hujusmodi impensa proportionaliter inter omnes dividenda sit, nullum alium ordinem melius & clarius servari posse judicatum est, quam eum, qui in Cremonensi dieta est servatus, ita ut qui ad impensam octingentorum equorum illic tanati sumus, reducenda ad calculum manutenendæ hujus classis quadraginta millium ducatorum summam subituri simus: majestas tua pro mille & quingentis equis septuaginta quinque millia ducatorum, idem dux Mediolanensis, Florentini pro sexcentis triginta millia, sicuti latius & distinctius ab eodem oratore tuo intelliges. Hortamur igitur te per viscera misericordiæ nostri, ut portionem ipsam te tangentem exponere quamprimum non differas, si te & reliquos Italiæ potentatus salvos esse velis: idem ceteris scribimus. Non est tale onus, quod pro communi salute ab unoquoque vestrum facile fieri non possit: nos & si pontificatum facultatibus fere omnibus destitutum, & manimis debitis gravatum invenimus, tamen, considerata rei necessitate, etiamsi omnia nostra æri alieno subiicere deberemus partem nostram in promptu habebimus, neque proprio sanguini & vitæ parcemus, si opus erit. Dat. Romæ die 11. februarii MCDLXXXV. pontificatus nostri anno 1.*

Deliberatum classem instruendam sexaginta triremium & viginti navium. Qui sumptus sint necessarii.

Ut onus pro rata portione divisum.

IV. Admoniti etiam alii Italiæ principes (*c*) fœderati, ut decreta in Romanis conventibus auxilia aurumque subsidiarium conferrent, nempe Hercules dux Ferrariæ octo millia ducalium aureorum, totidem Senenses, marchio Mantuanus sex millia, Montisferratensis duo millia, Lucenses totidem, Plumbini regulus mille in classariorum stipendia suppeditare jussi. Imperata pariter aliis sociis erant nummaria subsidia, e quibus Florentini impositum triginta sex millium aureorum repræsentandorum onus excutere annisi, inanes prætexuere causas, exhaustam nimirum ærario in Genuensi bello rempublicam; quibus Innocentius impendentia graviora pericula proposuit (*d*): sedandum æquitate illud bellum, adhibendos concordiæ interpretes amicos communes, eorumque arbitrio, ac potestati controversiam permittendam: non jam de exiguo limite ignobilique oppido, sed de totius Italiæ salute, de religione agi; pares enim casus, ni mature barbari propulsentur; cum aliis Italis ipsos subituros: *Potens est*, inquit, *respublica vestra hoc o-*

(*c*) *Ib. ep. 46. & post eand. ep.*

Florentini illud detrectant. Moniti officii.

(*d*) *Ib. p. 132.*

Concordiæ cum Genuen. quæsita ratio.

*nus perferre pro gloria Dei, pro Christiano nomine, pro conservatione rerum vestrarum, etiamsi alieno bello occupati sitis, quamquam nihil prætermittitur, quin dissensiones ex de medio tollantur; ad quod celerius faciendum opportunum judicamus, ut vos Petram sanctam, & Januenses Sarzanam deponant apud quos conventum erit inter partes: quo facto cætera erunt ad ineundam concordiam faciliora: ad hoc hortamur ex latere vestro promptos velitis vos reddere, &c. Dat. Romæ die XXIII. februarii MCDLXXXV. pontificatus nostri anno I.*

V.

(a) Aug. Just. l. 5. Bzov. l. 15. Foliet. l. 11.
(b) Innoc. l. 1. brev. p. 131.

Agunt de ea inter Florentinos & Ligures de limitibus controversia, ac bello historici (a); ad quod sedandum Pontifex ducem Mediolani interpretem admovit (b), ut universæ Italiæ vires ad communis hostis impetus propellendos jungerentur. Diremptam autem tradunt proximo ineunte anno controversiam illam iis pactionibus, ut Petrasancta Florentino imperio adiiceretur, Serezanellum vero Genuensibus restitueretur, quamquam mox violato fœdere lis recruduit (c). Intendebatur etiam ulteriori Siciliæ ejusdem Turcici apparatus militaris terror: quare Innocentius Ferdinandum Siciliæ, Aragoniæ, & Castellæ Regem admonuit, (d) ut validam classem ad Siciliam contra barbaricas grassationes irruptionesque communiendam mitteret: ac Toletanum Cardinalem gratia, & authoritate, ut dixi, pollentem in Hispania, ut Regem ad id permoveret solicitavit (e). Dum autem ita cæteros principes ad tutanda sua provocaret, pontificiæ oræ muniendæ non defuit, deditque (f) mandata Baptistæ Ursino Apostolicæ sedis legato, ut Anconam Picenaque littora præsidiis fortissimis instrueret ad barbaricam vim comprimendam: tum Asculanos & Firmanos in pristinam concordiam revocaret (g).

(c) Id. lib. 2. brev. p. 111.
Monitus Hisp. Rex ut Siciliæ consulat.
(d) L. 1. brev. pag. 111.
(e) Ibid.
(f) Ibid. p. 105. & 163.
(g) L. 2. brev. pag. 27.

Chienses vexati a Turcis.

Interea lacessitis crebris Turcarum grassationibus minisque Chienses auxilia ab Innocentio postularunt, qui eum ad defendendam Italiam adversus imminentes Dei hostes incumbere cogeretur, indoluit ferendæ ope se parem non esse, præsertim ærario ob contracta nomina exhausto: se tamen non defuturum rei Christianæ pollicitus est (h), & cum primum posset opitulaturum: egit autem apud Rhodiorum equitum principem, ut Chiensium suscepto patrocinio Bajazethem, cum quo fœdus erat pactus (i), ab iis grassationibus sua authoritate revocaret.

(h) L. 1. p. 168.
(i) Bosius hist. equit. Jerosol. l. 14.

VI.
Abstinet a Chien. vexand. Bajaz.

Adhibuit Rhodius ipse suam auctoritatem, ut Chii Turcicis vexationibus liberarentur, idque illius precibus datum refert Jacobus Bosius (k): cujus beneficii memores ei vas ingens argenteum politissimo artis lenocinio elaboratum misere, in quo sculptæ erant hæ voces: *Dominorum Chii reverendissimo Petro Daubusson magistro Rhodi de se optime merito donum.* [1] Cæterum agitabat ille ob partam jam ante de Mahomete II. victoriam, & cohibitam superiori anno Bajazethis II. classem, ne ea Hellespontiaco freto in eacidium Italiæ erumperet clarissimus, consilia de distrahendis viribus Turcarum, ne cœptam ante Italicam expeditionem instaurarent: de quibus misso Guillelmo Caturcensi equite oratorum principe Innocentium certiorem fecit. Exceptus ille honorifice in Cardinalium consistorio orationem (l) elegantem habuit, qua Pontificem ad Christianos in arma pro delenda Mahumetica superstitione concitandos solicitavit, commissaque feliciter a Rhodiis cum Turcis post captam Constantinopolim prælia commemoravit, ad Narangiam nimirum in insula Lango fusos fidei hostes, Antimachiæ obsidione depulsos, insulam Simiarum eorum assultibus liberatam, defensam Tilon, Turcicas naves sæpius captas mersasve, Ægyptios Rhodo propulsatos, Mahometis II. exercitum maritimum propugnaculis maxima strage dejectum, obsessas anno superiori Hellesponti angustias, fractosque de Italia invadenda conatus descripsit. Addidit Achmetem bassam Hydrunti expugnatorem e vivis sublatum, cujus mors pluribus salutem pepererit. Denique commendata Innocentio Rhodo, quæ patrem ejus genuisset, amoremque servaret, obedientiam detulit. Admisit officia hæc Pontifex datis ad Rhodium literis (m) Guillemum oratorem commendavit: meditata de Baja-

(k) Bosius p. 2. l. 14.
(l) Bosius p. 2. l. 14.
Rhodii principis legatio ad Pont.
(m) Inn. l. 1. brev. p. 163.

NOTÆ [1] CONtroversia illa Chiensium cum Turcis a summo magistro Rhodiensium equitum, non quidem hoc anno, at sequenti 1486. composita fuit. Franciscus quidam Medicus, piraticam per maria illa exercens, navigia quædam Turcarum deprædatus fuerat, cujus rei invidia ab æmulis onerabantur apud Turcarum imperatorem Chienses, utpote quod ejus insulæ civis Medicus haberetur, eodemque prædam suam comportasse ferebatur. Bajazetes aures præbens faciles delatoribus Chiensibus mulctam indixit. Illi contra reclamare, nec se prædam recepisse, nec civem suum esse Medicum asserentes. Res judicio Petri Daubusson Rhodiorum equitum magistri, volente Turcarum imperatore commissa, qui & Chienses absolvit, & causam illorum apud Turcam ita peroravit, ut mulcta remitteretur. Id eruitur ex variis literis in codice Melitensi relatis, quæ omnes anno 1486. signantur. MANSI

jazethe novis bellis implicando, ne Italicam expeditionem cogitaret, consilia extulit.

*Magistro & conventui Rhodi.*

VII. Equitum Rhod. elogium.

*Venerunt ad nos,* & infra, *oratores vestri ad sedem Apostolicam destinati, qui plenam, & debitam eidem sedi obedientiam vestro, & religionis nomine præstiterunt, multaque, & accurate, & eleganter retulerunt de singulari vestra erga sacrosanctum hoc Romanum solium, & sedentem in eo devotione, & fide quod etsi novum non fuit, utpote qui cognoscimus bonum zelum & syncerisatem animi vestri, jucundissimum tamen extitit tale quid de vobis audire. Enarrarant oratores ipsi eleganti tersaque oratione egregia facinora insignis vestræ religionis, præcipue vero recentem victoriam de Turcis habitam, & opportunum remedium ad cohibendos ipsorum Turcorum conatus, qui classem in Apulos pridem extruxisse feruntur. Hæc quidem, ut laude digna sunt, ita omnibus placuerunt, vobisque plurimum commendationis, & gloriæ attulerunt; nos vero ante alios mirifice sumus oblectati, & propterea nostra erga vos dilectio propensior quodammodo est effecta. Reliquum est hortari vos, ut pro innata virtute animi, & præcipua in orthodoxam fidem affectione vehitis, quod digne cœptum est, viriliter prosequi, & rempublicam Christianam, hoc est Dei & creatoris nostri causam toto animo, toto studio, & toto favore amplecti, cum de nulla alia re gloriosius sit benemereri. Nos autem, & præfatam sedem semper vobis benignos propitiosque in omnibus, quæ cum Deo poterimus sentietis. Dat. Romæ die* XXII. *aprilis MCCCCLXXXV. pontificatus nostri anno* I.

Commoniti ut rempubl. Christianam tueantur.

VIII. Non modo Rhodios hoc anno ritu solemni Innocentio, ut Christi vicario, obedientiam detulisse, verum etiam Angliæ (*a*), Galliæ (*b*), & Daniæ (*c*) Reges, Mediolani (*d*), & Britanniæ (*e*) duces, Bertholdum Moguntinum, Joannem Treverensem archiepiscopos (*f*) imperii electores, nec non Genuenses (*g*) ad eam præstandam amplissimos oratores decrevisse ex regesto pontificio constat; cum iis vero egisse Innocentium de pacandis bellis civilibus refert Panvinus (*h*): *Cum singulis*, inquit, *principum Christianorum, & rerum publicarum oratoribus, qui ad eum plurimi honoris causa veniebant, de pace communique concordia diligenter agebat, cum enumeraret bellorum incommoda, violari templa, summi Dei cultum intermitti, urbes diripi, virgines incestari: hæc, & hujusmodi sæpe repetebat.* Arctissimo nimirum fœdere conjungi fideles cupiebat, ut sacra crucis dominicæ signa in religionis hostes attolli & circumferri possent, ut jam ante indicatum est.

(*a*) *Lib.* 1. *brev. p.* 95. (*b*) *Ib. p.* 164. (*c*) *Ib. p.* 219. (*d*) *Ib. p.* 207. (*e*) *Pag.* 215. (*f*) *Pag.* 170. (*g*) *Pag.* 173. (*h*) *Onuphr. Panvin. in Innoc. VIII.*

Principes ob Innoc. commoniti ut pacem inter se concilient.

IX. Obstabant vero bella, quæ præcipue inter Matthiam Hungariæ Regem, & Fridericum Imperatorem, tum inter Albertum Brandeburgensem & Othonem Bavarum erant oborta, quorum arma si in Turcas juncta fuissent, amplissima illis regna eripi potuissent. Cum autem Georgius utriusque Bavariæ dux, se pacis inter eos interpretem futurum exhiberet, pia illius studia laudavit Innocentius, & ut strenuam cœptis daret operam est adhortatus (*i*).

Germania bellis laniata.

(*i*) *Innoc. l.* 2. *brev. p.*6.

*Georgio inferioris superiorisque Bavariæ duci.*

Georgius Bavar. dux pacis interpretem agit.

*Dilecte fili salutem, &c. Quoniam ex fructu teste Salvatore nostro agnoscitur arbor de zelo divini honoris, & animarum salutis, quem assidue geris, & de tua erga sedem Apostolicam reverentia in Domino spem concepimus ex iis, quæ nuper cum non mediocri venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ædificatione, nostrique cordis gaudio ingenti a nobis requisisti, ut vere, qualem tuis literis polliceris nobis, appellare te sanctæ hujus sedis, & nostrum obedientissimum filium non immeriso possimus, ea ratione cum advertevimus te in plerisque licet magnis, quoniam Dei honorem concernunt, eorum tamen, quæ proponuntur comparatione multum exiguis pro viribus curare diversis modis animas pereuntium de manu sathanæ eripere, sitque nobis compertum multa & naturalia, & temporalia bona, quibus te ad laudem, & gloriam nominis sui ditavit Altissimus, te accommodatissimum esse, in cujus manu reposita sit magna spes pacis, & concordiæ inter charissimos in Christo filios nostros Fredericum Romanorum Imperatorem semper Augustum, & Matthiam Hungariæ Regem illustrem, ac inter dilectos filios nobiles viros Albertum marchionem Brandeburgensem, & Othonem Bavariæ ducem, cum propter sanguinis propinquitatem, qua nobilitas tua hos omnes diversis generis gradibus attingit, tum ex situ, & regione dominiorum tuorum, tum vero ex omni rerum ingenti copia, & maximis thesauris, quibus omnibus tecum, & cum patribus tuis benedixit, ac iterum tecum, & cum posteris tuis, ut speramus, benedicet omnipotens.*

X. *Lætati sumus magnopere visis petitionibus tuis, ac ex tuæ in Deum fidei, & affectus sinceritate majora concipientes in turbine tantarum rerum pastorale onus, ad quod immeriti, Domino disponente, vocati sumus, ob tuæ devotionis fiduciam sensimus maxime sublevari: speramus enim si tu, quemadmodum credimus fore ut cupias, &*

Animatus ad prosequenda egregie cœpta.

*ad id te in Domino, quantum possumus, adhortamur, volueris partes utrasque ad concordiam, & pacem hortari, quibus rationibus facile poteris, ostenderisque eos in tanto periculo patriæ illius, & reipublicæ Christianæ debere in suis controversiis Apostolicæ sedis judicium, aut amicorum arbitrium non omnino contemnere, ipsisque in discordiam perseverantibus parti æquiori adhæsurum te pollicitus fueris, non fore quemquam expectaturum, ut te contrariæ parti cum auctoritate Apostolicæ sedis, & justitiæ favore, pro bono Christianæ pacis conjungas. Quantum autem exinde bonum, & patriæ illi, & toti Ecclesiæ Dei, cujus de universali pace tractanda ex hoc principio ordimur, proventum sperare possimus, Sanguinis Christiani a paucis annis ab illis, & ab aliis principibus Christianis in Germania, Francia, & aliis partibus, maximeque a Turcis effusus, & qui effundi paulo post, nisi Dominus providerit, formidatur, satis docere possent, nisi plurima alia omnibus nota bona inde proventura, & mala evitanda conspicerentur. Aggredere igitur, dilectissime fili, aggredere paterno sine mandato, sine monitu, sine hortatu, sine etiam precibus Christianæ pacis initia, non enim dedignantur pro tam sancto opere preces etiam filiis fundere, pro quo non possumus corporeis oculis, quales cuperemus, Domino lachrymas offerre. Memento, fili effusi Sanguinis, & Salvatoris nostri primum, & deinde tot miserabilium personarum, ejusdem pretioso Sanguine redemptorum, prospice aut potius aspice imminentem undique Christianis cervicibus fidei hostem crudelissimum, & pariter potentissimum, teque magnum a Domino præparatum obicem tantis malis oppone, nec de successu timeas, Dominus enim erit tecum, & nostra tibi, toto corde benedicens, & semper felicia quoque precans aderit auctoritas vice illius, cui confidimus fore, ut strenue, ac feliciter milites; juvabimus enim te quibus rebus poterimus. Tantum aggredere cum Dei benedictione sanctorumque omnium & nostra divinum hoc mediatoris & pacifici officium, quod tibi cum multa fiducia in vim obedientiæ Deo auctore imponimus feliciter adimplendum, ut ad majora ac fortiora Dei munere brachium extendere, & gloriam tuam augere possis. Datum Romæ die XXVIII. septembris MCCCCLXXXV. pontificatus nostri anno I.*

Propositum imminens a Turca bellum.

XI. Sedatum quidem bellum Bavaricum est, Austriacum vero magis accensum, quippe Vienna a Matthia Pannoniæ Rege, qui ut perniciosum hoc bellum cum Friderico gereret, pepigerat (a) cum Turca inducias, post sex mensium arctissimam obsidionem, ingravescente annona, ad deditionem compulsa (b) est, quam Matthias pridie festi corporis Christi pompa triumphali ingressus ad Neapolim vulgo Nenstat nuncupatum debellandum exercitum immisit. Ita universa pene Austria exutus Fridericus, quem Hungariam affectasse vidimus, per Germaniam oberrans, dolorem amissi aviti principatus se lenire nitebatur, atque in hospitiorum muris hæc verba exarasse ferunt: *Rerum irrecuperabilium oblivio summa felicitas*. Ut vero Maximilianus post Matthiæ mortem Viennam recuperarit, dicetur inferius. Præsignatam autem fuisse Matthiæ mortem instabilemque felicitatem, refert Bonfinius (c), cum eodem die, quo de Vienna subacta triumphum egit, maximus terræ extiterit motus. Melius consuluisset ipse & gloriæ suæ, & Hungariæ saluti, si adversus Turcas arma, uti facturum se jactabat, vertisset; sed dum Germanico bello se implicat, Turcæ Valachiam, in quam supremum tenebat imperium, evastarunt; unde vayvodam Polono se addixisse visuri sumus. Petierat vero superiori anno Zizimum, ut memoravi Bajazetis fratrem sibi tradi (d), ut eum illi opponeret, ac regiam Othomannicam civilibus bellis implicaret, ex quibus res Christiana assurgere corroborarique posset. Eundem etiam a Rhodio principe popoſcerant Ferdinandus (e) Castellæ, Aragoniæ, & Siciliæ insulæ Rex, tum alter Ferdinandus (f) Neapolitanus, qui exaratis IV. junii die literis, easdem preces repetiit, ut eo sibi conjuncto inferret Bajazeti bellum Turcasque dissidio confunderet: popoſcit etiam eundem Ægypti sultanus (g), cum enim Bajazetem Caramano bellum indixisset, metuebat subacta Caramania in se Turcicos impetus versum iri.

Vienna ab Ungaro obsessa. Accepta in deditionem.

(a) Thuros.

(b) Bonfin. dec. 4. l. 6. Naucl. vol. 2. gen. 50. l. 26.

Fridericus avito principatu pulsus.

(c) Bonfin. ubi sup. Paul. Lang. chro. Citiz. & alii.

Zizimus a multis principibus postulatus.

(d) Bosius p. 2. l. 13.

(e) Id. ib.

(f) Ext. apud Bos. l. 14.

(g) Id. ib.

XII. Petierat etiam eundem Innocentius (h), ut instruendæ expeditioni adjungeretur. Quibus Regum postulatis pulsatus Rhodiorum equitum magister adhibito suorum maturo consilio soldano Ægyptio respondit, sibi integrum non esse Zizimum illi tradere, cum Pontifex Romanus Christianorum omnium supremus princeps illum sibi dedi jussisset, nec sine ejus assensu quidquam a se decerni posse: Christianos vero Reges singulos hortatus est, ut sociali fœderi a Pontifice sanciendo accederent, quippe secum ipse reputabat imbecilles esse vel Pontificis vel Ferdinandi Neapolitani, & aliorum singulorum principum vires ad Turcicum evertendum imperium, atque ideo omnium conjungendas vires, qua de re arcana cum eodem Pontifice consilia agitavit, sensitque (i), Zizimum nulli dedendum principi, neque ex Galliis

(h) Ibid.

Nulli dedendum censet Innocentius.

(i) Id. ib.

evo-

evocandum, antequam communi principum decreto crucesignata expeditio conficeretur, ne quam Bajazethes suspicionem conciperet; irritoque exacerbatus conatu pactum cum Rhodiis fœdus infringeret, Christianasque provincias magnis calamitatibus afficeret. Optabat porro Innocentius socialem illam expeditionem confici, instabatque ut sibi Zizimus traderetur, utque optatis potiretur, ducem Borbonium authoritate in aula Gallica florentissimum ursit (a), ut ille sibi dederetur, quo veluti idoneo instrumento ad magnas res pro Christiana religione gerendas usurus esset: *Hortamur*, inquit, *nobilitatem tuam, & quanto possumus studio per Redemptoris nostri sanctissimam passionem requirimus, ut pro religione animi tui, & pro communi omnium salute, nostraque contemplatione nobis aliquo modo permittere, aut quantum in te erit, pati, ut idem Turci frater ad alias quam nostras manus * deveniat: nam si in nostra fuerit potestate, modum & viam adinvenimus, quibus illo tanquam instrumento ad res magnas pro religione Christiana, & Dei laude gerendas uti possimus. Itaque omni conatu ad id intendat nobilitas tua, nullam enim rem aut laudabiliorem aut utiliorem communi saluti, & magis meritoriam apud Deum facere hoc tempore potes. Dat. Romæ die VII. decembris MCCCCLXXXV. pontificatus nostri anno II.*

(a) L. 2. brev. pag. 75.

A duce Borbonio illum repetit.

* non

Injectæ spes de expeditione universali conficienda.

XIII. Gessisse morem Gallos Rhodiosque equites Innocentio tradito (b) illi Zizimo, nec tamen ob novas inter Christianos commotas dissensiones, quæ Pontificem ipsum exercuere, sacrum decerni in Bajazetem bellum potuisse suo loco dicetur. Interea ob Christianorum in suscipiendo pro Numine pio bello segnitiem, & sævum in hauriendo mutuo cruore ardorem furoremque Turca maximum, & firmissimum collegit exercitum quem effudit (c) in Valachiam adversus Carabogdan principem, eaque expeditione Chilium vastatis late agris captum refert Bosius: deinde conjunctis Tartaris Montcastrum ad deditionem certis pactionibus adactum, mox tamen violata fide direptas fortunas cives in servitutem abductos, eorumque coloniam deductam Constantinopolim.

(b) Bos. p. 2. l. 14.

(c) Id. ib.

Inito exitu dissolutæ.

XIV. Meminere de Turcica per Valachiam grassatione Michovias (d), & Cromerus, (e) adduntque Stephanum Valachiæ Palatinum Turcarum imparem potentiæ tutioribus & munitioribus locis se continuisse, Casimirique Regis Poloniæ opem implorasse, pollicitum se in authoritate ejus futurum. Polonus itaque cum perpenderet Turcas subacta Valachia iter sibi ad Poloniam invadendam munituros, ac satius fore socios sibi jungere Valachos in Turcas, quam conjunctos Turcis hostes experiri, tum magnæ gloriæ amplificationique Polonicæ rei versum iri, si Valachus, qui antea Turcas, Tartaros, Hungarosque vicerat, & Polonico parere imperio recusarat, se illi sponte pro asserendo contra Turcas principatu subdidisset, exercitum in expeditionem ad illum in ditionem suam restituendum duxit, solemnique ritu in clientelam suscepit, ut refert Cromerus (f) pluribus verbis, quem avidus lector consulat.

(d) Michov. l. 4. c. 64.

(e) Crom. l. 29.

(f) Id. ib.

XV. Addit author Casimirum tria millia lectissimorum equitum auxiliaria illi adjunxisse, quibus palantes, & populabundos Turcas Stephanus coercuerit, variis etiam tumultuariis præliis attriverit, cum Valachi leviori armatura uti soliti procurrerent in Turcas, ab iisque petiti mox se reciperent ad Polonicum agmen extremum, a quo graviori armatura instructo Turcicus equitatus reprimebatur, agrisque cessit. Interea Casimirus ingentem crucesignatam expeditionem adversus Turcas Tartarosque conficere meditatus Innocentium proximo anno decreta amplissima legatione oravit, ut Christifideles ad dandum sacræ militiæ nomen mittendaque subsidia pro tuendo Christiano imperio, quod Turcæ effrænato præcipitique furore evertere nitebantur, permoveret, cum pro certo haberetur, Turcas per calcatos Polonos ad aliarum finitimarum gentium excidium irrupturos esse, de quo inferius agetur.

Repressi Turcæ Polonorum ope.

Polonus in Turcas sacrum bellum meditatus.

XVI. Neque a Turcis & Tartaris modo, verum a schismaticis vexata est catholica respublica, Joannes enim Basilius Moscovitarum dux in Livoniam incurrit; lateque ad Tarbatensem usque principatum effecta vastitas, ac prædæ aversæ fuerunt: de quibus certior factus Innocentius ducem ipsum increpuit (g), pessimam gratiam ab eo Romanæ ecclesiæ referri, cum ob traditam sibi Sophiam Palæologam conjugem futurum se Apostolicæ sedi obstrictum, & amicum spopondisset.

Moscovita in Livoniam excurrit.

(g) L. 1. brev. p. 182.

*Joanni principi Moscoviæ.*

*Dilecte fili salutem, &c. Non sine admiratione, & molestia intelleximus quosdam ex tuis provinciis inquietos homines sive jussu tuo, sive temere, & insolenter ut plerumque fit, provinciam nostram Livoniæ ingressos, illamque ad Tarbatensem usque ditionem pluribus in locis depopulatos esse, nec adhuc illos quiescere audimus, sed quotidie magis, ac magis conari circa illius provinciæ depopulationem, non sine nostra, & ecclesiæ Romanæ summa ignominia. Et cum ad nos tum ob fidem Christi, tum etiam quia nobis immediate sub-*

Rogatus ab Innoc. ut bello abstineat.

*licitur, tutela ejus provinciæ pertineat, non possumus profecto non ægerrime ferre hujusmodi insolentias, maxime cum cogitamus eas inferri ab eo principe, a quo nos, & Romana sedes plurimum gratificationis & humanitatis expectare videbamur; & ne Romanorum Pontificum in te, & tua cumulata beneficia exprobrare tibi videamur, unum tamen commemorabimus, quod tuæ nobilitati felicis recordationis Sixtus IV. prædecessor noster perhumaniter exhibuit, quando ejus causa illi te cum tuis omnibus facultatibus obtulisti, & futurum obnoxium perpetuo devinxisti. Non sunt hæc promissa tua, non nostra, & ecclesiæ Romanæ in te beneficia, si pietatis prædecessoris nostri in te, & promissionis tuæ in eum tam cito oblivisceris, quid deinceps te facturum putas nos arbitrari? Proinde cogita quantum sit alienum ab humanitate nos lædere sine causa, & quam inhumanum principi fidem premissionemque fallere. Sed dices fortasse tuorum insolentia, non tua causa id esse factum: profecto nisi crederemus hoc ipsum, non possemus tibi non multum succensere, providereque remediis opportunioribus ut provincia nostra Livoniæ tutior esset. Verum quoniam non possumus non arbitrari, te obnoxium Romanæ ecclesiæ hujusmodi insolentias nobiscum pariter, qui illi præsumus, ferre moleste, atque pro tua virili illis obsistere, & maxime obviare. Idcirco hortamur te per pignus fidei tuæ, ut velis, non modo tu desistere ab iis vexationibus, verumetiam subditis, & vassallis tuis, ut desistant omnino interdicere, & prohibere, ne deinceps provincia nostra Livoniæ de te, vel tuis apud nos jure conqueri possit: quod plane nobis, & collegio nostro gratissimum erit, & in futurum aliquando, si desistes, & tibi, & tuis propensiores esse poterimus. Dat. Romæ die XXI. maii MCDLXXXV. pontificatus nostri anno 1.* Iniit consilia cum proceribus de suscipiendo in Moscovitam bello sacro Joannes Daniæ, Norvvegiæ, & Sueciæ Rex (a), quem ad gloriosum id facinus Innocentius ab Upsalensi archiepiscopo excitari jussit (b).

Commonitus beneficii a Sixt. IV. accepti.

Livonia juris sedis Apost. Danus in Moscum sollicitatus.

(a) Ib. p. 122.
(b) Ibid.

XVII. Gerebat tum in Germania, Hungaria, Bohemia aliisque finitimis provinciis episcopus Tifernas legationis apostolicæ munus, ipsi jam ante a Sixto IV. impositum, permiseratque ad sedandos religionis stimulos nonnullis populis, apud quos lacticiniorum usus diebus ab Ecclesia vetitis inolescebat, ut iis vesci possent, modo sedis Apostolicæ authoritas accederet; cum vero ea indulgentia adeo generalis ab ecclesiasticis institutis abhorreret, ita illa ab Innocentio temperata est (c), ut proximo quinquennio elapso irrita prorsus esset.

Lacticinia Ungaris permittit Inn. quadragesima.

(c) Lib. 2. brev. p. 7.

XVIII. In Bohemia recruduerat Hussitarum hæresis superioreque anno magnæ cruentæque catholicorum strages editæ fuerant: quorum malorum author extiterat Augustinus olim episcopus Sanctariensis natione Italus, qui inanis gloriolæ titillatione commotus sepultos jam Constantiensis, & Basileensis conciliorum authoritate errores instauraret: cumque ementita se potestate instructum jactaret, nec non a Romana ecclesia sacris pontificalibus initiatum, tum plures Bohemos sacerdotio insignivisset, sectam amplissimam conflarat, ac rudes populos hypocrisis pompa allectos erroneis opinionibus irretierat. Qui postea cum tot scelerum conscientia agitaretur ad saniorem mentem designati episcopi Pataviensis consiliis revocari visus est. Qua de re factus certior Pontifex clementia usus veniam est pollicitus, modo ex Bohemia, ne eam ulterius inficere pergeret, excessurus esset: eo enim ad Romanæ ecclesiæ castra traducto subornatos populos facilius catholicam veritatem amplexuros, cum ducem ac signiferum factionis suæ dogmatumque impiorum assertorem amisissent, proinde Pataviensi præsuli dedit mandata (d), ut illum omni studio ad Ecclesiæ gremium allicere niteretur.

Augustin. pseudoep. Sanctarien. hæreseos Hussit. instaurator.

Ad saniorem mentem redire visus.

(d) Lib. 1. brev. p. 104.

*Electo Pataviensi.*

XIX. *Intelleximus, quæ nuper venerabili fratri & dilecto filio nostris Marco episcopo Prænestino S. Marci, & Francisco S. Eustachii Senensi Cardinalibus seriose scripsisti super negotio illius filii iniquitatis Augustini olim episcopi Sanctuariensis. Laudamus prudentiam tuam, & pietatem, reverentiam, ac observantiam, quibus hanc sanctam sedem in hac re prosequi videris: plurimum commendamus, & in primis probamus, quod literas, & nuncios ejusdem olim episcopi admiseris, & eis prudenter responderis. Placet, ut in tractatu secum perseveres, forte quod Deus, qui Paulum ex Saulo fecit, nunc tetigit cor illius, & ab ejus oculis erroris sui squammas misericorditer removebit. Magna sunt, ut nosti, quæ hic vir in Ecclesia Dei mala perpetravit: plus valuit hic fovendo hæreses solo anno, quam duo generalia concilia, & multi Romani Pontifices per multa sæcula ad ejusmodi incendia extinguendum, Hussitas pene eliminatos suis machinationibus instauravit, consulendo, hortando, monendo sua ementita auctoritate in damnata opinione confirmavit, & (quod perniciosius est) multos in sacris ordinibus profanando Bohemiæ ecclesiam mirabiliter afflixit. Non possumus non vehementer dolere, cum illatam miserabilibus catholicis anno superiori cladem memoria repetimus, potest tamen Deus, ut dicit scriptura, ex lapidibus istis*

Maxima ab eo Bohemiæ mala inflicta.

*susci-*

*suscitare filios Abrahæ, ut medelam ferat inde hostis, unde læserat. Censemus publicæ utilitati expedire, ut hic homo ex regno illo extrahatur, nam per eum hæreticorum consilia, & machinationes cognosci poterunt, & si aliud nihil erit, non erit parum ducem, & assertorem dogmatum suorum illis abstulisse. Multum enim indoctum vulgus movet, & quod episcopus est, & quod Italus, & a Romana ecclesia consecratus a nobis exivit, non putant idiotæ, & qui magistrum auribus suis prurientem nacti sunt ab hujusmodi homine quidquam afferri posse non verum: qui cum illum ad orthodoxos defecisse videbunt, ad percipiendam veritatem magis reddentur idonei, & saltem duce privati plurimum ex consueta ferocia dimittent; quare devotionem tuam monemus atque hortamur in Domino, ut Augustinum præfatum omni studio ad te allicias, & si ad te venerit benigne suspicias, &c. Dat. Romæ die* XXII. *januarii MCCCCLXXXV. pontificatus nostri anno* I.

Paratum se ad illum in gratiam admittendum offert Innoc.

XX. Pullulabant in reliqua Germania nonnullæ aliæ hæreses, artesque magicæ, ad quas excindendas cum censores fidei constituti essent, Innocentius archiducem Austriæ (*a*), ut eos sua auctoritate fulciret: tum adversus magicarum superstitionum reos daret operam, ne candentis ferri illæso contactu innocentiam probare niterentur, cum reprobum esset illud probationis genus, quo sontes dæmonum opera ex severitate judicum evolare, & insontes opprimi possent; sed ut legum pontificiarum & cæsarearum ordo in eos servaretur.

(*a*) *L.* 1. *brev. p.* 204.

Usus candentis ferri reprobum probationis genus.

*Archiduci Austriæ.*

*Dilecte fili salutem, &c. Ex fidedignis relatibus accepimus, & re etiam ipsa compertum habemus quantus, & quam fervens sit zelus tuus erga fidem orthodoxam, illiusque sumendam protectionem adversus hæreticorum, & maleficorum sectam, in quo vere ostendis te esse principem catholicum, & Deum timentem, quod de te semper omnino opinati sumus; unde nobilitatem tuam plurimum commendamus hortantes paterno affectu, ut in bono opere, & sancto instituto animosius in dies perseveres, sicuti te facturum non dubitamus. Cum autem officium inquisitionis in hac re sit valde opportunum, eandem tuam nobilitatem pari modo hortamur, ut inquisitoribus per sedem Apostolicam, vel ex ejus commissione deputatis aut deputandis omni auxilio, & favore assistas, & tamquam archidux alios quoque inducas, & excites ad favorem similiter suum præstandum; maxime vero contra reprimendos maleficos utriusque sexus, ne aliquo pacto ad judicium candentis ferri admittantur, prout jure cautum habetur, sed juxta sanctorum canonum instituta, & leges imperiales pro qualitate scelerum debitis pœnis afficiantur. Datum Romæ die* XVIII. *junii MCCCCLXXXV. Pontificatus nostri an.* I.

Veritum magos eo tentari.

XXI. Inter cæteros principes explicuere in Hispania eximium tuendæ pietatis incorruptæque religionis asserendæ studium Ferdinandus & Elisabetha Reges, quorum opera hæreson sentes evulsæ, superstitionesque excisæ: tum severitas animadversionis in neophytos in Judaicam superstitionem relapsos Toleti adhibita est (*b*). Cum autem nonnulli impiis opinionibus irretiti in gratiam cum Ecclesia redire cuperent, sed palam damnare errorem erubescerent, cum nobilitate conspicui essent, assensit Innocentius, ut clam id præstarent, præsentibus tamen Rege ac Regina, ut eo metu frænati pristinos errores non repeterent.

(*b*) *Marian. l.*25. *c.*7.

Marrhani nonnulli hæresim ejurant.

*Inquisitoribus hereticæ pravitatis in regno Hispaniæ.*

*Dilecte fili salutem, &c. Accepimus esse nonnullos in regno isto hæreticos, non tamen publicos, qui libenter ad catholicæ fidei gremium redirent, si hæreticæ eorum pravitatis abjuratio secrete admitteretur, cum sint viri satis honorabiles, & non parvæ existimationis. Itaque desiderantes cunctorum animas omnipotenti Deo lucrifacere, vobis per præsentes committimus & facultatem desuper concedimus, ut cujusmodi conditionis hæreticos, qui nunc istic reperiuntur, vel in posterum reperientur ad occultam, & secretam abjurationem admittere, & ad catholicæ fidei veritatem, & reconciliationem reducere valeatis; ita tamen, quod abjuratio ipsa fiat præsentibus, & audientibus charissimis in Christo filiis nostris Rege, & Regina Castellæ, Legionis, & Aragonum illustribus, ut illi si forsan, quod absit, in pristinum errorem reinciderent, pœnam relapsorum possint aliquo prætextu subterfugere, &c. Non obstantibus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum die* XV. *julii MCCCCLXXXV. pontificatus nostri anno* I. Constitutum porro fuerat in Hispania sacrum censuræ fidei tribunal ad Marranicæ hæresis, qua opibus etiam, & dignitatibus profanis, & ecclesiasticis conspicui non pauci infecti erant, infandas propagines late pullulantes excindendas, cujus metu adeo inhorruere impii, ut in Aragoniæ regno seditionem concitatam maxime a neophytis ex superstitione & stirpe Judaica ad Christi cultum adjunctis refert Surita (*c*), addatque non defuisse viros primarios, qui his se conjunxerint, contenderintque indici novas leges contra Aragoniam libertatem,

Permissa illis ex arcano ejuratio.

Censura fidei constituta in Hisp.

Mota a nonnullis seditio in Aragoniam.

(*c*) *Surit. to.*4. *annal. l.*20. *c.*65. & *Marian. l.*25. *c.*8.

eum

cum non modo hæreseos rei exuerentur bonis, sed ne quidem testium contra reos nomina producerentur, tantam enim acerbitatem ab antiquis abhorrere institutis, regnoque exitium allaturam querebantur.

XXII. Post varias concertationes Aragoniæ libertatis asserendæ specie Ferdinandum ordinum regni conventus oratorum opera rogarunt, ut proscriptionibus bonorum inflictam hæreticis, pœnam abrogaret: quod ut facilius eblandirentur neophyti Judaici, generis, corrogata pecunia tum Romanæ, tum regiæ curiæ administros corrumpere pertentarunt, sperabant enim fore, ut mulcta bonorum abolita, deinde censura sacra consenesceret: cumque jam plures magnates in suas partes traduxissent, qui ab sæviore inquisitorum imperio indici servitutem publicamque libertatem labefactatum iri verebantur audacia & furore perciti in fidei censorum capita conjurarunt, iis enim sublatis neminem id munus suscepturum præfidebant. Struxerunt itaque vitæ eorum, qui de religione quæstiones habere cœperant, insidias; cumque eos designatis locis opprimere non potuissent, Petrum Arbuesium fidei censorem apostolicum, dum ad nocturnas preces in ecclesiam progressus ante aram nixis genibus orabat decimaquinta septembris die vulneribus confodere, nec inter lethales ictus aliæ ab ipso expressæ voces, quam laudes & grates actæ Christo, qui illum pro fide mori vellet; diffugientibus autem sacrilegis sicariis clerus, qui sacras laudes Deiparæ occinebat, Arbuesium in suo volutatum eruore, piasque preces intercisis vocibus repetentem extulerunt. Vixit biduo integro, totoque eo spatio nihil præter divinas laudes locutus. Quo atroci casu commoti Cæsaraugustani mox arma sumpserunt quasi extrema immineret clades, ac nisi Alfonsus eorum archiepiscopus invectus equo per vicos provolans furentem plebem cohibuisset, neophyti sontes insontesve crudeliter cæsi fuissent sine ullo judiciario ordine; eo autem mox instituto de sævissimis interfectoribus sumpta sunt justa supplicia. Id porro mirum accidit, ut cum martyris corpus sepulchro ritu ecclesiastico redderetur, ejus cruor ab impiis solo sparsus fervere visus sit: qua de re publicas tabulas tunc confectas refert Surita (a), quarum præcipua pars decerpenda visa est, cum auctorum de tempore cædis, & rei veritate controversias omnes dirimant (b).

Prætexta flagitio libertas.

Petrus Arbuesius censor martyrio affectus.

Catholici in arma coerti.

*In Dei nomine. Amen.*

XXIII. *Noverint universi quod anno a nativitate Domini MCCCCLXXXV. die videlicet intitulata XVII. mensis septembris apud civitatem Cæsaraugustæ in sede* (id est ecclesia principe) *ejusdem civitatis Cæsaraugustanæ inter altare & chorum dictæ sedis, ubi reverendus magister Petrus Arbues, alias Epila, quondam sacræ theologiæ professor, inquisitor quondam sanctæ fidei a sancta sede Apostolica specialiter deputatus fuerat, vulneratus ceciderit eu ictibus & vulneribus sibi decimo quinto die prædictorum mensis & anni hora matutinarum illatis; de quibus vulneribus die præsenti decimaseptima ab hac luce transmigravit, & obdormivit in Domino: in quo loco eu dictis vulneribus effuderat sanguinem*, & infra, *tam dicta decima quinta die quam decima sexta, & præsenti, die prædictorum mensis & anni dictus locus, ubi dictus sanguis fuerat effusus, fuit per quamplurimas, & diversas personas ecclesiasticas, & laicas visus, perspectus, & valde bene recognitus, qualiter viu poterat cognosci, quod esset signum sanguinis, & si aliquid videbatur de dicto sanguine erat quasi nihil, & deperdito quasi in totum colore dicti sanguinis, & erat adeo desiccatum, quod erat impossibile cum aliqua papyro aut panno lini, neque lanæ, nec alia quavis re aliquid eu dicto sanguine accipi: & sic de prædictis multi & diversi Christi fideles fidem & relationem faciebant, & fecerunt publice. Et quia tunc dicta decima septima die domino Deo altissimo disponente, ut major memoria de dicto reverendo patre domino magistro Petro de Arbues alias Epila inquisitore sanctæ fidei haberetur, qui pro exaltatione sanctæ fidei, & pro extirpatione hæreticæ pravitatis, fama publice referente, per totam dictam civitatem mortem passus est, sanguis in dicto loco ante chorum dictæ sedis, ubi effusus fuerat revenerat, & effluebat tanquam si de recenti sparsus fuisset, ubi totus populus velociter currebat ad accipiendum eu dicto sanguine, quidam cum papyro, & alii cum panno lini, & aliis diversis modis, & erat tam magna velocitas, & decursus gentium ad levandum prædicta, & accipiendum ex dicto sanguine quod vix homo poterat inter gentes, nisi cum magna vi, & cum magno exercitio accedere & intrare ad dictum locum, & ad dictum sanguinem, tali modo, quod apud omnem populum communiter illud pro evidentissimo miraculo reputabatur.*

Divino miraculo sanguis martyris visus effervescere.

XXIV. *Ideo cum prædicta evidentissime viderentur esse in exaltationem Sanctæ fidei Christianæ, & in honorem & gloriam fidelium Christianorum, defensionem fidei Christianæ, & confusionem persecutorum illius, & aliorum hominum malorum, & quia memoria est labilis, ut de prædictis in futu-*

rum

(a) *Surit. to.4. annal. l.20. c.65. Marian. l.25. c.8. & alii.*

(b) *Ext. in arch. eccl. Cæsaraug.*

*rum de tam magno, & maximo actu perpetuo memoria habeatur, reverendus magister Martinus Garsia sacræ theologiæ professor dictæ sedis Cæsaraugustanæ canonicus tanquam procurator multum venerabilis capituli canonicorum dictæ sedis requisivit per me notarium, & testes infrascriptos fieri ocularem inspectionem, & recognoscere dictum sanguinem, & de prædictis facere publicum instrumentum, &c.*

Iterum decimoquinto die a cæde ebullit.

Ebulliit iterum sacer ille cruor, quem innumera Cæsaraugustanorum multitudo variis pannis exterserat, decimoquinto, ex quo effusus fuerat, die, ut alia publica documenta testantur suis concepta verbis, atque anno millesimo quadringentesimo octogesimo quinto die vigesima nona septembris consignata.

XXV.

Hoc prodigio orthodoxa fides adversus Marranos corroborata est; tantum enim abfuit (a), ut sacrum tribunal habendarum de religione quæstionum eversum fuerit cæde Arbuesii, ut multo magis ea firmatum sit, atque in neophytos, qui in Judaicas superstitiones relapsi erant, quorum in Hispania excreverat immanis multitudo, acriter fuerit animadversum, fideique catholicæ censoribus præsidii causa datum fuerit, ut in arce, cui Algiasuriæ nomen est, habitarent. Cæterum vertente anno Cæsaraugustani funebres honores Petro Arbuesio celeberrimo ritu quasi consecrato martyri persolverunt, ac deinde excurrentis sæculi anno nonagesimo communi voto lampadem sepulchro appendere, ejusque veluti aliorum sanctorum martyrum Cæsaraugustanorum numero additi memoriam coluere, flexuque temporis ob editas ejus precibus cœlestes virtutes Paulum III. Caroli V. rogatu decrevisse, ut anniversaria ejusdem martyris memoria ritu solemni celebraretur ut tradit Joannes Mariana (b), quem emendes ex allatis publicis monumentis, dum Petri martyrium in sequentem annum refert, atque effervescentis cruoris miraculum ludibria fuisse oculorum suspicatur.

(a) *Sup. c. 65. Marian. ubi sup.*

Martyrum honores Petro Arbuesio habiti.

Mariana impie divinum miraculum elevat.

(b) *Marian. l. 25. c. 8.*

XXVI.

Cæterum non modo de excindendis hæresibus, verum perpoliendis etiam ecclesiasticorum moribus, atque ecclesiasticæ disciplinæ in pristinum statum restituendæ a Ferdinando & Elisabeth Regibus navata est opera: Innocentium enim Pontificem excitarunt, ut sacerdotum vitia libidinesque apostolica falce amputaret, qui licet juventutem iisdem vitiis contaminasset, utpote quem nothos palam susceptos ecclesiasticis opibus auxisse ferunt: tamen illius, cujus vices gerebat, memor encyclicis literis Hispaniarum archiepiscopos communicato cum suffraganeis consilio clericorum vitiis castigandis, ac disciplinæ ex canonicis institutis sanciendæ operam navasse jussit (c), ac si defuissent officio, pontificiam severitatem intentavit: *Hortamur fraternitatem tuam, ut clerum tuum, & alias religiosas personas, quæ tuæ curæ subsunt commonefacias, & reformes, & ita agas, ut ab his abstineant, & quæ sacri canones præcipiunt in habitu, moribus, & vita servent, & se emendent: hoc idem & his suffraganeis præcipere poteris circa correctionem, reformationem, & emendationem cleri sui, & aliarum regularium personarum, quæ subsunt eorum curæ, ut in tota tua provincia nulli cuiquam justa querela detur de immoderata, & dissoluta eorum vita: nam si id, quod tuo potissimum incumbit officio negligeres aut postponeres, facere cogeremur ex injuncta nobis universali cura huic reformationi manum apponere, quod tibi, & aliis ad honorem non cederet, quandoquidem, ut diximus, & regia majestas, & regnicolæ id efflagitare a nobis non cessant, sed confidimus te pro tua prudentia, & probitate opportune desuper provisurum, quod ut facias, iterum atque iterum hortamur, & monemus. Dat. Romæ apud S. Petrum die* XI. *julii MCDLXXXV. pontificatus nostri anno* 1.

(c) *Lib. 1. brev. & p. 218. & reg. post cand. ep.*

Ad horum preces data præsulibus imperia ut vitium excindant.

XXVII.

Bellum Granat. magno ardore gestum.

Emicuit præterea Ferdinandi & Elisabeth Regum pietas in circumferenda amplificandaque Christiana religione, gerendoque adversus Granatenses Mauros bella ad impiam superstitionem in Hispania delendam: quos pios conatus licet antea adhibuissent, hoc tamen anno majori contentione ursere. Accenderat primam belli Maurici, quo Granatense regnum conflagravit, sordibusque Mahumeticis expurgatum est, facem Maurorum Rex Hali Abenhasan bellicis artibus exercitus, novarumque rerum cupidus violatis induciis, captaque quadriennio ante Zahara omnibusque Christianis incredibili sævitia trucidatis. Versa autem res est contrario, quam Maurus putarat, exitu, quippe ea perfidia & crudelitas totius Maurici generis excidio vindicata (d) est virtute Ferdinandi Regis.

(d) *Ælius Ant. Nebriss. dec. 2. l. 1. Lucius Marinaus l. 20. Marian. l. 25. c. 1. & aliis.*

XXVIII.

Petiisse illum jam a Sixto IV. impetrasseque auxiliaria subsidia ad tuendam contra barbaros religionem, refert Ælius Antonius Nerbrissensis (e) his verbis: *Ad supplendos hos sumptus missa est a Pontifico summo cum senatus apostolici assensu facultas distribuendi centum millia ducatorum aureorum per vectigalium ecclesiasticorum classes, ut in redditibus onerandis ex justitia distributiva nemini fieret injuria. Eu Ecclesiæ quoque thesauro bullas mittit, quæ cruciferis in Christianorum hostes euntibus concedi solent ea lege, ut stipes*

(e) *Nebrisse dec. 2. l. 1. c. 1.*

Ex indulgentiis redactum aurum subsidiarium.

*pes ea fidelibus emendicatæ non alia in re, quam in ipso bello cum hostibus gerendo, insumerentur*. Hac liberalitate apostolica sustentatum in Mauros bellum fuerat: cum vero Innocentius ineunte pontificatu Sixti de decumis diplomata abrogasset, Ferdinandus decumanum jus sibi prorogari ab Innocentio flagitavit, cui humaniter assensit.

XXIX. *Nos*, inquit, *attendentes quam sit dignum, & quam laudabile, ac Deo immortali acceptum, & omnibus Christfidelibus commune bonum hujusmodi sanctissimum opus, ac properea volentes Regem & Reginam, quoad possumus, prout semper ab intimis desideravimus, in eorum sancto proposito, & ejusmodi communi bono omnibus viis atque remediis opportunis conservare, & nedum de nostris & sanctæ Romanæ ecclesiæ facultatibus, sed etiam proprium, si necesse fuerit, sanguinem effundendo juvare exemplo illius, qui pro salute gregis dominici mortem subire non abnuit, & cujus auxilio non dubitamus provinciam hujusmodi felicissimum exitum, prout jam optima principia indicant, consecuturam, & tandem Regem & Reginam præfatas, ac Christi cultores, de hujusmodi spurcissimis Saracenis, qui tot opprobria fidei nostræ, & Christianæ religioni continue inferre non cessant triumphaturos, & propterea æquum, & rationabile censentes, ut & alii Christifideles, & præsertim ecclesiasticæ, & religiosæ personæ regnorum, insularum, terrarum, locorum, atque dominiorum eisdem Regi & Reginæ subjectorum, de quorum gloria, laude, honore, commodo, & utilitate perpetuis in primis agitur, huic sanctissimo operi animo subveniant, prout eos pro sua in fidem Christianam maxima devotione, & religione etiam libenter attenta rei necessitate, quæ non dilationem, non moram, sed maximam celeritatem exigit, facturos non dubitamus, matura super hoc deliberatione præhabita cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus unam veram, & integram decimam*, nempe vectigalium ecclesiasticorum, *in omnibus regnis, insulis, terris, locis atque dominiis prædictis eisdem Regi, & Reginæ mediate, vel immediate subjectis, & infra pro uno integro anno, & infra, in præmissum fidei opus tam commune, tam sanctum, tamque pernecessarium videlicet contra ipsos Granatæ Saracenos per Regem, & Reginam præfatos, & non in alios usus omnino convertendum de fratrum prædictorum consilio auctoritate Apostolica tenore præsentium imponimus, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCCLXXXV.* VII. *kal. septembris pontificatus nostri anno 1.*

Maximis animis & constantia administratum bellum.

XXX. De propositis sacris indulgentiis iis, qui subsidiariam stipem proficiendis in rem militarem sumptibus extant etiam literæ ad Ferdinandum, & Elisabetham missæ (a).

(a) L. 1. brev. pag. 108.

*Regibus Hispaniæ.*

*Venit ad nos dilectus filius Franciscus de Rojas*, & infra, *quod de restitutione cruciatæ per sanctæ memoriæ Sixtum prædecessorem nostrum vobis concessæ supplicavit, considerantes rei magnitudinem, quam invicto animo cum summa gloria vestra aggressi estis, & periculum, quod imminet nisi hoc salutare, & gloriosum opus prosequeremini* (nempe contra Granatenses) *contenti fuimus desideriis vestris, & ita cruciatam ipsam cum omnibus facultatibus & in ea contentis clausulis in eum statum, in quo erat antequam revocationis ullæ a nobis emanarent, ad annum, & deinde ad beneplacitum nostrum restituimus ita, ut publicari, & executioni demandari in omnibus, & per omnia possit, perinde ac si revocationes, quæ in primordiis pontificatus ab omnibus summis Pontificibus circa hujusmodi facultates fieri consueverunt a nobis non emanassent, ut intelligatis nos magnifacere majestates vestras, & sincero animi affectu eas diligere, &c. Addit, tertiam obventionum partem pecuniarum ex indulgentiis redigendarum concedere non posse, quam ad tuendam Italiam classemque in Turcas instruendam derivare decreverit. Dat. Romæ die* XXX. *januarii MCDLXXXV. pontificatus nostri anno 1.*

Cruciata expeditio in Granatenses indicta.

Gestum vero hoc anno maximo apparatu bellum Mauricum narrat Ælius Antonius Nebrissensis (b), atque lustratum exercitum crucis symbolo insignitum Cordubæ fuisse idibus aprilis, in eamque urbem ex universa Hispania celeberrimos concursus factos Rege ac Regina præsentibus. Cum vero certarent in iis ornatissimis conventibus proceres luxus magnificentia, opumque ostentatione, Ferdinandus & Elisabeth ad divini Numinis gloriam omnia referentes adhibuere studia ut illæ opes non in epulis, vitiorumque irritamentis, sed in milite necessariis ad obterendos Mauros instruendo, parandisque armis collocarentur, quod ipsos exemplo suo egregie perfecisse refert idem author.

(b) Nebriss. l. 4. c. 1. Marian. l. 26. c. 6.

Proceres de castigando luxu postulati.

XXXI. *Exercitu*, inquit, *in unum locum congregato, in tanta procerum totius Hispaniæ celebritate majus certamen erat de ostentandis opibus, & potentia in corporis cultu, & sumptu quotidiano, in culina, & penu omnium generum epulis undecumque petitis, ut convivia sumptuosiora pararent, quam de armorum cura, quis pulchrior in armis appareret, quis equum mollius agitaret, quis cursu pedestri reliquis præstaret.*

Ren

*Rex & Regina per honestos, & religiosos viros procerum principes rogarunt atque obtestati sunt, ut ab ejusmodi inordinatis sumptibus temperarent, potiusque intra modum, & parcius, quam sumptuariæ permittunt leges, se gererent, ne eos, qui dignitate inferiores erant, malo exemplo corrumperent. Hoc principes ipsi faciunt in primis uno aut duobus ferculis in cœna contenti, hoc reliqui proceres imitantur, aut si affluentius convivium exercere volebant, luxuriæ suæ pudebat plures adhibere testes. Mirum dictu! omnes certatim frugalitati operam dare, modestius mensas struere, minores abacos apponere, excoltorum numerum minorem mensæ adhibere, eorum qui funalia per noctis tenebras præferrent, longus ille ordo ad duos aut tres, ut multum reductus.*

XXXII. Benamaxicani rebelles affixi patibulis.

(a) *Id. c.* 2.

Subdit author e tentato frustra Montis frigidi castro in Coinum & Cartimam versum crucesignatum exercitum; Benamaxicum in fidem receptum (*a*), quod postea, cum rebellasset, expugnatum diruptumque est, primores oppidani octo supra centum patibulis affixi, reliqua multitudo ex omni ætate & sexu sub hasta divendita, addictaque in servitutem. Non movit finitimos ea calamitas, sed Gomeritanorum, qui ex Africa tuendæ Mahometicæ sectæ furore trajecerant in Hispanias, suppetiis confirmati (*b*) in perfidia obduruere: nostros per murorum ruinas Coinum ingressos, cæsis Petro Alarconio, & Tellio Aquilario, oppido submovere: postea tamen subacti (*c*) fuerunt: æquatum itaque est solo Coinum. Mox Cartima ad deditionem compulsa, præsidioque crucesignato communita (*d*). Ad Arundam deinde incubuit belli sacri moles itinerum angustiis ocupatis; ita continuis oppugnationibus fessa urbs x. kal. junii deditionem fecit. Invasit vero finitimos crucesignatorum terror, ut Casarabonela ac Marbella ad mare sitæ illis similiter se dediderint. Granatenses metu pariter perculsi Albohaceno dejecto, ad solium extulere Muleum Abohardillem, qui fratris Albohaceni cruore mox purpuram tinxit. Medio æstatis ardore nostri bello temperavere: septembri ineunte excursiones factæ; nostri tamen duce Cabræ comite ab hoste oppressi, sed ea ignominia majori barbarorum clade deleta (*e*), geminæ enim arces, & oppida ad IX. kal. octobris Christianis adjuncta (*f*) sunt imperio, Ferdinandique Regis nomen Mauricæ genti ingentem pavorem iniecit. Ut vero hæ victoriæ aliis victoriis cumulatæ fuerint proximo anno dicetur.

(b) *Id. c.* 3.

(c) *Sur. l.20. c.62. Mariana l.25. c.6.*

(d) *Ibid.* Arunda ad deditionem coacta.

Albohacenus Rex dejectus.

(e) *Sur. l.2. c.62. Mari. l.25. c.7.*

(f) *Id. ib.*

XXXIII. Dum ita Mauri in Bætica conterebantur a Ferdinando & Elisabetha Castellæ Regibus, Joannes Rex Lusitaniæ, qui Phutensis regni debellandi gloriam Lusitanis reservatam Regibus sibi asserere nitebatur; nec non incognita Africæ regna athlantico oceano perfusa erebris expeditionibus maritimis lustrari curabat, sedatis intestinis regni motibus, crucesignatum exercitum in Africam pro restituendo illi Christiano cultu, ac infidelibus luce evangelica illustrandis ducere meditatus ab Innocentio VIII. subjectum diploma (*g*) promeruit, quo amplissima indulgentiarum præmia iis proponuntur, qui vel arma in fidei hostes gererent, vel operam in castris crucesignatis navarent, vel stipem in militarem apparatum conferrent.

Africana expeditio suscepta a Lusit.

(g) *Bullar. l.16. pag. 244.*

*Innocentius, &c. ad futuram rei memoriam.*

XXXIV. De variis in Phutense regnum impressionibus.

*Charissimus in Christo filius noster Joannes Portugalliæ modernus Rex illustris, aliorum Regum prædictorum successorum vestigia volens imitari, nec minus Christianæ religionis studiosus defensor, & zelator, quam ipsi progenitores fuerint, cum maximo animi fervore omnino decrevit, gratia sibi assistente divina, provinciam per ipsos progenitores jam cœptam prosequi nec desistere, donec rem ad optatum finem perduxerit, etiam proprium sanguinem suum effundendo, & se personaliter in Africam transferendo: quod jam forsan facere tentavisset, nisi seditiones, ac dissensiones, & alia quamplurima discrimina, quæ humani generis hoste procurante in ipso regno Portugalliæ post susceptum per ipsum dominium viguerunt, id prohibuissent: unde nos attendentes quam sit dignum atque laudabile, ac immortali Deo acceptum, ac omnibus Christifidelibus commune bonum hujusmodi sanctissimum opus, quodque ad ipsius Africæ expugnationem, & tantam fidei præfatæ exaltationem dicti Regis non suppetunt facultates, sed expedit tam ab ipsa Portugallia, quæ fortissima, & devotissima existit, quam ab aliis fidelium nationibus propugnatores, & bellatores aliaque auxilia exquirere, ut Rex præfatus, favente Altissimo, pium & laudabile propositum hujusmodi ad effectum perducere valeat, Christifidelium eorumdem invocato auxilio, quantum in nobis est, operari volentes, auctoritate omnipotentis Dei, cujus vices, quamvis immeriti, tenemus in terris, universos Christifideles, præsertim nationis ejusdem regni Portugalliæ, hortamur, requirimus, & monemus, ut eidem Regi ad expugnationem ipsius Africæ, & illius acquisitionem ac fidei præfatæ exaltationem cum bonis, & personis suis pro eorum possibilitate viriliter, & indesinenter assistant, & illius exemplo, qui pro salute gregis dominici mor-*

*tem non abnuit, tollant in cordibus suis crucem suam, & illi ex eisdem fidelibus, qui ad hoc idonei sunt eumdem Regem, immo verius Salvatorem nostrum præfatum sequantur, & pro illius nominis gloria, & infidelium prædictorum fidei hostium propugnatione mortis periculo se exponere non formident: memores verbi ejus, qui dixit:* Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me; *pariter & confidentes in eo, qui dicit Ecclesiæ:* Ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi; *& qui una nocte per angelum suum centum, & octuaginta quinque millia hominum, ex exercitu Sennacherib interemit, & qui alias Ecclesiam suam in magnis periculis non dereliquit, neque permisit inimicos, ejus de eorum impietate gloriari, recepturi exinde præmium fœlicitatis æternæ.*

XXXV. Fideles ad sequenda Lusitani signa solicitati. *Et ut fideles ipsi eidem Regi in prosecutione tam sancti operis eo propitius assistere, & sibi possibilia auxilia exhibere studeant, quo exinde majora animarum suarum commoda cognoverint adipisci, ut eis pro tam salubri bono portus paradisi ad perennem gloriam cum sanctis Apostolis, & gloriosis martyribus reversari, universis fidelibus eisdem, qui ad bellandum contra eosdem infideles pro consequutione dictæ Africæ in ejusdem Regis exercitu in personis propriis se contulerint, & per tempus, quod thesaurarii proventum hujus sanctæ expeditionis, qui pro tempore fuerint deputati, ordinaverint, in illo permanserint, confisi de ipsius omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus authoritate, ac verbi ejus, qui est via, veritas, & vita, ac nobis qui in persona ejusdem beati Petri, cujus pari authoritate, meritis licet imparibus, successores sumus, dixit:* Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram erit solutum & in cælis, *& etiam de potestatis plenitudine nobis cœlitus eradita, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, & indulgentiam, qualis per prædecessores nostros dari consuevit proficiscentibus in subsidium terræ sanctæ, & qualis in anno jubileo per eosdem prædecessores concessa fuit,*
Proposita indulgentiæ. *concedimus pariter, & donamus, ac eorumdem omnium, quos in hanc sanctam expeditionem proficisci contigerit, animas sanctorum angelorum consortio in cœlestibus, & æterna fœlicitate permansuras perpetuo decernimus collocandas ita, ut si forsan designato tempore non expleto ipsorum aliquos, postquam iter pro prosequutione tam sancti operis arripuerint, ex hac luce migrare contingat, indulgentiam hujusmodi omnino consequantur.* ( Interjectis nonnullis de iis, qui suo sumptu milites in sacra militia sustentarint, vel pro opum tenuitate, vel amplitudine stipem ob sumptus bellicos contulerint, ac sacra exomologesi noxas expiaverint, Lusitanos ad mutuam animorum concordiam, ut omnium arma in hostes fidei jungantur, hortatur subdens : ) *Ut expeditio hujusmodi tanto majorem fructum reddere possit, quanto in dictis regno, & dominiis omnes dissensiones cessaverint, ac pax, & concordia vigebit, universos Christifideles regni, & dominiorum prædictorum incolas, & habitatores, dominos, duces, principes, comites, & barones, ac cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, & excellentiæ fuerint per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi, & per acerbissimam ejus passionem, quam immaculatus, & innocens agnus, ut nos miseros peccatores ab æterna morte redimeret, dignatus est pati, per judicium extremum, in quo ante ejus tribunal constituti quisque secundum opera sua mercedem suscipiet, per spem vitæ æternæ, quam repromisit Deus diligentibus se, harum serie enixe monemus atque requirimus, eis in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandantes, ut mutuam inter se charitatem, ac pacem, & concordiam, vel saltem tempore, quo expeditio prædicta durabit, treuguas, inducias, seu belli moram, quas tenore præsentium authoritate omnipotentis Dei, & pro securitate hujus sanctæ, & laudabilis expeditionis indicimus, ac per universa regnum, & dominia prædicta inter incolas, & habitatores illorum servari volumus, & observent, arma deponant, & privatarum injuriarum ac offensionum obliti Christi Redemptoris nostri injurias offensiones, & opprobria ulciscantur in hostes, qui Christianorum omnium sanguinem sitiunt, & evangelicam lectionem delere conantur, arma sumant, nec dicta expeditione durante quovis quæsito colore directe vel indirecte, palam & occulte se ostendant, aut offendentibus præstent auxilium, consilium, vel favorem: nos enim omnes, & singulos, quos arma sumere, & indictas per nos authoritate omnipotentis Dei inducias hujusmodi violare, & nostris mandatis, monitioni, & requisitioni contravenire continget, excommunicationis sententiam, a qua non nisi a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, præter quam in mortis articulo constituti, & debita satisfactione præmissa absolvi possint, incurrere volumus, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno MCDLXXXV.*

Pax inter Lusitanos imperata.

*XII. Kal. martii pontificatus nostri anno II.* [1].

XXXVI. Delata Innocentio a Gallo Rege obsequia. Hactenus de Africanis & Lusitanis rebus: nunc ad Gallicas digredimur. Tenebat tum Francorum sceptra Carolus VIII. qui cum Joannem Balvam episcopum Cardinalem Albanensem, quem diu a Ludovico XI. ob proditionis consilia cum Burgundo agitata, fuisse asservatum custodiis vidimus, aliosque amplissimos oratores ad deferenda Innocentio veluti Christi in terris vicario obsequia misisset, Pontifex etiam ad ornandum regiis virtutibus animum sectanda præclara majorum suorum exempla, studioque hereditario complectendam Romanam ecclesiam hortatus est (a): iis enim officiis & divinam gratiam, & secundos rerum successus ipsum promeriturum: *Venerabilis*, inquit, *frater noster Joannes episcopus Albanensis Cardinalis, Andegavensis, & nobilis vir comes Delphinus reliquique oratores tui qui ad præstandum obedientiam nobis a majestate tua missi sunt summa, cum omnium commendatione munus per te eis demandatum adimpleverint; in quo non solum tua celsitudo magnis laudibus decorata est quod vetustissimam progenitorum suorum religionem & innatam erga Apostolicam sedem pietatem confirmavit, sed etiam quod tales viros miseris prudentia & integritate insignes qui tibi ornamento & usui possunt esse omnibus in rebus iis affectum animi nostri erga majestatem tuam aperte potuerunt cognoscere, quam amamus singulari benevolentia cui fœliciter & prospere omnia evenire optamus, quod facile succedat, si Deum ante omnia timueris, si mandata illius observaveris religionem, & justitiam toto pectore amplectendo, si apostolicam sedem pio cultu fueris prosequutus, & illius authoritatem & dignitatem conservaveris & protexeris, ex quo majores tui nobilissimum illud nomen Christianissimæ domus tuæ intulerunt, ab*

Salubria monita Gallo Regi suggesta. *Apostolica ipsa sede in memoriam meritorum suorum acceptum. Persuademus nobis non solum te benefacta & observantiam in Romanam ecclesiam majorum tuorum æquaturum, sed & superaturum &c. Dat. Romæ die* XVIII. *aprilis MCDLXXXV. pontific. nostri anno* I.

(a) L. 1. brev. p. 164.

XXXVII. Provincia Galliæ regno adjuncta. Questus est apud eumdem Regem Innocentius (b) in Provincia, quæ recenter Francorum imperio adjuncta fuerat, jus ecclesiasticum infringi a magistratibus, qui suis commodis variis artibus tuendæ regiæ authoritatis specie inserviebant, eumque adhortatus est, ut corruptelas hujusmodi excinderet: *Ecclesiæ*, inquit, *ecclesiarumve personarum, præsertim episcoporum, atque S. R. E. Cardinalium illa in patria provisorum Cardinalium nulla ulterius dicatur esse consideratio, ita quod usui eorum colliditati obvietur, futurum sit, ut apud eos libertas ecclesiastica omnino confundatur, & nostra atque sedis Apostolicæ authoritas non mediocriter lædatur: ex quo etiam a nostri pastoralis officii debito excitati ulterius hæc dissimulare non valemus. Verumtamen quia indubie credimus præmissa tuam majestatem latere, decrevimus eandem his nostris literis facere certiorem, ut pro sui nominis gloria, suorum progenitorum vestigia sectando, huic tam perhorrendo abusui indilate, & cum effectu occurrere velit aut saltem patienter ferat, si hujusmodi abusus, & illorum fautores juxta decreta sanctorum patrum compesci mandaverimus. Dat. Romæ die* XVIII. *junii MCDLXXXV. pontificatus nostri anno* I.

(b) L. 1. brev. p. 201.

Cleri Gallicani cœtus indicti Parisiis. Cum etiam celeberrimi cœtus cleri Gallicani ad kalend. augusti Parisiis indicti essent, atque non de causa levi suspicaretur Innocentius, in iis pontificiæ in conferendis sacerdotiis authoritati detractum iri, plures enim abolitam a Ludovico XI. pragmaticam sanctionem instaurari cupiebant, Carolum monuit (c), ne acceptam a majoribus defensæ sedis Apostolicæ, assertique juris ecclesiastici gloriam aliqua labe fœdari, nec improbis insidiantium Ecclesiæ majestati politicorum consiliis se irretiri pateretur.

(c) Ib. p. 133.

*Carolo Francorum Regi Christianissimo.*

*Charissime, &c. Intelleximus indictum esse quemdam prælatorum, & aliorum ecclesiasticorum conventum, qui eu omnibus pro-*

NOTÆ [1] Mirum est parum adeo diligentem in re chronologica adhibuisse Annalistam, ut diploma istud in gratiam Joannis Lusitaniæ regis datum anno huic tribuerit, contra perspicuas temporis notas, quibus consignatur. Datum est enim *die XII. kal. martii anno MCCCCLXXXV. pontificatus anno II.* Pontificatus Innocentii annus secundus cum die illa februarii nonnisi sequenti anno 1486. conjungitur, quo tempore, stylo veteri, annus 1485. adhuc agebatur. Ex hac vero temporis adscriptione intelligimus Innocentium eadem anni ratione ac Sixtus IV. uti consuevisse, ut stylum veterem & novum in epistolis consignandis indiscriminatim adhiberet. Hic enim, sicut & in literis relatis inferius num. 15. veterem tenet. Superius vero in literis num. 18. recitatis, novum præfert. Ita pariter & Sixto IV. usitatum. Literæ relatæ in annalibus A. 1483. 2. stylo novo aptantur; literæ vero de quibus ad A. 1477. I. vetere consignantur. Hæc chronologi animadversione dignissima censeo. Ex his vero alterum Annalistæ sphalma corrigas, cum hic num. 53. alias exhibeat literas ad regem Angliæ, quæ ad sequentem annum referendæ sunt. MANSI

De veterum Franc. Regum observantia in Rom. eccles.

*provinciis regni tui ad kal. augustas proxime futuras in civitate Parisiensi congregari debent ob nonnulla tractanda, quæ tendunt in dimiuutionem auctoritatis hujus sanctæ sedis, quæ apud majestatem tuam, & omnes Christianos principes magno in honore, & veneratione semper habita fuit. Dolemus, charissime fili, in tenera tua ætate, & in primordiis regni tui ea persuaderi tibi, quæ aliena sunt a sanctissimis progenitorum tuorum vestigiis, qui ob bene merita erga Apostolicam sedem magnam gloriam apud omnes nationes consequuti sunt, non enim illi veriti sunt copias, facultates, & sanguinem proprium pro conservanda S. R. E. auctoritate effundere, cum nihil pulchrius duxissent, quam benemereri de vicario Jesu Christi: neque eos fefellit tam præclarum & laudabile propositum. Auxit illis Deus fælicitatem & gloriam, & pulcherrimo imperio quantum nunc inclytu sua domus possidet decoravit. A sede quoque Apostolica magnam & privilegiorum & Christianissimi nominis gratitudinem receperunt. In memoriam pie & magnanime factorum erga se, quod contra cernere licuit in iis, qui a solita devotione deficientes aliquid attentare conati sunt in præjudicium pontificiæ majestatis, qui deserti a suis magna parte regni spoliati in mærore, & infelicitate vitam finierunt. Hortamur te, ut eorum imiteris exempla, qui benefaciendo & Romanis Pontificibus obsequendo, & præsenti vitæ & futuræ digne & præclare sibi consuluerunt; non autem illorum, qui perversis ducti consiliis, & sibi & aliis perniciosi esse voluerunt: habes enim ante oculos exempla domestica: singularis amor, quo te prosequimur, hortatur nos ut libere & amanter te alloquamur, veluti charissimum filium, cujus felicitatem non solum augeri, sed etiam perpetuo conservari desideramus: Cave profecto, si te ipsum & salutem tuam amas, ne patiaris conventus istos fieri in detrimentum sanctæ Apostolicæ sedis, neque aliud statui aut decerni, quod pertineat ad auctoritatem Romanæ ecclesiæ nobis inconsultis: rescinde omnino & dissipa malas hujusmodi hominum prave sentientium voluntates, qui te in offensam Dei nisi obviam ieris, facile possent inducere: petant a nobis, si quid volunt, & honesta eis non denegabimus: non est tam dura, tam inexorabilis Apostolica sedes, quæ recurrentibus ad se cum humilitate filiis satisfacere non consueverit in his, quæ cum Deo & honore licet concedere. Rogamus diligenter animum ad hoc advertas, charissime fili: agitur non minus de re Apostolicæ sedis qua de te, si divina majestas ad indignationem fuerit provocata: non enim præsenti gloriæ tuæ tantum consules, si majorum tuorum exempla imitatus Romanæ ecclesiæ auctoritatem conservaveris, & auxeris, sed etiam æternæ saluti tuæ prospicies; & tantam apud omnes commendationem reportabis, ut, merito te Christianissimum illud nomen decere, possint agnoscere. Super his autem responsum a te expectamus. Dat. Romæ die xxv. julii MCCCCLXXXV. pontificatus nostri anno 1.*

Admonitus Carolus ne quid novet cum damno ecclesiæ.

Præbuit se Innocentius ecclesiastici juris XXXVIII. assertorem vindicemque justitiæ, ut refert ms. Vaticani auctor (*a*), adeo ut in Ferdinandum Regem Neapolitanum pontificium jus proterentem, inque suos tyrannidem exercentem bellum susceperit: cujus exordia inde erupisse tradunt (*b*), Alfonsum nimirum Calabriæ ducem Ferrariensi perfunctum bello potentiam opesque metiri justitia abnuentem, *in quo nec luxuria crudelitati obstabat, neque crudelitas luxuriæ*, ut ait Mariana (*c*), cum sæpius sudores pauperum impune suxisset, procerum divitias vi ac dolo invadere meditatum (*d*), cumque ex Aquilano agro croci ferace ingentes opes se cumulaturum speraret, comitem Montorii officii causa ad se venientem cum uxore circumventum calumniis Neapolim rapi vinctum jussisse (*e*). Percrebuit mox rumor illum capitali sententia damnatum, quem verum ms. Vaticani auctor (*f*), putavit, qui subdit: *Propter quod omnis populus Aquilanæ civitatis turbatus insurrexit contra Regem, vocavitque Ecclesiam dominam, misitque ad Pontificem nostrum, ut dominium caperet, rogavitque eum, ut si ad dictum locum mitti contigerit gentes aliquas, non nisi Columnenses mitteret: & ita factum fuit.*

Neapolitani oppressi a Ferd.

Montorii comes indigne circumventus.

(*a*) *Inn. l.2. brev. p.57. ms. arch. Vat. sig. n.111.*
(*b*) *Volat. antropol. l.25.*
(*c*) *Marian. l.25. c.7.*
(*d*) *Cominaeus l.7. c.1.*
(*e*) *Surit. l.20. c.66. Brutus l. 8. Sabell. ennead. 10. l.8.*
(*f*) *Ms. arch. Vat. sig. n.111. Panvin. in Innocent. VIII.*

Accusant nonnulli Innocentium suscepti Aquilanorum patrocinii adversus Ferdinandum, in cujus ipse aula fuisset educatus: sed illi parum pontificalis officii religionem majestatemque se attendisse ostendunt; nunquid enim propterea nefaria in clientes Romanæ ecclesiæ agitari latrocinia, & jura pontificia conculcari a Ferdinando pati debuit? præsertim cum adeo efferatus referatur (*g*), ut inde collegerit crudelitatis invidiam hanc, ipsum omnes regni proceres ad solemnes Neapolitanos cœtus convocasse, ut redactos in suam potestatem contrucidaret; quo metu ii perculsi accedere detrectarunt, ut dictus Infissura refert. *Convocavit*, inquit, *omnes dominos regni sui, vocavitque illos, ut venirent ad dictum locum, a quibus, nullam obedientiam habuit eo quia, ut dicebatur, intendebat eos omnes, cum haberet in suo dominio, decapitare, eo quo omnes domini regni sui insurrexerunt contra-*

XXXIX. Aquilani pontificiam clientelam in iniquum implorant.

(*g*) *MS. Vat. ubi sup.*

Sæva Ferdin. de trucidandis proceribus consilia.

In eum proceres arma expediunt.

*tra eum, vocaveruntque ecclesiam, & imploraverunt auxilium Venetorum, & obtulerunt dictas terras Ecclesiæ, & Romano Pontifici, uti erant prius cum solutione census consueti, minantes, quod si Papa eos non adjuvaret, seu promissis non attenderet, sese aliis daturos: & fuerunt omnes principes, & domini, exceptis tribus, videlicet comite Fundorum, duce Melphi, qui fuit nepos Pii, & principe Tarenti, qui servant fidelitatem Regi ipsi.* Addit auctor Pontificem sæpius Cardinalium senatum ad expedienda in re ancipiti optima consilia convocasse: ex quo non cupiditate alieni imperii illectum, sed ductum officii justitiæque religione constat. Ut vero suscepti pro insontibus a tyranni potentia vindicandis consilii, tutandoque jure pontificio belli æquitatem omnibus perspicuam faceret, publica diplomata edidit, in quibus singulæ causæ descriptæ fuere, eaque ad Ferdinandum, & Elisabeth insulæ Siciliæ, Aragoniæ, & Castellæ Reges transmisit, de quibus in literis mense novembri datis ad Cardinalem Toletanum meminit (*a*): *Copiam*, inquit, *bullæ per nos editæ ad eas majestates transmittimus, ut aperte videant legitimas, & necessarias causas, quæ ad hoc nos induxerunt.* Carolum etiam VIII. Francorum Regem, quem insignes studii in Ecclesiam eximii notas ostendisse vidimus, ad tutandas contra Ferdinandum ecclesiæ partes solicitavit, præfectumque Meldensem mense novembri rogavit (*b*), ut causæ pontificiæ in bello Neapolitano æquitatem Carolo exponeret.

(*a*) *L. 2. brev. p. 50.*

Gallorum Rex in Ferd. solicitatus.

(*b*) *Ib. p. 57.*

XL. Desierat (*c*) nimirum Ferdinandus, qui ob impuros natales regio apice erat indignus, inque parto vi & injuria regno parenti successerat, pendere nummarium vectigal, quod Gallicæ stirpis Reges inferre Romanæ ecclesiæ ærario consueverant, ac splendide fiduciaria officia se exhibuisse putabat, si phaleratum equum obtulisset. Immunitatem etiam sacerdotalis ordinis turpiter labefactabat: tum clientes ecclesiæ sæva tyrannide, ut antea dictum est, premebat: ob quas causas suscepto bello Innocentius Roberto (*d*) Sanseverinati pontificii exercitus militare imperium detulit, ac præmissis Prospero & Fabritio Columnensibus Aquilam in Romanæ ecclesiæ potestatem accepit, ut testatur ms. Vaticani auctor hisce verbis (*e*): *Die* XVI. *octobris civitas Aquilæ cum omni suo comitatu erexit vexillum ecclesiæ, & ita fertur fecisse multas terras, & castra regni prædicti, & dux Olveti fertur venisse ad obedientiam Papæ, & dixisse se nolle habere, & recognoscere alium in dominum nisi Papam.* Plures etiam alii proceres excusso Ferdinandi jugo in pontificiam clientelam se contulere, quos excepit Innocentius, ipsosque sacramenti fidei Ferdinando præstitæ religione imperioque illius solvit: qua de re extant datæ ad principem Bissiniani literæ (*f*).

(*c*) *Panvin. in Innoc. VIII.*

Jura ecclesiæ a Ferd. pessumdata.

(*d*) *MS. arch. Vat. sign. num. 111. Raph. Vol. l. 6. & l. 22.*

(*e*) *MS. arch. Vat. sign. n. 111.*

Susceptum ab Innoc. bellum in Ferdin.

(*f*) *L. 2. brev. p. 69.*

XLI. At Ferdinandus cum proceres in se conjuratos vidisset quorum signiferum fuisse Antonellum Salernitanum principem memorant (*g*), ad removendam a se invidiam ex comitis Montorii iniquis vinculis in se concitatam, illum uxoremque liberos dimisit, quibus Aquilam redeuntibus Pontifex datis XVI. novembris literis gratulatus est (*h*)

Comes Montorii liber dimissus a Ferdin.

(*g*) *Raph. Volat. l. 6.*

(*h*) *L. 2. brev. p. 49.*

*Comiti & comitissæ Montorii.*

*Dilecti filii salutem, &c. non mediocriter doluimus de incommodis, & jacturis, quas passi fuistis superioribus mensibus, quas vitare potuissetis, si paternis nostris monitis obtemperavissetis, admonentes ne aliquam fidem duci Calabriæ adhiberetis; nuper autem cum intellexerimus nobilitates vestras in patriam rediisse incolumes, & liberos evasisse lætati plurimum sumus, vobisque gratulamur præsertim, quod vos bona civium istorum,* nempe Aquilanorum, *qui nobis, & S. R. E. adhæserunt gratia exceptos audiverimus, quod, ut nostis semper procuravimus; dileximus enim vos semper paterno amore, &c. Dat. Romæ die* XVI. *novembris MCCCCLXXXV. pontificatus nostri anno* 1. Placato ob liberatos hosce insontes populorum odio, Ferdinandus conjuratos proceres delinivit, dissociatosque deinde insigni perfidia oppressit (*i*), utque Pontificem intestino bello implicaret, Virginium Ursinum, quantumvis Innocentius illum continere in officio amplissimis pollicitationibus anniteretur, in suas partes pellexit, militarisque imperii summam illi obtulit: abductæ ab hoc ingentes Romanorum prædæ fuerunt, atque excursiones ad portas urbis factæ. Navatam autem tum a Juliano Robureo Cardinale, postea Pontifice, una cum Cardinalibus Sabello & Columna diligentem operam ad propulsandos perduelles, narrat Stephanus Infissura (*k*): *Quintadecima*, inquit, *die dicti mensis*, nimirum decembris, *multi armati tentaverunt capere portam populi, sed vigiles, qui ibi erant defenderunt. De nostris custodibus unus tantum in facie ibi vulneratus fuit, & illa, & aliis noctibus Cardinalis S. Petri ad vincula, & aliquando Sabellus, & Cardinalis Columna personaliter armati cum satellitibus portas omnes urbis, & muros, & custodes ibi existentes visitaverunt simul, & munierunt.*

Illatum a Ferd. Pontifici bellum.

(*i*) *Marian. l. 25. c. 7. ms. arch. Vat. sign. n. 111. Panvin. in Inn. VIII.*

(*k*) *MS. arch. Vat. ubi sup.*

Facta ad portas urbis impressio.

XLII. Delusus Virginius Ursinus opprimendæ urbis spe, dolo ac fraude Romanos in Inno-

Conflare schisma annititur Ferd.

nocentium & Cardinales illi addictissimos concitare aggressus est; spargere enim schedulas curavit, quibus Pontificem legitime creatum non fuisse jactabat, nonnullosque Cardinales sacram purpuram sine jure circumferre: tum ad creandum alium Pontificem factiosis opem promittebat. Quod attinet ad ipsum Julianum Cardinalem S. Petri in illius belli ardore ad deturbandum regno Neapolitano Ferdinandum omnem navasse operam, ut Renatus dux Lotharingiæ Renati senioris Regis Neapolitani ex Joannis filii nata pronepos ad solium hereditarium evocaretur, narrat Comineus (*a*): illum autem tardius ad tantam expeditionem conficiendam se comparasse dicetur inferius. Cingebatur interea undique periculis pontifex, quippe hostes Nomentano ponte occupato, impositoque ei agmine præsidiario circum mœnia grassabantur: ad quas excursiones prohibendas vigesimo (*b*) octavo decembris die Robertus Sanseverinas eduxit exercitum, hostemque occupato ponte depulit, dedititiosque vindicandi filii sauciati causa contrucidari jussit.

Renatus dux Lotharing. excitus.

(*a*) *Comin. l.7. c. 1.*

Tardius expeditionem suscipit.

(*b*) *MS. arch. Vat. ubi sup. Panvin. in Innoc. VIII.*

XLIII. Italia bello correpta.

Sparsæ hujus belli faces universam Italiam inflammarunt, nam Ferdinandus Rex Florentinorum Laurentii Medicei opes, tum Sfortiæ ducis Mediolanensis auxilia sibi ascivit (*c*): Pontifex vero non Venetos modo, verum & Genuenses sibi fœdere conjunxit, pactionum interprete Lazaro Auria, quas a se servatum iri, datis ad magistratus hisce literis, pollicitus est (*d*).

(*c*) *Id. ib. & Brutus l.8.*

(*d*) *Lib. 2. brev. p. 65. Aug. Just. l.5.*

Inita inter Pontif. & Genuenses fœdera.

*Cardinali & duci, ac officio baliæ civitatis Januæ.*

*Dilecti filii salutem, &c. Cum pro nostra in patriam charitate, & boni pastoris officio, tum pro eo amore, quo semper vos prosequuti sumus, ea cum ista civitate fœdera inivimus, quæ non solum honesta, sed etiam necessaria sumus arbitrati, ad quod præstantissimi viri dilecti filii Lazari oratoris vestri multum profuit authoritas, quo potissimum medio hoc negotium ad exitum peroptatum ductum fuisse gaudemus, & ut de nostra voluntate nunc clarius certiores fieri possitis, harum literarum vigore vobis constanter affirmamus quantum ad nos spectat, & eu latere nostro fœdera inter nos inita servaturos esse, ac in fide data diligenter perseveraturos: hortamur vos, ut idem erga nos præstare velitis, & id efficiatis, quod civitati isti decorum & utile, vobis autem gloriosum & honorificum erit, &c.* Preces addit, ut quatuor triremes, quarum duæ sunt pontificiæ instructas mittant. *Dat. Romæ die* XXIX. *novembris MCDLXXXV. pontificatus nostri anno* 11.

Habita porro fuit a Genuensi oratore insignis oratio, in qua, cum de suscepto pontificatu gratulatus esset, Genuensis nationis elogium amplissimis verbis celebravit. Comparata (*e*) est proximo anno in Genuensi portu classis ad Renatum ducem Lotharingiæ, de quo paulo ante memoravi, cum Gallico exercitu in Neapolitanum regnum transportandum, quare Ferdinandus maximis curis torqueri cœpit. Cæterum in iis Italicis tumultibus, cum populi fluctuarent, quas potissimum partes sequerentur, Senenses, de suæ libertatis asserendæ soliciti, cum plurimis officiis suum in ecclesiam studium, de quo non immerito Innocentius ambigebat, deprompsissent, Pontificem, quem hostes in invidiam suscepti opprimendæ Italicæ libertatis consilii vocabant, pertentarunt quo tandem animo in Senensem rem affectus esset: quos Innocentius paterno ipsos studio se complecti certiores fecit, inque pristina dignitate tutaturum; tum hortatus (*f*) est, ut in fide Romanæ ecclesiæ permanerent. XLIV.

(*e*) *Comin. l.7. c.1.*

Senenses falsis suspicionibus delusi. Synceri animi certiores facti ab Innoc.

(*f*) *L.2. brev. p. 49.*

XLV.

Hoc anno Veneti, cum diutinum bellum cum Hercule Atestino duce Ferrariæ gessissent, atque a Sixto censuris perculsi essent, quod urbem pontificiæ ditionis adorirentur, quantumvis justo bello Atestinum petiissent, illi demum jura sedis Apostolicæ reveriti, cœptis destitere, atque in gratiam Ecclesiæ ab Innocentio (*g*) restituti fuere.

(*g*) *Lib. sign. n. 1909. p. 291.*

*Ad futuram rei memoriam.*

*Dudum felicis recordationis Sixtus Papa IV. prædecessor noster dilectos filios nobilem virum Joannem Mocenigo ducem, & cives Venetiarum, qui civitatem nostram Ferrariensem tunc arcta obsidione premebant, ut ab obsidione hujusmodi desisterent, diversimode, & postremo per quasdam suas literas monuit, & requisivit, ac in eos si prædictis eorumque fautores, consultores, & adhærentes in Venetiarum, & aliis tunc expressis, civitatibus, terris, & locis eorum ditioni subjectis degentes, & ecclesiasticas personas, & sæculares, si nonnullis aliis tunc expressis monitionibus, requisitionibus, & mandatis ejusdem prædecessoris circa præmissa, infra certos eis ad id præfixos terminos, non parerent, excommunicationis, suspensionis, privationis, & inhabilitatis, & interdicti, ac æternæ maledictionis, aliasque tunc expressas formidabiles ecclesiasticas sententias, censuras, & pœnas promulgavit, prout in eisdem literis plenius continetur. Cum autem postmodum, licet longe post decursos terminos prædictos, dux & Veneti præfati ab obsidione prædicta circa ipsius prædecessoris obitum cessaverint, ac post nostram ad summi*

Ut moniti sint Veneti absistere a bello Ferrariensi.

Percussi sint censuris.

Demum ceptis destiterunt.

*mi apostolatus apicem assumptionem per nonnullos sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales origine Venetos pro censurarum earumdem sublatione humiliter supplicari fecerint, & nobis respondentibus nos propter pontificatus nostri novitatem velle desuper aliquantulum cogitare, nuper iterato eorumdem Cardinalium eorum nomine supplicationem nostramque responsionem commemorantes, nobis per eorum literas summa cum humilitate, & instantia supplicaverint pro summotione censurarum, & pœnarum earumdem; nos hujusmodi supplicationibus inclinati, pii patris & boni pastoris vices implere volentes, ducem, cives, fautores, consultores, adhærentes, ac omnes, & singulos alios ecclesiasticos & sæculares, quotquot sint, & quacumque ecclesiastica etiam patriarchali, & mundana dignitate præfulgeant, quorum omnium nomina, & cognomina, dignitates conditionesque haberi volumus pro expressis, prolatis per easdem literas, aut aliis quibuslibet præmissorum occasione ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis authoritate apostolica præsentium tenore absolvimus, & totaliter liberamus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCDLXXXIV. pridie kal. martii pontificatus nostri anno 1.*

Interpretibus aliquibus Card. veniam poposcerint.

Solvuntur censuris.

XLVI. In Scotia cum ingentes tumultus concitati essent, regnique ordines in Regem conjurationes varias fecissent, Innocentius ad publicam pacem restituendam has leges tulit (a).

(a) Lib. bull. ann. 1. to. 2. p. 448. sign. rec. num. 1902.

*Venerabili fratri Jacobo episcopo Imolensi ad charissimum in Christo filium nostrum Jacobum Scotorum Regem illustrem, illiusque regnum, provincias, villas, civitates, & dominia nostro, & Apostolicæ sedis cum plenaria potestate legato de latere, commissario, & oratori salutem.*

*Illius, qui pacis est auctor, & per quem Reges regnant, vices, meritis licet insufficientibus, gerentes in terris, illa, quæ ad pacem, & obedientiam sunt præcipue inter catholicos Reges & subditos supremis desideriis amplectimur, & paterna charitate, ut perpetuo persistant, favorabiliter prosequimur, ac illis apostolici muniminis robur efficaciter, & libenter apponimus; turbatores vero pacis, & obedientiæ, cujus possessione nil suavius, nihilque dulcius esse potest, ne impium eorum propositum nimium invalescat, sed ab illo si non virtutis amore, metu tamen pœnæ retrahantur, ecclesiastico mucrone percellimus, ut etiam cæteri, eorum exemplo perterriti, a perniciosis actibus abstineant, & ad inobedientiam in suos principes non audeant prosilire, sed & si in aliqua parte orbis terrarum pacem, & obedientiam vigere, ac turbationum, & dissidiorum fomenta evelli desidemus, id profecto in regno Scotiæ eo ferventius fore exoptamus, quo Reges illius, & etiam regnicolæ, postquam ubera sanctæ matris ecclesiæ sugere incœperunt, in ipsius obedientiæ constantia firmius perseverarunt, nec a catholicæ fidei rectitudine aliquo tempore deviarunt.*

*Sane dudum, dum in minoribus constituti essemus, & etiam postquam divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti fuimus, probata experientia cognovimus, modernas provisiones ecclesiarum etiam cathedralium dicti regni non cum ea quiete & concordia processisse, prout antiquis temporibus processerant, admirantes unde ista ita Ecclesiæ & regno damnosa provenire possent: nam sic ad ecclesias ipsas promoti & promovendi, vel alii pro eis, cum in Romana curia præsentes sunt, asserunt charissimum in Christo filium nostrum Jacobum Scotorum Regem illustrem cujuslibet eorum promotionem affectare, ac sibi favores suos impendere; cum id impossibile sit, & quandoque contrarium experientia edocuit, & perquirentes more boni patris, qui filiorum discordias omni studio extirpare desiderat, ac periti medici, qui, ut infirmitati congruentem medelam adhibere possit, infirmitatis originem, & qualitatem perquirit, reperimus per relationem fidedignorum, quod ea occasione præcipue eveniunt, quod nonnulli regnicolæ in Regem, & statum ejus cervicem erigere non erubuerunt, ac etiam ex multis inter regnicolas initis conspirationibus, & confœderationibus, ex quibus bella, seditiones, turbationes, homicidia, agrorum depopulationes, hominum captivitates, & alia mala innumera exorta fuere, & non solum Ecclesia laniatur, Dei cultus diminuitur & contemnitur, sed justitia non ministratur, totumque regnum depauperatur, & destruitur, de quibus summe & ex intimis, & non absque magna nostræ mentis amaritudine condoluimus, & præcipue, quod in tantum Regem, ac nobilissimæ & antiquissimæ familiæ regiæ domus Scotorum, quæ plura tempora, etiam ante Christi adventum, ibidem dominata est, talia hoc tempore a quibusdam subditis suis perpetrata extiterunt: nihilominus intelleximus, quod operante divina clementia, præmissa omnia quasi sedata sunt bonitate Regis, qui a Deo, & piissima matre Maria semper virgine a tot malis liberationem recognoscens more veri Christiani, ac sua innata benignitate, præfatis offensionibus suis indulsit, ac libere & sponte tales illatas injurias condonavit, & remisit, ac de illis oblitus est; atque ita tales offensores amore, & affectione prosequatur, ac si nunquam talia contra ipsum perpetrata fuissent, il-*

Ex sacerdotiorum distributione ortæ lites in Scotia.

Tumultus orti in Scotia.

Stirps regia in ita afflicta.

Regia venia delectum crimen.

*lius vestigia imitatus, qui etiam pro suis persecutoribus exoravit: quam remissionem plurimum in Domino commendamus, illamque approbamus, & paterna charitate amplectimur obsecrantes per viscera misericordiæ domini nostri Jesu Christi Regem ipsum, ac regni prælatos, & principes, ac alios omnes regnicolas, quocumque nomine nuncupatos, pacem & concordiam amplecti, & observare, ac a discordiis, & diffidiis, quæ mala omnia parturiunt, totis conatibus abstinere studeant, ac laudabiles, & suavissimos fructus, quos parturit concordiæ, & obedientiæ dulcedo, suis animis gustent; quod si gustaverint nunquam ad dissidia prosilient.*

*Et quia Romanus Pontifex totius gregis dominici pastor universalis de Regibus, & principibus legitimis diebus ex debito pastoralis officii specialem curam habere, ac auctoritatem apostolicam pro eis penitus exercere, & maxime pro dicto Rege & ejus stirpe, quæ Christo redemptori nostro, & sedi Apostolicæ semper fidelissima fuit, ut eo facilius Rex ipse suo regno subvenire, illiusque universali Ecclesiæ, sicut solitus est, ac ex celsitudine regia tenetur valeat, & ejus in dicto regno legitimi successores pro tempore similiter valeant, & ut Dei cultus manuteneatur, & augeatur, animarum periculis obvietur, & bonum totius regni reparetur, & procuretur, necnon conspirationibus, confœderationibus, aliisque præmissis opportune provideatur, & obvietur, motu proprio, & ex certa scientia, non ad ipsius Regis, vel alterius pro eo desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex nostra mere, & libera voluntate, ac de fratrum nostrorum consilio, & assensu unanimi sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium, hortamur in Christo, & rogamus præfatum Jacobum Regem Scotorum illustrem filium charissimum per viscera misericordiæ domini nostri Jesu Christi, ut tales concessas indulgentias more regio ratas habeat, atque gratas, nunquam contraveniat aliquo quæsito colore, vel causa.*

Monitus Rex ut amnistiam servet.

XLVII. *Hortamur etiam, & monemus omnes, & singulos ecclesiasticos, & prælatos etiam archiepiscopali, episcopali, abbatiali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, sive regulares, sive sæculares, exemptos & non exemptos, cujuscumque gradus, duces, comites, barones, nobiles, dominos quocumque nomine nuncupatos, cives, Burgenses, universitates quascumque, & universaliter omnes, & singulos subditos, & regnicolas, ut sub dicti Regis obedientia, & fidelitate, ac successorum suorum legitimorum juxta dictum Apostoli:* Regibus obedite; *maneant, nunquamque contraveniant aliquo quæsito colore, vel causa, ac, ut ex fidelitatis debito tenentur, fideliter perseverent, & quod se, ut homines, & veri fideles emendent, & non perseverent, ut dæmones, sed ab omni conspiratione, ac confœderatione, & inobedientia in statum regium penitus desistant, ita quod quemadmodum Rex Scotorum hominum, & non terræ ut alii specialiter nominantur, ita per subditorum veram obedientiam, & fidelitatem in veritate, & in facto eorum Rex præfulgeat, & sit, quodque tales perseverando in malis non velint hoc tempore nomen infidelitatis adipisci, cum eorum majores, & ipsi semper fuerint fidelissimi, & ita fuisse benemerito glorientur.*

Scoti commoniti ut in Regis obsequio persistent.

*Præterea de fratrum prædictorum consilio, & assensu constituimus, & ordinamus, ne quis regnicola ex prædictis audeat in posterum contra Regem, vel ejus statum verbo aut facto rebellionem quovis tempore facere, vel tractare, vel aliquid contra inferre, vel inferri facere, vel manus in personam ipsius Regis, vel suorum familiarium, aut ejus successorum legitimorum in regno mittere per se, vel per quoscumque alios etiam extraneos, vel contrafacientes quoquo modo manutenere, & adjuvare, vel se eis associare, aut cum eis publice, vel occulte participare, vel ipsos aut eorum bona ad dictorum malignantium utilitatem receptare, vel eis panem, vina, cervisiam, blada, carnes, pisces, vel alia ad victum facientia, aut equos, homines, currus, arma quæcumque, navigia, pecunias, merces, vel alias res quascumque, quæ ad ipsorum commodum cedant, eis quoquomodo concedere, vel quod alii concedant permittere non audeat nec præsumat, immo debeat prohibere juxta posse, nec in prædictis vel aliquo prædictorum, & infrascriptorum præstent auxilium, consilium, vel favorem tacite vel expresse, directe vel indirecte, quodque aliqui ex regnicolis nullas conspirationes, confœderationes, vel conventiones inter se ipsos, vel cum aliis extra regnum, cum sint omni jure prohibitæ, & in animorum suarum periculum, ac Dei, & regiæ majestatis offensam, & scandalum plurimorum fiant, nec exercitus, vel conventicula facere, vel arma assumere, nisi de mandato Regis expresso; nos enim tales conjurationes, confœderationes, conspirationes, & pacta factas & faciendas, facta & facienda ex quibuscumque coloribus, & causis, pœnis, quibuscumque juramentis, & vinculis roboratas, & roborata ex nunc, prout ex tunc, dissolvimus, irritamus, & annullamus, & ita esse nullas, & nulla ipsa jure decernimus, declaramus, & definimus. Et ne aliquis regnicola ex prædictis, spretis dictis nostris exhortationibus, monitionibus, constitutionibus, ac* XLVIII.

Vetiti fœdera cum externis inire.

ordi-

*ordinationibus audeat aliquo tempore contravenire in prædictis, vel aliquo prædictorum, aut aliquid contra ea, vel eorum aliquod, temerarie attentare, vel innovare, sed timore pœnarum abstineat, & retrahatur, quicumque de prædictis in aliquo prædictorum contravenerit omnibus infrascriptis ipso jure subjaceant pœnis, nam si sit civitas aliqua, villa, vel burgus, aut aliqua alia universitas, vel collegium, quocumque nomine nuncupatum fuerit, ipso jure ecclesiastico supponimus interdicto cum omnibus locis sibi subditis, vel adhærentibus; & nihilominus privetur ipso jure, & ipso facto omnibus libertatibus, privilegiis, immunitatibus realibus, & personalibus sub quacumque verborum forma concessis a Sede Apostolica, vel regali celsitudine, vel aliis quibuscumque, & ipsius subditos, & obligatos ipso jure solutos esse decernimus, & ex nunc, prout ex tunc, absolvimus, & liberamus ab hujusmodi fidelitatibus, obligationibus, & juramentis; principales vero factiosi in dicta universitate, vel universitatibus, & eorum descendentes infrascriptis subjaceant pœnis.*

Rescissa contraria sacramenta.

*Si archiepiscopus, episcopus, abbas, vel quivis alius ecclesiasticus regularis, vel sæcularis, exemptus, & non exemptus, sit jure excommunicatus, & a regimine, & administratione ecclesiæ suæ seu monasterii remotus, & privatus: dux, comes, baro, vel quivis dominus, vel privatus, vel quivis alius regnicola, illius villas, loca, & dominia similiter ecclesiastico supponimus interdicto strictissime observando. Et nihilominus ducatu, comitatu, baronia, quovis dominio, & bonis ipso facto, & ipso jure priventur, & sine aliqua alia declaratione privatus existat, & in sententiam excommunicationis ipso facto incidat.*

Intentatæ contra tendentibus pœnæ.

*Ceterum statuimus & ordinamus, quod si aliquis ita innodatus in mortis articulo a dicta fuerit sententia absolutus, licet super hoc sit satis de jure provisum, ne autem aliquis prætextu juris ignorantiæ se valeat excusare, volumus & declaramus, quod taliter absolutus, nisi, postquam ad convalescentiam pervenerit, de injuriis & aliis illatis damnis ipsi Regi, vel aliis pro ejus regia majestate intervenientibus, restitutionem & satisfactionem fecerit, in eandem excommunicationis sententiam ipso facto incidat: communionem cum tali contrafaciente, & participationem quamlibet omnibus Christifidelibus ex nunc, prout ex tunc, sub simili excommunicationis pœna interdicimus, & omnino prohibemus, ita quod nullus eisdem pactis, confœderationibus, consiliis, favoribus, vel quovis alio modo eis assistere seu assistentibus consilium, vel favorem dare præsumat: & qui contrafecerit ipsum infamem, & inhabilem perpetuo esse, & remanere decernimus, ita quod non possit condere testamentum, vel aliquam aliam ultimam voluntatem, nec aliquis valeat ei ex testamento, vel ab intestato, neque ipse aliis quovis modo succedere: insuper nullus ei teneatur, vel cogatur in aliquo negotio, vel causa, sed ipse aliis respondere, nullusque ei in aliquibus negotiis patrocinetur, vel possit procurare, neque ipse ad patrocinandum aliis admittatur, nec ad deponendum testimonium quovis negotio contra aliquos, vel ad alios legitimos actus; sed alii bene contra eum admittantur.*

*Volumus etiam, & decernimus, quod si tabellio fuerit, vel alius, cui de jure, vel alias daretur fides, nullo modo ei de cætero, vel ejus scripturis credatur, sed cum authores suo damnato damnatæ reputentur; si vero judex fuerit nulla causa ad ejus auditorium deferatur, neque sententiæ ejus valeant, vel processus, & si aliqua privilegia, immunitates, libertates reales, & personales, sub quacumque forma verborum vel quavis alia habeat, vel tenere noscatur, ex nunc, prout ex tunc, ipso jure privetur: & si in feudum, vel emphiteosim, vel aliquo quocumque titulo aliqua dominia, terras, domos, vel quacumque alia bona habeat, vel beneficia, aut officia, seu dignitates Ecclesiasticas, vel mundanas sub quocumque nomine nuncupatas obtineat, ipso jure sit eis penitus privatus, possintque ex tunc ipsa dignitates, officia, & beneficia tanquam per privationem hujusmodi vacantia, a te seu quocumque alio ad id potestatem habente, libere & licite impetrari, & ipse & sui descendentes usque ad tertium gradum inclusive ad omnes dignitates, administrationes, officia, & beneficia ecclesiastica, vel mundana, sub quovis nomine habita, & habenda, ipso jure reddantur inhabiles, & priventur, concedentes liberam facultatem, & potestatem illis, ad quos dicta feuda, & alia bona prædicta quovis jure pertinent, propria authoritate, at sine aliqua alia authoritate, & solemnitate capiendi, & de eis disponendi, secundum quod eis melius magis expediens videbitur faciendum, & si infra terminum unius mensis a die declarati delicti inchoandum de dictis bonis seu rebus non disposuerit ille, cui pertinent, de illis pro illa vice tantum amplius disponere possit, sed reserventur dispositioni superioris laici, si ecclesiasticus fuerit, dispositioni Apostolicæ sedis.* XLIX.

*Et nihilominus a dictis pœnis tales ita involuti, & puniti, præterquam a Rom. Pont. non possint absolvi nec liberari, nec aliqualiter ab aliquo alio cum eis dispensari, & quidquid contra prædicta, vel aliqua præ-* L.

*dictorum attentabitur, ipso jure nullius sint roboris, vel momenti, & careant omnino robore firmitatis. Demum quia prædictis delictis condigna pœna reperiri non potest, bona mobilia ipsorum delinquentium occupantibus, fidelibus dumtaxat, ex nunc prout ex tunc concedimus pleno jure: immobilia vero eorum superioribus eodem jure confiscamus, personas vero ipsorum capientibus damus in perpetuam servitutem, fiant eorum domus desertæ, & non sint, qui habitent in eis: dentur cuncta eorum ædificia in ruinam, & ut perpetuam eorum delinquentium notam infamiæ ædificiorum perpetua ruina testetur, nullo unquam tempore reparentur. Obedientes vero, & fideles regiæ coronæ, & si obedientia talis, & fidelitas ad cumulum bonorum temporalium, gloriæque æternæ meritum eis valeant, nos tamen authoritate Dei omnipotentis, cujus vices gerimus in terris, benedicimus, & nos, & hanc sedem offerimus eis fore liberales, & gratiosos,*

Proscripta eorum bona.

Ædes everti jussæ.

LI. *Porro cum nos pro pace Regis, & regni archiepiscoporum, episcoporum, & aliorum ecclesiasticorum, ducum, baronum, aliorumque regnicolarum prædictorum præmissa omnia fecerimus, statuerimus, & ordinaverimus, & has nostras præsentes literas desuper concesserimus, de fraternitatis tuæ probitate, integritate, prudentia, & bonitate aliisque virtutum meritis, quibus personam tuam Altissimus illustravit, gratiarum muneribus plurimum in Domino confidentes, firmam spem fiduciamque tenentes, quod tu a Deo tibi concessa industria eisdem Regi, & regno illiusque archiepiscopis, episcopis, ducibus, baronibus, aliisque regnicolis prædictis valde perutilis eris, & etiam fructuosus, matura deliberatione cum eisdem fratribus præhabita, fraternitatem eamdem de fratrum eorumdem consilio unanimi ad dictum Jacobum Regem illustrem, illiusque regni provincias, civitates, villas, & dominia pro pace, & quiete Regis, & regnicolarum prædictorum nostrum, & Apostolicæ sedis commissarium & oratorem cum plena potestate legati de latere præsentialiter duximus destinandum, Et ut in præmissis per te exequendis dirigendis, & sedandis negotiis optima adsit facultas tibi per te, vel alium, seu alios præmissa omnia, & singula, prout superius enarrantur, ac literas hujusmodi, ne de ipsorum aliquo valeat aliquis ignorantiam allegare, in aliqua, quam malueris, cathedrali ecclesia dicti regni authoritate apostolica vice nostra publicandi, intimandi, insinuandi, & notificandi, nec non pœnas prædictas, & earum quamlibet, prout melius in Domino expediens fraternitati tuæ videbitur, mutandi, moderandi, augendi, & corrigendi, ac in quibuscumque articulis præmissis aliter statuendi, & ordinandi, deformata reformandi, indirecta dirigendi, & nihilominus contradictores quoslibet, & rebelles per prædictas, & alias censuras, & pœnas ecclesiasticas, & quacumque alia juris, & justitiæ remedia dicta authoritate compellendi, omniaque alia in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, & exequendi, quibuslibet privilegiis, indultis, exemptionibus, & literis apostolicis generalibus, vel specialibus, sub quacumque verborum forma, vel expressione concessis, quæ nulla cujuscumque dignitatis, status, gradus, præeminentiæ, vel ordinis existant in hac parte volumus suffragari, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, plenam & liberam authoritate apostolica tenore præsentium concedimus facultatem pariter, & authoritatem. Nos enim ex nunc prout ex tunc omnes, & singulas sententias, censuras, & pœnas, quas rite tuleris in contradictores quoslibet, & rebelles, nec non quæcumque omnia, & singula, quæ per te in præmissis, & circa, & ab eorum quolibet, & alias ultra facultatem tibi concessam, super quibus tibi plenarie committimus vices nostras, fieri & exequi contingeret, ratas & rata, atque gratas, & grata habebimus, ac faciemus ex eorumdem fratrum unanimi assensu, ac si consistorialiter factæ, & facta forent, Deo propitio authore, inviolabiliter observari, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis nec non privilegiis, indultis, concessionibus, & literis tam Regi quam archiepiscopis, episcopis, prælatis, ducibus, baronibus, dominis, communitatibus, universitatibus, & aliis personis per sedem Apostolicam, vel alias sub quibusvis formis, & expressionibus verborum, etiam motu, & scientia similibus hactenus concessis, & in posterum concedendis, quæ etiam eis, quo ad hoc, prout supra, in aliquo nolumus suffragari, cæterisque contrariis quibuscumque, aut si Regi, archiepiscopis, episcopis, prælatis, ducibus, baronibus, dominis temporalibus, communitatibus, universitatibus, aliisque regnicolis prædictis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; & insuper ex nunc irritum decernimus, & inane si secus super iis a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCDLXXXV. non. augusti pontificatus nostri anno 1.*

Missus pro afferenda concordia internuntius.

Amplissima potestate instructus.

In

In Germania inferiori gravissimi tumultus hoc tempore fuere concitati, cum Ludovicus episcopus Leodiensis ab adversariis, quorum odia contraxerat, cæsus fuisset; atque civilis inde dissensio conflata esset, in qua sceleris authores contrucidati fuere; serpenteque latius belli incendio, gravissima calamitas provinciæ impendebat, cum Innocentius Leodiensis ecclesiæ & clientum populorum misertus internuntium decrevit Philippum præpositum Argentinensem nobilissima Clivensium ducum prosapia satum, ut ad dissidentes inter se conciliandos incumberet.

Decernitur internuntius ad Leodienses.

*Dilecto filio magistro Philippo ex ducibus Clivensibus præposito ecclesiæ Argentinensis notario nostro, & ad dominia & diœcesim Leodiensem ac dominia nobilium ducum Clivensium sedis Apostolicæ nuntio & commissario salutem, &c.*

Ludovicus episc. Leod. occisus.

*Sicut jam dudum nobis innotuit post obitum bonæ memoriæ Ludovici episcopi Leodiensis, qui a nonnullis iniquitatis filiis, & perditionis alumnis inhumaniter interfectus erat in civitate, & diœcesi Leodiensi, occasione obitus dicti episcopi, nec non nonnullorum ex eis postmodum sicut justitia divina permisit, suis exigentibus demeritis interfectorum quamplurima damna, homicidia, sacrilegia, excessus, & depopulationes ecclesiarum, ac ecclesiasticorum locorum prophanationes, devastationes, & ruinæ, ac totius illius patriæ destructio, proh dolor! sequuta fuerunt, nec adhuc cessarunt; quinimmo continue magis, & magis invalescunt, etiam tot annis viguerunt, ut nisi de celeri remedio provideatur sit brevi de majoribus periculis, & scandalis, & totali desolatione Leodiensis ecclesiæ verisimiliter formidandum, quæ omnia cum in divinæ maiestatis offensam, ecclesiasticæ libertatis præjudicium, & authoritatis Apostolicæ contemptum, ac perniciosum exemplum, & scandalum plurimorum tendant, non possumus ulterius sub dissimulatione præterire, nec absque maxima animi amaritudine reminisci. Et cum ad nos super iis spectet providere, & cognoscamus te pluribus respectibus nobis notis, & præsertim ob tui præclari generis nobilitatem, ac in partibus illis potentiam & quia etiam utrique partium necessitudine conjunctus existis, ad providendum in præmissis admodum aptum, & idoneum, ad te direximus oculos nostræ mentis, &c.* (Amplissimis internuntium mandatis instruit Pontifex, ut dissidentibus inducias imperet, de pace colloquia ineat, censuris adversantes compescat, dirimat lites, jura pristina ecclesiæ restituat, ac si opus sit, pontificio nomine Maximiliani archiducis Austriæ opem imploret).

Sequuta inde bella.

Leodiensis ecclesia misere laniata.

Creatus internuntius pro adducenda pace.

*Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCCLXXXVII. pridie Kalend. julii pontificatus nostri anno III.*

LII. Hoc anno Henricus Richemundiæ comes in Britannia minori exul nullis fretus opibus ingentis flagitii commissi a Richardo Rege, a quo fratris filios interfectos fuisse vidimus odio, occultoque (*a*) matris & vitrici propinquis excitus accepto a Galliarum Rege auxiliari exercitu exiguo, in Walliam trajecit concurrentibus ad eum Anglis: quem in littus ascensione facta crucem in arena digito effinxisse tradunt (*b*), libatoque illi pio osculo, Davidica illa verba repetiisse; *Discerne Deus causam meam.* Commissa autem cum Richardo pugna illum divino humanoque patrocinio destitutum vicit, ferroque confecit regia corona redimitum, quippe cum victoriam ad hostem inclinare videret, ea ambitione æstuavit (*c*), ut corona cinctus occumberet; ita qui eam nepotum sanguine tinxerat, etiam suo, miser cruentavit. Victorem vero universa Anglia tyrannide liberata Regem salutavit. Partam hanc victoriam XI. Kalendas septembris anni sequentis refert, Polydorus Virgilius (*d*), additque (*e*) illum omnibus hostibus, qui dierum quadraginta flexu in fidem ejus, ac potestatem venirent, pepercisse regio diplomate; quo promulgato plures proceres Richardi partes antea secuti mox ipsi adhæserint. Verum hujusmodi rerum Anglicarum conversionem hoc anno contigisse patet ex literis (*f*) pontificiis proximo ad Henricum datis, quibus illum Innocentius explicitæ in hostes clementiæ laude decoravit, atque episcopum Dunelmensem, qui pro Richardo legationis munere functus fuerat, commendavit.

Henricus Richem. Angliæ potitus.

(*a*) *Cominæus l. 5. c. ult. Volat. l. 3. p. 78. Polyd. Virgil. l. 25. Surit. l. 20. c. 64. Harpsfeld. hist. eccl. Angl. sect. 15. c. 7. Marian. l. 25. c. 17.*
(*b*) *Harpsfeld. ubi sup. 1486. 1. kal. septemb. 15. Volat. ubi sup.*

Richardus tyrannidis pœnas dat.

(*d*) *Polyd. Virg. l. 25. in fine.*
(*e*) *Id. l. 26.*

(*f*) *L. 2. brev. p. 170.*

Henric. VII. a Clementia regnum auspicatus.

*Regi Angliæ.*

LIII. *Ex literis tuæ majestatis nuper accepimus, te eos, qui fidem adversario tuo, quamdiu regnum istud tuum Angliæ occupaverat servaverint, ejusque partes secuti fuerint, modo resipiscant tandem, atque ab errore desistant, non solum odio aut indignatione non prosequi, verum etiam velle, & de eorum erga te fidelitate confidere, & ipsos tibi etiam charos habere. Delectamur, charissime fili, non modo aliorum fide dignorum testimonio, qui tuas apud nos laudes prædicant, sed tuis etiam literis intelligere, quam sis facilis in parcendo, pius atque misericors: id enim majestatem tuam maxime decet, sapientissimo Rege dicente:* Misericordia & veritas custodivit Regem, & roboratur clementia thronus ejus.

Gratulatoriæ ad eum Innoc. lit.

*Subjungis etiam te venerabilem fratrem Joan-*

*Joannem Dunelmensem episcopum, qui aliquantulo tempore præfati adversarii tui fidelis [ ut esse solet ] iis, qui de se confidunt precator oratorque fuit, gratia ac favoribus prosequi. Tuam magnopere celsitudinem collaudamus: est enim ille, ut verbis tuis utamur, doctrinæ vir, vitæque quantum accepimus integerrimæ, & cujus fama, hic scimus, & in Anglia ita credimus celeberrima est, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum die* XXIX. *martii MCDLXXXVI, pontificatus nostri anno* II.

LIV. De Leopoldo sanctis adscribendo actum.

Hoc anno ineunte, die epiphaniæ sacro, solemni ritu consecrata ast ab Innocentio memoria Leopoldi, ob relicta sanctitatis exempla Pii nuncupati, olim Marchionis Austriæ, qui in cœlum migraverat anno Christianæ salutis MCXXXI. de quo in sanctorum numerum referendo jam ante Pontifices sacram actionem internuntiis ea de causa in Germaniam missis, instituerant, quæ a Sixto IV. repetita promotaque est opera Cardinalis S. Marci, cui in Pannonias legato vitam Leopoldi, mores, ac miracula inspiciendi discutiendique provincia data est. Adhibiti demum Rodericus Portuensis episcopus S. R. E. Vicecancellarius, Marcus episcopus Prænestinus, Franciscus S. Eustachii diaconus, ut B. Leopoldi gesta dictaque testium in disquisitionem vocarent: quo sacro judiciario ordine servato, Innocentius de more Cardinalium episcoporum, ac præsulum cœtus percelebres vergente superiori anno coegerat, ut ab iis consilium exquireret, an Leopoldo sanctorum honores decernendi viderentur: habitaque propterea est oratio a Francisco Patavo causarum consistorialium actore ex publicis actis coram prædictis Cardinalibus, qui religiosæ actioni præfecti fuerant, productis decerpta, in qua celebratæ laudes divinæ majestatis, quæ Leopoldum inter sæculi, conjugis, & liberorum curas tantis gratiæ & sanctitatis ornamentis cumulasset: (a) *Alios*, inquit, *ad beatam vitam liberius evexit solitudo, atque ab humanis negotiis separatio, remotaque vita, & a sæculi curis penitus expedita: unum hunc, inter paucissimos mortales, humanis implicitum rebus humana contempsisse, & inter ipsarum humanarum rerum impedimenta semper divinis inhæsisse constat: rarum profecto, & memorabile sanctitatis exemplum, qui dum in cœtu vixerit, humanarum minime curarum expers, inter divina adeo sit versatus, quod non nisi arbitrandum sit ipsum cœlestem gloriam consecutum: & cum hic maxime status ea vitæ conditio distrahere soleat, in eo potissimum sanctitas quæsita, & inventa sit: nam & si plurima sit dignum laude, tamen perdifficile majores nostri indicarunt, in magna videlicet peccandi licentia juste vixisse. Accedit & rei uxoriæ & liberorum cura, quod quidem ut cum Apostolo dicam a cœlestium cogitatione maxime dividit.*

(a) *MS. arch. Vat. sig. n.* 111. *Burchard. in diariis msf. arch. Vat. sig. n.* 320. *Franc. Patavin. in ejus oratione. Jo Franc. de Papiis. Baron. in not. ad martyrolog.* 15. *Novembr. Sur. to.* 6. *& alii.*

LV. In conjugali statu divinis rebus maxime addictus.

Suscepit ex conjuge Agnete Imperatoris filia virtutibus non dispare duodeviginti filios, quos veluti divinæ liberalitatis pignora dilexit, educavitque in cultu divino adeo, ut neque inter infantiæ ludibria adolescentiæve faces ulla impudicitiæ scintilla inarserit: *Hic*, inquit idem Franciscus, *ab infantia non se delitiis aut voluptatibus, quibus ætas illa permaxime irretiri solet, neque iis, quæ omnes faciunt pueri se accommodavit, aut aliqua ex parte corrupit inter regios luxus opesque innumeras, ab omnibus enim hujusmodi se abdicavit, & quod jam Dei nutu fas est credi, inter tot rerum omnium delitias sobrium, continentem, abstemium, & in carne quodammodo viventem præter carnem cerneres, & eo usque, ut qui illius temporis res gestas, & hujus incorrupti viri vitam conscribunt, qui quidem plurimi sunt dignissimi scriptores, unum hunc pleno commendant ore, admirantur, extollunt, solumque adolescentem dicunt earum rerum expertem, quas fert adolescentia. Huic non equi, non canes præcipuum fuere studium, sed divina eloquia, veræque fidei cultus assiduus, cognitioque studiosissima placuere: sæpius enim sacros codices intentum erat videre, nec a divinarum rerum contemplatione seu operatione vacuum invenire facile fuisset. Genitore vita functo regni habenis hereditario jure susceptis, populos natura feroces ea moderatione animi gubernavit, ut eis non præesse, sed prodesse curaret, & se rectorem, & exemplum ad bene beateque vivendum subditis præberet, quippe qui non eorum opibus [ ut nonnullis regnantium mos erat ] inhiaret, sed populum sibi a Deo commissum recte, quiete, sancte, ac æqua lance conservare studeret, horumque animas una cum sua innoxias, mundas, & Deo gratas reddere, bonos propositis præmiis meliores efficere, summisque honoribus afficere gauderet. In jure erga sontes administrando ita se habuit, ut nunquam misericordiæ fuerit immemor, juxta illud: Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat; ita ut scelera coerceret, a tormentis aut cæde semper abstineret, ut verus imitator Salvatoris haberetur.*

In adolescentia castitatem eximie coluit.

In principatu administrando emicuit ejus virtus.

LVI. Templum ab eo Virgini positum.

Cum ille una cum uxore Deiparæ templum, in quo divino cultui daretur opera, ponere meditaretur, deque loco ambigeret, divino miraculo accidit, ut ventus

tus

tus flammeolum Agnetis capite sublatum procul in remota loca detulerit, ac nono post anno, cum relaxandi animi gratia deambularet, super frutice in ripa Danubii illæsum illibatumque repererit, ubi veluti volente Deo nobile & opulentum templum octavo a Vienna lapide Claustriburgum nuncupatum condidit, ubi canonicos sæculares præesse sacris voluit; sed cum segnius pietati vacarent, in locum eorum alios e B. Augustini disciplina vitæ sanctimonia præditos substituit. Interjectis pluribus de fide dignissimis monumentis, quæ de sanctitate Leopoldi scripta extant, miraculorum, quæ ipsius precibus a divino Numine edita sunt, prolixum numerum affert, in veteribus quidem monumentis hæc extabant.

*Mulier quædam Charinthia immundo venata spiritu Leopoldi ope liberatur.*

Edita ejus ope miracula.

*Puer mutus novem annis ex Herzogemburga vocalis fit. Alius captus manibus, & pedibus convaluit. Presbyter Herbipolensis cæcus relictis tenebris diem vidit. Virgo icta fulmine revixit. Altera lapillo obcæcata Leopoldi tumulo porrectis precibus recuperat visum. Puer chiragra laborans, & officio manuum penitus carens ejusdem ope salutem recipit. Sic & mulier podagra uno pede, & alter duobus ejusdem ope liberi fiunt. Eques quidam gutture tumefacto ossibus crescentibus ita ejus miraculo liberatur, ut sine cicatrice, vel alio signo liber factus fuerit. Alia mulier ære alieno gravis cum a creditoribus vehementissime urgeretur destituta solvendi spe Leopoldi tumulum adiit, ibique non sine magno dolore ingemuit numini se commendans. Auditæ fuerunt preces, & vox auribus quiescentis intonuit, ut domum repeteret, & scrinium aperiret, quo inventura erat satisfactionis debiti cedulas, quod ubi invenit domos creditorum, qui & Christiani, & Judæi erant petiit, ut chartas obligationis redderent, qui responderunt se dedisse cuidam vestibus cœlestinis induto, & qui debita solverit, tunc statim exhilarata mulier apertissime intellexit Leopoldum fuisse, a quo mortales plurima miraculorum beneficia assidue accipiunt.*

Divino miraculo inops debita persolvit.

LVII. Addidit Franciscus Patavus plura alia miracula fuisse consignata publicis literis, quæ incendio cum monasterio Novumburgensi conflagrarint. Ad alia vero recentiora ob fidem, ob gravitatem, ob constantiam, ob concordiam testium, quæ accurate diligenterque discussa fuerant, & ab hominibus gravitate & integritate conspicuis comprobata, digressus est. Fuere illa centum, & nonaginta Cardinali S. Marci, tum in Germania legato, exposita testibusque confirmata: quorum præclariora percurrit, quibus varia insanabilium morborum genera, implorata B. Leopoldi ope divina vi depulsa fuerunt adeo, ut paralytici contractique membrorum usum, cœci visum, surdi auditum, muti vocem, debiles robur, discruciati doloribus valetudinem, vincti catenis libertatem, naufragi portum, leprosi ambustique carnis nitorem, parturientes deploratæ levamen, epileptici moribundi vitam receperint; tum subjungit.

Paralytici divinitus curati.

*Sed quid de morituris dicam, quando etiam defuncti vita raro mirabilique Dei optimi maximi experimento positis Leopoldo votis restituuntur?* LVIII.

*Elizabeth LXXXI. testis super XIX. articulo, quo quæritur quid de Leopoldi miraculis noscatur se vidisse affirmat, puerum super altare positum ante monumentum Leopoldi, ubi aderat magnus gentium tumultus nigrum, & omnium judicio exanguem, exanimemque, & precibus porrectis a nonnullis numini vivum vidisse hoc & alii sex ejusdem loci indigenæ addentes eum vidisse dum puteo extraheretur nigrum, ut supra, & in ecclesia etsi diversis verbis eadem tamen sententia confirmarunt, testes in hoc deposuerunt omni exceptione majores. Puer alius trimus Volsgangus nomine ejusdem loci in flumen lapsus, ubi aderant molenæ, perquisitus inventus est semotus a loco, unde ceciderat, quantum bis emissa valido arcu sagitta spatii complet, nullo vivacitatis in eo apparente signo. Mater versa ad Leopoldum benemerita nuncupatis votis restitutum puerum ad primam vitam conspexit. Historia hæc non caret testibus, nam & pueri parens Fredericus super dicto articulo se vidisse testatur, & interfuisse dum rueret, multis & clericis, & laicis videntibus, prout supra, & hæc anno milleno quadringentesimo septuagesimo septembri mense. Sic & alii duo super circumstantiis, & interrogatoriis legitima responderunt. Puer pro mortuo habitus cum ad sepulchrum B. Leopoldi delatus esset subito miraculo vitam recepit. Hoc Barbara quinquaginta annos nata fœmina gravis testatur. Alius puer trimus Fredericus nomine cum in puteum decidisset, ac per horam prope mediam mansisset sub aquis adductus e puteo frigidus, & niger, nullumque indicium vitæ toto corpore præ se ferens, tandem effusis a matre precibus ad omnipotentem Deum, beatumque Leopoldum pristinæ saluti restitutus est. Bouverser uxor Joannis, & altera uxor Laurentii Saltzburgensis diœcesis hoc fuisse, & vidisse testantur.*

Puer ad vitam revocatus.

Addita alia infantium, qui vel aquis suffocati, vel in utero materno extincti ejectique, ad vitam precibus sancti viri re- LIX.

vo-

vocati cœlesti virtute fuerunt, monumenta: ob quæ consistorialis patronus Friderici Imperatoris, & Maximiliani ejus filii, qui genus ex Leopoldo ducebant, nec non Matthiæ Regis Pannoniæ, aliorumque principum Germanorum nomine ab Innocentio flagitavit, ut Leopoldo sanctorum honor cultusque decerneretur. Habitam autem hanc orationem superiori anno XII. kal. decembris consignat Surius (*a*), qui eam tomo VI. inserit, additque editum fuisse alium librum de miraculis, & consecrata memoria S. Leopoldi a Joanne Francisco de Pavinis. Rogatis autem a Pontifice Cardinalium, episcoporum, aliorumque præsulum sententiis, sancitum est Leopoldum in sanctorum ordinem ritu solemni ascribendum.

(*a*) *Sur. to. 6. 15. novemb.*

Discussa summa maturitate sancti miracula.

LX. Promulgatum itaque ab Innocentio est insigne diploma (*b*) de sanctorum honoribus B. Leopoldo duci, qui ob singularem in Romanum Pontificem observantiam peculiaris sancti Petri filius dici erat solitus ab Innocentio II. decretis, deque miraculis illius precibus divinitus editis, cujus diplomatis extremam tantum partem subiicimus, cum typis sit excusum.

(*b*) *Ext. in bull. in Innoc. VIII. const. 19. ext. apud Bellar. l. 3. de offic. principis Christiani.*

*Innocentius, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

Diploma promulgatum ab Innoc.

*Inter alia saluberrima sanctitatis exempla divina misericordia sydus quoddam mundo fulgere dedit beatum Leopoldum Austriæ principem, pium marchionem cognomento appellatum, innocentiæ, sapientiæ, & justitiæ vestimentis, quibus vestiri Ecclesiam prædiximus, decorum bonitate, mansuetudine atque clementia conspicuum, simplicitate, continentia & munificentia præclarum, cujus integritas vitæ sanctimonia, humilitas, pietas, fides adeo apud Christi fideles invaluerunt, ut una omnium Christianorum voce pro sancto hactenus celebratus fuerit, Christianæ religionis cultum, & ejus liberalitatem nonnulla monasteria & quidem celeberrima ab eo cum amplissimis censibus constructa, alia etiam magno sumptu illustrata abunde testantur. Hic princeps optimus sacerdotes & viros religiosos admodum coluit, summosque Pontifices tanta veneratione prosequutus fuit, ut ab Innocentio II. Romano Pontifice prædecessore nostro peculiaris S. Petri filius appellaretur, & Apostolica commendatione, atque ea plenaria, quam vulgo dicunt, absolutione dignus ab eodem Innocentio etiam mortuus judicatus fuerit. Hic vir Dei in summis opibus educatus, in magna peccandi licentia constitutus, conjugalibus curis implicitus, principatus regimine impeditus, sedulo tamen pietatis & misericordiæ munera subibat, lassos roborans, vacillantes confirmans, oppressos sublevans, inopes fovens, inter curas domus, inter conjugales anxietates; inter affectus pignorum, inter multiplices principatus solicitudines, inter studia tot laborum immaculatum sese ab hoc sæculo custodivit, & temporalia tractando æterna disposuit: quadraginta annis principatum Austriæ regens, & quod majus est, illis præcipue temporibus, quibus propter Henricorum patris & filii mutuas concertationes, & postea propter Henrici IV. cum Lothario acerrimas contentiones in Germania bellis, incendiis, & agrorum vastationibus tumultuatum est. Summa cum justitia, humilitate & tranquillitate cuncta administravit, aliis cæde & sanguine madentibus: creditam sibi Austriæ provinciam in diuturna pace continuit, quibus eu meritis æternæ retributionis & pacis præmia a Deo optimo Maximo, qui centuplicato fœnore munera hominum pensat, est consequutus. Prætendant nunc hujus sæculi amatores ad peccata excusanda conjugales, familiares, civiles, seu regalis solii molestias, sæculi illecebras aut tentationes, Leopoldi exemplo divina eos providentia circumscripsit, excusationes omnes circumvenit, aditum humanæ tergiversationis conclusit, & quasi aranearum telas commenta humanæ fragilitatis disrupit: a Deo creati & redempti Deum debitis honoribus non colimus, & quod ex intimis referimus, illum non tantum negligimus, sed blasphemamus sæpenumero. Adhibita sunt præcepta, divinæ, & humanæ legis præceptis obtemperare tergiversamur: addita sunt cœlestis præmia gloriæ, indicta pœnarum diversa genera, censura correctionis inventa, ab illis faciem quasi rebelles avertimus: sanctorum varia exempla ante oculos nostros proposita, ipsa quoque imitari contumaciter recusamus, imbecillitatem nostram, sæculi solicitudines, cum de salute nostra agitur, causamur, Leopoldi nobilis principis conjugati, ac multorum filiorum, ac subditorum cura irretiti, clarissimo exemplo admonemur, ut omni excusatione semota per hæc temporalia ita caute ambulemus, ita sancte nos exerceamus, ut æterna non amittamus, allecti spe momentaneæ hujus prosperitatis perpetuitate gloriæ cœlestis non fraudemur, sed mundi molestias, illecebras, aut dignitates contemnendo ad cœlestem patriam totis viribus contendamus. Hujus beati Leopoldi sanctimoniam Deus omnipotens innumerabilibus miraculis ad ejus invocationem editis comprobavit. Miraculis profecto, quæ tum in factis substantia, tum & ordine vim & potestatem totius naturæ excesserunt. Quis enim non miretur cum audiat per Dei misericordiam, implorato Leopoldi auxilio, paralyticos, artheticos, febricitantem, podagra laborantem pristinæ*

Ut Austriam B. Leopoldus in pace continuerit.

Ingrata humana mens in conditorem suum.

Quanta miraculorum genera per B. Leopoldum edita.

*vale-*

*valetudini illico restitutos? quis non magnalia Dei in hoc sancto agnoscat cum videat intercessionibus ejus claudos recte ambulasse, apostematibus mortiferis infectos liberatos, in carceribus constitutum pedicis manicisque vinctum per foramen, unde impossibilis hominis exitus erat, eductum evasisse, in variis vitæ periculis positos illæsos servatos esse, quis non tota mente obstupescat, & Deo optimo maximoque præconia manifesta dicat, cum liquido deprehendat meritis, ac precibus hujus sancti viri mortuos suscitatos, mutos loquendi facultatem adeptos, cæcos illuminatos, surdis auditum restitutum esse? mauima suut hæc sanctitatis, & divinæ approbationis signa humanam expectationem, ac spem excedentia, & tamen clarissimis documentis comprobata sunt. Quinimmo ab anno Christi millesimo centesimo trigesimo sexto, quo Leopoldus vita functus eu terris ad cœlestem Jerusalem transivit, in nostra usque tempora, & præseutem diem magis atque magis manifesta mira de illo ex mentibus hominum, in Austria præcipue & per omnem Danubii ripam, devotio cœlitus infunditur: incredibile dictu quanta cum veneratione ejus corpus, quod in monasterio semper virginis & matris Dei Mariæ ab eo condito in loco, quod novum Claustroburgum appellatur Pataviensis diœceseos sepultum est, a Christifidelibus visitetur, quibus votis celebretur pia ejus memoria. Memoratu difficile esset quot & quanta tabellis, & imaginibus illi dicatis exornetur, quanta luminarium copia perlustretur. Procumbit supplex ante tumulum languentium, & rogantium turba, opem Leopoldi implorans, nec expectatione irrita discedit. Hujus veneratione, & permultorum populorum salute Rodulphus Austriæ dux impulsus est, ut Innocentio VI. huic S. sedi ea tempestate præsidenti, supplicaret, quatenus Leopoldum sanctorum catalogo adscribere dignaretur, qui re perspecta quam sapientissime de vita, & miraculis, ac fama ejusdem Leopoldi ea more institutoque majorum cum consilio sacri senatus inquisitionem tunc archiepiscopo Pragensi, & aliis collegis delegavit. Verum, cum ea de re agi cœptum esset, morte Innocentii, surgentibusque inter Australes & Pannonios diversis turbinibus, immensisque procellis in ecclesia Dei exortis, usque ad tempora Pauli II. prædecessoris nostri inquisitio intermissa est. Charissimo autem in Christo filio Friderico Romanorum Imperatore augusto, prælatis, & principibus Germaniæ apud eundem Paulum multis precibus tam sancti viri canonizationem absolvi petentibus, tribus sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus de fratrum suorum consilio de-*

Apud quos Pontifices excussa sit de illius sanctitate actio.

*mandatum est a Pontifice præfato, ut solemnem inquisitionem ea de re adhiberent, & processus consuetos tum per se tum per subdelegatos facerent, quod magna eu parte confectum erat, cum evocato ad Dominum Paulo sanctæ memoriæ Siutus IV. prædecessor noster in hac sancta sede divina providentia constitutus est. Iterandas ergo preces, & vehementius agendum apud Sixtum Imperator, prælati ac principes prædicti duxerunt, ut tam sanctum opus canonizationis cœpta perficeret. Is ut certiori fide, quæ de miraculis, & vita Leopoldi asserebantur, perciperet, venerabili fratri nostro Marco episcopo Prænestinensi tunc tit. S. Marci presbytero Cardinali, & in Germania legato, ut præmissa percunctaretur injunxit, qui locupletissimam de illis omnibus relationem, per publica acta, & legitimos processus eidem attulit. Dehinc processibus, & actis publicis magna cum diligentia per venerabiles episcopum Portuensem Marcum prædictum, Prænestinensem illo tempore episcopum assumptum, ac Franciscum S. Eustachii, diaconum Cardinalem commissarios discussis, privata primo relatione eidem Siato facta, postmodum in sacro senatu referente prædicto venerabili fratre episcopo Portuensi, dilucide re euaminata, & ex illorum sententia canonizatione conclusa, sicut Domino placuit, Sixto vita functo, nobis, qui eidem in onere, & honore per divinam misericordiam, licet indigni, successimus, reservatum est, ut supremam manum tam sanctæ approbationi apponeremus. Consilio itaque habito rursus venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in publica concione omnia, prout gesta erant, Leopoldique vitam, miracula, & reliqua merita per advocatum consistorialem proponi curavimus. Demum vocatis omnibus, qui in Romana curia degunt prælatis, in frequenti eorum consessu, assistentibus nobis eisdem venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus, singulorum vota prælatorum scrutati sumus, quibus Spiritus Sancti gratia cooperante manibus pedibusque, ut ajunt, in eam sententiam devenientibus, quod Leopoldus merito sanctus a nobis canonizandus esset; hunc in locum, & publicum suggestum hac ipsa die conscendere decernimus, ut opitulante Domino, votis precibusque fidelium adjuvantibus, ipsum Leopoldum sanctum definiremus, & pro sancto venerari debere ab universis, & singulis Christianis mandaremus, sicque hodie sermone per nos habito, re divina peracta, & reliquis solemnitatibus adhibitis, ad hanc sanctissimam canonizationem procedendum duximus. Cum autem verbo sapientiæ Dominus affirmet homini,*

Promota apud Sixtum IV.

*qui cum laudaverit, & dilexerit Deum, qui fecit illum, quod in medio populi sui exaltabitur, in plenitudine sancta admirabitur, in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur; mirumque in modum Leopoldus in medio populorum exaltatus sit, plenitudine cælestis gratiæ admirabilis refulgeat, restat, ut nostra approbatione inter electos, & sanctos Dei laudetur, inter benedictos benedicatur, quæ illi abunde impartiemur, si eum inter sanctos Ecclesiæ annumerandum, pro sancto venerandum, atque publicis, & solemnibus supplicationibus votisque in missarum celebrationibus, aliisque divinis officiis invocandum apostolica auctoritate judicaverimus. Ad laudem æterni Dei individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ad fidei catholicæ robur, & ornamentum, ad religionis Christianæ cultum augendum, auctoritate domini nostri Jesu Christi, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum, & nostra de venerabilium fratrum nostrorum consilio statuimus, definimus, & pronuntiamus sanctum Leopoldum Austriæ marchionem sanctorum catalogo adscribendum, & publica veneratione pro sancto observandum, sicut & nos illum in præsentiarum manifesta voce sanctorum catalogo annectimus, ac confessorum numero adjungimus, publice sanctum definimus, profitemur, & veneramur, statuentes festum ejusdem die* XVII. *kal. decembris debere celebrari, & ipso festo ejus sepulchrum, quod in prædicto monasterio existit, visitantibus, & pro manutentione dicti monasterii manus porrigentibus adjutrices, septem annos, & totidem quadragenas indulgentiæ in forma Ecclesiæ misericorditer perpetuis temporibus concedimus. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ M-CCCCLXXXV. pontificatus nostri anno* I.

Decretoria de Sanctorum cultu exhibendo B. Leopold. sententia.

Actum est proximo anno de sacris B. Leopoldi reliquiis in locum honorificentiorem transferendis, atque ab Innocentio postulata potestas, quam hoc diplomate concessit (*a*).

(*a*) *L.* 2. *brev. p.* 236.

*Præposito & conventui monasterii claustri Nuemburgensis ordinis S. Augustini Pataviensis diœcesis.*

*Dilecti filii salutem, &c. Desideratis, ut accepimus, corpus S. Leopoldi in sanctorum numerum in primordio assumptionis nostræ per nos relati ad honorabiliorem locum pro vestra, & populi devotione transferre, cui desiderio, utpote pio, & laudabili paterne annuentes supplicationibusque vestro nomine nobis porrectis inclinati tenore præsentium licentiam vobis Apostolica auctoritate concedimus, ut corpus ipsum e loco, ubi nunc est, exhumare, & ad principalem ecclesiam, seu alium vestri monasterii decentiorem locum transferre, adhibitis solemnitatibus, & cerimoniis requisitis, libere, & licite valeatis, &c. Dat. Romæ die* IX. *martii MCCCC-LXXXVI. pontificatus nostri anno* II. Hactenus de B. Leopoldo, cujus gloria flexu temporum magis propagata est.

Transferendarum B. Leopoldi reliquiarum data mandata.

LXI. Efflorescebat quoque tum in Suecia B. Catharinæ filiæ S. Birgittæ sanctitatis fama, ac plures illius precibus cœlestes virtutes editæ circumferebantur: quibus permoti Jacobus archiepiscopus Upsalensis, aliique Sueciæ antistites una cum Joanne Daniæ, Norvegiæ, & Sueciæ Rege ab Innocentio postularunt, ut ipsam sanctis Virginibus annumeraret: at Innocentius extrahendam in aliud tempus religiosam eam actionem, summaque consilii maturitate expendendam archiepiscopo Upsalensi rescripsit (*b*): tum eum hortari jussit, Joannem Regem Daniæ ut Joannem Basilium Moscoviæ ducem Sueciam infestantem bello peteret.

B. Catharina Sueca clara miraculis.

(*b*) *L.* 1. *brev. p.* 322.

*Jacobo episcopo Upsalensi.*

*Venerabilis frater salutem, &c. Accepimus litteras tuas, & aliorum super canonizatione B. Catherinæ natæ S. Birgittæ de Suecia, quam & regia majestas, & prælati regnorum Daciæ, Sueciæ, & Norvegiæ fieri cuperent. Satisfaceremus libenter tam pio desiderio Regis ipsius, & aliorum, nisi nos respectus alterius nuper factæ canonizationis de sancto Leopoldo teneret. Nam cum res hæc magni sit momenti, non nisi rarissime fieri consuevit: aliter tantum mysterium quantum illud est vilesceret. Præterea variis in his nostri pontificatus primordiis curis, & negotiis impedimur: unde fit, ut pro nunc commode intendere hujusmodi canonizationi non valeamus; tempore procedente, & data meliori occasione studebimus quantum cum Deo licebit præfato Regi, & nationibus istis satisfacere. Interim hortaberis nostro nomine regiam majestatem, & alios, ut consilium per eos initum de pugnando contra Ruthenos, & infideles pro Dei gloria, & Christifidelium defensione magno animo prosequantur, nam & ab ipso Deo præmium poterunt expectare, & magnam apud omnes commendationem. Præterea etiam nobis & aliis meliorem dabit occasionem ad complacendum ei de canonizatione ipsa. Hanc nostram bonam dispositionem, & paternam admonitionem poteris & ipsi Regi, & cæteris notam facere. Dat. Romæ die* XI. *februarii MCCCCLXXXV. pontificatus nostri anno* I.

De ea inter sanctas virgines referenda actum.

LXII. Hoc anno cum veteres inter parochos, & religiosos ordines recrudescerent discordiæ de sepulturis & sacramentorum admi-

ministratione, Innocentius sancita a Sixto confirmavit (a).

(a) *Innoc. VIII. bul. an. 1. to. 1. sign. recent. n. 1918. p. 266.*

Orta lis inter clerum & Monach.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Dudum felicis recordationis Sixtus Papa IV. prædecessor noster cum intellexisset ab oratoribus per clerum nationis Germaniæ ad ipsum prædecessorem destinatis, quæ inter eos, & mendicantium ordinum professores controversia foret super solutione decimarum, a qua mendicantes præfati se penitus dicebant fore exemptos, & delatione corporum decedentium ad eorum parrochiales ecclesias pro ultimo, ut vulgo dicitur, vale, priusquam ad ecclesias mendicantium tumulanda deferantur, & super Eucharistiæ, ac extremæ unctionis sacramentis, quæ mendicantes ipsi ministrare dicebant illis, quorum confessiones audivissent, dum & quoties parochialium ecclesiarum rectores illa propterea ministrare denegarent eisdem, idem prædecessor nonnullis sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus commisit, ut quæ oratores præfati, ac dictorum ordinum in Romana curia procuratores super præmissis ad jurium eorumdem hinc inde corroborationem allegare volebant, diligenter audirent, eaque eidem prædecessori referrent. Cumque Cardinales præfati ejusdem prædecessoris parendo mandatis omnia, quæ hinc inde allegabantur iteratis vicibus intellexissent, & intellecta eidem prædecessori fideliter retulissent, idem prædecessor volens his controversiis finem imponere, vivæ vocis oraculo præsentibus omnibus, & procuratoribus præfatis declaravit, mendicantes præfatos quoad decimas prædictas remanere in eo statu, in quo tempore prædecessorum suorum Romanorum Pontificum fuerant, & contentos esse debere eo jure, quod in hujusmodi decimis habuerant: in sepulturis vero, & ultimo vale consuetudinem ubi illa vigeret stare, & observari debere, videlicet, quod corpora ad parochiales ecclesias deferrentur, & alia consueta servarentur; ita tamen, quod spoliatio corporum, extorsiones, & pacta illicita, & jure reprobata, ob quæ super hoc discordia orta esse dicebatur, penitus cessarent sub excommunicationis latæ sententiæ pœna: quoad vero administrationem sacramentorum prædictorum voluit, quod rectores parochialium ecclesiarum illa ministrare negantes easdem excommunicationis sententiam, & pœnam incurrerent, quam de jure incurrebant mendicantes præfati illa ministrantes in casibus eis non permissis, sicque voluit, & mandavit perpetuo de cætero observari, &c.* Confirmata hæc ab Innocentio fuere, nec non conventa, quæ Hamburgenses magistratus inter clerum, ac religiosos viros pacis studio sanxerant. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ MCCCCLXXXIV. IV. non. martii pontificatus nostri anno 1.*

Lata a Sixto sententia decretoria.

I. ARdente circa urbem bello excurrentis sæculi octogesimo sexto anno, indictione quarta, Innocentius cum se periculis cinctum Virginii Ursini perduellione, assiduisque grassationibus videret, non expectato auxiliari Gallorum exercitu, pacem Italiæ reposuit, confectis cum Ferdinando Rege Neapolitano æquis pactionibus; si quæ tamen justæ cum infido principe promissa violaturo, oppressuroque Romanæ ecclesiæ fœderatos, mox atque sævire posset, fieri potuerunt. Promota ea concordia fuit a Ferdinando Siciliæ ulterioris, & Aragoniæ & Castellæ Rege, metuente ne, Gallis ad Neapolitanum solium evocatis, adjungendi aliquando Aragonio Neapolitani regni spes evanesceret; tum ne novis iis rerum conversionibus veteres de Siciliæ insula, Apulo sceptro conjungenda, controversiæ reviviscerent. Motus itaque commodo tum privatæ rei, tum etiam publicæ, ne scilicet intestino hoc ardente bello susceptum ab eo Mauricum consenesceret, vel ne Bajazethes Turcarum princeps Italiam Christianis laniatam armis, exhaustamque viribus tumultuario impetu invaderet, Ovetensem episcopum & Franciscum e Royas oratores misit, pollicitus se Tendillæ comitem legaturum, rerum gerendarum peritia insignem, ad componendas omnes lites, quæ Pontificem inter & Neapolitanum Regem intercedebant. Excepit eos honorifice Innocentius respondit que (a) Ferdinando & Elizabeth, se necessitate ductum arma regno Neapolitano injecisse, ut ex publicis edictis a Joanne Balva Cardinale Andegavensi transmissis constabat, nec pacis æquas rationes unquam rejecturum.

Promota inter Neap. & Pont. concordia ab Hisp.

(a) L. 2. brev. p. 178.

*Regibus Hispaniarum.*

II. *Laudamus in primis piam mentem vestram & bonam dispositionem erga nos & sanctam Apostolicam sedem. De causis vero, & rationibus, quæ nos ad suscipiendum hoc bellum necessario impulerunt, majestates vestræ ex exemplo bullæ, de consilio, & assensu venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium editæ, per Cardinalem Andegavensem transmisso edoceri potuerunt, quæ tales, & tantæ sunt, ut mirum cuiquam videri non debeat, si ad id descendimus. Consilia, & exhortationes vestræ ad pacem placent nobis, nihil enim magis desideramus, quam pacem, & quietem Christianorum omnium: quod si Neapolitanus Rex, quod ad se spectat, & facere debet egerit, non inveniet nos ab æquitate alienos, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum die x. februarii MCCCCLXXXVI. pontificatus nostri anno II.*

Exposita Hispano suscepti Neap. belli causa.

Si Neapolitanus redeat ad officium omnia compositum iri.

III. Roganti etiam duci Britanniæ Pontificem, ut pacem cum Ferdinando Neapolitano redintegraret, exposuit, Ferdinandum nullis apostolicis monitis ad æquitatem flecti potuisse, regnique proceres ob sævam ejus tyrannidem in tantam desperationem venisse, ut nisi ab Apostolica sede excepti fuissent ad Turcarum tyrannum defectionem molituri essent. Ex quo non impetu, sed justitiæ, & religionis causa susceptum in Ferdinandum bellum constat: *Spretis*, inquit (b), *monitis nostris, in pertinacia perseverans ad eam desperationem barones suos adduxit, ut ad nos suppliciter confugientes, se externa atque etiam infidelium auxilia petituros ostenderint, si a nobis denegata fuissent.* Nonnullis interjectis de illius immanitate in persequenda Romana ecclesia, subiicit: *Ut cætera omittamus, ut urbem hanc magis affligeret, subditos ac stipendiarios nostros sibi copulavit, quibus ministris, & urbem incendere, cives trucidare, domos diripere, in corpora libera sævire posset. Dat. ult. februarii MCDLXXXVI.*

Si suscepti in clientelam non fuissent Neapolitani defecturi erant ad Turcam.

(b) Ib. p. 208.

Seva Ferdinandi de Urbe perdenda consilia.

IV. Coactum fuisse Innocentium ad suscipiendum Neapolitanorum patrocinium adversus Ferdinandum, cum ob immanem illius tyrannidem in desperationem adducti proceres defectionem, ut dicebamus ad Bajazethem Turcarum Imperatorem agitarent, iterum confirmat Innocentius in diplomate (c), quo Thomam episcopum Cerviensem internuntium amplissima authoritate ad sedandos concitatos motus instruxit: atque inter alia mandata dedit, (d) ut cum plures præsules sui immemores officii Ferdinando adversus pontificias partes adhæsissent, eorum vectigalia ecclesiastica interciperet in iis terris, quarum reguli nomen pontificium tuerentur. Tum duobus Cardinalibus provinciam imposuit (e), ut clientum adversus Ferdinandum querulas criminationes exciperent, levandisque oneribus acerbioribus idonea remedia adhiberent. Tum exercitum ecclesiasticum comparatum misit ad Turcas exscensione in littus prohibendos, atque ad auxiliares Helvetiorum Germanorumque copias conscribendas Simonem Tassinum clericum Ferrariensem Apostolicæ sedis notarium in Germaniam decrevit.

(c) Lib. sign. n. 1909. p. 144.

Cerviensis episcopus missus in regnum Neap.

(d) Ib. p. 121.

(e) Ibid. p. 191.

Decreti duo Card. pro audiendis criminationibus in Ferdin.

V. Significavit præterea Innocentius Friderico Imperatori, uti necessitate ad capienda

Missus exercitus in Regn. Neap. Romanus ager cædibus & raptuis fœdatur.

anda in Neapolitanum Regem arma adactus fuisset, uti Virginius Ursinus ab eo subornatus omnia circa urbem loca cædibus, ac rapinis misceret; uti dux Mediolanensis, ae Florentini in ecclesiam junxissent arma; uti denique Christifideles ad lustranda Apostolorum limina confluentes spoliarentur: ad quas propulsandas injurias Fridericum, ut laboranti ecclesiæ opem ferret, est adhortatus (*a*). Conceptæ sunt iisdem ferme verbis ad septemviros imperii principes, tum ad antistites Germaniæ, nec non ad Helvetios fœderatosque populos, quorum extat catalogus (*b*), tum ad Renatum ducem Lotharingiæ. Hunc vero cum amplissima jura ad Neapolitanum regnum, obtineret (quippe qui ex Jolanta filia Joannis olim ducis Calabriæ, quem cum Ferdinando bellum grave vidimus Renato seniori Regi Neapolitano Joannis parenti) genus referret, ad avitum solium evehere in animum induxit (*c*), ratus nimirum Italiam stante Ferdinando nunquam pacatam futuram, cum ille assidua bella sereret: atque adeo ad publicam Italiæ restituendam pacem illum regno evertendum censuit, deditqua Tarvisino episcopo mandata (*d*), ut Venetum ducem, ac senatum de fœdere postularet: *Dabis*, inquit, *operam quam conjunctissimam nobis istam rempublicam reddere, ut una mente, & animo perennem Italiæ pacem comparemus, quæ certe haberi non potest incolumi Rege Ferdinando, qui discordiarum sator, bellique Italici nutritor habetur.* Et infra: *De beneficiis per intrusos occupatis fac prudentia tua solita ita agas, ut ecclesiasticæ libertatis jura salva sint, quandoquidem nulla res nos magis offendat, quam hæc a qua conscientia nostra summopere oneratur. Dat. Rom. apud S. Petrum die* XII. *februar.* MCDLXXXVI. *pontific. nostri an.* II.

(*a*) *L. 2. brev. p.* 152.

(*b*) *Reg. post eand. ep.*

Renatus junior in Ferdin. concitatus.

(*c*) *Ib. p.* 241.

(*d*) *Ib. p.* 180.

Demandata Tarvisino episc. ea provincia.

VI. Gallorum Rex spondet Renato in Ferdin. auxilia.

Poscebat etiam Innocentius (*e*) transalpina auxilia ad prohibendas hostiles grassationes, quas Stephanus Infissura, & alius MS. Vaticani author (*f*) in suis diariis susius describunt: paratumque se exhibuit ad suscipiendam Ecclesiæ clientelam Carolus VIII. Francorum Rex, pollicitus expeditionem a Renato duce Lotharingiæ conficiendam se promoturum: qua de re Innocentius eidem Carolo grates egit (*g*). Missos porro fuisse a Carolo Rege ad Pontificem amplissimos oratores narrat Stephanus Infissura (*h*), eosque cum per Florentiam iter agerent, Laurentium Mediceum, qui Florentinos in Ferdinandi Neapolitani partes traduxerat, increpuisse, quod adversus ecclesiam Romanam Ferdinandi Regis Alfonsi nothi filii suasu arma vertissent. Virginium etiam Ursinum apud eos gesta in Pontificem excusare conatum esse: cumque ad urbem accederent, hostes in eos impetum facientes fortiter propulsasse, pluresque ex iis vinctos Romam perduxisse. At dum varia agitantur cum Gallis consilia, summa vi tum ab hoste in ditione ecclesiastica præcipueque in agro Romano, tum a Pontifice in Neapolitano regno bellum urgebatur, graves ab Ursinis veteris cum Romana ecclesia conjunctionis, & officii oblitis injurias ecclesiæ repositas conqueritur Pontifex (*i*). Ad repellendam itaque Ursinorum vim Innocentius cum exercitu egregie instructo Robertum e S. Severino immittere decrevit, ac Viterbienses cum eo arma conjungere jussit (*k*), Appulosque solicitavit, ut impigre libertatem nomenque pontificium tuerentur.

(*e*) *L. 2. brev. p.* 240.

(*f*) *Steph. Infiss. ms. arch. Vat. sig. n.* 111. *Alterius ms. anon. sign. eod. num.*

(*g*) *Eod. l. 2. brev. p.* 240.

Decreta ad Innoc. legatio a Carolo.

(*h*) *Steph. Infiss. ubi sup.*

(*i*) *Lib. sign. n.* 1909. *P. secret. p.* 209.

(*k*) *P.* 317.

VII. Pontificius exercitus in Apuliam irrumpit.

Strenue adversus Ferdinandum rem gerebat vir nobilis Petrus Guevarra, quem suas copias cum Joanne Robureo, qui in exercitu pontificio militare gerebat imperium, atque ad fœderatos principes tuendos in Apuliam irruperat, conjungere, victoriamque in trepidantem hostem urgere jussit Innocentius (*l*), ac parte alia comes Montorii & Aquilani finitimas urbes, quæ Ferdinando parebant, acri bello petiere; sed cum ad civitatem ducalem admotis castris facta hostium eruptione cladem accepissent, graves inter Aquilanos tumultus facti sunt, cum Montorii comes Ferdinandi pollicitationibus victus in regias partes inclinaret. Quo tempore Ferdinandus Gallica arma veritus, cum aperto bello succubiturum sa timeret, ad fictæ pacis ludibria confugit, adhibuitque inter alios Fundorum comitem sermonum administrum apud Innocentium; qui, cum Ferdinandi artes dolosque non perciperet respondit paratum se ad amplectendam pacem, modo illius leges honestæ fuissent, atque Ecclesiæ dignitati, fœderatorumque saluti consuleretur: *Nobilitatem tuam summopere in Domino commendamus, quæ ab officio Christiani hominis, & principis non discedit, quæ si hominem illum suum ad nos mittet, ut scribit, audiemus libentissime; & si quas pacis conditiones pro sancta Apostolica sede honestas afferet, testatum apud omnes faciemus, nihil magis cordi nobis esse, quam communem pacem, atque tranquillitatem reipublicæ Christianæ, ut communi icto fœdere, atque unanimi voto contra infideles expeditionem sanctissimam indicere valeamus, quam rem maxime optamus, & cordi habemus. Dat. Romæ apud S. Petrum die* XVI. *aprilis MCDLXXXVI. pontificatus nostri anno* II. Profusa etiam in ecclesiam studia pollicenti Fundano actæ (*m*) gratiæ.

(*l*) *Innoc. p.*239.

Comes Montorii prodit causam Pontificiam.

Mota a Ferd. de pace colloquia.

Ad pacis leges honestas audiendas paratum se exhibet Inn.

(*m*) *Ib. ep.*342.

Facta

VIII. Grassatus dolis interea Ferdinandus.

(a) Ead. pag.

Terracinam frustra tentat.

(b) Pag. 415.

Facta autem subdole a Ferdinando pacis mentio erat, neque clandestinis in Pontificem insidiis grassari desinebat: tentata est (a) proditione Terracina, sed patefactæ insidiæ discussæ diligentia fuerunt: sparsit etiam rumorem de pacta pace, ut trepidos incautosque opprimeret, suisve partibus irretiret. Quos ut frangeret dolos Innocentius, mense junii fœderatos Neapolitanos principes publicis literis (b) admonuit, ne hosti fiderent, facta quidem inter copiarum adversarum duces de pace colloquia, sed ea, cum honesta concordiæ ratio nulla esset proposita, dissoluta fuisse, publicamque justitiam armis se tutaturum est pollicitus (c). Extant quoque aliæ ad Aprutinos datæ literæ, quibus eos cohortatur, ut Romanæ ecclesiæ hostes forti animo insectarentur (d). Circumferendi præterea vexilli Romanæ ecclesiæ data (e) potestas est Altamuræ principi: *Licentiam*, inquit, *tibi concedimus, & impartimur, ut illud nempe vexillum ecclesiæ deferre, & incedere cum insignibus, & solemnitatibus consuetis, tanquam magnus regni Siciliæ comestabulus, sicut ante hoc bellum facere, & incedere poteras.* Cui etiam Bisiniani, Salerni, & Therami principibus significavit (f), socialia cum Francorum Rege & duce Lotharingiæ promovisse consilia: miserat vero ad Renatum Jacobum Andream, qui a secretis sibi erat, a quo vicissim, & a Gallo oratores mense majo exceperat (g), de quibus memorat Stephanus Infissura (h), pactumque cum iis armorum fœdus indicat, ac Pontificem de redigendo ad officium Gallicis armis Virginio Ursino, a quo bello insidiisque petebatur, spes concepisse. Tum addit eadem die, nimirum maii penultima detectam fuisse proditionem, quam Julius Ursinus cum duce Calabriæ conflarat, de eo in castra pontificia noctu inducendo subornatis excubitaribus, ut exercitum opprimeret, indeque ad diripiendam Romam excurreret: *Intendebat*, inquit, *ad urbem Romam dictus dux Calabriæ cum gentibus prædictis venire, ibique totam urbem deprædari.* Illum vero antea prælio fusum vix capitis discrimini se subduxisse, meminit Brutus (i): cumque ad Montempolitianum aufugisset, a Laurentio Mediceo recreatum, omnibusque necessariis ad redintegrandum bellum instructum.

(c) Ibid.

(d) Ibid. pag. 360.

(e) Ibid. pag. 378.

(f) Ibid. pag. 281.

(g) Lib. 2. brev. p. 387.

(h) MS. arch. Vat. sig. n. 111.

Patefacta Calabri de urbe diripienda consilia.

(i) Brutus hist. Florent. l. 8.

IX. Instaurata a Ferd. pacis actio.

(k) Infiss. ms. arch. Vat. sig. n. 111.

Ineunte Julio instaurata sunt pacis colloquia, cum Ferdinandus Rex quæcumque exposcere Innocentius posset, effuse offerret, ut ea arte ab impendenti exitio se eximeret, ortásque ob eam causam in sacro senatu ingentes contentiones memorat Infissura (k): *Prima*, inquit, *hebdomada julii die veneris factum fuit consistorium in palatio S. Petri, ubi fuerunt omnes Cardinales, & ibi palam omnibus Cardinales Senensis, Vicecancellarius, Sabellus, & nonnulli alii petierunt a summo Pontifice pacem; quod deberet facere pacem cum Rege Neapolitano & cum inimicis suis, & offerebant Regem Ferdinandum velle concedere ecclesiæ civitatem Aquilæ & totum Aprutium cum omnibus baronibus & dominis, qui vocaverunt ecclesiam, & insuper se daturum tributum ecclesiæ consuetum, & illud, quod tenebatur dare in tempore præterito cum aliquali temporis dilatione se soluturum, & multi Cardinales etiam affirmabant. Tunc erexit se Abalis* Cardinalis Francigena, & dixit contrarium, videlicet pacem non posse fieri cum honore ecclesiæ, ex quo tota Francia seu Gallia fuerat commota cum duce Rheni, ut venirent & magnæ super hoc expensæ & præparamenta facta erant, & quod non videbatur conveniens quod ecclesia tam ipsum ducem & Regem Franciæ cum reliqua Gallia, quam etiam barones & dominos, qui sese ecclesiæ sponte dederunt, illuderentur pro tali re consequenda; allegabatque magnam in hoc ecclesiam fecisse impensam, quod si talem pacem fecissent, certe nihil acquisivissent, sed potius bona & pecunias suas perdidissent. Contra quem insurrexerunt præfatus dominus vicecancellarius & Cardinalis Senensis, &c.*

Amplissimæ leges ab eo oblatæ.

* Balva

Negat Card. Balva inita cum Gallo fœdera infringenda.

Ex ea pace ecclesiam passuram damna.

Non contemnenda erat Cardinalis Balvæ opinio; cum Ferdinandus splendidas illas pollicitationes, post sedatam imminentem Gallicam tempestatem, violaturus esset, principesque fœderatos clientes Ecclesiæ oppressurus. Extractum itaque cœptum de concilianda pace colloquium, iterumque Innocentius cum Galli, & Lotharingi oratoribus julio mense de expeditione Neapolitana conficienda egit (l), idque Carolo Regi significavit, adjecta hac commonitione: *Celsitudo tua, quam hortamur solitam pietatem & observantiam erga sanctam Apostolicam sedem serves, & suorum, ut facis, progenitorum vestigia etiam in hac parte imitetur, ut tibi omnia, Deo favente, prospera cedant.*

X. Restitere ipsi duo futuri Pontifices.

(l) L. 2. brev. p. 453. 458.

Percrebuisse iisdem diebus Carolum Regem pollicitum pontifici subsidiarium exercitum, vimque auri ingentem in sumptus bellicos, narrat Infissura (m): *Fertur*, inquit, *ad Papam fuisse transmissas literas Regis Franciæ, quibus continebatur, præfatum Regem in auxilium Ecclesiæ præparasse ducem Rheni pugnaturum cum dicto Rege Ferdinando, ac dedisse, & se missurum 40000. scutos Franciæ, item centum lanceas more antiquo, quarum una-*

XI. Promissa a Gallo, Pontifici ingentia auxilia.

(m) Infiss. ubi sup.

quæ-

*quæque dicitur habere quinque milites, vel homines, & ultra quatuor millia peditum Sovetenses *, & alios, & illos obtulit se suis expensis daturum usque ad finitam guerram, hoc videlicet intellecto, quod dominus Papa nullo modo pacem cum dicto Rege faceret, alioquin protestabatur de expensa facta jam, & fienda contra ipsum Pontificem, & totam Ecclesiam : quæ literæ ab aliquibus simulatæ creditæ sunt, & factæ hic Romæ a Cardinale Abalii, qui solus voluntatem Cardinalis S. Petri ad vincula sustentare conatur. Sed futurus hæc indicabit eventus.* Vera hæc fuisse docet Philippus Cominæus (a).

* *id est Helvetios*

(a) *Comin. l.7. c.1.*

XII. Instructa Genuæ a Card. Juliano classis.

Porro de Juliano Cardinale ait, illum Genuæ classem instruxisse, ut opem Pontifici oppresso afferret, ac tum maxime expectatum illius adventum, cum pax, uti mox dicetur, inter Innocentium & Ferdinandum toties agitata firmata est. Extant vero plures ad eum datæ a pontifice literæ (b), quibus laudatur strenuæ navatæ operæ in comparanda Genuensi classe, eximioque Genuensium in ecclesiam studio. De instructa in Genuensi portu classe ad Renatum ducem Lotharingiæ cum exercitu in Neapolitanum regnum traiiciendum meminit Philippus Cominæus (c), traditque Carolum Francorum Regem ad Neapolitanum regnum aspirasse, idque ad se jure hereditario spectare contendisse, cum Ludovicus parens a Renato seniore Siciliæ Rege heres institutus fuisset, ac propterea de comparando Renato Neapolitano regno colloquia prorogata fuisse, demumque Renatum, cum ad regiam Gallicam se contulisset, post diutinas moras elicuisse auxilia, de quibus memorat Stephanus Infissura; cumque bellicò apparatu facto Lugdunum contenderet, de pace Pontificem inter, ac Ferdinandum redintegrata nuncium accepisse, atque ita Gallorum in Neapolitanum regnum expeditionem fuisse dissolutam.

(b) *L.2. brev. pag. 374. 376. 382.*

(c) *Comin. l.7. c.1.*

Contendit Carolus Rex ad se spectare regni Neap. jura. Renati profectio.

XIII. Sancit Ferdinandus pacem cum Pontif.

Pactam autem pacem undecima augusti die non sine maximis difficultatibus, & controversiis, ac modo ferme compositam, modo disturbatam, ac demum prorogato in plurimam noctem colloquio concordiæ formulas compositas (d) Cardinale (e) S. Angeli, qui in pontificio exercitu apostolicus legatus de latere fuerat, ac sæpius ad hostium castra, in Monte rotundo posita, ut cum Calabro iniret colloquia, commearat, necnon Cardinale Ascanio, & Jacobo Trivultio, qui Mediolanensium copiarum militare imperium gerebat interpretibus: proximo autem die promulgatam pacem, ac singulas pactiones commemorat Stephanus Infissura: *XII.* inquit, *augusti dictum est in urbe pacem fuisse compositam, ac infrascriptis capitulis conclusam, videlicet. Quod Rex Ferdinandus respondeat censum debitum Ecclesiæ pro consueto. Quod barones, qui Ecclesiæ se dederunt, respondeant censum Ecclesiæ, & quod id quod solvunt Ecclesiæ computetur de eo, quod solvere tenebatur Rex quando... regnum possidebat; & quod deinceps dicti barones recognoscant Papam, & ecclesiam immediate. Item quod de abbatia montis Casini, & de ejus terris, & castris disponatur per Pontificis voluntatem.*

(d) *MS. arch. Vat. sign. n. 11.*

(e) *Infiss. ms. arch. Vat. sig. n. 111. & aliud ms. sign. cod. n. Brut. l. 8. Comin. l. 7. c.1. Sur. lib. ann. 20. c. 66. Marian. l.25. c.7. & alii.*

Quæ fuerint illius leges.

XIV. *Item quod episcopatus, & beneficia regni Neapolitani distribuantur per Papam. Item civitas Aquilæ stet in libertate sua: si vult esse Papæ, sit: alioquin si vult esse Regis, sit Regis, & quod dux Renatus, & Francigenæ volentes venire contra Regem non possint impediri a subditis Ecclesiæ, immo Papa & ejus terræ possint dare eis passum & vectigalia. Item quod Virginius Ursinus veniat ad misericordiam Papæ cum pedibus nudis & corrigia in gula & capite nudo genuflexus petat veniam amore Dei a summo Pontifice. Item quod Cardinalis Ursinus, & cæteri Ursini stent, & subjaceant arbitrio Pontificis utrum & quantum pœnam mereantur. Item quod terræ captæ hinc inde & eorum restitutio reposita est in pectore Regis Hispaniæ.*

Ursini Pontificis arbitrio permissi.

XV. Consentiunt cæteri historici (f), qui paucioribus verbis has pactiones perstringunt, ajuntque nonnulli (g) hanc pacem necessariam magis quam decoram fuisse: observatque Infissura (h) illius leges ex Cardinalium senatus consilio sancitas discussasve non fuisse, adeo ut nec primis a confirmata pace diebus illis patefactæ fuerint, ex quo complures valde indignati sint: *Decimaquarta*, inquit, *die ejusdem mensis Cardinales omnes accesserunt ad palatium orto jam sole causa faciendi commemorationem, & annualia Sixti, & audiendi missam una cum Pontifice: & cum intrassent ad Papam causa perscrutandi, & sciendi conditiones pacis diu ibi permanentes, nihil egerunt, quia [ ut fertur ] nullum verbum habuerunt a Pontifice, nisi quod pax composita erat; propter quod multi Cardinales irati, & inflati ex dicto loco exiverunt, ideoque illa die cærimoniæ paratæ pro Sixto celebratæ minime fuerunt.*

(f) *Vol. l. 22. Brut. l.8. Sur. l.20. c. 66. Marian. l.25. c.7. Panvin. in Inn. VIII.*

(g) *Id. ib.*

(h) *Infiss. ubi sup.*

XVI. Ex quibus his patet Innocentium putasse eas Cardinalibus ingratas futuras: quas quidem dolo & arte Laurentii Medices exortas fuisse tradit Brutus (i), nempe illum confinxisse literas nomine Roberti Sanseverinatis, qui ecclesiastico exercitui cum imperio præerat, quasi is prodere hosti Pontificem meditaretur, quæ cum in ponti-

Laurentii Medicæi dolo Sanseverinas redditus suspectus Pontifici.

(i) *Brut. sup. l.8.*

tificias manus eodem dolo venissent, ipsum variis suspicionibus suffundi, angique cœpisse adeo ut pacis consilia clam Cardinalibus ac principibus fœderatis inconsultis iniverit moxque abrogato Sanseverinati militari imperio illum a se dimiserit (a). Equidem honestæ pacis leges externa specie, re autem vera non nisi ludibria; quare Infissura iis recensitis subjecit: *Sed de his conditionibus pacis nihil aliud visum fuit, nisi quod Ursini steterunt in domibus eorum, & dominus Robertus recessit & pax ut sequitur.*

(a) *Id. ib.*

XVII. Promulgata pax solemni ritu.

Promulgatam eam pacem solemni ritu fuisse interjectis aliquot diebus memorat Burchardus (b) in diariis suis: *Feria*, inquit, *tertia* XII. *septembris anniversarium coronationis sanctissimi domini nostri Innocentii Papæ VIII. dies pontificatus sui anno* III. Et infra: *Finita missa antequam Papa daret benedictionem reverendus in Christo pater dominus Laurentii episcopus Araguriensis pluviali rubeo indutus cum mithra simplici osculatus est genu, & non petita benedictione ascendit ad pulpitum, & paucis seu brevibus verbis publicavit pacem inter sanctissimum dominum nostrum Papam, & Ferdinandum Siciliæ, &c. Regem & alios. Erat autem ordinatum quod capitula pacis deberet legisse, tamen quia dux Januensis illa nondum ratificaverat, fuit mutata sententia, & capitulorum lectio omissa.* Cæterum addit Stephanus Infissura mox eam pacem violatam ab Ursinis, factasque hostiles excursiones: *Quamvis*, inquit, *de pace prædicta habita esset fides per os Pontificis, qui dixit pluries conservatoribus, & aliis pacem præfatam fuisse compositam, & licentiatus esset dominus Robertus de S. Severino cum gentibus suis, non propterea destiterunt Ursinæ gentes deprædari, & grassari in gentes Columnensium, & dominus Prosper Columna incitatus primo vicissitudinem reddidit prædictis Ursinis.* Missus est Tybur pervigilio S. Bartholomæi Paulus internuntius instructus mandatis pontificiis ad dirimenda ea certamina, sed quantumvis confectæ pacis verba nuncuparet, pontificiumque diploma ostentaret, ab Ursinæ factionis militibus contrucidatus est, nudusque abjectus.

(b) *Burch. ms. arch. Vat. p.* 515.

Ursini Columnenses persequi non desinunt.

XVIII. Violata pax a Ferdinando.

Violata deinde longe atrocius pax est a Ferdinando Rege Neapolitano: quippe cum Gallicam expeditionem, cujus terrore quascumque pacis leges a Pontifice imperandas exambiverat, discussam solo pacis rumore accepisset, tum Gallos non nisi invidiam sumptuumque damna ex instructo bellico apparatu retulisse, solutus metu, sævire decrevit in omnes, qui in patrocinium apostolicum se contulerant: ac primum Aquilanos, nil tale metuentes oppressit, cæso archidiacono, qui eos in Innocentii fide & clientela continuerat.

XIX. Exercita ab eo sævitia in Pontificios fœderatos.

*Mense septembri*, inquit Infissura (c), *tumultus maximus factus est in civitate Aquilana, ubi tandem archidiaconus, qui pro Papa, & libertate Aquilana erat, fuit interfectus, intravitque comes Montorii cum gentibus Regis, & ecclesiastici aut cæsi, aut expulsi fuerunt.* Vertit (d) deinde Ferdinandus iras in proceres, qui illum sacramenti religione ab exercenda crudelitate revocatum iri putarunt (nam prudentiores voluntarium exilium crudeli letho prætulere.)

(c) *Infiss. ms. arch. Vat. sign. n.* 111. *& aliud ms. sign. eod. num.*
(d) *Comin. l.* 7. *c.* 1.

XX. Proceres ab eodem oppressi.

Nil profuit Innocentio pacis vades accepisse (e) Ferdinandum Regem Hispaniarum, Ludovicum Sfortiam ducem Mediolanensium, vel Laurentium Mediceum, vindictæ enim furore ardentem continere non potuerunt. Accusant ob id crimen Ferdinandum Neapolitanum Hispani (f), illum indigne in Ferdinandum Hispaniarum Regem se gessisse, cujus maxime gratia, & authoritate nutans solium confirmarat; missum enim ab eo fuisse Enecum Mendozam Tendillæ comitem ad conciliandum Pontifici Neapolitanum. Detulisse autem plurimum Innocentium Hispaniarum Regum authoritati in ea conficienda pace, tum ex allatis ad Ferdinandum & Elisabetham Castellæ Reges tum ex hac literarum (g) particula constat: *De Rege Neapolitano id tantum scribimus, quod aliquam consilii adinvenire viam, & eum modum tenere studeamus, ut cognoscat quanto affectu majestates vestras prosequamur, & quo erga vos animo simus.*

(e) *Volat. l.*22. *Panvin. in Inn. VIII.*
(f) *Surit. l.* 20. *c.*66. *Marian. l.*25. *c.*7.
(g) *L.*2. *brev. p.* 172.

Plurimum ab Innoc. Hisp. Regibus delatum.

XXI. Monitus frustra Ferd. ut pacem colat.

Dum ita abscisso vadium respectu Neapolitanus fœderis religionem obterebat, Innocentius missis internuntiis illum de servanda fide postulavit, sed irrito successu, ut narrat Raphael Volaterranus (h): *Pacem*, inquit, *fecit his conditionibus, ut Pontifici census debitus penderetur, & rebelles servarentur incolumes Rege Hispaniæ, Ludovico Sfortia, ac Laurentio Medice vadibus acceptis, quorum neutrum Ferdinandus cum minime præstaret, missus Petrus Vincentinus cameræ auditor audacissimus una simul cum Jacobo Volaterrano secretario Apostolico, ac cubiculario viro prudente ad res repetendas re infecta revertit.* Ob hanc Ferdinandi perfidiam turpem, indecoram pacem cum eo initam creditum est, atque a pluribus Innocentius, quem antea principibus scripsisse, incolumi Ferdinando Rege, pacem stare non posse vidimus, in invidiam mollis, & timidi animi, abjectique clientum ad eum transfugientium patrocinii, tyrannique sævitiæ expositorum adductus est; quem

(h) *Volat. l.*22.

Perstrictus Inn. de expositis tyranno locis.

Ste-

Stephanus Infissura, cæteroquì ejus aliorumque Pontificum nævos acerrima censura percellere solitus, ità excusat (*a*): *Quamvis multi multa dixerint de Papa Innocentio, quod dictam pacem fecerat in aliquod dedecus Ecclesiæ, attamen revera in aliquo accusari, aut aliter reprehendi non potest, immo laudandus est ab omnibus, eo quod ad instar domini nostri Jesu Christi, qui voluit in persona sua acerrimas pati injurias pro salute populi sui, fecit. Nam posito, quod dicta pax fuerit cum detrimento Ecclesiæ, & suo vilipendio, voluit tamen ipse citius Ecclesiam Dei, cujus ipse caput est, injuriam pati, quam videre mortem, & exterminium populi sui, idque bonum, quod ex eo secutum est, ostendit, nam incontinenti in urbe abundantia omnium rerum, & justitia, quæ tandem exulaverat, rediit.*

(*a*) *Infiss. ms. arch. Vat. sign. n.111.*

Quæ causæ Innoc. ad turpem pacem adegerint.

XXII. Nec Gallus Lotharingusve de eo jure queri potuere, cum longiores moras in comparando exercitu auxiliari traxerint, Renatumque a Cardinale S. Petri, & Genuensi classe diu frustra expectatum fuisse ex Cominæo (*b*) significaverimus, cum nimirum regii assentatores eam expeditionem retardarent, dum insusurrabant Carolo, non Renato, sed ipsi regnum Neapolitanum legibus debitum, testaturque idem Cominæus jam tum proceres Neapolitanos attritos a Ferdinando, & Innocentium diutina expectatione fatigatos.

(*b*) *Comin. l.7. c.1.*

Retardata nimium a Gallis expeditio.

XXIII. Et quidem Infissura & alius MS. Vaticani author testes oculati, qui singulis diebus eo bello gesta in commentarios retulerunt accuratissime, tradunt (*c*), Innocentium maximis periculis fuisse circumfusum, excurrente circum ad urbis mœnia hoste, ita ut vigesima prima januarii die, cum palatini milites ad grassatores propulsandos erupissent, ingentes tumultus facti, omniaque terrore completa sint, sparsa fallaci fama, Pontificem a Virginio Ursino proditione obtruncatum, & Cardinales S. Petri, & Andegavensis concitatissimis equis fugam corripuisse ex urbe, quæ præterea sicariis exulibus completa erat, milesque armatus licentiæ fræna laxabat adeo, ut nuptæ juvenculæ noctu vi raptæ fuerint: ex quibus facinoribus maxima invidia est conflata Innocentio, quamvis æqui amantissimo: parabantur etiam clandestinæ insidiæ, consiliaquæ de prodenda, ac diripienda urbe agitabantur.

(*c*) *MS. arch. Vat. sig. n. 111.*

Gravissimi tumultus Romæ exorti in hoc bello.

Structæ sæpius insidiæ.

XXIV. Præterea non leve discrimen aderat Gallorum adventu non tam hæc mala tollenda, quam augenda, quippe Matthias Hungariæ Rex Ferdinandi gener solicitabatur, ut Pontifici bellum inferret, ne illum regno pelleret, pertimuitque Innocentius, ne ille in Picenum irrumperet: atque ideo provinciæ præsidi dedit mandata (*d*) mense aprili, ut Anconam adversus Hungaricos impetus milite communiret: quæ imperia suspicione crebescente postea repetita (*e*). Neque inanem fuisse metum confirmat Bonfinius (*f*), qui Anconitanos ad Pannoniæ Regem defectionem molitos, pontificiaque diligentia coercitos indicat.

Trepidatum ne Ungarus in Picenum irrumperet.

(*d*) *Lib. 2. brev. p. 317.*

(*e*) *Ib. p. 350.*

(*f*) *Bonfin. dec. 4. l. 8.*

XXV. Et quidem Matthiam Hungariæ Regem Ferdinandi Regis Neapolitani, cujus filiam uxorem duxerat, adversus Pontificem partes suscepisse, docent apostolicæ literæ (*g*); quippe affinitatis tuendæ gratia in id crimen se abripi passus est, ut a pontificia in Ferdinandum sententia, quam latam putabat, provocare ausus sit, quasi aliquod tribunal pontificio augustius dari possit. At Christi vicarius amantissimis literis Matthiam certiorem fecit nullo edicto Ferdinandum adhuc perculsum fuisse: sed cum Ferdinandus regni proceres acerbiore jugo premeret, tantas exarsisse utrinque iras, ut mutuo de Turcis in Italiam evocandis minæ intentatæ fuerint; atque ideo a Pontifice arreptam justissime regni clientelam, provocationem vero inique factam docuit, & clientum causas jure cognosci posse, ac si quid novaret, censuras Matthiæ intentavit.

(*g*) *Innoc. VIII. sign. n. 1909. secr. 210.*

*Charissimo in Christo filio Matthiæ Hungariæ Regi illustri salutem, &c.*

*Scribis nobis te breve nostrum cum certis processibus contra charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Siciliæ Regem illustrem socerum tuum recepisse, & illorum intellecto tenore necessitate compulsum publice appellationem quondam tuo nomine contentis in eis interponi fecisse, quam nobis in publicam formam destinare curasti, humiliter postulans, ut si quid in hac appellatione contra nos egisse videreris, id affinitatis necessitudini ascriberemus, & hoc idem continebant literæ tuæ ad sacrum collegium venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quos rogas, ut nobis suadeant, quod potius communi paci utilitatique, & commodo publico, quam dissensioni intenderemus. Ex quibus deprehendimus majestatem tuam eorum, quæ gesta sunt, plenam notitiam non habere: nullus enim per nos habitus est processus contra Regem præfatum usque modo, sed dumtaxat, quia conquerentibus iteratis vicibus ejusdem regni proceribus apud felicis recordationis Sixtum Papam IV. prædecessorem nostrum, & successive apud nos de novorum onerum eis, & universis dicti regni incolis per ipsum Regem facta impositione, & aliis gravaminibus, quæ eis a Rege ipso inferri asserebant, Rex ipse sæ-*

Appellatio ab Hungaro adversus Pont. pro Ferd. edita.

Matthiæ proposita rei veritas.

Ut conquesti sint de Ferdin. tyrannide populi.

*pius monitus ab eadem prædecessore, & a nobis, qui eumdem Regem, utpote peculiarem Romanæ ecclesiæ filium semper dileximus, & diligimus, paterna in Domino charitate, quod a novorum per eum indictorum onerum hujusmodi exactione, ab aliisque gravaminibus desisteret, & illorum impositionem revocaret, id facere procrastinando differebat, & exortæ exinde inter eum, & proceres prædictos controversiæ quotidie invalescere cernebantur, jamque Rex ipse ad aliquorum ex eisdem proceribus personalem detentionem processerat. Recurrentibus postremo proceribus ipsis ad nos, dicti regni directum dominum habentes, & asserentibus, quod nisi occurreremus, cogebantur adversus ejusdem Regis sævitiam se externis munire præsidiis; nos autem ne, cum simus omnibus præsertim temporali dominio præfatæ ecclesiæ subditis in administranda justitia debitores, videremur toties repetitas eorum querelas negligere, causas omnes, quas ipsi proceres contra Regem, & Rex contra eos habebant, & monere vellent nonnullis ex Cardinalibus præfatis audiendas, & nobis in consistorio referendas commisimus: & interim ne Rex, proceres, aut ipsi Regem, externis præsertim infidelium præsidiis, ut minabantur, opprimerent, neve exinde præfatæ ecclesiæ, & fidei catholicæ detrimenta aliqua provenirent decrevimus, juris necessitate compulsi, adfines regni ejusdem custodiendos, & utriusque partis ab oppressionibus indebitis tutelam intra regnum ipsum nostrarum armigerarum gentium præsidium introducere, idque tibi ejusdem Regis genero, & universis aliis Regibus, principibus, & potentatibus nostris literis significare curavimus, & per illas tibi & illis inhibere, ne cuiquam eorum dissidentium subditorum nostrorum præsidia aliqua sine nostra licentia ministrare præsumeretis.*

Exortis dissidiis aliqui proceres capti sunt.

Jactæ sunt utrinque de evocandis infidelibus minæ. Sumptum fit a Pont. regni patrocinium. Monitus Matthias de rei successu.

*Hæc sunt, quæ usque modo fecimus in præmissis, pro quo tibi aut Regi præfato, seu alteri non credimus ullius querelæ causam ullam penitus præstitisse, nec dissensiones, sed pacem & quietem, ac commune bonum dissidentium eorumdem procurasse. Qua igitur de causa tu, qui ignorare non debes utriusque juris censura caveri nemini, etiam vere gravato per sententiam, vel alias a Romano Pontifice, qui in terris superiorem non habet, licere in vocem appellationis prorumpere, & ab eo etiam ut male informato ad eum bene informandum appellare; sed dumtaxat pro illati gravaminis summotione humiliter supplicare, aut adversus gravantem ipsum in integrum restitutionem petere, a contentis in nostris literis prædictis duxeris appellandum, profecto non intelligimus, credimusque tenorem literarum nostrarum prædictarum tibi fideliter relatum non fore: ac te hortamur, ut cogites te non minori fidei, & devotionis præfatæ ecclesiæ, & sedi Apostolicæ, quæ tuis exigentibus meritis singulari semper benivolentia, & charitate prosequi curavit, quam socero tuo præfato affinitatis vinculo obligari, nec nobis inter subditos nostros dissidentes cognoscere, & judicare volentes ut debemus affinitatis præmissæ, aut quovis alio respectu te opponas: nam si secus ageres, nobis conquerendi de te, & contra te ad opportuna remedia procedendi, quod non libenter faceremus, occasionem præstares. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCCLXXXIV. kal. martii pontificatus nostri anno II.*

Provocationem contra jura ab ipso factam.

Subditorum causas jure a Pont. cognosci.

Ne destiterit in Matthiam censuras districtum iri.

XXVI. Cum vero Matthias plures æmulos atque adversarios ob petitam armis Austriam in se concitasset, ejusmodi dissidii occasione fama ab iis sparsa est, ipsum ob Ferdinandi susceptas partes censuris devinctum fuisse, adeo ut ejusdem Matthiæ orator graviter ea de re questus fuerit, atque etiam addiderit pro tuendo Ferdinando vitam opesque a Matthia profusum iri: pariterque expostulavit Moldaviæ, quæ Hungarici regni vectigalis erat, provincia susceptam a Polono Rege clientelam. At Innocentius paterno studio Matthiam Regem admonuit (a), pontificia judicia summa æquitate exerceri, ac merito in Ferdinandum arma conversa fuisse, debuisseque eum potius consilia optima Ferdinando suggerere, ut juri staret, cum novis quotidie flagitiis vetera cumularet.

(a) *Lib. sig. n. 1909. P. secret. p. 433.*

*Charissimo in Christo filio nostro Matthiæ Hungariæ & Bohemiæ Regi illustri.*

XXVII. *Hortamur in primis majestatem tuam, charissime fili, quoties aliquid de nobis vel Apostolica sede ad eam perfertur, quod indignum vel minus rationabile videatur sive per eos, qui tuæ gloriæ invident, sive per vulgus ignavum perferatur, graviori judicio illud examinare velit, & priusquam in sententiam veniat, quanto consilio & maturitate omnia, quæ hinc exeunt, digesta egrediantur considerare; ita namque si feceris, & animus tuus turbationes indignas non subibit & apostolici culminis sublimitatem majori, ut catholicum principem decet, reverentia prosequeris: deinde vero [ quod magno desiderio optamus ] ita gloriam tuam & acquisitum gloriosissimi principis nomen conservabis, ut solius invidiæ locus æmulis & detractoribus tuis relinquatur, nam cum ea, quæ per nos tanta mentis tuæ inflammatione decreta esse signi-*

Monitus Matthias ut expendat judicia pontificia æquitate ferri.

*significas, neque unquam cogitata extiterint, judicare nunc poteris, an sine causa & absque ratione tu fueris iratus, & nobis, qui tam majestatem inter Christianos Reges præcipuo semper amore prosecuti fuimus & prosequimur de præsenti, merito succensueris. Nos enim ut tuam majestatem, sicut reliquos principes, & præcipue dicto Regi Ferdinando confœderatos, præveniremus, ipsaque majestas tua quot quantæque rationabiles, & necessariæ causæ nos contra ipsum Regem cogerent intelligeret literas apostolicas, quas contra ipsum de consilio venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium decreveramus, simul cum aliis literis nostris in forma brevis, ne tu vel alii dicto Regi subsidia præstarent, requirenti ipsi oratori tuo, quemadmodum & aliis dari fecimus, mandantes eidem, ut illas ad te quantocius deferri curaret, quamvis tu simul cum cæteris principibus Christianis cognosceretis nos rite & juste in cunctis procedere: quas quidem literas nostras, sicut nec cæteri fecerunt, opus non fuerat ut extra consilium suum manifestaret, cum nihil præter justi & honesti requisitionem in se continerent. Quod si ex hujusmodi literarum publicatione aut æmuli tui contra te gloriantur, aut quidquam murmuris, & ut verbis dicti oratoris tui utamur, mussitationis ac censurarum suspicionis apud subditos tuos ortum fuerit, certe jam non nobis, sed consilio, tuo id merito attribuere debuerat, qui ea non tantum universo regno tuo, sed remotis finitimisque nota facere voluisti; quæ nos ad tuam super nostris processibus instructionem tuæ majestati transmitti demandavimus, sperantes quod tu pro tua sapientia & consueta devotione, postquam intelligeres ipsos processus nostros omni ex parte justissimos, quod salvo honore nostro salvaque conscientia secus facere non poteramus, tu quanto majori amore Regem ipsum Ferdinandum complecteveris, tanto majori studio ipsum, cum sit immediatus subditus & vasallus noster & Apostolicæ sedis, ad obedientiam nobis & debitam justitiam subeundam induceres; ita namque, & utilitati dicti Regis, & ei, quam debes, erga hanc sanctam sedem devotioni rectius consuluisses, quam illum ex tuis promissis subsidiis duriorem in sua pertinacia conservando: attento maxime, quod nos semper parati fuimus, & hodie essemus, quando id debita cum humilitate & convenientibus mediis postularent, pro nostro curæ pastoralis officio, omne justitiæ & pietatis genus erga ipsum impendere.*

Et causas ob quas in Ferdinandum sumpta sint arma.

Debuisse ipsum permovere Ferdinandum ut juri staret.

XXVIII. *Cum autem [quod dolenter referimus] Rex ipse diversis exquisitis modis mansuetudinem Apostolicæ sedis in dies magis irritare, & novis injuriis afficere baculo arundineo innixus, & nos qui eum semper dileximus, & quantum ex nobis est, diligere in Domino cupimus, provocare non cesset, cogimur quod, uti diximus, justitia ac etiam maximis totius religionis Christianæ periculis cogentibus, cœpimus prosequi, & adjutore Deo, qui Ecclesiam sanctam suam nunquam derelinquet, nisi Rex ipse aliter resipiscat, ad debitum finem perducere.*

Ut Ferdinand. vetera flagitia novis cumulaverit.

*Quantum vero ad negotium Moldaviæ attinet; referentes ad eum, quem nos adversus eos, qui de subditis nostris se intromittent, & illos contra nos erigunt concepimus, justo dolori tuæ majestatis compatimur: verum quia per oratores præfati Regis Poloniæ, qui his diebus, sicut & cæteri Christiani Reges & principes, fecerunt debitam reverentiam, & obedientiam nobis præstiterunt nec dum mentio aliqua facta est, aliud in præsentiarum respondere non possumus, nisi quod gratum habemus rem illam intellexisse, & si apud nos movebitur sic justitiam tuam quemadmodum & in aliis negotiis majoribus etiam non requisiti hactenus fecimus, fovebimus, quod tua majestas intelligat a nobis non diligi modo, sed etiam vehementer amari, in qua sententia tanto nos firmius persistemus, quanto majestatem tuam erga hanc sanctam sedem, adversus quam nemini Christiano quavis ex causa fœdere seu vinculo insurgere licet, devotionem experiemur. Dat. Romæ apud S. Petrum an. &c.* MCDLXXXVI. VII. *id. junii pontificatus nostri anno* II. XXIX.

Circa Moldaviam cautum iri jure Matthiæ.

Augebant formidinem Piceni motus intestini, quippe Æsium in discrimen a proditoribus adductum est, atque Asculani & Firmani inter se dissidia aluere: ad quos tumultus sedandos provinciæ præses incumbere jussus est (*a*).

XXX. Ferdinandus etiam insulæ Siciliæ, Aragoniæ, & Castellæ Rex, quantumvis Innocentius causæ ecclesiasticæ æquitatem illi exponeret (*b*), inculcarique a Cardinale (*c*) Toletano & Bernardino (*d*) Carvajale internuntio apostolico juberet, pati non poterat Neapolitanum regnum a stirpe Aragonia ad Gallicam traduci, atque ideo Tendillæ comitem Innocentium, nisi firmata prius cum Neapolitano pace, adire vetuerat (*e*); quamobrem illum Florentiæ substitisse tradunt (*f*). Licet vero Gallicæ vires in Pontificis opem consurgerent, eas tamen Maximilianus, qui Belgii urbes plures reperebat, distracturus (*g*) erat, adeo ut justus impenderet terror, ne belli Neapolitani faces trans alpes delatæ Christianum imperium incenderent. Et quidem Turcas belli hujus occasione sumpsisse ad maritimam ditionem ponti-

Hispanus Gallis maxime adversatus.

(*a*) *Lib. 2. brev. p.* 416.
(*b*) *Ib. p.* 178. 427.
(*c*) *Ib. p.* 428.
(*d*) *Ead. pag.*
(*e*) *Steph. Infiss. ms. arch. Vat. sign. n.* 111.
(*f*) *Sur. l.* 20. *c.* 66.
(*g*) *Crantzius Saxo. l.* 13.

(a) *Lib. 2. brev. p. 416.*

sciam invadendam trajecto Adriatico mari audaciam, ostendunt pontificiæ ad Piceni præsidem datæ literæ (*a*).

XXXI. Turcæ grassantur mari. Fanum tentant.

*Post scripta*, inquit, *intelleximus ex ultimis literis tuis præter alia nonnullas Turcorum fustas in isto mari Adriatico apparuisse, quare operam dabis, ut omnes terræ ac loca maritima intenta sint studiosissime ad circumspectandum undique, si quod Turcorum navigium se ostendet, quo propere quisque vicinis signo aliquo manifestet ut omnes in tempore convenire possint ad subveniendum ubi opus erit. Datum Romæ apud S. Petrum die* XII. *junii* MCDLXXXVI. *pontificatus nostri anno* II. Exscensionem in terram variis in locis fecere Turcæ, prædasque egere: quinetiam tentarunt Fanum, sed feliciter virtute Stephani Corsi propulsati fuere: cui de re præclare gesta Innocentius gratulatus est.

*Stephano Corso comestabili nostro.*

*Intelleximus ex plurimorum verbis, ac literis diligentiam tuam in custodienda civitate nostra Fani, aliisque circumvicinis locis, & in repellendis Turcis, qui regionem istam infestabant, laudamus summopere prudentiam & diligentiam tuam. Dat.* XXV. *maii MCDLXXXVI. pontificatus nostri anno* II.

XXXII. (b) *MS. arch. Vat. sign. n.* XII. Bucolinus tyrannidem usurpat in Auximanos.

Turcas porro in Picenum vocatos ab impio Auximano tyranno indicat Stephanus Infissura (*b*), sic: *Interea quidam*, inquit, *Bucolinus privatus civis de Osma in Piceno contra ecclesiam insurrexit subtraxitque dictam civitatem Osmi ecclesiæ, & ipsam fortificavit fossatis, & muris, & quosdam cives decapitavit, & aliquos exulare jussit, fuitque dictum in urbe intelligentiam habuisse cum Turco, qui promisit ei per totum mensem maii MCDLXXXVII. mittere in ejus auxilium multa millia Turcarum, quos nunquam misit, sed tantum est, quod Cardinalis S. Petri ad vincula prothonotarius Angeli cum multis millibus militum ecclesiæ in obsidione dicti loci diu steterunt.* Ex quibus omnibus perspicuum fit jure confectam fuisse pacem necessariam, ut referunt authores (*c*); quod vero Ferdinandus violata turpiter fide deluserit Pontificem, illum suis posteris ingentes calamitates intulisse, filiumque ejus Alfonsum solio eversum a Carolo VIII. visuri sumus.

Oppressus antequam Turcas exciret.

(c) *Volat. l. 22. Panvin. in Innoc. VIII. & alii.*

XXXIII. (d) *Vol. l. 22. Panvin in Inn. VIII.* (e) *Steph. Infiss. ms. arch. Vat. sign. n.* III.

Cæterum, fine Neapolitano bello imposito, Innocentium studia ad revocandas pacis artes, restituendas leges, comprimendamque sicariorum, ac reliquorum improborum hominum licentiam convertisse, inter alios (*d*) prodit Stephanus Infissura (*e*) accurata, quamvis impolita & minus tersa oratione: *Ipse*, inquit, *jam Innocentius circa civitatem Romanam, & ejus salutem incumbens in continenti bullas Pii, Pauli, & Sixti de brigis & inimicitiis, ac de homicidiis, & malefactoribus loquentes excitavit, misitque bis, & ter proclamatum per urbem, ut homicidæ, & facinorosi homines ab urbe recederent, imposuitque pœnam pecuniariam gravissimam: & ultra illam anathematis baronibus, qui in eorum locis, & castris proximis per quinquaginta milliaria Romæ, vel terris ecclesiæ retineant.* Addit (*f*) Innocentium singulari laude tollendis privatorum hominum inimicitiis operam navasse, sublataque ita mala, quæ ex iis pullulare consueverant: *Ipse etiam*, inquit, *Pontifex interea pacem inter cives componere conatus est, nam factis paceriis omne genus pœnarum induxit contra inimicatos, qui in præfatos compromissum de pace fienda non facerent: aptavitque etiam ipsemet multa negotia, & inter alia brigam Stephani Margani, Prosperi, & domini Georgii de S. Cruce, & Philippi Francisci, qui sunt de primatibus urbis ad pacem certo modo reduxit, propter quod sua sanctitas fuit summopere laudata potissime cum justitia ipsa per suam sanctitatem promissa in principio assumptionis ad pontificatum, & per dictas guerras disturbata, & in urbe, & extra observata fuit.* Quibus consentanea tradit Panvinus (*g*): subdit denique Infissura, cum nonnullæ adhuc vigerent lites inter Columnenses & Ursinos, pontificio studio compositas fuisse, veteresque possessiones singulis restitutas.

Compressi Sicarii ab Innoc.

(f) *Id. ib. Panvin. in Innoc. VIII.* Privatorum factiones abolitæ.

(g) *Panvin. in Innoc. VIII.*

XXXIV. Composita pax inter Ligures & Florentinos.

Intendit etiam apostolicas curas ad sedandas reliquas Italicas turbas, atque hujus anni mense januario Laurus Auria Genuensium, Guidantonius Vespucius Florentinorum nomine apud subsellia pontificia concordiam pacti veteres de limitibus controversias diremere (*h*). Verum Florentini promissis mox visi sunt discedere, atque Serzanellam, uti conceptis verbis publicisque monumentis pacti erant, restituere Genuensibus distulerunt: quos cunctantes Innocentius suis ursit literis (*i*), ut fidem pacemque colerent. Extant eodem argumento literæ ad Guidantonium Vespucium datæ (*k*), ut promissa a Florentinis ipso sermonum administro complenda curet, & causas non restituendæ Serzanellæ non æquas prætexi queritur. Rupisse denique mense aprili Florentinos pacem, ac Serzanellam reddere detrectasse tradunt (*l*). Cæterum grave bellum proximo anno consurrexit, sub cujus demum mole Genuensis respublica succubuit, quam inito inter omnes Italiæ principes fœdere exclusam memorat Brutus (*m*), averso nempe abaliena-

(h) *Aug. Just. l. 7. Bizar. l. 15. Foliet. l. 11. & alii.*

(i) *L. 2. brev. p. 186.*

(k) *Ead. pag.*

(l) *Aug. Just. Bizar. Foliet. ubi sup.*

(m) *Brut. hist. l. 8.*

to-

toque recenter a Genuensibus Innocentii animo, cujus rei varias causas afferunt (a) scriptores.

(a) Aug. Justinian. l. 5.

XXXV. Violata a Flor. immunitas ecclesi.

(b) L. 2. brev. p. 444.

Eodem anno cum Florentini magistratus temere clero nova vectigalia imperarent, Innocentius eos literis increpuit (b), addiditque: *Pro pastorali*, inquit, *officio nostro, & paterna charitate, qua vos prosecuti fuimus semper, & in præsentiarum in Domino prosequimur, rogamus, & per viscera misericordiæ Jesu Christi obtestamur in Domino, ut ejus intuitu ab hujusmodi exactione desistere velitis: quod si, ut de religione, ac pietate vestra omnino confidimus feceritis, nobis supra quam dici potest gratissimum erit; si vero, quod nullo modo adduci possumus, ut credamus, paternæ admonitiones nostræ locum non habuerint, juxta sanctorum patrum & Pontificum, qui nos præcesserunt decreta, & sanctiones pro religionis, ac libertatis ecclesiasticæ conservando jure opportune consulere necessario cogemur. Dat. Romæ die* XIV. *junii MCDLXXXVI. pontificatus nostri anno* II.

Intentatæ censuræ.

XXXVI. Veneti obsistunt decretis Innoc. in Patav. episcopatus collatione.

(c) L. 8. brev. p. 348.

Cum detraherent etiam juri pontificio Veneti, dum episcopum cardinalitia insignem dignitate præfectum ecclesiæ Patavinæ nollent in possessionem admittere, poscerentque importune, ut alteri, quem commendabant Patavini, episcopatus gubernacula conferret, ipsos ad officii religionem excitavit hisce (c) monitis internuntio datis [1].

*Joanni Sacco de Ancona cubiculario, & notario nostro.*

*En literis tuis nuperrime redditis compertum habemus nihil in re ecclesiæ Paduanæ actum esse: miramur profecto ducem hunc inclytum, & senatum neque brevibus neque literis ullis nostris flecti potuisse. Petunt, ut scribis, alium in ecclesiam Patavinam, jam in sponsam Cardinali dicatam, promoveri; nosti, ut attestantur sacri canones, hujusmodi matrimonii spiritualis vinculum, quod est inter episcopum, & ecclesiam, fortioribus innixum viribus quam carnale, non nisi divino judicio dissolvi posse.* Et infra: *Dicunt se filios Ecclesiæ obsequentissimos, & observantissimos esse: advertant ne, dum pro alio instare nituntur ordinationi nostræ, immo illius, cui data est omnis potestas in cælo, & in terra, & cujus vices, licet immeriti, gerimus, resistere velle videantur. Meminerint illud Gregorii, sacerdotes Christi Regum, & principum, omniumque fidelium patres, & magistros censeri, indignumque fore, si filius patrem, discipulus magistrum, & a quo credit non solum in terra, sed etiam in cælis ligari posse, & solvi subjugare conetur; ut enim sacris canonibus cautum est, Deus quæ ab Ecclesia disponenda sunt, non ad sæculi potestates, quas Ecclesiæ suæ sacerdotibus voluit esse subjectas, sed ad sacerdotes pertinere voluit. Caveant ne contra eum pugnare dicantur, a quo propriam consecuti sunt potestatem. Scriptum est;* Per me Reges regnant, & potentes decernunt justitiam. *Hæc commemorasse volumus veluti hujus inclyti senatus famæ, ac sui gloriosissimi nominis studiosissimi zelatores: absit enim, ut in eos aliquam inobedientiæ maculam impingere velimus: sed nostrum esse duximus, ne ab eorum æmulis mordeantur, eos cautiores reddere.* Et infra: *Non eos pœniteat obedientiæ suæ, quæ melior est quam victimæ, incedant de virtute in virtutem, hoc enim pacto a mortalibus Deum videri posse juxta prophetam concessum est, &c. Datum Romæ die* IV. *maii MCDLXXXVI. pontificatus nostri anno* II.

Demonstrata Pontificum authoritas in regendis ecclesiis.

XXXVII. Aberrant sæpe a recto æquitatis tramite principum voluntates, apostolicaque constantia infringendæ sunt, dum importunis precibus assentationibusque deliniti ecclesias amplissimas veluti profana munera indignis deferri postulant. Ea imbutus corruptela Matthias Hungariæ Rex ab Innocentio contendit, ut puerum vix egressum infantia, Hippolytum scilicet Herculis Atestini ducis Ferrariæ filium ad Strigoniensem archiepiscopatum efferret: quod cum indignum esset, Pontifex ab ea mente Matthiam abduxit, hortatusque est (d), ut virum meritis insignem, qui ecclesiæ Hungaricæ virtutum exemplo cæteris prælucetet, ac promovendæ animarum saluti idoneum designaret. Destitit Matthias Rex indignas urgere preces. Ut vero Hippolytus Atestinus auctus ætate

Indignæ Ungari Regis preces.

(d) L. 2. brev. p. 407.

NOTÆ [1] Occasione novæ promotionis ad vacuam Patavinam Ecclesiam diffidia quædam Venetos inter & pontificem nata sunt, de quibus Annalista hic sermonem instituit. Verum licet in præsentam annum extracta illa sint, ut ex literis pontificiis satis constat; præcedenti tamen anno cœperunt; quorum originem hanc assignat Naugerius hist. Venet. ad annum 1486. Patavina Ecclesia pastore suo viduata de altero sufficiendo cogitantes Veneti, pro Petro Barozi Bellunensi episcopo ad pontificem scripserunt. Sed commendata jam ecclesiæ administratione Michaeli Cardinali, Veronensi episcopo, Pontifex rogantes Venetos repulit. Nihilo tamen secius renuente Veneto senatu Cardinalem admittere, tandem Cardinali seu sponte seu coacte cedente quod ecclesiæ illius proventus assequi per Venetos non liceret, Bellunensis assumptus fuit. Hæc Naugerius. MANSI

tate cardinalitia purpura donatus fuerit, dicetur inferius.

XXXVIII. Archiep. Colocen. tentus in vinculis. (a) Bonfin. dec. 4. l. 3. in fin.

Læserat porro graviter Matthias jus ecclesiasticum conjecto in vincula Petro archiepiscopo Colocensi, quem Bonfinius ait (a) fuisse virum *Libero acrique ingenio & animo pro asserenda sæpe veritate, & utilitate publica usque adeo vehementi, ac intrepido, ut formidolosam Regis iracundiam quandoque non expaverit*; addit etiam literarum studiis clarum, quibus in Italia operam dedisset. Cum itaque indignum esset tantum metropolitam teneri in vinculis, Innocentius Matthiam monuit (b), ut eum in libertatem revocaret, & si ab eo læsus esset, magnitudinem animi, quam toties egregiis clementiæ exemplis ostenderat, explicaret; vel si læsæ majestatis reum severitati legum subiici vellet, illius causam ad apostolicum tribunal reiiceret, cum nefas esset apud laicum judicem archiepiscopum judicio postulari.

(b) L. 2. brev. p. 321.

*Regi Hungariæ.*

*Quoniam mora temporis non parva hac in re jam intercessit, & archiepiscopus ipse carcere detinetur, cum nonnulla honoris Apostolicæ sedis nostrique, ac tui sugillatione, & Dei offensione, duximus esse officii nostri has literas maiestati tuæ scribere, quam hortamur, rogamus, & per viscera misericordiæ domini nostri Jesu Christi obtestamur in Domino, ut eundem archiepiscopum pristinæ libertati ad paternas preces nostras restituere velit, cum præsertim jam cessare potuerit omnis de illo homine concepta suspicio, ut si (quod absit) aliquid contra majestatem tuam molitus fuisset, ita sit & Dei auxilio sapientia tua præmunita, ut nihil tibi detrimenti afferre possit amplius homo miser, & imbecillis, quem clementia tua regia eu carceris squallore cum summa, ut sæpe in aliis, sua laude experta est liberaverit. Ea in re maiestas tua rem Deo placitam, nobis ac venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, supra quam dici possit, gratissimam faciet, si vero ipse archiepiscopus aliquid contra personam tuam, ac statum inclytorum regnorum tuorum machinatus fuisset, si ita opus fuerit, pro maiori causæ cognitione ipsum archiepiscopum usque ad nos etiam sub fidis custodibus evocari faciemus, tale adhibituri temperamentum, quod celsitudini tuæ satisfiet, & archiepiscopus, si qua demerita commiserit, pœnas luet. Dat. Romæ apud S. Petrum die VI. martii MCCCCLXXXVI. pontificatus nostri anno II.*

XXXIX. Reprehenderat is Matthiam tyrannidis.

Obduruit ad pontificias preces Matthias, ad quem emolliendum reducendumque ad officii religionem postea ab Innocentio Angelum Hortanum episcopum internuntium apostolicum missum testatur Bonfinius (c), demum vero Petrum fuisse carcere sexto post anno urgente legato apostolico liberatum a Joanne Corvino, fremente licet Regina Beatrice, qua instigante in custodiam fuerat traditus (d), ob correptum exercitæ in Hungaros tyrannidis Regem assentatorum lenocinia, non aspera & veracia monita excipere volentem. Eundemque præsulem Bonfinius hoc exornat (e) elogio: *Primus hic erat principis secretarius, qui solus dicendi libertate apud eum omnia libere loquebatur, damnabat insolentia palam tributa, quæ ter quaterve quotannis ob ingentia diversaque bella a Rege imponebantur, quas dicas appellant, quibus non modo domesticatim, sed viritim aureum quisque nummum pendere cogebatur; id vulgo, & apud principem sæpius improbavit, præter linguæ libertatem, qua maximi quandoque viri se tangi sentiebant. Factiosa quædam accessit æmulatio huius gratia inter principes oborta, qua regius animus offendebatur, quamvis eum alioquin diligeret, & observaret. Commotus tandem Rex aut coercendæ libertatis gratia, aut uti dilectissimi exemplo amici cæterorum audaciam procerum deterreret, hunc præter sacrosanctam metropolitæ dignitatem in carcerem sane conjecit, sed honestissime per arces regias asservatus annos sex circiter linguæ suæ pœnas luit.*

(c) Bonfin. dec. 4. l. 8.

(d) Id. dec. l. 9.

(e) Bonfin. dec. 4. l. 6.

Indignum vectigal Turcico more impositum Hungaris.

Porro hoc anno celebratos a Matthia Rege solemnes conventus Budæ ad temperandam optimis institutis Hungariam, atque in iis saluberrimas leges latas, narrat Bonfinius (f). Ad intercipienda inprimis litigantium subterfugia, tollendamque litium æternitatem decretum, ut eæ certo temporis & prorogationum numero definirentur. Vetita etiam monomachia, cum barbarico more deficientibus testimoniorum probationibus singulari certamine causa definiri soleret. Reliquas sanctiones prosequitur Bonfinius, atque hæc humanitatis exempla a Matthia edita, quibus mirificam omnium fidem sibi comparabat, commemorat: *Non solum*, inquit, *proceres nobilesve milites officii gratia, sed gregarios quoque visitavit. In castris ægrorum charitate contubernia lustravit, sæpe languentes propria manu pavit, jentaculaque porrexit, hortabatur ad convalescendum, increpitabat pusillanimes, & desperatos consolabatur, sæpe in acie vulnera obligavit.* XL.

(f) Bonfin. dec. 4. l. 7.

Vetita singularia certamina.

Perhumanissimus in milites Matthias.

Cum is ulteriorem quoque Austriam sibi subjicere meditaretur, conventu Iglaviæ in Moravia acto amicitiam cum Vladislao Bohemiæ Rege confirmavit. Tum in Austriacum vertit impetus, ac triplice XLI.

Fredericum Imp. deturbat Austria.

plice

plice Hungarorum, Bohemorum, Rascianorumque succinctus exercitu, Frederico Imperatori plures munitissimas urbes ademit (*a*), Lavam nimirum, Rhecz, Egnburgum, Novam civitatem, quæ unius anni flexu continuam oppugnationem sustinuit. In Styriam etiam eruptione facta vicina oppidula subegit: denique ut Germanicas vires magis distraheret, cum Carolo VIII. Francorum Rege Maximiliani ducis Burgundiæ Frederici filii hoste armorum fœdus sancivit, ut simul in Belgio a Gallis, in Austria ab Hungaris Austriacus vexaretur: atque ita Christiana respublica in perniciem suam ruebat, cum longe melius & Pannoniæ saluti, suoque honori Matthias consuluisset, si pontificiis monitis obsequutus, redintegrata cum Germano concordia arma adversus Turcas vertisset, cum post varias procellas bellicas demum Hungaria a Turcis & Austriacis ferro flammaque divisa fuerit. [1]

(*a*) *Id. ib. Abraham Bakschay in chron. Ungar.*

XLII. Maximilianus creatus Rex Romanorum.

Dum vero in Germaniam proferre victorias Hungarus annitebatur, Germani ineunte anno habitis Francofurti comitiis ad confirmandum labantem pene Austricam potentiam superstite Cæsare ejus filium Maximilianum Regem Romanorum creaverunt, de quo hæc refert Burchardus (*b*) in diariis cæremonialibus: *Die* XVI. *mensis februarii præteriti serenissimus & invictissimus princeps Fredericus Romanorum Imperator semper Augustus obtinuit ab electoribus seu imperii, videlicet Reverendissimis dominis Maguntino, Coloniensi, & Treverensi archiepiscopis, comite Palatino, duce Saxoniæ & marchione de Brandeburg, Rege Bohemiæ, ut dicitur, non vocato & absente, in oppido Francfordiensi eligi in Romanorum Regem illustrissimum principem Maximilianum archiducem Austriæ, &c. filium suum, cujus orator tunc in urbe Romana erat: qui audita domini sui promotione voluit aliorum Regum oratores in urbe assistentes præcedere, sed illi non permiserunt. Fuit res in consistorio proposita & agitata: tandem conclusum fuit quod deberet expectari usque mitteretur ad Pontificem, & peteretur, Maximilianum pro electo & Rege haberi ad instar Caroli IV. cujus literæ cum pendenti imperiali sigillo fuerunt adductæ ad instar Clem. de jurei. & tunc daretur locus petitus*: His consentiunt reliqui scriptores, (*c*), inter quos Trithemius principum electorum nomina recenset: *Electus est*, inquit, *annum agens ætatis* XXVIII. *electores autem fuerunt Bertholdus archiepiscopus Moguntinus, Joannes archiepiscopus Trevirensis, Hermannus archiepiscopus Coloniensis, Philippus comes Palatinus Rheni & dux Bavariæ, Ernestus dux Saxoniæ, & Albertus marchio Brandeburgensis.*

(*b*) *Burchar. in diar. caerim. ms. arch. Vat. p.489.*

(*c*) *Tritbem. in chron. Spanbeim. Naucler. vol.2. gen. 50. Langius in chron. Michov. l.4. c.73. Crom. l. 29. Serrar. Mogunt. rer. l.5. in Bertholdo & alii.*

XLIII. Queritur Bohemus non fuisse vocatum ad comitia.

Absuit ab his comitiis Wladislaus Rex Bohemiæ Polonus genere, cum ille Regi Hungaro fœdere junctus esset, traducitque Bonfinius (*d*) Friderici avaritiam, qui Bohemos adversus Hungarum stipendio non conduxerit, nec Wladislaum sibi devinxerit, cum Bohemicis armis fultus nunquam Austria pulsus fuisset. Cæterum Wladislaum Regem Bohemiæ misso ad Innocentium oratore gravissime conquestum, se ad comitia Francofurtensia pro creando Rege Romanorum Maximiliano vocatum non fuisse, tradit Burchardus (*e*), additque contendisse ab Innocentio, ut principibus scriberet, ne illum septemviratus jure defraudarent. Descripsit (*f*) metro Francofurtensium comitiorum celebritatem egregio carmine Quintus Æmilianus, qui de divinis mysteriis post creatum Cæsarem solemni pompa peractis hæc cecinit.

(*d*) *Bonfin. dec.4. l.7.*

*Non hic taurorum placatur sanguine fuso:*
*Non positis holocausta sacris altaribus ardent.*
*Sed qui panis erat verum fit corpus, & unda*
*Fit sanguis, Christusque pias offertur ad aras.*

(*e*) *Burchar. in diar. ms. arch. Vat. p.673.*

(*f*) *Æmil. in Encomiast. Frider. & Maximil. to. 2. rer. Germ. ex editione Freher.*

XLIV.

Ubi porro fama de Maximiliano ad Ger-

NOTÆ [1] Nihil grave in Germania passum fuisse Austriacum Principem hoc anno, quamquam undique hostilibus armis petebatur, docet chronista Misnensis Menkenii ad hunc annum scribens: *Plurima civitates Gallicarum* (Belgii scilicet) *existente Maximiliano in Frankfordia, defecerunt ab ipso, quas tamen rediens recepit, capitis truncatione authoribus defectionis mulctatis*: Scriptor iste hoc anno chronicon suum claudit. De comitiis vero Frankfordiensibus hæc ille ibidem adnotat: *Circa conversionem S. Pauli iterum* (nam præcedenti anno eodem januario mense eo pariter convenisse imperii principes scripserat) *convenerunt principes ad Frangkfordiam cum filio suo* (Friderici) *Maximiliano duce Burgundia ipse Fridericus aderat, & tractatum est de electione novi Regis Romanorum, Et post consilia habita, tandem agente Adalberto Marchione Brandeburgense*, consensum est in Maximilianum imperatoris filium, *Burgundia & Austriæ ducem qui statim coronam regni Franckfordia, & post Aquisgrani percepit*. Hanc Aquisgranensem coronam assumptam ab eo die IX. aprilis, quæ tunc dominicalis erat, constat ex publicis ea de re tabulis recitatis a Frehero Rer. Germ. to. III. MANSI

Germanicum regnum evecto percrebuit, Innocentius ingenti lætitia affectus festivas ad eum literas misit (*a*). Gratulatus etiam est Frederico Imperatori, eique de ipsius oratore hæc rescripsit (*b*): *De nostra optima erga te volantate nonnulla referet aperietque serenitati tuæ, nos magnopere lætari, audientes a nonnullis te regno in personam nati tui nobis dilectissimi cessisse, quod nobis gratissimum fuit audire*. Ita cessit Fredericus Germanico regno, ut tamen dum superstes fuit illius administrationem gesserit: ad imperialia vero insignia corripienda Maximilianum varias in Italiam expeditiones tentasse visuri sumus. Paulo autem post significavit Bertholdus archiepiscopus Moguntinus Pontifici, quo tandem ordine sceptrum Germanicum Maximiliano decretum fuisset, cui Innocentius de navata in ea re opera gratias egit (*c*), quibus literis prima aprilis dies ita ascripta est. *Dat. Romæ apud S. Petrum die* 1. *aprilis MCCCCLXXXVI. pontificatus nostri anno* II. Lapsis aliquot diebus redimitus est die nona aprilis Maximilianus Aquisgrani Germanica corona solemni ritu, qui in publicis monumentis (*d*) tunc editis describitur in historia Germanica ex editione Freheri, quem lector cupidus consulat; sufficit nobis sacramenti ab eo tunc nuncupati formulam, & pauca alia decerpere, hæc enim referunt acta: *Ductus est Rex ad altare per archiepiscopos Moguntinensem, & Trevirensem: ibi ponens ambas manus super altare, fecit hanc professionem in vulgari. Profiteor, & promitto coram Deo, & angelis ejus amodo, & deinceps legem, & justitiam pacemque sanctæ Dei Ecclesiæ servare, populoque mihi subiecto prodesse, & justitiam facere, & conservare jura regni, salvo condigno divinæ misericordiæ respectu, sicut cum consilio principum, & fidelium regni atque meorum melius invenire potero. Sanctissimo Romano Pontifici, & ecclesiæ Romanæ cæterisque pontificibus, & ecclesiis Dei condignum, & canonicum honorem volo exhibere. Ea etiam, quæ ab Imperatoribus, & Regibus ecclesiis seu ecclesiasticis personis collata sunt, & erogata, inviolabiliter ipsis conservabo, & faciam conservari: abbatibus, & ordinibus vasallis regni honorem congruum volo portare, & exhibere, domino nostro Jesu Christo mihi præstante auxilium, fortitudinem, & decorem.*

(*a*) L. 2. brev. pag. 237.
(*b*) Ead. p. 237.
(*c*) L. 2. brev. pag. 282.
Ritus in Maximiliani Cæsaris creatione servati.
(*d*) Ext. to. 3. rer. Germanic. ex editione Freheri p. 27.
Jusjurandum a Maximiliano conceptum.

*Qua professione facta ductus est Rex per dominos archiepiscopos Moguntinensem, & Trevirensem ad solium suum, seu sedem regiam, quæ est superius super altum monasterium ante altare Apostolorum Simonis & Judæ, clero cantante responsorium istud: Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine, & volantate labiorum ejus non fraudasti eum. Versus: Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et dominus archiepiscopus Coloniensis sequebatur eum cum suis ministris Regem cum cæteris principibus, ponentes eum ad ad eamdem sedem regiam S. Caroli lapideam. Ibi dominus Coloniensis dixit: Ita retine amodo locum regium, quem non jure hereditario, neque paterna successione, sed principum seu electorum in regno Alemaniæ tibi noscas delegatum, maxime per authoritatem Dei omnipotentis, & traditionem nostram præsentem, & omnium episcoporum, cæterorumque servorum Dei: & quanto clerum sacris altaribus propinquiorem prospicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris, quatenus mediator Dei, & hominum te mediatorem cleri, & plebis in hoc regni solio conservet, & in regno æterno secum regnare faciat Jesus Christus dominus noster Rex Regum, & Dominus dominantium, qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto vivit & regnat Deus, &c.* Commendat Nauclerus (*e*) Maximilianum hoc elogio: *Fuit vir summa virtute, rei militaris scientia insignis, in quo relucebat justitiæ fervor, ac zelus singularis, benignitas atque clementia cum vitæ, ac morum observantia: quibus regiis virtutibus ornatus ex regia domo nulla ex parte majorum suorum laudibus inferior evasit*. Primam illum legem de pace publica colenda tulisse idem author refert (*f*), ne quis scilicet jus ferro, sed legibus disceptaret, pacisque violatoribus cæsaream iram ultionemque intentasse, eaque asserendæ majestatis cæsareæ occasione Suevos fœdus inter sese pepigisse, ad quod præpotentes etiam principes accesserint. At Galliæ Pannoniæque Reges Maximiliani æmuli ægre tulere ipsum ad cæsareum fastigium fuisse evectum, scribitque Krantzius (*g*) ei a Francis literas aculeatas remissas, quibus ipsum hoc scommate pupugere, se Regem Romanorum jactare, cum Romæ nihil potestatis aut opum haberet. Maximilianum vero ad repetendas amissas Belgii urbes exercitum comparasse, pluresque, nimirum S. Audomari Fanum, Morinum, Atrebatum aliasque arces in suam potestatem redegisse: de quibus etiam meminit Cominæus (*h*).

(*e*) Naucl. vol. 2. gen. 50.
Maximiliani elogium.
(*f*) Id. ib.
(*g*) Crantz. Saxo. l. 13. c. 2.
Plures urbes in Belgio ereptæ Gallo.
(*h*) Com. l. 7. c. 3.

XLV. Oborta etiam in Galliis tum intestina bella (*i*), quod proceres nonnulli iniquo animo paterentur regni gubernacula ab Anna Caroli amita teneri: Ludovicus vero Aurelianensis regiæ procurationem sibi arrogaret, jungeretque cum Maximilia-

(*i*) Crantz. ubi sup. Masson. in Car. VIII.

no

(a) Crantz. ubi sup.
(b) Comin. sup. c. 3.

no arma (a): captum porro in pugna Britannica Ludovicum, ac Maximilianum inter & Carolum redintegratam (b) pacem postea videbimus. Ad asserenda porro ecclesiæ Romanæ jura hoc anno Innocentius repetiit a Carolo Rege Valentinensem & Diensem comitatus, quos a Ludovico XI. ejus parente Pio II. restitutos vidimus, ac dein post Ludovici obitum injuria occupati fuerant: cui cum respondisset Carolus controversiam ex æquo & bono constitutis arbitris diremptum iri, institit Innocentius (c), ut viros probitate conspicuos ad cognoscendum causam designaret. Extracta ea lis est, iique comitatus postea ab Alexandro VI. qui ad magnas opes & amplissimos principatus nothos filios evehere, atque Gallum Regem sibi devincire annitebatur, abalienati fuerunt a ditione pontificia.

De Valentinensi & Diensi comitatibus lis exorta.
(c) Lib. brev. p. 457.

XLVI. Hoc anno Innocentius ad sedanda exitiosa Anglorum bella, quæ ob veteres controversias de sceptri Anglici successione inter Lecestriensem, & Eboracensem regias stirpes jamdiu exarserant, Lecestriensi familiæ regnandi jura asseruit, atque inter Henricum, & Elizabetham Eboracensem initum conjugium solutis contrariis legibus confirmavit, præcepitque Anglis (d) apostolico pro imperio, ne unquam posthac de successionis juribus novas lites, quæ tantum cruoris fuderant, movere auderent.

Abalienatus postea is principatus ab Alex. VI.
(d) Lib. sign. n. 1900. P. secret. p. 413.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Romanus Pontifex, in quo potestatis plenitudo consistit, inter curas multiplices, quibus rerum negotiorumque varietatibus continue premitur, ad ea ex debito pastoralis officii sibi commissi solicite intendere debet, per quæ inter catholicos principes eorumque vasallos, & subditos pacis, & quietis, quo adjuvante Domino conservetur amœnitas, & quæ iis contraria sunt, ac scandala producunt, per suæ vigilantiæ studium radicitus extirpentur, prout, personarum, locorum, & temporum qualitate pensata, id in Domino conspicit salubriter expedire. Nuper pro parte charissimi in Christo filii nostri Henrici VII. Angliæ Regis illustris, & dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Elizabeth claræ memoriæ Eduardi IV. dicti regni olim Regis primogenitæ nobis exposito, quod ipsi ad submovendum contentiones, quæ de regno ipso fuerant inter eorum prædecessores de Lancastriæ, de qua ipse Rex Henricus, & Eboracensis inclytis domibus, & familiis dicti regni, de qua Elizabeth præfati originem trahebant, quarum occasione in regno ipso gravia scandala retroactis temporibus exorta fuerant, desiderabant invicem matrimonium contrahere, sed quia quarto, & quarto consanguinitatis, & forsan affinitatis gradibus invicem conjuncti erant, eorum desiderium hujusmodi in ea parte adimplere non poterant dispensatione apostolica desuper non obtenta. Nos tunc cupientes perpetuæ tranquillitati, paci, & quieti dicti regni, quemadmodum decet pium & communem patrem & pastorem omnium Christianorum, providere, ac discordiis, quæ in eo regno diu inter descendentes ex domibus prædictis cum maximo ipsius regni detrimento viguerunt finem imponere, illudque futuris dissensionibus occurrendo pacatum, & quietum perpetuis temporibus reddere, ac Christiani sanguinis effusionem evitare, cum eisdem Henrico Rege, & Elizabeth, ut hujusmodi consanguinitatis, & forsan affinitatis impedimentis non obstantibus, matrimonium inter se contrahere, & in eo postquam contractum fuerit remanere libere, & licite possent per alias nostras literas gratiose dispensavimus, suscipiendam ex hujusmodi matrimonio prolem legitimam nuntiando.*

Pro resistenda Angliæ pace actum de matrim. inter Lanclast. & Eboracensem stirpes.

*Cum, sicut accepimus, Henricus Rex, quamquam non modo jure belli, ac notorio, & indubitato proximo successionis titulo, verum etiam omnium prælatorum, procerum, magnatum, nobilium, totiusque ejusdem regni Angliæ plebis electione, & voto, nec non decreto, statuto, & ordinatione ipsius Angliæ regni trium statuum in ipsorum conventu, parlamento nuncupato, propter hoc publice, & generaliter celebrato, jus ipsius regni Angliæ ad ipsum Henricum VII. Angliæ Regem, suosque heredes suo ex corpore procreandos indubitanter, & de jure pertineret, eidemque delatum foret: ad omnes tamen discordias, & dissensiones, quæ olim inter illustres Lancastriæ, & Eboracensem domos prædictas viguerat, tollendas, atque in perpetuum abolendas, ac pro firma, & perpetua pace in eodem regno observanda, ad præcipuam, & specialem ipsorum trium statuum dicti regni requisitionem assenserit eandem Elizabeth principissam immortalis famæ Regis Eduardi præfati primogenitam, & veram heredem ducere, haberque in uxorem dummodo primitus a nobis opportuna dispensatio super impedimentis prædictis obtineretur: nos, qui una cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus omnia, & singula supradicta paterna charitate considerantes, non solum super matrimonio hujusmodi inter Henricum Regem, & Elizabeth principissam præfatos, ut præfertur, contrahendo ex causis supradictis per dictas nostras literas dispensavimus, sed etiam prolem suscipiendam ex eo ad succedendum eisdem Regi, & Elizabeth legiti-*

XLVII.
Jus regni Angl. Henric. VII. spectare pronuntiatum.
Eboracensium hæres fuit Elisabetha.

gitimam nuntiavimus, prout in eisdem ipsius dispensationis literis plenius continetur, motu proprio non ad Henrici Regis aut Elizabeth prædictorum, aut alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa nostra scientia hujusmodi dispensationem, nec non matrimonium vigore illius contrahendum, seu cujusvis alterius dispensationis desuper a sede Apostolica, vel illius pœnitentiaria, aut legatis, sive nuntiis ad id facultatem ab eadem sede habentibus forsan obtenta pro tempore contractum, quorum quidem nostrarum literarum, & aliarum prædictarum dispensationum tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur haberi volumus pro expressis, legitimamque liberorum successionem, & etiam declarationem, pronuntiationem, & decretum parlamenti tam super titulo ipsius Henrici Regis, quam super successione liberorum, ac heredum suorum, nec non omnia alia, & singula præmissa auctoritate apostolica præsentium tenore confirmamus, & approbamus, ac robur perpetuæ, & inviolabilis veræ firmitatis obtinere eadem auctoritate pronuntiamus, decernimus, atque declaramus, supplemusque omnes, & singulos defectus tam juris quam facti, si qui forsan intervenerunt in eisdem, aut aliquo præmissorum, monemusque, & requirimus motu, scientia, & authoritate prædictis omnes, & singulos dicti regni incolas, & ejusdem Henrici Regis subditos, cujuscumque gradus, status, seu conditionis existant, etiamsi ducali, vel majori dignitate præfulgeant, eisque & cuilibet eorum distincte præcipiendo inhibemus, ne ipsi aut aliquis eorum novos tumultus occasione juris succedendi hujusmodi, vel quocumque, vel quovis quæsito colore, aut quacumque alia causa in eodem regno per se, vel alium seu alios movere, seu moveri facere dispensationi, declarationi, & decreto hujusmodi, aut paci tranquillitative ipsius Angliæ regni contraveniendo quovis modo præsumant sub excommunicationis, & majoris anathematis pœna, quam omnes, & singuli hujusmodi tumultus novos excitantes, vel excitari facientes, atque pacem, & regni præfati tranquillitatem posthac nequiter deturbantes, aut prædictis contravenientes ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, cujuscumque, ut præfertur, dignitatis, status, gradus, seu conditionis existant, etiam si ducali aut majori præfulgeant dignitate, eo ipso incurrant, eosque incurrere, & illius vinculo innodatos, & involutos ipso facto esse eisdem motu, scientia, & auctoritate volumus, statuimus, decernimus, atque declaramus, a quo quidem excommunicatio-

Sublatæ leges contrariæ ut connubio jungi possint.

Vetiti Angli de successionis jure novas lites movere.

nis, & anathematis vinculo ab alio quam a sede Apostolica præfata, aut cui ipsa sedes id specialiter, & specifice commiserit, præterquam in mortis articulo constituti, nequeant absolutionis beneficium obtinere. Etsi, quod Deus avertat, contingat ipsam Elizabeth prole ex dicto Henrico Rege non suscepta, vel suscepta non tamen tunc superstite, decedere ante ipsum Regem, eo casu prolem ex ipso Rege Henrico, & alia quæcumque ejus legitima uxore ab eo superinducenda in omni jure hereditario regni hujusmodi juxta antedictum ipsius parlamenti decretum, & hujusmodi nostram illius approbationem, & confirmationem super hujusmodi decreto, & aliis prædictis, ut præmittitur, factam succedere debere similibus motu, scientia, & auctoritate etiam decernimus, & declaramus. Et ne in hujusmodi eventum quispiam proles præfatæ successionem hujusmodi quovis colore impedire, aut ad impediendum novos tumultus in eodem regno per se, vel alios excitare aut excitari facere, vel procurare præsumat, sub præfatis censuris, & pœnis, quas omnes, & singuli novos tumultus, ut præfertur, ex quacumque causa in contrarium excitantes, aut excitari facientes, eo ipso incurrant, & a quibus ab alio quam sede prædicta, & cui sedes ipsa id specialiter commiserit, absolvi nequeant, præterquam in mortis articulo constituti. Pari motu, scientia, & auctoritate prohibemus, & quoscumque tam principes exteros, quam dicti regni incolas præstantes opem, & succursum eidem Henrico Regi, eiusque descendentibus in eodem regno successoribus Angliæ Regibus contra eorum rebelles, aut aliqua contra præmissa quovis pacto molientes eisdem motu, scientia, & auctoritate benedicimus, & illis quos sic faciendo in tam justa causa decedere contingeret plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam, & remissionem elargimur.

Obiectæ contra tendentibus censuræ.

XLVIII. Et nihilominus universis, & singulis episcopis, monasteriorum abbatibus, metropolitanis, & aliarum cathedralium, & collegiatarum decanis, archidiaconis, canonicis, parochialium & aliarum ecclesiarum rectoribus, sive vicariis perpetuis, prioratuum, & domorum cujusvis etiam mendicantium ordinum prioribus, & guardianis, & quibuscumque aliis ecclesiasticis personis exemptis, & non exemptis similibus motu, scientia, & authoritate sub interdicti ingressus ecclesiæ in episcopos, & superiores, ac excommunicationis latæ sententiæ pœna in inferiores ab eis eo ipso per eos, si non paruerint, incurrenda mandamus, quatenus ipsi, & quilibet eorum, cum pro parte præfati Henrici Regis heredum, & suc-

Jussi ecclesiastici censuras in adversarios distringere.

*successorum suorum hujusmodi quotiescumque fuerint desuper requisiti, contravenientes hujusmodi, & novos tumultus excitantes in ecclesiis suis, & aliis locis publicis inter missarum, & aliorum divinorum officiorum solemnia, nec non aliis temporibus congruis toties quoties requisiti fuerint, excommunicatos & anathematizatos esse, & hujusmodi sententias, & censuras incurrisse publice nuntient, faciantque ab aliis nuntiari, & ab omnibus arctius evitari, ac legitimis super his habendis servatis processibus censuras, & pœnas hujusmodi iteratis vicibus aggravent contradictores, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCCLXXXVI.* VI. *kal. aprilis pontificatus nostri anno* II. Paruere Angli Romano Pontifici, atque ex hoc matrimonio Henricus VIII. susceptus est, qui postea sævæ libidinis furiis agitatus Anglos a Romanæ ecclesiæ obsequio divulsit, ut suo loco dicetur.

XLIX. Pro Albaniæ principe concordiæ interpretem agit Inn. (a) Eod. l. 2. brev. p. 304. Missa sacra munera ad Gallum & Scotum Reges. (b) Ibid. p. 250. (c) Ib. p. 244. & 304.

Vexata quoque fuerat Scotia civili bello, cujus dirimendi cupidus Innocentius Carolum Francorum Regem sollicitavit (*a*), ut regiam authoritatem, qua plurimum poterat apud Regem Scotiæ, ad conciliandum cum eo fratrem Alexandrum olim Albaniæ principem adhiberet. Transmiserat (*b*) ad eundem Regem Carolum paulo ante candelas religiosa precatione beatissimæ Virgini purificatæ festo die sacratas; ad Scotum vero rosam auream recurrente prima quadragesimæ dominica vetere ritu similiter sacratam, cujus mystici muneris significationes, arcanas hisce literis aperuit (*c*).

*Regi Scotorum.*

Quid mystice significet.

*Suscipe, charissime fili, rosam hanc lætissimo corde monimentum, & pignus nostræ in te paternæ benivolentiæ, in qua non muneris æstimanda est quantitas, sed altioris significationis qualitas interpretanda, nec te auri fulgor, sed contemplatio divinæ significationis teneat: sancta enim Ecclesia hoc donum per manus summi Pontificis ordinavit ad declarandam lætitiam, & gaudium ex humani generis liberatione susceptum, rosa enim ipsa corpori gloriosissimo Jesu Christi, qui nos pretioso sanguine suo redemit comparata est, flos enim ille omnium est florum, & aspectu jucundior, & odoris suavitate fragantior. Penetret igitur in tuos sensus divinus odor, ut eo repletus generositatem animi tui, & catholicam mentem in dies magis explices, & augeas, deque ipsa republica Christiana sanctaque Apostolica sede benemereri studeas. Dat. Romæ apud S. Petrum die* XII. *martii MCDLXXXVI. pontificatus nostri anno* II. Data est Imolensi pontificio internuntio provincia, ut eam Scotiæ Regi sua manu porrigeret: *Tanquam*, inquit (*d*) Innocentius, *nostri amoris in eum, & suæ virtutis eximiæ pignus*. Ornati etiam sacris muneribus alii nonnulli principes ab eodem Pontifice fuerunt, icunculas enim cereas cœlestis agni typo impressas, devotasque sacra prece ad ducem Britanniæ ob eximium illius in sedem Apostolicam studium transmisit (*e*), pollicitus alias etiam erogaturum, gesturumque morem ejus pietati, si Britonius proceribus plures elargiri vellet.

(d) Ib. p. 305.

(e) Ib. p. 315.

L. Icunculæ agni effigie impressæ ad Britonem missæ. (f) Ib. p. 309. Et ad Regem Hispaniæ. (g) Ib. post ep. (h) Ib. p. 172.

Eodem pio dono affecit (*f*) Ferdinandum ulterioris Siciliæ, Aragoniæ, & Castellæ Regem, utque in Salvatoris memoriam recurrente primo a resurrectione dominica sabbatho sacrari soleant significavit. Decorata est iisdem sacris muneribus Elisabetha Regina ejus uxor, ad quam conceptæ iisdem ferme verbis extant datæ literæ (*g*). Miserant vero antea iidem Reges ad Innocentium Neapolitani belli sumptu exhaustum liberalis observantiæ ergo decem aureorum millia, de quibus actæ gratiæ a Pontifice ipso (*h*), tum addita adhortatio, ut Mauricam gentem superstitioni Mahumeticæ deditam excinderent, qua excisa cæteris principibus ad Turcicum evertendum imperium arma conjungere possent: *Occurrit nunc vos hortari, ut bellum contra Mauros susceptum magno, ut facitis, animo prosequamini, quod cum juste, & pro Dei gloria geratis, non potestis nisi felicem illius exitum sperare, quem Deus ipse, cujus causa agitur & dedit hactenus, & dabit. Nos quoque quoad poterimus, tam pio vestro incepto non deerimus: ex quo speramus cum vestra immortali laude, & gloria multa Christiano nomini bona proventura, debellatis enim Mauris, & ad divinum cultum gente illa redacta, florentes vires vestras contra Christiani nominis hostem Turcum convenire poteritis, & cum cæteris Christianis principibus una bellum capessentibus, nobis in primis juvantibus, & Deo duce, victoriam ex truculento illo hoste reportare: quod utinam cito liceat, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum die* VIII. *februarii MCDLXXXVI. pontificatus nostri anno* II.

Additi iis stimuli ut Mauros debellent.

LI. Hurtadus Mendoza Card. belli Maurici promotor. (i) L. 2. brev. p. 172. Commendati Reges Hisp. ob præclare gesta.

Incendebat tum Ferdinandum & Elisabetham ad Mauricos triumphos Hurtadus Mendoza Hispaniarum primas, idemque Cardinalis, quem Innocentius (*i*) de præclaris illius consiliis & facinoribus, quibus Cardinalitiam purpuram decorabat, commendavit, pollicitus apostolica se ope illis non defuturum: *Quid dicemus de illustribus Regibus istis, quave laude eos prosequemur? certe magna commendatione digni sunt pro sincero animo, & catholica mente, quam omnibus in rebus ad dignita-*

*tem, & honorem noſtrum, & huius ſanctæ ſedis pertinentibus oſtendunt. Non minor laus eos ſequitur pro iis, quæ contra Mauros in Dei laudem gerunt, a quibus brevi Deo duce ſperamus eos victoriam ſumma cum gloria reportaturos, & Chriſtianæ reipublicæ, quod eorum invicta virtus polliceri videtur multum profuturos. Nos vero eis non deerimus in iis, quæ poterimus pro tam pio proſequendo incœpto, & ad exitum perducendo, neque ullo tempore ceſſabimus paterna illis officia procurare. Datum Romæ apud S. Petrum die* VIII. *februarii MCDLXXXVI. pontificatus noſtri anno* II. Addixerant vero ſeſe Ferdinandus & Eliſabetha provehendæ divinæ gloriæ aſſerendæque religioni, ac veluti ſydera cæteris Regibus iter ad gloriam & immortalitatem monſtrabant, tum ad cæptum opus de exeindendis Marrhanis hæreticis, Mauriſque ex Hiſpania pellendis perficiendum alacriter incumbebant: quibus pontificiam opem implorantibus Innocentius non defuit, data enim apoſtolica diplomata (*a*) eorum oratori fuerunt, tum de vocatis ad crucis dominicæ ſigna fidelibus, tum de conſtitutis ſacris tribunalibus: de quibus apoſtolicis literis facti ſunt certiores.

(*a*) *Ib. p.* 194.

LII. De ſacra in hæreticos cenſura poſtea dicetur: quod vero ad Mauricum bellum attinet; non ſefellit Pontificem concepta ſpes; cum enim Hiſpani ſacro crucis ſymbolo inſigniti pro religione pugnaturi in Mauros erupiſſent, glorioſiſſimas de iis victorias retulere (*b*): ſavit autem noſtris Maurorum diſcordia, quippe Abohardilles & Boabdilles de regno invicem diſceptabant, illudque diſciderant, ut Granata quidem, Almeria, & Malaca Bohardilli conceſſæ eſſent; reliqua ditione Maurica Boabdilles potiretur. Verſus eſt primus impetus in Loxam, quæ ſe Boabdilli dediderat, impetus, quamque magnis animis propugnavit Rex barbarus, factiſque eruptionibus noſtros ad pugnam laceſſivit: ſed a Chriſtianis divina ope retuſus eſt, contortæ in Maurica propugnacula æneæ machinæ latam muris ſtragem dedere, adeo ut Boabdilles Rex facta prius cum Ferdinando pactione Loxam dediderit, ſeque ad illius pedes victus projecerit. Cujus victoriæ fama late increbuit, deque ea mox Eliſabeth Regina laureatas literas ad Tendillæ comitem miſit Pontifici perferendas, quas cum accepiſſet Innocentius ingenti delibutus gaudio comiti, quem Florentiæ ſubſtitiſſe diximus, ſtatim reſcripſit (*c*), publica a ſe lætitiæ ſigna de Mauris domitis editum iri.

(*b*) *Surit. l.* 20. *c.* 68. *Marian. l.* 25. *c.* 9.

Mauri diſcordiis laborant.

Loxa Ferdinando Regi dedita.

(*c*) *Eod. l.* 2. *brev. p.* 439.

LIII. Actas ſolemni ritu ab Innocentio divino Numini gratias de conceſſa Ferdinando Loxenſi victoria, refert Burchardus (*d*) in rituum diariis: *Dominica*, inquit, IX. *julii Romæ in eccleſia S. Jacobi de Gallicia R. D. P. Petrus epiſcopus Uſſellenſis celebravit miſſam ſolemnem de octava viſitationis B. Mariæ virginis propter victoriam, quam habuit illuſtriſſimus dominus Ferdinandus Ren Hiſpaniæ contra Regem Granatæ infidelem. Poſt orationem diei dixit orationem pro Rege, &c.* De perſolutis Deo ob Loxenſem victoriam laudibus quarto poſt die Innocentius ipſe Eliſabetham Reginam fecit (*e*) certiorem, ipſamque ad inclinatas Maurorum res proſternendas incendit.

(*d*) *Burchar. in diar. mſ. arch. Vat. pag.* 506.

(*e*) *L.* 2. *brev. de cur. p.* 460.

*Reginæ Hiſpaniæ.*

*Cum in ea re majeſtates veſtras ſummo ſtudio elaboraſſe certo ſciamus zelo, & ardore catholicæ fidei, non poſſumus vos non maxime commendare, ac præcipua laude dignos judicare, quod tam benemereri de fide Chriſtiana ſtudeatis. Hortamur idem in poſterum faciatis, & Deo adjuvante perfidam illam barbarorum gentem extirpare nitamini, de qua glorioſam victoriam merito ſperare poteſtis, & debetis. Nus vero hoc felici nunsio contineri non potuimus, quin publicæ hujuſmodi victoriam celebraremus in commendationem majeſtatum veſtrarum, & quo ſtudio poſſemus laudem veſtram proſequeremur, ſperamus ſæpius hoc nos facturos præbita materia a ſerenitatibus veſtris, quæ hujuſmodi victorias continuando famam, & gloriam apud omne Chriſtianorum genus ſibi irrogabunt. Datum Romæ, &c. die* XIII. *julii* MCDLXXXVI. *pontificatus noſtri anno* II.

Solicitata Regina Eliſab. ut victoriam urgeat.

LIII. Cæterum Ferdinandus Rex impoſito Loxæ crucesignatorum præſidio, iiſque præfecto Alvaro Luna, ad illorum ſitu arcem munitiſſimam, e qua in Granatam proſpectus patet, quam barbari dextrum regni, & urbis oculum appellitabant, caſtra poſuit (*f*): cum timore perterriti barbari ſupplices mox deditionem octava die junii fecerunt: pronaque tum fuere ad victorem finitima Loxæ, & Alamæ oppida, nimirum Zagra, Galare, Zagadixium, ac Balnea, quibus Ferdinandus potitus crucesignata caſtra ad Moclinum oppidum arte & natura ad excipiendos propulſandoſque hoſtiles impetus inſtructum & apparatiſſimum, quod Granatenſis regni clypeum Mauri vocabant, metatus eſt, cum itinera Chriſtianis intercluderet, ne ad Granatenſem agrum evaſtandum excurrerent. At licet nullis humanis viribus ea arx expugnari poſſe crederetur, omnia tamen militi Chriſtiano triumphalia crucis ſigna præferenti pervia fuere: atque ita decima ſeptima junii die militari fœdere Mochlinum in noſtrorum poteſtatem ve-

Plures arces ereptæ Granatenſibus.

(*f*) *Sur. l.* 20. *c.* 68. *Marian. l.* 25. *c.* 9.

Moclinum Granatæ clypeus.

venit : eodemque victoriæ impetu Colomera & Mons frigidus Ferdinandi pariter imperium accepit, effusæque deinde in Granatensem agrum copiæ cladem barbaris longe lateque intulerunt. Interea continebat se intra Granatæ mœnia hostis ad sexaginta millia peditum, equitum duo millia accinctus, ac pugnæ conferendæ in asperrimis angustiis loci occasionem quærebat : demumque in postremam nostrorum aciem incurrit Mauricus equitatus, initoque tumultuario certamine propulsatus est, vicini vero agri igni ferroque vastari fuerunt : quod sacrum bellum quinquaginta dies tenuit : attritisque ita Mauris Ferdinandus ad instaurandas vires, reficiendumque militem, fortissimis in arcibus impositis præsidiis, Cordubam reversus est.

*Ferdinando deditur.*

*Quantus fuerit Maurorum exercitus.*

*Vastatus ager Granatensis.*

LIV. Hi Maurici triumphi a Ferdinando Canariarum insularum, quas fidei Christianæ hostes occuparant, expugnatione, propagatæque pietatis gloria cumulati fuerunt : in oppidis enim, & urbibus e Maurica tyrannide ereptis, nec non in Canariis insulis excitari ecclesias, condi monasteria, abbatias institui, ac vectigalibus locupletari curavit, flagitavitque una cum Elisabetha Regina ab Innocentio, ut viros morum nitore, doctrinæ splendore, religionis proferendæ sacro ardore insignes iis ecclesiis præficeret; ob quæ præclara facinora Pontifex utrumque eximio elogio exornavit apostolico diplomate, quo ipsos, & successores jure patronatus in Granatensis regni, Canariarum insularum, aliorumque locorum, quæ infidelibus eriperentur, constitutis constituendisve ecclesiis affecit, ornavitque hoc encomio.

*In Canariis insulis propagata pietas.*

LV. *Charissimus in Christo filius noster Fernandus Rex & charissima in Christo filia nostra Elizabeth Regina Castellæ & Legionis illustres, inter alios Christianorum Reges & Reginas summi rerum opificis & conditoris, cunctorumque bonorum anthoris, & omnipotentis gratia amplissimorum regnorum de fusissimo imperio, & aliarum diversarum provinciarum dominio subditorum obedientia, devotione, & observantia facultatem quoque omnium, quæ summis Regibus necessaria fore noscuntur, affluentia, & ubertate, ætate florida, & animo ad omnia præclara facinora parato, in consiliis prudentia, & in administranda justitia constantia, & multarum præclarissimarum rerum ab eis gestarum gloria, & in re militari peritia, fortitudine, & audacia decorati, ut tantorum bonorum anthori gratias referrent, & aliquid præclarum ad ejusdem omnipotentis Dei honorem, & imperii Christianorum propagationem aggrederentur, non solum cœptum opus expugnationis infidelium insularum Canariæ prosequi & continuare curarunt, sed etiam regnum Granatæ ante eorum oculos consistens prosapiæ Regum Hispaniarum debitum de spurcissimis Saracenis Christi nominis hostibus detentum superioribus annis expugnare, & eorum ditioni subiicere, ac in locis ab eisdem Saracenis acquisitis & acquirendis ecclesias, monasteria, & beneficia ecclesiastica erigi, eisque, certam partem decimarum ac fructuum, redditumm, & proventuum ecclesiasticorum dictorum locorum applicari, & eu eis dotari facere decreverunt, & non in propria, sed ejusdem omnipotentis Dei fortitudine & providentia confidentes opus ipsum omni ex parte difficillimum prosequendo, illius civitates, castra, oppida, & alia loca plurima fere tertiam ejusdem regni Granatæ partem, uti accepimus, constituentia divina favente clementia, eorumque ditioni subjugaverunt, & tam in regno Granatæ, quam insulis prædictis prosperitatis votivis successibus subjugare non cessant in dies &c. Datum Romæ apud S. Petrum an. MCDLXXXVI. idibus decembris pontificatus nostri an. III.*

*De ecclesiis in Mauricis urbibus condendis actum a Ferd.*

Fulcivit quoque aliis subsidiis eosdem Reges Innocentius, ut etiam in Aragonensi regno subsidiarium aurum libere cogere Ferdinandus posset, cum vetusta lege prohibitum esset, ne Rex inconsultis regni ordinibus nova vectigalia populis imperaret, Innocentius eam legem ob præsentem necessitatem apostolica authoritate ita temperavit (a).

*(a) To. 3. sign. recen. n. 1093. p. 424.*

*Ad futuram rei memoriam.*

*Sicut recepimus inter alias constitutiones, ordinationes, leges, & jura regni Aragonum, quas ipsi foros vocant, est constitutio & ordinatio, forus seu lex per Reges dicti regni, qui fuerunt hactenus, & per barones aliosque principes & primates, civitates, & universitates ejusdem regni facta & approbata, ac juramento, & excommunicationis & interdicti sententiis pœnisque roborata, qua cavetur quod Rex pro tempore existens in præfatis regnis non possit vectigal, impositionem, exactionem, aut subsidium, vel gabellam, vel, ut ipsi loquuntur, sisam imponere in dictorum regnorum regnicolis & subditis absque curiæ generalis, hoc est regni convocatione & congregatione atque consensu, & charissimus in Christo filius noster Fernandus Rex Castellæ illustris in sua ad regnum Aragonum promotione promiserit, & juramento ac sub pœnis supradictis ad observationem dicti fori & constitutionis se obligaverit, contingereque posset talis necessitas, quod sine sisæ & vectigalis impositione paci & tranquillitati illius regni consulere*

*Lex apud Arag. ne vectigalia sine publico ordinum conventu imperentur.*

non

Ob bellum Granat. solutos ea Ferdinandus.

*non posset, essetque difficillimum & laboriosissimum totius curiæ & regni expectare & habere consensum, nos qui illius vices gerimus in terris, qui est Rex Regum & dominus dominantium, ac Regis & regni prædictorum specialem curam gerimus, attendentes quod pro Christiani nominis propagatione atrox adversus Mauros bellum assidue gerat, ac propterea Regi & Reginæ prædictis, ne propterea detrimenta perferant, ac communi utilitati dicti regni providere volentes motu proprio, non ad ipsius Regis, vel cujusvis alterius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate & certa scientia, ac de plenitudine potestatis præsentium tenore indulgemus, quod cum talis evidens necessitas Regi vel Reginæ supervenerit, cui necessitati juxta suam & eorum, quos pro rebus prædicti & aliorum regnorum suæ ditioni subjectorum in suos pro tempore assumserit consiliarios judicium & consilium medori, ac commodius succurri, quam per sisæ inpositionem nequiret, quod liceat præfato Regi & omnibus, qui simile juramentum præstiterunt, sisas, adjuvamenta, subsidia, & onera quæcumque rationabilia & honesta indicere regnicolis prædictis, & indicta euigi facere ab eisdem, ut hujusmodi mauimis regni necessitatibus occurrat, & quod sic indicendo & euigi faciendo nullum periurii reatum, & illa exigentes, & ad id favorem, assensum, consiliumque præstantes nullam euinde pœnam incurrant. Volumus tamen quod quotiescumque eam sisam, impositionem, exactionem, aut subsidium hujusmodi imponere toti regno contigerit, cum majoris partis dicti regni consensu illam imponere teneatur, ita tamen quod major pars regni non eu majori parte eorum, qui in curia fuerint congregati, nec ex numerositate particulari votorum numero, nec eu pluralitate brachiorum curiæ, sed eu vera majoritate partium & vassallorum dicti regni censeatur; quod si generalis sisa imponenda non videbitur, indulgemus, ut in casu necessitatis prædictæ possit ipse Rex illis civitatibus, universitatibus, locis, & hominibus sisam imponere, quæ civitates, universitates, loca, & homines illam acceptare voluerint, & ad impositionem illius suum præstiterint assensum, proque conscientiæ Regis & aliorum, qui ad id præstarent consilium, assensum, auxilium, vel favorem serenitate & puritate eundem Regem Aragonum, & quoscumque alios primates regni, universitates, loca, homines, ad dictæ constitutionis observationem juramento, excommunicationis sententia, interdicti pœna, & quavis alia obligatione astrictos in hujusmodi necessitatis eventibus ab ejusdem juramenti observatione, eucommunicatione, interdicto & aliis pœnis, & censuris absolvimus, illud & illas eis remittimus, & volumus eos ad juramentum, interdictum, & forum obstruendum non teneri, non obstantibus præmissis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis &c.* (Adjecta est sanctionum Aragonicarum anno MCCCVIII. editarum in solemnibus regni comitiis series, quibus vis præscripto pontificio adempta est. *Dat. Romæ apud S. Petrum an. incarnationis dominicæ MCDLXXXVI.* VI. *kal. februarii pontific. nostri anno* III. [1]

LVI. E Canariis insulis ad Americæ continentem prolata religio.

Partas reliquas duas regni Granatensis partes excisa Maurica tyrannide a Ferdinando & Elisabetha, nec non ex Canariis insulis ad alias novi orbis insulas, atque in ipsum postea vastissimum continentem incognitum, ubi novi episcopatus innumeræque ecclesiæ a successoribus conditæ fuerunt, imperium Christianum protulisse visuri sumus. Hæc vero amplificati divini cultus trophæa Ferdinandus eximia in persequendis hæreticis diligentia cumulavit. Is antea sacra tribunalia ab Innocentio, uti meminimus, ad exercendam fidei censuram excitari obtinuerat: utque reos clementia ad deponendos errores magis pelliceret, iis qui certo temporis intervallo eos damnassent, constitutam de publicandis reorum bonis pœnam remisit: qua illecebra multi deliniti ex hæreseos cœno emersere, seseque in Ecclesiæ castra receperunt. Iis tamen postea ecclesiastici plures eorum fortunas affectantes litem intendere, consultusque a Ferdinando Innocentius silentium ecclesiasticis imponendum sanxit (a).

(a) *L. 2. brev. p. 484.*

LVII. Sæculares magistratus causas de hæresi cognoscere affectant.

Confirmata est hoc anno sanctione apostolica censorum fidei authoritas, quam magistratus laici infringere moliebantur, latas enim ab illis sententias exequi detrectabant, ni prius judiciaria acta excussissent, atque ita vis sacri judicii obsolescebat. Edixit (b) itaque Christi vicarius ad

(b) *Bull. in Inn. VIII. const. 10. & in append. direct. in Innoc. VIII.*

NOTÆ [1] QUam anno superiori stabilivimus chronologiæ pontificiæ lex jubet literas hic ab Annalista recitatas ad annum sequentem revocari. Datæ sunt enim illæ VI. Kal. februarii anno pontificatus III. Christi 1486. nempe ex veteri stilo, novo vero 1487. quo annum pontificatus tertium eo mense Innocentius agebat. MANSI

ad tollendam eam corruptelam, ut ejusmodi magistratus percellerentur anathemate, nisi sex dierum intervallo inquisitorum decreta exequerentur.

*Venerabili fratri nostro episcopo Brixiensi, & dilecto filio inquisitori in partibus Lombardiæ.*

*Dilectus filius frater Antonius de Briuia ordinis Prædicatorum in partibus Lombardiæ inquisitor hæreticæ pravitatis una cum venerabili fratre episcopo Briuiensi, seu ejus vicario generali, sicuti nobis nuper fecit exponi contra nonullos utriusque sexus hæreticos ut accepimus, quos culpabiles, ut hæreticos impœnitentes, repertos pœna debita juris puniendos condemnavit, ac officiales civitatis Brixiensis, ut injunctam executionem adimplerent requisivit, qui officiales justitiam ministrare, & dictas sententias exequi, nisi prius processus per episcopum, & inquisitorem agitatos non viderent, in non parvum orthodoxæ fidei scandalum recusarunt. At cum hujusmodi crimen hæresis sit mere ecclesiasticum, & delicta nullo pacto impunita remanere debeant, tenore præsentium vobis committimus atque mandamus, ut, si est ita, eisdem officialibus sæcularibus civitatis Briuiensis sub excommunicationis pœna, & aliis censuris ecclesiasticis præcipiatis atque mandetis, ut infra sex dies, postquam legitime fuerint requisiti, sine aliqua dictorum processuum per vos agitatorum visione, sententias per vos latas contra hujusmodi hæreticos prompte exequantur, appellatione remota: quam excommunicationis pœnam ipso facto volumus & tenore præsentium declaramus incurrisse, si quod mandatum fuerit intra dictum seu dierum spatium, cessante legitimo impedimento, cum effectu non impleverint, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die xxx. septembris MCDLXXXVI. pontificat. nostri anno III.*

Recusant censorum sententias exequi.

Incussæ iis ab nuant censuræ.

LVIII. In Bohemia recruduerat vetus Hussitarum hæresis flagitio & opera Augustini Luciani olim episcopi Sanctuariensis, qui ad ipsos jamdiu defecerat, innumeraque perpetrarat mala, quem promissa venia in Ecclesiæ gremium revocare annitebatur Innocentius: superiori enim anno Pataviensem episcopum ad tam pium opus incumbere jusserat, censueratque illum ex Bohemia educendum, ut miseris hæreseos tenebris involutis magister errorum adimeretur: cumque videretur nonnullis tot scelerum reum, ut qui sepultam nefariam sectam ab inferis revocaverat, venia non donandum, iterum mense martio hujus anni eidem episcopo Pataviensi ita respondit Pontifex (*a*): *Cum dilectus filius noster Joannes tit. S. Praxedis presbyter Cardinalis Mediolanensis illum ad cor reversum, & ad gremium præfatæ matris Ecclesiæ redire cupientem nobis significaverit, non possumus more pii patris calamitati suæ misericorditer non compati.* Denique cum Casimirus Poloniæ, & Wladislaus Bohemiæ Reges, qui Hussiticam hæresim in Bohemia penitus excindi exoptabant, ad simplices, & ineruditos ab errorum devio abducendos Augustini episcopi publicam damnatæ hæreseos professionem magnum momentum allaturam arbitrabantur, contenderent ut in gratiam cum ecclesia restitueretur, Pontifex archiepiscopatus Pragensis administratori partes dedit (*b*), ut illum damnata rite hæresi donaret venia ea lege, ut ad sedem Apostolicam se conferret. Extincta deinde sensim est Hussitarum hæresis, donec Lutherus eam hydram pluribus horrentem capitibus in Christianorum exitium suscitavit.

Hussitica hæresis confirmata ab episcopo transfuga.

(*a*) *L.* 2. *brev. p.* 251.

Reverten-ti apostatæ pandit sinum Pont.

(*b*) *Ib. p.* 438.

LIX. Insigne miraculum hoc anno editum Cracoviæ narrat Langius (*c*) meritis B. Barbaræ, cui feriendus carnificis ferro reus se commendarat: *Anno*, inquit, *Domini MCCCCLXXXVI. cum essem Cracoviæ metropoli Poloniæ literarum vacans studio consulatus quatuor vigiles viros robustos, & ejusdem concives urbis, quia noctu furem deprehensum accepta mercede abire permiserant, decollari fecit in foro, primo, tertio, & quarto viriliter a spiculatore decollatis, secundum in ordine lædere nequivit, sed levi ictu tactum parumper sauciavit, meritis enim divæ Barbaræ se in ipsa hora, ut post retulit, devoverat: & ita ejus patrocinio mortis discrimen evasit, & diu supervixit, & huic quidem spectaculo cruento curiosus spectator interfui.*

(*c*) *Langius in Chron. Citz.*

Miraculum insigne divæ Barbaræ ope editum.

LX. Flagitavit hoc anno Casimirus Poloniæ Rex opem a Christi vicario adversus Turcas & Tartaros, qui Lithuaniam & Russiam infestis excursionibus vexarant, misitque oratores amplissimos, qui novo Pontifici obedientiam deferrent: justisque precibus flexus Innocentius sacrum in barbaros bellum indixit (*d*). Nec modo Polonos, Lithuanos, Mazovios, Russos, verum etiam Prussos, Livones, Germanos, Bohemos, proposita noxarum venia, immortalitatisque spe, cohortatus est, ut sacram militiam professi Casimirum Regem pro tuendo nomine Christiano, ac religione amplificanda in sanctissima illa expeditione sequerentur.

(*d*) *L.* 18. *bull. pag.* 8. *& in lit. sign.* 1909. *p.* 298.

*Ad futuram rei memoriam.*

*Ut præfatus Rex*, (nempe Casimirus,) *se, regnum, & dominia sua, immo rempublicam Christianam a perfidis Turcis & Tartaris, favente Altissimo, defendere possit, Christifidelium convocato auxilio, autho-*

Fideles ad cruceata signa vocati.

*thoritate omnipotentis Dei, cujus vices gerimus immeriti in terris, hortamur, requirimus, & monemus universos Christifideles, præsertim ejusdem Poloniæ, ducatus Lithuaniæ, terrarum Prussiæ, Massoviæ, Russiæ, Livoniæ totiusque Germaniæ, & regni Bohemiæ, ut eidem Regi ad hujusmodi publicam defensionem, ac fidei nostræ exaltationem cum bonis, & personis suis pro sua possibilitate viriliter, & indesinenter assistant, & illius exemplo, qui pro nobis mortem non abnuit, tollant in cordibus suis crucem suam, & illi ex eisdem fidelibus, qui ad hoc idonei sunt dictum Regem, immo verius Salvatorem nostrum sequantur, & pro illius nominis gloria, ac Turcorum, Tartarorum, & infidelium prædictorum fidei hostium depressione mortis periculo se exponere non formident, memores verbi ejus, qui dixit:* Qui vult venire post me abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me, &c. Ne vero Polonus alio quovis bello distrahatur a sacra expeditione conficienda, Reges ac principes Polonico imperio finitimos, vel illi obnoxios proceres obsecrat per fusum Christi cruorem, pro animarum salute, per extremi judicii, in quo omnium causa dicenda est, terrorem; per æternæ felicitatis spem, ne ipsum clam palamve bello petant, dum adversus fidei hostes arma vertet, quamvis cum illo simultates gerant: clientes autem Polonici imperii, ut inter sese pacem conficiant, obtestatur. Denique apostolica authoritate inducias imperat atque anathemate percellit, qui decretum hoc violaverint, subdit enim: *Nos enim omnes, & singulos, quos arma sumere, dictumque Regem in expeditione per se aut per suos contra Turcos, & Tartaros prædictos cum notabiliori exercitus sui parte existente, & indictas per nos authoritate omnipotentis Dei inducias hujusmodi violare, & nostris mandato, monitioni, & requisitioni contravenire contigerit, excommunicationis sententiam, a qua nonnisi a nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, præter quam in mortis articulo constituti, & debita satisfactione præmissa, absolvi possint, incurrere volumus eo ipso, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MCDLXXXVI. III. non. julii pontificatus nostri anno II.*

Proposita sequuturis noxarum venia.

Imperatæ inter Polonos induciæ.

Intentatum anathema moturis arma in Polonum.

LXI. Abduxere varii casus Casimirum Regem, ne universalem crucesignatorum expeditionem in Turcas conficeret, pollicitus siquidem fuerat Stephano Valachiæ dynastæ, dum Polonicæ clientelæ se subjecerat (a) superiori anno, e Turcarum manibus illius principatum vindicaturum; sed licet Valachia Turcas pepulerit, haud tamen Kiliam & Bialogrodum restituit: *Excessere*, inquit Cromerus, (b), *Turcæ Valachia, Kiliam tamen, & Bialogrodum præsidiis firmarunt, tractumque illum maritimum, quem Bessarabiam vocant, in potestatem suam redactum in hanc usque diem obtinent.* Ad has porro arces Turcis eripiendas Joannem Albertum Casimiri Regis filium fortissimorum militum exercitum duxisse, verum excitata ipsum inter & Valachos rixa, bellum infeliciter gessisse suo loco dicetur. Cæterum Tartaros qui Russiam ac Lithuaniam crebris irruptionibus vexabant, ab eodem Joanne Alberto, quem exercitui Casimirus præfecerat, superatos fuisse, narrat Michovias (c).

(a) Michov. l. 4. c. 64.

Pulsæ Valachia Turcarum copiæ.

(b) Crom. l. 29.

(c) Mich. sup. c. 64.

LXII. In Lithuania & Russia præsules Poloni catholici non raro alios Ruthenorum præsules schismaticos vexabant, ut eos ad sinum Romanæ ecclesiæ traducerent (d), quare Josephus metropolita Kyovensium Niphonem patriarcham Constantinopolitanum consuluit, quid de Florentino concilio sentiendum esset. At Nipho catholicum dogma complexus eundem metropolitam docuit, Florentinam synodum sanctam & œcumenicam extitisse, atque in ea orientalem ecclesiam Latinæ fuisse conjunctam communi præsulum consensu; sed minoris ordinis sacerdotes in eos consurrexisse, conjunctionemque dissolvisse, atque ob id Græcos a Latinis spretos in Turcarum servitutem addictos fuisse: hortatusque est Ruthenos, ut Latinis, servato ritu Græco, adhærerent.

(d) Ext. in annal. Ruthen. Leonis Creusæ archiman. Vilnensis. Ext. apud Leonem Mamonic. lib. de fens. eccl. unionis.

*Nipho Dei miseratione archiepiscopus Constantinopolitanus novæ Romæ œcumenicus patriarcha piissimo, & Deo dilecto Josepho fratri & conservo Metropolitæ Kyovensium, & totius Russiæ salutem, &c.*

*Accepimus literas dilectionis tuæ scriptas humilitati nostræ, quibus significas Romanorum ecclesiæ episcopos Ruthenos, & Lithuanos vobis molestos esse, vosque compellere ad unitatem ecclesiasticam Florentiæ decretam, unde metuis ingentia pericula, amissionem privilegiorum, & libertatis, quæ illo tempore, quando unio decreta est, a Regibus Poloniæ vobis concessa sunt. Postulas itaque a nobis auxilium, & ad vestrum potentissimum Regem commendatorias: desideras insuper scire de hac synodo, quomodo fuerit transacta, ut possis reddere rationem omnibus persequentibus, & compellentibus ad unionem. Scias igitur eam synodum legitime fuisse congregatam, & magnifice totius orbis lætitia & consensu comprobatam, idque præsentibus illustri Imperatore nostro Joanne Palæologo, & sanctissimo patriarcha Constantinopoleos beatæ memoriæ Josepho, non ita pridem ante nos sedente, & vicariis, seu legatis fratrum no-*

Florentina synodus a Niphone patr. Const. commendata.

*strorum patriarcharum, archiepiscoporum, & principum orientalem ecclesiam repræsentantium, præsente quoque episcopo Romano una cum suis. Ceterum cum nonnulli gentis nostræ, qui domi remanserant, noluissent decretam amplecti unionem, forte ex odio in Latinos, ideo apud nos confusio, & nullus ordo, quando oves nobis concreditæ imperium, & arbitrium in nos sibi usurpant, quorum pervicaciæ resistere non possumus. At quis scit si non ideo divinæ iracundiæ furor in nos desævit, & in dies desævire non intermittit, quod sanctam unitatem respuerimus? ut prætereeam, quod subsidia Latinorum non tantum amiserimus, sed etiam eos offenderimus: quamobrem neque mirari oportet, si etiam vobis sunt difficiles, quamvis non injustam excusationem habeas, dum inscio patriarcha Constantinopolitano quidquam tibi licere dicis. Nos certe quamquam maxime cuperemus, nihil facere possumus eorum, quæ nobis expediunt. Ergo illi minime de nobis conquerantur, sed potius calamitatibus nostris compatientes, Deum nobis propitium reddant, ut a tyrannica servitute liberati denuo uniamur, divina favente clementia. Tu vero ne nimium reluctaveris, sed amice cum Latinis versare, nam & nostris sacerdotibus in dominio Veneto degentibus nos utique injunximus, ut una cum iisdem Latinis, servato tamen ecclesiæ orientalis ritu, simul orent, & congregentur: sed ritus patrios observa: namque non prius majores nostri in unionem Florentinam consenserunt, quam privilegia nostra fuissent confirmata. Scripsimus principibus, & antistitibus Ruthenis, ac Lithuanis nostri ritus, ut tibi in omnibus ad nutum sint. Anno septies millesimo*, nempe a creatione orbis, *die v. aprilis indictione* XI. [1]

Exortum dissidium cum inferiores consurrexissent in præsules.

LXIII. Quod ad tyrannum Constantinopolitanum attinet (*a*), proferebat latius Turcicum imperium, potitus enim Bajazethes superiori anno Valachiæ parte, hoc anno Caramaniam olim Ciliciam dictam invasit: qua oppressa signa in Caitbeum Ægypti sultanum extulit, cum is Zizimi uxorem & filios sultanicæ commissos custodiæ prodere detrectaret. Cum vero ingentes apparatus bellici terra marique a Bajazethe fierent, Rhodiorum equitum magister Rhodum contra Turcicas insidias communivit (*b*), atque Innocentium admonuit, ut conjunctis mutuo fœdere Christianis Regibus Zizimo ad obterendam Othomannicam potentiam uteretur, neque idoneam occasionem amitti pateretur.

(*a*) *Bosius p. 2. l. 14. Bizar. hist. rer. Persic. l. 10. & alii.*

(*b*) *Bosius ubi sup.*

LXIV. Hoc anno a Mahometanis diabolico spiritu furentibus in Christianos Circassios, & Caspiorum montium accolas sævissima persecutio concitata est; donec alii populi prudentiores sumptis armis, divinoque implorato auxilio, barbaros Christiano madentes sanguine ad internecionem deleverunt; ut narrat in suo itinerario Joseph Barbarus (*c*): *Montis radices aqua alluit, ubi Derbenthum est positum littus, illico ante, & valde parum terræ est, & arctum: hoc ad sexaginta millia ad equitandum aliquo modo conveniens ibi. Dein a tergo sese ad sinistram vertendo mons rotatur, & conscendi idem potest, qui more antiquo Caspii nomen obtinuit: ad quem etiam monachi ordinis S. Francisci habitant, & sacerdos quidam Latinus noster. Populi, qui loca illa inhabitant Caitacchi vocantur, ut dictum supra est, idiomate diverso ab aliis utuntur, atque multi eorum sunt Christiani, quorum aliqui ritum Græcum in sacris administrandis, Armenium aliqui; Latinum reliqui catholicumve morem observant. Ad mare ab illo ipso latere alia quædam civitas est, quæ Caspia appellatur, a qua Caspium primum nominari mare cœpit*. Et infra: *Non extra propositum esse visum est [ cum de Caspio monte ejusdemque circum incolis quædam diximus ] referre hic historiam quandam, quam recens a monacho quodam ordinis S. Dominici nomine Vincentio audivi, qui missus certi expediendi negotii causa illic erat, atque decem spatio mensium discesserat, ad religionem enim nostram pertinere quodammodo puto. Monachus hic ergo dicebat, e soldani olim regione certam Mahometanorum sectam prodiisse ingentem, religionis zelum spirantium, mortemque Christianorum sitientium, atque hos quanto plus itineris confecissent, in tanto semper majorem numerum, & multitudinem crevisse. Facinorosi isti homines iter suum Caspium versus mare direxerunt, Sammacumque*

(*c*) *Josep. Barbar. itinerar.*

Caspii Montes monachis culti.

Mahometani in cædibus Christianorum grassati.



NOTÆ [1] SUppputationes chronologicas vel minus callens vel minus curans Annalista in anachronismos incidit plane ingentes. Epistola hæc Niphonia consignatur anno mundano Græcorum 7000. indictione XI. Indictio hæc a septembri anni 1492. cœpta apud Græcos ad septembrim usque 1493. perseveravit. Eo vero anno civilis Græcorum æra, ab exordio mundi ducta, supputabat annum 7100. Quare chronici hi caracteres cum Aprili mense conjuncti exprimunt annum 1493. indictione XI. signatum, quo proinde anno collocanda epistola hæc fuerat. Ex hac vero eruimus Niphonem qui anno 1482. ad patriarchale solium primo accitus fuit, dein a Bajazete Turcarum imperatore amotum, tum iterum assumptum Græcorum patriarchatum eo anno adhuc tenuisse. MANSI

*que advenerunt, ac Derbentum postea, atque illac Dumenum discesserunt, & ex his armis destituti plerique erant: ad flumen quoddam vocabulo Terch sese posuerunt: id in Tezechii provincia est, ac circum Caspius mons, ad quem plurimi Christiani incolunt. Hi tunc ubi aliquibus in locis Christianos subolfecerunt nullo habito sexus ætatisve respectu fœminas, mares, juvenes, senes invicem omnes trucidarunt. Post hæc in Gogi Magogique regionem nebulones illi excurrerunt, quas itidem Christiani incolunt, verum ritibus in sacris faciendis Græcis utuntur, atque cum his haud modo alio omnibus occisis peregerunt. Dein Circassiam versus iverunt, & Chipiche Charbatumque, quarum utraque cis magnum posita mare est, abierunt absque ratione eadem cum illarum incolis Christianis quoque processerunt usque dum Didarcossan Crenuchumque pervenerunt: ubi armata incolarum obviatum manu est, tanta cum illorum contusione, & strage, ut vix viginti, & centum superstites evaserint, e regioneque profugerint.* Atque hinc perspici potest quam male Christiani circum ibi degentes habeantur; atque accidisse id quidem MCDLXXXVI. Christi anno ait.

Maxima demum deleti strage.

LXV. Interjectis nonnullis addit de Christianorum in iis oris reliquiis, Georgianos Christum colere, tum in Armenia majori catholicos reperiri: *Majori in Armenia*, inquit, *trium procul dierum itinere*, in reditu nimirum ex Georgiania, *castellum Loreum reperimus ab eodem quatuor rursum dierum itinere mons Noæ distat, is, in quo primum remittente diluvio quievisse arcam dicunt. Hic mons altissimus est, planitiemque habet spatiosam, duorumque dierum iter complectitur, & veris assiduo æstatisque temporibus nivibus coopertus est. Ante hunc mons alius parvus nivibus itidem onustus reperitur: duorum dein dierum itinere procul castellum est quoddam vocabulo Cagri, & hoc circum Armenii incolunt, qui catholici sunt, duoque monasteria habent, primarium quorum alengiam vocant: in eodemque monachos quinquaginta regulam D. Benedicti observantes alunt: missam illi modo nostro in lingua sua canunt, præposito post meum Venetias reditum carebant, & eu his tum unus venit, qui Venetiis ante hac ad D. Pauli & Joannis in monasteriis vixit, idque propterea ut domi me meæ conveniret, isque a me commendatus serenissimo senatui nostro summoque Pontifici fuit, quo in præpositi jam defuncti fratris sui locum sufficeretur.*

In Armenia majore superstites Christianorum reliquiæ.

LXVI. Hoc anno cum valde propagaretur apud occiduos Æthiophias Christiana religio, ac nominis Lusitani apud barbaras eas nationes superstitionibus gentilitiis irretitas fama increbresceret, Benii Rex mitti ad se evangelii præcones poposcit (*a*): an pietate, an vero privati commodi illecebra duceretur, in dubium revocatum est, visumque dolo religionem simulasse, ut ex Christiana societate finitimis majorem sui terrorem iniiceret, etenim idolorum cultui addictus erat. Cum autem ex legatis Benii regni de rebus Africæ, & illius Regibus varia quærerentur, retulere, ut refert Joannes Barosius (*b*), Regem florentissimum nomine Ogane in interiori Africa imperare, cujus regnum amplissimum ad Caput bonæ spei excurreret, a quo plures beneficiarii regnandi jura Reges peterent, quibus inter insignia regia crucem auream, ut rem sanctitate augustissimam mittere solebat; tum etiam aliam crucem oratori, qui precarium insigne regium postulaturus accesserat, dari consuetam, ut religiose collo aptaretur. Addit auctor anno millesimo quingentesimo quadragesimo, se Benii Regis oratorem septuagenarium in Lusitanica aula vidisse, qui hujusmodi crucem collo pendentem præferebat.

(*a*) *Barros dec.* 1. *Asia l.* 3. *c.* 3.

In Benii regno propagari cœpta.

(*b*) *Id. c.* 4.

Per crucem inaugurati Reges in Africa.

LXVII. His vero de Æthiopum Imperatore, quem sæpius a Romanis Pontificibus, maximeque ab Eugenio IV. ad conjunctionem cum Romana ecclesia redintegrandam solicitatum vidimus, auditis, Joannes Lusitaniæ Rex mira cupiditate est incensus, ut oras, in quibus imperabat, pervestigaret: juncta enim cum eo amicitia armorumve societate in spem circumferendæ latius Christianæ religionis adducebatur, nam & gentes veteribus superstitionibus involutas ad Christum adjunctum iri, vel etiam Mahometicam pestem facilius depellendam; eamque ob causam duos internuntios ad pervestigandas orientalem Æthiopiam Indiamque misit, de quibus hæc tradit Osorius (*c*): *Joannes*, nempe ejus nominis II. Rex Lusitaniæ, *cum de presbytero Joanne multa percepisset, existimavit sibi vel ad nominis decus, vel ad religionis fructum, vel ad Indiæ pervestigandæ facilitatem nihil optatius cadere posse, quam cum hoc Christiano principe fœdere conjungi: ideirco variis temporibus homines Arabicæ linguæ peritissimos magnis præmiis invitavit, ut eas regiones perlustrarent. Inter hos extitit quidam nomine Alfonsus Paiva, & alter, cui nomen erat Joannes Petreius: ii profecti e Lusitania anno salutis MCCCCLXXXVI. Ægyptum mercatorum habitu peragrarunt, atque inde Adenam pervenerunt. Ibi cum intellexissent in ea Æthiopiæ parte, quæ sub Ægypto est, esse summum quendam principem Christianum, cujus imperium esset latissimum, & cui multi principes obtem-*

Quæsiti ad Æthiopum imp. aditus.

(*c*) *Osor. l.* 9.

Missi exploratores in Æthiopiam.

*temperarent, suspicati sunt illum eundem esse, cujus cognoscendi gratia missi a Joanne fuerant, sed eos Indiæ nomen interturbabat, missi namque fuerant, ut Christianum Indiæ Imperatorem nomine presbyterum Joannem convenirent. At nec imperium, neque nomen, neque sacerdotii dignitas in Æthiopiæ Regem conveniebat. Cum igitur inter se quid optimum esset deliberarent, visum est, ut Joannes Petreius in Indiam navigaret, & videret, numqua mentio in oris illis Presbyteri Joannis existeret: Paiva in Ægypto Thebis Petreium præstolaretur. At verum fuerat Christianum quemdam principem nominis ejusdem secta Nestorianum in mediterraneis Indiæ locis amplissimum imperium tenuisse, qui tamen fuerat Scytharum armis oppressus, & regnum illius occupatum, cujus jam nomen erat oblivione sepultum, Christiani tamen non pauci in locis illis resederant Nestorii tabe contaminati.*

Missi & in Indiam.

Compertum olim fuisse Christianum Imperatorem in India sed a Tartaris excisum.

LXVIII. Pepererat illi exitium hæresis Nestorii.

Mancipia Christiana Mauris vendi vetita.

Idem etiam Rex Lusitaniæ pietate conspicuus sanctissimam legem edidit (*a*), ne Æthiopes, qui sacro baptismo lustrati essent, Mauris venderentur: quippe Lusitani in Congensi regno & Guinea plura mancipia emebant, quæ postea distrahebant Mauris, cum maximum ex eo commercio quæstum facerent: neque eos movebat religio, adeo avaritia pietatem omnem extinxerat: siquidem miseri fide Christiana leviter tincti in Maurorum redacti potestatem Christum deserere, & Mahometem colere cogebantur; tantusque horum erat numerus, ut ad mille singulis annis ascenderet. Cum vero religionem nefario quæstui Lusitanus prætulisset, mox aurifodinas divina liberalitas illi aperuit, ex quibus longe majora lucra, quam ex mancipiorum distractione fuerunt.

(*a*) *Barros sup. c. 3.*

Quæstui religionem præferenti Lusitano aurifodinæ datæ.

LXIX. Non prætermittemus etiam rem de Joanne Rege memoratu dignam; is enim cum illud ingens Africæ promontorium, quod versus polum antarcticum in Oceanum excurrit a Bartholomæo Diazio, qui illud circumflexerat, tormentosum vocatum ob ingentes procellas, quæ in eo furentium ventorum imperio sæviunt, accepisset in maximarum rerum spem excitatus, veluti divino afflatu, quæ eventura erant, præsagiens, Caput bonæ spei appellandum decrevit (*b*): neque enim conceptæ fefellere spes, quandoquidem Lusitani post superatum illud promontorium & Indicum & Brasilianum imperia sibi peperere, & (quod majus est) religionem veri Numinis, pulso dæmonum cultu, in amplissima regna diffudere, de quibus suis locis agetur.

Caput bonæ spei circumactum & cur ita vocatum.

(*b*) *Ib. c. 4.*

I. ANno post Christum natum millesimo quadringentesimo octogesimo septimo indictione quinta pactum antea inter Marcum Barbadicum ducem Venetorum, & Romanam ecclesiam fœdus ab Augustino Barbadico ejus fratre ducalis fastigii successore (*a*) cum Innocentio, Turcici apparatus, impiorumque & improbissimorum hominum Bajazethem in Italiæ excidium evocantium formidine, instauratum est, de quo hæc refert Stephanus Infissura (*b*); *Facta fuit confœderatio inter ecclesiam, & Venetos cum quibusdam capitulis, ut teneventur Veneti præbere auxilium ecclesiæ quando opus esset*. Promulgatum illud solemni ritu fuisse hisce verbis meminit Joannes Burchardus (*c*) ineunte februario, ac solemni ritu actas Deo gratias: *Feria* v. *prima mensis februarii MCCCCLXXXVII. per urbem tubis resonantibus proclamata est confœderatio inter summum Pontificem, & dominos Venetiarum, & eorum cohærentes, subditos, &c. ad* xxv. *annos, & deinde quandiu partibus placebit*.

(*a*) Petrus Justin. an. Raph. Volat. l. 4.

(*b*) Infiss. ms. arch. Vat. sig. n. 111. & aliud ms. sign. cod. n.

(*c*) Burchar. ms. arch. Vat. p. 609.

II. Fœdus inter Venetos & Pontif. promulgatum.

Implieiti tum erant bello Veneti (*d*) cum Sigismundo archiduce Austriæ, deque finibus certabant duorum procerum occasione, quorum alter Venetæ reipublicæ, alter Sigismundi cliens erat, quique commissa rixa belli faces late circumtulerant, in quo Fridericum Sanseverinatem bellicis artibus clarissimum ducem, de quo superiori anno meminimus, ad flumen Athesim facta Tridentinorum eruptione cum Veneto exercitu cæsum occubuisse ferunt, de quo bello meminit Stephanus Infissura (*e*) sic inquiens: *Eodem tempore*, nempe mense junio anni MCCCCLXXXVII. *fertur ducem Austriæ cum multis Theutonicis venisse, & insurrexisse contra Venetos in partibus Tridenti, & Veronæ, & excurrisse usque in Veronam, & magno cum impetu nonnulla loca Venetorum fortissima magna cum strage cepisse, ac tenere, bellumque maximum inter eos esse*. Describit fusius illius belli causas, resque in eo gestas Marcus Antonius Coccius Sabellicus (*f*).

(*d*) Infiss. ubi sup. to. 2. rer. Germ. ex bibiloth. Marq. Freher. Raph. Volat. l. 4. Naucl. vol. 2. gen. 50. Paul. Lang. in chro Citiz. Brut. l. 8. Sabel. enn. 10. l. 8. & aliis.

(*e*) Infiss. ubi sup.

Illatum Venetis ab Austriaco bellum.

III. At Pontifex sedandi ejusmodi belli, ne latius serperet, cupidus Tarvisinum episcopum legatum designavit, vicissimque Fridericus III. Imperator oratorem Venetias legavit, quibus administris idibus novembris pax confecta est, delectique arbitri fuere, qui de limitibus cognoscerent, ac duo castra controversa Innocentii fidei permissa fuerunt, ut Conradus Wengerus (*g*) conscripto proximo anno libello, & Sabellicus (*h*) accurate describunt. Conjuncta porro est tum a Pontifice tum a Cæsare mutua opera ad Christianorum bella civilia componenda, cum facti a Bajazethe Turcarum tyranno bellici apparatus occidentem æque & orientem terrore percellerent. Celebratos propterea solemnes a Friderico ordinum imperii conventus ita narrat Paulus Langius (*i*): *Eodem anno*, quo nimirum circa Athesim bellum gestum est, *Fredericus Imperator conventum magnum principum habuit Nurembergæ pro auxilio contra Turcas, in quo de unione, ac pace principum multa tractata fuere, & ultimate, ut omnia bella inducias haberent, conclusum*. Consentit Nauclerus (*k*), sed decreto saluberrimo obtemperatum non fuisse addit, tanto furore infelices Christiani inflammati erant.

Pontifex pacis interpretem agit.

(*f*) Sabellic. ubi sup.

(*g*) Vornger. ubi sup.

(*h*) Sabel. ib.

(*i*) Paul. Lang. in chron. Citiz.

In conventu Neurembergen. actum de bello Turcico.

(*k*) Naucl. ubi sup.

Interea Innocentius cum Turcicam tyrannidem ingravescere, ac modo crebras in Germaniam excursiones agi, modo Italiæ littora infestari, sævaque de exciudendo imperio Christiano urgeri consilia doleret, expeditionem adversus Turcas indixit, cujus conficiendæ Friderico Imperatori provinciam dedit: tum sacerdotiorum decumas pro faciendis in rem militarem sumptibus clero imperavit hac de causa (*l*): *Cum charissimus in Christo filius noster Fridericus Romanorum Imperator semper Augustus, inter alios catholicos principes huic nostro desiderio spontaneus adjutor, & cooperator accedat, qui etsi tantæ expeditionis molem in se uno suscipere, & hostis infestissimi atroces injurias cum suo disponendo quamprimum Christianissimo exercitu ulcisci tota mente affectet, tamen propter temporis conditiones, & varietates, ubi unanimes cuncti Christicolæ adversus crucis æmulos deberent arma convertere, nequit hoc intimum suæ mentis desiderium adimplere, ac cum ipsius adjutorio, cujus causa agitur, & iis atque aliis aliorum catholicorum Regum, principum, & populorum fidelium fretis præsidiis opus defensionis fidei hujusmodi continuare non cessabimus, deputavimusque jam ad id omnes Romanæ ecclesiæ redditus, via tenui parte pro nostræ familiæ sustentatione retenta, & præter illos portionem, quam venerabiles fratres nostri sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales de eorum ecclesiasticis proventibus longe majorem, quam decimam, sponte obtulerunt, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCCLXXXVII.* xii. *kal. maii pontificatus nostri anno* iii. IV.

(*l*) L. 8. sign. n. 1909. P. secr. p. 538.

Fridericus Imp. in eos expeditionem meditatus.

Innocentius in eosdem bellum decernit.

Implicitus erat exitiali bello Fridericus adversus Hungaros, ingentiaque auxi- V.

xi-

Induciæ inter Freder. Imp. & Matthiam pactæ.

xilia ex Germania accersere annitebatur, ut Austriam sibi a Matthia Rege ereptam recuperaret: sed infelici exitu conserta pugna, & regulis ad defectionem temere solicitatis. Demum ne graviora in se traheret exitia, cum eodem Hungariæ Rege acto ad oppidum, cui S. Hippolyti nomen est, conventu, inducias pepigit, ut referunt scriptores Hungari (*a*). Quod vero ad Turcicos terrores attinet; non sine causa illis repletus fuit Christianus orbis; nam in primis, quantumvis sævissimus tyrannus nostros pacis illecebra demulceret, fidendum non erat, ac licet bellum in sultanum Ægyptium, qui Zizimo auxiliarem exercitum præbuerat, decerneret, metuebant tamen Christiani, ne illi litem fœdere dirimerent, armaque jungerent ad tuendos maxime Granatenses Mauros, quos Ferdinandus Rex oppugnabat atterebatque atque ideo trepidatum ait Surita (*b*), ne Bajazethes insulam Siciliæ invaderet.

(*a*) *Bonfin. dec.4. l.8. Abraham Bazkay in chronol. Ung. hoc ann. & aliis.*

Trepidatum ne Mahometani Mauris succurrant.

(*b*) *Surit. annal. l. 20. c.79.*

VI. Præterea maximus Pontificem timor incessit, ne in Picenum irrumperet, indeque ad convellendum Christiani imperii caput irrueret: Bucolinus enim perditissimus homo inita cum Turcis societate Auximum occupaverat, auxiliaque ab iis valida majo appetente præstolabatur (*c*): spondebat (*d*) autem hosti religionis, se unius semestris flexu universum Picenum Othomannico subacturum imperio, si Turcarum decem millia ipsi mitterentur, atque ex ea provincia facile ad universam Italiam in Bajazethis potestatem redigendam exercitus effundi posse; neque eam diu Turcicos laturam impetus, cum in varios principatus discissa esset. Procursum est magno ardore ad coorientis incendii primas faces extinguendas, & Julianus Cardinalis S. Petri pontificio exercitu Auximum einxit, submisit etiam duce Jacobo Trivultio mille equites subsidiarios Ludovicus Sfortia: Joannes quoque Balva Cardinalis Gallicæ militiæ florem eo adduxit. Datam quippe illi fuisse legationem Picenam, ac decretum in exercitu pontificio imperium adversus Bucolinum, ostendit pontificium diploma (*e*) kal. julii hujus anni consignatum.

(*c*) *Infiss. ms. arch. Vat. sig. n.111. hoc ann. Vial. in vit. Innoc. VIII.*

Quæ promissa Turcis a Bucolino.

(*d*) *Vialard. in vita Inn. VIII. Sabel. enn. 10. l.8.*

(*e*) *Lib. sign. n. 1909. P. secr p.527.*

VII. Facta etiam est eidem legato potestas (*f*) æquandi solo Auximi postquam expugnatum esset, illiusque agri inter milites dividendi, pretiove distrahendi ad efferatam perduellium, qui damna intoleranda ecclesiæ intulerant, plectendam pertinaciam. Ad comparanda vero in hostem subsidia nummaria pro suppeditandis militi stipendiis noxarum veniam stipem collaturis pro fide contra Turcas, qui in Apolloniæ portu classem instruebant, tuenda proposuit Innocentius, ac de ea re in Dania, Suecia, & Norwegia vulgata sunt diplomata (*g*), quibus eorumdem Turcarum grassationes descriptæ sunt, hisque verbis consignata. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno, &c. MCDLXXXVIII.* VIII. *idus aprilis pont. nostri anno* III. Cæterum quamvis omni oppugnationum genere Auximum peteretur; perfidus tamen Bucolinus spe Turcici auxilii nostrorum impressiones summa audacia eludebat. Cum autem increbesceret fama maximos Apolloniæ apparatus a Turcis fieri, ad artes confugiendum fuit. Itaque Laurentius Mediceus Florentinorum princeps misso Gentili episcopo Aretino, Bucolino, suasionibus, ac promissis author fuit, ut ille acceptis septem aureorum millibus, ut refert Stephanus Infissura (*h*), Auximum Romanæ ecclesiæ militari pactione restitueret, discederetque a Turcarum fœdere: quibus delinitus illecebris tyrannus ad Laurentium Florentiam perrexit, ubi laute habitus est, a Mediolanensi vero duce accitus, cum se flagitio famam peperisse putaret, eo contendit, ubi justo scelerum contra spes suas præmio, nimirum suspendio affectus (*i*) est. De hoc impio Christiani nominis proditore questus erat Innocentius ad Petrum Aubussonium Rhodiorum equitum magistrum decimatertia martii die scribens (*k*), factam cum Turca conjurationem interceptis perduellium literis fuisse detectam, rogantique Rhodio, ut apostolica studia ad jungendos fœdere Europæos Reges ac decernendam communibus consiliis viribusque sacram expeditionem intenderet, ne tam præclara occasio inferendæ Zizimi opera insignis alicujus Turcico imperio cladis consenesceret, respondit, strenuam se jam ante ad id navasse operam, diligentioremque in posterum daturum, cum Bajazethes jam in ecclesiastico solo bellum accenderet, jussitque illum florentissimos arte militari equites ad se mittere, quorum peritia ad reprimendos tyranni impetus debilitandasque vires uteretur.

(*f*) *Ib. p. 530.*

(*g*) *Lib. bull.23. p.262.*

Victus blanditiis perfidus.

(*h*) *Infiss. ms. arch. Vat. sig. n. 111.*

Necatus Mediolani suspendio.

(*i*) *Vialard. ubi sup.*

Perditi homines in Italiam evocant Turcas.

(*k*) *Bosius p.2. l. 14.*

De bello Bajazethi inferendo agit Inn.

VIII. Interea distractis mutuis dissensionibus Christianis principibus, gerenda rei spreta est occasio, nam præter Sigismundi Austriaci, & Venetorum circa alpes Rhœticas bella pontificia cæsareaque opera diremptа, in Italia Florentini in Genuenses, Belgæ in Gallos incurrere, novaque Pontificem inter ac Ferdinandum Regem Neapolitanum dissidiorum semina repullularunt. Et quidem in Etruriæ Liguriæque limite cruentam commissam pugnam, partaque a Laurentio Mediceo victoria de Genuensibus, & Serezanam in Florentinorum potestatem redactam, referunt Stephani Infissuræ (*l*) diaria, cui reliqui

Italorum varia dissidia.

Genua in servitutem Mediol. relapsa.

(*l*) *Infiss. ms. arch. Vat. sig. n.111. & aliud ms. Ital. sign. eod. num.*

hi

historici (*a*) consentiunt. Quo casu consternata Genua, quæ antea Pauli Cardinalis Fregosii, ejusdemque ducis authoritatem creatis decem magistratibus eliserat, in Joannis Galeatii ducis Mediolanensis potestatem redacta est Pauli Fregosii factione quem nimiæ ambitionis invidiæque in Ligusticum nomen perstringunt authores (*b*): factos vero ob Genuensium rerum inclinationem in Mediolanenses, Romæ XII. Julii festos ignes ab Ascanio Cardinale Sfortia refert MS. Vaticani author (*c*), quamquam haud diu post Genuenses Mediolanense jugum, ut dicetur, excussere. In Corsica etiam excitati fuere motus (*d*), moxque a Genuensibus compressi.

(*a*) *Brutus l.8. Aug. Justinian. l.5. Bizar. l.15. Foliet. l.11. & alii. Corius par. 7.*
(*b*) *Bizar. sup. l.15.*
(*c*) *MS. arch. Vat. sig. n.111.*

Inter Pont. & Ferd. discordia recrudescit.

IX. Quod vero ad recrudescentes inter Pontificem Regemque Neapolitanum discordias attinet, exortas illas ob violatas a Ferdinando confectas superiori anno fœderis pactiones refert Stephanus Infissura (*e*), describuntque accurate Surita (*f*), & vitæ Innocentii author, ut Ferdinandus insigni perfidia proceres Romanæ ecclesiæ in superiori bello fœderatos ad convivia & choreas excitos interceperit, sævitiamque suam expleverit. Audita sceleris fama Innocentius Ferdinandum paternis literis monuit (*g*), ne quid gravius adversus proceres iracundiæ impetu præter fas statueret: *Majestatem tuam monemus, ut quemadmodum decet in procedendo contra illos supersedeas; rei enim gravitas, & pondus omnino exigere, & postulare videntur, ut re bene matureque intellecta ei finis gravissimus imponatur, quod ut commodum fieri possit propediem nuntium nostrum hac causa tantum ad te mittemus, interim, ut dictum est, omnino supersedeas, quia hoc mentis intentionisque nostræ est. Dat. Rom. apud S. Petrum sub annulo piscatoris die* VIII. *julii* MCDLXXXVII. *pontificatus nostri anno* III.

(*d*) *Bizar. Aug. Just. Foliet. ubi sup.*
(*e*) *Infiss. ubi sup. Vialar. in vita Inn. VIII.*
(*f*) *Sur. l. 20. c. 66.*
(*g*) *Lib. bull. ext. apud Bzovium p.288.*

Monitus ut mature agat.

X. Projecerat (*h*) jam Ferdinandus procerum, quos proditione ceperat, truncos artus in mare; ne tamen populorum odia, ac Pontificis severitatem in se concitaret, inferri illis quotidie cibos fingebat: cum Innocentius factæ carnificinæ inscius decrevit (*i*) internuntium Petrum episcopum Cæsenatem, ut proceres, quos judicum potestati fuisse permissos arbitrabatur, in libertatem vindicaret: acta omnia judiciaria contra eos edita rescinderet: tum regios magistratus ad cœpta revocanda intentatis gravioribus pœnis adigeret.

(*h*) *Sur. l.20. c.66.*
(*i*) *Lib. sign. n. 1909. p. 584.*

*Venerabili fratri Petro episcopo Cæsenatensi ad regnum Siciliæ citra pharum nostro & Apostolicæ sedis nuntio & oratori salutem, &c.*

*Cum nos te, qui causarum curiæ cameræ Apostolicæ generalis auditor existis, ad charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Siciliæ Regem illustrem nostrum, & Apostolicæ sedis nuntium, & oratorem pro nonnullis nostris & Romanæ ecclesiæ negotiis de fratrum nostrorum consilio provide duxerimus destinandum, & inter alia committendum, quod nostro nomine Regem ipsum cum instantia moneas, & requiras, ut ex certis rationabilibus causis in tibi facta commissione expressis ab ulteriori processu, & inquisitione excessuum quorumcumque commissorum, ut asseritur, per barones dicti regni de suo aut suorum in dicto regno officialium mandato detentos desistat, & per suos officiales quoscumque ordinarios, & delegatos desisti faciat usque mandet, ac omnium excessuum hujusmodi cognitionem, & punitionem nobis, & cui nos id committendum duxerimus dimittat, nos ne si forsan Rex ipse monitioni & requisitioni hujusmodi annuere, & quod eorundem baronum errata, si qua sint, in loco, & coram judice non suspecto examinentur, cognoscantur, & terminentur, ut nostro, & ejusdem Regis, ac eorum, qui pro eo de pacis secum initæ superiori anno, & contentorum in illa præsertim securitatem baronum concernentium expromissores extiterunt honori, & justitiæ debito expedire putamus, consentire recusaret fraternitati tuæ pro justitiæ debito, ne barones ipsi indebite opprimantur providendi justitia mediante desis opportuna potestas providere volentes, ac institutorum forsan contra eosdem barones processuum tenores, & illorum statum contentorumque in illis excessuum, & criminum gravitatem, nec non quas ipsi barones incurrisse propterea prætenduntur pœnas præsentibus pro expressis habentes fraternitati tuæ, dum & quoties expedire cognoveris, Regi præfato, & quibusvis judicibus quovis nomine nuncupatis, qui aliquam jurisdictionem in eosdem barones, ordinariam, vel delegatam haberent, vel habere prætenderentur, etiam si ad inquisitionem descendissent, contra eos, & super institutis per eos processibus, & criminibus, contentis in eis, quæ barones ipsi perpetrasse quomodocumque, etiam post pacem prædictam usque ad conclusionem, & etiam sententiam, quæ in rem judicatam transivisse prætenderentur, inclusive processum foret, supersedeant, & ultra procedere aut sententias ipsas ea equi non attentent sub*

Proceres Neap. a Ferd. oppressi.

Ni pactis steterit jure in eum agere jussus internuntius.

Judices cœptis in proceres absistere jussi.

*cen-*

*censuris, pœnis pecuniariis, ac aliis formidabilioribus, de quibus tibi videbitur, eo ipso, si non paruerint, incutiendis nostro nomine inhibendi, & prohibendi, censurasque ipsas toties quoties expedire putabis iteratis vicibus aggravandi facultatem, & potestatem omnimodam apostolica authoritate concedimus per præsentes, decernentes Regem ipsum, & quoscumque alios, qui inhibitioni tuæ, immo nostræ hujusmodi non paruerint censuras, & pœnas ipsas eo ipso incurrere, ac irritum, & inane si secus super iis a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCDLXXXVII. IX. kal augusti pontificatus nostri anno III.*

Intentatæ Ferdinando censuræ.

XI. Negarat etiam Ferdinandus Rex pendere annuum vectigal Ecclesiæ, cujus exigendi provincia internuntio tradita est. At quam indigne a tyranno habitus sit internuntius apostolicus, narrat hisce verbis Stephanus Infissura (*a*): *Vigesimo quinto*, nimirum augusti, *reversus fuit episcopus Cæsenatensis, quem Papa miserat ad Regem Ferdinandum, & ajunt respondisse Pontifici en parte Regis hoc modo, videlicet primo, quod nunquam potuit alloqui Regem in domo sua, & cum captasset dictus episcopus occasionem loquendi quadam die, qua paraverat ira venatum, posuit se juxta certum ostium unde dictus Ren eniturus erat, quod cum scivit Ren jussit eum venire; & cum venisset dictus ambasciator, dixit se brevibus verbis tria dicturum eu parte Pontificis, & cum data esset ei dicendi facultas, ait primo qualiter sanctissimus dominus noster petebat ab eo censum promissum, & conventum in capitulis, pacis, & quod mirabatur, quod de eo non satisfecisset in tempore statuto. Cui respondit debitum esse se debere respondere censum Ecclesiæ: quod verbum eum pluries repetiisset, ait se non habere pecuniam, immo se exposuisse pro ecclesia tot pecunias, quod non esset nconveniens si Papa per quatuor annos futuros dictum censum remitteret, & ita jussit referri Pontifici. Demum exposuit dictus episcopus qualiter Papa cum tota curia mirabatur, quod ipse, qui est dominus temporalis, haberet conferre beneficia in regno suo, & quod illa, quæ Papa contulisset, non acceptasset, & quod de cætero abstineret. Ad quod respondit homines sui regni esse sibi bene notos, & Pontifici & curiæ ignotos, & propterea se velle dare beneficia illis, quos cognoscebat esse dignos: & quod Papa neque curia poterit illos melius quam ipse cognoscere, & ideo intendebat illos eligere, & quod contentabatur, quod postea Papa illos taliter ecclesiasticos confirmaret. Deinde dixit: Veni ad aliud; & episcopus dixit, quod Papa mirabatur, quod contra promissa, & capitula cepisset barones regni, qui sub fide ipsius Pontificis remanserunt, & quod deberet illos relaxare. At ille in continenti ait, quod Cardinales de Columna & de Sabellis fecerunt, aut facere tentaverunt prodimentum Sixto prædecessori suo, Sixtus fecit ipsos capere carceratos, & castigavit eos, & quando sibi placuit eos postea dimisit, seque velle ita facere, castigare dictos barones, qui fecerant prodimentum, deinde quando sibi placuerit, eos dimittere; & in continenti processit ante episcopum prædictum non expectato alio, mandavitque sonari cornu, fugitque ante oculos dicti episcopi, & ad dictam venationem contulit se ibi eo dimisso, putans Deum non posse sibi plus nocere.*

(*a*) *Infiss. & vit. Inn. VIII. auctor ubi sup. Panvin. in eod.*

Internuntius pontificius male exceptus a Ferd.

Impie arrogata a Ferd. sacerdotiorum collatio.

De proceribus oppressis quid responderit.

XII. Indigno adeo responso perculsum Innocentium tradit Vialardus (*b*) in ejus rebus gestis de bello in Ferdinandum decernendo, & Gallis apostolicæ majestatis acerrimis vindicibus in Neapolitanum regnum evocandis agitasse consilia; addit que Panvinus (*c*), illum judiciario ordine abrogasse Ferdinando regium jus: *Haud*, inquit, *ita multo post*, reversum nimirum internuntium apostolicum, *Regem ob non solutum vectigal anathemate notatum Francorum Regis in primis literis concitatus Neapolitano regno privavit, Gallus enim id ad se en legitima successione, & hereditate pertinere affirmabat.* Everti haud poterat Ferdinandus Rex, ni forte totius Italiæ, immo & rei Christianæ ruinam secum traheret; non enim periculum aberat, ne qui religioni vindictam præferre consueverat, Turcam exciret; quem etiam Mauris Granatensibus clam tulisse suppetias narrat vitæ Innocentii scriptor (*d*), ut scilicet Ferdinandus Hispaniarum Rex, qui se vadem præstiterat, eo distractus bello jura pontificia armis tueri prætermitteret: neque Carolus Francorum Rex tam cito expedire arma poterat, quem a Maximiliano Belgii & Burgundiæ principe, Cæsareque designato cladem accepisse memorat Infissura (*e*): *Die*, inquit, XVIII. *augusti nova dicta sunt in Urbe*, & infra, *quod Maximilianus Franciæ Regis gentes superavit mirum in modum.* Attritæ vero jam erant superiori bello ecclesiasticæ vires, principibusque Neapolitanis fœderatis obtruncatis, Aquilaque oppressa, pari atque antea terrore bellico Ferdinandum Innocentius adoriri non poterat. Censuit itaque ultionem de fœdifrago in aliud tempus differendam, quam Neapolitani exules, qui ad Gallicam aulam transfugerant, nimirum

(*b*) *Vialard. in vita Inn. VIII.*

(*c*) *Panvin. in Innoc. VIII.*

Percussus anathemate Ferdin.

(*d*) *Vialard. in vita Inn. VIII.*

Gallus a Maximiliano fusus.

(*e*) *MS. arch. Vat. sig. n 111. Crantz. Saxo. l. 13. c. 7.*

Illata ultio in Ferdin.

rum Salerni princeps, & Bisiniani reguli cæsi a Ferdinando filii, urgere non destiterunt (*a*).

*(a) Comin. lib. 7. c. 3.*

XIII. Quod ad Ferdinandum Regem Hispaniarum attinet, illum Mauricum bellum indictum pro fide amplificanda ab Innocentio ursisse, comparato exercitu duodecim millium equitum, & quadraginta millium peditum, qui sacro crucis symbolo insigniti sanguinem pro Christo fundere paratissimi ad expiandam Mahumeticæ superstitionis sordibus Hispaniam læti provolabant, referunt scriptores (*b*), extantque Innocentii literæ (*c*) de administrando feliciter bello Maurico, quibus indulgentiarum præmia sacram militiam in Dei hostes professuris proposita fuere hac de causa: *Cum sicut evidentia rei demonstrat præfati Rex, & Regina continue omni conatu ad expeditionem hujusmodi intendant, jamque favente Altissimo non parvam dicti regni partem, loca etiam munitissima, non sine tamen magna Christiani Sanguinis effusione suæ ditioni subjecerint, nec ab incœpto desistere intendant, donec opus ipsum ad optatum finem perduxerint, progenitorum suorum vestigia sequuti, qui quamplurima regna, & dominia per Saracenos, & alios infideles detenta ab eorum manibus eripuerunt, & ad Christianam fidem reduxerunt, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum, &c. MCCCCLXXXVII.* IV. *kal. martii pontificatus nostri anno* III.

*(b) Surit. l. 20. c. 70. Marian. l. 25. c. 10. & alii.*
*(c) Lib. sign. n. 1909. pag. 503. Parta plura ab eo loca.*

XIV. Tradunt historici (*d*) in hoc bello sacro crucis stemmate insignitos milites non jam militari licentia incolas, qua pergerent, oppressisse: sed excitasse ad religionem, adeo ut pueri, fœminæ, senes illis obvii occurrerent, felicesque de hostibus fidei triumphos precarentur; de quo sacro bello hæc narrat Joannes Mariana (*e*): *Cordubæ deliberatione suscepta de belli Maurici ratione, cum sententiæ variarent aliis Bastam, aliis Guidixium petendas primo confirmantibus, Malacam Rex censuit auxiliis, quæ ex Africa transmittebantur, haud invalida excipiendis idoneam angusto mari brevique trajectu: consilio tamen occultato Corduba proficiscitur ad septimum idus aprilis. Sequebantur equitum duodecim millia, peditum quadraginta.* Et infra: *Quacumque iverant viri, pueri, mulieres undique ex agris effusi in vota, ac preces conversi illos reipublicæ columen, vindices Christianæ religionis, imperiique vocare, in eorum dextris communem salutem, ac libertatem esse repositam: faustum iter felixque: maturam ex hostibus victoriam comprecari, votaque suscipere: invitare pro se quisque, ut quibus opus haberent abs se potissimum sumerent: modestia certare milites, nihil morari, nec ab signis discedere majori animo alacritateque postquam Regis consilium cognovere, quo vellet ducere, ajunt ipsius auspiciis ductuque nullum periculum aut laborem recusaturos profitentur. Motis castris, Velis, quod oppidum prope Malacam situm est, primo impugnare constituunt.*

*(d) Surit. l. 20. c. 70. Marian. l. 25. c. 10.*
*(e) Id. ib.*

XV. Positis ad Malacam crucesignatis castris Abohardilles Granatensis Rex Rodoanum ducem suum cum copiis ad propugnandam Malacam submisit (*f*), ac deinde ipsi viginti millibus peditum equitumque mille succinctus subsecutus est, multo majori exercitu adversus Boabdillem æmulum relicto: at cum nostri in eum erupissent, dissipatis mox castris Granatam aufugit, qui a suis contemptus excipi non potuit, Boabdille communi jam consensu Granatensium rerum potito. Casura jam tum erat in Ferdinandi potestatem Malaca, cum Gomeritarum, qui ex Africa antea trajecerant, dux arcem occupavit, strenueque diu crucesignatorum sustinuit impetus, donec Malacenses salutem pacti VIII. augusti se dediderunt, arcisque præsidiarii fame perdomiti sunt, atque in servitutem addicti. Clarissima fuit ea victoria, cum e Tunetano, Tripolitano, Phutensi, & Tremiseno regnis auxilia ad Granatam confluere (*g*) in Malacensem portum, ac barbari solerent, ad Mahumeticam superstitionem in Hispania asserendam, ex universa Africa corrogatam stipem eo transmittere. Percrebuisse Romæ decima octobris die Malacitani triumphi famam, publicoque edicto festos ignes excitatos, campanarumque læta classica tota urbe personuisse refert MS. Vaticani author (*h*): die vero proximo Innocentium ad Ecclesiam S. Mariæ de populo nuncupatam perrexisse, ac divinam rem ritu solemni ad agendas nimirum Deo de amplificato Christiano imperio grates celebrasse: tum tertia februarii die sequentis anni testes victoriæ transmissos a Ferdinando Rege centum Mauros ferrea vinctos catena similique cultu indutos urbem ingressos, dieque insequenti dono traditos Pontifici, qui eosdem partim Cardinalibus, partim Romanis proceribus distribuerit. Cumularunt Malacitanæ victoriæ gloriam Ossuna & Mija captæ; tum de fidei Christianæ defectoribus qui ad Mauros transfugerant, sumpta supplicia.

*Malaca obsessa. (f) Surit. ubi sup.*
*Deditione recepta.*
*(g) Sur. l. 20. c. 71.*
*(h) MS. arch. Vat. sign. n. 111.*
*Celebrata Romæ publica lætitia.*

XVI. Aufugerant jam ante Malacam plures neophyti in Judaicam superstitionem relapsi, ut censorum fidei severitatem eluderent, quos incendio absumptos fuisse refert Surita (*i*). Ob id vero Ferdinandi Regis in perfidos odium plurimos Hispanum solum vertere atque in varias regiones longinquas

*Marrani relapsi concremati.*
*(i) Surit. sup. c. 72.*

(a) *Vialard in vit. Innoc. VIII.*

Marrani urbem inficiunt.

(b) *Infiss. MS. arch. Vat. sign. n. 111. & ex eo Vialard.*

quas se contulere (a) ex quibus nonnulli etiam Romam Christianæ religionis arcem, sedemque fidei inficere non perhorruerunt: in quos promulgatum ab Innocentio fuisse edictum, & duos Cardinales, qui de iis inquirerent, designatos refert Stephanus Infissura (b): *Dicto*, inquit, *mense*, nimirum julio, *dominus noster Innocentius travit unam bullam contra quosdam Hispanos Judæos, vel hæreticos, vulgariter dictos Marranos lingua Hispanica, ubi electi fuerunt duo Cardinales vicecancellarius & Balva ad inquirendum contra eos, & dictum fuit Regem Hispaniæ insecutum fuisse eos, & plusquam duo millia combussisse in Valentia & Hispania, ideoque huc ad urbem venisse, & in Ecclesia Dei cepisse multa officia, prout vidi aliquot protonotarios, scriptores, Janisseros, & similia officia habentes, contra quos Papa non multum ferventer, uti res ipsa postulavet, processit.* Haud falsæ sunt hæ querelæ, quippe profani homines Judaica lepra infecti sacerdotium & episcopatum artis genus ad cumulandas opes, gradumque ad honores rati, simulata religione sacerdotalibus & episcopalibus sacris insigniri exambierunt, pro jurata castimonia vagis scortationibus contaminatissimi adeo, ut pontificiæ regiæ magistrum episcopatu insignem, ejusque spurium curiæ officialem, nec non monasticæ disciplinæ professores Christianæ fidei desertæ convictos visuri simus. Hujus autem Marranicæ pestis exordium hoc fuisse memorat Raphael Volaterranus (c): *Vincentio ordinis Prædicatorum, qui postea inter sanctos relatus fuit*, & infra, *impulsore Joannes ipse*, nimirum Rex Castellæ, *Judæos omnes relictis bonis eu Hispania discedere jussit, nisi qui Christiani fieri mallent. Bona igitur pars metu amittendæ rei sacro fonte abluti, clam vero paternis legibus invigilantes, pessimum genus hominum evasere, hi sunt, quos Marranos hodie vulgus appellat.*

In eos censura fuit exercita.

Episcopus Marranica peste infectus.

Marrani authore B. Vincentio exagitati.

(c) *Volater. Geograp. lib. 2.*

XVII. Pullulabant in Castella ingentium bellorum semina, quæ Innocentii diligentia præfocata fuere: Joanna enim, quæ se Castellani sceptri heredem a patre Henrico Rege fuisse institutam contendebat, e monasterio, in quo religiosam vitam erat professa, erumpere molita est, cujus jura Lusitani tuebantur. At Innocentius, cum ex civili bello graviora in rem Christianam damna redundatura, atque a Mauris arma Ferdinandi Regis Aragonum & Elisabethæ ejus uxoris Reginæ Castellæ distrahenda forent, intentato anathemate præsulibus, ac proceribus præcepit (d) ne Joannæ studerent, quam in septis monasterii contineri jussit.

(d) *Lib. sign. nu. 1909. P. secrete. pag. 573.*



*Ad futuram rei memoriam.*

XVIII. *Cum, sicut nuper accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictam pacem perturbare cupientes, Joannæ nempe Henrici Regis controversæ filiæ, ac hæredi, ut dimisso religionis assumpto habitu prædicto, monasterium exeat, & ad sæculum revertatur, emissamque per eam professionem prædictam tam solemniter confictis coloribus metus, & protestationum, quas desuper contra priorem assertionem prædictam veniendo fecisse affirmet, dictorum regnorum Reginam se nominet, ac faciat & velit ab aliis nominari, persuadere, & ut eam ad id alliciant, Reginæ nomine evocare & nominare non vereantur. Quorum crebris & continuatis persuasionibus hujusmodi præfata Joanna nonnunquam importuna instantia devinci, & sive, ut suadentibus ipsis complaceat, & quæ dicunt & in mente ejus imprimere nituntur credere videatur, seu alias assumptum velum nigrum, cum quo Christo Jesu, qui speciosus est præ filiis hominum, tam patenter, & publice desponsata, & Domino consecrata extitit tam intra quam extra monasterium, in quo degebat, dimittere, & se Reginam dictorum regnorum, ut suadebant, nominari facere & nominare comperta extitit in animarum Joannæ & persuadentium prædictorum periculum, perniciosumque exemplum & scandalum plurimorum. Nos igitur, qui inter prædictos Reges*, scilicet Lusitanum & Castellanum, *catholicæ fidei in partibus illis invictos propugnatores, divina cooperante clementia, initam & firmatam pacem prædictam vigere & conservari perpetuis futuris temporibus intensis desideramus affectibus ad fidei catholicæ incrementum, pro cujus exaltatione unus in Granatæ regnum, & alius, catholicorum Regum progenitorum more, cum subditis in Africæ partibus transfretando, cum infidelibus manus conserere, & fidem ipsam dilatare indefesso studio procurant, ne, si forte inter Reges ipsos exortæ jam controversiæ prædictæ suscitari contingeret, Reges ipsi a cœpiis per eos respective impugnationibus infidelium, & salutifero opere desistere, & infidelibus ipsis acquisita jam loca eorum per præfatos Reges recuperandi, & præterea illa etiam, quæ fideles incolunt, illis propinqua hostiliter invadendi, depopulandi, & cum magna Christianorum cæde, & jactura eorum spurcissimæ sectæ subiiciendi occasio & commoditas præbeatur: motu proprio, non ad Ferdinandi Regis & Elizabeth reginæ prædictorum, aut alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione emissam a prædicta Joanna tam solemnem professionem prædictam, & prout*

Egressa e monast. dicit se Reginam Castellæ.

Nasciturа bella studet præfocare Innoc.

T illam

*illam concernunt omnia & singula in dictis instrumentis contenta, ac inde secuta quæcumque authoritate apostolica, si & in quantum legitime facta sunt, confirmamus & approbamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, supplemusque omnes & singulos defectus, si qui forsan circa hujusmodi actus solemnitates intervenerunt, ac eidem Joannæ, ne contra dictam tam solemniter per eam emissam professionem ad sæculum remeando de facto venire, neve monasterium monialium S. Areni dicti ordinis, ad quod postremo se transtulit, etiam ad modicum tempus aliter, quam in causis, propter quas ordinem prædictum professis monialibus dicti ordinis regularia instituta id permittant, exire, illis cessantibus in illo reversura, aut intra, vel extra suum monasterium assumptum dictæ religionis velum & habitum dimittere, & se Reginam nominare, aut ab aliis nominari facere, vel permittere. Ac universis & singulis Christifidelibus cujuscumque status, gradus, ordinis, aut conditionis existant, & quacumque ecclesiastica etiam episcopali, archiepiscopali, & cardinalatus, vel mundana etiam regali, ac reginali dignitate præfulgeant, ne quovis quæsito colore publice vel occulte, directe vel indirecte, per se vel alium seu alios eidem Joannæ, quod monasterium & ordinem prædictum exeat, & ad sæculum revertatur, & se pro sæculari gerat, emissamque per eam professionem impugnet, persuadere, & ad ea auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstare, aut eam Reginam nominare, & nominari facere verbo, vel scripto quoquo modo præsumant, sub interdicti, ingressus ecclesiæ, ac suspensionis a divinis, ecclesiarumque suarum regiminibus, si episcopi & superiores, & si inferiores ab eis, etiam militiarum, & ordinum quorumcumque exemptorum, & non exemptorum religiosi fuerint ecclesiastici & sæculares excommunicationis latæ sententiæ, nec non privationis ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, præceptoriarum, dignitatum, personatuum, administrationum, vel officiorum,* & infra, *sententiis, censuris, & pœnis incurrendis, a quibus non nisi in mortis articulo constituti & debita satisfactione præmissa, absolvi possint, motu & auctoritate prædictis districtius inhibemus, &c.* Adjecta sunt publica monumenta xv. novembris anno MCCCCLXXX. confecta de votis a Joanna nuncupatis, quibus etiam sacri ritus tum servati describuntur. *Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCDLXXXVII. x. kal. julii pontificatus nostri anno* III.

Monasterio recludi jubet.

Percussi anathemate qui contrarium suaserint.

XIX. Nec modo in Mauros Ferdinandus & Elisabetha, vel in hæreticos severitatem legum exercuere; verum in antiquum ac florentem statum monasticam disciplinam, quæ in pluribus Gallicæ monasteriis collapsa erat, redintegrari curarunt, atque Innocentio etiam auctores fuere, ut restituendæ illius provinciam nonnullis præsulibus daret, quod mu[illegible]us Abulensi, Cordubensi, Segobiensi, & Legionensi episcopis injunctum est (*a*).

(*a*) *Bullar. lib.* 30. *pag.* 249.

*Venerabilibus fratribus Abuleasi, Cordubensi, Segobiensi, & Legionensi episcopis salutem, &c.*

*Fraternitati vestræ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vos tres, aut duo, vel unus vestrum ad omnia & singula monasteria & religiosa loca prædicta personaliter accedentes, & solum Deum ac salutem animarum præ oculis habentes, illas in capitibus & membris ac spiritualibus & temporalibus authoritate nostra visitetis, & quæ in eis correctione, reformatione, punitione, & emendatione indigere cognoveritis, eadem authoritate corrigatis, reformetis, puniatis, & emendetis, quodque de cætero perpetuis futuris temporibus in eis vigere debeat suorum ordinum observantia regularis, & illi iidem prorsus laudabiles ritus & mores in illorum regimine cura & directione monachorum ministrorumque, ac in eis præsidentium deputatione & constitutione penitus & omnino observentur, qui observari soliti sunt in monasteriis & prioratibus eorum ordinum in Castellæ & Legionis regnis, vel aliis proximis locis consistentium, reformatorum nuncupatorum, in quibus viget regularis observantia ordinum eorundem, vel aliorum, eadem authoritate statuatis & ordinetis, &c.* Instruit eosdem episcopos amplissimis aliis mandatis ad collapsam disciplinam monasticam in Gallæcia instaurandam. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno, &c. MCCCCLXXXVII.* III. *id. decembris pontificatus nostri anno* IV.

De restituenda disciplina monastica data imperia.

Animadverterant quoque iidem Reges a laicis plurium sacerdotiorum vectigalia occupata, ac sordidos sacerdotes, quos corozos vocitabant, flagitii conscios ab iis intrudi, ut tanquam inania simulachra dignitatum nomina sine re præferrent, quam corruptelam, ut excinderet Pontifex hæc dedit mandata (*b*). XX.

(*b*) *Lib. bull.* 28. *pag.* 315.

*Venerabilibus fratribus Tolerano & Hispalensi archiepiscopis, ac Abulensi & Civitatensi episcopis salutem, &c.*

*Nos, ad quos ex pastoralis officii debito pertinet, ne beneficia ecclesiastica sine canonica institutione cum periculo animarum detineantur, eorumque bona depereant, alienentur, & indebite occupentur, ac in profanos usus convertantur, providere, & frau-*

*Excindi corruptelam Reges expetunt.*

fraudibus viam præcludere, omnes & singulas excommunicationis, anathematis, privationis, inhabilitationis, aliasque sententias, censuras, & pœnas prædictas innovantes & approbantes, confidentes quoque tam abusivam corruptelam ex regno prædicto Gallæciæ diligentia vestra radicitus extirpari, instantibus etiam super hoc Rege & Regina præfatis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel tres, aut duo, vel unus vestrum per vos, vel alium, seu alios de præmissis, nempe sacerdotiorum vectigalibus indigne occupatis a laicis, & miseris sacerdotibus flagitii sociis, omnibus & singulis summarie, simpliciter, & de pleno, absque strepitu & figura judicii, sola facti veritate inspecta, auctoritate nostra vos diligenter informetis, & si per informationem eandem ita esse repereritis, omnes & singulos de beneficiis hujusmodi taliter provisos dictis beneficiis fuisse & esse privatos, eosque ac laicos prædictos & alios quoscumque, qui in præmissis intervenerint & dictas pœnas & censuras incurrisse constiterit, cujuscumque ecclesiasticæ vel mundanæ dignitatis, status, gradus, vel conditionis fuerint, sententias, censuras, & pœnas prædictas eadem authoritate incurrisse declaretis, ipsosque sic provisos ab ipsorum beneficiorum detentionibus realiter amoveatis, nos enim si privationem, declarationem, & amotionem hujusmodi per vos vigore præsentium fieri contigerit, ut præfertur, & ut in præmissis melius & facilius juxta exigentiam hujusmodi beneficiorum providere possitis, vobis & cuilibet vestrum, ac deputandis a vobis vel altero vestrum de beneficiis hujusmodi quæcumque, quotacumque & qualiacumque cum cura & sine cura, etiam si præstimonia seu præstimoniales portiones, aut quævis alia beneficia, ac cujuscumque taxæ seu annui valoris illorum fructus, redditus, & proventus fuerint, etiam si de jure patronatus laicorum, vel ecclesiasticorum, aut ecclesiarum & laicorum simul fuerint, personis idoneis etiam quæcumque, quotcumque & qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus & spectantibus, hac vice dumtaxat, providendi, &, si vobis videbitur, eorum aliqua, etiam si parochiales ecclesiæ, vel etiam perpetuæ vicariæ, aut præstimonia, seu præstimoniales portiones, aut simplicia beneficia fuerint invicem, aut alterum alteri perpetuo vel

*Data internuntiis sacerdotiorum conjungendorum potestas.*

ad tempus uniendi, annectendi, & incorporandi, ita tamen quod fructus, redditus & proventus uniendi beneficii vigintiquatuor libras Turonenses parvas secundum communem extimationem valoris annui non excedant, unitaque & annexa & incorporata, quorum fructus, redditus, & proventus per se pingues fuerint, demembrandi & separandi, ac etiam ex fructibus sic demembratorum beneficiorum, vel eorum parte, alia beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura de novo erigendi, creandi, & instituendi, partem quoque decimarum, & possessionum beneficiorum prædictorum ecclesiarum, in quibus constitutæ fuerint fabricæ, juxta illarum necessitates perpetuo vel ad tempus applicandi, vel appropriandi, ac œconomos fabricarum instituendi, statuta quoque & ordinationes pro directione & conservatione ecclesiarum regni prædicti Gallæciæ, & divini inibi cultus augmento, rationabilia & honesta, ac sacris canonibus non contraria, condendi, ac de feudis, locationibus, concessionibus hujusmodi cognoscendi, nec non contra ecclesiasticas religiosas & singulares personas, ac quoslibet alios contradictores & rebelles, & bonorum hujusmodi occupatores & detentores cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, præeminentiæ, nobilitatis, vel conditionis fuerint super præmissis per censuras ecclesiasticas, & alia juris opportuna remedia, cum censurarum prædictarum aggravatione & reaggravatione, appellatione remota, procedendi, brachium quoque sæculare quoties expedierit invocandi.

Quod ut vobis, cum opus fuerit præstetur, eosdem Regem, & Reginam, ac alios duces, comites, marchiones, barones eorum locatenentes, & officiales eorumdem regnorum pro sua in hanc sanctam sedem Apostolicam reverentia & devotione, ac justitiæ debito, & tam bona & laudabili opere enixe rogamus, & plurimum hortamur in Domino, nec non quoscumque tam ecclesiasticos quam sæculares sententiis, censuris, & pœnis prædictis innodatos, si hoc humiliter petierint, ab illis absolvendi, injunctis inde eis & cuilibet eorum sub virtute per eos præstandi juramenti, quod deinceps talia non committent, nec ea committentibus præstabunt auxilium, consilium vel favorem, pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis quæ de jure fuerint injungenda, ac cum eis super irregularitate, si quam eisdem sententiis, censuris, & pœnis, vel earum aliqua ligati missas & alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, seu illis se immiscendo contraxerint, dispensandi, omnem quoque inhabilitatis & infamiæ maculam sive notam per eos præmissorum occasione contractam abolendi, ac cum eis, postquam hujusmodi beneficia illorumque prædia & bona libere dimiserint, super fructibus per eos inde male perceptis in pecunia numerata, vel alias componendi, quam quidem compositionem eisdem Regi & Reginæ in expeditione regni Granatæ, XXI.

*Absolvendi ad officium redituros.*

*Male percepta derivari jussa in sumptus belli Maurici.*

*& non in alios usus omnino convertendi liberaliter & gratiose donamus; tertiam tamen partem dictæ compositionis cameræ apostolicæ reservando, quam districte præcipiendo mandamus cameræ apostolicæ in illis regnis collectori aut collectoribus realiter & cum effectu consignari, omniaque alia & singula in præmissis & circa ea necessaria quomodolibet exequendi, & opportuna faciendi, gerendi, exequendi & disponendi, plenam, liberam, & omnimodam tenore earumdem præsentium concedimus facultatem, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum an. MCDLXXXVII. VIII. kal. octobris pontificatus nostri anno IV.*

XXII. Cum Gallæciam suscepta Compostellana peregrinatione perlustrarent Ferdinandus & Elisabetha Reges ad monasterium, cui B. Mariæ de Zebrero nomen erat, in quo insignis miraculi monumenta servabantur, pervenere; nam dum inter sacra de veritate Eucharistiæ sacramenti anceps hærebat sacerdos, vini species in sanguinem versæ fuerunt, cujus miraculi memoriam suis literis recolit Innocentius (a).

(a) *Lib. bull. 30. pag. 132.*

*Innocentius, &c. Abulensi & Legionensi episcopis salutem, &c.*

XXIII. *Exposuit nobis nuper dilectus filius nobilis vir Enecus Lopez de Mendoza comes de Tendilla pro parte charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Regis, & charissimæ in Christo filiæ nostræ Elizabeth Reginæ Castellæ & Legionis illustris orator ad nos destinatus eorumdem Regis & Reginæ nominibus, quod cum olim quampluribus annis effluxis quidam presbyter in ecclesia monasterii beatæ Mariæ del Zebrero unum per priorem solita gubernari ordinis S. Benedicti Lucensis diœcesis missam celebrasset, & post consecrationem corporis domini nostri Jesu Christi an ex vino in calice consecrato verus sanguis Christi conficeretur dubitasset, idem dominus noster Jesus Christus, volens dubietatem hujusmodi ab ejus corde evellere, & veritatem hujus sacratissimi Sacramenti magis patefacere, subito in dicto calice miraculose verus sanguis oculis corporeis visibilis apparuit, ejusque pars ex dicto calice in corporalibus super altare existentibus effusus est, atque idem sanguis ita visibilis mansit, & hodie pro reliquiis reservatus conspicitur, ut sanguis hominis vel hœdi recenter effusus, coagulatus tamen videatur, cumque Rex & Regina præfati ad S. Jacobum in Compostella anno proxime elapso pergerent & dictum monasterium, quod in via publica euntibus ad dictum sanctum Jacobum existit, visitarent, & sanguinem prædictum miraculosum viderent, maxima devotione accensi, juxta dictum monasterium unum solemne hospitale pro pauperibus & peregrinis ad dictum S. Jacobum peregrinantibus ædificari seu reædificari facere proposuerunt, illudque magnis sumptibus & expensis suis perficere & dotare intendunt, & magno affectu desiderant, ut in dicto monasterio, in quo raro monachi seu presbyteri sæculares, qui divinum officium & horas canonicas celebrent commorantur, quodque destructum & dissipatum existit, cultus divinus augumentetur, illudque informetur, & in eo divinus cultus accrescat, &c.* Propositæ ab Innocentio sacræ indulgentiæ iis, qui ad ornandam eandem sacram ædem stipem conferrent. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno MCDLXXXVII. V. kal. septembris pontificatus nostri anno III.*

Species vini in sanguinem versæ.

Peregrinatio Regis & Reginæ Cast. ad S. Jacob. Compostell.

Xenodochium pro peregrinis ab iis excitatum.

Hærebant adhuc in Bohemia Hussitarum sectæ reliquiæ adeo, ut insignes etiam ecclesias ii occuparent, neque catholicis sacerdotibus earum administrationem permitterent, de quo apud sedem Apostolicam querelæ allatæ (b). Relatum etiam Pontifici est a Joanne Haslesteino Wladislai Regis Bohemiæ oratore, qui ad sedem Apostolicam pro deferenda illi de more regio obedientia accesserat, plures hæreticos & schismaticos in Pragensi diœcesi prope opidum Cadense, cujus dominatum tenebat[1], grassari, ac suis erroribus implicare catholicos anniti: multos etiam ex iis agniris erroribus facile ad gremium catholicæ Ecclesiæ redituros, si qui authoritate ad ipsos expiandos pollerent, inopia autem ac longinquitate itineris, ne ad sedem Apostolicam accedant, deterreri: quorum misertus Innocentius Cadensem sacerdotem ad hæreticos & schismaticos damnantes errores eidem conciliandos Ecclesiæ authoritate instruxit: quam etiam abbati monasterii S. Ægydii tribuit, ut ex pontificio diplomate (c) patet. XXIV.

Grassantur Hussitæ in Bohem.

(b) *Lib. bull. 26. p. 290.*

(c) *Lib. bull. 27. p. 71.*

XXV. In Ebredunensi pariter archiepiscopatu veteres Waldensium hæreticorum fibræ repullularunt: ad quas excindendas, cum de more censor fidei decretus esset, hæretici in ipsum sumptis armis consurrexere, ejusdemque famulum contrucidarunt: qua indignitate permotus Innocentius Gallos, Sabaudos, ac Germanos, in quorum limitibus impietas defixa hærebat, ad hæreticos delendos expedire arma jussit (d), & gravibus pœnis hæreticorum fautores perculit: tum Albertum de Capitaneis archidiaconum Cremonensem amplissimis instructum mandatis decrevit, ut religiosam crucis militiam ad Waldenses excindendos promulgaret, ac principes & episcopos in eosdem concitaret, quibus literis hæc temporis nota adjecta est. *Datum Romæ apud S. Petrum anno*

(d) *Lib. sign. n. 1909. P. sect. p. 542.*

in-

*incarnationis dominic.* MCDLXXXVII. V. *kalend. maii pontificatus nostri anno* III.

XXVI. In Scotia Regina Margareta sanctitatis fama & miraculorum gloria adeo effloruit, ut Scoti popoſcerint ab Innocentio ut eam in cœlitum ordinem aſcriberet, quorum precibus permotus Pontifex de geſtis ejus rebuſve admirandis, ac teſtium dictis publicas in tabulas referendis nonnullis præſulibus mandata dedit (*a*).

(*a*) *Ib. p.* 515.

*Venerabilibus fratribus archiepiſcopo S. Andreæ & epiſcopo Glaſguenſi, ac dilectis filiis electo Aberdonenſi, nec non abbati monaſterii ſanctæ crucis S. Andreæ diœceſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

Margareta Regina Scotiæ illuſtris ſanctitate.

*Cum, ſicut pro parte chariſſimi in Chriſto filii noſtri Jacobi Scotorum Regis illuſtris nobis nuper oblata petitio continebat, claræ memoriæ Margarita quondam Regina Scotiæ, dum in humanis ageret, pie vixerit in hoc ſæculo, viam ſalutis docendo verbis pariter & exemplis, cumque præſentis vitæ curſum feliciter conſummaſſet, Altiſſimus eam multis miraculis illius meritis, & interceſſione, ut pia fidelium devotio inconcuſſe credit, operando decoraverit, quo fit, ut innumera multitudo Chriſtifidelium regni Scotiæ illius animam inter beatiſſimos ſpiritus receptam, & merito collocatam fore firmiter dicant, prædicent, & affirment, ac illius nomen & memoriam pura fidei ſinceritate venerentur, eamque aliorum ſanctorum & ſanctarum Dei cœtui ab Altiſſimo aggregatam illorum catalogo in militanti Eccleſia merito etiam aggregari debere arbitrentur, quare pro parte præfati Regis & univerſorum fere prælatorum & procerum dicti regni ejuſdem Reginæ meritis & miraculis hujuſmodi, ac mira multitudinis fidelium eorundem ſolicitudine impulſorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eandem Reginam, concurrentibus ad id requiſitis, vitæ ſanctimonia, meritis & miraculis, juxta ritum & conſuetudinem Romanæ eccleſiæ ſanctorum cœtui, numero & catalogo de fratrum noſtrorum conſilio aggregare, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur.*

Expetitum ab Innoc. ut in Sanctarum albo collocetur.

*Nos igitur cum non deceat apud homines eam ignotam relinquere, quam merita ſanctam oſtendunt, & miracula, de præmiſſis certam notitiam non habentes, ac volentes in certis feſtinos, & lentos in dubiis inveniri Regis prælatorum & procerum prædictorum in hac parte ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ, de qua in his & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, authoritate apoſtolica tenore præſentium committimus & mandamus, quatenus vos vel tres, ſeu duo veſtrum de præmiſſis & aliis requiſitis juxta Romanæ eccleſiæ ritum & conſuetudinem in ſanctorum canonizatione generalem fieri ſolitam diligentiam, & pro rei magnitudine accuratam inquiſitionem in tanto fidei catholicæ negotio adhibeatis, ſi in regno prædicto fueritis, alioquin per vos authoritate noſtra ad hoc ſpecialiter deputando procuratorem, & ſuper articulis per eundem procuratorem coram vobis producendis faciatis authoritate noſtra prædicta, ea omnia & ſingula, quæ inveneritis manu fidelium & publicorum notariorum, ad id per vos aſſumendorum, in ſcripta fideliter redigi, & annotari facere dicta authoritate noſtra curetis, ac nobis veſtris ſigillis clauſa & ſigillata remittatis & referatis ut habita veſtra relatione fideli ad requiſitam & ſolitam ſpecialem ſanctimoniæ vitæ dictæ Reginæ miraculorum, quibus Regina ipſa in vita & poſt mortem claruiſſe univerſus fere populus ipſius regni tenet, credit, & affirmat, aliorumque neceſſariorum ad canonizationem hujuſmodi, de fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio procedere, & ejuſdem canonizationis negotium, prout Altiſſimus inſpiraverit, & fuerit faciendum proſequi libere & licite valeamus.*

Decreti Epiſcopi qui de illius miraculis inquirant.

XXVII. *Interrogatoria, ſuper quibus perſonæ fidedignæ, & omni exceptione majores per vos auctoritate noſtra recipi & examinari debent, ſunt infraſcripta, videlicet. An claræ memoriæ Margarita olim Regina Scotiæ fuerit Chriſtiana, fidelis, catholica, irreprehenſibilis vitæ verbo, re, & facto, & an pro tali & ut talis fuerit habita, tenta, nominata, & reputata. An ipſa Regina fuerit de legitimo matrimonio procreata, & pro tali & ut talis habita, tenta, nominata, & reputata. An ſecundum ordinationes & inſtituta ſanctæ matris Eccleſiæ baptizata & confirmata, ac etiam toto tempore, quo in humanis egit maximæ honeſtatis extiterit. An laudabilis vitæ ſanctitate, ac doctrina, optimiſque moribus pollens extiterit, & pro tali & ut talis habita, tenta, nominata & reputata.*

Inquiſitionis exercendæ capita circa mores.

XXVIII. *An aſſidue in orationibus erga Deum & ſanctos ejus vacaverit, & ſanctæ meditationis extiterit. An eadem Margarita Regina fuerit virgo, vel pro virgine, ſeu ſaltem continente habita, tenta, & reputata. An ipſa Margarita Regina dum vixit alia bona fecerit, & ſic interrogentur quæ bona fecit, & ſi ejus facultates in cibos pauperum Chriſti erogaverit. An aſſiduis temporibus confiteretur ſacerdoti, & cui ſacerdoti, & an ſacramentum Euchariſtiæ cum maxima devotione aſſumeret, ac miſſas & alia divina officia devotiſſime audiret, divinumque officium continuo diceret, & illud dicere nullatenus intermitteret, & an continuo divinis officiis intereſſet. An infirmis &*

mi-

*miserabilibus personis in eorum necessitatibus subveniret, & alia opera misericordiæ exerceret quas vestes, seu quos pannos induebat & qualiter, & quibus pannis induta ibat.*

XXIX. *An esset nimium loquax vel parca, & rara in loquendo, & an verba otiosa en proposito unquam locuta fuerit, an in ejus infirmitatibus & tribulationibus, quas tempore ejus vitæ passa fuit, patiens fuerit, & illas libenti animo sustinuerit. An importunos sustinuerit, & murmurantibus sibi injurias remiserit, & pepercerit. An petentibus auxilium & consilium præberet. An unquam populo sibi commisso verbum Dei prædicaret, vel saltem ad bene agendum, & Dei præcepta servandum hortaretur, eisque præcipere & mandaret, & alia faceret, quæ ad ipsam tamquam Reginam spectabant, & pertinebant.*

XXX. *An unquam de aliqua re inhonesta, turpi, vel non permissa fuerit diffamata. An adversantes & invicem odiosos ac inimicos ad veram pacem, & veram concordiam reduxerit, vel saltem reducere quæsiverit. An eadem Margarita toto tempore, quo in humanis egit & usque ad ejus obitum virtuose & laudabiliter, & absque fama alicujus notæ sive maculæ vixerit, & vitam laudabilem duxerit. An tempore ejus obitus fuerit pro optima aut bona muliere tenta, nominata, & reputata. An ante ejus obitum aut post eadem Margarita fuerit de aliquo crimine, vel vitio, aut aliquibus operibus diffamata: & si sic interrogentur de quo, seu de quibus, ubi, quoties, & quando. An eadem Margarita Regina tempore, quo vivebat, signa miraculosa fecerit, & si sic interrogentur, quæ & quibus personis illa signa, suis promerentibus meritis, Deus ostenderit.*

XXXI. *An post ejus obitum eadem Margarita Regina aliqua miracula, aut signa miraculosa fecerit, aut potius omnipotens Deus in personas dictæ Margaritæ devote se recommendantes miracula, & res miraculosas operata est, & a quanto tempore citra, & si sic interrogentur de miraculis & miraculosis rebus. An eadem Margarita Regina post ejus obitum continuo & ab omnibus præsertim incolis loci, in quo corpus ejus requiescit, & aliis districtualibus & convicinis ejusdem pro optima vel bona muliere & laudabilis vitæ habita, tenta, nominata, & reputata fuerit.*

Circa miracula.

XXXII. *An eadem Margarita Regina a nonnullis annis circa pro sancta vel pro beata habita, tenta, nominata, & reputata fuerit. An etiam quamplurimæ, & innumerabiles personæ ad locum, ubi & in quo eadem Margarita sepulta est, tanquam ad sanctam & in Altissimi gratia existentem pro obtinendis gratiis continuo vadant, & ad eam tanquam ad sanctam, vel beatam preces porrectæ & orationes dictæ fuerint, & hodie porrigantur & dicantur, & alia signa extrinseca facta fuerint, & fiant, quæ veros & indubitatos sanctos facere licet & est permissum. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCCLXXXVII. IV. non. junii pontificatus nostri anno III.* Ad sedem Apostolicam venerat archiepiscopus S. Andreæ, ut Jacobi III. Scotorum Regis nomine obsequia Pontifici, ut novo Christi in terris vicario, dimisse præstaret: quem Innocentius novo honore auxit, quippe qui illum primatem totius Scotiæ ac legatum natum ejusdem sedis Apostolicæ creavit (*a*).

(*a*) *Lib. bull. 24. p. 25.*

XXXIII. Affecit etiam Innocentius ea prærogativa Scotiæ Reges regiæque familiæ principes, ut, si ad loca sacris interdicta accederent, divinis mysteriis interesse possent, atque ea trium milliarium intervallo solemni ritu celebrari sublatis censuris permisit (*b*).

(*b*) *Lib. sign. n. 1909. P. secret. p. 532.*

XXXIV. Hoc anno Carola Cypri Regina, quam ab Ægyptio sultano pulsam regno vidimus, diu Romæ beneficentia Romanorum Pontificum sustentata obiit, ut refert Burchardus hisce verbis (*c*): *Die lunæ* XVI. *julii hora* XIII. *vel circa Romæ in burgo S. Petri in domo suæ solitæ residentiæ obiit illustrissima domina Carola Cypri Regina, & ejus corpus eodem die circa horam* XXII. *associatum fuit per prælatos ac familias sanctissimi domini nostri & reverendissimorum dominorum Cardinalium en domo præfata usque ad basilicam S. Petri, in qua non longe a capella S. Andreæ & Gregorii in Vaticano sepulturæ traditum, &c.* Reliquisse illam testamento jura Cyprii regni Sabaudiæ duci, quibus aucti ejus tituli fuere, referunt scriptores (*d*). [1]

(*c*) *Burchard. mss. Vatic. in diariis.*

(*d*) *Steph. Lisinian. in hist. Cypr. Vvandeburch in Saband. hist.*

NOTÆ [1] CArolæ reginæ Cypri obitum anno huic recte consignat Annalista, qui pariter & mensem & diem accurate definit. Fratrem habuit Jacobum cui regnum Cypri Soldanus Ægypti contulerat, exclusa Carola ex legitimo concubitu nata, cum Jacobus ex illegitimo prodiisset. Præter hanc Carolam altera fuit etiam Carola ex regio Lusinianorum sanguine prognata, filia spuria Jacobi Regis, quam post patris obitum conjurati cum filio Ferdinandi regis Siciliæ matrimonio copularunt, eo consilio ut vidua regis Jacobi Catharina Cornaria, ac nato ex ea filio amotis, regnum in manus Ferdinandi recideret. Quid dein Carolæ huic novæ nuptæ acciderit ignorare me profiteor. Sed hæc monuisse juvit, ne nominum similitudo ambages lecturibus ingerat. Ad Carolam vero Jacobi Regis sororem quod attinet, recepisse se illam Romam sub Sixto IV. pontifice

NOTÆ tifice rerum ab eo gestarum scriptor anonymus testatur. Sed non item cum regno spes omnes ejus recuperandi abjecit; nam post Jacobi obitum (quem ejus fœminæ malis artibus quidam adscribunt) nullum non movit apud Saldanum Ægypti Venetosque lapidem, ut illo potiretur; & eodem etiam superstite Jacobo per allegatos suos Mahometem Turcarum Imperatorem sollicitavit, ut sibi armis adsisteret. Undique tamen spe destituta, tandem Romæ inani reginæ titulo & fuco contenta requievit MANSI.

Ageba-

I. Maximiliani hostes ad misericordiam flexi.

Agebatur annus Christianæ salutis millesimus octogesimus octavus indictione sexta, cum ingentes in Belgio populares tumultus facti fuerunt, quos cum Maximilianus armis compescere niteretur, repente a furente plebe Brugensi circumfusus, fugientibus suis oppressisve, ineunte februario in custodiam traditus est, vitam lacrymis deprecatus: quibus visis hostes regiæ majestatis misericordia emolliti lachrymas pariter continere non potuerunt, adeo ut etiam polliciri sint suo sanguini, ne quid mali pateretur, pro ipso non parsuros. Exasperasse illum in se Belgarum animos ferunt, cum ad reficiendum ærarium continuis exhaustum bellis graviora vectigalia imposuisset, ut Clarentiæ comitis filium, seu verum seu ementitum auxilia implorantem (a), depulso Henrico VII. Franeis fœdere juncto, ad Anglicum solium efferret (b). Adigere autem eum Belgas meditatos tradunt (c), ut principatus Belgici ab administratione discederet, eamque in Philippum filium transfunderet, quem ipsi ad arbitrium suum regerent.

(a) In fiss. mss. arch. Vat. sign. n. 111. Paul. Langius in chron. Citizen. Trithem. in Chron. Pont. hoc ann. Crantz. Saxo. l. 12. Sur. l. 80. c. 78. Marian. l. 25. c. 12.
(b) Crantz. sup. l. 12.

II. Germani pro eo liberando solicitati.

Perculsus inopino casu Fridericus Imperator mox episcopum Wormatiensem in Brabantiam misit, ut Philippum nepotem asservaret, ne in perduellium potestatem veniret: tum Germaniæ principes ad arma pro liberando Romanorum Rege accendit. Pontifex etiam Belgas admonuit (d), ut Maximilianum dimitterent, ac ni ad officium redirent, anathemate ab archiepiscopo Coloniensi jussit percelli: Ferdinandus etiam & Elisabetha Hispaniarum Reges, qui cum Maximiliano de jungenda affinitate jam colloquia fecerant, oratores in Belgium misere (e), qui illum educi ex custodia deposcerent: præterea socii Regis calamitate moti classem in Cantabrico littore instruxerunt. Non cessere pontificiis cæsareisque aut Hispanorum Regum precibus Belgæ: immo nonnulli de Maximiliano dedendo hosti Francorum Regi agitarunt (f) consilia. Denique tertio post mense, cum Fridericus Imperator Gandavenses seditionis auctores magnis cladibus attrivisset (g), Albertusque superioris Saxoniæ dux, veniendi cum Burgensibus in colloquium specie, munitissimum oppidum, cui Dam nomen est, quo necessarii in urbem inferebantur mari commeatus, intercepisset, atque Hispanica classis ingrueret, multis affecti calamitatibus Burgenses ad pacem inclinarunt, quæ Philippo Ravenstenio, & comite Nassoviæ administris firmata est, ac Maximilianus, ubi juratus spopondit omnibus veniam se daturum, liberatus est. Describit metro Quintus Æmilianus (h), ut a Brugensibus dimissus Maximilianus in patris castra perrexerit, veniaque Brugenses donarit. Nec modo intestino bello, sed etiam externo Belgium laborasse refert Krantzius (i), ac Francos duce Philippo de Ehordis late excurrisse, Morinoque voluntate civium, quos præsidiariorum nimia licentia offenderat, potitum, Duaco autem & Insula propulsatum (k).

(c) Trithem. ubi sup.
Hispaniæ Reges pro eodem deprecatores agunt.
(d) Crantz. sup. c. 12.
(e) Sur. l. 20 c. 78. & Marian. sup. 12.
De eo Gallis dedendo agunt Belgæ.
(f) Crantz. sup. c. 11.
Granatenses seditiosi attriti.
(g) Trithem. ubi sup.
Burgenses ad pacem compulsi.
Morini in Gallor. potestatem recepti.
(h) Æmil. in encomastic. 10. 2. rer. Germ. ex edition. Freber.
(i) Crantz. c. 13.
(k) Id. c. 7.

III. Scoti rebellant in Regem.

Gravius civilis belli discrimen eodem tempore passa est Scotia proceribus Jacobum Regem solio evertere, evehereque ad illud filium ejus impuberem annitentibus. Tanti mali hæ causæ fuere. Jacobus eo nomine III. spretis nobilibus ministeria aulica gerenda aliis tradebat, seque totum libandis voluptatibus dedebat: Luxuriæ accessit ira & crudelitas, eos enim, qui defectionem ab eo superioribus annis conflarant, extinguendi inivit consilia, quæ præsentientes proceres consurrexere ex desperatione in arma, comparatisque copiis sceptri heredem, quem suo regebant arbitrio, sibi præfecere, ac Jacobo denuntiarunt, ut sceptrum, quod indignis manibus tractabat, Jacobo filio cederet. His perterritus Rex oratores suos misit ad Francorum & Anglorum Reges, ut ad comprimendos rebelles regiam auctoritatem interponerent, submitterentque auxilia, tam enim nefarii exempli perniciem in aliorum principum capita derivari posse, futuramque ludibrio Regum majestatem, ni conjuratorum audacia comprimeretur. Innocentium etiam Romanum Pontificem communem omnium parentem vindicemque scelerum exoravit, ut suo sedisque Apostolicæ summo jure legatum decerneret, qui arma ex rebellium manibus eriperet, eosque ad officium redire juberet; cujus votis morem gessisse Pontificem testatur Polydorus Virgilius, misisseque Adrianum Castellanensem episcopum, virum pluribus animi scientiæque ornamentis conspicuum, postea ab Alexandro VI. sacro purpuratorum collegio aggregatum.

Conjurationis causæ.
Implorata a Rege Pontificis auxilia.

IV. Scotiæ Rex in acie captus occisusque.

At dum ille maximis itineribus ad componendas discordias Scoticas proficiscebatur, proceres Regem ad pugnam coegerunt, fusisque regis copiis ipsum in acie captum interemerunt, quem ætatis annum tum egisse scribunt quintum & trigesimum, regni autem vigesimum octavum.

vum. Biduo ab internuntii apostolici in Angliam adventu nuntiatum est Jacobum Regem a suis cæsum. Victoribus Scoticarum rerum potitis, indictoque conventu, omnium ordinum regni decreto declaratum est, Jacobum Regem jure interfectum; communi tamen consensu ejus filius major natu annnorum circiter sexdecim in sede regia locatus fuit; qui paternæ calamitatis exemplo territus tanta animi moderatione ac prudentia est usus, ut brevi tranquilla pace universum regnum potiretur.

Pronuntiatum a Scotis jure cæsum. Ejus filius evectus in solium.

V. In Hungaria Joannes episcopus Varadiensis regiæ procurator apud Pontificem in crimen hæreseos vocatus est, quod Hussitas in Bohemia soveret, atque ideo Innocentius (a) Angelo episcopo Ortano in Hungaria internuntio apostolico dedit imperia, ut de imposito crimine inquireret. Cæterum meræ calumniæ in Joannem temere sparsæ fuerunt ab invidis; is enim pietate clarus, humanæ felicitatis ludibriorum pertæsus, quamquam in procuratione procuranda regiæ Hungaricæ principem locum apud Matthiam Regem obtinebat (b), perfunctus omnibus honoribus, quibus irretiri poterat, prudentia, liberalitate, eloquentia peritiaque apud Reges apud quos legationes maximas obierat, apprime charus, opibus ac divitiis adeo affluens in Matthiæ beneficentia centum aureorum millia præter villas & oppida possideret, nuntium mortalibus rebus remittere meditatus a Romano Pontifice abdicandi se episcopatu potestatem petiit, ut testatur Innocentius in literis (c) ad dictum Ortanum episcopum apostolicum internuntium mense augusto datis: *Pro parte*, inquit, *venerabilis fratris nostri Joannis episcopi Varadiensis nobis nuper fuit expositum, quod ipse zelo devotionis accensus aliquam ex probatis religionibus ingredi, & in illa professionem emittere regularem desiderat, si ad id sedis Apostolicæ licentia & assensus accederet, &c. Quibus literis adjecta est hæc temporis nota. Dat. Rom.* XXVI. *augusti MCDLXXXVIII. pontificatus nostri anno* IV. Assensit (d) piis illius votis Innocentius, atque ad internuntium scripsit, ut ipsum religiosæ familiæ se addicere permitteret.

Episc. Varadiensis calumniam passus.

(a) *Lib. bull.* 37. *p.* 237.

A sæculo subducit.

(b) *Bonfin. dec.* 4. *l.* 10.

(c) *Inn. VIII. lit. comm. an.* 1488. *l.* 3. *p.* 465.

Postulat ab Innoc. deponendi episcopatus facultatem.

(d) *Ead. ep.*

VI. Obstitit Matthias Rex, cum ipsius opera carere nollet: itaque post illius mortem, Wladislaumque Hungarica corona redimitum, demum religiosa eumdem episcopum sua desideria ad exitum perduxisse, deque contemplativa æque atque activa vita triumphare studuisse, testatur Bonfinius (e), hancque ejus sapientissimam orationem refert: *En stultam mortalium sapientiam, en irritos hominum labores, en perquam vanum subtilissimumque finem! quid ex his tandem sperare licebat præter maximum pontificatum? altius enim evehi non poteram. Quid demum consecuti sumus præter catenatos labores, perpetuamque procellam, & æternam spiritus afflictionem? Valeant hæc omnia, quæ me mei ipsius immemorem effecere, quæ me terrestribus infodere miseriis, quæ me ad divini Numinis vultum numquam suspicere permisere. Humanis ipse rebus ultro renuntio, me ab omni misera vindico conditione, & divini Numinis dexteritate iter illud inibo, quo me, ni fallor, ab omni mortalitate jam asseram. Cuncta recensui voluptatum agmina, ambitionis omnia munera prægustavi, formidolosa divitiarum fomenta possedi, clientium salutationes, anteambulonum turbas, familiarium multitudinem non ignoravi, neque popularis aura nec gratia principum, nec plausus populorum, nec congratulationes amicorum, nec cultus assiduus domi forisque servatus mihi defuit: quid tandem solidæ utilitatis ex his legere licuit, nempe nihil præter mentis detrimentum, defectum, interitumve animi, & assiduam spiritus afflictionem. Cedamus igitur terrestri patria, & momentaneis his rebus ultro renuntiemus, ne, dum mortalium amore rapimur, mortem quoque perpetuam nobis comparemus. Sat lusum & insanitum est, sat in ridiculoso errore versatum, sat corpori densque sit indultum, nunc animæ, nunc immortalitatis habenda ratio, ne animantium more vivere videamur. Postquam in hoc assiduo bello mortalium nemo fere tuto vivere potest, nisi ad munitissimas arces effugiat, editiora loca petamus, & ex humili genere nati vitam quæramus illustriorem: nec ab re quidem nobis factum erit, si Christum optimum maximum servatorem nostrum imitati, quanto huic vano sæculo clariores viximus, tanto delitescemus obscurius, uti cumulatas vanæ hic nostræ gloriæ pœnas exolvamus, & discat exemplo quisque nostro non in rebus momentaneis, & fluxis, sed stabilibus & æternis spem solidam esse collocandam. Ex humilibus exorti parentibus in pristinam humilitatem, quod reliquum est vitæ, redigamus, ne cum hac ætate plus sapere debeamus, in obstinata vitæ miseria & cæcitate persistendo gravius desipere videamur. Proinde nos a quotidianis naufragiis & fortunæ potestate tandem asseramus. Servatoris nostri humilitatem imitemur, & crucem subeamus, ut dum fragilem hanc vitam contempserimus, perpetuam nobis comparemus: si quot labores in servitio mortalium principum toleravimus, tot in divino officio pertulissemus, jam vere beati possemus existimari: quare* va-

Retardatus a pio consilio per Matthiam Regem.

(e) *Bonfin. dec.* 4. *l.* 10.

Quam vana sint in aulis principum humana studia.

*vanitati omni cedamus, & salubre Dei quæramus obsequium*. Ita episcopali aulicoque munere posito Joannes Olmucium se contulit in S. Francisci sodalitium, templum in sanctorum omnium honorem condidit magnificeque ditavit; tum sacras vestes auro gemmisque onustas non Waradiensi modo & Budensi, verum aliis ecclesiis largitus est. Tantum vero Hungaris ac Bohemis sui desiderium insigni hac abdicatione reliquisse addit Bonfinius, ut pientissimo quisque parente ac patrono officiosissimo se orbatum reputaret.

Ditatis ecclesiis paupertatem Franciscanam professus.

VII. Aberat ab hoc præclaro religionis exemplo parochus ecclesiæ S. Albini Gallus Joannes e Ferieres nomine, qui concessam ab Innocentio ducendæ uxoris potestatem sibi sacerdotalibus sacris initiato publice in ecclesiis promulgandam curavit, eaque calumnia sedis Apostolicæ majestatem non levi infamiæ macula aspersit. Quem ab archiepiscopo Rothomagensi comprimi jussit Innocentius (a), vetuitque talia cum Ecclesiæ universæ offensione divulgari. Censoribus etiam fidei in Catalonia qui pro salute animarum excubabant, mandata dedit (b), ut in hæreticum, qui quadragesimali tempore carnibus vesci deprehensus erat, neque inter divina mysteria, dum ostendebatur populo Eucharistia, caput more catholicorum aperuerat, legum severitatem adhiberent; & Lusitaniæ archiepiscopos & episcopos erudiendo doctrina Christiana populo, & sacramentis imbuendo, tum exercendæ in sacerdotum mores censuræ, lustrandisque diœceseon ecclesiis in iis locis, quæ ordinum equestrium ditioni essent obnoxia, operam strenuam navare jussit (c), cum in iis divinus adeo cultus obsolesceret, ut veteris gentilitatis prope caligine mersi earum partium Christiani viderentur, equitesque S. Jacobi e Spatha privilegiis nefarie abuterentur, spernerent episcoporum authoritatem, & clericis suis licentiæ habenas effunderent.

Sacerdotis Normanni audax facinus.

(a) L. 3. lit. comm. an. 1488. p. 167.

(b) Ib. p. 34.

(c) Ib. p. 25.

VIII. Inflicta est equestribus ordinibus, quorum splendor in Hispaniis admodum obsoleverat, cum opum amplitudine abuterentur, vehementior plaga, supremo eorum magistratu cum amplissimis vectigalibus a Pontifice in Reges translato, qua de re hæc refert Joannes Mariana (d): *Garsia Padillia Calatravæ magistro*, & infra, *extincto multisque una ambientibus, Ferdinandus Rex, concedente Innocentio Pontifice, eum honorem, paresque opes utendas, fruendas, administrandas stabili possessione suscepit: quod exemplum ad alios militum ordines manavit, effecitque ut aucta Regum potentia eorum militum authoritas evanesceret, cum præmia virtuti dari solita emeritæ militiæ viris, rebus conversis, aulæ affectis plurimum cedant. At tumultus in comitiis vigebant, regiique ærarii tenuitas erat supplenda recte: nisi omnia mala exempla ex bonis initiis derivarent, verum hæc reipublicæ vulnera sanare quis possit? in tanta assentatorum frequentia prætermittere satius arbitror, tametsi quis æquo animo feret opes majorum pietate concessas ad profligandos Christiani nominis hostes, effundi nullo certe exiguo reipublicæ fructu quantum iis terræ marisque parari potuit?* Excusant plures hoc factum, nempe ingenti rerum mole pressum Ferdinandum fuisse, assiduisque sumptibus bellicis in delenda Maurica impietate exhaustum. Instauratum (e) vero hoc anno ab eo bellum in Bohardillem Regem, ac Veram, Murgim, Veles album rubrumque, tum alia oppida Christiano adjunxisse imperio, necnon Almeriæ & Bastæ agros vastasse, refert Mariana. Quæ victoriæ coram Innocentio in celeberrimis cœtibus ab oratore ecclesiastico (f) celebratæ fuerunt. Ad hos sustentandos exercitus abradebant a subditis decumas amplissimaque vectigalia Granatenses Reges, quorum jura Ferdinandus Rex Castellæ sibi ascivit, ut in Mauros stipendia militi persolveret, quæ pontificia authoritate ab Innocentio confirmata (g) fuerunt.

Equestrium militiarum summus magistratus translatus ad Reges.

(d) Marian. l. 25. c. 13. Sur. l. 20. c. 81.

Enata inde gravia incommoda.

(e) Sur. l. 20. annal. c. 65. & 66. Marian. l. 25. c. 65.

Plures arces ereptæ Mauris.

(f) Ext. typis cusa oratio.

(g) L. 71. bull. p. 250.

IX. Distinebat (h) Ferdinandum gravis cura ne Bajazethes Turcarum Imperator formidandum bellicum apparatum, quem in sultanum Ægyptium instruere ferebatur, in Siciliam verteret, classemque propterea ornari omnibus necessariis jussit. Nec vane conceptus metus; pars enim Turcicæ classis in Melitem insulam exscensione facta prædas abegit, savitque divina bonitas nomini Christiano, ne barbarus eam insulam in suam redigeret potestatem, ex qua Siciliæ Italiæque servitutis frænum injecturus erat: quare cum discessissent Turcæ, ad illius portum, admodum navalibus accommodum, arce valida communiendum opera collocata est. Porro hujus anni appetente vere centum millia Turcarum in Ciliciam progressa imposita mari apparatissima classe referunt scriptores (i). Nec minores militum delectus habuerat Caitbeus sultanus Memphiticus atque ex Ciliciæ portis quinquaginta equitum millia effudit, occurrentemque sibi Turcarum equitatum, qui ad quinquaginta millia etiam ascendebat, inter Amanum montem & sinum Issicum eodem loco, quo olim Alexander magnus cum Dario conflixerat, cruentam pugnam medio augusto conseruit, quæ totum diem pertinacissimis animis tenuit,

(h) Sur. c. 79. & Marian. c. 13.

Melite insula frustra tentata a Bajazethe.

Communita arce valida.

(i) Sur. sup. c. 79. Bosius p. 2. l. 14. Bizar. hist. rer. Persi. l. 10. Sabell. ennead. 10. l. 8. & alii.

nuit,

Commissa inter Turcas & Ægyptios cruenta pugna.

nuit, adeo ut triginta vel eo amplius Turcarum equitum millia cæsa fuerint, reliqua fuga dissipata; mamaluchorum autem ad octo millia desiderata, inter quos ille, penes quem militare imperium erat, occubuit. Parta de eo exercitu victoria Ægyptius in reliquos signa convertit, qui timore perterriti sese fugæ mandarunt.

Bajazethis classis naufragium passa.

Nec minus infeliciter cessit parti classis Turcicæ, quæ ad Syriæ oram evastandam vela fecerat, cum procellis enim ventisque luctata scopulis allisa fluctibusque mersa est. Ita formidabilis ille Bajazethis apparatus periit. De tantis autem casibus per exploratores edoctus Petrus Aubussonius Rhodiorum equitum magister exaratis quarta septembris die literis significavit Pontifici, ut Zizimi causa bellum inter Bajazethem & Caitbeum accensum esset, missique Rhodum ab ambobus oratores fuissent adjectis amplissimis pollicitationibus, ut in suas partes eum pellicerent, in neutram tamen inclinare præ se tulisse, quo discordiæ inter barbaros augerentur. Paucis interjectis diebus Aomates bassa classe Turcica Rhodium mare sulcans Aubussonium variis officiorum generibus est prosecutus, ac mox sultanus Ægyptius eidem Rhodio principi significavit, legatum ad Pontificem Romanum Regemque Neapolitanum se missurum, ut occidentales principes ad Zizimum Turcico restituendum imperio permoveret; de quibus Aubussonius Pontificem die nono septembris fecit certiorem. Antea vero decima junii die missus a Matthia Pannoniæ Rege, qui cum Friderico Imperatore inducias pepigerat, orator amplissimis fretus mandatis, quibus Rhodiorum equitum magister cum eo non secus, quam cum Rege ipso paeisei poterat expetiit (*a*), ut Zizimus Matthiæ ipsi traderetur cum exercitum in expeditionem adversus Bajazethem educere, atque in Europa adoriri pararet, dum illum in Asia Ægyptius atterebat, spemque haud dubiam victoriæ affulsisse, cum plures Turcarum proceres Zizimi partium studiosi varias coitiones cum Hungaris fecissent. Adducta re in consilium equestre, censebant nonnulli permittendum Zizimum Matthiæ Regi, qui Turcas sine mora bello petere posset; at cum Pontifex summa vi anniteretur, ut sibi traderetur, visum est morem ipsi gerendum, cum præsertim sperarent Rhodii pontificia auctoritate decretum in Bajazethem bellum majori impetu apparatuque gestum iri. Ita inscius futurorum eventuum Rhodiorum equitum princeps Zizimum pontificiæ potestati permisit, assentienteque Gallorum Rege proximo anno in Italiam duci jussit. [1]

Sultanus Ægyptius de fœdere postulat Inn. contra Bajazethem.

Matthias sibi tradi Zizimum poicit.

(*a*) *Bos. sup. lib.*

Zizimum Pontifici dedendum decernitur.

X. Interea Innocentius (*b*), ut Christifideles ad sacrum in fidei hostes bellum suscipiendum accenderet, propositis publicis edictis Turcarum grassationes assiduas exposuit, ut juncti Tartaris Poloniam continuis excursionibus infestarent, ut Casimirus Rex querebatur, necnon instructa classe maxima Siciliam, Melitam, Picenum, aliaque Italiæ loca diriperent, pluresque fideles in servitutem abducerent. Indixit propterea religiosam militiam Pontifex, atque ad alliciendos Anglos, Hibernosque, ut in communem salutem subsidiariam pecuniam conferrent, proposita a se indulgentiarum præmia, ac datam deligendi sacerdotis ad noxas sacra exomologesi expiandas facultatem iis, qui quatuor aureos, tresve, vel duos, aut unum, vel leviorem stipem a quæstoribus apostolicis designandam pro bellico in Turcas sumptu erogarent promulgavit.

(*b*) *Lib. bull. 40. p. 308.*

Proposita crucesignatis indulgentiæ.

XI. Data præterea est provincia Angelo Hortano episcopo & internuntio apostolico, ut Bohemos, Hungaros, Polonos, Germanosque ad sacrum in Turcas gerendum



NOTÆ [1] IN secundo volumine Codicis diplomatici Melitensis documenta quædam vulgata sunt quæ res hic ab Annalista confuse & indigeste traditas melius ordinant & illustrent. Ex literis in additione ejus voluminis num. XLII. vulgatis constat Rhodios equites fidem suam jam inde ab exordio hujus anni obligasse pontifici, ut Zizimi sub ejus tutela in arca quadam ditionis pontificiæ servaretur. Quibus ita compositis, Carolus Galliarum rex apud equites Rhodios institit, quo Zizimi Hungariæ regi petenti traderetur; negavit equitum illorum magister juris esse sui principem concedere quem pontificis nomine tenebat. Datæ sunt ejus literæ Rhodi XXVII. februarii anni 1487. veteri, ut arbitror stylo, novo vero 1488. Ejusdem anni martio mense Matthias Hungariæ rex literas destinavit ad Rhodios, quas magistro Paulo de Reothaz ablegato suo deferendas commisit, dedi sibi Zizimum postulans. Junio mense Paulus Rhodum pervenit; at statim remissus fuit a magistro equitum ad Matthiam, cum responso per literas diei XXV. junii ferente Zizimum Pontifici obligatum aliis oppignerandum non esse. Secundum hæc, die XV. augusti, accidit pugna inter Sultanum Carrarum & Bajazethum, prospera illi, huic aversa. Sequuta post hæc legatio utriusque, Sultani nempe & Bajazethi ad Rhodios, quos pro se ambo fautores rogabant, qua de re certior factus est pontifex per literas magistri Rhodiorum die IV. Septembris. Aliis demum literis post dies quinque nempe IX. septembris pontificem certiorem fecit de legatione ad pontificem & ad regem Ferdinandum a Sultano Carraium destinata, ac transmissa in causa Zizimi Soldani. Hacteaus historia belli Turcici hujus anni, ex qua erroris arguitur Annalista qui deliberatum fert inter equites utrum Zizimi Hungaro poscenti traderetur. MANSI

(a) Lib. bull. 37. p. 232.

dum bellum concitaret, ut ex hoc diplomate patebit (a).

*Venerabili fratri Angelo episcopo Hortano ad nonnulla Germaniæ, Hungariæ, Poloniæ & Bohemiæ ac alias illis adjacentes partes atque regna nostro & sedis Apostolicæ cum plena potestate legati de latere nuntio & oratori salutem, &c.*

Turcarum in Christianos horrenda grassatio.

*Cum sicut, proh dolor! oculi cunctorum Christifidelium possunt luce clarius intueri, immanissimus Turcorum princeps, qui adversus dominicam crucem, in qua salvati & redempti sumus, sathanæ vexillum reprobo ausu & vasta temeritate erexerit, effundendi Christiani sanguinis ardore nimio æstuans, quamplurima & innumerabilia fidelium millia cruentissima strage affliuerit, & maximam etiam partem in prædam & miserabilem turpemque servitutem redegerit, nefandoque suo subjugarit imperio, ac omnem sexum, nulla usus humanitate, qui omni fera crudelior est, sævissime oppresserit, ac suos ferales ausus continuans in dictarum partium regnis & dominiis, necnon proximis & finitimis locis atrocissimas incursiones peregerit, ex quibus & multis aliis victoriis, Christianis in domibus torpentibus, obtentis in tanta superbiæ & arrogantiæ flamma elatus est, ut terra marique reliquas fidelium regiones invadere, debellare, sibique, si posset, quod reliquum Christiani nominis existit, nefando suo subjugare anhelet imperio in maximam divinæ majestatis offensam, nostramque & catholicorum Regum & principum, aliorumque fidelium ignominiam, dedecus, & jacturam, & [quod molestissimum nobis est, nec aliter quam cum animi dolore referre possumus, tam occasione dominiorum & terrarum, quæ Reges, duces, & principes in illis partibus existentes mutuo armis alter ab altero occupasse dicuntur, quarum occasione, ni celeriter occurratur, gravissima bellorum incendia exoriri formidantur, nec facile spes instaurandi exercitus illis in oris pro reprimendis ipsorum nefandorum Turchorum copiis polliceri potest, nisi prius discordiæ ac guerrarum turbines inter eosdem Reges, duces, & principes vigentes pacatæ & sedatæ, ipsique ad pacis & quietis dulcedinem reducti fuerint, nos qui etiam revolvimus animo, non sine ampliori cordis mærore, quot patriarchales, metropolitanæ, cathedrales, aliæque insignes ecclesiæ pene innumeræ, ac utriusque sexus regularium personarum monasteria, cœnobia, & pia loca profanata ac deformi ruinæ subjecta illorum ornamenta, cruces & calices aliaque divinis deputata ministeriis conflata & destructa, & [quod lamentabilius est] sanctorum venerandæ reliquiæ conculcatæ, & innumeri sexus utriusque fideles ad damnatam Mahometicam sectam sub dura servitute recipiendam fuisse compulsos, & nisi per catholicos principes tantæ temeritati tantoque furori celeriter occurratur, majora semper detrimenta videntur verisimiliter propediem futura, cum ad hujusmodi necessitates explicandum, Regesque, principes, potestates, communitates, & dominia hortandum, requirendum, & monendum, ut semotis quibusvis dissidiis huic sancto operi vacent, ac se ad reprimendum ipsius perfidæ Turchorum gentis elatos conatus accingant, personaliter progredi non valeamus, te quem experientia in magnis experti sumus, & quem probitate, fidelitate, scientia, necnon gravitate & consilii maturitate, aliisque plurimis virtutum donis invenimus insignitum, pro laude omnipotentis Dei & sedis Apostolicæ, ac nostro honore, necnon communis Christiani populi salute ad hujusmodi præsentes necessitates, & quas & majores in foribus prope futuras, nisi protinus obvietur, cernimus, ad præfatas illarumque Reges, duces, & principes, ac adhærentes, eorumque regna & dominia tanquam pacis angelum & concordiæ cum plena potestate legati de latere nuntium & oratorem transmittimus, &c.*

Innumeræ Ecclesiæ ab iis vastatæ.

De conjungendis principibus affectum.

Instruit illum amplissima authoritate, ut Regum ac principum dissidia componat, imperetve inter eos inducias, ac fœdere in communem hostem conjungat. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ MCCCCLXXXVIII. kal. septembris pontificatus nostri anno* IV.

Missos ea de causa legatus.

XII. Tentatus Usumcassanus a Venetis ut arma in Turcas vertat.

(b) Barbar. in Itiner.

Usumcassani in Georgianos expeditio.

Concitare adversus Turcas annitebatur Usumcassanum Persidis Regem Josephus Barbarus (b) Venetorum orator, qui in Persica aula agebat; at ille, cum adversus Othomanum iturum se promulgasset, ac triginta millia equitum sub signis coegisset, non in Turcas, sed in Georgianos Christi cultores impetus convertit, provinciamque late ferro flammaque pervagatus, retenta Zitili urbe, ac reliqua restituta provincia, imperataque auri pensione cum Pancratio Gurguraque Regibus Christianis pacem redintegravit. Deturbatus vero conficiendæ ab Usumcassano in Turcas expeditionis spe Venetus orator redire in Italiam decrevit; inque ipso itineris procinctu Usumcassani obitus, crudelissimaque inter filios dissidia contigere.

XIII. Relictis quatuor filiis obit.

*Necessum*, inquit, *fuit Taurim reverti, id quod anno MCCCCLXXXVIII. accidit. Eo cum pervenissem Assambejum, habentem male ægrotantemque lethaliter reperi; is nocte epiphaniæ festum sequente obiit. Quatuor cum post se reliquisset, unum e secunda, tres vero e prima conjuge filios, ea ipsa adhuc nocte tres uterini fratres quartum non uterinum strangulari curarunt juvenem*

Vi-

*viginti & duos annos natum, atque ita inter se tres ipsi in partes hereditatem paternam diviserunt. Dein frater medius occidi majorem quoque jussit, ipse cum prius in possessionem sese bonorum ipsius intrusisset, quam eamdem ad præsens usque tempus retinet.*

Horum pars aliam necat.

XIV. Interjectis pluribus de exantlatis in reditu laboribus, hæc de Mahometanorum in consectanda umbratica sanctimonia deliramentis affert (a): *Facturus operæ pretium videor, si enumeratis jam omnibus ad iter pertinentibus rebus, quædam etiam de superstitionibus quarumdam gentium, tum de religionis simulatione, tum de mala, cui juncti perpetuo in locis illis sunt, Christianorum societate commemorem. Igitur cum in itinere Sammachum versus essem ad hospitale quoddam diverti, in quo sepultura sub camera quadam lapidea erat, & hanc penes vir quidam barba & capillis longis nudus, excepto quod parum cum pelle quadam ante & post tergum coopertus erat, in terra sedebat. Salutavi eum, quidque boni faceret rogavi: respondit mihi se patrem suum custodire. Tum ego: Quis, inquio, pater est tuus? at ille: Pater ait meus est qui proximo vult bene suo, qualis olim re vera fuit is, qui hoc conditus monimento est; atque ulterius dixit: Ego per triginta annos integros socium habui illum conjunctissimum, volo autem ut vivum olim assiduo, sic defunctum etiam sequi, adeo ut cum vita quoque defungar in hoc ipso loco sepeliar, satis profecto mundum hunc intuitus sum, jam mecum ipse ad mortem sic usque perseverare constitui.*

(a) Jos. Barb. Itiner. in Pers.

Stulta superstitio in sepulchris observandis.

XV. *Aliud quoddam Tauris in die memorationum mortis vidi. In cœmiterio quodam sedebat unus apud monumentum quoddam, cujus volucres complures ori insidebant, atque inter has præcipue corvi cornicesque erant, & cum cadaver esse mortuum putarem, rogavi unum ex his, qui mecum ibi aderant, quid hoc esset, respondebat hominem sanctum vivum esse, cui in universa hac provincia similis reperiri non possit. Et ultra: Vides, inquiunt, hasce aves die aliqua pastum eo advolant, & cum ex illis aliquam compellat, continuo adest, sanctus enim est. Et subjunxi: Ultra propius accedamus, ut videre melius possimus. Accessimus autem propius ad unius fere jactum lapidis, & vidimus patellas aliquos ciborum apud eundem positas, aves autem supra vultum ejus ad capiendam escam volabant, ille vero manu arcebat aliquas, interdum aliquibus cibi aliquid porrigebat. Atque de his rebus omnibus plurima mihi miraculosa juxta intellectum suum fingebant, quæ profecto omnia illi, qui parum tantum sanioris judicii intellectusve sit, non nisi stulta nugatoriaque esse videantur.*

Simulata sanctitas in pascendis avibus.

XVI. Additis nonnullis de ritibus, quibus mortuorum prosequuntur inferias, insignis impostoris, qui malis artibus sanctitatis nomen comparaverat, quique divina vi sine ullo cibo se sustentari fingebat, ridiculam hanc enarrat historiam: *Mahumetanus quidam sanctus erat, qui nudus bestiarum instar incedebat assiduo, de rebus apud illos ad religionem pertinentibus prædicans, concionansque & hic cum magna ubique sanctitatis in opinione esset, concursusque ad eundem creberrimi vulgi fierent, nondum tamen ea, in qua a populo habebatur existimationa contentus, in muro semetipsum conclusurum, & quadraginta dies ibi absque cibo & potu sanum integrumque mansurum, dixit. Ergo facinus id tam audax cum aggrederetur, lateres adferri coctos ex iisdemque cameram rotundam extrui, & eidem se includi jussit: cumque post quadraginta dierum exitum sanus integerque ex eadem egrederetur, omnes qui aderant mortales summam ob id in admirationem stuporemque adducti erant. Verum unus ex illis cautior, quam reliqui, eo ipso in loco carnis aliquantulum subolfecerat, & cum ulterius quæreret fraudem una cum cibo detexit. Hæc res cum ad domini usque aures pertigisset, Cadilaschero eundem tradidit, custoditus etiam fuit discipulorum illius quidam, qui sina quæstione & tormentis confessus est, murum se ab una ad alteram usque partem clausisse, ac proinde immisisse canalem, per eundemque nocturno tempore jusculum, victualiumque alia infudisse, atque sic revelato cognitoque dolo ambo illi duo mori jussi sunt.*

Quæsitum per fallacem abstinentiam sanctitatis nomen.

Illusi populi.

Detecta fraus.

XVII. Hoc anno (b) Cyprum Veneto adjunctam imperio referunt, concedente Venetias Catharina Cornelia Regina, quam a Veneta republica in filiam cooptatam diximus [1]. Hanc vero Cypriarum rerum conversionem peperit celebratissimus toto orbe ille Bajazethis bellicus apparatus,

(b) Sabell. ennead. 10. l. 5. Petr. Just. Bosius p. 2. l. 14.

NOTÆ [1] TRanslatio ista regni Cyprii ad Venetos ad exordium sequentis anni promovenda est. Scribit enim Naugerius, qui tunc rerum Venetarum historiam mandabat literis, die XXVI. februarii quæ tunc in feriam V. dierum bacchanalium inciderat, labarum militare Venetum ritu solemni consecratum summo Cypriacarum copiarum Imperatori palam traditum fuisse; quo indicio in Venetorum dominium & tutelam transisse regnum censebatur. Hæ vero omnes temporis notæ annum 1489. exprimunt; quare authores illos qui cum anno 1488. rem componunt, stylum veterem sequutos constat. MANSI

Cyprus in Venetorum ditionem cedit.

tus, quem orienti occidentique terrorem intulisse memoravimus: cum enim fœmina imbellis in tanto discrimine Cyprium sceptrum, quo par erat, robore non defensuta crederetur contra potentissimum hostem, si in eam insulam arma verteret, Veneti Georgium Cornelium ejusdem fratrem submisere, qui ipsi suggereret, ut ex imminenti periculo in tutum locum sese reciperet, Venetæque reipublicæ regnum, cujus administrationem post Jacobi Lusiniani Regis mortem etiam tum gesserat, tuendum permitteret. Assensit illa fraternis consiliis, ac sine ullo insulanorum motu Cypro excessit: Franciscus vero Privolus valida classe ad Turcas, quibus appellendi in Cyprum potestas negata fuerat, si vi quid molirentur, propulsandos invectus, regni Cyprii habenas regendas accepit. Ut vero magnificentissime bucentauro pannis ostro auroque intertextis instrato Cypria Regina excepta, adductaque Venetias fuerit, describit Sabellicus (*a*), additque ejus fratrem publica equestri donatum dignitate, hujusque filium adolescentem postea ab Alexandro VI. cardinalitia purpura ornatum. Præterea tradit idem auctor eodem anno Dorotheam Reginam Daniæ sepulchrum dominicum lustraturam Venetias accessisse, magnisque affectam honoribus: cujus meminit Burchardus (*b*), aitque Romam xxv. aprilis ingressam ob ntientalia bella ab Innocentio voti religione solutam.

Regina Cypria Venetias concedit.

(*a*) *Sabell. ib.*

Dorotheæ Reginæ Daniæ peregrinatio.

(*b*) *Burchar. ms. arch. Vat. in diariis p.825*

XVIII. Cum porro inter Joannem Daniæ Regem ac principes graviora essent nata dissidia Pontifex Simonem episcopum Revaliensem ad ea sedanda auctoritate instruxit (*c*).

(*c*) *To.4. sign. rec. n.1904. p. 93.*

*Venerabili fratri Simoni episcopo Rovaliensi, &c.*

*Cum nobis & Romanæ ecclesiæ tam pro fidei catholicæ, quam ordinis B. Mariæ Theotonicorum Jerosolymitan. terrarumque, ac locorum, in quibus ordo ipse viget, a Ruthenis & aliis schismaticis terris & locis prædictis finitimis defensione & manutentione nonnulla ardua incumbant negotia, cum consilio, præsidio, & favore charissimi in Christo filii nostri Joannis Daciæ Regis illustris, aliorumque fidelium regnorum & dominiorum suorum ac prælatorum & principum per regna & dominia prædicta Prussiam, Livoniam, Lituaniam, Suetiam, Norvegiam, civitates, oppidaque stagnalia & loca circumvicina consistentia peragenda, expediatque omnia cum eisdem Rege, prælatis, & principibus, quorum opera in iis plurimum necessaria fore noscuntur, pertractare; nos qui ante omnia Dei honorem, fidei catholicæ defensionem & exaltationem, ac communem totius populi Christiani salutem & quietem concernentia supremis desideramus affectibus, cum per nos ipsos ad præmissa peragenda progredi non valeamus, Salvatoris exemplo per alium hoc implendum fore censentes, te pro laude omnipotentis Dei & sedis Apostolicæ ac nostro honore, nec non terrarum & locorum dicti ordinis ab ipsis schismaticis defensione, ac communi Christiani populi salute ad hujusmodi necessitates declarandas ad præfatum Regem, prælatos, principes, ac regna, dominia, nec non Prussiam, Livoniam, Lituaniam, Suetiam, Norvegiam, civitates, oppidaque stagnalia, & loca circumvicina hujusmodi nostrum & dictæ sedis nuntium & oratorem cum plena potestate legati de latere destinamus. Tu igitur onus hoc pro Dei honore, & nostra, ac sedis prædictæ reverentia prompta devotione suscipiens, juxta enquisitam tibi a Domino datam prudentiam rebus in discrimine positis providere, & opportune consulere, ac facere & exequi non differas quæ necessaria fore & expedire cognoveris. Nos autem ut fructus, quos inde futuros expectamus, quantocyus eveniant, tibi omnes & singulas differentias tam inter Reges & principes præfatos ac adhærentes hinc inde, quam quosvis alios, quacumque ecclesiastica vel mundana dignitate præfulgeant, subortas, & quæ forte suboriri poterunt audiendi, illasque sedandi & quietandi; nec non quosvis pacis tractatus, & confœderationes inter eosdem Regem & principes ac adhærentes ineundi, &, si opportunum tibi visum fuerit, treguas ad tempus vel tempora, de quo vel quibus inter se concordaverint, indicendi, ac hujusmodi pacem, si ad ullam tua accurata solicitudine induci poterunt, vel treguas ipsas, etiam cum censurarum aggravatione observari faciendi, & mandandi, & tam eosdem quam omnes & singulos catholicos principes & populos, ut adversus eosdem Ruthenos & schismaticos pro defensione fidei, pro salute patriæ, ac propria & aliorum Christianorum tuitione se ardenter opponant, eorumque conatus reprobos reprimere studeant, exercendique omnia alia & singula circa necessaria quomodolibet opportuna, faciendi, statuendi, & ordinandi plenam & liberam harum serie facultatem licentiam pariter & potestatem concedimus & elargimur, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCCLXXXVIII. XII. kal. junii pontificatus nostri anno IV.* Mandata etiam dedit Innocentius eidem episcopo Revaliensi (*d*), ut Casimirum Poloniæ Regem & cruciferos Prussiæ equites inter se conciliaret, ac fœdere ad Moscovitarum

Septentrionalium ecclesiarum gerit curam Innocentius.

Revalien. episcopus in iis creatur legatus.

(*d*) *Ib. p. 91.*

rum propulsandos impetus conjungeret.

XIX. Injecti sunt (a) hoc anno ditioni ecclesiasticæ varii tumultus, ac septima quidem aprilis die Hieronymus Riarius comes Forilivii princeps, de quo sæpius ante meminimus, cum improbe imperaret, domestica conjuratione oppressus est, cujus excusso jugo Forumlivium se in libertatem asserere, redireque ad pontificium dominatum, implorata Innocentii ope, studuit: sed Catharina cæsi conjux Galearii Vicecomitis filia, cum arcem, si eam adire permitteretur, dedituram pollicita esset, ipsam ingressa urbem adeo acri bello vexavit, ut Mediolanensibus fulta auxiliis & liberos & principatum recuperarit, deque pontificiis ducibus, qui Foroliviensibus opem laturi procurrerant, supplicium sumpserit: quam injuriam dissimulatam ab Innocentio refert Stephanus Infissura (b), ne bello se cum Mediolanensi duce implicaret. Pari calamitate æque ac Hieronymus involutus est Galeottus Malatesta Faventiæ regulus; in cubiculo enim secunda junii die obtruncatus est, moxque viduæ filiæ auxilium daturus provolavit Joannes Bentivolus Bononiensium ferme princeps, magnumque discrimen adiisset, ne a Faventinis opprimeretur, nisi Laurentii Medicei ope liberatus fuisset.

(a) Infiss. ms. arch. Vat. sig. n. 111. & Sabell. ennead. 10. l. 8.

Hieron. Riarius ob tyrannidem cæsus.

Catharina conjux principatum recuperat.

(b) Infiss. ubi sup.

Galeottus Faventin. regulus a suis obtruncatus.

XX. Porro Bononiam sibi subjecit Bentivolus, qui partium adversarum studiosos partim ferro, partim exilio multavit (c). In Reatino agro pontificii fines a Ferdinando Rege Neapolitano temere violati (d): limes etiam Campaniæ tentatus a duce Calabriæ, Brachii Perusio potiti fuere ejectis æmulis: cumque Innocentius Cardinalem Senensem legatum de latere decrevisset, ea tantum lege ipsum admisere, ut exules in patriam non reducerentur. Recrudescentibus etiam veteribus odiis inter Guelphos & Gibellinos editæ strages, Tudertum, Fulginium, & plura Piceni loca a pontificio imperio deficere visa sunt. Accusant nonnulli Innocentium mollioris animi, qui proceres in urbibus nimium superbe sese efferre, & quemque in patriam suam tyrannidem affectare permiserit. Ut vero depressus sit eorum fastus ab Innocentii ipsius successoribus dicetur inferius.

Bononia a Bentivolo occupata.

(c) Id. ib.

(d) Id. ib.

Braccii Perusium invadunt.

Plura in Piceno loca deficiunt ab Innoc.

XXI. Addimus nunc illum ad tuendam ecclesiastici ordinis dignitatem, quam nonnulli clericali immunitate abusi fœdabant sceleribus, Pii II. sanctionem adversum eos instaurasse subjecto diplomate (e).

(e) Id. ib. Panvin. in Innoc. VIII.

*Innocentius, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

*Licet ea, quæ pro alienatione improborum & perniciosorum hominum eorumque excessibus puniendis catholicorum Regum instantium per Apostolicam sedem statuta & ordinata sunt, plenam obtineant firmitatem, nos tamen illis interdum apostolici muniminis robur adiicimus, ut eo firmius illibata persistant & observentur, quo magis nostro præsidio communita fuerint. Dudum si quidem a felicis recordationis Pio Papa II. prædecessore nostro emanarunt literæ sequentis tenoris.*

*Pius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

*Romanum decet Pontificem providere, ut ii qui clericalem decorem suis flagitiis deturpare non metuunt, clericali privilegio minime fruantur, ne quod in favorem bonorum inductum est, improbis delinquendi licentiam subministret, ipsisque in protectionem in excessibus tribuatur. Sane pro parte charissimi in Christo filii nostri Joannis Aragonum Regis illustris nuper coram nobis propositum fuit, quod licet ipse zelo justitiæ fervens improbos & perniciosos homines, qui sine publica & privata jactura tolerari non possunt, de suis regnis eliminare, & eorum excessus punire, ac super omnia justitiam in eisdem regnis vigere summo anhelet desiderio, tamen quia nonnulli clerici, a quibus Dei timor & mundanus honor abscessit, de ecclesiasticæ disciplinæ clementia nimium confidentes varia enormia crimina quotidie perpetrant, qui licet clericali sint charactere insigniti, tamen re vera actibus & operibus laicalem vitam ducunt, & in suis delictis deprehensi, se privilegio clericali defendere, & justitiam sæcularem eludere conantur, unde improborum scelera remanent impunita, clericorum status decoloratur, ac ipsius Regis justum desiderium ipsaque justitia non mediocriter impeditur; quare pro parte dicti Regis asserentis, quod in partibus illis homines ad arma etiam levibus sumptis occasionibus valde proni sunt & propensi, & propterea eorum audacia & excessus fræno justitiæ arcenda & comprimenda existant, nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro eorundem regnorum & dominiorum suorum quiete ac statu tranquillo super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur considerantes quod clerici per decentiam habitus extrinseci morum intrinsecam honestatem ostendere debent, non indignum esse arbitrantes viam, quam sibi hujusmodi homines ad impune delinquendum per id privilegium sub spe ecclesiasticæ clementiæ quæsiverunt opportunis remediis amputare, felicis recordationis Honarii III. & Clementis V. præde-*

Nonnulli clericali privilegio abusi.

*deceſſorum noſtrorum Romanorum Ponti-
ficum veſtigiis inhærentes, hujuſmodi ſup-
plicationibus inclinati authoritate apoſto-
lica, & ex certa ſcientia tenore præſentium
ſtatuimus, & ordinamus, quod ſinguli cle-
rici conjugati carnificum ſeu taberuario-
rum, & alia vilia officia perſonaliter e-
xercentes, negotiationibus illicitis & vi-
libus officiis clericali propoſito minime con-
gruentibus inſiſtentes, ac etiam alii, qui a
meretricibus, quarum publice venalis eſt
turpitudo, qui lenones ſeu ganei appellan-
tur, deteſtabilem & nefarium quæſtum per-
cipiunt, nec non taxillorum illicita con-
venticula, ex quibus flagitia, perjuria, &
multa alia nefaria crimina oriuntur, ſic
inverecunde ſectantur, quod ex illo alea-
rum & taxillorum damnato uſu victum
aut lucra turpiter & inverecunde conqui-
runt, ludentibuſque ipſis tabulas, taxillos,
domos, hortos, aut alia loca in civitatibus,
villis vel caſtris, aut eorum ſuburbiis vel alibi
in divinæ majeſtatis offenſam commodant,
locant, ſive alias quovis modo concedunt:
ſi tertio moniti ab hujuſmodi inſolentiis &
enormitatibus infra convenientem per loco-
rum ordinarios eis ſtatuendum terminum
non reſipuerint, ac vitam ſuam emenda-
re diſtulerint, privilegium clericale in cri-
minalibus cauſis in perſonis eorum eo ipſo
amittant, illudque eis, quoad declinandum
ſeu evadendum judicium ſæculare, in nul-
lo penitus ſuffragetur, nec poſſint per cu-
riam eccleſiaſticam defendi; quodque alii
clerici conjugati, aut alias non beneficiati
cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, vel
conditionis fuerint, qui habitum & tonſu-
ram clericalem non deferunt, ſi tertio mo-
niti habitum hujuſmodi, veſtes videlicet
uſque ſub genu protenſas, ac raſuram pro
latitudine ſeu forma plumbi, quo literæ
apoſtolicæ plumbari conſueverunt & præ-
ſentibus appenſum exiſtit, patentem in
capite deferre noluerint, ſeu poſt monitio-
nem prædictam deferre neglexerint, per
judicem ſæcularem capi, inquiri, diſtringi,
& impune privari valeant donec & quo-
uſque eidem judici ſæculari per curiam ec-
cleſiaſticam, ne de clerico tali capto aut re-
tento ſe intromittant, inhibitum fuerit,
ſeu curia prædicta clericum ſic captum re-
petiverit ab eodem: judex tamen eccleſia-
ſticus, ſi clericum ſic captum aut convictum
poſt monitionem prædictam non ſolitum in
habitu & tonſura præfatis incedere vide-
rit, eundem captum repetere aut judici ſæ-
culari præfato inhibere nullatenus teneatur,
diſpoſitionem tamen & voluntatem noſtram
hujuſmodi ad decretum ad clericos, qui be-
neficia eccleſiaſtica obtinent, volumus non
extendi, ſed illorum crimina & exceſſus*

Viles artes clericis prohibitæ.

Vetiti locare domos meretricibus.

Habitum & tonſuram non deferentes clericali privilegio ſpoliati.

*ordinariis locorum ſecundum canonicas ſan-
ctiones remitti volumus puniendos, non ob-
ſtantibus quibuſvis conſtitutionibus & ordi-
nationibus apoſtolicis, ac in provincialibus &
ſynodalibus conciliis editis, cæteriſque con-
trariis quibuſcumque, & inſuper eadem au-
thoritate ſtatuimus, quod hujuſmodi moni-
tiones contra delinquentes hujuſmodi, in ca-
thedralibus & metropolitanis per locorum
ordinarios, vel eorum vicarios, in collegiatis
vero & parochialibus, ſeu aliis inferioribus
eccleſiis, per illarum prælatos, rectores, ſeu
vicarios per edictum, vel alias verbaliter
diebus feſtivis, cum ad illos populi multi-
tudo ad audiendum divina convenerit, fie-
ri habeat, & quoad effectum prædictum
duntaxat nullius alterius ſpecialioris ſeu
particularis monitionis adminiculum requi-
ratur. Per hoc autem eidem privilegio quo-
ad alios, qui eccleſiaſtici fuerint, & ip-
ſam militiam honeſte & efficaciter proſe-
quentur, non intendimus in aliquo dero-
gare. Nulli ergo, &c. Dat. Macoreti Se-
nenſis diœceſis anno incarnationis dominicæ
MCCCCLXIII. nonis maji pontificatus no-
ſtri anno 11.*

*Et deinde, ſicut exhibita nobis nuper pro* XXII.
*parte chariſſimi in Chriſto filii noſtri Fer-
dinandi Caſtellæ, Legionis, & Aragonum
Regis illuſtris petitio continebat, ipſe pro
majori literarum prædictarum firmitudine
& obſervantia deſiderat illas per nos ap-
probari & confirmari, quare pro parte di-
cti Ferdinandi Regis nobis fuit humiliter
ſupplicatum ut literas prædictas approba-
re, confirmare & innovare, aliaſque op-
portune providere de benignitate apoſtolica
dignaremur. Nos igitur attendentes quod
literæ prædictæ tanquam ad malorum pu-
nitionem conceſſæ obſervari debent, hujuſ-
modi ſupplicationibus Regis inclinati li-
teras prædictas ac omnia & ſingula in eis
contenta authoritate Apoſtolica tenore præ-
ſentium approbamus & confirmamus ac in-
novamus, illaſque perpetuo obſervari de-
bere decernimus, & nihilominus venerabi-
libus fratribus noſtris archiepiſcopo Toleta-
no & Palentino ac Aſtoricenſi epiſcopis,
vel eorum officialibus per hæc apoſtolica
ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo,
aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios
prædeceſſoris hujuſmodi & præſentes lite-
ras ubi quando & quoties pro parte dicti
Ferdinandi ei pro tempore exiſtentis Ca-
ſtellæ & Legionis & Aragoniæ Regis fu-
erint requiſiti, publicantes illas ac omnia
& ſingula in eiſdem contenta inviolabili-
ter obſervari faciant. Contradictores &c.* In-
dicere bellum non minus vitiis quam ho-
ſtibus niſi fuerunt Ferdinandus Rex & Eli-
ſabetha Regina; ac magno ſtudii ardore,

Inſtaurata ab Innoc. Pii conſtitutio.

cle-

clero pristinum decus restituere, in monastico ordine sanctitatis illibatum florem tueri, hæreticos excindere, & Dei gloriam latius proferre contenderunt: de quorum laudibus creberrima mentio sequentibus annis recurret, &c. *Dat. Romæ apud S. Petrum an. MCCCCLXXXVIII. v. id. novembris pontificatus nostri anno* v.

I. INeunte anno a virgineo partu octogesimo nono supra millesimum quadringentesimum indictione septima fractus in Asia a Mamalucis Bajazethes, metuens ne sibi Zizimi fratris causa bellum inferretur, oratorem legavit ad Carolum Francorum Regem, ut eumdem imperii æmulum Zizimum in Galliis a Rhodiis equitibus custoditum retineret, cujus beneficii eblandiendi gratia pollicitus est omnes sacras reliquias a Mahomete II. parente suo Constantinopoli, inque aliis Europæ & Asiæ urbibus repertas se daturum: navaturum præterea operam, ut ex Ægyptiorum manibus terram sanctam vindicaret, ipsamque ei traditurum: postremo ingentem pecuniæ vim pro alendo fratre quotannis suppeditaturum. Extant de hujusmodi postulatis Gallo Regi a Turca propositis publica monumenta (a): quibus consentanea Guillelmus Jalinius, qui Petro Borbonii duci a secretis erat, memoriæ posteritatique prodidit (b). At sero Turcicus orator hæc mandata tulit, jam enim Carolus Rex assiduis Innocentii VIII. qui Bajazethis bello adoriundi, Græciæque Christiano restituendæ imperio agitabat consilia, precibus victus Zizimum, quem nunquam regio conspectu dignatus fuerat, apostolicis internuntiis perducendum Romam commiserat. [1]

Quæ a Bajazethe promissa Gallo Regi ut Zizimum teneret.

(a) Apud Ciaccon. in Inn. VIII.
(b) Jalin. in hist. Carol. VIII.

Allata sero hæc promissa. Zizimus Romam perductus.

II. Exceptum vero magna pompa Romæ obviam prodeuntibus pontificis & Cardinalium familiis, referunt scriptores (c): ex quibus Stephanus Infissura de Caitbei Ægyptiorum Babyloniorumque sultani oratore, qui ad commovendos in Bajazethem Christianos Reges, bellicaque cum Pontifice conferenda in communem hostem consilia accesserat, hæc observat. *Venit*, inquit, *ei obviam ambasciator magni soldani Babylonici, qui propter istam causam huc venerat, ut fertur, & cum vidisset eum, statim projecit se de equo suo, & procidit in terram, & osculatus est terram, ter ambulando versus eum: & cum appropinquasset ei osculatus est pedem equi sui, & ipsum salutavit cum magna reverentia, & deinde associavit eum usque ad dictum palatium*. Addit author die proximo

(c) Infiss. ms. arch. Vat. sig. n. 111. Vialard. in vita Inn VIII. Bosius p. 2. l. 14. & alii.

Quo ritu orator sultani Babylonii eum salutarit.

NOTÆ [1] NUnc tandem opportuna sese offert occasio ut de Zizimi diffusius agamus, liberemusque a calumnia Rhodios equites, qui de prodita tuitionis fide Zizimi præstita, aliisque erga illum per injuriam gestis accusantur. Ac principio quidem, emendandus est error Annalistæ qui barbarum hunc principem a rege Gallorum hoc anno concessum pontifici narrat. Quamquam enim Zizimi tunc in Galliis agebat; arbitrio tamen & dispositioni Rhodiorum equitum suberat; cujus rei indicium est quod rogatus ab Hongaro Carolus Galliarum rex, ut de tradendo sibi Zizimi intercessorem se apud Rhodios constitueret; Gallus ea de re literas dedit ad Rhodios, rogans, ut exorabiles se Hungaro praeberent; negantique equitum magistro acquievit. Discere hæc omnia licet ex literis magni Rhodiorum magistri ad Carolum regem Galliarum, vulgatis in codice Melitensi to. II. in addit. num. XLIII. Ipse pariter Innocentius in bulla legenda ibidem to. II. n. CXXXVIII. accepisse se non quidem a rege Galliarum, sed a Rhodiis equitibus eundem principem profitetur: *De loco in quo detinebatur ad Urbem transduci & vobis præsentari fecistis*. A Rhodiis igitur non a Carolo Zizimi traditus fuit pontifici. At enim quo jure Rhodii de principe libero suique prorsus juris qui sub tuitionis fide ad illos transierat, disponebant? Nonne insuper captivi potius quam liberi principis speciem præferebat illa ejus detentio *sub nostris militibus*, ut scribit magnus Rhodiorum magister ad Regem Hongariæ in literis vulgatis ibid. Append. num. XLVI. Verum calumnia a carcere petita facile depellitur, cum regis potius quam rei in carcere adstricti apparato semper habitus fuerit; *Magno sumptu eum tractamur*, scribit Rhodiorum magister, *ibid.* pag. 426. Ducatorum Venetæ monetæ aureorum 49000. solvebat Bajazetes *pro alimentis & magnificentia* Zizimi, quæ omnia in eum usum erogabant Rhodii, ut ex literis ultro citroque datis inter Bajazetem, & Rhodios, ibidem legendis, evincitur. Quod vero milite & arce illum custodirent, faciebat metus ne missi a Bajazete sicarii incautum principem interficerent. Cujus metus causa idem Zizimi *delegit*, Rhodo relicto, *transire in Galliam*, *permittentibus Rhodiis*, quæ verba sunt epistolæ magni equitum magistri ibid. Append. num. XXIII. Non ergo detineri captivus potuit, qui Rhodo secedere & in Galliam transire sponte elegit, licet non absque assensu Rhodiorum.

Superest disquiramus æquo ne jure de persona Principis hujus disposuerint Rhodii. Cum Zizimi perfugium Rhodo quærere statuisset, quæsivit ab illis præter securitatis fidem tutelam pariter, & præsidium adversus Turcarum Imperatoris fratrisque sui conatus; simul vero ipse spopondit se *consilio equitum fruiturum*, & *usurum*, quæ verba sunt epistolæ Magni equitum magistri, legendæ ibidem in Appendice n. 31. Profecto quidem e re Equitum illorum erat in tutum se ponere ab insidiis, quæ a Principe juvene fervido, & Caramani amico merito timeri poterant; quare res ipsa poscere videbatur, ut nihil agere, nisi de consilio & scientia eorum, quorum se commiserat tutelæ, permitteretur. Hinc factum est, ut consulentibus Equitibus transiret in Galliam, iisdemque agentibus in Pontificis tandem potestatem veniret. Nihil ergo quod juri gentium repugnaret ab Equitibus Rhodiis præstitum est in causa Zizimi quem admodum nos hic brevi compendio, fusius vero in peculiari dissertatione demonstratum est a P. Sebastiano Pauli sodali meo eruditissimo in calce voluminis Secundi Codicis Diplomatici Melitensis pag. 605. MANSI

Zizimus in pontificium conspectum admissus.

ximo Zizimum in conspectum Pontificis in solio considentis, quem purpuratorum patrum corona cingebat, adductum, quantumvis edoctus esset de ritu Christianorum Regum, qui ter genu flectere, Pontificisque pedem deosculari solerent, quidquam contra Turcarum Imperatorum morem fastumque agere abnuit (*a*), ac modice inclinato capite pontificiam dexteram ac humerum porrecto amplexu deosculatus est; quæ præter alios, Burchardus, qui tum sacris ritibus præerat accuratissime ita describit (*b*), prætermissis a nobis iis, quæ visa sunt supervacanea.

(*a*) *Infiss. ubi sup. Vialar. in vita Inn. VIII.*
(*b*) *Burchar. ms. arch. Vat. p.885.*

III. *Feria sexta* XIII. *martii Gran sultan frater Turci intravit urbem eques. Caput suum more suo magno velo albo tectum habens nemini discooperiebat, sed tantum parum inclinabat. Equitavit inter Franciscum Cibo Papæ, a dextris, & priorem Alverniæ nepotem magistri novi Cardinalis a sinistris. Prædictus prior Alverniæ asserens se oratorem Regis Francorum & curam dicti Turci sibi commissam esse senatori & aliis oratoribus locum dare noluit*, & paulo inferius: *Venit per consistorium coram Pontifice, & licet diceretur, ipsum Turcum reverentiam Pontifici facturum Turcorum more terram manu tangendo, deinde manum deosculando, tamen illud facere recusavit: sed in introitu consistorii, ubi genuflecti solet, genuflectere noluit, immo vix & valde parum caput coopertum Pontifici inclinavit, adeo quod difficulter hujusmodi inclinatio cognosci potuit, seu videri. Ascendit ad Pontificem, quem stans erectus amplexus est, & super brachium dextrum parum deosculatus, caput suum semper tenens coopertum: qui stans coram Pontifice illi explicari fecit per suum interpretem & gaudere se præsentiam Pontificis attigisse, ipsumque rogare quod facti memor esse velis, & eum habere commendatum, & cum tempus dabitur & locus in secreto alia explicaturum. Respondit Pontifex jamdiu actum fuisse, quod nobilitas sua pro suo statu & bono Romam duceretur, & quod sua nobilitas in nullo dubitare debeat, sed late vivere, quia omnia in bonum finem sunt ordinata: pro quibus Turcus ita se considere asserens, sanctitati suæ gratias agit. Tunc recessit a Pontifice Turcus, & omnes Cardinales in suis locis stantes est amplexus, & super sive circa spatulam dexteram singulos osculatus.*

Quæ honoris signa ab eo exhibita.

Singulos Cardinales amplectitur.

IV. *Interim alii Turci prædicti familiares coram Pontifice venerunt, & singuli unus videlicet post alium, genuflectentes terram manu dextera tangentes deinde Pontificis pedes cum pluviali & vestibus amplexantes, genuflexi sunt osculati, & Turcum patronum suum secuti, qui amplexatit omnibus Cardinalibus, demptis illis duobus, qui apud Pontificem in assistentia permanserunt, absque eo quod aliter se firmaret, aut aliter Pontifici reverentiam faceret, rediit ad cameras suas.* Perductum etiam in Cardinalium senatum sultani Ægyptii oratorem refert Infissura, eumque Christianorum ritum in salutando Pontifice non curasse, ac pronum Innocentii genu non pedem deosculatum. Urgere ille Pontificem annitebatur, ut bellum in Bajazethem indiceret: missusque (*c*) est ab Innocentio ad Caitbeum sultanum Philippus Canovius apostolicus internuntius, sed intestinæ nostrorum discordiæ salubria de redintegranda veteris Christiani imperii amplitudine consilia discusserunt.

Urget Pontificem Ægyptius orator ut bellum decernat in Bajazethem.

(*c*) *Bosius hist. eq. Hieros. p. 2. l.14.*

Crevere in dies hæc mala, nam Ferdinandus Rex Neapolitanus pacta superiori fœdere conventa violarat, atque Innocentii, qui illum mollioribus verbis ad officium revocare annitebatur, patientia abutebatur, proceresque ecclesiasticas partes secutos partim obtruncarat ferro, partim carceris squallore macerabat. Postulatus (*d*) autem ab Innocentio Ferdinandus Hispaniarum & ulterioris Siciliæ Rex, ut vadis partes uti spoponderat impleret, ad conciliandam pacem misit oratores suos, de quibus ita meminit Burchardus (*e*): *Feria* V. *nona mensis aprilis*, & infra, *intrarunt urbem duo laici oratores serenissimi Regis Hispaniæ, unus miles & alius doctor, ad Regem Neapolitanum ad instantiam Papæ, ut dicebatur, pro concordia tractanda & nobilibus ducentis liberandis missis.* V.

V. Gravis inter Pontif. & Regem Neapol discordia.

(*d*) *Sur. l.20. ann. c.82.*

(*e*) *Burch. ms. arch. Vat. pag. 900.*

Missi ab Hispano, oratores pro concordia.

Obduruit in pertinacia Neapolitanus, atque apud Hispaniarum Regem culpam retorquere in Pontificem misso oratore annisus est, plura de Francischetto notho illius filio questus (*f*), quasi ad eundem honoribus opibusque cumulandum bellorum causæ quærerentur, & quidem ex nothorum multitudine carpendi Innocentii occasionem arripuisse ipsius adversarios narrat Raphael Volaterranus (*g*).

(*f*) *Surit. annal. l. 20. c.82.*

(*g*) *Raph. Volat. l. 22.*

VI. Porro cum perduellis princeps vectigal Romanæ ecclesiæ pendere detrectaret, Pontifex die Apostolorum Petri & Pauli sacro anathematis sententiam illi intentavit, ni vertente bimestri censum persolvisset, cumque gerenda res armis videretur, Nicolaum Pitiliani comitem ecclesiastico exercitui præfecit solemni ritu, ut narrat Infissura (*h*): *In festo*, inquit, *S. Petri & Pauli Papa celebravit solemniter missam, ut conveniens est, deinde publicavit capitaneum universalem ecclesiæ dominum Nicolaum comitem Pitiliani de-*

Decretum in Neap. bellum ob non solutum censum.

(*h*) *Infiss. ubi sup.*

*gente Ursina, cui cum magno triumpho dedit sceptrum & venillum Ecclesiæ in quo actu intervenerunt omnes Cardinales & prælati, & multi domini & barones undique vocati: fertur tamen in eadem cerimonia fuisse excommunicatum Regem Ferdinandum ob censum non solutum, cum termino tamen duorum mensium ad solvendum & se reconciliandum.*

VII. Exarsit ob id indignatione Ferdinandus adeo, ut minas de ecclesiastica ditione invadenda jactarit, immo etiam illius orator nefariam ad concilium provocationem edere non perhorruit, quod Innocentius mense septembri vectigalia ecclesiæ non solventes anathemate perculisset, ut refert his verbis idem Infissura: *Quia die lunæ proxime præterita Dominus noster Innocentius in consistorio excommunicavit omnes & singulos censuarios ecclesiæ, qui non solverunt debitum censum: quod creditur totum factum fuisse pro Rege Ferdinando, qui non solvit, licet specialiter non fuerit ibi nominatus ambasciator dicti Regis coram omnibus quoad interesse dicti Regis appellavit ad futurum concilium, & petiit dari sibi judices, quibus ipse ostendere intendebat dictum censum non debere solvi per dictum Regem.* Intentatum anathema ejusmodi diffugia contra Pontificum sententias captantibus a Pio II. in conventu Mantuano ostensum est suu loco.

Non pendentes censum ecclesiæ defixi anathemate. Provocatio ad concilium edita a Neapol. oratore.

VIII. Tanta vero Ferdinandi protervia lacessitus Innocentius promulgavit apostolico decreto Ferdinandum Neapolitani regni jure excidisse, illudque ad Romanam ecclesiam devolutum: *Eodem mense*, Stephanus Infissura inquit (a), *in consistorio publico sanctissimus dominus noster, ut fertur, declaravit regnum Siciliæ citra, & infra pharum ad Ecclesiam pertinere, ipsumque esse devolutum ad eam propter canonem non solutum, publicavitque bullam, in qua dictum Regem Ferdinandum privatum dicto regno faciebat, in qua etiam protestabatur, quod si quando contigerit ipsum nominare Regem Neapolitanum, non propterea ex tituli nominatione intendebat ipsum confirmare in dicto regno.*

(a) *Infiss. ms. arch. Vat. sig. n.* 111.

Promulgatum regni Neap. jura ad ecclesiam devoluta.

IX. Expediebat arma Ferdinandus adversus Pontificia edicta, jamque Virginio Ursino, a quo domestico bello Innocentium jam ante vexatum vidimus, militare in regio exercitu imperium contulerat (b). Itaque ad frangendum bello, quem legibus flectere non poterat, Pontifex egit de evocando Carolo VIII. Francorum Rege, qui Neapolitani regni jura hereditaria Renati senioris Neapolitani Regis testamento ad se pertinere contendebat: cumque is bello cum Maximiliano Romanorum Rege implicitus esset, internuntiorum opera pacem inter eos redintegrare studuit; de qua concilianda cum literas accepisset, ingenti lætitia delibutum fuisse, idque principum oratoribus significasse refert Vialardus (c), pactas autem inter utrumque Regem inducias esse Silvanecti, iterumque iis abruptis ad arma ventum narrat Philippus Comineus (d). Obstabat autem Francorum Regis consiliis atque amplitudini Hispaniarum Rex quem Neapolitanum prope præcipitantem sustinuisse memorat Surita (e) utque Gallicas vires elideret, cum Henrico Anglorum ac Maximiliano Romanorum Regibus, nec non Britanniæ duce amicitias junxit (f). Ut vero, redintegrata demum inter Carolum VIII. & Maximilianum concordia Carolus Neapolitanum regnum Innocentio Ferdinandoque jam vita functis, occuparit, Alfonsumque male de ecclesia meritum pepulerit, suo loco dicetur. Nunc ad Ferdinandum, de quo paulo ante memoravi, Hispaniarum Regem crucesignatas in Granatenses Mauros ducentem acies sermonem convertamus.

(b) *Id. ib.*

Virginius Ursinus immissus in Pont.

(c) *Vialard. in vit. Inn. VIII.*

(d) *Comin. l.* 7. *c.* 3. *Bonfin. dec.* 4. *l.* 8. *& alii.*

(e) *Sur. l.* 20. *c.* 8.

(f) *Cap.* 20.

X. Gerebatur a Ferdinando hoc sacrum bellum authore atque hortatore Romano Pontifice, nam Sixtus IV. pro vindicanda a Mahumeticæ superstitionis sordibus Hispania sacram expeditionem indixerat propositis fidelibus amplissimis divinis muneribus, ac prærogativis Regibus Castellæ, qui ob susceptum pium bellum confectumque apostolico imperio immortalem gloriam sibi peperere: extantque exarata hoc anno ab Innocentio nova diplomata (g), quibus Sixti privilegia confirmata sunt, collataque subsidia Ferdinando, ut Mauros victricibus armis expugnaret.

(g) *Lib. bull.* 46. *p.* 39.

*Ad futuram rei memoriam.*

*Dudum charissimus in Christo filius noster Ferdinandus Rex, & charissima in Christo filia nostra Elizabeth Regina Castellæ & Legionis ac Aragonum illustres tempore felicis recordationis Sixti Papæ IV. prædecessoris nostri, ipso Sixto prædecessore etiam suadente, regnum Granatæ, quod perfidi Saraceni in totum tunc occupabant, expugnare cœpissent, idem Sixtus prædecessor attendens quod ad tantam rei molem perferendam prædictorum Regis & Reginæ facultates non suppetebant, sed expediebat tamen ab Hispania, quæ potentissima, fortissima, & devotissima erat, quam ab aliarum nationum fidelibus propugnatores, & bellatores, aliaque auxilia enquirere, ut Rex & Regina præfati, Deo favente, eorum pium & laudabile propositum hujusmodi ad effectum perducere possent,*

Ut indictum sit hortatore Sixto Granatensibus bellum.

sent, plenarias & jubilei indulgentias ac peccatorum remissiones, facultates, concessiones, gratias, & indulta universis Christifidelibus utriusque sexus contra Saracenos dicti regni Granatæ in auxilium Regis & Reginæ prædictorum, & tam sanctæ expeditionis personaliter militantibus, seu alias militantes suis expensis mittentibus, ac ipsis missis, nec non omnibus & singulis medicis, aromatariis, cerdonibus, sutoribus ferri & ligni, fabris, carpentariis, machinarum directoribus & cujuslibet artificii in eisdem castris artificibus, apothecariis, & mercatoribus, medicinas, victualia, & alia administrantibus, & ut administrarentur auxilium, consilium, vel favorem præstantibus, eorundemque bellatorum obsequiis in castris hujusmodi vel extra illa quomodolibet, ut illi liberius pugnare valerent, insistentibus, prædicatoribus quoque verbi Dei, præmissa publicantibus, & populo prædicantibus, ac missas & alia divina officia in eadem expeditione existentium præsentia celebrantibus, & eorum confessiones audientibus, & aliis cujuscumque artis seu industriæ vel exercitii inibi per certum tempus existentibus, ac etiam mulieribus infirmis & vulneratis tam in dicto bello existentibus, quam etiam servientibus, & omnibus & singulis utriusque sexus, qui summam pecuniarum taxandam pro dicta sancta expeditione & in pecunia, seu rebus aliis persolventibus, ac alias dictæ expeditioni auxilium præstantibus, & nonnullis aliis personis sub certis modis & formis tunc expressis; nec non executoribus ipsarum literarum in certis casibus similiter tunc expressis dispensandi, absolvendi, habilitandi, & alia gerendi, faciendi, exercendi, & exequendi facultatem concessit, & demum nos postquam, divina favente clementia, ad summi apostolatus apicem fuimus assumpti, non minus cupidi & studiosi expeditionem ipsam per eosdem Regem & Reginam ad optatum finem deduci posse, volentes quod omnino pro tam communi & pernecessario bono omnes ad id, prout tenebamur & tenemur, favores præstare opportunos, omnes & singulas indulgentias, facultates, & gratias prædictas per diversas nostras literas successive approbavimus, confirmavimus, illiusque & nonnullas alias ad certa tunc expressa tempora, & sub certis modis & formis similiter tunc expressis de novo concessimus, & extendimus & ampliavimus: & demum singulas literas prædictas & indulgentias, ac peccatorum remissiones, facultates, & gratias in eis concessas, ac omnia alia & singula in eis contenta ad inclitum regnum Navarræ, & ad alia dominia charissimo in Christo filio nostro ejusdem regni Navarræ, Regi illustri, non tamen pro tempore existentia Regi Franciæ subjecta, universos & singulos Christifideles ecclesiasticos & seculares utriusque sexus tam in dicto regno Navarræ pro tempore degentes, quam ad illud & alia regna & dominia dictorum Regis & Reginæ Castellæ & Legionis pro consequendis hujusmodi indulgentiis & gratiis confluentes, seu bellatores hujusmodi mittentes, etiam extendimus: Et infra.

Proposita sunt indulgentiæ operam in castris navaturis.

Indulgentiarum beneficium ad Navarræos exporrectum.

XI. Cum autem, sicut evidentia rei jam demonstrat, & toto pene orbi notissimum est, Rex & Regina præfati continue omni conatu pro innata eorum erga Christianam religionem devotione expeditionem hujusmodi forti & constanti animo prosequantur, jamque plurima castra, civitates, terras, arces, atque loca etiam munitissima dicti regni Granatæ, non sine etiam magna Christianorum sanguinis effusione, ab eorum tyrannide recuperaverint, & suæ ditioni subjecerint, ac quamplurimos Christifideles, qui longo tempore in dirissima servitute ab ipsius regni Granatæ Saracenis detenti fuerant, ab hujusmodi servitute liberaverint, quod si factum non fuisset, profecto dubitandum erat, ne præ nimia desperatione fidem abnegare cogerentur; nec unquam ipsi Rex & Regina cessant, ut rem ipsam cum tanta fidei nostræ exaltatione ad finem debitum perducere possint, & jam forsan res ipsa ad totalem perducta fuisset effectum, si Regis & Reginæ prædictorum facultates ad tantam rei molem perferendam suppetiissent; nos considerantes omnino expediens fore pro ipsius sanctissimi operis prosecutione, & aliorum Christifidelium exquirere subsidia, ac propterea volentes ipsos Regem & Reginam, quoad possimus, prout semper ab intimis desideravimus, in eodem sancto proposito & hujusmodi communi bono omnibus viis & remediis opportunis conservare & confovere, & ne dum de nostris & sanctæ Romanæ ecclesiæ facultatibus, sed etiam proprium sanguinem, si necesse fuerit, effundendo juvare exemplo illius, qui pro salute gregis dominici mortem subire non abnuit, & cujus auxilio non dubitamus provinciam hujusmodi felicissimum exitum, prout jam optima principia indicant, consecuturam, & tandem Regem & Reginam prosperari, ac Christi cultores de hujusmodi spurcissimis Saracenis, qui tot opprobria fidei nostræ ac Christianæ religioni continue inferre non cessant triumphaturos, & propterea æquum & rationabile censentes, ut alii Christifideles, de quorum etiam gloria, laude, honore, commodo, & utilitate agitur, huic sanctissimo operi omnino subveniant, prout eos pro sua in fidem Christianam maxima devotione & re-

Ingentes in Granatensi regno progressus facti a Christianis.

Conceptæ spes eximiæ a Pont. de Mahumetica secta ex Hisp. excindenda.

*religione, & jam libenter attenta rei necessitate, quæ non dilationem, non moram, sed maximam exigit celeritatem, facturos non dubitamus, motu proprio, non ad ipsorum Regis & Reginæ, vel alterius pro eis super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia omnia & singula concessiones, gratias, facultates, indulgentias, indulta, literas tam Sixti prædecessoris, quam nostras hujusmodi, & quascumque alias etiam in forma brevis super illis per nos concessas, cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis ad unum alium annum, a tempore publicationis præsentium literarum nostrarum, in singulis provinciis regnorum, insularum, & dominiorum prædictorum, etiam in dicto regno Navarræ, & aliis dominiis Regi Navarræ subjectis faciendæ inchoandum, & exinde finiendum auctoritate apostolica tenore præsentium prorogamus & extendimus, illaque omnia & singula per annum prædictum duratura a data præsentium de novo concedimus, &c.* Provinciam dat Ferdinando Abulensi & Alfonso Legionensi episcopis Innocentius, ut cogendam ex fidelium stipe pecuniam in Granatensis expeditionis sumptibus collocandam cum maxima integritate curent, constituant quæstores, rationes repetant, sacerdotes ad conciones habendas, solvendasque noxas decernant, avertentes in suos usus sacras opes censuris percellant: ad quæ gerenda amplissimis eos mandatis instruit. *Datum Romæ apud S. Petrum anno MCCCCLXXXIX. VII. id. octobris pontificatus nostri anno VI.*

Sixti diplomata ad alium annum prorogata.

XII. Ferdinandi Regis in Granatenses expeditio.

*(a) Auctor oration. de eo habita coram Innoc. VIII. & Card. Lucius Marinaeus de rebus Hisp. l. 20. Sur. l. 20. c. 81. Marian. l. 25. c. 13. (b) Innoc. l. 4. an. 1490. p. 297.*

Confecta est (a) hoc anno a Ferdinando ad regnum Granatense domandum Christianoque adjungendum imperio crucesignata expeditio majore quam umquam antea apparatu, siquidem duodecim equitum, quinquaginta peditum millia & eo amplius, præter inconditam calonum grassatorumque turbam, crucis symbolo distincta vicarii Christi auspiciis (b) sub signis numerata sunt. Neque apparatus magnitudinem expectationemque piorum sacri belli exitus fefellit. Cujar namque levi impetu expugnata: inde ad Bastam urbem munitissimam ventum est, ubi pugnarunt obfirmatissimis animis barbari, crebrisque eruptionibus fatigarunt nostros, sed animorum non dispari constantia contusi.

XIII. Extracta in decembrem obsidione, grassata est in castris Christianis lues, tum hyemis inclementia sæviit, adeo ut de solvenda obsidione inirentur consilia, quæ a Ferdinando & Elizabetha Regibus discussa fuere, pressique barbari demum quarta decembris die pactione urbis portas crucesignatis victoribus aperuerunt. Mox Taberna & Seron se dediderunt: quin etiam Almeria & Guidixium urbes fortissimæ, quæ diu Christiana arma exercere potuissent, tradita sunt a Rege barbaro, qui ad Ferdinandum pronus accessit, ut ad ejus imperia capessenda paratum se offerret. Duæ præterea arces, in quibus Regum Maurorum filii thesaurique asservari consueverant, Almunecat & Salembina exeunte anno victoriæ impetum non ferentes a Mahometica servitute ereptæ fuerunt. Recensito exercitu viginti millia crucesignatorum in Bastæ obsidione absumpta reperta sunt, tria millia vulneribus, septemdecim millia extra castra (c), calonumque parte maxima corruptis tabo vitalibus, vel frigore obrigescentibus membris periisse.

*(c) Auctor orationis habita coram Inn. VIII.*

XIV. *(d) Ib. ibi.* Sultani Ægyptii minæ spretæ.

Meminit Innocentius (d) in literis proximi anni de Basta maximis laboribus sumptibusque hoc anno expugnata: ad quas referendas victorias duorum Regum Maurorum inter se digladiantium dissidia nostris favere. Ut vero sultanus Ægyptius de Mauriei regni excidio questus sit, spreveritque Ferdinandus Rex barbaricas querelas, nec bello temperarit donec Mahumeticas reliquias ex Hispania dispulerit, suo loco dicetur.

XV. Tartari Podolia depulsi. *(e) Mieh. l. 4. c. 64. Crom. l. 29. ex Vaponio.*

Interea (e) infestantibus Tartaris, quos duo ductabant Cæsares sive Ziari, Podoliam & Russiam Polonis obnoxiam, ac ferro flammisque sævientibus, Casimirus Rex Joannem Albertum filium validis cinctum copiis in eos immisit, qui geminam de iis victoriam reportavit: illi eminus telis equites equosque valde exagitarunt: sed ubi nostri præcipiti cursu impressione in hostem facta, barbarorum latera fodere cœperunt, eos in fugam inque cœnosam paludem impulere, qui partim capti, partim cæsi, pauci ex quiodecim equitum millibus cum cœno luctati amissis equis evasere: recuperata est præda omnis, captivique in libertatem vindicati. Parto eo triumpho, ad aliam Tartarorum aciem, quæ decem equitum millibus constabat, provolarunt Poloni. Illa tum casu nostrorum impedimentis apud Copestrinum potita, contracta ex itinere valida siti aqua mulsa, qua Russi Podoliique utuntur, se ingurgitarat, rata Polonos aufugisse, cum nostri in improvidos ebriosque incurrere, eosque pecudum more mactarunt, ipsorum Cæsare, qui suos ad pugnam dirigere nitebatur, inter alios obtruncato, quæ accurate describit Cromerus (f). Ut vero Joannes Albertus comparata exinde militari gloria proximo anno defuncto Matthia Rege Hungaricum sce-

Recuperati captivi christiani.

Parta alia de Tartaris victoria.

*(f) Id. Crom. ib.*

sceptrum affectarit, inferius dicetur: nunc reliquas septentrionales res perstringamus.

XVI. Hoc anno, cum inter Suedos & Danos dissidia de arcis munitissimæ, cui Orobra nomen est, imperio recrudescerent, ad dirimenda æquitate cruenta certamina hoc decretum latum est ab Innocentio Papa (a).

(a) L. 73. p. 355.

*Venerabilibus fratribus Lundensi & Upsalensi archiepiscopis & Roschildensi & Strengenensi episcopis.*

*Exhibita nobis nuper pro parte charissimæ in Christo filiæ nostræ Dorotheæ Daciæ, Sueciæ, & Norvegiæ Reginæ illustris petitio continebat, quod olim pro parte dilecti filii nobilis viri Stenonis Sture regni Sueciæ gubernatoris nobis exposito quod, cum alias ipsa Dorothea Regina vidua claræ memoriæ Christierni ejusdem Daciæ Regis relicta fœderum & contentionum inter dictum Christiernum Regem pro se suisque heredibus & successoribus eu una, & universos incolas & habitatores Daciæ, Norwegiæ, & Sueciæ regnorum, nec non præfatum Stenonem en alia partibus pro perpetua pace & quiete regnorum, & incolarum, ac habitatorum eorundem initorum, factorum, & stabilitorum verisimiliter non ignara, quibus inter cætera cavebatur quod castrum Orobra alicui eu dicto regno Sueciæ omnimodo assignari deberet nomine Reginæ Daciæ & regni Sueciæ sub hac conditione quod, si eidem Reginæ per viam justitiæ adjudicatum foret, tunc ille, cui castrum commissum esset, illud libere Reginæ assignare deberet, secundum quod vigintiquatuor arbitri & judices in confœderatione, pacto & liga prædictis, quorum ex Dacia & Norwegia duodecim, & eu Suecia duodecim alii fuerunt deputati judicarent, prout in confœderatione pacis & ligæ perpetuæ literis plenius continebatur, &c.* Stenonem & Suecos bona Reginæ a Christierno propter nuptias data invasisse, ac Reginam contra Suecos a Sixto IV. literas impetrasse ad Halverstadensem & Mersebergensem episcopos, ut intentata ecclesiastica censura Dorotheæ Reginæ sua jura restituenda curarent, a quorum sententia & anathematismis Steno & Sueci ad sedem Apostolicam ob varias caussas editis publicis monumentis provocarunt; tum subdit quid Sixtus pro componenda controversia sanxerit.

De variis inter Dorotheam & Stenonem Suecum bellis.

De arce cui Orobra nomen est certatum.

XVII. *Præfatus prædecessor, animadvertens forsan præmissa in regnis prædictis scandala plurima productura, ut illis occurreret, caussam & caussas appellationis & appellationem hujusmodi, ac nullitatis & nullitatum iniquitatis & injustitiæ hujusmodi processus & sententiæ, ac etiam subreptionis, & obreptionis dictarum literarum, attentatorum, & innovatorum totius negotii principalis bonæ memoriæ Stephano tit. S. Mariæ in Trastyberim presbytero Cardinali audiendas, cognoscendas, & fine debito terminandas cum potestate Stenonem & dictos consortes prædictos per se vel alium absolvendi in Romana curia vel extra eam commiserat, & dicta Dorothea Regina coram eodem Cardinale vocata, ac Stenone & litis consortibus hujusmodi a præfatis censuris per deputatum per ipsum Cardinalem in partibus illis subdelegatum absolutis, præfata Regina postmodum a præfato prædecessore certas alias literas per falsi expressionem & veri suppressionem subreptitias & obreptitias cum advocatione caussarum hujusmodi a præfato Cardinale, & quibusvis aliis judicibus, coram quibus quomodolibet penderent, ad præfatum episcopum Ratzburgensem, per quas sibi ut caussam hujusmodi reassumeret, & archiepiscopo Upsalensi & aliis regni Sueciæ episcopis suspensionis a divinis, & aliis censuris tunc expressis, ut præfatum Stenonem uti dicti castri Orebra in regno Sueciæ situati detentorem expellerent, & a participatione & communione eorundem & aliorum facerent evitari mandari obtinuerat similiter extorserat; quarum literarum prætextu Stenonem & litis consortes prædictos fecerat coram eodem archiepiscopo Ratzburgensi ad judicium evocari, & postea coram eo ad aliquos actus etiam post & contra proposita en caussis legitimis contra formam ipsius recusationem & appellationem in caussa ipsa taliter qualiter processum fuerat:* Et infra, *a quibus quidem literis & processibus executoralibus, ac censurarum fulminatione & sententia declaratoria hujusmodi pro parte eorundem Stenonis & litis consortium fuerat ad sedem appellatum eandem, ac pro parte tam Stenonis & litis consortium prædictorum, quam dilectorum filiorum consiliariorum dicti regni Sueciæ asserentium, quod vigintiquatuor arbitri dudum de consensu Regis, & Reginæ recepti, quibus certissime constabat, an hujusmodi bona essent Reginæ aut coronæ regni Sueciæ, & infra decem vel duodecim aut quatuordecim dies possent commode insimul convenire, & fere omni anno pro pace & concordia perpetua, vel ad minus aliqui eorum cum aliis dictorum regnorum consiliariis conveniebant, prout pluribus annis immediate superioribus de pace hujusmodi & aliis dictorum regnorum rebus tractandis, & etiam hoc præsenti anno, ut dicebatur, in festo beatæ Mariæ Magdalenæ convenerant, dictorum regnorum pacem & animarum salutem affectuose desiderabant, & a partibus suspecti recusari rationabiliter non poterant, nobis supplicatum est, ut Stenonem & litis consortes prædictos a præfata ex-*

Caussa evocata ad sedem Apost.

*excommunicationis sententia absolvere, & omnes & singulas causas prædictas ad nos advocare, illasque vobis & eisdem viginti quatuor arbitris committere dignaremur, nos tunc vobis aliis nostris dedimus literis in mandatis, ut vos,* & infra, *una cum viginti quatuor arbitris præfatis audiretis, & juxta vim, formam & continentiam pactorum, fœderum, stabilimentorum hujusmodi, in quantum illa Reu & bona, de quibus in hujusmodi causa agitur concernerent, alias prout de jure debito fine decideretis invocato ad hoc toties, quoties opus foret, auuilio brachii sæcularis, prout in eisdem literis continetur.*

XVIII. *Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, sententia pro dicta Regina lata in rem transiverit judicatam, ac causa hujusmodi jam per duodecim annos & ultra coram diversis judicibus & commissariis tam in Romana curia, quam eutra eam fuerit agitata, dictusque Steuo per viginti annos vel circa per vim & violentiam castra & alia bona prædicta ad præfatam Reginam ratione dotium suarum, & donationis propter nuptiat pertinentia detinuerit & occupaverit, ac fructus eu illis provenientes perceperit & levaverit, ac in suos damnabiles usus converterit, ac jurisdictio sive potestas dictorum arbitrorum non ad hujusmodi causam, sed ad conservationem pacis inter dicta regna componendæ se eutenderit, pro parte ejusdem Reginæ nobis fuerit humiliter supplicatum, ut sententiam prædictam ad ulteriorem executionem demandari aliasque in præmissis opportune provideri mandare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de præmissis certam notitiam non habemus, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel tres, seu duo, aut unus vestrum, postquam vocato Stenone & aliis litis consortibus præfatis & aliis, qui fuerint evocandi vobis de re judicata hujusmodi legitime constiterit, illam executioni debitæ demandetis, & eosdem Stenonem & litis consortes, si prætextu literarum prædictarum absoluti fuissent, ante omnia in pristinas censuras reintrudatis, & ad ulteriorem dictarum literarum executorialium executione, & censurarum in illis contentarum declaratione contra dictum Stenonem & litis consortes procedatis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCDLXXXIX. pridie non. julii pontific. nostri anno v.*

Steno ob Reginæ Daniæ jura occupata censuris devinctus.

(a) *Burch. in diariis ms. arch. Vat. sig. n. 111. Steph. Infiss. sig. eod. num. Vialard. in vit. Inn. VIII.*

XIX. Auctus Cardinalium senatus.

Auctum hoc anno Cardinalium senatum referunt scriptores (*a*), e quibus Stephanus Infissura observat solutam fuisse sacramenti religionem, qua se Innocentius in conclavi devinxerat, ne in creandis Cardinalibus certum numerum excederet: sed ejusmodi pactiones, quæ a Cardinalibus ad contrahendam pontificiam authoritatem, dum Ecclesia suo pastore viduata est, conficiuntur, irritas decretas Innocentii VI. sanctione vidimus (*b*). Inter hos vero fratris filius adulterinum turpi solutæ disciplinæ ecclesiasticæ exemplo, nec non nothi filii sui sororium pene puerum donasse purpura observant Raphael Volaterranus (*c*) atque idem Infissura, qui accuratissime gesta Innocentii describit: *Anno* v. inquit, *Domini MCDLXXXIX. & mense martii sanctissimus dominus noster Innocentius VIII. licet contra pacta, & capitula, quæ facta fuerant in conclavi cum Cardinalibus, quando fuit creatus Papa, quæ erant, quod non possent Cardinales fieri ultra numerum vigesimum secundum, Papa aliquibus eu eis invitis, ut fertur, creavit sex Cardinales. Primo Laurentium, nempe Cybo, archiepiscopum Beneventanum nepotem suum ex fratre, eundemque castellanum S. Angeli. Hic fuit reputatus semper spurius.* Et infra.

(*b*) *Ann. to. 16. an. 1353. n. 29.*

(*c*) *Volat. l. 22. & alii.*

Sancitæ in conclavi leges solutæ.

Carni & Sanguini indulget nimium Innocentius.

XX. Ardicini Card. elogium.

*Alter fuit Ardicinus de porta episcopus Aleriensis vir doctissimus, qui propter ejus virtutem & benemeritum ad Cardinalatum pervenit. Alter fuit filius Laurentii de Medicis cognatus Francischetti filii ipsius Papæ Innocentii. Hic erat puer ut dicitur quindecim annorum: dicitur tamen fuisse creatum sub conditione quod non veniret ad urbem, nisi circa certum tempus,* nempe triennale, *venit tamen & admissus fuit,* nempe anno (*d*) ætatis XVIII. *fuit is Joannes Mediceus, qui in pontificatu Leonis X. nomen accepit.*

(*d*) *Burchard. in diariis.*

XXI. De eodem Cardinale Joannes Burchardus in diariis hæc tradidit (*e*): *Die lunæ nona mensis martii qua in ætatis suæ anno ... constitutus erat cum quinque aliis Cardinalibus tunc publicatis, in Cardinalem assumptus & creatus fuit, cum prohibitione tamen expressa, ne intra triennium eu tunc prouime futurum se Cardinalem appellare, aut pro tali se habere præsumeret: fuit etiam ex tunc capellum cum annulo & titulo S. Mariæ in dominica sibi missum cum facultate illa lapso triennio prædicto & etiam propria authoritate recipiendi, eu tunc in antea ut cum eo decreto &c. quod etiam, summo Pontifice interim decedente, lapso dicto tempore haberetur pro Cardinale &c. qui Cardinalis filius obedientiæ interim pro protonotario se habuit & gessit, & mandato & decreto in literis apostolicis hujusmodi apposita observavit. Triennii vero hujusmodi fine instante idem Cardinalis die veneris nona*

(*e*) *Burch. in diariis. p. 1043.*

Joannes Mediceus creatus Card.

dicti

*dicti mensis martii præsentis anni* MCDXCII. *cum tribus suis dominis Joanne Baptista auditore, Mario caudatario, & Theobaldo camerario exivit Florentiam in sero, & ad abbatiam sive monasterium Fesulanum venit, ubi ea nocte quievit. In mane die sabbato* X. *ejusdem mensis facta per eum confessione dicta fuit missa solemnis de Spiritu Sancto absque alia aliqua commemoratione per fratres monasterii prædicti, qui ordinis canonicorum regularium S. Augustini existunt, & idem Cardinalis in fine missæ communicatus. Qua finita positis super altare cappa cardinalari, annulo ac capello, idem Cardinalis coram altari genuflexit: tum lectis bulla creationis suæ in Cardinalem, & brevi commissionis dicti monasterii abbati factis de exhibendo eidem Cardinali habitum, & capellum, ac annulum cardinalares per seniorem seu primum notarium Florentinum, imposita fuit cappa cardinalaris, tum pileus & annulus Cardinali prædicto per abbatem memoratum, qui deinde petiit ab eodem Cardinale indulgentias interessentibus debere largiri, qui Cardinalis concessit eisdem indulgentias per Cardinales concedi solitas & consuetas, de quibus omnibus fuit rogatus notarius supradictus*, & infra. *Idem Cardinalis associatus in habitu cardinalari intravit Florentiam, & ante conventus ecclesiam Annuntiatæ en mula descendens intravit eandem ecclesiam gloriosæ virginis Mariæ, pro beneficio gratias agens. Ascensa deinde mula equitavit ad palatium vexilliferi justitiæ & priorum populi Florentini, ubi descendens & ad illos ascendens etiam ipsis pro favoribus gratias retulit:*

Insignia Cardinalatus quo ritu sumpserit.

Florentiæ pompam agitat.

*tum ad domum Laurentii patris sui equitavit Joannes Laurentii de Medicis civis Florentini filius secundogenitus &* XVIII. *ætatis anno ad urbem venit.*

XXII. *Alii fuerunt duo Francigenæ, unus qui erat magnus magister in civitate Rhodi*, erat is Petrus (*a*) Aubussonius defensæ contra Mahumetis II. impetus Rhodi gloria celebris, *& alius Francigena propositus a Rege Franciæ*, nimirum Andreas Espinajus archiepiscopus Burdegalensis, postea Lugdunensis. Addit vero Infissura: *Isti duo creati fuerunt en eo, ut fertur, quia donaverunt Pontifici magnum Imperatorem Turcarum*. Sextum prætermisit auctor scilicet Antoniottum Gentilem Palavicinum Auriensem episcopum, cui titulum S. Anastasiæ datum meminit Burchardus in diariis suis (*b*): *Feria* II. XXIII. *martii fuit primum consistorium secretum post publicationem novorum Cardinalium, in quo sanctissimus dominus noster in principio consistorii clausit ora novis Cardinalibus, in fine autem ejusdem consistorii aperuit ora eisdem Cardinalibus novis, & dedit eis annulos, & ipsis etiam absentibus titulos, videlicet, reverendissimo domino Lugdunensi tit. S. Martini in montibus, reverendissimo domino Beneventano tit. S. Susannæ, reverendissimo domino Aleriensi tit. SS. Joannis & Pauli, reverendissimo domino Auriensi tit. S. Anastasiæ, reverendissimo domino Rhodiano tit. Sancti Adriani*. [1]

Petrus Aubuss. inter Cardinales relatus. (*a*) *Bosius p. 2. l. 14.* Archiep. Burdeg. in senatum allectus. (*b*) *Id. p. 897.*

XXIII. Hoc anno cum plurimæ a Deo cœlestes virtutes in sacra æde B. Mariæ Lauretanæ fierent, Joannes Baptista Mantuanus (*c*) Carmelita doctus æque ac pius hi-

(*c*) *Jo. Bapt. Mantuan. Turfell. l. 2. c. 6.*



NOTÆ [1] QUod dignitatem cardinalis hoc anno Petro Daubusson, magno Rhodiorum equitum magistro collata, plana essent omnia, nisi salebras induceret bulla quædam Innocentii signata *anno millesimo quadringentesimo octuagesimo-quinto idibus februarii pontificatus anno secundo*, relata in codice Melitensi to. II. pag. 157. In ea enim pontifex diaconum cardinalem tit. S. Hadriani illum renunciat, iis omnibus juribus adjectis, quæ Scriptores in solemni ejus assumptione concessa memorant. Ex quo illud consequi necesse est, cardinalatus illius epocham ab exordio anni 1486. seu, ut veteri stylo supputabatur, exeunte anno 1485. februario mense deducendam esse. Chronologiæ huic favet in speciem ejusdem codicis epistola CXXXIII. qua Augustinus Barbadicus, Venetiarum dux cum Petro de adepta dignitate gratulatur, quæ sane epistola signatur ibidem die XVII. martii indictione VII. anno MCCCCLXXXV. Verum cum indictio VII. anno non quidem 1485. at potius 1489. convenerit, quo anno martio mense Petrus omnium confessione renunciatus erat cardinalis, hinc suspicio merito suboriri posset, num mendose in codicem annus 1485. pro anno 1489. irrepserit. Sed bullam Innocentii nulla suspicione sollicitari posse censeo; cum anno ineunte 1486. Innocentius revera annum pontificatus secundum ageret; & quamquam interdum anni supputandi novo stylo utebatur; veterem tamen non semel retinuit, ut in nota ad annum 1485. 33. demonstratum est. Ad conciliandam igitur bullæ hujus authoritatem cum consensu Veterum omnium Scriptorum qui suis ipsis pene oculis explorata tradebant, censeo Innocentium anno quidem 1486. cardinalis dignitatem Petro contulisse, eam tamen destinationem celandam ex urgenti aliqua causa duxisse, donec eadem causa cessante anno demum isto 1489. palam expositum fuisse a pontifice, quod huc usque politico arcano tectum fuerat. Profecto de dignitate illa occulte collata indicium ex ipsa pariter bulla Melitensis codicis translucet; cum in ea pontifex narret se in ea scribenda ut *præmissa omnia secretius peragerentur* uti noluisse opera alicujus *ex centum unius* scriptoribus apostolicis; sed Joannis episcopi Albanensis, quem periode ac scriptorem apostolicum hac una in re habendum monet. Cardinalatu igitur potitus fuit Petrus ante hunc annum triennio; quamquam nonnisi hoc demum anno titulum cardinalis palam assumpsit. MANSI

historiam scripsit. Interfuisse insigni miraculo, quo sex dæmones Virginis ope sanctissimæ ex infelicis mulieris ad ædem ipsam perductæ corpore depulsi fuerunt, narrat Tursellinus (a). Quo etiam anno cum nondum sedati essent civiles Belgarum adversus Maximilianum tumultus, Hallense oppidum Deiparæ clientelæ addictissimum, & miraculis celebre, insigni prodigio ab extremo excidio vindicatum, atque a paucissimis militibus præsidiariis ingentem Philippi Clivii ducis exercitum fusum fugatumque narrat Justus Lipsius (b). Editæ quoque etiam hoc tempore plures cœlestes virtutes Deiparæ ope in Lanzanensi oppido Theatinæ diœcesis, ut ex Innocentii literis constat (c).

(a) *Idem c.7. ex Baptist. Mantuan. & Hieron. Angelita.*

(b) *Just. Lips. Virg. Hallen. c.6.*

(c) *Inn. VIII. l. 41. p. 135.*

Arden-

I. Bajazethes in Rhodios infensus ob Zizimum Pontifici deditum.

ARdente Turcas inter & Mamaluchos bello ab utroque barbarorum Imperatore certatum est de Zizimo a Pontifice Romano, apud quem is versabatur, repetendo, anno millesimo quadringentesimo nonagesimo indictione octava. Et quidem Bajazethem de Petro Aubussonio Rhodiorum equitum magistro, qui Pontifici Zizimum tradidisset, vehementer questum refert Bosius (a), atque Aubussonium ad leniendas illius iras, eumque inanibus verborum illecebris ducendum, respondisse Pontificis Romani communis omnium Christianorum parentis ac principis voluntatibus se obluctari non potuisse: cæterum rei Turcicæ melius consultum quam sperari potuisset; si enim in Francorum Regis potestate remansisset, a Franco, cum illi collibitum fuisset, expeditionem ad Zizimum in paternum restituendum solium, Turcicasque labefactandas res confici potuisse: at vero cum Romæ versetur, pontificiæque vires imbecilles sint, non posse Pontificem tantum bellum suscipere, nisi, cum aliquo præpotenti Rege arma junxerit, jungendi autem hujusmodi fœderis difficillimas futuras rationes, atque ita omnia belli consilia mora dissolutum iri. Hoc officii lenocinio putabat Rhodiorum princeps tempus fallere, ac verbis ducere Bajazethem, ut interea Innocentius Christianos Reges in arma concitare, crucesignatasque copias comparare posset.

(a) Bos. par. 2. l. 14.

Rhodiorum equitum magistri excusatio.

II. Præter spem confirmata exitu. Innocentius a Bajazethe postulatus de fœdere.

Dicta hæc veluti oracula accipiens Bajazethes, conciliatus Rhodio principi oratorem ad Pontificem misit, ut eum de fœdere postularet, atque centum & viginti aureorum millia penderet, ut Zizimum in custodia detineret, cum contra Caitbei Ægyptiorum sultani orator promissa uberiora faceret, ut tradito sibi Zizimo bellum in communem hostem decerneretur, quæ Stephanus Infissura in diariis suis hisce verbis accurate describit (b): *Die ultimo dicti mensis*, nimirum novembris, *ambasciator magni Turci Constantinopolis ingressus est urbem, cui obviam ivit familia Papæ & omnium Cardinalium, & infiniti homines, & venit cum centum & viginti millibus ducatorum auri, & cum multis & nobilibus gemmis & margaritis & opulentissimis donis portavit, quod capto tributo, ut fertur, trium annorum ad computum quadraginta millia ducatorum pro qualibet anno, quos ipse promisit Papa, solum ut retineret alium Turcum fratrem dicti magni Turci, qui est in palatio. Utinam hæc non pariant aliquid mali Ecclesiæ Dei. Et data fuit ei audientia a toto collegio Cardinalium & in secretis: itaque nescitur punctualiter quid exposuerint; fertur tamen inter homines inter alia obtulisse Papæ & Ecclesiæ Dei quod retineret dictum Turcum, & pro censu se daturum quadraginta millia ducatorum quolibet anno, quo ipsum retinuerit. Item obtulit pacem & perpetuam securitatem & fœdus inter Christianos & Turcos, & quod Christiani de cætero possent ire & redire in terras ejus libere & absque aliquo timore.*

(b) Infiss. ms. arch. Vat. sig. n. 111.

Oratoris illius in urbem adventus.

Quæ ab ipso sint proposita.

III. Quæ ex adverso oblata sint a Sultano Babylonico.

*Ex adverso fertur ambasciatorem magni soldani Babyloniæ obtulisse Pontifici pro salute & restitutione dicti Turci primo numerum quadringentorum millium ducatorum: item terram Jerusalem, quam pollicetur perpetuo sub dominio Christianorum. Item securitatem & libertatem omnium Christianorum volentium ire ad dictam terram, ut absque aliquo datio & solutione ire & redire possent. Item quod omnes terræ, quæ acquirentur per eum & dictum Turcum, qui est de terris imperii alterius Turci & fratris sui, quæ fuerunt quondam Christiani imperii, & etiam si esset Constantinopolis, se ecclesiæ & Christianis restituturum: & multoties super hoc habitus fuit tractatus in palatio cum Cardinalibus.*

IV. Agitata a Pont. cum Cardinalibus plura consilia. Quo ritu a Zizimo Romæ auditus Bajazethis orator.

*Tandem vigesimo octavo vel nono mensis decembris dictus ambasciator Turci impetravit a Papa audientiam magno Turco, eo quod diceret se nolle solvere tributum prædictum nisi eum oculata fide videret, & ita dixit se habuisse in mandatis, ne forte diceretur vivus, & mortuus esset. Et cum hoc nuntiatum esset dicto magno Turco non prius voluit dictum ambasciatorem recipere, & ei audientiam dare, quam quod ipse ornatus & sedens triumphaliter in solio regali more Imperatorum eum admisit. Itaque supradicto die ornatæ fuerunt aulæ & partes superiores palatii Papæ tapetis & aulæis, & ut melius dicam drappis aureis undique & etiam per terram, ita quod nunquam fuerunt visa Romæ similia ornamenta: & dictus Turcus sedit in quodam solio, quod dedita opera fieri fecerat more Turcarum, & quidem dictis ornamentis opulentissimis ornatum, & ipse ibi resedit more regali, & in majestate sua circumcirca adstantibus Turcis & duobus tantum Christianis, videlicet Cardinale S. Anastasiæ nepote sanctissimi domini nostri, & archiepiscopo Arelatensi alio nepote: & advenientе dicto ambasciatore servatus est iste ordo: nam antequam dictus am-*

Cautela adhibita ne orator veneno Zizimum necaret.

*ambasciator intraret ostium aulæ, ubi dictus Turcus pro tribunali sedebat, quidam Turcus de adhærentibus & circumstantibus dicti Turci accessit ad eum, & cum uno panno lineo in dicto ostio aulæ a capite usque ad pedes cum dicto panno extersit, perinde ac si farina vel pulvere fuisset repletus, quem pannum postea dicto ambasciatori osculandum tradidit: deinde dictus ambasciator intravit & tribus vicibus in conspectu dicti Turci projectus & prostratus in terris diversis locis terram ipsam osculatus est. Ultima tamen vice dictus Turcus genuflexus & inclinatus extitit & tacuit: fecitque ei dici Turcus, ne quid nisi ad interrogata responderet & ita fecit, dixitque Turcus in lingua sua utrum literas haberet, qui ambasciator incontinenti de quodam suo loculo quandam epistolam clausam & sigillatam traxit & ostendit, & incontinenti antequam eam traderet totam ab omnibus suis lateribus lingua sua lambivit. Deinde aspicientibus duobus ex dictis Turcis clausuram & sigillum ipsemet ambasciator eam aperuit & desigillavit, & eam apertam iterum intus & extra & a tergo sua lingua lambivit. Quo acto præfati duo Turci dictam epistolam ceperunt, eamque ad aurem dicti magni Turci legerunt. Quid continuerit in serie nescitur, & incontinenti lectis literis dictus ambasciator posuit manum ad munera, quæ frater ejus ei mittebat, videlicet quasdam petias drappi imbroccati, & alia quædam ornamenta. Turcus ipse manu annuendo, ut retrocederet, ea videre noluit, ipsa tamen dona per suos accepit & admisit. Deinde repulsis omnibus, qui ibi erant, multa invicem locuti sunt, quæ a nostris minime audita & intellecta fuerunt.*

Literas ore lambit.

V.

(a) Id. ib.

Suspecta erant hostis munera, cum paucis ante mensibus Zizimum Bajazethes frater veneno tollere meditatus (a) fuisset: Christophorus enim Castranæ Macrinus nuncupatus Picens ira furens quod possessione sua vi depulsus fuisset a pontificio administro, Constantinopolim se contulit, pollicitusque est, Pontifice Zizimoque necatis, belli timorem se a Turcico amoturum imperio. Muphti opera sæpius in colloquium Bajazethis admissus auro, gemmis, majoribusque promissis oneratus, nimirum Euboeæ principatu, ducentarumque triremium præfectura donandus, si fontem, ex quo Pontifex ac Zizimus bibere consueverant, inficeret, atro diroque veneno ampullam plenam recepit. Sed cum Romam pervenisset in flagitio comprehensus omnia ordine fassus est, ac mense majo per urbem ductus, ardentibusque forcipibus excarnificatus, supplicio affectus, discerptaque membra ad portas urbis exposita ad frangendam eo terrore sceleris participum audaciam, si quidem ille plures alios promissis ad Pontificem extinguendum subornatos a Bajazethe addiderat. Validissimam præterea instruxit classem, ut Pontificem ob receptum Zizimum Italiamque opprimeret: quo accepto Maximilianus Romanorum Rex de imminente Turcica procella Innocentium fecit certiorem, seque ecclesiæ Romanæ opem cum Germanico exercitu laturum spopondit: tum addidit preces, ut cœptam superiori anno inter Matthiam Hungariæ Regem ac Fridericum Imperatorem concordiam redintegraret, de quibus Burchardus (b), sermonum pontificiorum tum interpres, hæc refert in diariis suis.

Ut Pontificem & Zizimum veneno necare nisus sit Bajazethes.

Excarnificatus proditor pseudo-christianus.

Classis ornata a Bajazethe.

(b) Burch. in diariis ms. arch. Vat. p. 95. & ex eo Vialar. in vita Inn. VIII.

VI.

De Turcicis consiliis monitus a Maximiliano Pont.

*Hieronymus Balbanus & Joannes Petrus Arivabenus secretaris Heraldi præsentarunt literas serenissimi Maximiliani Romanorum Regis sanctissimo domino nostro, qui eas tradidit Joanni de Arivabeno ibidem præsenti legendas, qui statim eas legit. Continebatur in literis se semper animum habuisse, ut Christianum Regem deceret, in defensionem catholicæ fidei & Romanæ ecclesiæ, intellexisse Turcum magnam classem parare contra Romanum Pontificem ad liberandum fratrem suum apud sanctissimum dominum nostrum existentem, propterea in adjutorium Romanæ ecclesiæ quamprimum venturum: quod ut liberius fieri posset dietam celebrasse in oppido licet, ubi de concordia inter serenissimum Imperatorem Romanorum genitorem suum & Regem Hungariæ tractaretur, qua habita expeditioni in Italiam se operam daturum. Scripsisse propterea potentatibus Italiæ, quod gentibus suis liberum passum darent, & victus necessaria eis ministrarent, prout in copia literæ alligatæ contineretur: rogabat propterea Pontificem concordiam inter Imperatorem & Regem Hungariæ facere vellet. Copia prædicta erat ad ducem Venetiarum, & ejus continentia quasi in litera Pontifici: excepto quod ab eo favorem non petebat, & mandabat sibi quod præsentibus suis passum daret & necessaria ministraret. Lectis literis sanctissimus dominus noster dixit Heraldo literas intellexisse, desuper velle deliberare, & principi respondere, me verba Pontificis interpretante.*

Pollicitus opem Maximil. modo pax cum Ungaro firmetur.

(c) Vialard. in vita Inn. VIII.

VII.

Solicitatus Ferd. ut arma in Turcas acuat.

Ereptum ab eo Pontifici Beneventum.

Functum hac legatione Bernardum Stich Neapolim contendisse (c), ut Friderici Imperatoris Maximilianique Regis, nec non Alberti ducis Saxoniæ literas ad Ferdinandum Regem perferret, ut nimirum pararet in Turcas arma. Is vero ab jure regio ob vectigal non solutum superiori anno depulsus Pontificem lacessere non desinebat, Beneventique imperium, pulsis pontificiis & ecclesiæ magistratibus,

ade-

*(a) Infiss. ms. arch. Vat. sig. n.111.*

Conctis principum oratoribus consilia de bello Turc. explicari nequeunt.

ademit (*a*). Cæterum Bajazethes vertere adversus Pontificem arma non ausus, ne sepultos segnitie Christianorum animos exsuscitaret, adblandiri potius auro promissisque Pontifici constituit, a quo impetrandæ pacis spes non aberat; uti contigit, cum enim Innocentius transalpinorum Italorumque principum oratores in sacro senatu coegisset, nulla de cruciata in Turcas expeditione consilia decerni potuerunt, sed inanes de honorum gradibus ac locorum dignitate tumultus inter eos concitati (*b*) fuerunt. Itaque Innocentius, cum mense septembri gravi lethargo laborasset, atque exinde minus esset gerendis rebus idoneus in sententiam de Turcico auro accipiendo, nec lacessendo Bajazethe, præter Rhodiorum principis expectationem ivit, omissis sacræ ad recuperandum orientem militiæ consiliis: mutata quippe jam tum erat rerum facies, Germania & Pannonia, ex quibus educendi erant crucesignati exercitus, bello flagrantibus, ob importunum luctuosissimumque Matthiæ Hungariæ Regis Turcicis certaminibus eaercitatissimi obitum, (*c*) ut paulo post dicetur.

*(b) Vialard. ubi sup.*

Tentatus lethargo Innoc. Bellica consilia abjicit.

*(c) Infiss. ms. arch. Vat. sig. n.111. Bonfin. dec.4. l.9. Trith. in chron. Spon. Ranzanus Mich. l.4. c.75. Naucl. vol.2. gen. 50. Sabel. enn. 10. l.8.*

VIII. Experierat ille, uti vidimus, a supremo Rhodiorum magistro, ut Zizimum sibi traderet, quo restituendi illius in pristinam dignitatem specie barbaricas vires distraheret, religionemque in Græcia lapsam instaurare posset. Solicitarat (*d*) eum etiam Caitbeus Ægypti sultanus honorifica legatione, ut Turcas in Europa perdomaret, dum ipse eos atterebat in Asia, de quibus paulo ante pulcherrimam victoriam retulerat (*e*). Quo terrore perculsus Bajazethes illum de pace postulabat, ut acceptam in Cilicia ignominiam deleret: at eluserat Rex Bajazethis petita, atque vetera cum Cæsare bella componere studuerat, ut vires omnes in hostem religionis effunderet. Facta fuerant ea de causa plura cum Friderico & Matthia colloquia superiori anno, ac demum convenerant, ut idibus septembris ad dirimendas lites solemnes Regum cœtus celebrarentur; sed cum Matthias adversa valetudine affici cœpisset, it ex mense in mensem extracti fuerunt. Et quidem Fridericum, quamvis nonagenarium, descendisse ex alpibus superioris anni æstate, perque Veronam & Tarvisium in fines Austriæ Pannoniæque se contulisse memorant (*f*), ut cum Matthia Rege concordiam confirmaret.

*(d) Bonfin. l.8.*

*(e) Id. ib.*

*(f) Infiss. ms. arch. Vat. sig. n.111. Sabell. ennead. 10. l.8. & alii.*

IX. Præterea inter Venetos ac Sigismundum archiducem Austriæ, qui diutinum inter sese bellum gesserant, delecto eorum voluntate controversiarum arbitro Pontifice, concordia redintegrata est, misitque in Austriam Innocentius (*g*) internuntium suum qui de partium juribus cognosceret, arcesque bello captas Apostolicæ sedis nomine reciperet ac restitueret, vocato tamen Maximiliano Cæsare, cui Austriæ administratio tradita fuerat, dandaque illi a Pontifice imperia conficeret. Ascripta est literis hæc temporis nota: *Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno, &c. MCCCCLXXXX. III. non. maii pontificat. nostri anno* VI.

*(g) To.5. sign. n. 1905. p. 342.*

Inter hæc obiit Matthias irreparabili rerum Hungaricarum damno apoplexia percussus cum paulo ante vegetus vigensque videretur. Necatum fuisse veneno memorat Stephanus Infissura (*h*), dum ait veneficum illum, qui a Bajazethe ad Pontificem Zizimumque interimendos submissus fuerat, inter alios sceleris socios quendam ordinis Dominicani apostatam accusasse, qui a Bajazethe corruptus Hungariæ Regi Turcicum bellum paranti venenum præbuisset: *Fertur*, inquit, *ejus dolo Regem Hungariæ in die mercurii in hebdomada sancta proxime præterita veneno morte repentina esse necatum, & interiisse*. Ipsum præ vi morbi nll loqui potuisse, sed altissimis tantum suspiriis nomen Jesu exclamasse tertio demum die refert Bonfinius (*i*): *Cum raucos*, inquit, *semper gemitus emisisset, variaque ingenitæ pœnitentiæ indicia* [*veluti divinam veniam imploraret*] *edidisset, e profluvio demum capitis animam efflavit*. Et infra: *Princeps invictissimus anno salutis nonagesimo supra millesimum & quadringentesimum nonis aprilis & die martis, ætatis autem anno quadragesimo septimo cum perpetuo sui desiderio diem obiit*. Plura fuisse illius mortis conspecta præsaga prodigia, ac Leones, qui Budæ erant, eodem, quo ille, die interiisse observat author.

X. Matthias sublatus veneno creditur.

*(h) Infiss. ibid.*

*(i) Bonfin. dec.4. l.8.*

Jesu nomen moriens implorat.

XI. Laudavit eum funebri oratione Ranzanus Matthiam, cujus gesta in fidei hostes perstringit Raphael Volarerranus (*k*) his verbis: *Turcarum Regem Mahumetem ab obsidione Jayaze Rasciæ armis removit, Transilvanos post Ladislai mortem rebellantes compescuit, trajectisque Alpibus Moldaviam, Valachiam superato Stephano vaivoda, relatisque plurimis signis ad officium reduxit. Septem jugiter annos contra hæreticos Bohemos dimicavit: post mortem Georgii Rex electus fuerat*. Paucis interjectis de bello cum Casimiro, ad quem Quinqueecclesiensis & Strigoniensis præsules defecerant gesto, sedatoque colloquio addit author: *Castrum Turcarum Sabacz ad ripam Savi fluminis media bruma expugnavit*. Alia bella, quæ cum Friderico Imperatore sive regni exordio, sive exitu suscepit Christianæ rei calamitates maximas in-

*(k) Volat. Georg. l.8.*

Ejus elogium.

intulere, quibus malis dare finem ipsum parasse jam indicatum est. Hæc & alia præclara gesta Matthiæ Regis panegyrico stylo Bonfinius prosecutus est (*a*), qui illius virtutes describens optimi principis exemplar efformat, aitque priscorum Regum more aditum omnibus vel miserrimæ fortunæ hominibus præbuisse, coluisse frugalitatem, non humiles fastidiisse domos, sumptus profusos in clarissima bella fecisse; domi parsimoniam, foris magnificentiam & liberalitatem amasse: clementia & beneficentia omnium animos devinxisse: non solum proceres, sed milites gregariosque invisisse: in castris lustrasse ægrorum contubernia, langnentes regia pavisse manu, sauciorum vulnera sæpe in acie alligasse, nauseantium sustinuisse capita, veluti regiæ dignitatis immemorem non humanitatis: cum Myssiis & Rascianis, cum Bohemis & Alemannis, cum Hungaris & Cumanis juxta versatum: domi militiæque publica fide solicitudineque custoditum; luxum cultumque a victu ad arma & equos transtulisse. Turcica castra mercatoris (*b*) cultu interdum perlustrasse: in obeundis expeditionibus cautum æque atque audacem fuisse, non diu meditato consilio solum, sed ex itinerum occasione & atrocibus tempestatibus, cum hostis tutum se fore putaret, prælium sæpe sumpsisse, atque in arte militari etiam tum ignota aliis commentum; unde eo Rege Hungaria late amplificata est, quo mortuo mox ipsa sua magnitudine laboravit.

(*a*) *Bonfin. dec. 4. l. 7.*

Laudati ejus mores.

(*b*) *Id. l. 8.*

XII. De Ungarico sceptro certant quinque Reges.

Certarunt de illius sceptro quinque principes, totque legationes in ordinum regni conventibus auditæ. In primis Maximilianus jus ex antiquo fœdere cum Matthia inito, cum ei sacrum diadema restituit, comparatum exponebat: Wladislaus Rex Bohemiæ materno jure hereditario nitebatur: Joannes Albertus ejus frater aliquorum factione ipso initio Rex proclamatus Polonica arma ostentabat: Ferdinandus Rex Neapolitanus instabat, ut Beatricis Reginæ ratio in conjungendo illi connubio successore haberetur; Joannes Corvinus Matthiæ nothus filius amplissimo principatu auctus paternæ gloriæ gratia fulciebatur, ac virtutibus natalium maculam se detersurum pollicebatur, pluriumque Regum in pari casu exempla proferebat: dumque comitia ex variis conflata gentibus in varias ivere sententias, inde orta sunt bella civilia: pars major Wladislaum Beatricis (*c*) Reginæ ope, quæ illum in maritum sibi ex pactione inani spe delusa (*d*), destinarat, ad Hungariæ & Bohemiæ sceptra conjungenda optavit. Itaque mox accurrit Wladislaus tumultuariis copiis in Bohemia collectis instructus, quem XI. Kal. octobris apud Albam regalem corona redimitum solemni ritu describit spectator Bonfinius (*e*) hisce verbis.

Vladislaus a majori parte Rex delectus.

(*c*) *Bonfin. ube sup. & dec. 5. l. 1*

(*d*) *Burch. in Alex. VI.*

(*e*) *Bonfin. dec. 4. l. 10.*

XIII.

*Wladislaus omnium religiosissimus ad sumenda hæc insignia se præpararat eadem hebdomada alternis diebus jejunia tria jam habuerat, quotidianaque in Deum resipiscentia tanti regni molem obiturus divinam opem implorarat, haud inscius traditam a Deo potestatem sine divino præsidio geri non posse. Diebus aliquot ad Deum ingemuerat, ut quem Regem is elegerat, suis auspiciis comprobaret, & una cum regno tueretur, in divinoque semper obsequio retineret. Post consensum igitur omnium cum Zagabriensis, qui metropolitani loco in coronatione fungebatur, ante magnam aram præsideret, Rex paludatus adhuc cum pontificibus, qui ejus latera claudebant, reliquaque manu principum e solio descendit, & occurrentibus in pontificio habitu duobus episcopis ad metropolitanum ducitur. Constitutus ante ipsum ex more præveneratur. Mou e ductoribus episcopis alter: Sacrosancta, inquit, reverende pater, Ecclesia postulat, ut hunc delectum militem in regalem efferas dignitatem. At percunctanti illi, an eo munere dignus esset, continuo est ab omnibus acclamatum pro explorata viri sapientia & virtute, jam esse dignissimum & reipublicæ salutarem. Post hæc metropolitanus sacrosancti patris officio fungitur, admonetque, ut cum præclarum inter mortales locum invenerit, sed periculis, laboribus, solicitudineque perpetuo refertum, secum ipse reputet, cum omnis sit a Deo potestas de grege sibi commisso, Deo quoque rationem reddere oportere, pietatem usquequaque servandam, Deum tota mente complectendum, colendum puro corde: orthodouam fidem, quam ab incunabulis hausit, ad mortem usque constantissime retinendam, & pro virili parte defensandam: Christi vicarios & Pontifices omnes pro dignitate observandos, ecclesiasticam ubique gentium libertatem asserendam, divina & humana æque curanda, justitiam circa personarum discrimen ubique servandam: exornandos esse bonos, & malos nulla impunitate donandos, miserabile quodlibet genus hominum ab iniquissimo quoque detrimento vindicandum, faciles adeuntibus aures adhibendas, & mansuetudinem cum affabilitate præstandam, nihil denique patrandum, quod sit a regia dignitate alienum, & regnum suæ fidei commissum ita esse gubernandum, ut non ad privatam, sed publicam utilitatem regnasse videatur, præmium denique rei gestæ non in terris, sed in cœlo postulandum.*

Solemni ritu sacratus Ungariæ Rex.

Quibus monitis tum informatus fuerit.

Quid responsum a novo Rege.

Con-

Quo ritu in solio collocatus.

*Contra Rex harum rerum admonitus: Cum divinis, inquit, auspicus me ad regendam Hungariam evocatum esse sentiam, inprimis testor Deum optimum maximum cæterosque cælestium ordines, deinde vos omnes, qui nunc adestis, me justitiam, leges, & pietatem, pacemque omnibus cum sacrosanctis tum profanis, cæterisque hominibus, qui qualiscumque fortunæ personam gerunt, & sub mea ditione versantur, quantum in me situm est, & fidelissimi senatus consulto fieri potest diligentissime, & integerrime servaturum. Pontificibus maximis legitimum semper honorem exhibiturum ac divina & humana juxta curaturum: ecclesiarum jura tutaturum, & antistitibus proceribusque nostris debitum semper honorem impensurum, illud postremo toto corde ac summo studio enixurum, ne quid unquam detrimenti respublica temere patiatur. Mox in admota rite propius evangelia rite juravit, ut dicta jurejurando rata & firma ab omnibus haberentur. Genibus deinde flexis implorandæ divinæ benedictionis gratia ante metropolitani pedes procidit, contra ille assurgens, ingeniculatis omnibus, elatis in cælum manibus & deposita mithra alta voce precatus, &c.* Affert author formulas sacrarum precationum adhibitarum dum Wladislaus balsamo inunctus fuit, dum ei porrectus gladius, dum diadema capiti impositum, dum sceptrum manibus datum est. Denique ut in solium regale a metropolitano deductus fuerit, ita describit: *Rex*, inquit, *in capite sacrum diadema, ac dextra sceptrum gestans a metropolitano in regale solium reducitur & collocatur, quem regiam majestatem omni ex parte referentem his metropolitanus alloquitur: Sta hic, Rex inclyte, ac regna locumque nunc tibi a Deo delegatum retine. Te per omnipotentis Dei authoritatem & per hanc sanctam coronationem, duodenorum Apostolorum cæterorumque divorum auspiciis ministerio meo tibi traditam vehementer oramus, ut quanto sacrum collegium magnæ aræ propinquius aspicis, tanto potiorem ubique gentium honorem tuis antistitibus impendas, & veluti Jesus Dei hominisque medius huc evexit, ita sicut fas & æquum est, cleri & plebis rationem habe, & utriusque jus pro dignitate tuere. Vix ista dixerat cum sacer chorus ingentes Deo laudes gratiasque concinere cœpit.* Et infra: *Dum sacris insignibus initiabatur, nunquam se lachrymis abstinere potuit. Soluta concione reversus haud procul in suburbii tumulum accepto stricto gladio, quem Paulus præferebat, ad solis exortum & occasum, item ad meridiem & septentrionem pro defendendo regno, ter eo vibrato, bellum ex more interminatur.*

Gladius ter pro more evibratus ad quatuor partes mundi.

XIV. Albertus Polonus regnum affectat.

Interea Germani, Poloni, Turcæ, ipsique discordes Hungari Pannoniam laniare cœperant (*a*). Primus turbo erupit e Polonia præter expectationem: nam Joannes Albertus a patre Casimiro exercitu adjutus irrupit in Hungariam, ut fratri Wladislao, qui Beatricis Reginæ ope Budam receperat, regnum præriperet: qua fraterna dissensione usus Maximilianus Austriam repentina urbium defectione occupavit (*b*), cum enim se Hungariæ Regem diceret, Austriaci, qui Hungaris tantum Regibus parituros sacramento spoponderant, se illius religione solutos putarunt, si in Maximiliani fidem redirent: qui eo principatu auctus finitimas provincias Hungaricas invasit, ac Sempronio Vesprinio Sabaria potitus Albam regalem vi expugnavit sexagesimo die, postquam regni corona Wladislao incredibili cum gratulatione corona ibi imposita fuerat. Ad Budam deinde, serius tamen, oppugnandam impetum convertit; quam enim imparatam præsidio vel solo proximæ urbis calamitatis terrore opprimere potuisset, valida munitione Hungaricarumque legionum armis munitam tentare non ausus est, Germanorumque stipendia repetentium, atque imperata facere detrectantium, seditione compulsus in Austriam est reversus, exercituque in varias munitiones distributo, factiosorum signiferos variis suppliciis affecit, necnon Zagabriam aliaque castra qua vi qua deditione suorum opera recepit. Respiravit ejus discessu Wladislaus Hungariæ Bohemiæque Rex, atque in Albertum fratrem Cassoviam tum obsidentem contendit media hyeme, quem proximo vere sibi conciliasse fœdere visuri sumus.

(*a*) *Naucl. vol. 2. gen. 50. Bonfin. dec. 4. l. 10.*

Austria a Maximiliano recuperata.

(*b*) *Idem dec. 5. l. 1. Dubr. l. 31. & alii.*

Alba regalis ab eo subacta.

Stipendiorum penuria redire coactus in Austriam.

XV. Turcarum in Ung. excursiones.

Parte alia augebat terrorem Turca, qui Modrusiam usque per Croatiam quotidianas excursiones fecit (*c*), agrosque ferro & igni populabatur, neque ita multo post duo Albæ Græcæ propugnacula expugnavit, parumque abfuit quin urbs in barbarorum potestatem veniret, utque majores Pannoniæ iniiceret tumultus ad quadraginta Turcarum millia prædicto Joanni Corvino ad paternum regnum sibi asserendum submittenda paratum se obtulit (*d*) quamvis postea Christianorum intestina dissidia sedata fuerint. Cæterum ad ea consilia contianda concitatum Bajazethem ferunt, sumpta ex horrendo terræ motu, qui hoc anno Constantinopolim concussit, occasione, interpretantibus impostoribus (*e*), furere Mahometem ob diutinam Turcicæ adversus Christianos militiæ vacationem. Describit immanentem procellam, qua octingentæ domus eversæ magnam hominum multitudinem

(*c*) *Bonfin. eod. lib.*

(*d*) *Bonfin. dec. 4. l. 10.*

Matthiæ notho oblata a Turcis auxilia.

(*e*) *Dub. l. 31.*

op-

(a) Naucl. vol. 2. gen. 50. Sur. l. 20. ann. c. 83. Marian. l. 25. c. 15.

Terræ motus obortus Constantinopoli.

oppressere Nauclerus (a) sic inquiens : *Eodem anno*, hoc nimirum, *die duodecimo mensis julii tempestas ingens prius inaudita in urbe Constantinopolitana admodum desæviit, superiorum enim trium syderum ignes, qui decidui ad terras fulminum nomen habent, contagio nimii humoris in hanc regionem delapsi sunt : primo ingentia tonitrua audita : exin fulmina ardentia visa & longiore tractu fulgetra : octingentas domos ignis rerum edax consumpsit, hominum tria millia, ut nec lignum nec forma ædificiorum remanserit, columnæ antiquæ imaginem Constantini habentis partem ejecit*. At de his hactenus. Nunc ad sacrum in Granatenses Saracenos bellum traducenda est narratio.

XVI. Partarum superiore anno inclinante a Ferdinando Hispaniarum Rege victoriarum fama permotus Pontifex hoc ineunte Deo de Mauris perdomitis, amplificatoque Christiano imperio grates persolvit solemni ritu, quem Burchardus cæremoniarum præfectus ita describit (b) : MCCCCXC. *indictione* VIII. *die veneris prima mensis januarii festum circumcisionis domini nostri Jesu Christi pontificatus sanctissimi domini nostri Papæ Innocentii VIII. anno* VI. Et infra : *Sanctissimus dominus noster dixit mihi, quod dominica proxima iturus erat publice ad ecclesiam B. Mariæ de populo ad missam solemnem in honorem Dei pro triumpho per serenissimum Regem Hispaniæ habito contra Regem Granatæ, propterea provideram quæ agenda essent : nam in mane nativitatis domini nostri oratores Regis prædicti nuntiarunt eidem sanctissimo domino nostro Regem eundem Hispaniarum duas civitates magnas & duo oppida ex alterius Regis Granatæ videlicet præsenti unione obtinuisse*. Addit auctor formulam precum a se compositam, eamque decantato hymno, *Te Deum*, repetitam.

(b) Burchar. ms. arch. Vat. p. 938.

Actæ ab Innoc. numini gratiæ de partis ex Granatens. victoriis.

XVII. Habitaque etiam est coram Pontifice & Cardinalibus oratio (c) panegyrica, quæ typis cusa est, proposito themate sacro : *Hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra* ; atque ubi orator Hispaniam Vitizæ & Roderici Regum a pietate deficientium culpa ab Afris debellatam exposuit, illius imperium ex Mauris fide recuperatum probat, relatamque Bastæ expugnatione victoriam ita describit : *Post superiores gloriosos triumphos continuata expeditione processit anno* LXXXIX. nimirum excurrentis sæculi, *de mense junii ex Giennio ad castra gloriosissimus Ferdinandus validissimo comitatus exercitu, qui ad* XVI. *millia fere electissimorum equitum, peditum vero LX. millia ascendebat, his demptis, qui ad ministeria tormentorum & machinarum ac ducendos commeatus deputabantur. Primum in itinere ipso, extemplo (uno ut ita dicam spiritu) quinque non ignobilibus oppidis prope Bacam expugnatis, ad ipsius Bacæ civitatis obsidionem felicia castra tandem admovit. Concurrerat illuc universum pene robur militiæ Granatensis, nam & præter Bacæ indigenas prope seu millia electissimorum armatorum, omnes viri pugnacissimi, armis strenui, ac in regia Granatensi ab antiquo educati & nutriti, intra civitatis ambitum cum accolis se incluserant, tutaturi pro virili urbem tanquam ultimum vitæ præsidium, & totius regni oculum dexterum, nec carebat civitas naturali milite, nam & prope septem millibus armatorum de indigenis abundabat, civitasque ipsa triplici muro cincta, validissimis turribus & propugnaculis superba, iniquo loco ad obsidionem & offensionem sita, armis, victualibus, tormentis, & machinis refertissima, ac vicina duabus maximis civitatibus Maurorum, Granatensium videlicet & Guadixensium, quæ sibi quotidiana pollicebantur auxilia. Nostris hæc omnia difficilem victoriam portendebant, hostibus vero superbiendi animum dederant. Verum Ferdinandus catholicus fide armatus, quæ mundum vincit & regna, ac omnipotentis Dei confisus viribus, cujus causa agebatur, civitatem ipsam fossa profundissima & aggere circumdedit, ita ut hostibus introeundi & exeundi facultatem præcluderet nisi per determinatos pontes & passus, quos validissimæ munitiones a parte castrorum claudebant : ambitus vero fossæ, muri, & aggeris, quibus civitas cincta est, novem fere milliaribus in universo gyro tendebatur. Contigere interim varii conflictus bellici & cum Vacensibus, & cum vicinis Guadixensibus, ubi Rex illorum residebat, nec dies unica fuit totius obsidionis semestris, quæ variis actibus bellicis non sit decorata.*

(c) Ext. typis cusa Romæ.

Quantus a Ferd. exercitus eductus.

Baca quanto præsidio firmata.

XVIII. Auxit magnitudinem victoriæ temporum difficultas, cum in Hispaniam ac maxime Bœticam pestis invasisset, divisosque per villas, montes, & agros milites consumeret. Tum vero id mirum contigit, ut regia castra, quamvis ad ea ducenta fere animarum millia confluerent, salva fuerint protegente manu Dei, cui subest salus & vita cunctorum : Sterilis etiam annus erat, verum inopia Reginæ liberalitate victa est : *Movit*, inquit orator, *omnipotens Christianissimæ Reginæ Elizabeth pietatem immensam, quæ ex Giennio, ubi remanserat, viro & exercitui necessaria subministrans, jusserat officiariis suis, ut duplo minori pretio annonam in castris venderent, quam Corduba, Hispali, Giennii, vel Carthagine, unde subministra-*

Gesta in obsidione plura tumultuaria prælia.

Profusi a Regina Elisab. sumptus in hoc bello.

*strabantur commeatus, regio ærario emerent; & ultra hoc ingentes impensas deportationis, & vehiculorum profusis thesauris gratis impendebat. Quis dubitet hæc omnia manifestissima fore opera Altissimi, volentis nomen Crucifixi ibi exaltari, ubi diu ante per infideles fuerat depressum? His ergo & aliis subsidiis recreatus Hispanus exercitus, ac crebro supplemento novorum militum facile omnes labores longioris obsidionis toleravit, cumque sæpius nostri irruptionem in hostes fieri acclamarent, principis prudentia & inaudita clementia remorati sunt: intellexerat nempe Rex invictissimus per transfugas triginta mille fere rationales animas intra civitatem contineri, nec illis victum ad plures menses sufficere.*

Ad triginta Maurorum millia Bacæ inclusa.

Subdit orator maluisse Ferdinandum unius Christiani salutem servare, quam mille barbaros perdere, hostesque domare fame decrevisse, pronos autem ad deditionem Bacenses retardatos arte ac dolo ducis Maurici, qui Regis Guadixensis suppetias, procerum Hispanorum dissensiones, imbres, frigoraque imminentia, quibus Christiana vis frangenda esset, jactabat; sed Elisabethæ Reginæ adventu in desperationem conjectos: *Ne isti*, inquit, *retardarent victoriam, de Ferdinandi Regis Christianissimi consilio & assensu occurrere decrevit serenissima domina Regina Elisabeth descendens ex Giennio cum novo milite, applicuitque ad castra octava novembris, quæ adventu suo & nostris patientiæ hyemalis facile animum dedit, hostibus vero omnem spem levandæ obsidionis, sub qua tuebantur, ademit: quo fit, ut statim adventu suo consternati & stupidi hostium animi non de armis, sed de induciis & pactis cogitarent, incœperuntque deditionis tractatum die novembris* XI. *tertia videlicet post ipsius Reginæ adventum, concluserunt, viginti datis etiam obsidibus, ac quarta decembris die felicissima natalis Christiani MCCCCLXXXIX. civitatem Bacæ olim pugnacem & ferocem liberam & expeditam regiæ ditioni reliquerunt.*

Adventu Reginæ in castra perpulsi hostes.

*Concessit tamen regia clementia civibus Bacensibus libertatem incolendi & habitandi, sub regia tamen servitute, villas & agros in propinquis planis consistentes: cupientibus vero Africam vel alia loca petere cum his solum bonis, quæ humeris asportare potuissent, armisque dimissis libere facultatem permisit. Civitas quoque Purchenæ duorum millium civium, civitas Tabernarum mille, ac celebre oppidum Seron, antiquum Granatensium gymnasium, omnia montana de Vacares & de Filabres, ac universa ripa fluminis Almanzoræ cum multis oppidis, castris, & arcibus adjacentibus omnia hæc, quæ numero & extimatione multa & magna, immo & maxima sunt, a prima decembris usque ad octavam in regiam ditionem pervenerunt.*

Deditionem nuncupant. Multæ aliæ arces receptæ.

XIX. *Suscepit igitur Baza olim pugnacissima jugum & vexilla Crucifixi quarta decembris, ac die altera dimisit Christo sexcentos Christianos captivos, quos suæ duro servitutis jugo in compedibus diu illuc Mahometus oppresserat, ipsis in exitu cum lachrymis præ jubilo in processione solemni, cum magna sacerdotum pompa cantantibus. Benedictus dominus Deus Israel, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ. O optimam ac felicissimam Christianæ victoriæ, ac redemptionis diem! Nemo est, qui faciat satis tam justæ lætitiæ, & tam celeberrimo, ac jucundissimo Dei beneficio digne gratuletur. Quare habendæ sunt Deo optimo maximoque grates immensæ, quod ad finem usque juverit Christianissimos principes, ac intemeratæ divinæ parenti Mariæ semper virgini, nec non Hispanorum protectori Jacobo, quod apud Deum pro tam glorioso triumpho intercesserint. Juvandique sunt tam catholici principes communi Christianorum suffragio, cum & communem causam agant Christianæ reipublicæ. Verum præ cæteris sanctissimus dominus noster dominus Innocentius divina providentia Papa VIII. qui tamquam Christi vicarius & Christianorum caput gloriæ magnæ & honori sibi ascribere debet, prout certe facit, quidquid Christo & Christianis accrescit, & hanc diem Christiana lætitia summis jubilis celebrare debuit, prout superiore dominica fecit, & ad plures similes dies addendos & Christianæ victoriæ invitare catholicos principes debet. Equidem suæ beatitudini omnem gloriam & istius sancti trophæi honorem Christianissimi Hispaniarum principes plenissime deputant, tamquam capiti Christiano, sub quo omnis Christianorum militia agitur, & a quo suæ majestates cruciatam, decimam, & alias gratias ad eam expeditionem gratissime susceperunt. Vos quoque patres reverendissimi, tamquam præcipua membra Christianæ reipublicæ, prout soliti estis, & apud Deum oratione supplici, & apud sanctissimum dominum nostrum vestro interventu estote auxilio his Christianissimis principibus, quatenus ex universa Hispania Mahomete fugato, facile illum etiam in Africam fugientem consequamur: quod, assistente nobis fide integra, quæ est victoria vincens mundum, brevi futurum speramus præstante Christo Domino, cui est perennis gloria. Amen.* Gratiis ingentibus a Pontifice & Cardinalibus Numini pro tam insigni beneficio divino actis, mox de cumulata amplissimarum urbium Almeriæ, a cujus oppugnatione propul-

Liberati captivi Christiani.

Celebrata a Pont. triumphi lætitia.

Concepta spes de subicienda post Granatam Africa.

ſatum olim Jacobum Regem Aragonum vidimus (*a*), Guidixiique, nec non arcium ſua natura fortiſſimarum Almunevaris & Salembinæ deditione literæ laureatæ pervenerunt.

(*a*) *To.*15. *an.*1309. *n.*27.

XX. Prolatum latius a Ferd. imperium Christianum.

Cum vero in nonnullis urbibus, quæ Mahometanis eripiebantur, olim ſedes epiſcopales fuiſſent conſtitutæ, ac de limitibus diſtinguendarum diœceſum lites oborirentur, ne ſacramenta in pluribus locis conſerrentur, Innocentius Abulenſi epiſcopo hanc provinciam dedit (*b*): *Tibi, donec eccleſiæ Granatenſi de paſtore per ſedem Apoſtolicam proviſum ac declaratum fuerit, infra decem menſes ſub quibus diœceſibus loca prædicta*, nempe parta in regno Granatenſi, *conſiſtant, in ſpiritualibus authoritate apoſtolica & ex certa ſcientia tenore præſentium committimus, tibi per te vel alios catholicos epiſcopos gratiam & communionem dictæ ſedis habentes, quæ miniſterium conſecrationis expoſcunt, quæ vero juriſdictionis epiſcopalis exiſtunt, etiam per te vel alias perſonas eccleſiaſticas idoneas ad nutum tum amovibiles, exercendi, omniaque alia & ſingula circa ea neceſſaria quomodolibet & opportuna faciendi & diſponendi*, & infra, *plenam, liberam, & omnimodam facultatem concedimus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MCDLXXXX.* v. *non. julii pontificatus noſtri anno* VI.

(*b*) *Lib. bull.* 50. *p.*271.

Tributa a Pont. earum dirimendarum auctoritas.

XXI. Compleverat hæc Maurica clades ira & terrore Africæ & orientis Mahumeticæ ſuperſtitioni addictos Reges, quorum præcipuus Babylonius idemque Ægyptius Antonium Millanum Minoritam, qui ſacræ Jeroſolymorum ædi præerat, oratorem miſit in Hiſpanias (*c*), ut Ferdinando Regi denunciaret, ſe cunctos Chriſtianos in Ægypto Syriaque agentes, ac templa omnia & noſtræ religionis veſtigia deleturum, profanato etiam convulſoque ſacroſancto Chriſti ſepulchro, ni Granatenſes bello infeſtare deſineret. Quibus terriculis a conficienda Maurica expeditione, atque ſuſcepto de Granata expugnanda, quæ veluti cadaveris truncati informe caput ſtabat, conſilio abductus non eſt Ferdinandus, ac miſſo oratore Granatæ cives præmonuit, ut poſitis armis in deditionem venirent, urbemque Chriſtiano a quo divulſa olim fuerat, reſtituerent, imperio, cumque illi mandata hæc reſpuerent, (*d*) immiſſus eſt ad evaſtandos agros exercitus, oppreſſa Guidixii rebellium conjuratio, Boabdillis Regis conatus adeo fracti, ut demum Granata domita (*e*) proximo anno fuerit, adjuvante Pontifice, ac noxarum veniam ſacra arma gerentibus, ſtipemque in bellicos ſumptus conferentibus pollicente, de quo ad Fernandum Abulenſem & Alfonſum Legionenſem epiſcopos extat Innocentii diploma (*f*).

(*c*) *Sur. l.* 20. *c.*63. *Marian. l.*25. *c.*15.

Jactati ab Ægyptio terrores.

(*d*) *Sur. c.*85.

(*e*) *Sur. c.*87.

(*f*) *Inn. ep. comm. n.*1490. *l.*4. *p.*270.

XXII. Petrus Martyr orator miſſus ad Ægyptium.

Porro ad ſultanum Ægyptium miſſus eſt Petrus Martyr orator, qui illi referret (*g*) quo jure, quave de cauſa Mauri bello peterentur, doceretque humaniter cum iis agi, qui Chriſtiani imperii jugum ſuſcepiſſent, Offenſo etiam Neapolitano Regi, qui rei Mauricæ ſtudere ferebatur, expoſitæ cauſæ, quæ cruceſignatos in eorum excidium impuliſſent; quaſi etenim ille Chriſtianorum ſacrorum juriſque penitus ignarus eſſet, doceri flagitabat (*h*) cur cruceſignatus exercitus in eos educeretur. Pius etiam videri voluit ac religionis ſpecie tumultus in Eccleſia Dei concitare annifus eſt, ſumpta ex diſciplina eccleſiaſtica, quæ admodum collapſa erat occaſione quæ exaggerat pluribus Stephanus Infiſſura; conſtat enim plura perperam afficta Innocentio, quæ inconſulte a ſcriptoribus credita ſint cum latum a pontificio vicario ſacrum edictum pro honeſtate tuenda, abrogatum fuiſſe juſſu Innocentii perperam addit author (*i*), eundemque falſo inſimulat quaſi dixerit, privatim ſcortationem non vetitam, quod falſo affictum Innocentio ac temere creditum ab authoribus conſtat, cum antea ſacerdotes concubinarios in Hiſpaniis (*k*), nec non in Galliis illius imperiis coercitos viderimus, quamvis enim juvenili licentia dum ferveret ſanguis, in libidinum cœnum lapſus fuerit, a fidei tamen puritate non aberravit, atque ipſo anno integritatis morum aſſertorem ſe præbuit, cum moniales, quæ valetudinis recuperandæ ſpecie in parentum ædibus ſoluta diſciplina verſabantur, ad monaſteria reduci (*l*), ac Minoritas in Ungaria a primæva ſanctimonia deficientes priſtinis inſtitutis ac legibus coerceri (*m*) imperavit, Falſo pariter vulgata Raphael Volaterranus (*n*) temere ſcripſit, Norwegis permiſiſſe ſine vino calicem conſecrare, quod ob immenſa frigora vinum in ea regione importatum aceſceret: ſi qua enim de his, uti de conjugio ſacerdoti Gallo permiſſo, edita ſunt diplomata, ea adulterina fuere a Dominico Viterbienſi & Franciſco Maldente confecta, quos quamvis ſexdecim aureorum millibus, præter omnia fiſco addicta bona, conſanguinei redimere adhibitis magnis deprecatoribus anniterentur, ſtrangulari tamen laqueo, & igni concremari juſſit (*o*), ut illatam ſibi labem elueret, quantumvis in miſeros uti clementia peroptaſſet.

(*g*) *Sup. c.*83.

(*h*) *Id. ib.*

Calumniæ ſparſæ Innocentio.

(*i*) *Lit. commun. anno* 1488. *p.* 25.

(*k*) *L.* 3. *ep. com. an.*1488. *p.*167.

(*l*) *L.*4. *lit. com. p.* 58.

(*m*) *Ib. p.* 413.

(*n*) *Volat. l.*7.

Sumptum de adulteratoribus diplomatum ſupplicium.

(*o*) *Infiſſ. mſ. arch. Vat. & ex eo Vialar. in vit. Inn. VIII.*

XXIII. Sodalitium e miſericordia nuncupatum inſtitutum.

Confirmata (*p*) hoc anno eſt ab Innocentio x. kal. ſeptembris pia ſocietas nuper Romæ inſtituta, quæ a miſericordia no-

(*p*) *Ext. in bull. in Inn. VIII. conſt.* 16.

nomen sumpsit, curandamque æternam eorum salutem, qui extremo supplicio afficiendi sunt, suscipit, ac sacerdotem ad conferenda morituris sacramenta, necnon ad corpora ecclesiasticæ sepulturæ tradenda conducit: quinetiam ipsi quamvis laici religioso velati schemate piis verbis miseros reos ad constantiam Christianam erigere, ut mortem pro scelerum expiatione perferant, ac vitæ fugientis reliquiis sibi comparent immortalitatem, eosdemque instructo sacro agmine Christi e cruce pendentis effigiem præferentes funebri concentu Dei sanctorumque opem discessuræ ex humanis animæ comprecari, sociareque ad locum supplicii ac sepulcro pie mandare consueverunt.

XXIV. Exeunte anno (a) Joannes Lusitaniæ Rex in Ulissiponensi portu classem trium navium majoris alvei præfecto Gonsalvo Sousa instrui jussit, ad sacerdotes subvehendos, qui regno Congi sacra Christiana illaturi erant, nec non Regis Congi oratorem biennio ante baptismo lustratum, tum adolescentes præstantis indolis, qui lingua Lusitana, nostræque religionis mysteriis apprime eruditi fuerant, ut sermonum administri inter evangelicos præcones atque occiduos Æthiopas gentilitiis erroribus involutos forent. Laborabat tum pestilentiæ morbo Lusitania, nec tanta adhiberi cura potuit, quin aliqui e classiariis inficerentur adeo, ut in promontorio viridi circumagendo Gonsalvus Sousa, cui classis imperium erat mandatum, Joannes Sousa regius orator, aliique viri insignes perierint, magnusque terror navigantes invaserit, ne universi alii post alios interirent. Auxit periculum discordia, cum plures navarchi classis præfecturam exambirent: demum Ruizio Sosæ delatus honos est Deique ope liberati lue, felicibus auris ad regnum Congi appulerunt. Ut vero Christiana religio in ea Æthiopiæ parte defixa altissimis radicibus fuerit proximo anno dicetur.

(a) Jo. Barros dec. 1. Asia l. 3. c. 9. Osor. l. 3.

Lusitani sacerdotes ad Congitanos devehunt.

In mari laborant peste.

Liberati divinitus.



NOTÆ [1] HOc anno Salisburgensis tota provincia convenit in concilium Salisburgum die XIX. octobris. Hujus concilii acta ex Lunigii Spicilegio in postrema Veneto-Labbeana conciliorum collectione repræsentantur, ex quibus nonnulla nova forte & minus explorata libare hic censeo opportunum, cum alioqui adnotationes ad emendandos Annalistæ lapsus hoc anno nullæ alicujus momenti occurrant. In quodam ejus canone cujus exordium: *Cupientes affectum devotionis &c.* edicitur singularum parœciarum Sacerdotes singulis diebus dominicis conveniant in Ecclesiam, ut solemnem lustralis aquæ & salis consecrationem præstent, qua occasione invitari monet populum, ut templum ipsum consueto in supplicationibus more cum ipsis sacerdotibus circumeat. Qui sane ritus singularis est & animadversione non indignus. Authoritate Concilii Basileensis in decretis suis edendis persæpe patres synodi hujus utuntur, ex quo de authoritate ejus concilii apud Germanos argumentum deducitur. Denique constitutio Martini promulgata Constantiæ anno pontificatus primo die XIV. Kal. januarii palam in concilio lecta & promulgata est. Porro ea constitutione confirmantur leges quædam Frederici II. & Caroli IV. imperatorum de clericorum immunitate, de tuto locorum sacrorum asylo aliisque ecclesiasticæ libertatis juribus. Has leges primo quidem Constantiense concilium approbaverat & admiserat. Dein Martinus V. inter alia concilii hujus statuta, ea pariter quæ ad confirmationem earum legum spectant, authoritate sua rata habuit, ita tamen ut bullam ea de re daret, in qua statuti concilii Constantiensis ne meminit quidem. Hanc Martini bullam nec in actis nec in appendice documentorum ad concilium Constantiense pertinentium apud Labbeum uspiam legi. Quare ex hoc primum concilio innotescere opinor. Demum Basileenses patres eas pariter imperiales leges confirmarunt edita constitutione legenda apud Labbeum in appendice I. ad concilium illud num. XXXI. Quæ prorsus ipsa est ad verbum constitutio Martini V. resecto pontificis nomine & Concilii Basileensis titulo substituto. Ex quo Basileensium illorum audaciam mirere, qui editam sub pontificis Romani nomine constitutionem tanquam minoris esset authoritatis, ut majorem obtineret concilii nomine promulgandam censuerunt.

Hactenus de concilio ab Annalista omisso. Modo vero pauca quædam in annalibus emendanda sive illustranda sunt. Matthias Hungariæ rex, nec die mercurii, nec die martis obiit. Cum enim nonis aprilis anni hujus decesserit; die lunæ, quæ cum die illa mensis eo anno componebatur, obiisse necesse est.

Ad num. XXIII. scribit Annalista sodalitium misericordiæ hoc anno pontificio diplomate confirmationem obtinuisse. Cœpit tamen illud præcedenti anno ut adnotat Romanus in diario vulgato Rer. Ital. tom. III. part. II. ubi tamen mendo sive MS. codicis sive typothetæ rebus anni 1489. per errorem annus 1488. præfixus est. MANSI

I. (a) Inst. mss. arch. Vat. sign. n.111. & alii. Ælius Ant. Nebris. in praef. dec. 2. Luc. Mar. l.20. Sur. l. 20. c.8. & seq. Marian. l.25. c. ult. Paul. Lang. in chron. Citez. Trith. in chron. Spanh. Bosius p. 2. l.14. Volat. l.2. Sabell. enn. 10. l. 8. & alii.

ANno excurrentis sæculi nonagesimo primo indictione nona convulsum est ex Hispania Mauricum regnum, (a) quod magno religionis dedecore, cum ad illud Christianorum colluvies patria sacra damnatura confluere soleret, octingentis ferme annis steterat, ac demum Granata superstitionis Mahumeticæ in occidente arx, in quam toties exercitus Afer ferrum facesque immanissimis eruptionibus per Hispanias tot sæculis circumtulerat, octimestri obsidione ad deditionem compulsa fuit, Ferdinandi & Elisabethæ virtute ac fœlicitate: *Res titulo*, inquit Nauclerus, *sane dignissima, & literis aureis scribenda: his authoribus Bethicam Granatæ regnum, quod jam octingentis ferme annis Maurorum moribus & legibus obtemperabat cum maxima Christiani nominis ignominia, hac nostra ætate fuisse recuperatam.*

II. Excisum ex Hispania Maurorum imperium. Florebat tum maxime cum expugnari cœptum est. Primi intule ant bellum Christianis. Quis bellatorum numerus contrahi ab his solitus. Vectigalium regiorum opulentia.

Auxit vero reportati de Mauris excisis triumphi gloriam, quod observat Ælius Antonius Nebrissiensis, nempe nunquam barbarorum ipsorum res auctiores militum numero, robore, & exercitatione, armorum opumque ad stipendia persolvenda vi fuisse, quam cum hoc bellum cœptum est; quippe qui ea freti audacia induciarum fidem violarint, ut insitam sævitiam Christiano cruore explerent. Describit Mauricæ potentiæ statum idem author: *Ad septies*, inquit, *mille stipendiarios equites e publico in belli procinctu semper habebant, præter evocatorum gregariorumque innumeram multitudinem, nam peditum tantus erat numerus, ut Granata ipsa in medio totius regni situ posita, neque ad bellicos tumultus parata, uti ferebatur, solita sit per singulas urbis portas, quæ numero erant septem, ferentariorum sagittariorumque ternos millenos effundere viros. Quod vero ad publica vectigalia pertinet ad stipendia militum persolvenda, arces muniendas, machinas aptandas, aliaque ad tantum bellum necessaria, si quis tractus illius angustias & soli malignitatem, præruptaque montium consideret, incredibile quod sum dicturus videbitur: dicam tamen nihilominus: septies centum mille aureos patrios Regi suo Granatæ regnum quotannis pendebat, qui numerus ratione ponderis in ducales nostros aureos in decies centum mille excrescit, &c.* Pergit narrare quibus rationibus barbaricus census augeretur. At hæ tantæ opes viresque exhaustæ duorum Maurorum Regum discordia, qua usus Ferdinandus cum omnes maritimos portus occupasset, ne ex Africa auxilia venirent, cum alias arces fere omnes subegisset, Granatam tanquam collisi serpentis minax caput hujus anni appetente vere conterere paravit, de qua ultima expeditione hæc narrat Joannes Mariana (b).

Obsessa Granata. (b) Marian. l.25. c.16.

III.

*Hyeme Hispali exacta Reges Ferdinandus Isabellaque bellum repetunt. Ad Alcalam regalem Regina cum filiis restitit ad omnes casus parata, brevique iisdemque vestigiis secutura gloriæ & periculi futura particeps. Ferdinandus procerum adventu & militum, quos urbium conventus suit stipendiis submittebant, aucto exercitu trinis castris in Granatæ conspectum sabbato ad nonum Kal. maii salutis anno MCDXCI. ad Guetaris, id pago nomen est, sexto ab urbe lapide scaturigines cum ventum esset, ex iis locis Villenæ marchionem, & tria equitum millia in vicinos montes prædatum mittit.* Et infra: *Quinquaginta millia militum erant, quinta equitum parte, Hispanæ juventutis flos ingenti delectu contractæ, vivida virtus vigensque.* Inde nunquam efferre pedem nisi debellata Granata Ferdinandus & Elisabetha decrevere, urbemque novam, in qua exercitus tuto hybernaret, condidere. Designata est quadrangulari forma imposito Sanctæ fidei nomine. Quod cum fama & auditione accepisset Innocentius divinæ gloriæ amplificandæ cupidus, spontaneo instinctu motus amplissimis muneribus sacris eos affecit (c), qui Ferdinando Regi subsidia præstarent hac de causa.

Quinquaginta millia militum adducta a Ferd.

(c) Lib. 60. bull. p. 134.

*Ad futuram rei memoriam.*

IV.

*Cum, sicut evidentia rei jam demonstrat ac toti jam pene orbi notissimum est, Rex & Regina præfati* (nimirum Ferdinandus & Elisabeth) *ut veri catholici Reges & principes suorum progenitorum, qui non sine maximis impensis suaque, & subditorum suorum sanguinis effusione, multas insulas, terras, atque portus a spurcissimis Saracenis & aliis infidelibus occupatas ad catholicam fidem reduxerunt, & ab eorum tyrannide recuperarunt, vestigia secuti adversus ipsos Saracenos regni Granatæ, ut illos etiam ad fidem ipsam reducant, ex innata eorum erga Christianam religionem devotione, ac ferventissimo zelo domus Dei a longo tempore citra bellum hujusmodi cœperint, & contra ipsos Saracenos arma forti constantique animo susceperint, & jam pene totum ipsum regnum Granatæ, excepta ipsa civitate Granatæ cum nonnullis aliis parvis locis non sine etiam maxima Christiani sanguinis effusione, & eorundem Regis & Reginæ ob insidias ab ipsis perfidis Saracenis sæpius in eos paratas & conjurationes factas vitæ periculis*

De bello Maurico suscepto a Castellæ Regibus.

Paratæ iis a barbaris plures insidiæ.

*lis, ab eorum tyrannide recuperaverint, & eorum ditionem subegerint, ac quamplurimos Christifideles, qui longo tempore in durissima servitute ab ipsis Saracenis detenti fuerant, ab hujusmodi servitute liberaverint, quod si forsitan non fuisset, profecto dubitandum erat, ne præ nimia desperatione fidem abnegare cogerentur, ac anno præsenti in obsidione ipsius civitatis Granatæ, quæ fortissima & ingenti populo ac bellicosis viris, & machinarum apparatibus munitissima existit, quam continue, nullis laboribus nullisve periculis parcendo, obsessam tenuerunt, prout tenent, ac in ædificatione cujusdam munitissimæ & inexpugnabilis civitatis, quam miro quodam & celerrimo opere ante ipsam civitatem Granatæ ad illius totalem expugnationem sub denominatione sanctæ fidei construi fecerint, ac in devastatione agrorum dictæ civitatis Granatæ maximas & intolerabiles impensas subierint, nec unquam ipse Rex & Regina cessent, ut rem ipsam cum tanta fidei nostræ exaltatione ad finem debitum perducere possint, & jam forsan res ipsa ad totalem perducta fuisset effectum, si Regis & Reginæ præfatorum facultates ad tantam rei molem perferendam suppetiissent, &c.* Subdit Innocentius tantam esse illius Maurici belli molem, ut non tantum profundendæ opes sint a fidelibus, sed etiam fundendus sanguis ad Christi fidem propugnandam. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno MCCCCXCI. kal. octobris pontificatus nostri anno* VIII.

Civitas sanctæ fidei ante Granatam constructa a Ferdinando.

V.

Multa prælia gesta. In iis Granatenses cæsi.

Structa est urbs Sanctæ fidei Mahumetismum a Granata excisura rapido opere, mœnibus, turribus, fossis, aggeribus, vallo, munita finitimorum populorum diligentissimis laboribus, nec minora edita fuere fortitudinis exempla in propulsandis Granatensibus, qui crebris eruptionibus ad disturbandum opus irruebant præcipites, de quibus variæ strages editæ, adeo ut ex equorum fere quinque millibus vix trecenti superfuerint: *Quæ res*, inquit Lucius Marinæus Siculus (a), *Granatensi bello finem invenit, Granatæ namque Rex Boabdelis suis equitibus amissis, & civitatibus quatuordecim, centumque oppidis a Christianis expugnatis & captis, atque depopulatis agris, cum intra Granatæ muros ingentem multitudinem & hominum millia fere ducenta sine commeatibus alere non posset, & omni spe subsidii destitutus de facienda deditione cogitavit.* Terrebat ipsum extructa nova civitas e qua Reges Christiani nisi victa Granata recessuri non essent, atque in ea duodecim equitum, peditum centum millia numerari audiebat (b). Quamobrem deditionem

Ducenta Maurorum millia Granatæ inclusa. Deditionis verba ab his nuncupata.

(a) *Marinæus Sicul. l. 20. Surit. l. 20. c. 87. vid. ibi & seq. plura de Gran. stre pugnæ.*

(b) *Id. ib.*

fecit iis pactionibus (c), ut Mauri urbem & munitiones Ferdinando traderent: possessiones suas patriamque superstitionem retinerent: Mauricis viverent legibus, denique iis, qui in Africam trajicere vellent, sua divendere & libere migrare fas esset integri triennii decursu: Christiani vero, qui in barbarici carceris squallore jacuerant, inde liberi emitterentur. Hanc concordiæ formulam Maurus superstitionis Mahumeticæ opinione apud suos conspicuus disturbare conatus est, inque suam factionem viginti hominum millia traxit: mobilitate quippe vulgus Mauricum in varias versari partes distrahique solet: verum fame aliisque belli incommodis attriti subdenda victoris jugo imperioque colla consenserunt, atque ita proximo ineunte anno maxima cum rei Christianæ gloria Granata, ut videbimus, fuit recepta.

(c) *Sur. ann. l. 20. c. 90. Mariam. l. 25. c. 16. & 17.*

Has disturbare impostor molitus. Fame domiti Mauri.

VI.

Propagavit interea hoc anno apud occidentales Æthiopas divina pietas evangelium, apud quos nulla religionis Christianæ illis illatæ extabant vestigia: cujus populi a veteri dæmonum superstitione ad divinum cultum traducti circumstantias rei inter alios accurate describit Joannes Barrolius (d). Lusitana classis, quæ extremo anno superiori Ulissipone solverat, mox atque ad regni Congo provinciam, cui Sono nomen est, applicuit, illius princeps Regis patruus ætate affectus cognito divino instinctu præconum evangelicorum appulsu, magna nobilium stipatus caterva festo buccinarum clangore tympanorumque sonitu venientes ingenti lætitia excepit, & Christiani Æthiopis interpretis opera imbutus sacrorum Christi cognitione salutaribus aquis ablui postulavit, ne in eo ætatis flexu sibi quid humanitus accideret, tantoque beneficio, quo se a Deo affici sentiebat, extracta mora fraudaretur, dum sacerdotes ad Congi Regem irent redirentve. Assensit piis ejus votis Ruizius Soaa, & in æquata planitie ex ramis arborum ædes sacra contexta est, in qua posita tria altaria decentissimo ornatu rite instructa: cui sancto operi omnes principis Sono filii dignitateque spectatissimi viri interfuere, quos ipse baptismali fonte lustrandus pia oratione, quam Spiritus Sanctus suggerere videbatur, allocutus, divinam misericordiam extulit, quæ cœlestem doctrinam parituram æternam salutem ad regnum Congi demisisset, addiditque a se Christiana sacra ob grave senium suscipi antequam Rex cœlesti lavacro expiaretur; tum etiam velle se, ut filius tenellus annis una cum ipso iisdem sacris initiaretur, cum ætatis imbecillitas, ne ea poscere posset,

(d) *Barros. dec. 1. Asiæ l. 3. c. 9. Oros. l. 1. Masseius.*

Præcones evangelici quanto gaudio a Congitanis suscepti.

Princeps Sono poscit baptismum.

ob-

obſtaret. Quibus auditis filius natu maximus principatus heres ſe etiam baptiſmo luſtrari popoſcit, ſed id beneficium conſulto extractum, ut Congi Rex prius illius honoris prærogativa gauderet.

VII. Vigintiquinque millia Æthiopum celebrati inteſint.

Celebrata eſt ea baptiſmalis principis Sono pompa die paſchæ, quæ in tertium aprilis, excurrentis anni MCDXCI. incidit, cui vigintiquinque millia & eo amplius Æthiopum interfuere, qui principis ſui exemplum ſecuti baptiſmalia ſacra ſuſcepiſſent, niſi eadem cauſa, qua ejus filius, retardati fuiſſent. Inditum eſt Sonitarum regulo Emmanuelis nomen, quod Regis Luſitani frater patruelis gerebat, cujus rei fama ubi ad Congi Regis aures pervenit, tantam illi lætitiam attulit ut littoream oram leucarum triginta intervallo exporrectam ipſi contulerit. Rerum vero divinarum ſtudio adeo inflammatus eſt Emmanuel, ut ſacerdotum amplexus conſilium, omnia idola, quæ in ſuo principatu erant ſolemni celebritate combuſſerit, tantaque pietatis ſigna ex ipſo emicuerint, dum ſacra myſteria in ea ædicula raptim excitata ramis arborum contexta peragebantur, ut ſacramenti baptiſmi vim maximam percepiſſe oſtenderet: ſuæque percupidus ſalutis de divinis rebus varia percontabatur, quo in extremo ætatis flexu apud Deum gratiam iniret, cum reliquos annos in dæmonum cultu contriviſſet.

Idola exuſta.

VIII. Æthiopum mira pietas erga Chriſtianos ſacerdotes.

Proficiſcentibus ad Regem Congi ſacerdotibus Chriſti, inter barbaros exorta pia contentio eſt de honoris apice in geſtandis ſacro ornatu ac vaſis ad rem divinam peragendam neceſſariis, quam ſuppellectilem ſanctam appellabant, jumentorum enim in iis terris inopia onera imponebant capiti. Antequam ad Ambaſſem Congi regiam urbem pervenirent præcones evangelici, inſtructa officii erga paganorum agmina obviam prodiere, quorum feſtivo cantu omnia circum loca perſonabant: Rex in alto ſuggeſtu inſidens ſolio præaltam mithram cultu Æthiopico in capite geſtans, ſiniſtrum humerum monili æneo ornatus, dextro regium inſigne præferebat, a præcordiis furſum gentis more nudatus, ima vero bombycina veſte tectus, venientes præſtolabatur, excepitque lætus, ac de baptiſmo verbis factis, ſacerdotum ornamenta, quæ involuta erant, explicari percupivit: inter quæ cum effigies Chriſti e cruce pendentis producta eſſet, ac noſtri Chriſtum in ſigno adoraturi procubuiſſent in genua, barbari eadem pietatis æmulatione corpora provolvere: quæ vero cruce & alio ſacro ornatu divina myſteria adumbrarentur ſignificata ſunt, nec Rex diu noctuque inquirendi de rebus divinis modum faciebat. Lapſis aliquot diebus in populo illa Chriſtiana religione erudiendis conſumptis, Joannes ordinis Prædicatorum, qui aliis ſacerdotibus præerat, ac Ruizius Soza orator Luſitanus eccleſiam Deo optimo maximo ponendam decreverunt, in quo perficiendo opere tantis ſtudiis deſudatum eſt a Congitanis, qui inter ſe onera diviſerant, ut cum ſacerdotes vigeſima nona aprilis die Ambaſſem ingreſſi eſſent, tertia maii primum ſaxum fundamento ſuppoſitum fuerit, ac prima junii templum poſtea epiſcopali dignitate inſignitum perfectum ſit, atque inventionis S. Crucis nomine conſecratum. Quo vero die primum eccleſiæ ſaxum jecerunt, Rex Congi baptiſmi ſacramento fuit renatus, eique Joannis nomen, quod Luſitanus Rex tam pii author operis gerebat impoſitum: ſex etiam principes una cum Rege ſacro latice intincti, centumque, & eo amplius animarum millia Eccleſiæ aggregata fuerunt.

Cultus Regum Æthiopiæ occid.

Diſcendarum rerum divinarum mira aviditas in Rege.

Condita prima eccleſia in regno Congitano.

IX.

Concurrerant ii populi noſtrorum adventu pellecti, tum belli, quod in Mundequetas inſularum, quas Zairus fluvius per regnum Congi decurrens effecit, accolas rebellantes parabatur, fama Regiſque imperio commoti. Ad quos perdomandos cum Rex arma ocyus expediret, plurimi apparatus, qui in baptiſmali Regis pompa faciendi erant, fuere intermiſſi. Proficiſcenti ad bellum in rebelles Regis Ruizius Soza vexillum crucis effigie illuſtratum conceſſumque ab Innocentio Papa, ut in bello adverſus impias gentes præferretur e manu tradidit, monuitque, ut confideret, virtute crucis victoriam de hoſtibus ſe relaturum. At Regina abeuntem Regem conſpicata, dolenſque Joannem præconum evangelicorum principem cum aliquot ſociis contracto ex cœlo æſtuoſo morbo extinctum, expectare abnuit, ut poſt confectam in hoſtes expeditionem Chriſto nomen daret; ſed confeſtim illius ſacris imbui percupiens Leonoræ nomen, quod habebat Regina Luſitana, in baptiſmali lavacro accepit. Nec feſellit Regem Congi ſpes, quam in Chriſto collocavit, glorioſam enim ac facilem victoriam eſt conſecutus: quem adeo præpotentem Luſitani aliquot, qui eum ſtipavere, ajunt, ut octoginta millia hominum ſub ſignis numeraret. Rediturus in Luſitaniam Ruizius Soza quinque religioſos ſacerdotes, e quibus Antonius ſociis præerat, reliquit ad fidem Chriſti latius diſſeminandam, a quibus adeo feliciter navata opera eſt, ut religio in Congi regno maxime effloruerit præcipuis Alfonſi Regis filii natu maximi

Vexillum crucis effigie coruſcum datum Regi contra rebelles.

Regina baptiſmo luſtrata.

Parta de hoſtibus victoria præclaro crucis vexillo.

au-

Regis Congitani filius nomen Christo dat.

(a) Jo. Barro l. 3. c. 10. & Oros. l. 2.

Plures ad Christum allicit.

auspiciis, qui reversus ex regni finibus, in quibus adversus finitimos bellum gerebat, sacrum baptisma in Ambassensi ecclesia, Alfonsique nomen quod filii erat Lusitani Regis, suscepit (a), magnamque procerum multitudinem, & alios, qui ad visendam sacram celebritatem confluxerant, veri Dei cultum pellexit. Ut vero ejus fratris gentilitiis superstitionibus irretiti opera dæmon nascentem Congitanam ecclesiam veluti in cunis præfocare annisus sit, dicetur inferius (b).

(b) Tom. ann. 1521.

Jalophi Æthiopiæ occid. populi.

X. Affulsit etiam non exigua inferendi Jalophis Æthiopiæ occidentalis populis Congi finitimis, qui Gambea & Zanaga fluminibus perluuntur, evangelii spes, quæ funesto postea exitu abrupta est, eorum enim Rex Bemornus, qui antea Christianos advenas amice perhumaniterque tractabat, cum suas opes eorum commerciis augeri cerneret, regno pulsus propinquorum insidiis, in Lusitaniam perfugit, ut Christianis armis regno restitueretur, atque hoc anno Christo nomen dedit, ac baptismo fuit lustratus, & Innocentio VIII. per literas obedientiam detulit, ut refert Maffæus (c): *Baptizari*, inquit, *cum suis*, ii erant viri nobiles, ad quinque & viginti, *& Joannem de Regis nomine se dici voluit. Celebratum est mysterium tertio nonas novembris anno post Christum natum millesimo quadringentesimo nonagesimo primo mira pontificum & procerum gratulatione & frequentia*, & infra: *Neophytus Romano Pontifici per supplices literas rite obedientiam detulit, idemque in Lusitaniæ Regis ditionem, jure beneficiario ac voluntaria deditione concessit ac se modo amissam reciperet, Lusitanis ad interiores Libyæ Reges ac pretiosa metalla ducem fore professus* est. Instructa est Lusitana classis viginti navium validarum ad eum in solium suum restituendum, in eamque, præter nautas & propugnatores, etiam evangelici præcones ad cœlesti doctrina imbuendos barbaros impositi: sed dum ad Zanagæ ripam classis manebat, arxque exædificabatur, Petrus Vasæus classis præfectus Jalolphum Regem ferro confodit sive perfidia suspicionibusque incitatus, sive iracundia exardescens ob crebra Lusitanorum cæli solique gravitate pereuntium funera: ita magnæ spes de amplificanda fide ad irritum cecidere. Penetrare per eas terras ad Abyssinorum Regem Christianum optabar Lusitanus, sed ob interjacentes vastas solitudines non potuit. Ut vero superato promontorio Africæ in Austrum procurrente juncta cum iis societas fuerit, suo loco dicetur: nunc ad Europæas res traducendus est sermo.

(c) Maffæus lib. 1.

Eorum Rex baptismo lustratus in Lusit.

Missa classis a Lusit. ad eum regno restituendum.

Jalophorum Rex misere necatus.

(d) Bonfin. dec. 5. l. 1. Crom. l. 29. Dubr. l. 31. & alii.

XI. Ardebar (d) multiplici bello externo internoque Hungaria, qua occasione Turca ad eam opprimendam incurrit. Itaque Christiani principes ab Wladislao Hungariæ & Bohemiæ Rege pacandi fuere, ut deinde armorum molem adversus communem hostem omnibus formidandum converteret. In primis Albertum fratrem facto de pace colloquio VIII. kal. martii sibi conciliavit, traditis illi quibusdam Silesiæ urbibus, & vectigali nummario: cum etiam episcopi Varadiensis opera adversi Hungarorum & Polonorum exercitus sese fœdere junxerunt. Persunctus Polonico bello Wladislaus, adversus Maximilianum Romanorum Regem ad repetendas ab eo Hungaricas urbes contendit. Potitus ille Hamburgi arce fuerat, atque ad Viennam Bohemicum exercitum fuderat (e): eumque a patre Friderico, qui Austria contentus abstinendum a Pannonia censebat, militaria stipendia impetrare non potuisset, Germanorum principum conventum apud Vindelicos coegerat: sed ii primarium imperii principem Regem Bohemiæ bello petendum negarunt, qua occasione auctus Wladislaus Vesprimінium, Sabariamque & Albam regalem XIV. septembris ditione recuperavit. Adhibita præterea est a Casimiro Rege Poloniæ pontificia authoritas ad Maximiliani Wladislaique lites componendas: *Casimirus Regis pater*, inquit Bonfinius (f), *Poloniæ Rex legatos alios ad Fridericum Imperatorem & Maximilianum filium misit, qui eos orarent, ne Hungariæ bellum inferre, & Wladislaum filium suum Regem Hungariæ rite coronatum armis persequi vellent, seque si id facere perrexissent, illorum injurias non neglecturum: decrevit alios ad Innocentium Pontificem maximum, qui cum obtestarentur, ut ipse ore suo apostolicique senatus authoritate Wladislaum Hungariæ Regem creatum confirmaret, competitoresque regni ab armis adversus eum ferendis deterreret.*

Turcæ Ungariam infestant.

Polonus cum Ungaru conciliatus.

(e) Bonfin. sup. l. 1. & lib. 2.

Tentata a Maximiliano Ungaria.

Alba regalis ab Wladislao recuperata.

Actum de pace inter Maximilian. & Wald.

(f) Bonfin. dec. 5. l. 2.

In congressum eum venissent legati Regum vix concordiæ rationes explicare poterant, quod Maximilianus soli tantum Wladislao ob sanguinis conjunctionem Hungarici regni jure se cessurum affirmabat. Demum cum Hungariam Turca discerperet ob Christianorum dissidia, atque etiam Albertus ob fratris imbecillem valetudinem res novaret, Maximilianus etiam Suevorum opera Moraviam infestaret, pax his legibus ab Hungaris mense novembri admissa: *Re*, inquit Bonfinius (g), *diu multumque agitata, tandem ex Regis authoritate his legibus est transacta: uti pacta cum Matthia Rege de restituenda corona inita renovarentur, ut regnum Hungariæ ad Maximilianum, aut eo mortuo ad le-* XII.

(g) Id. ib.

Quibus legibus sancita.

*legitimos ejus heredes recideret, si Wladislaus sine filiis legitimis decessisset: interea, ut regni titulus penes ambos resideret: ut pro belli superioris impensis Wladislaus Maximiliano centies mille nummum aureum penderet; ne summi honores ulli, ut duumviratus, sacri diadematis, palatinatus, ut munia tam sacra quam profana & provinciarum præfecturæ, nisi interposita amborum authoritate, & jurejurando utrique dato, capi possent: ut eosdem uterque amicos, rebelles, hostesque haberet, jureque societatis alter alterum bello juvaret, Hungaros Germanosque eodem loco atque honore haberet: ne Hungaris ullis fraudi esset, quod ad Maximilianum se contulissent, neque ulla aut nota aut pœna affici propterea possent, sed bonis suis, quæ publicata fuerunt, restitutis eodem, quo fideles loco ducerentur & essent. Ad postremum ut omnes antistites & metropolitæ, proceres, præsides, legatique, & civitates cum universa nobilitate legatis Maximiliani præsentibus se has fœderis leges inviolatas in perpetuum cum sua posteritate servaturos juravent. Pax populo, his tamen suppressis conditionibus in magna omnium expectatione, renuntiata est.* Has pactiones ægre tulere nonnulli Hungari; cum tamen Hungaria mox illius concordiæ beneficio e maximis malis erepta sit, quippe versis in Albertum, qui bellum redintegrarat, armis is tandem victus acie pacem admittere, atque receptis captivis impedimentisque cedere Pannonia coactus est.

Albertus Ungaria cedere coactus.

XIII. Sublata vero intestina Hungariæ bella Romani Pontificis studio & solicitudine indicat Vialardus (*a*), qui ex apostolicis diplomatibus tradit Cardinalem Reginum in Hungariam, Poloniam, Prussiam, Russiamque amplissima authoritate instructum decretum fuisse legatum e latere, ut sacrum in Turcas bellum urgeret,. communi namque Pontificis ac Regum consilio constitutum erat, ut duo validissimi exercitus terrestres in Bajazethem educerentur, quorum alteri ex Hungaris, Bohemis, Polonis, Valachis, Prussis, Lituanis, Russis conflato Wladislaus Rex summo eum imperio præesset, cui a Pontifice adjungendus erat legatus apostolicus, atque in Bulgariam Thraciamque irrumperet: alterum vero Maximilianus Romanorum Rex ex Germanis, Danis, Belgis, Burgundionibus, Gallisque voluntariis colligendum ductaret, socialibusque cum Wladislao armis per finitimas barbarorum provincias irrueret: at vero classis florentissima instruenda erat in portu Veneto, atque subsidiariis Anglorum, Scotorum, Hispanorum, Gallorum, Italorumque principum navibus appartibusque bellicis munienda & augenda, eaque ingentes peditum equitumque copiæ transportandæ erant, cujus imperium vel a Carolo Francorum, vel Henrico Anglorum, vel Ferdinando Hispaniarum Rege susciperetur. Illi Innocentius pluribus Cardinalibus stipandus se committere decreverat; at si nullus eorum Regum id munus suscipere vellet, legatum apostolicum eidem classi præficiendum sancitum fuerat: eodemque tempore Caitbeus Ægypti sultanus irruere in Asiaticas Turcarum provincias pollicebatur. Verum licet Christiani Reges ad tam præclaram militiam paratos se obtulissent, jamque ab Innocentio ducenta aureorum millia in comparanda classe collocata essent, Gallus etiam Rex duodecim majoris alvei naves egregie instructas submisisset, imperatæ etiam clero essent decumæ, consiliis non respondere exitus.

(*a*) *Vialad. in vita Innoc. VIII.*

De bello in Bajaz. vertendo actum.

Ex quibus componendus foret primus exercitus.

Alterius imperium penes Cæsarem.

Navalis exercitus ex quibus instruendus.

Præesse illi cum Rege transalpino debuit Pont.

Sultanus Ægyptius futurum socium pollicetur.

Soluta in auras egregia consilia.

XIV. Interea Turcæ ex intestinis Hungarorum bellis sumpta audacia imparatas milite provincias finitimas aggressi, omnis ætatis sexusque homines in servitutem abduxerant, Christiana templa incenderant, & obvia quæque ferme ad Varadinum usque, nec non Croatiam, Transilvaniæque limitem populati sunt, & Sabazium arcem munitissimam obsidione cinxere. Ut autem postea fusi profligatique fuerint, proximo anno dicetur. Interea non omnino impune factæ eæ Turcarum excursiones, quandoquidem ad Hunam amnem in Croatia non exigua illorum manus (*b*) vel cæsa vel capta est.

Turcarum in Ungaria grassationes.

Repressæ in Croatia.

(*b*) *Bonfin. dec. 5. l. 2.*

XV. Composito porro Hungarico bello, Maximilianus Cæsar implicitus Gallico est, provocatus a Carolo Francorum Rege genero (*c*), qui non modo socero Margaritam filiam remisit, verum etiam Annam, ad quam Britanniæ minoris spectabat imperium jam Maximiliano desponsam, matrimonio secum junxit, ne Britannia a Gallia divulsa, redactaque in Cæsaris potestatem ingentium postea bellorum cladiumque materies inde nasceretur, id autem jure factum refert Nauclerus (*d*): *Franci*, inquit, *nihil in his perperam affirmant actum, nam ut ajunt, domina Margareta annum nondum agens quartum ad Carolum tunc Delphinum Viennensem sperati ad pacem matrimonii gratia deducta est: quod quidem pactum de nuptiis Rex Romanorum semper improbaverit, tum quod a Flamingis se inconsulto & reclamante conflatæ conjuratæque essent, tum quia major æquo dos designata fuisset. Accessit his odium implacabile Regis Romanorum in Carolum, unde non mirandum si ipsa his cognitis nondum adulta remissa est, cum impuberis ante pubertatem*

Inter Maximil. & Gall. Regem orta discordia

(*c*) *MS. arc. Vat. sign. n. 111. Comm. l. 7. c. 3. Gagui. in Carol. VIII. Trith. chron. Spon. Sabell. en. 10. l. 8. Surit. l. 20. c. 87. Marian. l. 26. c. 1. Polyd. l. 26. & alii.*

(*d*) *Naucl. vol. 2. gen. 50.*

Fundamenta causæ Galli Regis.

ina-

*inanis sit assensus, & dum pubescunt licitum est illis sponsalium pœnitere, ut indicant canones sacri. Quin certior factus Carolus nullo conjugali fœdere cuiquam mortalium virginem obnoxiam teneri, sed omnia per simulationem acta cum Rege Romanorum, ne scilicet gens Britanniæ Franco Regi se dederet: quod ex eo constare volunt, nam etsi procuratores a Rege Romanorum quatuor essent missi, nulli illorum tum erat in solidum conjugii gerendi decreta facultas, prout de jure fieri debebat, & si legitima aliquo procuratore matrimonium gestum fuisset, illud nihilominus pro non ratihabitione confirmari lex statuit cum quæ instituta in eo negotio omissa inveniuntur, unde cum spes alia pacis nulla compendiosior occurreret, quam virginem a Franco Rege duci, uxorem duxit: quibus quidem nuptiis religiose celebratis accidit, ut Britanum omnium assensione pax facta sit.*

Pax inter Gallum & Britones constituta.

XVI. (a) Gaguin. in Carl. VIII. & Polyd. l. 27.

Anglus & Hisp. Maximiliano favent.

Gestum in Britannia bellum (a) a Franco fuerat cum supremo in eam provinciam jure contenderet Ludovicum ducem Aurelianensem hostem pronuntiatum excipi non debuisse: quem victum acie in vincula conjecit, demumque sororis rogatu carcere emisit: defuncto autem Francisco duce disceptabat, ejus filiam principatus heredem externo principi non nubendam. Pellecti vero sunt a Maximiliano in illius belli societatem Henricus VII. (b) Anglorum, ac Ferdinandus Hispaniarum Reges: & quidem Henricus re male a suis in Britannia gesta, trajectis in Galliam ingentibus copiis Boloniam castris cinxit, sed ubi a Maximiliano nullam afferri opem intellexit, redintegrata cum Carolo pace rediit in Angliam. Ferdinandus (c) autem Hispanus subsidiarias in Britanniam copias submisit ac deinde etiam composita lite revocavit, cum in spem venisset recipiendi comitatus (d) Ruscinonensem & Ceritanum, pollicente Carolo, qui Ludovici XI. patris sub mortem B. Francisci Paulani Minimorum conditoris monitis ita præcipientis supremam voluntatem exequi decreverat. Restitutum porro fuisse Ruscinonensem comitatum Ferdinando, tradit Gaguinius. (e) Quod vero ad Maximilianum attinet; illum post multas acceptas illatasve in bello clades fessum fœdus cum Carolo Neapolitanam expeditionem meditante receptis (f) urbibus, quæ dotis nomine attributæ fuerant, pepigisse suo loco dicetur.

(b) Id. ibid.

Anglorum expeditio dissoluta.

(c) Marian. l. 26. c. 1.

(d) Marian. l. 26. c. 1.

(e) Gaguin. in Carl. VIII.

(f) Comin. l. 7. c. 3.

XVII. Innocentii constit. pro lib. eccles.

(g) Ext. in bull. in Inn. VIII. const. 17.

Interea Innocentius (g) asserendæ pontificiæ authoritatis libertatisque ecclesiasticæ tuendæ causa sanctionem edidit adversus eos, qui pontificia imperia pro illis, qui ad Apostolicam sedem confugerant, data variis artibus ac dolis eludebant nec perfici sinebant: *Hac nostra*, inquit, *perpetua constitutione statuimus & ordinamus, quod omnes & singulæ personæ tam sæculares quam regulares, cujuscumque ordinis, status, gradus, & præeminentiæ, seu ordinis, existant, contra quas in eadem curia causæ, quæ in illa tractari consueverunt seu possunt de jure vel consuetudine commissæ sunt, vel in futurum tam per appellationem seu devolutionem, ad illam, aut alias quomodolibet committerentur, & quæ citationes hujusmodi in vim commissionum apostolicarum decretas vel decernendas, aut quævis alia mandata seu rescripta apostolica justitiam vel gratiam continentia, quo minus juxta illorum tenorem executioni demandentur per se vel per alium seu alios, directe vel indirecte, quovis quæsito colore impedire aut impediri facere, seu clericis, ut beneficia ecclesiastica renuntient, aut juri in illis sibi competenti cedant, vel a prosecutione causarum & jurium hujusmodi desistant mandari facere præsumpserint, aut pro illis impediendis & renuntiandis ad principes seu officiales sæculares, publice vel occulte, per se vel alium, quovis quæsito colore recursum habuerint, causam perdant, & omne jus tam in petitorio, quam possessorio in re vel ad rem, de qua agitur, eis competens, eo ipso amittant, & ad beneficia sic renuntiata obtinendum inhabiles existant. Aliæ vero personæ ecclesiasticæ, seu etiam sæculares, quas causa hujusmodi, non tangit executionem citationum hujusmodi, aut aliorum quorumcumque mandatorum, seu rescriptorum & provisionum apostolicarum, ut præmittitur, impedientes aut impedientibus hujusmodi auxilium, consilium, vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte præstantes, cujuscumque conditionis vel præeminentiæ existant, sententiam excommunicationis eo ipso incurrant, a qua [ præterquam in mortis articulo constituti & satisfactione prævia ] ab alio, quam a Romano Pontifice pro tempore existente, & canonice intrante, absolutionis beneficium nequeant obtinere.* Adjectæ aliæ in tabelliones pœnæ, qui de exequendis citationibus ejusmodi publica documenta conficere detrectarent, iisdemque abrogatum munus. Jussi præterea universi præsules eandem sanctionem promulgare. *Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis*

Impedita cognitio causarum ad sedem Apost. spectantium.

Intentatæ pœnæ impedientibus causarum.

*dominicæ MCCCCXCI. VIII. kal. februarii pontificatus nostri anno VIII.*

XVIII. Hoc anno secunda octobris die ad Dominum migravit Bononiæ Jacobus Alemannus (*a*) patria Ulmensis dominicanæ familiæ alumnus, sanctitatis opinione dum vixit & post mortem miraculis clarus, cujus felicem obitum ita describit Leander in ejus vita: *Annos erat natus quatuor & octoginta B. Jacobus, cum in valitudinem incidit, quæ illi suprema fuit. Intelligens ipse finem advenisse suæ vitæ, vocavit ad sese illum, cui ægrotantium cura commissa erat, & ait. Ego frater jam delibor & tempus meæ resolutionis instat, proin rogo te huc voces insignem doctrina & religione virum magistrum Vincentinum Castronovensem monasterii hujus præfectum, cui delicta mea generaliter confiteri volo. Quod ubi fecit & plenam remissionem ea more assecutus est, accessit ad eum ex cœnobitis unus, cui Dionysio fuit nomen, cui intestina fluebant, spei ac fiduciæ plenus & ait. Dilecte frater, tu quidem ad patriam properas, ego autem atroci morbo hic crucior, nec cantare possum, nec concionari: sed te per Deum rogo, ad quem tendis, ut cum illi junctus fueris, memineris mei, ac tuis precibus hanc a me molestiam depellas: qui se quidem id facturum spopondit. Cum autem ad ultimum devenisset, priusquam expiraret, ipse sibi manus decenter & pedes composuit, & ita felicem efflavit animam: continuo autem color, qui morienti, ut solet abierat, & vultus quædam hilaritas, & per totum corpus candor eximius rediit & claritas admirabilis, ut nulli dubium esset quin recta in cœlum migrasset. Is autem, cui intestina, sicut modo dixi, fluebant, quique illius opem paulo ante petierat, accedens ad ejus cadaver & multo cum fletu amplexatus cœpit promissa reposcere, & rogare ut sui memor esset: nec promissam ille opem distulit, nam priusquam inde abscederet sese diro prorsus liberatum morbo sensit. Obiit autem B. Jacobus anno ab adventu Christi MCCCCXCI. v. idus octobris.* Sepultus est in claustrali ædicula ob conceptam opinionis sanctitatem, segregatusque ab aliis, cumque eo hominum utriusque sexus promiscua multitudo conflueret, assentiente urbis episcopo Juliano Cardinale Robureo, postea in pontificatu Julio II. nuncupato, ad B. Thomæ sacellum translatus (*b*) est octiduo post, nec ulla corruptionis labes in ejus corpore reperta, plurimaque miracula, ejus implorata ope, a Deo patrata fuerunt (*c*).

Henric. Institoris Jacobi Aleman. obitus.

(*a*) *Jo. Ant. Flamin. & ex eo Sur. to. 5. die 11. octo. Lean. l. 6. de vir. illust. ord. Præd. ex eod. Flam. Carol. Sig. l. 4. de Episc. Bononien. in Juliano Robureo.*

Exanimi corpori pulchritudo mira divinitus affula.

Æger implorata ejus ope liberatus enterocele.

(*b*) *Id ibid. Car. Sigon. ubi sup.*

Patrata alia miracula.

(*c*) *Leand. ubi sup.*

Ineun-

[1] OMnes quotquot consului chronologi recitatas hic ab Annalista literas ecclesiasticæ libertatis assertrices in hunc annum conjiciunt; quibus fucum fecit annus 1491. quo consignatæ leguntur. Verum ad sequentem annum pertinere ex eo constat, quod annum illum cum anno pontificatus VIII. & mense januario componunt; quæ simul omnia nonnisi, sequenti anno 1492. conveniunt; eo enim ineunte stylo veteri adhuc annus 1491. agebatur. Profecto Innocentium utroque Stylo veteri & novo indiscriminatim usum alibi animadverti. MANSI

I. INeunte anno Chriſtianæ ſalutis nonageſimo ſecundo ſupra milleſimum quadringenteſimum indictione decima Ferdinandus Hiſpaniarum Rex Granatam Maurici ſedem imperii pactionibus, ſuperiori extremo anno confectis, in deditionem accepit, defixaque in altiſſima arcis turre cruce dominica conſpecta ex equo in terram deſiliit (a), inque genua in medio exercitu ad pugnam instructo cum ſacerdotibus & procetibus provolutus laudes cecinit Deo, qui poſt tot ſæcula Bæticam Chriſtianæ religioni, pulſa Mahumetica impietate, reſtituiſſet; quem pium titum Joannes Mariana deſcribit. Celebrantque eam victoriam omnium gentium hiſtorici, ex quibus Lucius Marinæus ſuperiora repetens etiam erumpentes e carceribus Granatenſibus, Chriſtianos, victumque Regem barbarum victori obvium, tum in perdomitam urbem triumphalem ingreſſum ita depingit: *Boabdelis catholicis pincipibus obſequens, & regia dignitate tituloque privatus, kal. januariis anno Chriſtianæ ſalutis* MCDXCII. *Granatæ portis reclusis magnum Chriſtianorum militum numerum in Granatam urbem, & in Alhambram recepit, regiæque domus turres, urbis portas, & omnia munitiora loca Chriſtianorum præſidiis aſſignavit, poſteroque die mane captivos Chriſtianos complures compedibus vinculiſque ſolutos cum quingentis obſidibus, quos ſe daturum pactus fuerat, ad catholicos principes miſit in caſtra. Reges autem catholici, cum per tentoria distributos obſides obſervari diligenter & honorifice tractari juſſiſſent, ad captivos Chriſtianos, qui Benedictus dominus Deus Iſrael, decantabant converſi, cum flentes & toto corporis habitu & vultus effigie deformatos aſpexiſſent, eorum ſortem miſerantes omnes indutos rebuſque neceſſariis adjuvantes, ad ſuas domos ire juſſerunt, quorum unus, qui ſacerdos erat, & non indoctus, antequam diſcederent. O principes, inquit, cæleſtes, o Dei optimi maximi fortes & magnanimi duces, qui nos hodierna die graviſſimo jugo ſervitutis vel potius ab umbra mortis & horrendis tenebris ad clariſſimam optatiſſimamque vitæ lucem revocaſtis, vivatis in æternum, vivatis, & quoniam vobis pro veſtris erga nos immortalibus beneficiis gratiam referre non opis eſt noſtræ, eam ſine dubio cumulatiſſimam ſperatis a Deo, qui pias hominum mentes ex alto proſpiciens unicuique pro meritis digna præmia perſolvit.*

(a) Burch. MS. arc. Vat. & aliud MS. ſign. n. 111. Lucius Mari. Sic. de reb. Hiſp. l. 20. Marian. l. 25. c. 18. Surit. l. 20. c. 92. Trithem. in chro. Spon. Raphael. Vol. Geogr. l. 2. vol. 2. gen. 50. Sabel. enn. 10. l. 8. & alii.

Boabdilles titulo regio ſe abdicat.

Sacerdotis liberati ad Ferdinandum oratio.

II. *His dimiſſis, eodem die catholici principes cum Joanne & Joanna filiis, cum Petro Mendozio Cardinale, cumque ſuis ducibus, & multis equitum peditumque cohortibus instructis Granatam verſus proficiſcuntur. Quibus ad urbem appropinquantibus Boabdelis quinquaginta ferme comitatus equitibus obviam venit, qui triſti vultu, capiteque demiſſo, ac flenti ſimilis Ferdinandi Regis oſculari dexteram contendit, Rex autem Ferdinandus manum ſubtrahens Boabdelem perbenigne ſuſcepit, paucisque verbis ultro citroque per interpretes habitis, ad Iſabellam Reginam, quæ cum prole ſua & Cardinala cæteriſque ducibus Regem ſubſequebatur, Boabdelis accedens idem fecit, quam Regina pari benignitate recepit, & ad ſpem meliorem verbis honorificis hortata eſt. Cum autem prope urbis mœnia perveniſſent, Ferdinandus Talabricus Abulenſis epiſcopus & Granatæ urbis archiepiſcopus deſignatus, qui crucis vexillum præferebat, altiorem arcis Alambræ turrem conſcendit, & erectam crucem reliquaque vexilla cunctis oſtendit, quam cum catholici principes, regiaque proles, & univerſus exercitus flexis genibus Deo gratias agentes adoraſſent, & arcis Alambræ cuſtodiam Ignico Mendozio Tendiliano comiti commiſiſſent, ad urbem novam redierunt in caſtra, ſecumque Boabdelem adduxerunt. Ubi permanere ſtatuerunt, quoadusque traditis armis a Mauris, & auctis Chriſtianorum militum præſidiis, in urbem populoſiſſimam tutior eſſet ingreſſus. Hic diebus paucis commorati, quibusdam confectis negotiis, & rebus ad urbis ingreſſum neceſſariis comparatis, cum multis armatis equitibus, quos ex multis partibus acciverant, & magno ſacerdotum numero, Te Deum laudamus decantante Granatam urbem Deo optimo maximo, cujus auxilio belli peroptatum finem glorioſamque victoriam fuerant adepti, gratias agentes ingreſſi, valdeque lætantes vota, quæ religioſe promiſerant, perſolverunt, deinde certos nuntios cum literis de victoria, quam Deo juvante de Mauris Chriſtianæ religionis hoſtibus habuiſſent, ad Innocentium ſummum Pontificem, ad Cardinales, ad Chriſtianos principes, ad omnes Hiſpaniæ Siciliæque civitates deſtinarunt.*

Regis Granatenſis ad Ferdinandum acceſſus.

Inducta in Granatam præſidia.

Miſſi ad Pont. & Reges de parta victoria nuntii.

III. De Granata a Mauris Ferdinando Regi dedita die ſecunda januarii, & univerſo eo regno Chriſtiano imperio adiecto poſt ferme octingentos annos, extant miſſæ ab eodem Rege ad Venetiarum ducem laureatæ literæ (b), quibus additæ ſunt aliæ Bernardi Rojæ, quæ ſingulas deditionis circumſtantias quarum plures jam di-

(b) Ext. l. 1. litt. princ. pag. 3.

Granata Ferdinando & Isabellæ Regibus dedita.

dictæ sunt recensent, ut Mauri fame oppressi deditionis verba nuncuparint, ac datis obsidibus Hispanos in arces duas munitissimas admiserint: ubi mox sacrosanctum missæ sacrificium factum sit, ac dein Rex & Regina equitum decem, peditum quinquaginta millibus succincti triumphali pompa in urbem sint ingressi: quibus venientibus occurrerint Christiani, qui in carcere Maurico diu luxerant, composito religioso agmine, præeunteque crucis vexillo ac prælata virginis Deiparæ imagine, quam in ipso carcere tenuerant, quos author ad Regem Reginamque se perduxisse ait, ac perhumaniter exceptos, jussosque in castrum, cui sanctæ fidei nomen inditum est, recipi. In Granatensis vero arcis primo ingressu religiosum virum secum crucem extulisse, cumque in turris celsissimo loco eam locasset, archiepiscopum Calorensem, Avilensem, Candisiensem, Malacitanum episcopos, ac plures alios sacerdotes pari vocum consensione succinuisse: *O crux Ave spes unica*; tum vero vexilla S. Jacobi & Ferdinandi Regis a fratre comitis Cisontani ad ternam religiosam crucis adorationem prona ad terram incurvata fuisse: hymno vero sacro decantato conscendisse turris altiorem locum præconem militarem regiis insignibus decorum, qui maxima contentione ter has voces repetivit: *S. Jacobe, Granata Castella tua ope Regis Reginæque parent imperio. Hanc Granatæ urbem, hæc castra, & universum regnum Rex, & Regina restituerunt catholicæ fidei fulti Numinis ope, & B. Virginis Mariæ, & S. Jacobi, & Innocentii VIII. Pontificis, ejusque prælatorum, nec non populorum, urbiumque Regis Reginæque clientum*, tum vero præsentibus Rege ac Regina editum festivum displosis tormentis bellicis reboatum, redditum: dein Mauri Regis filium obsidem, & arces milite & commeatu communitas fuisse, die vero insequenti decretam solemnem supplicationem, ac sacram pompam a quadringentis sacerdotibus ductam ab arce ad urbem sanctæ fidei, cui septingenti Maurica servitute liberati interfuerint, eosque vestibus, ac muneribus ab Rege Reginaque liberaliter donatos fuisse, quibus omnibus Bernardus Roja se adfuisse profitetur exaratis VII. januarii die MCDXCII. literis [1].

Christiani liberati perductique solemni pompa ad Regem. Crux in arcem Granatensem illata ab episcopis.

Collata in summo fastigio.

Solemnis supplicatio ducta.

His addit Marinæus edita ubique ingentia lætitiæ signa ob auctum christianum imperium. Pontifice vero in ecclesia B. Jacobi Romæ litasse celebrasseque divinas laudes: tum habitas instructo agmine religioso a clero supplicationes solemnes præter Stephanum Infissuram (a) & alios narrat Burchardus rituum magister, qui rem gestam die dominico v. mensis februarii consignat, additque paratam fuisse ab oratore eximio orationem panegyricam in laudem Ferdinandi & Elisabethæ Regum Mauricæ perfidiæ domitorum, sed ob fragorem, quem linteatorum sacerdotum conferta agmina, dum concinnebant divinas laudes, concitarunt, intermissam fuisse. De qua celebritate præsentia sua cohonestata meminit Innocentius hoc diplomate (b), quo sacras indulgentias lustraturis S. Jacobi ecclesiam, ac pias preces pro Mahometica superstitione excindenda fusuris impertitus est (c). IV.

(a) Infiss. MS. arc. Vat. sign. n. 111. & aliud sign. eod. n. Maria. l. 25. c. 18. & alii.

(b) Lib. 69. pag. 165.

(c) Lib. 69. pag. 165.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cum, sicut universo pene orbi innotescit, Granatæ regnum populi multitudine & agrorum fertilitate amplissimum a barbaris infidelibus ex Africa proficiscentibus, evolutis jam annis octingentis vel circa, & ex tunc cum Christifidelium circumvicinorum maxima clade tentum, divina favente clementia, nostris temporibus per charissimum in Christo filium nostrum Fernandum Regem, & charissimam in Christo filiam nostram Elizabeth Reginam Castellæ & Legionis illustres, cooperante Altissimo, recuperatum extiterit cum multorum infidelium eorumdem ad fidem conversione; nos, qui, cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus,* V.

Octingentis ferme annis Granatense regnum stetit.

&

NOTÆ [1] ANnus iste felix faustusque accidit Hispaniis quæ demum post plura servitutis Saracenicæ sæcula pristinam tandem libertatem sub christianis, & in suo solo natis principibus obtinuit. Servitutis hujus epocham ab anno 711. ducendam esse Pagius ad A. 714. documentis adductis demonstrat; ex quo conficitur Saracenos tractum illum terrarum sive totum sive quoad aliquam sui partem tenuisse annis 789. Dies recuperatæ Granatensis urbis a Mariana cæterisque eadem definitur quæ ab Annalista hic statuitur nempe januarii secunda. Opus illud jam inde a pluribus annis tentatam a Ferdinando & Elizabetha, ac tandem absolutum tradit Philippus Bergomas in supplemento chronicorum quod auxisse se & castigasse anno 1486. in calce ejus operis editionis Venetæ anni 1490. affirmat: *Hunc itaque Bleasem ita Granatæ regem appellat regem Ferdinandus citerioris Hispaniæ & Lusitaniæ & Aragoniæ, & Ciciliæ rex una cum Elisabetha uxore Christianissimi jam VI. annis ac cum eiicerent maximis exercitibus terra marique urgere cœperant ac dimidiam regni partem cum maximo eorum triumpho eidem abstulerunt, quorum vota & ipse dominus noster Jesus Christus ad finem usque feliciter perducere dignetur.* Tanti vero fuit operis Hispaniarum imperium universum e Saracenorum manibus vindicare ut plurimum succedentium sæculorum molimen extiterit. MANSI

*& universo almæ urbis & Romanæ curiæ clero & populo prima die dominica mensis februarii proxime elapsi ad ecclesiam hospitalis S. Jacobi Hispanorum nuncupatam de dicta urbe nos contulimus, & missam inibi solemnem celebrari fecimus, gratias Deo agentes de tanta victoria, & catholicæ fidei exaltatione, cupientes ut hujusmodi inchoata victoria cum animarum salute, quod fidelium precibus & orationibus consequi posse speramus suscipiat incrementum; & ut ecclesia prædicta in honorem sancti Jacobi, cujus meritis & intercessione Rex & Regina præfati, ac Hispani fere omnes eis subditi altissimum propositum habuisse & habere, & in cunctis eorum opportunitatibus ab eo exauditis indubie arbitrantur congruis frequentetur honoribus; & ut fideles ipsi eo devotius indefesso animo pro tanto bono gratias agere, & pro manutentione ipsius regni Granatæ, & infidelium in illo degentium ad fidem conversionem, & expugnationem eorumdem infidelium tanto vehementius preces fundere procurent, quo exinde pro animarum suarum salute majora cognoverint commoda consequi posse, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus authoritate confisi universis Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui ecclesiam prædictam prima dominica mensis februarii a primis vesperis usque ad occasum solis ipsius dominicæ devote visitaverint, annuatim ac de obtenta victoria dicti regni Altissimo gratias egerint, pro ejusdem regni infidelium ad fidem catholicam conversione, & aliorum regnorum infidelium expugnatione Deum devote exoraverint, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam & remissionem elargimur, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum an. incarnationis dominicæ MCCCCLXXXXII. VIII. kal. maii pontificatus nostri anno VIII.*

De eo Christi imperio adjecto actæ a Pont. grates.

Ecclesiam S. Jacobi Romæ lustrantibus propositæ indulgentiæ.

VI. Cæterum vergente anno Alexander VI. qui Innocentio successit Granatæ archiepiscopalis dignitatis apicem restituit (*a*), ac Guidixensis & Almeriana ecclesiæ metropolitanæ Granatensi subesse jussæ.

(*a*) *Alex. VI. lib. bull. 3. signat. nu. 717. pag. 321.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Ad omnipotentis Dei, totiusque cœlestis curiæ laudem, & orthodoxæ fidei exaltationem, statusque universalis Ecclesiæ, divini quoque cultus augmentum, & animarum salutem Granatensem & Guidixensem & Almeriensem ecclesias, civitates, & diœceses cum earum prælatis, clero, ac populo bonis, juribus, ac pertinentiis universis a quacumque provincia, de qua dudum ante & post regni prædicti occupationem per infideles, ut præfertur, factam civitates & diœceses prædictas, aut loca aliqua illarum fuisse prætenduntur authoritate apostolica tenore præsentium segregamus, dividimus, & separamus: ac ab omni dominio, jurisdictione, potestate superioritatis, & authoritate ecclesiarum, de quarum provinciis forsan erant, ut præfertur, & prælatorum earumdem pro tempore existentium, quo ad jus metropoliticum dumtaxat eximimus & totaliter liberamus: ac præfatis Granatensi in metropolitanam ecclesiam, & civitatem in metropolitanam archiepiscopalemque præsidis provinciæ sedem de simili consilio, authoritate, & plenitudine erigimus, ac metropolitana dignitatis & archiepiscopalis ecclesiæ ac civitatis nomine, titulo, & honore de specialis dono gratiæ decoramus pariter & insignimus, eisdemque Guidixensem & Almeriensem ecclesias, civitates, & diœceses cum earum juribus & pertinentiis universis eisdem ecclesiæ & civitati Granatensi, & illius præsuli pro tempore existenti & pro earundem Granatensis ecclesia & civitatis provinciæ archiepiscopali & metropolitana, nec non illarum pro tempore prælatos pro ipsius ecclesiæ & archiepiscopi Granatensis suffraganeis, ejusdem quoque Granatensis provinciæ clerum & populum, pro ejusdem ecclesiæ & civitatis Granatensis provincialibus de simili consilio eisdem authoritate & potestate assignamus, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCCLXXXXII. IV. id. decembris pontificatus nostri anno I.*

Guidixensis & Almeriana ecclesiæ illi subjectæ.

VII. Vix æstimari potest quantum Granatensis regni excidium rem Christianam auxerit (*b*), cum Viennensis concilii tempore patribus perlatum fuerit Granatæ quinquaginta Christianæ fidei desertorum millia, in reliquo vero regno ex Christiana stirpe genus trahentium Maurorum quingenta millia reperiri: jam vero vice versa Mauri ad Christiana sacra adjungi cœpere, atque inter alios Boabdilis Regis victi duo filii Christo nomen dedere (*c*), atque infantes Granatæ nuncupati sunt: quinetiam illi matrem suam, quæ a Christo defecerat, a Maurica pernicie in viam salutis reduxerunt. Patebat præterea ex ea parte Afrurum eluvionibus Hispania: nunc vero Granata subacta non modo universum Hispaniæ imperium redditum est Christo, verum ad Africam Christi subdendam legibus patefacta via, jamque illa Mahometica superstitione libera esset, si Hispaniarum Reges victricia arma ab ea non avertissent. Miraculo autem proximum extitit, mox a subacta Granata Hispanam potentiam non in Africam finitimaque Eropæ regna modu, verum in novi orbis amplissima imperia turrentis instar se diffudisse. Hic vero Granatensis triumphus a Ferdinando & Elisabetha eximio alio facinore fuit cumulatus, Mauricis

(*b*) *Marian. lib. 25. cap. 18.*

Regis Boabdilis filii Christo dante nomen.

(*c*) *Lucius Marin. lib. 20. in fin.*

Patefactus ad Africam debellandam aditus.

Ferdinandi Regis aucta potentia.

ricis enim sordibus Hispanias liberasse non contenti, Judaica etiam superstitione expiare decreverunt, cum hoc perfidum genus in dies sobolesceret, suaque multitudine Christianam rempublicam aliquando in discrimen adducere posset: qua de re hæc Mariana (*a*).

(a) *Raphael Volaterr. lib. 2. Marian. de rebus Hisp. l. 26.*

VIII. Judæi ni fiant Christiani proscripti a Ferdinando.

*In Hispania Ferdinandus, & Isabella Reges bello Maurico exempti quam primum de pellendis universa ditione Judæis, quæ alia pestis supererat, inter se consultabant. Eo consilio Granatæ, ubi morabantur, mense martio salutis anno MCCCCXCII. per edictum voce præconis denuntiarunt: Judæi omnes, nisi mutarent, uti ex omni ditione discederent: parando exilio quatuor menses dati sunt cum facultate eo spatio vendendi bona, secumve quo vellent asportandi. Id edictum nova Thomæ Turrecrematæ inquisitoris sanctione amplius est astrictum mense aprilis, piis omnibus vetantis cum ea gente commercium, gravique supplicio saucientis, si quis eo decurso tempore victu aut re alia quapiam eos homines juvaret. Sic innumera Judæorum multitudo mari ex Hispania solventes: tum Africam, Italiam, & orientis salis oras tenuerunt, ubi in hunc diem patriam Hispanorum linguam mordicus retinet, tum plerique in Portugalliam vicinam abiere.*

Quantus eorum numerus ejectus ex Hispania.

Et infra: *Judæorum multitudinem, qui ex Hispania discesserunt ad certum numerum revocare promptum non est: plerique scriptores centum & septuaginta familiarum millia abiisse confirmant, quidam ad octingenta millia capita pervenisse ait, ingens numerus ac vix fidem facturus, sed unde tamen multis occasio extitit hoc decretum accusandi, gentem copiosam, & quæ omnes vias pecuniæ noverat, amovere a prudentia Ferdinandi alienum existimantibus magno utique compendio fructuque earum provinciarum, ad quas copiarum Hispaniæ magnam partem aurum, argentum, gemmas, vestemque pretiosam secum detulere. Multi ex eo numero, ne patria carerent, Christo dedere nomina, pars sinceris animis, alii simulata pietate tempori servientes, brevi ad ingenium, fraudes & mendacia redierunt.* Nonnullos ex iis, cum ad colligenda vasa segniores extitissent, nec vellent Christo nomen dare sub hasta venditos addictosque servituti, ex his vero, qui solum verterunt, itinerum incommodis vel lue periisse refert Nauclerus (*b*).

Magnus numerus in itinere perit.

(b) *Surit. to. 5. l. 1. c. 6.*

IX. Addit author nefarium hoc hominum genus in Germania detestabile scelus commisisse: cum enim Christianorum relatu Christum in Eucharistia existere audissent acceptam a sacrilego sacerdote confoderunt ferro: ex qua stillavit cruor, confirmante Deo insigni hoc miraculo fidei orthodoxæ de sanctissimo eo sacramento veritatem, & Judaicam immanitatem detegente, ut justa de fontibus sumerentur supplicia: *Genus*, inquit (*c*), *hominum calamitosum Judæi novissime anno salutis MCCCCXCII. die* XXII. *mensis octobris in oppido Sternebach sub dominio principum Magnopolensium auxilio Petri sacerdotis Eleazar Judæus, & complices sui sacramentum Eucharistiæ divinissimum per hostias majorem & minorem obtinentes, has perforarunt, & cruor illico prosiliit, quo linteum præcinctum ruborem accepit: quo miraculo territi ad Petrum id deferunt. Principes autem illustres Balthazar & Magnus fratres re comperta cum vestigia vulnerum, quæ remanserant, cernerent, Judæos cremari fecerunt triginta numero: Petrus vero prædictus sacerdos se illis sacramentum vendidisse confessus est, & quomodo post puncturas Judæi sacramentum cruentatum, & panno involutum sibi restituerint, & quod suffoderint in terram, ubi eo indicante inventum est cruore conspersum. Sacerdos degradatus & incineratus fertur: in eodem autem loco hodie multa fiunt miracula. Audivi ego a quodam sacerdote capellano Magni principis, quod unus ex Judæis sese in flumen præcipitem dederit, mortemque sibi consciverit, & quod una ex mulieribus Hebræis tres filias habens minorem infantulam jugulaverit, secundam similiter occiderit, tertia vero vix ex manibus parricidæ elapsa auxilio Christianorum salvata extiterit.*

(c) *Naucl. vol. 2. gen. 50. & Crantz. Wandal. l. 14. c. 1.*

Sacra Eucharistia perfossa a Judæis cruor divinitus ex ea emanat.

Sumptum de impiis supplicium.

X. Inter Pont. & Ferd. Regem Neap. pax constituta.

Hoc anno vigesima octava januarii die pax Pontificem inter ac Ferdinandum Regem Neapolitanum, ejusque filium Alfonsum ducem Calabriæ, interprete Hispaniarum Rege, quem se vadem pontifici futurum antea obstrinxisse vidimus, conciliata est (*d*): Joannem vero Briellum protonotarium apostolicum intercessisse in Cardinalium senatu, ac Renati jura exposuisse tradunt. Nec parum ad flectendum ad officium Regem Neapolitanum ostentata in Pontificis opem Caroli Francorum Regis arma valuerunt. Pristinæ itaque fœderis leges, quas liberatum se periculo putans Ferdinandus infregerat, redintegratæ, ut nimirum annuum vectigal veteri more Pontificibus penderet: pontificiam in conferendis Neapolitani regni sacerdotiis authoritatem non labefactaret: ne se causis ecclesiasticis obtruderet: cæsorum procerum ecclesiæ fœderatorum filiis faceret satis. Venit in urbem devexo majo Ferdinandus junior princeps Capuæ filius Alfonsi Calabriæ ducis Ferdinandi Regis Neapolitani filii, ut avi patrisque nomine veniam a Pontifice posce-

(d) *Sur. to. 4. l. 20. c. ult. Marian. l. 25. c. 18. Rosic. in stemma duce Lotharing. l. 5. & alii.*

Capuæ princeps ad poscendam a Pont. veniam missus.

sce-

(a) Infiss. MS. arc. Vat. sign. n. 111. & aliud MS. signat. eod. nu.

Fœderis leges parum religiose cultæ ab Alfonso.

XI.

(b) Surit. sup. cap. 92.

Neapolitani regni jus fiduciarium illi traditum.

(c) MS. Vallic. bibliot.

sceret : quem magnis exceptum honoribus refert Stephanus Infissura (a), observatque peristromata & aliam pontificiam supellectilem illi subministratam a famulis direpta ac distracta indigne fuisse. Non religiosius quam antea a Ferdinando & Alfonso cultæ hujus fœderis leges, non enim injurias proceribus illatas sarcivere, quippe ob nimiam acerbitatem in eos exercitam Alfonsum haud diu hujus pacis beneficio potitum memorat Surita (b).

Fuisse vero eidem Alfonso regni Neapolitani jura tradita, nec non Ferdinando filio principi Capuæ, ut Ferdinando avo seniori succederet, si Alfonsus pater dux Calabriæ ante Ferdinandum extremum diem obiret, & clientelaris sponsionis sacramenta solemni ritu Alfonsum Innocentio Pontifici detulisse, ostendit hoc ejusdem Innocentii diploma (c).

*Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili Alfonso de Aragonia duci Calabriæ salutem, & apostolicam benedictionem.*

Quis Eugenii IV. donatio extitent.

*Dudum felicis recordationis Eugenius Papa IV. prædecessor noster claræ Aragonia memoriæ Alfonso Aragonum Regi avo tuo regnum Siciliæ cum terra citra pharum, excepta civitate nostra Beneventana cum ejus territorio, districtibus, & pertinentiis, etiam si regnum cum terræ hujusmodi ad præfatam ecclesiam,* nimirum Romanam, *per obitum claræ memoriæ dominæ Joannæ olim dicti regni Reginæ II. vel alias qualitercumque devolutum foret, in feudum perpetuum pro se, heredibus, & successoribus suis masculis recta linea legitime descendentibus, tunc jam natis, & nascituris sub certis modis & conditionibus tunc expressis, de fratrum suorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium consilio per quasdam litteras concessit. Et deinde pro parte charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi præfati regni Regis illustris piæ memoriæ Pio Papæ II. prædecessore nostro exposito, quod præfatus Alfonsus ipsum Ferdinandum ejusdem Alfonsi filium primogenitum suum in præfatis regno & terra citra pharum post ipsius Alfonsi obitum successorem suum, ac dictorum regni & terræ legitimum heredem fore statuerat & declaraverat, & pro eorundem statuti & declarationis robore, ac suæ successionis hujusmodi firmiori certitudine tunc principes, comites, barones, magnates, & populi regni & terræ præfatorum in ipsius Ferdinandi Regis manibus ipsi Alfonso tunc in humanis agente homagium, & fidelitatis solitum juramentum præstiterat, idemque Alfonsus Rex in ultimis dierum suorum constitutus eundem in ejus ultima voluntate testamentum, & in eadem voluntate persistens ipsum Ferdinandum suum heredem universalem, & in eisdem regno & terra successorem instituerat, & quod postea dicto Alfonsi Regis vita durante, universi principes, comites, barones, & populi, & magnates antedicti in eadem voluntate firmiter perseverantes ipsum Ferdinandum Regem pacifice cognoverunt, & iterato simili homagio & juramento præstito, eum talem censuerant & reputaverant, tuncque censebant & reputabant, idem prædecessor præfatum regnum Siciliæ cum dicta terra citra pharum, excepta similiter dicta civitate Beneventana cum ejus territorio & districtu, sive per obitum dicti Alfonsi Regis, sive alias qualitercumque, ad præfatam ecclesiam reversum & devolutum foret, sive ipse Ferdinandus Rex eidem Alfonso Regi in illis legitime successisset : sive non; eidem Ferdinando Regi tanquam Alfonsi Regis filio primogenito, & in dictis regno & terra successori ejusdem literis recta linea ex suo corpore legitime descendentibus modis, formis, adiectionibus, promissionibus, cautelis, & voluntatibus tunc expressit, matura super hoc deliberatione præhabita, de fratrum suorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu, ex certa sua scientia, & de apostolicæ potestatis plenitudine per alias suas literas in feudum perpetuum concessit, confirmavit, & de novo donavit, & mandavit & fecit eumdem Ferdinandum Regem de regno & terra præfatis jure feudi hujusmodi per bonæ memoriæ Latinum episcopum Tusculanum tunc tituli SS. Joannis & Pauli presbyterum Cardinalem actualiter investiri, prout in eorumdem Eugenii & Pii prædecessorum literis plenius continetur.*

*Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte Ferdinandi Regis petitio continebat, ipse Rex cupiat te ejus filium primogenitum legitimum & naturalem, qui juxta dictam literarum continentiam & in regno & in terra prædictis succedere debes: & si te, eodem Ferdinando Rege adhuc durante, mori contingat, dilectum filium nobilem virum Ferdinandum de Agonia principem Capuanum primogenitum filium tuum etiam legitimum naturalem ipsius Ferdinandi Regis nepotem successorem, & pro majori successionis hujusmodi securitate & soliditate sub eadem conditione, si te eidem Ferdinando Regi præmori contingat, præfatum Ferdinandum principem de regno & terra præfatis ex nunc jure feudi hujusmodi investiri etiam investitura, quæ fieri deberet, pro Ferdinando Rege vita functo de te, si supervixeris, vel dicto Ferdinando principi si prædecesseris, ipsum Ferdinandum Regem inve-* XII.

Præmoriente Alfonso princeps Capuæ Ferdinandi senioris hæres decretus.

sti-

*stituram ex nunc, sine tamen ipsius Ferdinandi Regis ullo præjudicio fieri, quæ ejusdem roboris & efficaciæ existat, & eosdem operetur effectus, cujus esset, & quod operaretur, si ipso Ferdinando Rege vita functo fieret, nos qui ejusdem Ferdinandi Regis, quem fuit exigentibus meritis singulari benevolentia prosequimur & gerimus in visceribus charitatis, votis in his præsertim, quæ ad tui præfatique Ferdinandi principis, quos in peculiares nostros & præfatæ ecclesiæ filios habuimus hactenus & habemus, commodum & honorem, ac tuorum & illius jurium in regno & terra prædictis uberiorem securitatem tendere dignoscuntur, libenter annuimus, & immensam devotionem, quam Alfonsus, dum vixit, & Ferdinandus Reges præfati pariter, & dictus Ferdinandus princeps, ad præfatam gessistis hactenus, & adhuc Ferdinandus Rex & principes gerunt, in quorum ac tua grandia merita debitum respectum habentes, pariter & sperantes, quod tu, & idem princeps prædecessorum nostrorum vestigia prosequendo in vestris fidei sinceritate & devotione erga præfatam ecclesiam perseverabitis, Ferdinandi Regis in hac parte supplicationibus inclinati, habita super his cum fratribus nostris deliberatione matura, ad laudem Dei omnipotentis Patris, & Filii, ac Spiritus Sancti, & gloriosæ virginis Mariæ, nec non beatorum Petri & Pauli, ad honorem quoque pacem, & tranquillum statum sedis Apostolicæ, ac sanctæ Romanæ ecclesiæ sponsæ nostræ, & Regni præfatorum, salute quoque principum, ducum, comitum, procerum, & populorum ejus, præfatum regnum Siciliæ cum dicta terra, ut præfertur, post felicis ipsius Regis Ferdinandi dies ad præfatam ecclesiam devolvi, seu ejusdem Ferdinandi Regis regimine destitui contigerit, ex nunc prout ex tunc, & e converso tibi tamquam ejusdem Ferdinandi Regis filio primogenito & successori, si tunc supervixeris, alioquin te prædefuncto dicto Ferdinando principi tamquam ejusdem Ferdinandi Regis in dicto regno & terra legitimo successori pro te, & in eventum, ut supra, pro ipso Ferdinando principe, ac tuis ex te vel ejusdem Ferdinandi principis in eventum ejusdem liberis, ex ipso Ferdinando principe recta linea legitime descendentibus respective natis & nascituris, cum censu annuo, aliisque conditionibus, modis, & formis, adjectionibus, promissionibus, cautelis, clausulis, & voluntatibus, & inferius ordinationibus annotatis, de eorumdem fratrum nostrorum consilio pariter, & assensu, & ex certa nostra scientia, & de apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium in feudum perpetuum concedimus, confirmamus, & de novo elargimur, volentes & intendentes, si tunc supervixeris, alioquin dictum Ferdinandum principem de præfatis regno & terra citra pharum, ut præfertur per vexillum præfatæ ecclesiæ si tibi supervixerit, & alias dicto Ferdinando principi per nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, aut aliquo ex ejusdem ecclesiæ Cardinalibus, aut alium, cui nos aut sedes præfata id duxerimus committendum, ejusque ecclesiæ nomine tradendum, & assignandum per obitum dicti Ferdinandi Regis, ut præfertur ministrari, ita tamen, quod tu & Ferdinandus princeps respective, ut præfertur, ante præsentium litterarum de manibus nostris, seu mandatariorum nostrorum receptioni juxta formam inferius annotatam fidelitatis debitæ juramentum & homagium, necnon servitium, vassallagium, vel ligium in manibus nostris per vos, vel procuratorem vestrum ad hoc a vobis specialiter constitutum, & iterato tu vel dictus Ferdinandus princeps, qui de regno & terra præfatis contigerit, ut præfertur, actualiter investiri tempore traditionis dicti vexilli, & actualis investituræ præfatæ præstare teneamini pro hujusmodi feudo præstari debita & consueta. Quorum quidem juramenti, homagii, servitii, vassallagii, & ligii præstationes, quas ante actualem investituram hujusmodi per te, & eumdem Ferdinandum principem præstari contingit, sub jam dicta conditione; si ei supervixeris, dicto Ferdinando Rege decedente, alioquin eumdem Ferdinandum principem, qui eidem Ferdinando Regi in dictis regno & terra succedet. Civitatem autem Beneventanam præfatam cum ejus territorio, districtibus, & pertinentiis per nos, seu Romanum Pontificem distinctis, vel distinguendis cum eorum incolis prout illa sibi dudum præfata Romana ecclesia spetialiter retinuit, & reservavit, harum serie nobis, & præfatæ ecclesiæ reservamus. Conditiones vero præfatæ sunt hæ videlicet. Promittetis, &c.* Conceptæ sunt eæ leges eodem verborum ordine ac numero, quo descriptæ fuerant eæ, quas Ferdinando datas a Pio II. vidimus (a) quibus repetitis subditur.

Idem atque Alphonsus sacramentum nuncupare jussus.

(a) Ann. tom. 19. 1458. n. 31. usque ad 47.

XIII. *Forma autem juramenti præfati per te & eumdem Ferdinandum principem, sive tuum & illius procuratorem ex nunc in manibus nostris, & iterato per illum, ex te & dicto Ferdinando principe, quem tempore obitus dicti Ferdinandi Regis, & in regno præfato vigore præsentium succedere contigerit, tempore investituræ præfatæ per traditionem vexilli, ut præfertur, faciendæ, ac per tuos si te, nec non dicti Ferdinandi principis in dicto regno Regi imme-*

Forma juramenti.

me-

*mediate succedere contingat, vigore præsentium est talis: Ego Alfonsus dux Calabriæ Ferdinandi Dei gratia Regis Siciliæ illustris primogenitus, si me decedente præfato Ferdinando Rege in regno & terra præfatis in Regem succedere contingat, & ego Ferdinandus princeps Capuæ dicti Alfonsi ducis primogenitus in tempore obitus dicti Ferdinandi Regis prædefuncto dicto Alfonso duce genitore meo superesse me Dei gratia præfato Ferdinando Regi in regno & terra præfatis juxta tenorem litterarum nobis super hoc concessarum succedere, & Regem Siciliæ & terræ præfatorum esse contingat, plenum homagium, ligium, & vassallagium faciens vobis domino meo domino Innocentio Papæ VIII. & ecclesiæ Romanæ, in regno Siciliæ, & tota terra, quæ est citra pharum, & quantum spectat ad terram citra pharum, usque ad confinia terrarum ipsius ecclesiæ excepta civitate Beneventana cum toto territorio, ac omnibus districtibus, pertinentiisque suis, secundum antiquos fines territorii, pertinentiarum, & districtus civitatis ejusdem per Romanos Pontifices distinctos, & in posterum distinguendos, ab hac hora, & in antea fidelis & obediens ero beato Petro & vobis domino Innocentio Papæ VIII. vestrisque successoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus, sanctæque Romanæ ecclesiæ. Non ero in consilio, vel consensu, seu facto, ut vitam perdatis, seu perdant, aut membrum, seu capiatur, seu capiantur mala captione; consilium, quod mihi credituri estis per vos aut nuntios vestros, vel per litteras, ad vestrum, vel eorum damnum scienter nemini pandam, & si scivero fieri, vel procurari, seu tractari aliquod quod in vestrum, vel ipsorum damnum cadat, illud pro posse impediam, & si hoc impedire non possem, illud vobis, vel eis significari curabo. Papatum Romanum & regalia beati Petri, tam in regno Siciliæ, & terræ suprascriptis, quam alibi consistentia, adjutor vobis ero ad retinendum, defendendum, & recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Diversas & singulas conditiones suprascriptas & contentas in præsentibus literis apostolicis super ipsorum regni & terræ concessione confectis, ac omnia & singula, quæ in eis continentur literis plenarie, adimplebo, & inviolabiliter observabo, nec ullo umquam tempore veniam contra ea. Non procurabo per me, vel alium, seu alios quoquomodo, ut eligar, vel nominer in Regem vel Imperatorem Romanum, seu Regem Theutoniæ, aut dominum Lombardiæ, vel Tusciæ, etsi electionem, vel nominationem ad Imperium, vel regnum Romanorum, seu regnum Theutoniæ, aut dominium Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris partis earundem de me celebrari contingat, nullum hujusmodi electioni seu postulationi assensum præstabo, nec intromittam me modo aliquo de eorum, vel alicujus ipsorum regimine, neque etiam de civitate Beneventana, & suis territoriis, districtibus, & pertinentiis, seu Campania, neque de Maritima, ducatu Spoletano, marchia Anconitana, Patrimonio beati Petri in Tuscia, Massa Trabaria, Romandiola, alma urbe, in civitatibus Perusina, civitate Castelli, Bononiensi, Ferrariensi Avinionensi, & comitatu Venaysinensi, seu aliis terris quibuscumque vestris, & dominiis, seu feudis ecclesiæ ubilibet constitutis ex successione vel legato pro donatione aut venditione vel alio quovis titulo, vel contractu, mihi nihil umquam acquiram, vel vendicabo, nec recipiam, vel habebo, seu retinebo, vel potero recipere, habere, aut etiam retinere in illis: neque ullam potestariam, Capitaniam, vel rectoriam, nullumque aliud officium recipiam, seu recipere potero in eisdem, aut ipsorum aliquo, nec etiam occupabo, aut occupari permittam, seu faciam præmissa, vel partem aliquam eorum, nec illa offendam, nec molestabo, nec etiam Romanam ecclesiam quoquomodo sub censuris pœnisque spiritualibus, & temporalibus, in suprascriptis conditionibus, & infeudatione contentis, quas hic haberi volo in singulis suis partibus alias pro specifice repetitis & expressis. Schismatico, aut hæretico cuicumque vel a fide devio, & ab ipsa ecclesia præciso, ejusque sequacibus, aut dantibus eis auxilium, consilium, vel favorem, nec ab aliis, quantum in me fuerit; si impedire potero, dari permittam, sed eos juxta posse meum, donec convertantur, persequar. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia.*

*Tu autem similiter, & idem Ferdinandus princeps sic cum dicto Ferdinando Regi succedentes in eisdem regno Siciliæ & terra heredes dabitis privilegium vestrum nobis & dictæ ecclesiæ Romanæ aurea bulla bullatum, in quo proprio juramento fatebimini, recognoscetis expresse regnum Siciliæ, aut totam terram ipsius, quæ est citra pharum, ut præfertur, usque ad confinia Romanæ ecclesiæ, excepta civitate nostra Beneventana, cum territorio, & pertinentiis suis, quæ ecclesiæ remanebunt, eidem ex sola gratia & mera liberalitate sedis Apostolicæ, & nostra, tibi similiter, & dicto Ferdinando Regi succedere in regno & terra præfatis vigore præsentium contingat, ejusque & dicti Ferdinandi principis sic succedentis heredes fuisse concessa, vosque recepisse & tenere regnum, & terram hujusmodi a vobis dicta Romana ecclesia, sub pa-*

*pactis, modis, & conditionibus supradictis. Nolumus autem, per præsentes tuis, & dicti Ferdinandi Principis, vel aliorum quorumcumque juribus, si quæ tibi & Ferdinando principi in illis quomodolibet competant, ullatenus derogari, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo pridie nonas junii pontificatus nostri anno* VIII.

XIV. Titulus Crucis Christi Romæ inventus.

XIV. Eodem anno eademque die, qua Granatam Christi subditam imperio Romæ nuntiatum est, inventum fuisse Romæ titulum crucis dominicæ in basilica ejus nominis sacra, quam Petrus Mendoza Cardinalis ac Toletanus archiepiscopus Hispaniarum primas instaurandam curabat, refert Stephanus Infissura (*a*); additque Innocentium jussisse illum in solemnibus ecclesiæ celebritatibus in ara fidelibus exponi; quem Burchardus (*b*) se vidisse ac tetigisse refert, cum Pontifex una cum Cardinalibus in eam ecclesiam se contulisset: *Feria*, inquit, *secunda* XII. *martii die festo S. Gregorii sanctissimus dominus noster*, & infra, *venit ad ecclesiam S. Crucis in Jerusalem, in qua superioribus diebus, cum ecclesia ipsa restauraretur per reverendissimum dominum Toletanum ejusdem tituli Cardinalem, & perpulchre ornaretur, repertus est in summitate ejusdem arcus supra chorum in quadam capsa plumbea latere cooperta cedula circumligata & tribus sigillis ejusdem tamen impressionis sigillata. In quibusdam sigillis scripta erant verba: Geraldus Cardinalis sanctæ crucis, & in medio imago quædam mediæ figuræ cum capello in forma rotunda magnitudinis aliquantulum majoris. In latere vero dictam capsam cooperiente a parte, quæ ab intus posita fuerat, sculpta erant hæc verba: Titulus crucis. In capsa vero prædicta posita erat quædam tabula antiquissima semicomsumpta linea longitudinis unius palmi, & grossa plusquam duorum digitorum: in qua tabula sculpta erant ordine retrogrado Judæorum more literæ Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ: Jesus Nazarenus; residuum tituli ejusdem, videlicet: Rex Judæorum; deficiebat, & tabula ipsa ab uno capite ostendebat scripturam, & quod semidivisa fuisset existimabatur; propterea in alia parte ejusdem tabulæ deficiente residuum literarum hujusmodi sculptum fuisse. Scriptura literarum hujusmodi fuit satis concava, & satis bonis characteribus facta. Quam sanctissimus dominus noster ad manus recipiens undique circumspexit, me etiam vidente & tangente Cardinalibus circumstantibus, & similiter videntibus.*

(*a*) Infiss. ms. arch. Vat. sig. n. 111.
(*b*) Burch. ms. arch. Vat. sig. n. 104. p. 1040.

Forma illius.

XV. Oblatum dono XIX. maii ejusdem anni Pontifici a Bajazethis Turcarum Imperatoris oratore nomine Chamisbuerch ferrum lanceæ, quo Christus dominus in cruce perfossus fuerat, in Mahometis II. thesauro, in quem urbis Constantinopolitanæ spolia ex ecclesiis rapta congesta fuerant, repertum refert idem Burchardus (*c*), quod Petrus Delphinus in literis ad Joannem majorem eremi confirmat (*d*), addit vero Burchardus se in dubium revocasse, an illud verum ferrum esset Christi vulnere consecratum, cum Nurembergæ Cæsar, Parisiis Francorum Rex religiose illud asservari contenderent. Tum qua religiosa pompa illud exceptum sit, describit (*e*): *Veni*, inquit, *ad reverendissimos dominos Beneventanum & S. Anastasiæ Cardinales pro ordinatione receptionis ferri prædicti facienda.* Et infra: *Ego etiam ipsis ad memoriam reduxi ea, quæ nuper videlicet in Cardinalium ad hoc deputatorum congregatione dicta fuerant, videlicet quod propter famam, quæ in Alemannia, videlicet Nuremberga & Gallia esset de ferro hujusmodi apud eos existente. Et propter infirmitatem sanctissimi domini nostri ferrum hoc in Narnia, vel in ecclesia B. Mariæ de populo dimitti, aut secrete sanctitati suæ reportari deberet & penes eum retineri: interim diligentia fieri, ut veritas haberetur, quale verum esset ferrum, & ubi quæsito, si hoc esse posset: tunc id omni veneratione & honore absque cujuspiam detractione recipi & conservari. Reverendissimi domini prædicti singulis intellectis dixerunt omnia sanctissimo domino nostro exposituros.* Et infra: *Feria* V. XXXI. *maii festo Ascensionis domini nostri Jesu Christi bono mane sanctissimus dominus noster indutus amictu, alba, cingulo, stola pretiosa alba supra capucium album, præcedente cruce & Cardinalibus venit ad ecclesiam B. Mariæ de populo.* Et infra: *Facta in dicta ecclesia oratione ante altare extracto sibi capucio retenta stola accepit desuper pluviale pretiosum & mithram pretiosam. Interim ibidem omnes Cardinales & prælati intra & extra ecclesiam acceperunt paramenta sibi convenientia & officiales superpellicea. Tum sanctissimus dominus noster processionaliter venit, tamen sine baldachino propter maximam processionem populi præcedentis, officialibus, cruce, prælatis, & Cardinalibus, ac aliis more solito extra portam de populo ad spatium quadraginta vel circa passuum: ubi stabant reverendissimi domini Cardinales S. Petri ad vincula & Ulixponensis in suis paramentis cum eorum familiis, & pluribus intortitiis ardentibus: appropinquante sanctissimo domino nostro processerunt dicti duo Cardinales legati ad Narniam hac de causa nuper missi, ad dominum nostrum, & S.*

(*c*) Id. p. 1089.
Ferrum lanceæ quo Christi latus confossum ad Pont. transmissum a Turca.
(*d*) Petr. Delph. l. 3. ep. 33.
(*e*) Burch. ubi sup. p. 1092.
Mota lis an in Germ. vel Gallia haberetur.

Duo Cardd. legati ad ferendum illud ferrum transmissi.

Pe-

*Petri ad vincula ferrum in tabernaculo cryſtallino, quod in ſuis manibus tenebat ſanctiſſimo domino noſtro, quibuſdam brevibus verbis ad hoc convenienter compoſitis, obtulit, ſanctiſſimus dominus noſter depoſita mithra etiam brevibus verbis reſpondit, accepit tabernaculum cum ferro, & illud oſculatus eſt reverenter : impoſita eſt Papæ mithra, & proceſſio per reverendiſſimum camerarium ordinata, &c.*

XVI. Galliæ Regi cuſpis lanceæ tantum oppignerata a Balduino. (a) To. 5. hiſt. Francis. ex editione Duchesnii. (b) Infiſſ. ml. arch. Vat. ſig. n. 111.

Porro non ſine cauſa eam dubitationem adduxerat Burchardus rituum præfectus, ſiquidem extant (*a*) Balduini II. Imperatoris literæ, quibus ferrum lanceæ dominicæ a ſe oppigneratum Ludovico IX. ob cœleſtes virtutes ſanctorum honoribus poſtea culto profitetur ; non ferrum autem integrum, ſed cuſpidem tantum in Galliis haberi Turcicum oratorem dixiſſe refert Stephanus Infiſſura (*b*), cujus verba etiam ad rem confirmandam repetenda viſa ſunt : *Die*, inquit, *ultimo menſis maii, die aſcenſionis intravit urbem orator magni Turci, qui donavit lanceam vel ferrum lanceæ Longini, cum quo fodit latus domini noſtri Jeſu Chriſti in cruce : & fuit recepta a Pontifice & toto clero proceſſionaliter ab eccleſia S. Mariæ de populo uſque ad S. Petrum, & erat incluſum dictum ferrum in quodam tabernaculo pulcherrimo cryſtalli cum pede, & aliis ornamentis puri auri, & fuit res magnæ æſtimationis, & forma ejus eſt hic deſignata in propria forma ipſius, & cuſpis ejus eſt apud Regem Franciæ, prout ipſemet Turca nuntiavit Papæ per prædictum ſuum oratorem*.

Lancea Chriſti in Germ. quid ſit.

Quod vero ad eam lanceam attinet, quæ dominica dicitur, inter cæſarea inſignia religioſe cuſtoditur in Germania, de qua & aliis paſſionis Chriſti monumentis Innocentium VI. Caroli IV. Imperatoris rogatu apoſtolico diplomate feſtum diem, & ſacras preces horarias celebrandas in Germania inſtituiſſe vidimus (*c*), eam ex aliqua dominicorum clavorum parte elaboratam eleganti artis lenocinio, traditamque a Sampſone Italiæ comite Rodulpho Burgundionum Regi, ac demum ab hoc invito Henrico Regi Saxonum ducis filio collatam, ex Baronio diximus (*d*). Cæterum prædictum dominicæ lanceæ ferrum in baſilica Vaticana ab Innocentio fuiſſe repoſitum narrat hiſce verbis Infiſſura (*e*) : *Die lunæ* xvi. *dicti menſis*, nempe julii, *præfatum ferrum, quo fuit dominus noſter Jeſus Chriſtus perfoſſus prædicti Cardinales & collegium de camera dicti Pontificis in eccleſiam S. Petri in loco, ubi eſt incluſum ſudarium, una cum dicto ſudario collocaverunt*.

(c) To. 26. annal. A. C. 1354. n. 18.

(d) Eod. n. in fine.

(e) Infiſſ. ubi ſup. Repoſitum ferrum lanceæ quæ Chriſtum contigit in Baſilica S. Petri.

XVII. Perlatas ad Pontificem una cum ferro lanceæ dominicæ plures ſanctorum reliquias, atque una cum iis ſpongiam & cannam paſſione Chriſti conſecratas, refert Jacobus Boſius (*f*). His vero muneribus conciliare ſibi Innocentium ſtudebat Bajazethes, ne occidentales principes in eum concitaret ; extantque binæ illius literæ (*g*) plenæ officiorum ad Pontificem Græcis verbis conceptæ, & primis quidem ſe a Cardinale Rhodi principe accepiſſe ait, fratrem ſuum Zizimum Romæ verſari, poſcitque ut pactionibus initis cum Rhodio cuſtodiatur, pontificiamque amicitiam culturum ſe profitetur : in alteris vero ait (*h*) Chriſtianos, qui in Turcico degunt imperio ex mutua ipſorum conſenſione ingentem percepiſſe lætitiam, ac de comparato a ſe exercitu confectaque expeditione in Macedoniam rationem reddit, nempe populos illos ab ipſo deſciviſſe, ſed oppreſſos armis : nuntiatum autem ſibi pontificio imperio ingentem inſtructum verſus partes Aulonis exercitum fuiſſe, ſed omnem dein belli ſuſpicionem evanuiſſe : cæterum Othomannicam claſſem ex Macedonia revocatam in Pontum, atque ad coercendos reprimendoſque piratas tantummodo inſtructam teneri.

Alia ſacra lipſana ad Innoc. a Bajazethe tranſmiſſa. (f) Boſius p. 2. l. 14. (g) Ext. in mſ. Val. ſign. lit. C. n. 33. p. 165. (h) Id. p. 166.

Albanenſes fracti a Bajazethe.

Quod vero ad illa, quæ Bajazethes ſignificavit Pontifici, attinet ; illuſtrat ea Surita (*i*), dum ait Ferdinandi Siciliæ & Hiſpaniarum Regis claſſem ex viginti triremibus, decemque navibus majoris alvei comparatam verſus orientem vela feciſſe : Bajazetem vero Apolloniam terreſtri maritimoque exercitu ſuccinctum acceſſiſſe, ac tum utramque Siciliam terrore repletam valde timuiſſe, ne alterutri bellum inſerret, raptimque tota Siciliæ inſula ingentes bellicos apparatus factos ; Alfonſum autem ducem Calabriæ cum delectis copiis Hydruntum ſe contuliſſe, ut eam oram ab excurſionibus Turcicis tueretur, ac Bajazethem vires in Albanitas effudiſſe ; de qua expeditione meminit Turcogræcæ hiſtoriæ auctor (*k*). Attriti illi demum fuere cum initio Turcicum equitatum concidiſſent, vero (*l*) jugum barbaricum excutere pertentarant, concepta vana decernendi in Turcas a Chriſtianis occidentalibus belli ſpe deluſi. Et quidem Venetiis apparatus aliqui fieri cœperant, qui Bajazethem non levi metu perculerunt, eo enim Francorum Regem duodecim naves rebus omnibus neceſſariis ornatas miſiſſe ex Vialardo (*m*) diximus, quippe ſacrum Turcis bellum indicere generoſo ardore meditabatur, ac propterea cum equitibus Rhodiis militaria agitaſſe conſilia, ac Petrum Aubuſſonium Cardinalem, ac ſupremum illorum magiſtrum magna officiorum ſignificatione pellicere in Gallias

XVIII. (i) Sur. to. 5. annal. l. 1. c. 8. Claſſis immiſſa a Ferd. Rege Hiſp.

(k) Turcogr. hiſt. l. t. (l) Bonfin. dec. 5. l. 3. Mota inconſulte ab Albanenſibus arma.

(m) Vialard. in Vit. Inn. VIII. Belli Turcici abjecta conſilia.

lias conatum, ut bellica contra Bajazethem colloquia cum eo faceret, narrat Jacobus Bosius (*a*): sed omnia ea consilia præclara consenuere.

(*a*) *Bosius p. 2. l. 14.*

XIX. Expeditionem in Ungariam Bajazethes molitur.

Interea Bajazethes domitis Albanitis ingentem aliam expeditionem confecit, adeo ut ducenta hominum millia, triremes ducentas, & alia minoris alvei navigia, ut per Istrum Savumque in Pannoniam duceret coegisse relatum fuerit (*b*) Wladislao Hungarorum Regi, sed cum pacata Hungariæ civilia bella audiret cœptis abstitit, Hungarorum virtutem veritus: quippe illi ingruentes Turcas Albæ Græcæ mœnibus fortiter propulsarunt, Sabatium non sine strage hostili obsidione liberarunt (*c*), barbaricas excursiones coercuerunt duce Paulo Kinisio bellica laude præclarissimo, qui ad vindicandum eorum cruorem, qui intercepti abductique Constantinopolim variis suppliciis affecti fuerant, quoscumque Turcas cepit exquisitissima carnificina confecit, corpora enim partim nudavit cute, partim pistrinorum rotis illisit, partim suibus lanianda objecit, partim lentis ignibus concremavit, ut ea sævitia territi sævire in Christianos Turcæ desinerent. Postulatus de pace Wladislaus ea lege, ut Turcas ipsos in finitimos Christianos imperio suo non obnoxios incurrere sineret propudiosam ejusmodi pacem generose respuit. Debuerat Maximilianus Cæsar se Wladislao fœdere in Turcas jungere: sed privatis ductus cupiditatibus acto Confluentiæ regio conventu societatem armorum cum Henrico Anglo ad Galliam invadendam percussit qua de re ejusdem Maximiliani, ac septemvirum extant hæ literæ (*d*) consignatæ.

(*b*) *Bonfin. dec. 5. l. 3.*

Ab ea abstitit.

(*c*) *Bonfin. ib. Crom. l. 29.*

Propulsati Turcæ.

In captos eur exercita crudelitas.

Fœdus a Maximilianum cum Anglo.

(*d*) *Ext. apud Dolgast. to. 1. p. 312.*

*Henrico Regi Angliæ & Franciæ, ac domino Hiberniæ, &c.*

XX.

*Serenissime ac potentissime princeps. Cum egregius vir magister Franciscus de Puys orator ac secretarius noster nobis omnibus in hoc imperiali conventu congregatis indicaverit, vestram serenitatem non solum ob fraternam confœderationem, qua nobis & Romano Regi constanti fide conjungitur, verum etiam ob singularem affectum & amicitiam quæ sacro Romano imperio omnibusque principibus ejus & unice illustrissimo archiduci Philippo imperiali ac regio filio vehementer afficitur, cum machinis ac cæteris quibuscumque castrensibus instrumentis traduxisse tam in maximarum injuriarum nobis, Regi ac sacro imperio per Francorum Regem [ ut nostis ] illatarum ultionem quam in ipsius illustrissimi archiducis patriarumque ejus defensionem sane omnes ut debuimus summopere gavisi sumus, vestræque serenitati ex tam strenuissimis ac præclarissimis gestis nos omnes plurimum debere censuimus* & infra. *Nos autem Romanorum Rex nostros jam antea in limitibus hostium ad præoccupandas angustias missos totis copiis sequimur tot susceptarum injuriarum justam ultionem Deo propitio prosequturi, &c. Dat. die* VIII. *mensis octobris MCCCCXCII.*

Suscepta ab Anglo expeditio in Galliam.

Promissus a Maximil. auxiliaris exercitus.

XXI. Innocentii obitus.

Inter hos civiles Christiani imperii motus obiit hoc anno Innocentius devexo julio die S. Jacobo Apostolo sacra, ut refert Stephanus Infissura (*e*): *Die* inquit, XXV. *julii in die S. Jacobi, sexta vel septima hora noctis mortuus est Innocentius Papa VIII. cujus anima requiescat in pace.* [1] Laboraverat diutino morbo, a biennio enim

(*e*) *Infiss. ms. arch. Vat. sig. n. 111. & aliud ms. sign. cod. num. Vialard. in tit. Inn. VIII. & alu.*

NOTÆ [1] INnocentius hoc anno naturæ debitum exsolvit, mense & die in Annalibus indicatis. Principem egit mitem, benignum, humanum quæ ejus virtutes laudem apud omnes promeruerunt. Sicut, vicissim quod nothos filios suos ostentui habuerit extuleritque dignitatibus & divitiis invidiam apud omnes incurrit. Primum omnium fuisse pontificem qui nothos filios non celare tantummodo neglexerit, sed & in lucem solemque collocare non erubuerit, scribit & detestatur Raphael Volaterranus apud Annalistam hic n. 25. Sunt tamen qui hanc calumniam a Sixto depellant defendentes Petrum Riarium cardinalem pontifici huic nepotem ex sorore, non vero filium spurium extitisse. Sub Innocentio pariter pontifice aulæ licentia immoderate aucta est adeo, ut ad fastigium illud quo tandem sub Alexandro VI. pontifice pertigit proxime accesserit. Vide exempla apud Stephanum Infissuram ad A. 1490. in fine anni. Sed eo ipso pariter tempore e cardinalibus quidam spectabantur, qui sacram dignitatem insigni probitatis exemplo commendabant. Ante biennium enim obierat Marcus Barbus cardinalis S. Marci, Aquilejensis patriarcha, quem tantæ probitatis virum fuisse testatur Naugerius in historia Veneta ad hunc annum, ut pecuniæ pene indignus obierit.

Ad Innocentium vero ut regrediamur, iniquioris illum animi in Genuenses suos accusat Bizarus hist. Genuens. lib. 26. id vero unde acceperit scriptor hic ab ætate illa remotus ignorare se profitetur Oldoinus in addition. ad Ciaconium. Verum Bizaro suffragatur Bartholomæus Senarega qui res Genuensium illius ætatis tunc scribebat Rerum Ital. tom. XXIV. qui & tradit se Romæ agentem publica quadam de causa expertum cognovisse rem habere se eum pontifice in Florentinos quidem plurimum, parum vero in Genuenses propenso.

Scripsit præter epistolas ad diversos quas in volumen collectas in Vindobonensi bibliotheca servari Possevinus affirmat, Regulas quasdam quas in bibliotheca Cœlestinorum Avenionensium vidisse se Ludovicus Jacobus a S. Carolo in bibliotheca pontificia testatur. Innocentio successor datus est Alexander VI. MANSI

(a) *Volat. l.22.*

Judæi medici valetudinem illi pollicentis atrox facinus.

nim, quo torpore ſoporifero viginti horis ſine vitæ ſignis jacuerat (*a*), adverſa valetudine ſuerat uſus: acciditque tum, ut cum vis morbi medicam artem eluderet, Judæus impoſtor, qui valetudinem pollicebatur, a tribus pueris annorum decem, qui paulo poſt emortui ſunt, ſanguinem exhauſerit, ut ex eo pharmacum ſtillatitium chimica arte paratum propinandum Pontifici conficeret: quod cum Innocentius reſciviſſet execratus neſas Judæum juſſit faceſſere, qui mox fuga ſupplicio ſe ſubduxit. Verſam vero Innocentii ſolicitudinem ad procurandam animæ ſalutem, ſpeſque caducas cum ſpe immortalitatis ab eo commutatas teſtatus eſt Leonellus epiſcopus Concordienſis (*b*) in frequentiſſimo Cardinalium conventu: *Viſitatus*, inquit *a Domino pluribus longiſque morbis, quos patientiſſime toleravit, multa ſancta & utilia cogitata perficere nequivit. Adveniente demum divinæ vocationis hora, ſumptis ex ritu Chriſtiano devotiſſimo animo ſalutaribus ſacramentis, ſpiritum reddidit creatori, ut quaſi jam compos æternæ gratiæ videretur, atque, cæleſtem vitam cum morte commutare.* Conſentiunt Onuphrius Panvinus, Vialardus, & alii ipſum multa pietatis ſigna extremo vitæ tempore explicuiſſe. De ejus vero dotibus ac virtutibus animi hæc idem Concordienſis epiſcopus refert (*c*).

(b) *Ext. ejus oratio apud Papyr. Maſſon. in Innoc. VIII.*

Sacramentis rite munitur Innocentius.

(c) *Ibid.*

XXII. Exornatum ab eo pontificium palatium.

*Conſtantiſſimus juſtitiæ cultor, pacis ſtudioſiſſimus amator, & exuberantis annonæ vigilantiſſimus inſtructor. Sedatis honorifice ſibi ingruentibus bellis, peculiares eccleſiæ populos & Romanos in primis quam feliciſſimos exoptavit: exultavit ſummopere cum ad majores dignitates viros extulit eruditos, & probos, erat enim ipſi vera inſita bonitas, quæ illum ad quaſcumque optimas actiones propenſiſſimum ſuper omnia reddebat, fuit propterea in pauperes miſericors, afflictorum non minus conſolator quam principum ſuſceptor liberalis & Dei ac ſanctorum ejus pientiſſimus venerator, pontificale palatium miro ſumptuoſiſſimoque opere exornavit amplificavitque, & multiplici pretioſiſſimaque ſupellectile tam divinis quam domeſticis uſibus aptæ largiſſime decoravit.* Laudatam a multis in eo humanitatem ſingularem, paciſque amorem in ejus vita Papyrius Maſſonus commemorat ſic inquiens (*d*): *Cum nihil, ut magnus Gregorius eſt author, in pontificali cervice ſplendidius fulgeat, quam humilitas, vidimus ipſum [ quod ſane rariſſimum eſt ] eadem ſe in pontificatu adeuntes humanitate, affabilitate, ac benignitate ſuſcipere, qua & epiſcopus & Cardinalis antea conſueverat, ut idem ſemper ſervato tamen decore, fuiſſe videretur nec immutati in eo mores, ſed aucta tantum dignitas cognoſceretur. Quanta vero ſermonis dulcedine, & elegantia, quanta perſpicacia atque memoria quam aptis rationibus & poſtulata colligeret, & repetentibus reſponderet, nemo unquam ſine admiratione potuit audire. Obſervabat illud, quod eſt principis proprium, ut ſive concedendo ſive negando neminem a ſe triſtem dimitteret.*

(d) *Maſſon. in Innoc. VIII.*

Singularis in Innocentio emicuit humanitas.

XXIII. Horti aſpectu amœni ab eo conſiti.

His adiicit Stephanus Infiſſura, plura de conſtructis ab eo ædificiis: *Ejus*, inquit, *vita a multis fuit approbata, eo quod fuit humanus & amator pacis, & conſtruxit Romæ multa ædificia, nam in oleario ſecus palatium Papæ fecit unum palatium quod vocatum eſt ejus juſſu: Belvedere, in cujus conſtructione ſexaginta millia ducatorum expendiſſe conſtat, & videri poteſt. Fecit etiam palatium inter reclauſtrum S. Petri, & reclauſtrum palatii ipſius, ubi ſunt auditores, quod inſignia ipſius paſſim appoſita oſtendunt. Reparavit eccleſiam S. Joannis Lateranenſis videlicet ante tribunam: refecit totum tectum, & ibi præparavit duas groſſas columnas cum lapidibus marmoreis pro faciendo ibi arcu, quod morte præventus non fecit. Præbuit etiam auxilium in conſtructione eccleſiæ S. Mariæ in via lata, ut ſupra dixi.* Adit author ipſum nimio in filios nothos affectui ſtuduiſſe, adeo ut addubitatum ſit, ne Eccleſiæ theſaurum in eos derivaret, quem nevum in eo etiam perſtringit Raphael Volaterranus hiſce verbis (*e*): *Pontificum etiam primus, qui novum & ipſe exemplum introduceret, palam liberos nothos jactandi, ac ſoluta omni antiqua diſciplina divitiis eos omnibus cumulandi, nam & alteri Franciſco oppida nonnulla urbi vicina dedit, Laurentiique Medicis filiam matrimonio locavit.* Collecta vero ob eam affinitatem Pontificis gratia Laurentius Medices peperit (*f*) Cardinalatum Joanni filio, quamvis pene puero, tandemque ſummum pontificatum in ſuam familiam intulit, quo poſterorum principatus firmatus eſt.

Nimiæ in ſpurios profuſionis reprehenditur.

(e) *Volat. l.22.*

(f) *Vialard. in Vit. Inn. VIII.*

XXIV. Pontificatus tempus.

Quod ad ſedis Innocentii tempus attinet; cum renuntiatus fuerit Pontifex xxix. auguſti die anni MCCCCLXXXIV. mortuus vero fuerit vigeſima quinta julii anni MCCCCXCII. ipſum ſediſſe annis ſeptem, menſibus decem, diebus viginti octo perſpicuum eſt. Juſtis de more ei perſolutis eadem die Cardinales conclave ingreſſi ſunt, ut refert Stephanus Infiſſura (*g*), qui eorum nomina recenſet: *Die*, inquit, *ſexta auguſti Cardinales omnes intraverunt in conclave, quod erat apud palatium S. Petri in capella, & fuerunt iſti, videlicet Vicecancellarius, Neapo-*

(g) *Infiſſ. mſ. arch. Vat. ſig. n. 111.*

Qui Card. Conclave ſint ingreſſi.

*politanus, S. Petri ad vincula, Senensis, Portugalensis, Sabellus, de Comitibus, de Columna, Ursinus, Ascanius, S. Mariæ in porticu, S. Angeli, S. Clementis, Racanatensis, Aleriensis, S. Anastasiæ Beneventanus, Florentinus, S. Severini, patriarcha Venetus, Parmensis, Toarnensis, S. Georgii.* Agitari mox de præficiendo Ecclesiæ pastore cœptum est; quibus vero animi dotibus is ornatus esse deberet, differuerat elegantissime Leonellus episcopus Concordiensis, de quo supra memoravi, in oratione (*a*) coram Cardinalibus habita, dum fluctuantis Ecclesiæ statum, quantoque & quam perito moderatore opus esset, descripserat his verbis: *Imminet quotidie Christianis cervicibus immanissima Turcarum ferocitas, sævit adhuc, cum potest, in catholicos fratres furibunda & armata Hussitarum perfidia: pullulant ubique adversus orthodoxam fidem nefandissimi errores, crescit in dies magis pervicax in sacrosanctam Romanam ecclesiam universalis Ecclesiæ matricem radicemque contumacia, viget ingens tam in clero quam in populo luxus, quassatum est intestinis dissidiis B. Petri Apostolorum principis patrimonium: eminentiores Christiani nominis principes ardentissimis odiis in mutuum, nisi celeriter occurratur, armantur excidium: turbatus est ager Romanus, urbs ipsa quotidie cædibus & rapinis quorundam temeritate cupiditateque fœdatur, tanta denique, ut Jeremiæ verbis utar, super contritione vocata est contritio, ut ad ipsam matrem nostram Ecclesiam conversi cum eodem Jeremia merito lamentari valeamus. Filia Sion magna est velut mare contritio tua, quis medebitur tui? Sumus enim adhuc incerti quem elegerit Dominus Innocentii locum & apostolatum accipere: qui tot tantaque ingruentia pericula non secus repellere, quam nubes sol oriens dissipare valeat.* Multis de Innocentio interjectis, Cardinales ita compellans subdidit.

(*a*) Ext. apud Masson. ubi sup.

Expositus ipsi ecclesiæ status.

XXV. *Luctus magnus est in Ecclesia, quam vos facile consolari poteritis, si proprio affectu, si ambitu, si falsa persuasione, ut speramus, eliminatis divinæ cooperatores voluntatis nil nisi de sanctimonia, doctrina, & rerum peritia fulgente Pontifice deligendo cogitaveritis. Sunt enim totius Ecclesiæ in vos oculi conjecti, patres optimi: date illi Pontificem, qui solo boni nominis odore cunctos post se fideles populos ad salutem trahere queat, sicut enim, ut est in sapientum libris, cupiditatibus principum & vitiis solet infici tota civitas, sic emendari & corripi continentia. Qualiscumque mutatio morum in principibus exstiterit, eadem & in populo sequetur, planeque verissimum illud, principes plus exemplo quam peccato nocere. Optimus itaque constituendus est princeps, quam facile cognoscetis, si Platonem audiveritis, qui eum deligendum putat, qui singulis semper ætatibus probatus fuerit, & immaculatum se præstiterit, ac perseveranter id agere studuerit, quod reipublicæ conducere arbitraretur, aliter quasi ex divino oraculo censet rempublicam perituram. Eadem ferme sententia vos instruit beatissimus Leo Pontifex, ut illum eligatis, cujus omnis ætas a puerilibus exordiis usque ad perfectiores annos per disciplinæ stipendia ecclesiastica cucurrerit, cuique testimonium præbeat prior vita, quia non potest de ejus provectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actionibus strenuis, celsioris loci præmium debetur. Exhorreatis terribilem illam Domini vocem, patres amplissimi, ne umquam de vobis exclamet. Fecerunt sibi Regem & non per me, principem & non per consilium meum, consilium autem domini est, si Hieronymo credimus, ut qui præstantior est ex omnibus, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille pure sincereque sine ambitu ad summum sacerdotium eligatur. Recordemini, ut reliqua prætermittam, quod Abimelech, qui Israelitici populi principatum ambivit, & modico tempore turbulentissime imperavit, & turpi tandem cæde vitam finivit. Infigite cordibus vestris, ut brevi clausula universa comprehendam, & exequimini sacros canones vobis notissimos de Romani Pontificis & aliorum præsulum electione conscriptos, & iterum sub expectato successore novo proculdubio florebit Ecclesia præstante domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in secula sæculorum.*

Hortatoria oratio de constituendo Pont. optimo.

## ALEXANDER VI.

XXVI. Verum ab optimis hujusmodi suscipiendis consiliis longissime abfuere tum plerique Cardinales: quos partim auro corruptos, partim sacerdotiorum præfecturarumque pollicitationibus, partim vitiorum impurorumque morum similitudine pellectos suffragia sua in Rodericum Borgiam tulisse, queruntur authores (*b*), nec virum delegisse castimonia, sed stupris insignem: de effrænata quippe ejus lascivia a Pio II. increpitum fuisse vidimus (*c*): neque hujusmodi monitis castigatus sordes suas occuluit, sed justæ fere uxoris loco cultuque pessimo exemplo Vanoziam pellicem Romanam, ex qua plures liberos suscepit, utque legitimis procreatos nuptiis quibuscumque potuit opibus & honoribus auxit, habuisse damnatur: qui vero suffragia turpi sacrilegio vendidere

Corrupti auro Cardin. corruptum moribus Pontificem deligunt.

(*b*) Infiss. ms. arch. Vat. sig. n. 111. Panvin. in Alex. VI. Sur. to. 5. annal. 1. c. 11. Marian. l. 26. c. 3. & alii.

(*c*) Annal. to. 10. A. C. 1460. n. 31.

Bor-

Admissi sceleris vindicem sentiunt.

Borgiæ Cardinales contrario rerum exitu, ac spe sua delusi fuere, ut observat Raphael Volaterranus (a): *Primi*, inquit, *ingratum eum sensere, ac omnes sub eo postea varia calamitate sunt pressi, partim exilio, partim carcere mulctati*. Proceres etiam Romanos, quorum Cardinales eum extulerant, alios alia de causa sublatos addit, quæ singula Panvinus (b) enucleate narrat.

(a) *Volat. l.22.*
(b) *Panvin. in Alex. VI.*

XXVII. Card. S. Petri in Gallias fugit.

At Julianus Robureus Cardinalis S. Petri in vinculis in Gallias aufugit iram Alexandri veritus, cum celebrandum esse concilium œcumenicum diceret (c), nimirum ad erigendam Ecclesiam a simoniacis conculcatam, a qua calamitate, ut eam liberaret, adepto pontificatu gravissimas constituit pœnas adversus simoniacos, qui auro promissisve pontificatum acciperent, vel conferrent, vel illius sceleris societate se irretirent, edita sanctione insigni, quæ iterum iterumque ab eo promulgata, ac demum in Lateranensi œcumenico consilio confirmata fuit, ut suis locis dicetur. Illum autem & Cardinalem Senensem, qui ut sæpe diximus, in pontificatu Pii III. nomen accepit, una cum nonnullis aliis collegarum flagitium damnasse, refert Infissura (d): *Hi*, inquit, *nihil habere voluerunt, dixeruntque in pontificatu voces gratis esse dandas, & non muneribus*. Alexandri patriam, genus, ac mores ita describit Joannes Mariana (e): *Natus est in Hispania urbe Valentia, pater Gotifredus Lenzolius, Mater Isabella Borgia. Renuntiata Callixti avunculi electione ad non dubiam purpuræ spem continuo Romam junior advolavit. Cardinalis factus tum alia intemperantia fœdus extitit, tum justæ propemodum uxoris loco & cultu habuit Zanoziam Romanam puellam, ex qua quatuor filios genuit Petrum Ludovicum natu maximum, Cæsarem, Joannem, Gotifredum, filiam unam nomine Lucretiam: Petrum Gandiæ ducem fecit auro redemptæ, usque adeo erat locuples. Thesauros ab avunculo Pontifice relictos, optimis ipse sacerdotiorum vectigalibus auxerat*. Quod ad reliqua ejus gesta & ornamenta attinet; descripsit ea undecim ante annis Jacobus Volaterranus (f) in diario feriæ v. majoris hebdomadæ anni MCCCCLXXXI. sic inquiens: *Sacris est operatus amplissimus pater Rodericus Borgia Valentinus episcopus S. R. E. Vicecancellarius Cardinalis Portuensis*. Et infra: *Annos natus est hic circiter quinquaginta apud oppidum Scientiam Valentinæ diœcesis Callixti III. Pontificis maximi nepos fuit. Initio pontificatus avunculi ad Cardinalatum assumptus una cum Ludovico consobrino suo SS. Quatuor coronatorum, qui quatuor annis citra in præsulatu suo Ilerdensi quietam vitam agit*. Et infra: *Vir est ingenii ad quæcumque versatilis, & animi magni: sermo ei promptus est & in mediocri literatura. Natura est callidus, sed ante omnia miræ ad res tractandas industriæ. Claret mirum in modum opibus, Regum & principum plurimorum clientelis admodum clarus. Sedente Callisto avunculo Picena legatione functus, & anno primo Pontificis Xysti in Hispanias cum potestate non modo de latere legati, sed plene pontificia missus est, a qua in Italiam mari rediens, cum jam Pisanum portum ingredi tentasset, maritimis fluctibus ita est triremis, qua vehebatur, disiecta, ut pene submergeretur. Census ei est a cœnobiis pluribus, quæ & in Italia & Hispaniis præcipue possidet, & a tribus, quibus præest, cathedralibus sedibus Valentina, Portuensi, & Carthaginensi, sed & ab ipso apostolicæ cancellariæ munere, a quo in annos singulos octo aureorum millia sibi provenire dicuntur. Vasorum argenteorum, margaritarum, vestis stragulæ & sacræ ex auro & serico, ac librorum omnis doctrinæ vis maxima est: cuncta specie & ornatu regio & pontificio. Mitto lectorum ornamenta innumera, etiam aurea, argentea, & serica: mitto vestem sui usus admodum pretiosam & multam: mitto signati auri ingens pondus: cunctos patres, dempto Rothomagensi, pecunia & divitiis omnis generis superare creditur*.

(c) *Jul. II. in bulla indict. Lateranen. concil.*
Cur edita in simoniacos Cardd. sanctio.
(d) *Infiss ubi sup.*
(e) *Marian. l.26 c.1.*
Patria & primitiæ Alex.
De ejus spuriis.
Primitiæ & patria Alex. VI.
(f) *Volat. ms. arch. Vat. sign. n.211.*
Florebat divitiis.

XXVIII. Incidisse ejus electionem in III. idus augusti, & pontificium diadema illi impositum VII. kal. augusti tradunt, inter quos accuratissimus Infissura (g) hæc habet: *Anno Domini* MCCCCXCII. *augusti mensis die undecima, videlicet die sabbati summo mane Rodericus Borgia nepos Callixti vicecancellarius creatus fuit Papa, vocatusque est Alexander VI. Hispanus*. Interjectis pluribus addit: XXVI. *augusti coronatus fuit Alexander VI. in sancto Petro, deinde, prout de more accessit ad ecclesiam S. Joannis Lateranensis, cui per urbem factus fuit maximus honor, multi arcus triumphales, & magis quam unquam alii Pontifici factum fuerit per Romanum populum potissime*.

(g) *Infiss. ms. arch. Vat sign. n.111. Volat. ubi sup. & aliis Infiss. ubi sup.*
Tyara pontificia ritu solemni redimitus.

XXIX. Describit illius pompæ celebritatem Petrus Delphinus, qui aderat, in literis ad Bernardinum priorem, ut ait, claustralem hisce verbis (h): *Si tibi seriatim referre ac perscribere voluero qua heri celebritate, honorificentia, pompa summus fuerit Pontifex coronatus, non sufficiet dies: pulchrum sane spectaculum & visu delectabile, neque penitus infructuosum, si ad spiritum, quæ temporalia sunt, referas: varius enim distinctarum personarum & dignitatum ornatus, ordo, incessus superno-*

(h) *Petr. Delph. l.3. ep.38.*

*norum civium atque beatorum multas & diversas referebat mihi mansiones, & Ecclesiæ istius militantis decor ad considerandum triumphantis Ecclesiæ statum ac splendorem animum sæpius evocavit. Effusa erat per totam urbem turba multa virorum ac mulierum in itinere atque fenestris spectantium, donec a S. Petro post celebratam ab ipso Pontifice missam Spiritus Sancti ad Lateranum pervenimus. Via omnis, per quam equitavimus, pannis erat contecta, ac variis triumphorum similitudinibus ornata, pendentibus utrinque ad parietes ædium aulæis ac tapetibus, appenso pluribus in locis ac depicto Pontificis signo distichis, epigrammatibusque variis inscripto. E quibus hoc unum accipe, quod iter facient perlectum edidici, quodque a multis gravibus viris haud multum commendari audivi.*

Solemni pompa Lateranum ductus.

*Cæsare magna fuit, nunc Romana est maxima: sextus*
*Regnat Alexander: ille vir, iste deus*

Adulatorium distichon.

*Revocavit me vero ad considerandam humanæ conditionis infirmitatem, & ad contemnendam terrenæ potestatis & amplitudinis gloriam, quod inter has supremi culminis delitias in templo Lateranensi, me præsente ac propius existente, atque intuente cum aliis prælatis, Pontifici accidit, quod utrum prolixioribus cerimoniis fatigato apud S. Petrum, ac de via fesso, utpote qui cum mithra, quod regnum vocant, ac sacerdotalibus indutus ad Lateranum fervente desuper sole iter habuit, sic illi evenerit nescio expectantibus eum nobis in templo, ingressus est tandem lassus admodum & æstuans. Ad altare primum, cui supposita sunt capita Apostolorum, flexis genibus oravit, possessioneque loci de more accepta populum benedixit. Inde ad altare majus templi in sancta sanctorum, ubi sella reposita erat, eminentior loco, sese recepit, ut ibi a canonicis & sacerdotibus Lateranensibus sibi obedientia exhiberetur. Ægre ascendentem gradus hinc inde duo Cardinales diaconi adjuvabant. Conversus ad populum Pontifex ubi resedit, immo ubi viribus destitutus super sellam concidit, continuo super collum Cardinalis S. Georgii reclinavit caput. Syncopi correptum dicunt: sic exanimatus tamdiu immobilis mansit, donec allata aqua conspersus faciem spiritum recepit. Et tanti faciunt isti pontificatum, qui tanti constat, tanto periculo comparatur. Quid ei profuerint tot armatorum acies per urbem totam ad custodiam ejus dispositæ? velit modo Dominus & facile quid possit ostendit, &c. Vale Romæ die XXVII. augusti MCCCCXCII.*

Deliquium animi in possessione ineunda passus.

XXXI. Addit Stephanus Infissura Alexandrum in primo consistorio mox nepotem ex sorore archiepiscopum montis regalis sacra purpura donasse. At quia sacramento in conclavi se adstrinxerat Cardinalium numerum non aucturum, ni prius ad minorem redactus foret, hac interpretatione acerbitatem sacramenti temperavit, ita scilicet concepisse sacramenti formam mente, ut nemini recenter cardinalitiæ dignitatis ornamenta, nisi ex consensu majoris partis senatus cardinalitii, collaturus esset, quod hoc diplomate (a) est professus.

(a) L. 3. bull. secr. p. 51.

*Joanni tit. S. Susannæ presbytero Cardinali.*

*Authoritate apostolica tenore præsentium attestamur, & fidem facimus, ac declaramus nos sic promittendo, jurando & vovendo mente gessisse contenta in promissione, juramento, & voto præmissis firmiter observare & adimplere, nisi nobis de eorundem fratrum, seu majoris partis eorum consilio videretur ad tui etiam sic qualificati in Cardinalem assumptionem fore procedendum, nosque ad ejusdem voti, promissionis, & juramenti observationem sub dicta conditione, & non alias obligasse ac teneri voluisse, licereque nobis ad tui in Cardinalem assumptionem procedere, voto, promissione, & juramento prædictis minime refragantibus, & pro potiori cautela ad obstruendum ora sic asserentium, qui de hujusmodi declarationis nostræ in his viribus & sufficientia adhuc hæsitarent, nos ipsos de simili consilio & assensu, & apostolicæ potestatis plenitudine, quoad tui assumptionem prædictam dumtaxat, a voto, promissione & juramento prædictis, si & quatenus expediat, absolvimus, ac decernimus ad probandum plene hujusmodi nostram & eorundem fratrum nostrorum in sic vovendo, promittendo, ac jurando necessitatem & intentionem præsentes literas sufficere, & alterius probationis adminiculum non requiri, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MCCCCXCII. kal. septembris pontificatus nostri ann. 1.*

Porro eodem die, quo pontificia infula ritu solemni ornatus est, Valentiam patriam metropolitano jure paulo ante donatam ratum novo diplomate habuisse, ac simul ejus ecclesiæ archiepiscopum creasse Cæsarem filium suum nothum, adjunctoque Pampelonesi episcopatu onerasse, tradit Mariana (b). Hoc vero laude dignissimum in eo de coercita sicariorum immanitate & licentia, libereque admisso ad tribunal utroque sexu ad exponendas publice querimonias, refert Infissura: *Notitiam*, inquit, *habuit qualiter a die extrema infirmitatis Innocentii usque ad ejus coronationem plusquam ducenti & viginti homines diversis locis & temporibus*

XXXI. Spurio confert archiepiscopatum & episcopatum.

(b) Marian. l. 26. c. 2.

Coerciti ab eo sicarii.

*bus interfecti fuerant: habuit etiam notitiam de interfectoribus, de causis, & prodimentis, & omnibus his, quæ in urbe gesta fuerunt plenam notitiam habuit,* Et infra: *Eodem mense*, nimirum septembri, *ordinavit visitatores carcerum, & fecit quatuor commissarios, qui audirent querelas in urbe, & ordinavit sindicatum Vignolæ & suorum officialium, & statuit etiam audientiam in die martis omnibus civibus tam maribus, quam feminis, & audivit ipsemet querelas & justitiam mirabili modo facere cœpit.* Conciliavit sibi eo justitiæ specimine populi animos Alexander, atque hoc ipso anno plures principes, missis amplissimis oratoribus, illi ut Christi vicario obedientiam ritu solemni detulere quorum orationes typis cusæ extant, insignisque sententiarum pondere illa est, quæ a Senensi oratore habita fuit.

XXXII. Inter alias ornatissima fuit legatio Ferdinandi Regis Neapolitani, cujus filius Romam ingressus mense decembri maxima cum pompa patris nomine fidem publice dedit, illum semper in Pontificis obsequio futurum: tum in Cardinalium senatu Alexandrum oravit, ut ait Stephanus Infissura (a), ne pactiones de conficiendis nuptiis inter Beatricem Ferdinandi filiam Matthiæ Regis viduam atque Wladislaum Hungariæ Bohemiæque Regem, qui Beatricis studiis Hungaricum sceptrum sibi pepererat, eoque parto ipsam, utpote sterilem & grandævam sibi thoro jungere abnuebat, uti pluribus recenset Bonfinius (b), initas infringi, vel aliam ab Wladislao ipso uxorem duci pateretur: cumque ad id Alexandrum flectere non potuisset, cum Cardinale S. Petri iratum discessisse Ostiam, quam idem Cardinalis milite armisque ad sustinendam obsidionem communivit: Beatricem porro, ducta ab Hungaro Anna Gandala Aquitanica, intendisse ea de causa litem apud subsellia apostolica referunt (c), judicioque victam, cum pro amplissimorum regnorum quiete publica sterilis & grandevæ sponsalia dissolvi conduceret, de quo hæc refert Burchardus: (d) *Feria sexta tertia mensis aprilis fuit consistorium secretum, quod duravit usque post horam vigesimam primam, in quo sanctissimus dominus noster per suam sententiam in scriptis pronuntiavit prætensum matrimonium inter illustrem Regem Hungariæ & illustrem dominam Beatricem filiam Ferdinandi Neapolitani Regis relictam Matthiæ Regis Hungariæ, esse nullum, & de facto præsumptum, & imposuit perpetuum silentium ipsi Beatrici, & eam condemnavit in expensis sportulæ sive propinæ, quæ fuit vigintiquinque millium ducatorum ut dictum fuit & ex pactis.* Porro Beatricem (e) in mœrore consenuisse ferunt. Cæterum Wladislaum a patre Casimiro Poloniæ Rege Polonicis juribus testamento exheredatum hoc anno ne Bohemiæ & Hungariæ scilicet Poloniam conjungeret tradit Cromerus (f), additque de ipso Casimiro III. sancti Casimiri patre: *Deinde sacrosanctis Christianæ religionis misteriis rite perceptis mense junio animam exhalavit anno Christi MCDXCII. inde funus ejus in Poloniam solemni pompa elatum in basilica Cracoviensi sepultum est.* Celebratis inde ordinum regni comitiis post varias concertationes Joannes Albertus ad Polonicum solium Elisabethæ Reginæ ac Friderici fratris episcopi Cracoviensis, ejusdemque Cardinalis studiis evectus est (g), atque ad firmandam adversus æmulos fratres Alexandrum ac Sigismundum, qui etiam Polonicum sceptrum postea acceperunt potentiam cum natu majore fratre Wladislao fœdus ad se mutuo adversus omnes defendendos percussit.

(a) *Infiss. ms. arch. Vat. sign. n. 111.*

(b) *Bonfin. dec. 5. l. 1.*

(c) *Dubr. hist. Bohem. l. 31. & alii.*

(d) *Burchard. p. 2. in Alex. VI.*

Beatrix spe matrimoniali cum Vvladislao dejecta.

(e) *Sur. to. 5. l. 4. c. 5.*

(f) *Cromer. l. 29. in fin.*

Casimirus Poloniæ sceptrum cum Ungar. jungi vetat.

(g) *Id. l. 30.*

Albertus sceptro Polonico potitus.

XXXIII. Obiit eodem anno IV. idus aprilis Laurentius Medices, de quo sæpe antea illatus sermo, Florentinæ reipublicæ princeps Leonis X. parens, cujus mores Raphael Volaterranus (h) describit: Celebravit ipsius laudes Angelus Politianus, qui eum pridie quam ab hominibus demigraret sacramenta magno pietatis Christianæ sensu delibutum suscepisse refert: *Nihil*, inquit, *prius habuit quam ut animæ medicum accerseret, cui de contractis tota vita noxis Christiano ritu confiteretur: quem ego hominem postea mirabundum sic prope audivi narrantem, nihil sibi umquam neque majus neque incredibilius visum, quam quomodo Laurentius constant paratusque adversus mortem, atque imperterritus & præteritorum meminisset, & præsentia dispensasset, & de futuris item religiosissime prudentissimeque cavisset. Nocte dein media quiescenti meditantique sacerdos adesse cum sacramento nuntiatur, ibi vero excussus. Procul, inquit, a me hoc absit. Patiar ut Jesum meum, qui me finxit, qui me redemit, ad usque cubiculum hoc venire? Tollite hinc, obsecro, me quam primum, tollite ut Domino occurram. Et cum dicto sublevans ipse se, quantum poterat, atque animo corporis imbecillitatem sustentans, inter familiarium manus obviam seniori ad aulam usque procedit, cujus ad genua prorepens supplexque ac lachrymans: Tunc, inquit, mitissime Jesu, tu nequissimum hunc servum dignaris invisere? At quid dixi servum: immo vero hostem potius, & quidem ingratissimum, qui* tan-

Laurentii Medicæi obitus.

(h) *Volat. l. 5. Politian.*

Pietas illius in sacramento Euch. suscipiendo.

*tantis abs te cumulatus beneficiis, nec tibi dicto unquam audiens fuerim, & tuam toties majestatem læserim, ego te per illam, qua genus omne hominum complecteris, charitatem, quæque se cœlitus ad nos in terram deduxit, nostræque humanitatis induit involucris, quæ famem, quæ sitim, quæ frigus, æstum, labores, irrisus, contumelias, flagella, & verbera, quæ postremo etiam mortem, crucemque subire te compulit: per hanc ego te salutifer Jesu, quæso obtestorque aversas faciem a peccatis meis, ut cum ante tribunal tuum constitero, quo me jamdudum citari plane sentio, non mea fraus, non culpa plectatur, sed tuæ crucis meritis condonetur. Valeat valeat in causa mea sanguis ille tuus, Jesu, pretiosissimus, quem pro asserendis in libertatem hominibus in ara illa sublimi nostræ redemptionis effudisti.*

XXXIV. Matthæi Gerardi Card. obitus.

Eodem anno Matthæus Gerardus patriarcha Venetus, S. R. E. Cardinalis ordinis Camaldulensis religione conspicuus pie obiit, de cujus vita & moribus inquirenti post aliquot annos successori Contareno Petrus Delphinus (a), anteactæ vitæ historiam conscripsit: *Nihil*, inquit, *adeo in illo admiratus sum, quam perseverantiam ipsius haud minus in rebus exiguis, & quæ ad cerimonias tantum ordinis pertinerent: quam in reliquis, quæ majoris forent difficultatis ac momenti: si quis autem in choro in primis & refectorio ac monachorum congressu contemplatus fuisset, nihil eo in moribus elegantius merito fateretur. Age vero in iis, quæ potiora existimantur in religione, & graviora, ac laborum plena, utpote vigiliæ, jejunia, silentium, solitudo & cætera id genus. Quis vero Mafseo vigilantior, qui ne una quidem nocte divino cultui in templo defuit? Media nocte tunc ad matutinam synaxym per totum anni circulum sive æstate sive hyeme surgebatur, cum ipse aut primus semper, aut inter primos conveniret. Abstinensiam in eodem laudare, cibique ac potus parcitatem superfluum duco: quando jejuniorum, observatorem accuratiorem, & delitiarum contemptorem, parem illi noverim neminem. Nunquam re vera vidi aliquem, qui vino parcius uteretur. In vestitu sordes vitavit; nullum tamen unquam vestimentum luxu conspicuum detulit. Sacræ scripturæ lectione delectatus orationi assidue vacabat & hic ei semper mos fuit, ut post vigilias nocturnas, aliis abeuntibus, solus ipse in choro aliquandiu remaneret, Sermo ei fuit parcus & gravis, semperque ab omni levitate abhorrens. Conabatur pater optimus magis facto, quam verbo ad bene sancteque vivendum provocare filios suos, castigans quotidie corpus suum, & in servitutem redigens. Misericordiam vero & pietatem, ac eleemosynarum largitionem in eo qui digne satis laudibus efferas? erat ipse quidem robusto ac vegeto corpore, & qui rarissime mala aliqua valetudine corriperetur, nescio tamen an alium agnoverim, qui illo extiterit erga infirmos debilesque clementior, quos nimirum & crebra visitatione solabatur, & omni fovebat ministerio charitatis: egenos & inopes aut aliqua calamitate oppressos pro redituum mediocritate prompsissime sublevabat, quem erga pauperes affectum nunquam ipsum etiam in patriarchatu exuisse affirmant.* Interjectis pluribus de pia ejus morte hæc addit: *Commendabat seipsum Domino, & molestias ægritudinis ferens patientissime, nihil de terrenis cogitans, nihil loquens sed erecto tantum animo in cælum nihil magis videbatur expetere, quam transire ad immortalitatem, &c. Ex monasterio S. Michaelis Murani die* XX. *novembris MDXV.*

(a) Petr. Delph. l. 11. ep. 27.

Pium illius vitæ genus.

Sedulitas in oratione.

Magnitudo animi in macerando corpore.

Constantia illius in extremo vitæ actu.

Hujus Cardinalis Camaldulensis pio funeri alterius doctrina & pietate conspicui viri, nimirum Ardicini de Porta Cardinalis episcopi Aleriensis facinus memorabile conjungemus. Is rerum divinarum studio inflammatus Camaldulensium institutis se totum, abjectis curis omnibus, addicere decreverat, [1] veniamque deponendi publici muneris a Pontifice obtinuerat: at rem ægre ferentes alii Cardinales ab eodem revocandum curarunt, cum ipse hæc Alexandro rescripsit.

Ardicinus Card. Camald. institutum amplectitur.

*Beatissime Pater.*

*Ego ab eodem collegio*, [ nimirum Cardinalium, ] *hanc licentiam non petii, & non*

NOTÆ [1] ARdicini della Porta Cardinalis præclarum Christianæ virtutis exemplum Annalista hic exhibet, sed præterquam quod illud extra sedem suam constituit, in multis etiam a vero aberrat. Hæc enim de re illa habet Stephanus Infessura, Romani populi tunc scriba, quique res per annos illos gestas dietim in Ephemerides suas referebat. *Die prima Junii anni* 1491. *Ardicinus della Porta, Cardinalis Aleriensis, quarta vel quinta hora noctis vocavit ad se omnes suos domesticos, & tandem exhortatus est quibusdam verbis bonis, tradiditque Fratri suo chartulam, quam scripserat manu propria, quam dicebat esse suum testamentum, exhortatusque est eum, ut rogaret Dominum nostrum Papam, ut acquiesceret iis, quæ ibidem scripta erant, quia dicebat se bona omnia inter eos distribuisse, ac dicto Fratri ejus reliquisse residuum. Et cum lachrymantibus omnibus interrogaretur, quo vellet ire, nihil de hoc aperuit, nisi quod accepit quinque ex ejus famulis, inter quos erat Dominus Nicolaus ejus Secretarius, & equitavit cum eis quinque & recessit ab Urbe, non ut Cardinalis, sed ut sim-*

Mota lis an collegium Cardin. consuli debuerit.

*non sum ratus adeo imbecillem & infirmam vicarii Christi potestatem, ut non possit præbere ac porrigere manum volenti saluti animæ suæ honestissimo modo consulere; ego enim quod in arduis collegium teneatur Pontifex consulere non inficior, tamen petenti sibi nisi quod salutem animi concernit credo solius Pontificis authoritatem sufficere, quid est enim, beatissime pater, ingredi & profiteri religionem, nisi humiliare & exinanire semetipsum, & formam servi accipere, seque usque ad mortem obedientem facere exemplo Salvatoris nostri, qui dum id fecit, exemplum nobis præbuit? Gregorius Nazianzenus episcopus, ut scientiæ & contemplationi vacaret episcopatum dimisit: quare qui me properantem ad religionem accusant, etiam hos accusent; si hi peccarunt: fateor me deliquisse, licet forsan tantorum patrum testimonia, & adductæ*

Gregorii Nazianz. exemplum propositum.



NOTÆ *ut simplex Clericus. Et nulla causa recessus haberi potuit, nisi quod volebat intendere animæ suæ, quod sibi persuasit, quod retinendo dictam vitam non posset salvus fieri. Scitum est autem eum ivisse in Montem Oliveti in territorio Senensi, ac manere in quadam ejus monasterio Fratrum S. Benedicti, & Papam scripsisse ei de reditu, ac ipsum obedire noluisse; demum mandasse ei, ut Cardinalatus habitum non dimitteat sub pœna excommunicationis. Decimaoctava ejusdem mensis reversus est, stetitque in ejus domo, quod levitati magis, quam bonitati & sapientiæ adscriptum est.* Hæc Infessura, cujus judicium de præclaro hoc viri religiosi facinore nihil moror; sed accurata aden rerum gestarum narratin scriptorem prodit comperta & sub oculis gesta referentem. Quare de anno rei actæ ceterisque ab eo narratis cur ab illo recedamus nihil est. Unum tamen vitio illi verti posset, de monachatu scilicet Olivetano Ardicini; cum ejus temporis scriptor Petrus Delphinus, Camaldulensis Ordinis moderator supremus, in epistola quæ inter ejus editas signatur num. 93. mendose; reipsa enim notanda est 113. data anno 1491. die 8. junii ex Camaldulo (legendum forte die 1. julii cum die 8. Junii jam labente, Ardicinus secessionem suam primum adornaverit) scribat conceptis verbis: *Rediit Romam Aleriensis, revocatus a Pontifice e medio itinere, nec est permissus, ut quo animum intenderat, bonus ac pius Pater, ut perveniret. Elegerat pacatissimum vitæ genus, ut eremum Camaldulensem incoleret.* Hæc Camaldolensis eremicolæ verba in eam persuasionem adduxerunt multos, ut crederent Ardicinum ad Camaldulenses, non vero ad Olivetanos secessisse. Mihi tamen alia sedet opinio, cui Stephani Infessuræ, comperta & sub oculis suis gesta scribentis, authoritas multum valet ad persuadendum præ epistola Delphini, in qua ambigua multa mihi deprehendisse visus sum. Præterquam enim adscriptum epistolæ illi tempus cum tempore secessionis, ab Infessura definito non cohæret, ea etiam admissa correctione quam superius adstruxi, ut pro Junio Julius legatur, adhuc tamen tota rei narratio apud Delphinum cum Delphino ipso non cohæret; Delphinus enim in hac ipsa epistola *e medio itinere revocatum Ardicinum*, nec eo pervenisse quo tendebat asserit; sed & idem Delphinus moram aliquorum dierum in solitudine concessisse Ardicino visus est in altera epistola num. 99. data e Camaldulo *die VII. junii 1492.* in ea enim secessionem Ardicini ita memorat, ut perseverare adhuc in abdicatione sua, admirando posteris exemplo, designet: *Magnum*, inquit, *inusitatum, inopinatum exemplum, & non modo ætate nostra, verum etiam multis retro sæculis prope inauditum. Abdicavit se sponte his diebus Cardinalatu Reverendissim. D. Aleriensis, abdicavit Episcopatu, abdicavit beneficiis omnibus quæ possidebat.* Hæc epistolæ verba quemadmodum Infessuræ, moram aliquam in solitudine Ardecino permittenti, certam fidem adstruunt, ita & prioris epistolæ scriptori detrahunt, ut si quis sublestæ fidei illam accuset, huic sane adversarium me non exhibuerim. Ea tamen utcumque admissa, relictoque Camaldulensium rerum scriptoribus molesto negocio illam cum Infessura conciliandi, vel sin minus ejus testimonium alteri Infessuræ præferendi; Romani hujus scribæ partes mihi potiores duco. Cum præsertim traditioni apud veteres receptæ magis congruat. Ita enim ex antiqua majorum suorum traditione se recepisse affirmant Marchiones della Porta, ut ex asserto mihi viri gravissimi testimonio compertum teneo. Ita tradidit Ciaconius in prioribus editionibus, quamquam in nova ex Oldoini emendatione legitur: *Camaldulensem ordinem ingressus est, &c.* His omnibus congruit familiarissima illa consuetudo, quam Ardicinus cum Olivetanis Monachis fovit, cujus consuetudinis testem habeo epistolam ejusdem Ardicini, nuper ad me Ticino transmissam a Reverendissimo P. D. Cherubino Besozzi Cœnobii S. Bartholomæi Papiensis Olivetanorum Abbate meritissimo, viro omni literarum genere excultissimo ac antiquitatum sui ordinis indagatore solertissimo. Cedo mihi illam.

*A. S. R. E. Pbr. Card. Aleriensis.*

*Reverende Pater Amice noster Charissime, salutem. Redditæ fuerunt nobis literæ P. V. charitatis & affectionis plenæ, quas gratissimas habuimus. Eas enim legendo visi fuimus istic vestras & istorum religiosorum veras audire & reddere voces. Quotiens namque nobis venit in mentem, venit autem persæpe, grata conversatio omnium vestrum, & devotissimus iste in divinis officiis conventus, assiduaque in laudatissimis operibus exercitatio vestra, per quam nihil otii, nihil cessationis superesse potest; tanta nos afficit delectatione ejusmodi recordatio, ut istic totiens & videamur, & si liceret, esse gestiamus. Quod autem scripsistis nobis de immunitate isti Monasterio vestro a Magnificis Dominis Senen. nostra contemplatione restituta, gratum & perjocundum nobis est nostram apud excelsam illam Rempublicam commendationem ea eo vobis profuisse. Non defuturi etiam sumus vobis in posterum in aliis occurrentiis, quibus opera & studio Religioni vestræ prodesse poterimus, si modo intellexerimus, quid a nobis pro ea sit agendum; nam quod ad devotionem vestram omnium attinet Sanctissimus Dominus noster Dominus Innocentius PP. VIII. ad intercessiones nostras diebus his superioribus vivæ vocis oraculo in perpetuum concessit omnibus & singulis Abbatibus, Vicariis, Prioribus, Officialibus, Monachis Professis, Novitiis & oblatis omnium monasteriorum & aliorum Religiosorum locorum totius Religionis vestræ ubique consistentium pro tempore existentibus pœnitentibus & confessis, ut visitantes quolibet die per totum anni circulum unum Altare, quod ipsi elegerunt visitandum, & quinquies orationem dominicam, ac toties salutationem angelicam &c. indulgentias, quas visitantes unam ex Ecclesiis Urbis &c. consequuntur. Valete felices in Domino. Ex Urbe XII. Septemb. MCDLXXXI.*

Hæc

*ductæ rationes me excusabilem reddere possunt. Quod autem dimisso cardinalatus habitu dissimulato me itineri commiserim, non opinor propterea me notam ullam apud graves & prudentes viros contrahere potuisse, nam cum vellem quod hactenus feceram secretissime fore, idque proprio fratri mihi fidissimo occultassem, existimavi satius etiam dissimulato habitu inter ignotos, quam cum vero habitu incedere: & propterea a pœna & a culpa & ab omni alia nota me immunem esse existimo. Si tamen erratum est, cum id humanum sit, supplico sanctitati vestræ, ut quæ mihi graviora peccata dimisit, etiam hoc dimittat, pœnitentiam, quam mihi pro hoc peccato injunxerit, non minus devote quam humiliter suscipiam.*

*Beatissime pater sanctitas vestra, quæ semper tam tenere personam meam dilexit & tantopere ac multifariam honoravit, dignetur opus suum & facturam suam in sancto proposito confovere, memor Christi vicario nihil peculiarius esse, quam eum de animarum salute solicitum esse. Hic de animæ meæ salute agitur, quæ sola ante oculos versatur: licet enim exploratum habeam Cardinalium episcoporumque statum quavis alia religione perfectiorem esse, existimavi tamen ad inferiorem religionem transitum fragilitati meæ tutiorem esse. Non est inscia sanctitas vestra se animæ meæ rationem in districto judicio reddituram, quam longe meliorem reddet, si humilitati meæ hoc indulserit, quam si ab hoc meo veteri & sancto proposito me revocaverit. In hoc annuat sanctitas vestra humillimis & lacrymosis precibus meis, nec velis in amaritudine animæ meæ me morte acerbiorem vitam agere.* Et infra. *Quocumque in loco volueris me esse, sanctitati vestræ acquiescam, & quidquid mandaverit exequar Christi vicario tamquam Christo obtemperabo, & ab ejus obedientia discedere nefas esse existimabo. Felix valeat sanctitas vestra, cujus sacratissimis pedibus me humiliter commendo. Ex Roncilione die XXII. junii MCDXCII.*

Expostulatio cur ex superiore statu ad inferiorem defecerit.

XXXV.

In Belgio cum libertas ecclesiastica a politicis valde labefactata, esset, Alexander Philippum archiducem gravissimis literis monuit (a), ut ad constabiliendum principatum æternum Regem demisse coleret, neque Ecclesiæ & administrorum authoritatem atteri pateretur, ne si Christo principi servire dedignaretur, in ipso juventæ flore divina vi e medio tolleretur.

(a) Ext. ejus lit. in ms. Vat. sign. num. 388 t. inscript. Leodium p. 393.

Libertas ecclesiast. obtrita in Brabantia.

*Dilecto filio nobili Philippo archiduci Austriæ, Burgundiæ, Brabantiæ, &c. duci.*

*Dilecte fili salutem, &c. Authoritatem sanctæ Apostolicæ sedis in tuis dominiis, & præsertim in ducatu Brabantiæ contemni, libertatem ecclesiasticam tolli, multorum fidedignorum testimonio intelligentes, mirati sumus pariter & dolemus; nec sacræ id nobilitati tuæ ascribimus, qui per ætatem fortasse prospicere non potes, quantum*

NOTÆ

Hac ergo admissa Ardicini cum Olivetanis Monachis consuetudine, addita veteri traditione secessionem ejusdem ad Montem Olivetum confirmante, ac demum, quod caput est, Infessura teste præsente, & fere dixerim oculato ad Olivetanos Monachos secessisse illum asserente, quis dubiam ac suspiciosam habere secessionem hanc ad Olivetanos Monachos ultra potuerit; vel in adversam opinionem se duci permiserit, ex testimonio epistolæ, nescio cujus sinceritatis, cujus author, vel qui pro authore habetur, qui tunc in Camaldulensi solitudine agere se perhibet, ita Ardicini Camaldulensem monachatum narrat, ut ex auditu potius quam ex visu tenere se rem expertis verbis prodat in epistola ex Camaldulo data die VIII. Junii anni 1491. tunc scilicet cum Ardicinus moram ibi adhuc trahere debuisset. Ita enim in illa scribit: *Res portento similis, & quam cum reputo mecum somniasse videor; sic est tamen, universa [sicut accepi] civitate Florentina admirante, factum &c.* Forte tamen iniri ratio aliqua potuerit Delphinum cum Infessura conciliandi, si reputaverimus epistolæ illius Delphinianæ authorem vulgi tunc more loqui maluisse, vulgus enim Cœnobia omnia, in quibus solitaria agebatur vita Camaldulos vel Cartusias tunc appellabat, uti me per literas docuit idem qui supra P. Besozzi, adducto exemplo Cœnobii sui ordinis Bedagiensis, quod *Chartusiam Bedagiensem* in documentis sæculi XV. dictum reperit. Insuper Camaldulenses, inter & Olivetanos Monachos tanta erat tunc rerum affinitas, ut cum Romam venirent Camaldulenses, ubi nulla adhuc habebant ordinis sui Cœnobia constituta, apud Olivetanos diverterent. Vide Fortunium in vita Ambrosii cap. 13. Constat denique B. Bernardum Ptolemeum Camaldulensem cucullum induisse, ut ex Fortunio Hist. Cam. l. 2. cap. 33. scimus; quare qui B. Bernardi regulam sectabantur monachi Camaldulenses utcumque haberi & appellari poterant. Ideo vero revocatum ex itinere Ardicinum Delphinus scripsit, quod reipsa altera ab ejus secessione die Pontifex Innocentius VIII. (non Alexander VI. uti per errorem scripsit Raynaldus) literas de revocatione expedivit, cui respondit Cardinalis ex Roncilione die 2. Junii anni quidem 1491. quamvis typorum errore sit 1492. Posteriores hasce literas habes excusas vetustis typis post Orationem funebrem ejusdem Ardicini. Addit scriptor epistolæ Ardicinum revocatum ex itinere eo nequaquam pervenisse quo tendebat. Id forte contigisse potuit; potuit etiam venisse sed brevi post rediturus, quæ brevis mora perinde est habita ac si numquam venisset.

Hæc mihi in gratiam veritatis fusius deducenda succurrerant; atque ex his facile Raynaldum emendes, qui & in anno rei gestæ & in designando loco Ardicinianæ secessionis erravit. MANSI

*rum ista conscientiæ honorique tuo obsint, cum tamen in tam tenera ætate optima indole & ingenio, ut audimus, præditus sis, præceptoris ut vicem apud te sustinere posse facile credimus: quare te hortamur in Domino, ut quo magis Rex regum Deus tuum principatum stabiliat inter cætera tuæ institutionis præcepta id primum esse non negligas, quod Deum colas, Deum timeas, & illum in suis ministris reverearis, ecclesiastica jura nullo unquam tempore violari permittas: Apostolicæ quoque sedis authoritatem, & Christi vicarii jurisdictionem a tuis subditis dilaniari non finas, & si quid sub tuæ nobilitatis umbra temere commissum fuerit, id mox emendari, ac in irritum revocari facias, ne ad culpam tibi imputetur, quod te permittente in detestabilem trahetur, abusum, nam si*

Monitus Philippus archidux officii.

*secus egerint non facile reperies quemquam ex iis prospere regnasse: sunt tam sacri, quam gentilium codices pleni exemplis. Intellige ex tuis aulicis quam felicibus tui progenitores, donec hæc observaverint, claruere successibus. Tu igitur disce juvenis sic principatum tenere, ut Christo principi Regum terræ, qui te fecit principem, quod optamus, placeas: ne tandem cadas sicut unus ex principibus priusquam consenescat. Dat. Romæ die* XXII. *octobris anno MCCCCXCII. pontificatus nostri anno* I. Excitavit etiam Albertum Saxoniæ ducem (*a*), qui Philippo regendo conformandorumque ejus morum magister erat datus, ut ecclesiastici ordinis dignitatem in pristinum decus asserere studeret.

(*a*) *Ib. eod. p.* 393.

XXXVI. Addit (*b*) hoc anno VII. decembris die Barcinone ingens vitæ discrimen Ferdinandus Hispaniarum Rex Christiani propagator imperii, Africæ terror, hæresum vitiorumque hostis acerrimus. Consueverat ipse Regum Hispanorum veteri more, singulis hebdomadis feria quinta pro tribunali justitiam omnibus administrare; cumque medio fermè die procuranda publica re absumpto rediret, insidiis petitus ac ferro sauciatus est ab homine rusticano furibundo Joanne nomine, quem insigni clementia trucidari vetuit, quamquam postea, inscio eodem Rege, de scelesto homine sumptum sit supplicium. Illum vero delusum a dæmone, qui ad religionis assertorem clarissimum tollendum e medio, insano homini persuaserat cæso Ferdinando ipsum Hispaniarum imperio potiturum, ac solemne sacrum pro regia incolumitate peractum præsente Alexandro Pontifice tradit in diariis suis Burchardus patria Argentinensis pontificii sacelli clericus ceremoniarumque magister. Nec mirum si universa Ecclesia pro tanto Rege oraret, cujus insigne elogium

(*b*) *Sur. to.* 5. *annal. l.* 1. *c.* 12. & *Marian. l.* 26. *c.* 4.

Ferdinandus insidiis appetitus.

Volaterranus (*c*) affert: *Nulli*, inquit, *majorum suorum felicitate ac potentia secundus, ut qui limites imperii gloriæque Hispaniæ propagaverit, & gentem Saracenicam, quæ Granatæ regnum Bæticæ partem annis jam prope septingentis occupaverat, suis armis ac virtute anno MCCCCXCII. penitus expulit, ex quo sectam ac potentiam eorum debilitavit, ut nemo dubitet parvo negotio reliquias, quæ Africam tenent, everti posse. Religionem præterea in tota provincia magnopere auxit expulsis pseudochristianis, quos Marranos vocant, de quibus supra mentionem feci.* Non modo ex Hispania, sed ex aliis omnibus Ferdinandi regnis ejectos Judæos demonstrant pontificiæ literæ, quibus synagogam Panormitanam, cum Judæi Siciliæ insula pulsi essent, in ecclesiam converti jussit (*d*) quæ ita consignatæ. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno MCDLXXXXII.* III. *kal. febr. pont. nostri anno* I. Addit Raphael Volaterranus Ferdinandi opera restitutum Franciscanæ disciplinæ nitorem in Hispania, inventumque orbem novum: *Deinde ejectis*, nempe pontificia authoritate, ut dictum est, *omnibus, qui in ordine Minorum citra illius observantiam ac instituta vivebant, quorum ingens numerus, multaque millia discessere, sed & regiis auspiciis nautæ novum ingressi pelagus nostros Perioecos lustravere, ac ignotas orbi insulas, de quibus alio loco dicam, Hispanorum Gazæ adjecerunt, Lusitaniæ Regem de finibus tumultuantem breviter armis compressit, ac in universa Hispania mores populis otiaque ferro dedit: pro quibus meritis suarum animos gentium obsequentissimos habet, & ab Alexandro Pontifice ac patribus Rex catholicus appellatus, ac omnium consensu lauream inter principes Christianos meritis & authoritate majorum hodie refert.*

(*c*) *MS. Vat. pag.* 104.

Ferdinandi Regis elogium. Pulsi ab eo Mauri.

(*d*) *Lib. bull.* 4. *p.* 13.

Pulsi pseudochristiani seu Marrani. Pulsi pseudominoritæ. Novus orbis inventus ejus auspiciis.

Regis catholici titulo exornatus Ferdinandus.

XXXVII. Patefiebat (*e*) a Christophoro Columbo iis diebus Ferdinandi Regis auspiciis altera pars orbis, quæ ad occidentem trajecto oceano porrigitur, ac postea dicta est America, in quam penetratum a Christianis illaturis evangelicam lucem tot gentibus errorum tenebris involutis. Mirum sane tot fluxisse sæcula, quibus cupido investigandi sitæ ad occidentem orbis amplissimæ partis mentem nullorum principum subierit, cum pro angusto agello tot sæva bella gesserint: mirum æque est, habitum ludibrio Columbum, cum ad occasum patere vastissimas terras, solemque ad eas sua luce collustrandas nobis occidere contenderet: maximisque laudibus cumulandus Ferdinandus, qui opes non in luxum resve inutiles, sed ad lustrandas gentes incognitas, atque ad Christum

Patefactus a Columbo novus orbis.

(*e*) *Sur. to.* 5. *l.* 1. *c.* 13.

Mirum principes de eo inquirendo tot sæculis torpuisse.

ſtum traducendas effuderit. Cum vero ex his initiis religio latiſſime amplificata fuerit apud barbaras nationes, Chriſtique crux in iis oris triumpharit, apud quas Perſarum, Macedonum, Romanorum, Arabum victricia arma non pervenerunt, ab re non erit repetere, quæ de Columbi navigatione felici vetera monumenta (*a*), anonymo authore, qui præſens interfuit, Hiſpano ſermone conſcripta, Latiniſque verbis reddita ab Archangelo Madrignano monacho Claravallenſi tradiderunt.

Latius Chriſti imperium pervagatum quantum Imperatorum.

(*a*) *Navigat. Regis Hiſp. hiſt. Petr. Martyr. dec. 1. c. 1.*

XXXVIII. *Chryſtophorus*, inquiunt, *natione Italicus patria Genuenſis, gente Columba, vir erat procera ſtatura, colore ad rubedinem inclinato, facie oblonga. Is cum diutius in regia Regis Hiſpaniarum invictiſſimi diverſatus fuiſſet, animum induxit, ut hactenus inacceſſas orbis partes, perquam diligenter peragraret. Petiit propterea rurſus & iterum inſtantiſſime ab Rege memorato, ut voto ſuo tam pio non deeſſet, futurum ſibi & toti Hiſpaniæ decus præclarum adſeverabat, ſi ſua opera & impenſa novas inacceſſaſque regiones nactus fores: & ad id opus navandum ultro ſe offerebat, nam pollicebatur plures poſſe nanciſci in occidente inſulas, quæ ad uſum immo ad delitias mortalium minime forent ineptæ, & in primis in eis inſulis, quæ conterminæ ſunt Indiæ, invenire poſſe arbitrabatur baccas, id eſt uniones, lapideſque pretioſos fere omne genus, nec non aromata omnifariam, auri quamplurimum. Hæc meditantem Rex & Regina identidem deriſere, utpote cogitantem inania & penſi nullius, vertebaturque hic ſermo prope in fabellam. Tandem peractis annis octo, inſiſtente adhuc Columbo, cœpit Rex his ſermonibus aures præſtare attentiores, decrevitque poſt multa experiri viri ingenium, propterea in effectum hujus celebris inſtituti juſſit Liburnicam unam & celoces duas omni genere annonæ armamentorumque communiri, quibus expeditis prima ſeptembris luce MCCCCXCII. ſolvit ab Hiſpanis littoribus, & diu optatum iter ingreſſus eſt. Itaque* (*b*) *ſolvit a Gadibus iter faciens verſus inſulas Fortunatas, quas nunc Hiſpani appellant Canarias ob id, quod canibus maxime abundent.* & infra: *Eas incolunt ferinæ gentes, quibus nulla eſt religio, nullus Dei timor, nulla verecundia, utpote qui nudi incedunt uſquequaque. Eo Columbus conceſſit nonnihil aquæ ſumpturus, utve inibi ſocii prius parumper conquieſcerent, quam atrocioribus aſſueſcerent laboribus; nam qui ſulcant maria incomperta, his neceſſe eſt prope labores innumeros exantlare.*

Promiſſa Columbi diu habita ludibrio.

(*b*) *Ib. c. 85.*

Cur inſulæ Canariæ ita dictæ.

XXXIX. *Solvens igitur illinc arabat maria, & per dies triginta tres totidemque noctes navigans verſus occidentem nihil telluris unquam apparuit: tandem e ſpecula quiſpiam inſulas quaſdam conſpicatus eſt propius accedentes videre inſulas ſex, quarum duæ erant vaſtiſſimæ, eiſque nomina indidit alteram Hiſpanam, Joannam alteram nuncupavit.* Primi, qui reperti fuere barbari ſine lege, ſine Deo, ni forte ſolem, lunam, cælumque colebant (*c*), atque ubi muneribus deliniti (*d*) in ſocietatem commercii pellecti ſunt, miro erant morum candore ac ſimplicitate, aurumque ſpeculi fruſtulo, vitreo vaſe, teſtave permutabant: cumque triumphale crucis ſignum defixum eſſet in orbe novo ad ineundam Chriſti nomine illius poſſeſſionem cum vidiſſent (*e*) noſtros ſervatoris trophæum ſupplices venerari, illi etiam ex condicto coluere: cumque ad veſpertinum crepuſculum ſigno dato noſtros procumbentes in genua ad adorandum divinum Numen, opemque virginis Deiparæ implorandam intuerentur, ipſi pariter genu flectebant. Tum docuere Canibalos meridionales oras incolere ſagina humana veſci ſolitos, quorum deſcriptio afferenda viſa eſt, cum ex tam dira hujuſmodi hominum calamitate intelligi queat quanto fruantur beneficio, quos Deus ſua lege informarit: *Canibalos*, inquit (*f*), *appellant ferinos populos, qui in cibatu homines habeant gratiſſimos: hos noſtri prætererant, eos ad meridiem relinquentes. Igitur* (*g*) *hi populi mæſtiſſime conquerebantur nobis de efferatis illorum moribus, nam ajebant eos in ſe non aliter ſævire, quam tigrim vel leonem quempiam in manſuefacta animalia. Horreſco referens impuberes, ſi qui corripiuntur, exectis teſtibus ſaginabant, uti nos gallos gallinaceos, ut lautius eis veſcamur, puberes vero mox contrucidant, quibus exenteratis ilia comedunt recentia, membrorumque partes extremas, cætera ſaliunt aſſervantque, ut nos ſitia & farcimina omnis generis.* Et infra: *Mulieribus haud veſcuntur, verum eas ad prolem, veluti nos gallinas ad ova ſervant: ſi qua eſt anus, ea mancipii vicem gerit.*

Defixa cruce initia novi orbis poſſeſſio.

(*c*) *Id. c. 88. Raph. Vol. l. 12. in fin. & alii.*

(*d*) *Navigat. Regis Hiſp. c. 87.*

(*e*) *Ib. c. 87.*

(*f*) Cap. 88.

Caniballium horrenda ſævitia.

(*g*) Ead. pag.

Comperto orbe novo Columbus in Hiſpaniam rediit, ac dimiſſis aliquibus ex ſuis barbaros decem ſecum avexit (*h*). Ut vero Ferdinandus & Eliſabetha Reges ad amplificandam Chriſti fidem in iis oris exarſerint, ita deſcribit (*i*) idem auctor: *Rex & Regina Hiſpaniarum nihil magis gerebant in votis, immo ſupra vota, quam ut almam Chriſti fidem in dies augerent, auctamque colerent, & cultam ſummopere venerarentur: propterea id eximie obſervabant, ut hæ gentes, quæ hactenus nomen* XL.

Privata Chriſti luce gens infra animalia prolapſa.

(*h*) Cap. 90.

(*i*) Cap. 91.

Chri-

Regum Hispan. mira pietas in Christ. religione propaganda.

*Christianum ignoraverant, tandem aliquando ope & industria sua scirent unam esse Christi fidem, extra quam nulla est salus nec redemptio, inque hujus rei specimen decrevere summis honoribus Columbum prosequi, nihilque prætermittere, quod ad cultum & decus ejus spectaret. Igitur vultu sereno eum excipiunt, condecorantque innumeris titulis, & qui apud Hispanos eximius ducitur honos, consessum ipsum recipiunt, voluereque, ut deinceps non Columbus, sed admirans Oceanum appellaretur &, ut licuit colligere ex admirantis sermonibus, sperabant propediem fidem nostram magna incrementa habituram, si hæ insulæ ad fidem reducerentur, in commerciis vero & aliis mortalium emolumentis, quibus plerumque omnes inhiant, nullam prope spem collocaverant.*

Columbus magnis honoribus affectus ob inventum orbem novum.

De his novi orbis insulis inventis a Christophoro Columbo meminit Raphael Volaterranus (a), quamvis rem in posteriores annos referat, additque: *Ad hos Macedonum, seu Romanorum neque arma, neque nomen penetravere, Apostolorum autem voces pervenisse quis credat? sed credere fas est, etenim in omnem terram exivit sonus eorum, nisi forte ex Hieronymi sententia id vaticinium dies luculentius aperiat, ut jam perspicimus hoc tempore pientissimorum Regum amborum virtute ac providentia, qui ad hos omnes religiosos miserunt viros.*

(a) *Volat. geogr. l. 10. in fin.*

Anno

I. ANno excurrentis sæculi nonagesimo tertio indictione undecima aprili ineunte perlatum ad Pontificem lætum nuntium de Turcis, qui Pannoniam invaserant, profligatis Burchardus hisce verbis refert: (a) *Tertia aprilis Papa prò matutinis se parante, episcopus Sitriensis orator Regis Hungariæ legis coram Pontifice & Cardinalibus ibidem præsentibus literas ejusdem Regis prima die martii proxime præteriti in Hungaria datas, per quas significabat ei se magnam & singularem victoriam habuisse contra Turcas, qui regnum Hungariæ invaserant, quindecim millia vel circa occidisse & prostravisse, & non modica spolia exinde reportasse.* Meminit Bonfinius (b) de repressis ab Hungaris Turcarum in Transilvaniam excurrentium conatibus, deque barbaris præda onustis in recessu tumultuaria pugna devictis: *Circiter*, inquit, *kal. februarii Alibechum Bajazetæ Imperatoris Synderoviæ præfectum cum valido exercitu in Transilvaniæ fines ingressum, & cum ingenti præda per quinque dies coacta redeuntem, siculorum tumultuaria manus adempta præda exuit, & plerosque Turcas occidit.*

(a) Burch. ms. arch. Vat. sign. n. 104. p. 211.

Parta in Hungaria de Turcis victoria.

(b) Bonfin. dec. 5. l. 3.

Recuperata ab iis præda.

II. Haud diu constans extitit hujusmodi bellica felicitas, quippe non ita multo post Turcæ ingentem Hungaris, qui Germanica auxilia non expectarunt (c), cladem intulere, partim necatis ducibus christianis, partim in servitutem abductis: *Ex nostris*, inquit Bonfinius, qui fuse hæc sequitur, *quinque millia & septuaginta septem, ex hostibus mille circiter occidere Hungaris omnibus nasi amputati, ut incertum victoriæ argumentum ex nasorum numero non dubius cæsorum hominum numerus colligeretur. Clades v. idus septembris accepta.* Cæsus (d) inter eos est Frangepanus, qui antea Bajazethis imperio obnoxium se futurum perpetuo spoponderat, si Hungaros a Breviæ obsidione averteret, Turcisque Croatiam infestantibus ab impio fœdere fuerat revocatus, ut reliquis conjunctus Christianis ex communis hostis manibus magnam fidelium multitudinem in servitutem adducendam eriperet: eam vero mox a victoria raptam Constantinopolim partim distributam præfectis & centurionibus, partim morte affectam, quod nimirum in Christiani cultus constantia perstaret, refert Bonfinius (e).

(c) Naucl. vol. 2. gen. 50.

Cæsi postea Ungari a Turcis. Nasis amputatis cæsi numerati a Turcis.

(d) Id. ib. Crom. l. 30. Trith. in chron. Spothei. Naucl. vol. 2. gen. 50. & alii.

(e) Ant. Bonfin. dec. 5. l. 3.

III. Perculsus hac clade Wladislaus idemque Hungariæ ac Bohemiæ Rex decrevit crucesignatum exercitum educere adversus Turcas, earumque grassationes coercere; cujus rei fama permotus Alexander Christifideles ad sequenda illius signa propositis amplissimis indulgentiarum præmiis excitavit: tum ne civilibus discordiis a facto bello distraheretur, inducias authoritate apostolica inter proceres Hungaros indixit (f), ac pœnis gravioribus perculit eos, qui ipsum sacræ conficiendæ expeditioni navantem operam novo bello implicarent.

(f) Lib. bull. 8. p. 39.

Inter alios regni æmulos patiebatur Wladislaus Rex Joannem Corvinum Opaviæ & Liptaviæ ducem Matthiæ olim Regis nothum filium, in quem pater, cum legitima prole careret, regnum transfundere exambiverat adeo, ut cum Blancam Mariæ Sfortiæ & Joannis Galeatii ducis Mediolanensis filiam illi despondisset, sacramento sese obstrinxerit (g), Hugaricum sceptrum eidem Joanni se transmissurum, si legitimam prolem non susciperet: cum vero Wladislaus regno Hungarico esset potitus, sponsalia rescidit Alexander, ut dissidiorum causas convelleret. Cæterum Joannes, cui Turca copias auxiliares offerebat, ac pluribus principatibus, quos illi Matthias tradiderat exutus, ab affectando sceptro Hungarico non destitit, donec cum Pannoniæ excidio, & magna religionis clade, & nefaria ad Turcam defectione Hungaricam coronam rapuit adeo ut si Matthias Hungariam virtute sua diu a Turcica tyrannide vindicarit, ipsius nothus filius eam postea male prodiderit. IV.

(g) L. 3. bull. secr. p. 100.

Cæterum ad promovendum sacrum bellum Pontifex decrevit legatum Ursum episcopum Tranensem, cui etiam amplissima alia provincia demandata est, ut Pragenses, qui diutius Joannis Hus erroribus irretiti fuerant, censuris solutos Romanæ Ecclesiæ reconciliaret, quippe Wladislaus Hungarico sceptro potitus pertinaces ad officium reduxerat, adeo ut ipsimet datis communi consensu ad Alexandrum VI. Pontificem literis omnes præteritas hæreses damnarint, atque Romanæ ecclesiæ ritus omnes se amplecti velle, neque ab iis defecturos sint professi: qua etiam de re Wladislaus Rex ad Alexandrum scripsit. Itaque Urso legato tum Pragensium in gratiam cum Ecclesia restituendorum, tum pacis inter Bohemiæ proceres conficiendæ, tum belli sacri in Turcas indicendi parandique partes datæ fuerunt (h). V.

Hussitæ prostrati in Bohemia.

(h) L. 3. secr. p. 108.

Ve-

*Venerabili fratri Urso episcopo Tranensi ad Hungariæ & Bohemiæ ac Poloniæ regna, nec non universas provincias civitates, terras, & loca charissimis in Christo filiis nostris Wladislao Hungariæ & Bohemiæ, ac Joanni Alberto Poloniæ Regis illustribus subjecta nostro & Apostolicæ sedis cum plena potestate legato de latere nuntio salutem, &c.*

VI. *Inter cætera cordis nostri desiderabilia incrementum veræ fidei, animarum salutem, ac commissi nobis gregis dominici libertatem, atque concordiam supremis desiderantes affectibus, præcipue calamitoso hoc tempore quo, proh dolor! novissime Turcorum pressura, & sævissima persecutio Croatiam, illiusque incolas invasit, & illorum aliquos in magna multitudine & numero copioso diris cruciatibus & diversis pœnarum & tormentorum generibus affectos mortis supplicio tradidit, alios vero innumeris contumeliis & ignominiis continuo, immanibusque vexationibus afficiendo captivatos in miserabilem servitutem redegit, omnesque ipsorum Turcorum conatus & rabies in ejusdem veræ fidei & crucis Christi ac reipublicæ Christianorum perniciem & opprobrium fervet, & in sanguine credentium debacchatur, cunctis sensibus vigilamus &, quantum nobis ex alto conceditur, efficax studium adhibemus, ut semotis imminentibus animarum corporumque periculis, ac libertatis & bonorum jactura, juxta nostri desiderii plenitudinem possit, authore Domino, votiva tranquillitas provenire. Sed quamvis universis & singulis nationibus, regnis, dominiis & regionibus, Deo & Apostolicæ sedi devotis, partes nostri ministerii, omnemque favorem apostolicum, præsertim cum necessitas ingruit, impendere debeamus, & ad eas diffundamus mentis nostræ intuitum in præsentiarum in eo, quod Christi nomen sanctorum gloriam, fidemque, & cunctorum fidelium statum concernit, Hungariæ, Bohemiæ, & Poloniæ regna, provincias & loca præcordialiter intuemur, ut pro ipsius fidei atque suorum & aliorum fidelium oppressione hujusmodi sublevanda opportunum adhibeant, Domino auxiliante, consilium & salubre remedium auxilium & favorem impendant, quibus mediantibus hostis catholicæ fidei, & pacis omnis, qui tot regiones & earum incolas catholicos per se suosque detestabiles ministros depressit, & miserabili subdidit servituti, ac in Croatiam, ut præfertur, ingressus feribundo impetu magnum parat exercitum ad ejusdem fidei totalem extinctionem, ab hujusmodi nefariis conatibus arceatur, & tam ipsi Croati, Hungari, Bohemi, & Poloni populi, quam cæteri Christicolæ a periculis personarum, & bonorum incommodis, atque aliis releventur innumeris detrimentis: & ea propter præmissa omnia & alia plurima graviora inter nostra præcordia revolventes; ac proinde considerantes, quod propter dissensiones dudum exortas in regnis prædictis populi illarum partium agrorum depopulationibus, cladibus, & aliis plurimis detrimentis, qualia inferuntur in bellis, præsertim inter potentes efficiuntur, possentque graviora exinde pericula provenire; & quod illis, qui sunt firmissima præsidia reipublicæ Christianæ laborantibus, consequens est universam Christianitatem opportuna subventione carentem cum fidei præfatæ periculo laborare, & propter hoc & alios pestiferos effectus, quos guerræ hujusmodi producunt & fovent, plenis paternis affectibus desiderantes, ut omnis guerrarum hujusmodi materia in prædictis, pacis authore cælitus inspirante, in bonum salutaris concordiæ & unitatis pacificæ commutentur, quodque, cum non absque maxima animi nostri lætitia novissime accepimus, populos civitatis & diœcesis Pragensis, & nonnullarum aliarum partium illis adjacentium in regno Bohemiæ consistentes, qui olim in nonnullos errores inciderunt, propter quos jam tot annis a sinceritate fidei & unitate sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac obedientia & devotione sedis Apostolicæ recedentes in illis & nonnullis superstitiosis sectis animo indurato, proh dolor! permanserant, tandem ad cor reversi, prout tam charissimus in Christo filius noster Wladislaus Hungariæ & Bohemiæ Rex illustris suis literis, quam populi ipsi Pragenses nobis significarunt, populi ipsi Pragenses errores suos hujusmodi sponte confitentes, cupiant quascumque hæreses, sectas, & superstitiones hujusmodi abjurare, ac sanctæ matris Ecclesiæ unitati reconciliari, & propter hoc oratores suos ad nos & sedem prædictam velle destinare, ad veræ fidei lumen & Romanæ ecclesiæ unitatem, propulsis erroribus quibuslibet reducantur, ac de te, qui de nobili Ursinorum baronum & domicellorum Romanorum genere procreatus existis, etiamque literarum scientia, prudentia, circumspectione, industria, eximia probitate, & fidelitate, ac consilii magnitudine, morum elegantia, multisque aliis virtutum donis, quibus personam tuam illarum largitor Dominus insignivit, & ad laudem sui nominis onera grandia valeas supportare, sumentes in Domino fiduciam specialem, quod voles & scies diffidentia quæque in pacis pulchritudinem commutare, habita super iis cum fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura, omnes & singulos nuntios & oratores nostros, ad partes illas per nos hactenus

Croatia a Turcis infestata.

Instructa ab iis in eandem expeditio.

Ex Christianor. dissidiis efferata Turcarum sævitia.

Pragenses ab hæresi demum resipiscunt.

Ursus episc. Tranensis in ea regna decretus internuntius.

*mus destinatos in illis degentes, quacumque dignitate etiam episcopali & majori præfulgeant & illis concessam potestatem & facultatem, collectoribus fructuum & proventuum cameræ apostolicæ in illis partibus debitorum dumtaxat exceptis, revocamus, & ut illis utantur inhibemus per præsentes.*

VII. *Et insuper propter evidentem necessitatem cunctorum fidelium ad regna, provincias, civitates, terras & loca prædicta ac illa pacificanda commisso tibi in illis plenæ legationis officio de eorumdem fratrum consilio tamquam pacis angelum nostrum, & Apostolicæ sedis nuntium & oratorem cum plena potestate legati de latere, comitante pacis angelo, destinamus, ut inter ipsos Reges & quoscumque principes, duces, comites, barones, & alios proceres, ac communitates & universitates, & alios quoscumque ecclesiasticos & mundanos viros, ac alios cujuscumque dignitatis, status, conditionis, & praeminentiæ fuerint pacifico regum Rege, qui transiturus de mundo ad Patrem pacem jure hereditario suis reliquit discipulis in discessu, fomenta discordiarum quæcumque ad salutaris concordiæ & inæstimabile pacis bonum reducas, evellas, destruas, dissipes, & disperdas, & agas, tractes, & ordines, ædifices, plantes, & statuas in nomine Domini, quo ad ejus laudem, sedis præfatæ honorem, & reipublicæ Christianorum hujusmodi defensionem, tuitionem, pacem, ac etiam illarum partium commodum, salutem, & tranquillitatem videas expedire: ac ad hujus salutaris boni votivum effectum tibi nostro & Romanæ ecclesiæ nomine interveniendi in quibuscumque dietis & tractatibus sub spe pacis & mutuæ concordiæ inter eosdem dissidentes de & super quibuscumque eorum differentiis, discordiis, & guerris vigentibus hujusmodi forsan indictis, & indicendis, illisque præsidendi, & inter eos eorumque complices & sequaces super hujusmodi discordiis, differentiis, & guerris, & quibuscumque juribus & actionibus tractandi, componendi, & indicendi sub spe pacis treuguas, differentias quaslibet extinguendi, & summovendi, pacemque & concordiam perpetuo duraturas sub illis capitibus, pactis, condictionibus, modis, atque formis pœnarum adjectionibus, obsidionibus, personarum juriumque & bonorum obligationibus, promissionibus, cautelis, clausulis, & solemnitatibus, atque modis, de quibus tibi videbitur expedire, & inter partes dissidentes poteris concordare seu componere quovis modo, ac omnia & singula, quæ inter eosdem Reges, principes, duces, aliosque dissidentes quoscumque, & eorum adhærentes, seu habentes ab eis potestatem firmata, & conclusa ac probe & laudabiliter statuta, decreta, & ordinata fuerint per te sub illis censuris & pœnis ecclesiasticis, de quibus tibi visum fuerit quomodolibet convenire, & in præmissis, ac circa ea, necnon dependentiis emergentibus, seu connexis, omnia & singula per te, vel alium a te pro tempore deputatum, gerendi, mandandi, & exequi faciendi, quæ pro securitate & observatione inter partes ipsas conclusorum & concordatorum, & dependentium ab illis opportuna, vel utilia quomodolibet videbuntur, ac contradictores quoslibet & rebelles quacumque ecclesiastica, seu mundana, etiam regali vel reginali, ducali & quacumque alia dignitate præfulgeant, per censuram ecclesiasticam, & alia quæcumque juris remedia quoties opus esse noveris, appellatione cessante eadem authoritate compescendi, nec non aggravandi, & reaggravandi quoscumque processus & sententias, super iis & eorum aliquo factas seu datas, semel vel pluries, ac etiam invocandi, quoties noveris oportere, brachium sæculare Imperatoris Romani pro tempore existentis, & quorumcumque Regum, principum, & dominorum, tam spiritualium quam temporalium, necnon universitatum & singularum quarumcumque personarum contra quoscumque recusantes observare firmata, vel in aliquo contra facere per se vel alios præsumentes, nec non nostro & Romanæ ecclesiæ nomine commendandi regiam majestatem præfati Wladislai Regis de gestis per eum, & quæ per literas suas nobis se sponte obtulit, velle facere & curare pro reductione dictorum populorum Pragensium, & instandi & procurandi cum omni instantia & diligentia apud eumdem Regem, quatenus incœpta per eum pro reductione hujusmodi prosequi, & ad optatum finem & effectum velit perducere, prout indubia spe credimus ipsum facturum:* Et infra. *Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus injunctum tibi onus legationis & laboris hujusmodi pro divina & nostra ac dictæ sedis reverentia devote suscipiens, illud sic viriliter, solicite, ac laudabiliter juxta datam tibi a Deo prudentiam exequaris, quod de tuis studiosis laboribus, divina tibi favente clementia, sperati fructus veniant, tuque pro solicitudinis tuæ ministerio illam, quæ pias causas gerentibus pro retributione rependitur, palmam gloriæ feliciter consequi merearis, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCDLXXXXIII. xv. kal. novembris pontificatus nostri anno 11.*

Conciliandæ inter principes concordiæ demandata illi provincia.

Et induciarum imperandarum.

Jussus legatus Bohemorum ad ecclesiam reditum promovere.

Restincta est ita hæresis Bohemica, Pra- VIII.

Pragenfibus a legato in communionem ecclefiæ Romanæ revocatis adeo, ut exiguæ eorum reliquiæ hæferint, quos magna ex parte carcerum & fuppliciorum metu adactos ab Wladislao aliquot poft annis ad damnandam hærefim vifuri fumus: non tamen ita hæc peftis deleri potuit, quin ad Lutheri tempora aliquæ ejus fibræ propagatæ fint, ex qua illum venena fua compofuiffe, refert Coclæus.

*(a) Coclæus in hift. Bohem.*

(*a*) Quod vero ad Turcici belli apparatum attinet; non refpondere legati conatibus felices exitus, cum hujus anni æftate Croatiam Turcarum excurfionibus obtritam luxerit Pontifex in literis fuis, quibus confentiunt hiftorici.

IX. Cæfarea ditio vaftata a Turcis.

Vaftatus etiam eft ea Turcica expeditione Maximiliani Cæfaris principatus, qui, dum parenti Friderico jufta funebria perfolvebat, eladis nuntium accepit, iifque intermiffis exercitum fuum in Croatiam duxit; fed jam Turca fe cum præda omni in tutum recepiffe comperit (*b*). Ad comparanda autem contra immaniffimum Chriftianorum hoftem auxilia valida, inita funt plura inter Joannem Albertum Poloniæ atque Wladislaum Hungariæ & Bohemiæ Reges colloquia (*c*), folicitatum præterea a Venetis Polonum, ut arma verteret adverfus Turcas, refert Cromerus (*d*), quippe Bajazethes Macedonia vaftata captoque Dyrrachio urbe ampliffima, Veneto imperio imminebat: Maximilianum quoque celebratis exequiis Friderici patris Viennæ, in cœtu ampliffimo oratorum Pontificis & Regum Chriftianorum plura de pace in univerfo Chriftiano imperio componenda egiffe, ut omnes principes focialibus armis Turcam adorirentur, fed præclara hujufmodi confilia evanuiffe narrat, Trithemius (*e*).

*(b) Bonfi. ab Trithem. Spond. hoc an.* Plura a Regibus inita colloquia de jungendis in Turcas armis. *(c) Cro. l. 30. (d) Id. ib.* Diffipata pia confilia. *(e) Trithem. ubi fup.*

X. *(f) Naucl. vol. 5. gen. 50. Infi. MS. arch. Vat. fign. n. 111. Mubov. l. 4. c. 77. Bonfin. l. 5. decad. 3. Lang. in chro. Citiz. Trab. ubi fup. Bartho. Card. Gunen.*

Quod vero ad Fridericum Imperatorem attinet; ipfum facris omnibus, quæ ad animam expiandam pertinebant rite magno cum pietatis fenfu procuratum obiiffe referunt (*f*) religionis laude confpicuus princeps extitit ab ipfa adolefcentia, in qua loca Chrifti domini cruciatibus ac veftigiis confecrata, luftravit, tum Ecclefiæ Felicis fchifmate vexatæ affuit: *Hic*, inquit, Nauclerus (*g*), *Neutralitatem ecclefiæ Romanæ nocentiffimam ex natione Germanica fuftulit, & obedientiam magno labore & fumptu Eugenio & Nicolao reftituit.*

XI. *(g) Naucl. vol. 2. gen. 50.* Friderici III. elogium.

Nonnullis interjectis de illius in victu parfimonia, in cultu modeftia, refert ex Ænea Sylvio, qui in Pontificatu Pius II. dictus eft, illum: *Nunquam juraffe nifi cum in civitate Aquenfi apud Belgas, & cum Romæ coronatus effet, idque juramentum conftantiffime tenuit: cum enim jurejurando promififfet, quæ bona poffideret ab imperio fe nullatenus alienaturum, & modo hoc, modo illud ex eo peteretur, maluit avarus negando, quam concedendo perjurus videri.* Et infra: *Interrogatus aliquando, quid homini optimum contingere poffet, refpondiffe fertur. Bonus in hac vita exitus, quod fibi contigiffe pie credendum, ipfe enim in fenectute bona venerabiliter fufceptis facramentis dominicæ falutis noftræ MCCCCXCIII. in vigilia nativitatis gloriofæ virginis Mariæ in oppido fuo Lyncea quam devotiffime migraffe dicitur de fæculo, corpus vero ejus inde delatum & in civitate fua Viennenfi fepultum eft.*

Avarus creditus quod jura imperii alienare nollet. Pius obitus Friderici.

XII. Friderici III. Cæfaris pietas infignis. *(h) Fabr. l. 1. de facris non temere violandis.*

Laudatur etiam ejus pietas a Joanne Fabro (*h*) adeo ut eam ad Germanos in avita religione continendus propofuerit his verbis: *De Cæfare Friderico III. archiduce Auftriæ noverunt & prædicant omnes quod Chriftianæ religioni totus & fedulo deditus & addictus fuerit, vitam enim valde devotam egiffe perhibentur orando, jejunando, eleemofynas largiendo, neque gravatus eft, amore religionis & zelo Dei incenfus, in maximis periculis vifitare gloriofum fepulchrum Domini in Hierufalem, & in quemcumque locum fine curru, fine lectica vehebatur, femper fecum habebat ferebatque in arculis multas, ac fanctas divorum reliquias, quas & ego ipfe plus femel propriis contrectavi manibus.*

XIII.

Cæterum in bellis five adverfus Hungaros, five Turcas minus felix; ejus imperium diuturnum quidem fuit, fed maximis cladibus a Turcis illatis Chriftianis luctuofum, quas Paulus Langius (*i*) in ejus elogio recenfet: *Ifte*, inquit, *Fridericus fuit vir optimus & Chriftianiffimus, Ecclefiam & clerum diligens atque pacifice imperium utique in Germania gubernans, fed plus quam Imperatorem decet quieti & otio deditus: ejus fiquidem incuria, & defidia, immo omnium principum negligentia & inertia, qui ipfum juvare, eique fideliter affiftere detrectarunt, multa fuo fub imperio regna, præmultæ & ferme innumeræ provinciæ & urbes per fpurciffimos Turcos ablata fuerunt, multaque millia Chriftianorum etiam ex ipfa Europa in captivitatem abducta. Nam quis ignorat, aut fine mœrore gravi audire poterit fub ejus imperio ipfo vivente & regnante a Chriftiana religione abrepta effe duo illa totius mundi pulcherrima Conftantinopolitanum, ac cum nobili illa urbe Sinopi Trapezuntinum imperia? quis vel etiam ignoret totidem regna a nobis paucis hinc annis divulfa, Traciam, Beotiam, Atticam, Macedoniam, Theffaliam, Achajam, Ætoliam, Bithyniam, Cappado-*

*(i) Lang. in chro. Citiz.* Ipfo imperante aucta maxime Turcarum potentia.

*ciam, Lyciam, Cariam, Lydiam, Ciliciam, Paphlagoniam, Pamphyliam, Poutum, duas & viginti gentes olim Mithridati subjectas continentem, Phrygiam, omnemque Hellespontum, quin utramque Mysiam ac Bulgariam, omnemque cum Rascia Serviam, & quidquid denique ab Andrinopoli Savoque amne ad Danubium usque interjacet, Bosnam, nobilemque illam Mytilenem, cum innumeris gentibus, quas inter nuncupatim Scordiscos, Triballos, Bastarnas, & Taurinos meminisse magnitudo cladis interpellat? Mitto Dalmatas, Epiroticos, Isauros, Helladas, Illyricos, Noricos, Pannonios, & cum Polonis a suis prope sedibus profligatis nos ipsos Germanos cruentissima Mahumetici furoris arma toties expertos. Taceo Chalcidis sive Nigroponti excidium, Hydruntinæque urbis etiam in præcedentibus suæ miseriæ anno memoratæ calamitatem, cujus archiepiscopum lignea serra interfectum meminisse horret, totius denique Malesatensis episcopatus lamentabilem vastationem. Taceo Euxini maris obsidium, mediterranei captivitatem, quod ille immanissimus Christiani nominis hostis libere nunc potenterque obequitat. Et ut brevibus amplissima perstringam catholicæ fidei detrimenta, Africa amissa est, Asia tota sub jugum missa, adeoque in angustum ducta Europa, ut fides, quam totam jampridem personuit orbis, nunc angustus occidentis incomptusque septentrionis angulus vix satis audet tuto profiteri. Tot ergo tantaque, immo multo plura, quam quisquam calamo exprimere possit, Christianæ reipublicæ detrimenta, & incommoda solum patimur pontificum, Regum, principumque nostrorum negligentia & discordia, qui dum intestinis odiis, mutuisque bellis ardent, aut etiam delitiis otioque marcent, Christianorum provincias terrasque expugnari, diripi, auferrique, etiam in propriam tandem sinant perniciem.*

Turcica arma in Germaniam progressa.

Maris imperium occupatum a Turcis.

Immensa mala ex Regum dissidiis manarunt.

XIV. At tot ab Ecclesia arcano divini Numinis judicio acceptæ clades amplissimorum ad illam accessione regnorum, de qua supra egimus, reparari visæ, dum Congi & Guineæ regnis, nec non Canariis insulis Indiisque illatum evangelium, & regnum Granatense debellatis Mauris Christo redditum est. In quo veteres ecclesias instauratas fuisse ex pontificio diplomate constat (a), quo in eo regno quatuor principes, sive cathedrales ecclesiæ constituuntur, & Granata metropoleos apice ac jure exornatur datis hisce Abulensi episcopo imperiis.

(a) *Lib. 4 bull. p.* 230.

*Venerabili fratri Francisco episcopo Abulensi.*

*Fraternitati tuæ, de qua in his & aliis specialem fiduciam in Domino obtinemus, motu proprio non ad alicujus super iis nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia per apostolica scripta committimus & mandamus, ut quod de cætero in perpetuis futuris temporibus in dicto regno Granatæ sint, & esse debeant quatuor dumtaxat ecclesiæ cathedrales, videlicet Granatensis, Malaginensis, Guidixensis, & Almeriensis, quarum primam, videlicet Granatensem, aliarum duarum ultimarum, videlicet Guidixensis & Almeriensis ecclesiarum, nuper per alias nostras literas in Metropolitanam ereximus, authoritate nostra statuas & ordines, ac Granatensem Malaginensem, Guidixensem, & Almeriensem civitates dicti regni ejusdem quatuor ecclesiis respective pro earumdem ecclesiarum civitatibus, & unicuique earumdem quatuor ecclesiarum dicti regni Granatæ illarum qualitatibus diligenter perspectis convenientem & limitatam diœcesim juxta consilium & ordinationem Regis & Reginæ prædictorum eadem authoritate assignes, &c.* Amplissima eundem episcopum authoritate Alexander instruit, ut limitibus suis quatuor eos episcopatus definiat ad omnium litium anfractus abscindendos. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ MCCCCXCIII.* III. *id. aprilis pontificatus nostri anno* I.

Cathedrales quatuor constitutæ.

Granata metropoleos jure exornata.

XV. Redierat inventarum novi orbis insularum gloria illustris Christophorus Columbus, honorificentissimeque a Ferdinando & Elisabeth Regibus, quibus nova imperia pepererat, amplificandæque apud barbaras nationes religionis viam aperuerat, exceptus est, ut refert Petrus Martyr (b) in literis hoc anno datis ad Ascanium Sfortiam Cardinalem vicecancellarium: *Rex*, inquit, *& Regina, quorum omnes cogitatus vel dormientium in religionis nostræ augmento sunt siti, sperantes ad Christi legem tot nationes & simplices gentes facile trahi posse, iis auditis commoventur, Colonum advenientem honorifice, uti pro talibus ausis merebatur, tractant, sedere illum coram se publice, quod est maximum apud Reges Hispanos amoris & gratitudinis, supremique obsequii signum fecerunt: præfectum marinum vocari deinceps Colonum imperant. Is almirantus Colonus apud Hispanos nuncupatur: fratrem etiam ipsius Bartholomæum Colonum rei marinæ & ipsum peritum præfecturæ insulæ Hispaniolæ titulo ornarunt.* Nonnullis interjectis subditur.

(b) *Petr. Martyr. dec.* 1. *c.* 1.

Secunda Columbi in novum orbem navigatio.

XVI. *Duabus his causis*, augendi nimirum divini cultus imperiique, *commoti sanctissimi hi duo consortes* XVII. *ad secundam expeditionem navigia parari jubent, tria oneraria, caveata magna* XII. *id genus navium*

*vium, quas dici apud Hispanos caravelas scripsimus sive caveas ejusdem generis duas aliquanto grandiores.* Et infra: *Ultra ducentos & mille armatos pedites illi imperant conduci, inter quos omnium machinarum artium fabros & opifices innumeros stipendio accersiri jubent: equites quosdam cæteris armatis immiscent. Ad fœtus procreandos equas, oves, invencas, & plura alia cum sui generis masculis: legumina, triticum, hordeum, & reliqua iis similia non solum alimenti, verum etiam seminandi gratia præfectus apparat, vites & aliarum nostratium arborum plantaria, quibus terra illa caret, ad eam important.* Et infra: *Secundis velis* VII. *kal. octobris anni* III. *& nonagesimi supra quadringentesimum & millesimum a salute nostra a Gadibus movit, Fortunatas insulas kal. octobris tetigere, &c. Vale felix. Ex Hispania curia idibus novembris MCCCCXCIII.* Hæc fuit prima colonia, quæ Deo propitio in novum orbem a Christianis deducta est maximo religionis incremento, summaque gloria Ferdinandi & Elisabethæ Regum, quos veluti Christiani imperii augustissimos propagatores omnis pia colet posteritas, paucorum enim annorum flexu Hispaniolam omnem, quæ ingens regnum æquat, Christianis sacris initiatam, atque ex ea in alia diffusa regna & imperia invectas colonias videbimus.

Prima Colonia in novum orbem traducta.

XVII. Confirmat hæc Joannes Barrosius (*a*) rediisse nimirum hoc anno ex novo orbe Christophorum Columbum, ac sexto martii Ulissiponem appulisse; additque illum antea pluribus annis continentibus Joannem Lusitaniæ Regem ursisse, ut ipsum ad occidentalem orbem lustrandum mitteret ac derisum: cumque jam parta recenti gloria triumpharet Lusitano Regi de spretis consiliis, quibus feliciter Rex Castellæ usus erat, insultasse, tantumque Lusitanorum odium in se concitasse, ut ejus gloriæ invidia perciti de ipso necando consilia agitarint, quæ Joannes Rex prudentia regia fregit, eumque ac barbaros occidentales, quos secum ex insulis avexerat, beneficiis est prosecutus. Nec Lusitani, qui a Columbo sibi orientis præripi imperium metuebant, exinde jacturam sunt passi, siquidem illius exemplo confirmati, cum antea Africæ curva littora raderent, in altum mare invecti & Brasiliam patefecere, circumactoque Bonæ spei promontorio in Indias celeri cursu penetrarunt.

(a) *Barros. dec. 1. Asia l. 3. c. 11. Surit. to. 5. l. 1. c. 25. Marian. l. 26.*

Lusitani ob contempta Columbi consilia furunt. Joannis Regis Lusit. moderatio insignis.

XVIII. Exorta vero mox post Christophori Columbi reditum lis est (*b*) inter Castellanum & Lusitanum Reges de Oceani novique orbis imperio: nam Lusitanus inventas a Columbo insulas ad se spectare contendit, negabat vero Castellanus, cui favit Alexander VI. qui Ferdinando novi orbis jura imperiumque pluribus amplissimisque diplomatibus asseruit, easdemque prærogativas contulit (*c*), quas Pontifices Lusitanis Regibus in Africæ occiduis littoribus & Guinea & fodinis auri fuerant impertiti.

Inter Castell. & Lusit. de novi orbis imperio certatum.

(b) *Ja. Barro & Surit. ubi sup.*

(c) *Alex. VI. l. 1. literar. com. min. n. 234.*

*Charissimo in Christo filio Ferdinando Regi & charissimæ in Christo filiæ Elisabeth Reginæ Castellæ, Legionis, Aragonum, & Granatæ illustribus salutem, &c.*

*Eximiæ devotionis sinceritas & integra fides, quibus nos & Romanam reveremini ecclesiam non indigne merentur, ut illa vobis favorabiliter concedamus, per quæ sanctum & laudabile propositum vestrum & opus inceptum in quærendis terris & insulis remotis ac incognitis in dies melius & facilius ad honorem omnipotensis Dei, & imperii Christiani propagationem, ac fidei catholicæ exaltationem prosequi valeatis. Hodie siquidem omnes & singulas terras firmas & insulas remotas & incognitas versus partes occidentales & mare Oceanum consistentes per vos, seu nuntios vestros, ad id propterea non sine magnis laboribus, periculis, & impensis destinatos, repertas & reperiendas in posterum, quæ sub actuali dominio temporali aliquorum dominorum Christianorum constituta non essent, cum omnibus illarum dominiis, civitatibus, castris, locis, villis, juribus, & jurisdictionibus universis, vobis, heredibusque, & successoribus vestris Castellæ & Legionis Regibus in perpetuum motu proprio & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine donavimus, concessimus & assignavimus, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur.*

Jura occidui orbis trans Oceanum Regibus Castellæ data.

*Cum autem alias nonnullis Portugalliæ Regibus, qui in partibus Africæ, Guineæ, & Mineræ auri, ac alias insulas etiam in similibus concessione & donatione apostolica eis facta repererunt & acquisiverunt per sedem Apostolicam diversa privilegia, gratiæ, libertates, immunitates, exemptiones, facultates, literæ, & indulta concessa fuerint, nos volentes etiam, prout dignum & conveniens existit, vos heredesque & successores vestros prædictos non minoribus gratiis, prærogativis, & favoribus prosequi, motu simili, non ad vestram vel alterius pro vobis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, ac eisdem scientia & apostolicæ potestatis plenitudine, vobis ac heredibus & successoribus vestris prædictis, ut in insulis & terris per vos seu nomine vestro hactenus repertis hujusmodi & reperiendis in*

*posterum, omnibus & singulis gratiis, privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, immunitatibus, literis, & indultis Regibus Portugalliæ concessis hujusmodi, quorum omnium tenores ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur haberi volumus pro sufficienter expressis & insertis uti, potiri, & gaudere libere & licite possitis & debeatis in omnibus & per omnia perinde, ac si illa omnia vobis ac heredibus & successoribus vestris præfatis specialiter concessa fuissent, authoritate apostolica tenore præsentium de specialis dono gratiæ indulgemus, illaque in omnibus & per omnia ad vos heredesque ac successores vestros prædictos extendimus pariter & ampliamus, ac eisdem modo & forma perpetuo concedimus, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, nec non omnibus illis, qui in literis Portugalliæ Regibus concessis hujusmodi concessa sunt: non obstantibus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MCCCCXCIII. v. non. maii pontificatus nostri anno 1.*

Paria eisdem privilegia ac Regibus Lusitanis indulta.

XIX. Eodem die aliud diploma (*a*), quo novi orbis imperium Regibus Hispaniarum confirmabatur editum est, quo eædem prærogativæ atque immunitates collatæ sunt, quibus Reges Lusitani in Africa & occidua Æthiopia donati erant. Tertio diplomate Alexander ad controversias, quæ inter Castellanos ac Lusitanos oboriri possent, dum classibus Oceanum sulcabant, dirimendas Indias orientales occidentalesque discrevit diplomate hisce verbis concepto (*b*).

(*a*) *Lib. 4. bull. sign. n.78. p 42.*

(*b*) *Lib. bull. 6. p. 192. ext. etiam in bull. in Alex. VI.*

*Alexander episcopus servus servorum Dei charissimo in Christo filio Ferdinando Regi & charissimæ in Christo filiæ Elisabeth Reginæ Castellæ, & Legionis, Aragonum, Siciliæ, & Granatæ illustribus salutem & apostolicam benedictionem.*

*Inter cætera divinæ majestati beneplacita opera, & cordis nostri desiderabilia illud profecto potissimum existit, ut fides catholica & Christiana religio nostris præsertim temporibus exaltetur ac ubilibet amplietur & dilatetur, animarumque salus procuretur, ac barbaræ nationes deprimantur & ad fidem ipsam reducantur, unde cum ad hanc sacram Petri sedem, divina favente clementia, meritis licet imparibus evecti fuerimus, cognoscentes vos tamquam veros catholicos Reges & principes, quales semper fuisse novimus, ut a vobis præclare gesta toti pene jam orbi notissima demonstrant, nedum id exoptare, sed omni conatu, studio, & diligentia nullis laboribus, nullis impensis, nullisque parcendo periculis etiam proprium sanguinem effundendo efficere, ac omnem animum vestrum omnesque conatus ad hoc jamdudum dedicasse, quemadmodum recuperatio regni Granatæ a tyrannide Saracanorum hodiernis temporibus per vos cum tanta divini nominis gloria facta testatur, dignum non immerito & debemus illa vobis etiam sponte & favorabiliter concedere, per quæ hujusmodi sanctum & laudabile ac immortali Deo acceptum propositum in dies ferventiori animo ad ipsius Dei honorem, & imperii Christiani propagationem prosequi valeatis.*

Ferdinandi & Isabellæ catholicorum elogium.

*Sane accepimus quod vos, qui dudum animo proposueratis aliquas insulas & terras firmas, remotas & incognitas, ac per alios hactenus non repertas quærere & invenire, ut illarum incolas & habitatores colendum Redemptorem nostrum, & fidem catholicam profitendum reduceretis, hactenus in expugnatione & recuperatione ipsius regni Granatæ plurimum occupati, hujusmodi sanctum & laudabile propositum vestrum ad optatum finem perducere nequivistis; sed tandem, sicut Domino placuit, regno prædicto recuperato, volentes desiderium adimpleri vestrum, dilectum filium Christophorum Colon, virum utique dignum & plurimum commendandum, ac tanto negotio aptum cum navigiis & oneribus ad similia instructis, non sine maximis laboribus & periculis ac expensis destinastis, ut terras firmas & insulas remotas & incognitas hujusmodi per mare, ubi hactenus navigatum non fuerat, diligenter inquireret. Qui tandem divino auxilio facta extrema diligentia in mari Oceano navigantes certas insulas remotissimas, & etiam terras firmas, quæ per alios hactenus repertæ non fuerant, invenerunt, in quibus quamplurimæ gentes pacifice viventes, & ut, asseritur, nudæ incedentes, nec carnibus vescentes inhabitant, & ut præfati nuncii vestri possunt opinari, gentes ipsæ in insulis & terris prædictis habitantes credunt unum Deum creatorem in Cœlis esse, ad fidem catholicam amplexandum, & bonis moribus imbuendum satis apti videntur, spesque habetur quod, si erudirentur, nomen Salvatoris Domini nostri Jesu Christi in terris & insulis prædictis facile induceretur: ac præfatus Christophorus in una ex principalibus insulis prædictis jam unam turrim satis munitam, in qua certos Christianos, qui secum iverant in custodiam, ut alias insulas & terras firmas remotas & incognitas inquirerent, posuit, construi & ædificari fecit, in quibus quidem insulis & terris jam repertis aurum, aromata, & aliæ quamplurimæ res pretiosæ diversi generis, & diversæ qualitatis reperiuntur, unde omnibus diligenter, & præsertim pro fidei catholicæ exaltatione, & dilatatione (prout decet catholicos Reges & principes) con-*

XX.

Christophori Colon. labores eximii.

Insulæ novæ & continens inventi.

Fidei propagandæ spes concepta.

Novum orbem sibi subjicere decernunt Hispani.

*consideratis more progenitorum vestrorum claræ memoriæ Regum terras firmas & insulas prædictas, illarumque incolas & habitatores vobis, divina favente clementia, subiicere, & ad fidem catholicam reducere proposuistis.*

XXI. *Nos igitur hujusmodi vestrum sanctum & laudabile propositum plurimum in Domino commendantes, ac cupientes, ut illud ad debitum finem perducatur, & per ipsum nomen Salvatoris nostri in partibus illis inducatur, hortamur vos quamplurimum in Domino, & per sacri lavocri susceptionem, qua mandatis apostolicis obligoti estis, & viscero misericordiæ domini Jesu Christi attente requirimus, ut cum expeditionem hujusmodi omnino prosequi & assumere prono mente orthodoxæ fidei zelo intendatis, populos in hujusmodi insulis & terris degentes od Christianam religionem suscipiendam inducere velitis & debeatis, nec periculo, nec labores ullo umquam tempore vos deterreant, firma spe fiduciaque conceptis, quod Deus omnipotens conatus vestros feliciter prosequetur.*

XXII. *Et ut tanti negotii provinciom apostolicæ gratiæ largitote donati liberius, & oudacius assumatis, motu proprio non od vestram vel olterius pro vobis super hoc nobis oblatæ petitionis instontiam, sed de nostra mora liberalitate & eu certo scientio, ac de apostolicæ potestotis plenitudine omnes insulat & terras firmas inventos & inveniendos, detectas & detegendat versus occidentem & meridiem, fabricando & construendo unam lineam a polo arctico, scilicet septentrione, od polum antarcticum scilicet meridiem sive terræ firmæ & insulæ inventæ & inveniendæ sint versus Indiam ous versus aliam quamcumque partem, quæ lineo distet a qualibet insularum quæ vulgariter nuncupantur de los Azoresy cobo Verde, centum leucis versus occidentem & meridiem, ito quod omnes insulæ & terræ firmæ repertæ & reperiendæ detectæ & detegendæ a præfata linea versus occidentem & meridiem per olium Regem aut principem Christianum non fuerint actualiter possessæ usque od diem nativitatis domini nostri Jesu Christi proxime præteritum, a quo incipit annus præsens millesimus quadringentesimus nonagesimus tertius, quando fuerunt per nuntios & capitaneos vestros inventæ oliquæ prædictarum insularum, outhoritate omnipotentis Dei nobis in beato Petro concesso, ac vicariatus Jesu Christi, qua fungimur in terris, cum omnibus illarum dominiis, civitatibus, costris, locis, & villis, juribusque & jurisdictionibus, ac pertinentiis universis vobis heredibusque & successoribus vestris Costellæ & Legionis Regibus in perpetuum tenore præsentium donamus, concedimus, assignamus, vosque & heredes ac successores præfatos illarum dominos cum plena, libera, & omnimoda potostate, authoritate, & jurisdictione facimus, constituimus, & deputamus, decernentes nihilominus per hujusmodi donationem, concessionem & ossignationem nostram nulli Christiano principi, qui octualiter præfatas insulos & terros firmas possederit usque ad dictum diem notivitatis domini nostri Jesu Christi jus quæsitum sublatum intelligi posse ous ouferri debere. Et insuper mandamus vobis in virtute sanctæ obedientiæ [ sicut pollicemini, & non dubitamus pro vestra maximo devotione & regia magnanimitote vos esse fo̧cturos ] ad terras firmas & insulas prædictas viros probos & Deum timentes, doctos, peritos, & expertos od instruendum incolas & habitatores præfatos in fide catholica & bonis moribus imbuendum destinare debeatis, omnem debitam diligentiam in præmissis adhibentes, ac quibuscumque personis cujuscumque dignitatis, etiam imperialis & regalis, status, gradus, ordinis, vel conditionis sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam eo ipso, si controfecerint, incurrant, districtius inhibemus, ne od insulas & terras firmas inventos & inveniendas, detectas & detegendas versus occidentem & meridiem, fabricando & construendo lineam a polo arctico ad polum ontarcticum, sive terræ firmæ & insulæ inventæ & inveniendæ sint versus Indiam out versus aliam quamcumque portem, quæ linea distet a qualibet insularum, quæ vulgariter nuncupantur de Azoresy Cabo verde, centum leucis versus occidentem & meridiem, ut præfertur, pro mercibus habendis, vel quavis alio de causo accedere præsumont obsque vestro ac heredum & successorum vestrorum prædictorum licentia speciali, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, cæterisque controriis quibuscumque in illo, a quo imperia & dominationes ac bona cuncta procedunt, confidentes quod dirigente Domino actus vestros, si hujusmodi sonctum & laudabile propositum prosequamini, brevi tempore cum felicitate & glorio totius populi Christiani, vestri lobores & conatus euitum felicissimum consequentur, &c. Datum Romæ opud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCDXCIII. IV. nonas moii pontificotus nostri anno 1.*

Termini novi orbis concessi illis præfixi.

Moniti Hispani Reges ut sacerdotes probos mittant ad evangelium inferendum.

XXIII. De occasione, quæ Christophorum Columbum ad laudatissimum audacissimumque facinus impulit, varia referunt scriptores: alii ajunt ipsum a Polo medico Florentino insigni cosmographo edoctum, patere necessario ad occidentem alium

Quibus causis permotus Columbus ad indagandum novum orbem.

orbem, ſumpto ex ſolis circa terrarum circuitu argumento, quod propheta docuit (a) his verbis: *A ſummo cælo egreſſio ejus, & occurſus*, ideſt circuitus, *ſuus uſque ad ſummum ejus;* quem circuitum fruſtra non fieri ratio edocebat. Alii ſactum ipſum certiorem a nauta apud Canarias excepto hoſpitio, qui valida tempeſtate ad incognitas terras ampliſſimas ad occaſum porrectas abreptum ſe teſtabatur, ſcriptaque de his commentaria Columbo reliquit: quæ tempeſtas divinæ providentiæ omnia ſuaviſſime diſponentis ſiogulari beneficio concitata viſa eſt.

(a) *Pſ. 18.*

XXIV. Miſſum ab Alexandro in novum orbem fuiſſe Bernardum Boil ordinis Minorum genere Catalanum una cum duodecim ſacerdotibus ut incultas illas regiones, evangelii ſemine jacto, excolerent, referunt hiſtorici, extantque pontificiæ literæ, (b) quibus apoſtolatus inter gentes novi orbis ampliſſimum munus illi impoſitum eſt.

(b) *L. 6. bull. p. 122.*

*Dilecto filio Bernardo Boil fratri ordinis Minorum vicario dicti ordinis in Hiſpaniarum regnis ſalutem, &c.*

Pontif. de ea re literæ.

*Tibi, qui presbyter es, ad inſulas & partes prædictas etiam cum aliquibus ſociis tuis, vel alterius ordinis per te aut eoſdem Regem & Reginam*, nempe Ferdinandi & Eliſabethæ *eligendis, ſuperiorum veſtrorum vel cujuſvis alterius ſuper hoc licentia minime requiſita, accedendi, & inibi quandiu volueritis commorandi, ac per te, vel alium, ſeu alios ad id idoneos presbyteros ſæculares vel religioſos ordinum quorumcumque, verbum Dei prædicandi & ſeminandi, dictoſque incolas & habitatores ad fidem catholicam reducendi, eoſque baptizandi & in fide ipſa inſtruendi, & eccleſiaſtica ſacramenta, quoties opus fuerit, ipſis miniſtrandi, ipſoſque & eorum quemlibet per te, vel alium, ſeu alios presbyteros ſæculares vel religioſos, in eorum confeſſionibus & quoties opus fuerit, audiendi, illiſque diligenter auditis pro commiſſis per eos criminibus, exceſſibus, & delictis, etiamſi talia fuerint, propter quæ ſedes Apoſtolica quovis modo fuerit conſulenda, de abſolutionis debito providendi, eiſque pœnitentiam ſalutarem injungendi, nec non vota quæcumque per eos pro tempore emiſſa, Jeroſolymitani, liminum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac S. Jacobi in Compoſtella, & religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutandi, ac quaſcumque eccleſias, capellas, monaſteria, domos ordinum quorumcumque etiam mendicantium, tam virorum quam mulierum, & loca pia cum campanilibus, campanis, clauſtris, dormitoriis, refectoriis, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis ſine alicujus præjudicio erigendi, conſtruendi, & ædificandi, ac ordinum mendicantium profeſſorias domos, quas pro eis conſtruxeris & ædificaveris recipiendi, & ad perpetuo inhabitandum licentiam concedendi, dictaſque eccleſias benedicendi, & quoties illas earumque cœmiteria per effuſionem ſanguinis, vel ſeminis, aut alias violari contigerit, a qua prius per aliquem catholicum miniſtrum, ut moris eſt, benedicendi, reconciliandi, & etiam neceſſitatis tempore, ſuper quo conſcientias veſtras oneramus, carnibus & aliis cibis tibi & ſociis tuis prædictis juxta regularia dictorum ordinum inſtituta, prohibitis libere & licite veſcendi, omniaque alia & ſingula in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, exequendi, & diſponendi, plenam liberam & omnimodam authoritate Apoſtolica & ex certa ſcientia tenore præſentium facultatem, licentiam, poteſtatem, & authoritatem concedimus pariter & elargimur.*

Quæ authoritas ipſi collata.

*Et inſuper ut Chriſtifideles eo libentius devotionis cauſa ad dictas terras & inſulas confluant, quo ſuarum ſe ſperaverint ſalutem animarum adepturos, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus prædictis, qui ad prædictas terras & inſulas ſe perſonaliter, de mandato tamen & voluntate Regis & Reginæ prædictorum, contulerint, ut ipſi & quilibet eorum confeſſorem idoneum ſæcularem vel regularem eligere poſſint, qui eos & eorum quemlibet modo præmiſſo, ab eorum criminibus, peccatis, & delictis etiam dictæ ſedi reſervatis abſolvat, ac eorum vota etiam commutet, nec non omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti & ore confeſſi fuerint, indulgentiam & remiſſionem ipſis in ſinceritate fidei, unitate ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ac obedientia & devotione noſtra, & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perſiſtentibus ſemel in vita & ſemel in mortis articulo authoritate præfata concedere valeat, nec non monaſteriis, locis, & domibus erigendis & ædificandis, & monachis & fratribus, & illis pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, & indultis aliis monaſteriis, locis, domibus, monachis & fratribus ordinum, quorum illa & illi fuerint in genere conceſſis, & concedendis in poſterum, uti, potiri, & gaudere libere & licite valeant authoritate præfata de ſpecialis dono gratiæ indulgemus non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri literis, ne quivis ordinum mendican-*

XXV. Indulgentiæ ad novum orbem trajecturis propoſitæ.

tium

*tium fratres nova loca recipere præsumant absque dictæ sedis licentia speciali, &c. Datum Romæ apud S. Petrum ann. MCDXCIII. VII. kal. julii pontificatus nostri anno 1.*

XXVI. Cum porro Pontifices sacras indulgentias proponerent Hispanis, qui subsidiarium aurum Ferdinando & Elisabethæ Regibus pro amplificanda Christiana religione conferrent, quibus auxiliis fulti & Mauricam superstitionem in Granata exciderant, Africamque subiicere meditabantur, nonnulli præclarum hoc licitationis genus & emungendæ pecuniæ idoneam artem rati, plures corruptelas in iis promulgandis admisere, tum etiam adulterina diplomata finxere, quos Alexander a præsulibus comprimi jussit (a). Adjecta est ejus literis hæc temporis nota. *Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ MCCCCXCIII. VI. kal. augusti pontificatus nostri anno 1.*

(a) L. 3. bull. secr. p. 136.

XXVII. Hoc anno sancitum fuisse inter Alexandrum Papam & Venetos, ac nonnullos alios Italos principes fœdus, refert Stephanus Infissura (b), deque eodem meminit Burchardus in diariis, (c), ac sacros in eo promulgando ritus ita describit (d): XXV. *aprilis Bartholomæus episcopus Sutrinus & Nepesinus accepto pluviali rubeo pretioso venit ad Pontificem, & coram eo genuflexus petiit ab eo indulgentias, & Pontifex concessit plenarias in signum lætitiæ tanti fœderis. Deinde ascendit idem episcopus absque benedictionis petitione pulpitum juxta cornu epistolæ altaris in locum, ubi faldistorium celebrantis steterat paratum, & ibidem fecit orationem satis simplicem, per quam publicavit fœdus & confœderationem inter sanctitatem suam, & dominium Venetorum, ac illustrissimos Mediolanenses & Barri duces initum. Et legit capitula fœderis.* Injectam tum imminentis alicujus belli suspicionem Infissura addit, atque Alexandrum urbis mœnia, quæ a regia pontificia ad molem Hadrianam pertinent, refecisse, ac turribus communivisse. Facta vero ab Alexandro cum Venetis & duce Mediolanensi ejusque patruo Ludovico Sfortia armorum coitione, ad defendendos mutuis auxiliis principatus suos metu expeditionis Neapolitanæ confici cœptæ a Carolo Francorum Rege, refert Hieronymus Surita (e), [1] ingentes namque ex ea motus in Italia excitatum iri timebatur. Urgebant (f) Gallum assidue precibus Neapolitani proceres, in quos Ferdinandus tyrannidem exercuerat sævissimam ob initum cum Romana ecclesia Pontificeque Innocentio fœdus, quippe qui partim nonnullos ex illis obtruncarat, alios autem in carceribus quotidianis ludibriis vexabat quamvis anno superiori cum Innocentio fœdus de sarciendis læsorum injuriis, uti vidimus, redintegrasset: accensumque erat tantum in omnibus ordinibus ob illius Alfonsique ducis Calabriæ odium, ut Neapolitanæ tantum regiæ eversione restinguendum videretur.

(b) Infiss. ms. arch. Vat. sign. n. 111.
(c) Burch. ms. arch. Vat sig. n. 104. pag. 113.
(d) L. 1. divers. Jo. Burchar.

Quo ritu promulgatum.

Exciti Galli a Neap. proceribus.

(e) Sur. to. 5. l. 1. c. 23.
(f) Jo. eod. l. c. 21. & & 22.

Alphonsus publico odio ardet.

XXVIII. Addidisse etiam stimulos Carolo Regi ad suscipiendum Neapolitanum bellum Carolum Balbianum Mediolanensis ducis oratorem, refert Belcairus (g), atque ingentes spes non modo Neapolitanæ, sed etiam Constantinopolitanæ urbium sub Gallicum imperium redigendarum proposuisse: *Cum primum*, aiebat, *alpes copiæ tuæ jam omnium opinione victrices transcenderint, ac Gallica classis Genuam appulerit, Ferdinandus Alfonsusque scelerum suorum ac communis populorum odii conscii jam non de regno tuendo, sed de maturanda fuga cogitabunt. Ita fertilissima totius Italiæ regio non tam finium latitudine, quam soli pinguis ubertate, maritimorumque commerciorum commoditate laudanda, tibi nullo negotio accrescet. Sed Regi magnanimo, Christianæque religionis in primis studioso, quorum alterum tibi natura indidit, alterius cognomen e re natum majores tui tibi hereditarium reliquerunt longe majorque augustior se commoditas offert, neque enim privatam utilitatem sequitur excelsus iste tuus genius, universi potius Christianismi propagationem amplectitur,*

(g) Belcair. dec. 1. l. 3. n. 8.

Regi Galliæ additi animi ut Neap. regnum expugnet.

E Neap. regno in Græciam facilem trajectum patere.



NOTÆ [1] FŒderis pontificem inter Venetos & Ducem Mediolanensem ineundi duplicem causam non ex Surita quidem cum Annalista hic sed ex Naugerio in Veneta historia ad hunc annum petas. Narrat ille pontificem arma in Ursinos ad recuperanda oppida quædam pontificiæ ditionis movisse; cum vero Ursinos defenderet Ferdinandus rex Neapolitanus, ideo contra validum illud adversarium pontifex fœdus cum duobus illis principibus strinxit. Has fœderis sanciendi causas eo probabiliores esse constat iis, quas Surita in Annalibus laudatus affert, quod Gallica arma in Neapolitanam expeditionem ducenda non tantum non impedierint principes fœderati, sed & Gallo consilium suum aperienti responderint Veneti, nihil obstituros se quominus in Italiam descendat ut Naugerius ibidem narrat. Fœderis hujus leges recitat Sanutus qui cum hoc anno historiam suam claudit. Eo vero recidunt, ut ditioni fœderatorum principum conservandæ quisque pro sua virili operam conferat. Interim vero quique certum peditum equorumque numerum instructum detineat, ad suas sociorumque injurias propulsandas paratum Dux armorum Ecclesiæ constiturus princeps Ariminensis, cujus stipendio solvendo cum ea obitu Innocentii VIII. exhaustum fuerit ærarium pontificium auxiliarem pecuniam Veneti suppeditent. Hæc pactorum summa. MANSI

*inde brevissimus in Græciam septuaginta dumtaxat milliaribus e quibusdam regionibus divisam trajectus patet, quæ immani Turcarum tyrannide oppressa libertatis assertores de integro Gallos tuo nomine recreata præstolatur: te enim magni Caroli sobolem non solum nomine, sed & magnitudine progenitorum tuorum referentem supplex implorat, tibi sacrum bellum decernit tibi orientis imperium despondet, cujus bonam partem, Turcis expulsis, quondam Galli heroes non iisdem opibus nixi, Gotofredo Bullionio duce, sibi vendicarunt, & posteris fruendam reliquerunt. Perge igitur alacri fortique animo quo te jus a majoribus relictum, & Christiana pietas vocat, quod tuum est repete, inde publicam religionis causam suscepturus, & nomen Christianum transmissis antiquis finibus aucturus: quanto enim progressus postremis hisce triginta annis Turca fecerit, uti Constantinopolitanum Trapezuntinumque imperium occuparit, Rhodum oppugnarit, Hydrunto capto Italiam tentarit, postremo Dalmatiam, Illyricumque subitis incursationibus pervastarit, nemini ignotum est, quinetiam ingenti classe instructa tanta potentia auctus majus quiddam moliri, atque Italiæ imminere dicitur, ut principem Christianæ religionis antiquique imperii sedem, Constantinopolitana non contentus, sibi vendicet. Huic tu mature occurrere, dum Græci pristinæ libertatis religionisque memores magna ad victoriam momenta adiicere possunt. Pro tua pietate debes, & de imperio in alieno solo potius, quam in Galliæ finibus, aut fortasse in ipsis Galliæ visceribus de libertate ac salute decertare, cum tibi gloriosius, tum certe longe tutius erit; ut non addam majores tuos, Ludovicum inquam Pium, Carolum ejus fratrem Regem Neapolitanum, aliosque permultos sola religionis contemplatione fretos longinqua bella suscepisse, & cum pietatis fructu tantam, quanta homini Christiano contingere potest gloriam reportasse.* Excitum Carolum in Italiam a Ludovico duce Mediolanensi confirmat (a) Bernardinus Corius, qui ejusdem ducis literas affert suis sententiis conceptas.

Adiectæ spes Græcos in ejus partes concessuros.

(a) *Bern. Corius p.* 7.

XXIX. Efferebant etiam Caroli Regis partes Florentini, quorum præcipuam factionem ducebat (b) Hieronymus Savonarola ordinis Prædicatorum eloquentiæ gloria florentissimus, qui publice declamabat, prout sibi finxerat animo, Carolum Regem a Deo in Italiam adductum iri, ut publica crimina plecteret: is sacris concionibus populum in sui admirationem traxerat, atque ad atheorum refellendas calumnias inter alia opera librum de Christianæ fidei veritate, sive, triumphum crucis inscriptum edidit. Felicitatis apicem attigisse visus esset Savonarola si divinis rebus tantum se addixisset, sed humanæ gloriæ lenocinia & inanes spes eum præcipitem egere.

(b) *Philipp. Comin. l.8. c.19.*

Solicitatur ab Hieronymo Savonarola ad Italicam expeditionem.

De triumpho crucis editus a Savonarola liber.

Porro non ille modo, ut factionis Florentinæ signifer, & Ludovicus Sfortia dux Mediolanensis, & Cardinalis Ascanius Caroli Regis Gallorum partes fovebant, immo Alexander, a quo Carolus Andegavensium jure hereditario Neapolitano regno indui deposcebat, alienus non putabatur, cum & præteritarum Romanæ ecclesiæ injuriarum pœnas a fœdifrago principe posset repetere: tum illi Carolus censum quadraginta millium aureorum tot annis a Ferdinando intermissum summa integritate veteri Gallico more pensitaturum, nec non illius spuriam prolem beneficiis amplissimis aucturum; præterea ejecto Ferdinando, qui hactenus conficiendam in Bajazethem expeditionem, vexata continuis intestinis bellis Italia, retardarat, Gallica & Italica arma versurum in Turcas, cæterisque Christianis ad religionem orienti restituendam accepto crucis sacro symbolo se ducem imperatoremque præbiturum polliceretur. XXX.

Amplissima promissa a Carolo oblata Pontifici.

Hæc præsentientes Ferdinandus Neapolis alterque Ferdinandus Siciliæ & Hispaniarum Reges consilia, ad ea disturbanda mutuam operam contulerunt; & Neapolitanus quidem ad deliniendum Alexandrum, qui mala Innocentii in congerendis in nothos filios ecclesiasticis opibus, quas sancti Pontifices etiam legitimis ante sacerdotium susceptis, aliisque sanguine conjunctissimis denegarunt, exempla pejoribus cumulabat (c), illum de affinitate, deque filia sua notha Alexandri ipsius filio conjungenda postulavit (d), ut anno insequenti videbimus; Hispanus vero metuens ne Carolus Gallorum Rex parto Neapolitano regno Siciliæ insulam veteri jure affectaret, cum jam se Siciliæ & Jerosolymorum Regem in Cardinalium senatu oratoris Aubinii voce se appellasset; tum etiam Joannis (e) Aragoniæ Regis, qui Alfonso seniore extincto ad regnum vocatus fuerat successionis jure tum quod ab aliquibus magnatibus in spem Neapolitani imperii vocaretur, amplissimum oratorem ad Alexandrum misit, ut a Gallica illum amicitia divelleret, contenditque ab eo, ne nova in Italia bella concitari sineret, quin potius dissipatis omnibus intestinis Christianorum discordiis arma sacra in Turcas jungerentur, ut refert Stephanus Infissura (f). XXXI.

(c) *Infiss. ms. arch. Vat. sign. n.121.*

(d) *Surit. sup. c. 22.*

(e) *Cap. 20.*

Hispanus Rex Carolo infensus.

(f) *Infiss. ubi sup.*

XXXII. *In consistorio*, inquit, *publico ultra obedientiam, quam fertur dictum ambasciatorem præstitisse nomine Regis Hispaniæ,*

ex-

*exposuit etiam ex parte ipsius Regis, quod præfatus Rex habebat multum in odio bella, quæ fiebant in Italia inter Christianos, eo quod diceret, se continuo exponere statum suum, & vitam suam pro salute Christianæ fidei & augmento ipsius, continuo certando cum infidelibus: & Papa, qui esset caput fidei Christianæ, intenderet ad ipsius dissipationem: & exposuit etiam quod dictus Rex intendebat habere notitiam de eo, per quem remaneret, quo minus dicta pax fieret inter Christianos, quoniam dicebat dictum Regem habiturum cum eis inimicitiam potissime, si sine causa istud fieret. Aliud, quod proposuit est, quod ex quo præfatus Rex expulerat Marranos de imperio suo, tanquam inimicos Christianæ fidei, quod mirabatur, quod Papa, qui esset caput dictæ fidei, illos recepisset in urbe: & propterea hortatus est eum, ut de terris Ecclesiæ illi subjectis eos expelleret. Tertio quod ex quo intendebat sua maiestas persequi victoriam contra infideles, & acquirere (si Deus dedisset ei gratiam) Jerusalem & terram sanctam, rogabat Pontificem, ut vellet ei præstare auxilium, & favorem, præsertim in hoc, videlicet ut operaretur, ut habentes beneficia excedentia centum ducatos de fructibus annuatim, quod deberent reverti ad Hispaniam, alioquin intendebat ipse recipere dictos fructus, & ipsos convertere in opus prædictum.*

Effusæ querelæ de Marranis exceptis in ditione pontificia. Profitetur Ferd. Hierosolymam recuperare velle.

Nonnullis interjectis de Marranis receptis in urbem scribit Infissura (a), ipsorum ingentem multitudinem pulsam Hispania finitima urbis loca insedisse, atque aliquos Hispanorum custodum fraude Romam ingressos, eamque peste infecisse: hæsisse etiam nonnullos in ea, atque in curiæ munera irrepsisse, in quos tamen Alexander judiciariam severitatis animadversionem adhibuit. De sacra pariter decernenda militia in Turcas consilia Ferdinandi consenuere: quamvis etiam variis aliorum principum legationibus Alexander ad eam indicendam solicitaretur habita hoc anno est eo argumento perelegans oratio (b) a Petro Cara jurisconsulto, qui Caroli ducis Sabaudiæ nomine ad obedientiam solemni ritu Alexandro, ut B. Petri successori præstandam venerat, cujus præcipuam partem decerpemus. Plura itaque de Apostolicæ sedis majestate præfatus, deque Sabaudorum principum, quorum Beroldus Hugo Saxonum dux Ottonis II. Imperatoris filius antiquus auctor ac parens extitit, quorumque stemma gentilitium defensi Rhodæ ab Amadeo dignitate fulget, deque gestis a Pontificibus nomine Alexandri præfatus addidit: *Pulchrius tibi erit & gloriosius, si (quod omnes autumant) in Turcos molitus fueris, teque alterum Alexandrum magnum in orientales, illos Reges & populos Christi hostes ostenderis, ut (quod maxime omnium optandum est, futurumque speramus) orientalem cum occidentali ecclesia conjungas, & te tandem verum Alexandrum magnum, Pontificem maximum, terrarum mundique Regem, & Christi vicarium omnem omnes salutent & adorent. Gentilis ille tuus gloriosæ memoriæ Pontifex maximus Callistus III. ut primum ad apostolatum assumptus fuit, id mente concepit, vovitque se perpetuo totis conatibus Turcos & infideles persecuturum. Ad eam rem perficiendam ex omni Europa multa mari, terraque paravit, nonnullas barbarorum insulas vi expugnatas cepit, ingentes clades hostibus intulit.* Et infra: *Dum majorem molitur victoriam in ipsius primitiis sanctissimus Pontifex ad cælos revocatur, cujus morte sicut interrupta sunt omnia, ita Turci & barbari maximo metu liberati. Tibi uni nunc hic honos, hæc palma debetur, ut quod patruus Callistus incœperat, nepos Alexander felicibus auspiciis prosequendo perficias. Oblata est tibi hoc tempore insignis occasio rei bene gerendæ, quæ te magis atque magis incendere inflammareque debet. Celeberrimus Ferdinandus Rex Hispaniæ, unde tibi nobilissima origo est, postquam barbaros Christiani nominis hostes bis atque sæpius ingenti clade percussit, & trophæa sæpenumero de ipsis statuit, superiore anno victricibus signis universum Bethicæ regnum illis eripuit, Christianisque restituit. O felicem divinumque principem! O clarissimum & præstantissimum Regem cunctis sæculis literis ac monumentis celebrandum! Hac una Ferdinandi victoria latrones illi spurcissimi trepidant, pertimescunt, latebras quærunt. Proinde si Redemptoris nostri vexilla te duce moveri, & Alexandri VI. signa præsenserint, tantus eos tui nominis terror invadet, ut facile tibi eventurum credamus, quod Alexandro magno contigit, cui ab ultimis etiam mundi littoribus legationes undique nuntiabantur, quibus cunctæ gentes velut destinato sibi Regi obsequerentur.*

(a) Infiss. ubi sup. In Marranos exercita severitas judiciaria.

(b) Ex typis cusa p. 37. Delatum Alexandro a Sabaudo obsequium.

Adhortatio ad Turcicum bellum.

Propositum Callisti III. exemplum.

Laudatus ab exteris Ferdinandus Rex.

*Dum igitur trepidant, tolle moras: nocuit semper differre paratis. Habes quoque domi, & in his excelsis tectis veluti captivum Zizimum sultanum magni Turcorum Regis fratrem, maximum certe futuræ tuæ victoriæ momentum: is non parvo adjumento tibi exercitibusque tuis multis rationibus est futurus. Non deerunt, ut opinor, in tam præclaro divinoque opere Christiani principes, potentatus, respublicæ: omnes omnibus viribus, omnibus copiis te sequentur: nihil certe ad eam rem defuturum tibi video, modo velis, velle autem debes: nec*

*te, mihi crede, hujus consilii unquam pœnitebis. Parata est tibi immortalis gloria, Alexander, modo tu Christi gloriam, a quo tua omnis emanat, diligenter ut sperant omnes, inquiras, nec enim ad cibum, ad potum, ad titillantem prurientemque corporis voluptatem nati sumus, verum, ut soles dicere, ad decus, ad dignitatem, ad labores, ad justitiam, ad ærumnas etiam pro justitia perferendas; at quæ major justitia dici excogitarique potest, quam injurias Christo redemptori nostro illatas ulcisci: gregem suum a barbaris oppressum, Christianum populum terra sancta spoliatum ludibriis & contumeliis affectum defendere. Cogita, pater sancte, quot urbes, quot provincias, quot regna, quot imperia & superioribus & nostris sæculis barbari Christianis eripuere. Nam ut Jerosolymam terram Sanctam Christi domicilium, & ea omnia loca, in quibus salutis nostræ mysteria sunt tractata silentio prætereamus. Ut Syriam, Phœnicem, Ægyptum, Achajam nostrorum olim Sabandiæ principum provinciam, ut Græciam & Asiam minorem, ac innumeras fere provincias omittamus, horret animus meminisse quas clades nostris etiam temporibus Mahometana rabies populis Christianis instinxerit, recens est adhuc Constantinopolitana calamitas, recentior Euboiæ clades, quæ sine lacrymis a Christianis audiri vel censeri non possunt,* & infra: *Age itaque Alexander, exurge, te ipsum excita, te hortare, te verum Alexandrum in orientales illos infideles ostende, nam Christo duce non minora certe gesturus es, quam Alexander ille magnus, qui cum nullo unquam hoste, ut legitur, est congressus, quem non vicerit, nullam urbem obsedit, quam non expugnaverit, nullam gentem adiit, quam non calcaverit, sed de his satis.*

Expositus regnorum Christianis ereptorum numerus.

Spurius obtrusus flagitio inter Cardinales.

Neglecta res Christiana ab Alex.

XXXIII. Auctus est hoc anno Cardinalium senatus, atque inter alios Cæsarem Borgiam filium nothum Valentino archiepiscopatu & episcopatu Pampilonensi antea oneratum sacra purpura donavit Alexander, de quo hæc refert Joannes Mariana (*a*): *Duodecimo kal. octobris eundem in Cardinalium collegium cooptavit, quasi Dominici Ariniani, cui Zanozia nupta erat, justum filium. Impotens est animus, quem ingens cupiditas devovit: vecordia viribus armata neque pudore movetur, neque veritatis conscientiæ legibus. Ut ita crederetur cautum multorum ad gratiam loquentium testimonia confirmarunt. Contra hiscere nemo Rotæ judicum, nemo Cardinalium, cum quibus rem communicavit, ausus est. Tantam improbitatem tam perditos ejus sæculi mores ingemnisse orbem Christianum arbitror. Hinc vero proxima mala, quibus premimur.*

(*a*) *Marian. l. 26. c. 2.*

Spurium admisit in Cardinalium collegium.

Turpissima alterius promotio.

Alios etiam duos in senatum sacrum ascivisse refert Infissura repugnante maxima Cardinalium parte: *Die*, inquit, *vigesimo septembris Papa Alexander creavit duodecim Cardinales, & in eorum creatione consenserunt tantum septem Cardinales, reliqui dissenserunt. Inter primos fuit creatus filius ipsius natus ex se & quadam muliere, quam nupserat cuidam Dominico de Arignano, & semper fuit habitus, tentus, & reputatus ejus filius, & ipse fecit eum episcopum in Hispania de Pamplona. Item filium domini Gabrielis de Cæsarinis fratrem generi sui. Item unum de domo Farnesia*, nempe Alexandrum; *consanguineum Juliæ Bellæ*. Quorum postremus postea virtutibus probavit dignum se sacra purpura, ac multos post annos Pauli III. accepto nomine pontificatum gessit: reliqui fuere numero novem, inter quos Joannes Borgia sororis filius, Montis regalis antistes, Bernardinus (*b*) Carvajalis vir eruditus, cujus aliquæ sacræ conciones extant, congregati postea adversus Julium II. Pisani conciliabuli author: Fridericum etiam episcopum Cracoviensem Poloniæ Hungariæque Regum fratrem, atque Hyppolitum Estensem metropolitam Strigoniensem in purpuratorum ordinem adscriptos Cromerus (*c*) & Bonfinius (*d*) tradunt. Sex vero alii erant Joannes Mortanus Anglus archiepiscopus Cantuariensis tit. S. Anastasiæ presbyter, Joannes Antonius de S. Georgio episcopus Alexandrinus presbyter tit. SS. Nerei & Achillei, Joannes Grolaya abbas S. Dionysii presbyter tit. S. Sabinæ, Raymundus (*e*) Perauldus Gallus episcopus Gurcensis presbyter tit. S. Mariæ in Cosmedin, Dominicus Grimanus Veneti ducis filius diaconus S. Nicolai inter imagines. XXXIV.

Qui fuerunt alii Cardinales creati.

(*b*) *Sur. to. 5. l. 1. c. 22.*

(*c*) *Cro. l. 30. Volat. l. 7.*

(*d*) *Bonfin. dec. 5. l. 3.*

(*e*) *Fel. Contelor. in elench. Cardd.*

Hoc anno B. Franciscus Paulanus, cujus sanctitas longe lateque refulgebat ac ingens multitudo piorum virorum ad eum confluebat, ut monasticis disciplinis ab ipso excoleretur, religiosæ vitæ formulam sanctissimis præceptis ex evangelio decerptis ornatissimam composuit, quæ ab Alexandro VI. amplissimo diplomate (*f*) confirmata est. Ex iis vero sacris præceptis pauca hæc pietatem eximiam spirantia delibasse suffecerit: *Dixit Dominus in evangelio: Qui non renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus, ideo fratres nihil sibi approprient nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed sint tanquam peregrini & advenæ in hoc sæculo Domino famulantes, nam paupertatis spiritus est abdicatio solicitudinum, sæculi & privatio, ex vita præsenti transituris iter ad Deum sine impedimen-* XXXV.

(*f*) *Lib. 4. bullar. p. 129.*

Paupertas spiritus inculcata.

*mento, alienatio justitiæ temporalis* scilicet a forensi strepitu, *fidelis observatio mandatorum Dei, fundamentum pacis & munditiæ, pauper enim frater est dominus mundi, & qui jactavit in Deum curam suam possidet per fidem omnes gentes in servos. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos charissimos fratres in veros heredes, & reges regni cœlorum instituit, & pauperes rebus factos virtutibus sublimavit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viventium, quare loca vestra, quæ inhabitamus nolumus esse curiosa, sed tam domus quam ecclesiæ sint parvæ & humiles, & tales quod in omnibus reluceat sancta paupertas. Insuper nullus inter vos quidquam suum dicere audeat, sed omnia sint de ecclesia, & unicuique a patre distribuatur, prout opus est, cujuslibet ætate & qualitate considerata. Ergo cum quis filiis suis aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus in societate nostra constitutis, antequam contulerit vestem, seu aliquid aliud inter necessaria deputandum, non occulte accipiatur, sed potestate superioris, ut in rem ecclesiæ reductam, cui necessarium fuerit tribuatur. Nulli ergo nostrum quidquam liceat habere, quod superior non dederit nec permiserit, quibus nec corpora sua, nec voluntates suas in sua liceat habere potestate*, & infra.

De jejuniis servandis.

*Quoniam, testante scriptura, multa ex jejunio nascuntur bona, ideo quilibet carnem suam domare solicitus sit jejuniis & abstinentia escæ & potus quantum valitudo permittit. Omnes vigiliæ, quas mandat Ecclesia, sanctaque quadragesima a dominica quinquagesimæ incipientes a nobis inviolabiliter observentur: a festo omnium sanctorum exclusive usque ad festum nativitatis Domini, cæterisque temporibus quarta & sexta feria soliciti simus jejunare: aliis autem temporibus & solemnitatibus devotis possint qui volunt, de licentia correctorum jejunare: qui si eorum inspecta qualitate corrector nolit eis permittere, sufficiat eis bona voluntas.*

De precibus fundendis.

De oratione fundenda hæc vir sanctus subjungit: *Quoniam autem oratio bona est cum jejunio, fratres maxime hostiam laudis immolantes, quantum vires suppetunt devotioni & orationi vacare non omittant, jungentes verbis sensum, sensui affectum, affectui exultationem, exultationi maturitatem, maturitati humilitatem, humilitati libertatem: ac præter horas canonicas potissimum quando eis vacat psalmis & aliis peculiaribus orationibus insistent, locis, horis, & temporibus constitutis, quas quanto crebriores, tanto sanctiores habere debebunt.*

XXXVI. Multis interjectis de carnium abstinentia, hæc subiicit: *Cibi nostri durante vita nostra sint quadragesimales tam in locis & conventibus, quam etiam extra, nec alicui carnes, nec ova, caseum, aut lacticinia alia modo aliquo seu tempore, demptis infirmis, & hoc de consilio medici, comedere licitum sit: contrafacientes simul & consentientes, non revelantes per tres menses carceribus mancipentur.*

Indicta carnium & ovorum & lacticiniorum abstinentia.

Florebat hoc tempore Joannes Picus Mirandulæ comes eruditionis gloria adeo, ut Linguarum plura genera, ac scientias omnes callere videretur, inanis gloriolæ impulsus aura cum Romam ad Innocentium VIII. accessisset, nongentas quæstiones disceptandas propugnandasque proposuit (a), quarum tredecim de hæresi suspectæ visæ sunt, in quibus male sentire de Christi descensu ad limbum, de pœnis damnatorum æternis credendis, de libertate, de cultu sacrarum imaginum, de assumptione hypostatica humanitatis Christi a Verbo divino, de transubstantiatione in Eucharistia, quasi posset esse substantia panis cum corpore Christi, nec non magiam & cabalam laudasse existimatus sit, quare in judicium vocatus professus est nuncupato sacramento, se omnia dicta sua pontificiis decretis submittere, nongentarumque propositionum libellus ab Innocentio prohibitus est: qua de causa cum ab æmulis magnum in ipsum odium concitaretur, quod affectato philosophiæ fastu hæresiarcham egisset, ille apologeticum librum edidit, in quo tredecim propositiones suas ancipites, quæ offensionem auxerant, in catholicum sensum traduxit, ac de suo scribendi apologetici libri consilio hæc pie promulgavit: *Fui ego, Deum testor, dubia diu consilio diluenda mihi hæc objectamenta, an silentio potius prætereunda essent. Movebant me ut tacerem duo præcipue. Primum quod ego contentionis & jurgiorum abhorrens, animi pacem, quam mihi mea præstiterunt studia & placidissimæ vitæ tranquillitatem amavi semper, nec odi ullum magis scribendi munus, quam quod in disceptatione & amarulenta quoquomodo altercatione sit constitutum, quippe qui non minus referre; quam inferre injuriam vel contumeliam nec boni viri duxeram esse umquam nec philosophi. Alterum hoc ipsum erat, quod & summi Pontificis, cujus mihi merito celebranda semper memoria, & ex sanctissimo apostolico senatu complurimum judicio contentus, quorum & benignitatem & benevolentissimum in me animum oblivisci numquam aut possum aut debeo, videbar facile & odium posse negligere & convitia hominum improborum. Et profecto quod attinet ad cætera;*

Nongentæ quæstiones propositæ a Jo. Pico Mirandulano.

(a) *Jo. Pico Mirand.*

Adducitur in suspicionem hæreseos.

Eam purgat.

in

*te, mihi crede, hujus consilii unquam pœnitebit. Parata est tibi immortalis gloria, Alexander, modo tu Christi gloriam, a quo tua omnis emanat, diligenter ut sperant omnes, inquiras, nec enim ad cibum, ad potum, ad titillantem prurientemque corporis voluptatem nati sumus, verum, ut soles dicere, ad decus, ad dignitatem, ad labores, ad justitiam, ad ærumnas etiam pro justitia perferendas; at quæ major justitia dici excogitarique potest, quam injurias Christo redemptori nostro illatas ulcisci: gregem suum a barbaris oppressum, Christianum populum terra sancta spoliatum, ludibriis & contumeliis affectum defendere. Cogita, pater sancte, quot urbes, quot provincias, quot regna, quot imperia & superioribus & nostris sæculis barbari Christianis eripuere. Nam ut Jerosolymam terram Sanctam Christi domicilium, & ea omnia loca, in quibus salutis nostræ mysteria sunt tractata silentio prætereamus. Ut Syriam, Phœnicem, Ægyptum, Achajam nostrorum olim Sabaudiæ principum provinciam, ut Græciam & Asiam minorem, ac innumeras fere provincias omittamus, horret animus meminisse quas clades nostris etiam temporibus Mahometana rabies populis Christianis inflixerit, recens est adhuc Constantinopolitana, calamitas, recentior Euboiæ clades, quæ sine lacrymis a Christianis audiri vel censeri non possunt,* & infra: *Age itaque Alexander, exurge, te ipsum excita, te hortare, te verum Alexandrum in orientales illos infideles ostende, nam Christo duce non minora certe gesturus es, quam Alexander ille magnus, qui cum nullo unquam hoste, ut legitur, est congressus, quem non vicerit, nullam urbem obsedit, quam non expugnaverit, nullam gentem adiit, quam non calcaveris, sed de his satis.*

Expositus regnorum Christianis ereptorum numerus.

Spurius obtrusus flagitio inter Cardinales.

Neglecta res Christiana ab Alex.

XXXIII. Auctus est hoc anno Cardinalium senatus, atque inter alios Cæsarem Borgiam filium nothum Valentino archiepiscopatu & episcopatu Pampilonensi antea oneratum sacra purpura donavit Alexander, de quo hæc refert Joannes Mariana (a): *Duodecimo kal. octobris eundem in Cardinalium collegium cooptavit, quasi Dominici Arimani, cui Zanoptia nupta erat, justum filium. Impotens est animus, quem ingens cupiditas devovit: vecordia viribus armata neque pudore movetur, neque veritatis conscientiæ legibus. Ut ita crederetur cautum multorum ad gratiam loquentium testimonia confirmarunt. Contra hiscere nemo Rotæ judicum, nemo Cardinalium, cum quibus rem communicavit, ausus est. Tantam improbitatem tam perditos ejus sæculi mores ingemuisse orbem Christianum arbitror. Hinc vero proxima mala, quibus premimur.*

(a) Marian. l.26. c.2.

Spurium admisit in Cardinalium collegium.

Turpissima alterius promotio.

Alios etiam duos in senatum sacrum asciviſſe refert Infissura repugnante maxima Cardinalium parte: *Die*, inquit, *vigesimo septembris Papa Alexander creavit duodecim Cardinales, & in eorum creatione consenserunt tantum septem Cardinales, reliqui dissenserunt. Inter primos fuit creatus filius ipsius natus ex se & quadam muliere, quam nupserat cuidam Dominico de Arignano, & semper fuit habitus, tentus, & reputatus ejus filius, & ipse fecit eum episcopum in Hispania de Pamplona. Item filium domini Gabrielis de Cæsarinis fratrem generi sui. Item unum de domo Farnesia.* nempe Alexandrum; *consanguineum Juliæ Bellæ*. Quorum postremus postea virtutibus probavit dignum se sacra purpura, ac multos post annos Pauli III. accepto nomine pontificatum gessit: reliqui fuere numero novem, inter quos Joannes Borgia sororis filius, Montis regalis antistes, Bernardinus (b) Carvajalis vir eruditus, cujus aliquæ sacræ conciones extant, congregati postea adversus Julium II. Pisani conciliabuli author: Fridericum etiam episcopum Cracoviensem Poloniæ Hungariæque Regum fratrem, atque Hyppolitum Estensem metropolitam Strigonensem in purpuratorum ordinem adscriptos Cromerus (c) & Bonfinius (d) tradunt. Sex vero alii erant Joannes Mortanus Anglus archiepiscopus Cantuariensis tit. S. Anastasiæ presbyter, Joannes Antonius de S. Georgio episcopus Alexandrinus presbyter tit. SS. Nerei & Achillei, Joannes Grolaya abbas S. Dionysii presbyter tit. S. Sabinæ, Raymundus (e) Perauldus Gallus episcopus Gurcensis presbyter tit. S. Mariæ in Cosmedin, Dominicus Grimanus Veneti ducis filius diaconus S. Nicolai inter imagines. XXXIV.

Qui fuerunt alii Cardinales creati.

(b) Sur. to.5. l.1. c.22.

(c) Cro. l. 30. Volat. l.7.

(d) Bonfin. dec.5. l.3.

(e) Fel. Contelor. in elench. Cardd.

Hoc anno B. Franciscus Paulanus, cujus sanctitas longe lateque refulgebat ac ingens multitudo piorum virorum ad eum confluebat, ut monasticis disciplinis ab ipso excoleretur, religiosæ vitæ formulam sanctissimis præceptis ex evangelio decerptis ornatissimam composuit, quæ ab Alexandro VI. amplissimo diplomate (f) confirmata est. Ex iis vero sacris præceptis pauca hæc pietatem eximiam spirantia delibasse sufficerit: *Dixit Dominus in evangelio: Qui non renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus, ideo fratres nihil sibi appropriens nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed sint tanquam peregrini & advenæ in hoc sæculo Domino famulantes, nam paupertatis spiritus est abdicatio solicitudinum, sæculi & privatio, ex vita præsenti transituris iter ad Deum sine impedi-* XXXV.

(f) Lib. 4. bullar. p. 129.

Paupertas spiritus inculcata.

men-

*mento, alienatio justitiæ temporalis* scilicet a forensi strepitu, *fidelis observatio mandatorum Dei, fundamentum pacis & munditiæ, pauper enim frater est dominus mundi, & qui jactavit in Deum curam suam possidet per fidem omnes gentes in servos. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos charissimos fratres in veros heredes, & reges regni cœlorum instituit, & pauperes rebus factos virtutibus sublimavit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viventium, quare loca vestra, quæ inhabitamus nolumus esse curiosa, sed tam domus quam ecclesiæ sint parvæ & humiles, & tales quod in omnibus reluceat sancta paupertas. Insuper nullus inter vos quidquam suum dicere audeat, sed omnia sint de ecclesia, & unicuique a patre distribuatur, prout opus est, cujuslibet ætate & qualitate considerata. Ergo cum quis filiis suis aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus in societate nostra constitutis, antequam contuleris vestem, seu aliquid aliud inter necessaria deputandum, non occulte accipiatur, sed potestate superioris, ut in rem ecclesiæ reductam, cui necessarium fuerit tribuatur. Nulli ergo nostrum quidquam liceat habere, quod superior non dederit nec permiserit, quibus nec corpora sua, nec voluntates suas in sua liceat habere potestate*, & infra.

De jejuniis servandis.

*Quoniam, testante scriptura, multa ex jejunio nascuntur bona, ideo quilibet carnem suam domare solicitus sit jejuniis & abstinentia escæ & potus quantum valitudo permittit. Omnes vigiliæ, quas mandat Ecclesia, sanctaque quadragesima a dominica quinquagesimæ incipientes a nobis inviolabiliter observentur: a festo omnium sanctorum exclusive usque ad festum nativitatis Domini, cæterisque temporibus quarta & sexta feria soliciti simus jejunare: aliis autem temporibus & solemnitatibus devotis possint qui volunt, de licentia correctorum jejunare: qui si eorum inspecta qualitate corrector nolit eis permittere, sufficiat eis bona voluntas.*

De precibus fundendis.

De oratione fundenda hæc vir sanctus subjungit: *Quoniam autem oratio bona est cum jejunio, fratres maxime hostiam laudis immolantes, quantum vires suppetunt devotioni & orationi vacare non omittant, jungentes verbis sensum, sensui affectum, affectui exultationem, exultationi maturitatem, maturitati humilitatem, humilitati libertatem: ac præter horas canonicas potissimum quando eis vacat psalmis & aliis peculiaribus orationibus insistent, locis, horis, & temporibus constitutis, quas quanto crebriores, tanto sanctiores habere debebunt.*

XXXVI. Multis interjectis de carnium abstinentia, hæc subiicit: *Cibi nostri durante vita nostra sint quadragesimales tam in locis & conventibus, quam etiam extra, nec alicui carnes, nec ova, caseum, aut lacticinia alia modo aliquo seu tempore, demptis infirmis, & hoc de consilio medici, comedere licitum sit: contrafacientes simul & consentientes, non revelantes per tres menses carceribus mancipentur.*

Indicta carnium & ovorum & lacticiniorum abstinentia.

Florebat hoc tempore Joannes Picus Mirandulæ comes eruditionis gloria adeo, ut Linguarum plura genera, ac scientias omnes callere videretur, inanis gloriolæ impulsus aura cum Romam ad Innocentium VIII. accessisset, nongentas quæstiones disceptandas propugnandasque proposuit (a), quarum tredecim de hæresi suspectæ visæ sunt, in quibus male sentire de Christi descensu ad limbum, de pœnis damnatorum æternis credendis, de libertate, de cultu sacrarum imaginum, de assumptione hypostatica humanitatis Christi a Verbo divino, de transubstantiatione in Eucharistia, quasi posset esse substantia panis cum corpore Christi, nec non magiam & cabalam laudasse existimatus sit, quare in judicium vocatus professus est nuncupato sacramento, se omnia dicta sua pontificiis decretis submittere, nongentarumque propositionum libellus ab Innocentio prohibitus est: qua de causa cum ab æmulis magnum in ipsum odium concitaretur, quod affectato philosophiæ fastu hæresiarcham egisset, ille apologeticum librum edidit, in quo tredecim propositiones suas ancipites, quæ offensionem auxerant, in catholicum sensum traduxit, ac de suo scribendi apologetici libri consilio hæc pie promulgavit: *Fui ego, Deum testor, dubio diu consilio diluenda mihi hæc objectamenta, an silensio potius prætereunda essent. Movebant me ut tacerem duo præcipue. Primum quod ego contentionis & jurgiorum abhorrens, animi pacem, quam mihi mea præstiterunt studia & placidissimæ vitæ tranquillitatem amavi semper, nec odi ullum magis scribendi munus, quam quod in disceptatione & amarulenta quoquomodo altercatione sit constitutum, quippe qui non minus referre; quam inferre injuriam vel contumeliam nec boni viri duxeram esse unquam nec philosophi. Alterum hoc ipsum erat, quod & summi Pontificis, cujus mihi merito celebranda semper memoria, & ex sanctissimo apostolico senatu complurimum judicio consensus, quorum & benignitatem & benevolentissimum in me animum oblivisci numquam aut possum aut debeo, videbar facile & odium posse negligere & convitia hominum improborum. Et profecto quod attinet ad cætera;*

Nongentæ quæstiones propositæ a Jo. Pico Mirandulano.

(a) Jo. Pico Mirand.

Adducitur in suspicionem hæreseos.

Eam purgat.

*in*

*in hac eram sententia, ut indignos illos existimarem, quibus aliquando responderem, sed in uno mihi objecto hæreseos crimine hoc si facerem verebar, ne quod non diluerem, viderer crimen agnoscere: scribit autem & sapientissime Ruffinus esse quidem gloriosum Christi exemplo patienter injurias tolerare, at unam notam hæreseos qui ferat, vel dissimulet, non esse Christianum. Et Hieronymus noster quanta potest animi contentione clarissima exclamat voce: Nolo in suspicione hæreseos quemquam esse patientem, tacere ergo non vult Hieronymus, & invitum otiosumque hominem pro ea, qua potest, authoritate ad scribendum trahit, & impellit. Quare si qui sunt, qui forte me tacere vellent, sciant sibi non mecum sed cum Hieronymo esse controversiam, qui me tacere non vult: Hieronymum non audire quis potest? Sine flagitio ipso ergo suadente immo cogente, etiam brevem aggressus sum ascribere apologiam, non ut quemquam lacerem, vel accusem, sed ut a maximo, quod mihi injuria obicitur, impietatis crimine jure me excusem. Hoc, quæso, patiantur obtrectatores mei eo animo, quo ego iniquam illorum offensam passus sum semper, patiantur, inquam, ut qui Christianus de Christianis sum parentibus natus, qui vexillum Christi Jesu in fronte gero, qui pro Christi fide etiam ob eam lubens quasi cum Paulo hoc ipsis æquo animo audientibus exclamem voce. Non magus, non Judæus sum, non Ismaelita, non hæreticus, sed Jesum colo, & Jesu crucem in corpore meo porto, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo. Denique cum sanctitatis, & sapientiæ, & id genus egregios titulos nec mihi arrogem, nec illis derogem, hunc unum mihi ipsi pro quo tuendo etiam sanguinem ultro effundam, quæso, non demant, ut scilicet me possim dicere Christianum.*

Ut ea non sit tolleranda.

XXXVII. In calce vero apologetici veram & orthodoxam fidem professus, hæc addidit: *Oro, igitur, obsecro, & obtestor amicos & inimicos, pios & impios, doctos & indoctos per viscera Jesu Christi domini nostri, per mirabile descensus ejus ad inferos mysterium, per æternum damnatorum ignem, qui non extinguitur, hæreticis præcipue & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ hostibus debitum, per veri & mystici corporis sanguinisque sacramentum, per Dei omnipotentiam, per exhibendam merito Filii ejus & coheredum imaginibus reverentiam, legant sine livore, sine invidia, quæ num scribimus, priora, id est ipsas propositiones non enarratas, non explicitas, non legant quando inter doctos eas proposuimus disputandas. Non passim legendas omnibus publicavimus, nam ibi plurima sunt impia dogmata veterum philosophorum Averrois, & Alexandri, & aliorum quamplurimum, quæ nos etsi semper professi sumus, asseruimus, prædicavimus publice & privatim, non minus a vera rectaque philosophia, quam fide esse aliena, scholasticam tamen exercitationem meditantes de more academiarum inter paucos & doctos secreto congressu disputanda suscepimus: qui vero ipsum leget libellum propositionum disputandarum, ut ex ipso poterit titulo admoneri, dum quæ ex nostra dicuntur scientia, quæ item ex aliorum discerno, non proponi illas a me ut meas veras opiniones, sed ut creditas ab illis, ita & suspicari poterit & si aliorum dicantur dogmata & inventa, visa tamen mihi & hæc & illa vera & probabilia. Qui ergo me oderunt, ideo illa non legant, quia nostra sunt, qui me amant, ideo non legant, quia ex illis, quæ mea sunt cogitare plurima possunt, quæ non sunt nostra.* De hoc libro apologetico hæc scribit Joannes Franciscus nepos in vita Joannis Pici: *Librum ipsum & quæ scripturus erat in posterum matris Ecclesiæ, ejusque præsidis sanctissimo judicio Christianissimi hominis more commisit: id enim vel expresse, vel tacite geri oportere persuasissimum est, quasi illud Augustini proferret. Errare possum, hæreticus esse non possum, quando alterum sit hominis proprium, alterum perversæ & obstinatæ voluntatis.* Cum ita sapienter, modeste, ac pie omnem hæreseos suspicionem detersisset Joannes Picus, ab Alexandro VI. diplomate XIII. junii hujus anni consignato cohonestatus est, sublataque omnis actio, quam censores fidei illi intenderant.

Ut impia dogmata in scholis exercitationis gratia defendantur.

Sua scripta Picus censuræ ecclesiæ subjicit.

XXXVIII. Ob piam illam demissionem Christianam Joannes Picus divinam clementiam sibi conciliavit, nam cum carnis voluptatum laqueis irretiri se sivisset, posthac eos generose abrupit, ut narrat Joannes Franciscus ejus nepos: *Immensa*, inquit, *Dei bonitate, quæ ex malis etiam bona elicit effectum esse [ quemadmodum mihi retulit ] judicabat, ut calumnia illa falso a malevolis irrogata veros errores corrigeret, eique in tenebris aberranti: ut quantum exorbitasset a tramite, veritatis contueri posset, ceu splendidissimum jubar illucesceret, prius enim & gloriæ cupidus, & amore vano succensus, muliebribusque illecebris commotus fuerat, fæminarum quippe plurimæ ob venustatem corporis orisque gratiam, cui doctrina amplæque divitiæ, & generis nobilitas accedebant, in ejus amorem exarserunt, ab quarum studio non abhorrens, parumper via vitæ posthabita*

Posthac fastum & voluptates spernit Picus.

bita

*bita in delicias defluxerat: verum simultate illa experrectus diffluentem luxu animum retudit, & convertit ad Christum, atque fœminea blandimenta in supernæ patriæ gaudia commutavit, neglectaque aura gloriæ, quam affectaverat, Dei gloriam & Ecclesiæ utilitatem tota cœpit mente perquirere, adeoque mores componere, ut posthac vel inimico judice comprobari posset.* Macerasse ipsum carnem flagellis, ac libros quinque, quibus elegiaco carmine amores suos luserat, nec non plura rhytmis Etruscis conscripta religionis causa exussisse, atque ad ipsum venientes optimis & sanctissimis præceptis instruxisse, ac illud S. Francisci verbum. *Tantum scit homo, quantum operatur;* in ore frequentissimum habuisse, tum addit: *Adeo in Deum exarsisse illum memini, ut cum Ferrariæ in pomario quodam de Christi amore colloquentes longis spatiaremur ambulacris in ejusmodi verba proruperit. Tibi hæc dixerim in arcanis recondito, opes quæ mihi reliquæ sunt absolutis consummatisque elucubrationibus quibusdam, egenis elargiar, & crucifixo munitus, exertis nudatisque pedibus orbem peragrans per castella, per urbes Christum prædicabo.* Dum nimium differebat pium consilium ad exitum perducere, proximo anno MCDXCIV. ætatis trigesimo secundo Florentiæ, cum prius vovisset Prædicatorum familiam ingredi, piissime obiit. Fertur que post mortem ignibus vallatum apparuisse, quod in purgatorio pœnas daret ob ingrati animi vitium, quod ingentes naturæ dotes penitus Christo non consecrasset, seque piorum precibus commendasset.

Carnem macerat.

Pia ejus consilia prædicandi evangelii.

Post mortem purgatoris ignibus cinctus apparuisse fertur.

Annus

I. ANnus post Christum natum millesimus quadringentesimus nonagesimus quartus indictione duodecima variis rerum conversionibus, susceptoque a Carolo Francorum Rege diu ante meditato Italico bello insignis extitit. Acceleranda visa est expeditio, ob Ferdinandi Regis Neapolitani repentinam mortem, ob Juliani Cardinalis S. Petri ad vincula in Gallias præcipitem fugam, multorumque in aula pontificia eventuum novitatem. In primis igitur quod ad Ferdinandum Regem Neapolitanum attinet, septuagenario major apoplexia percussus vigesima quinta januarii die interiit. Proximis diebus illius obitus famam Romæ percrebuisse memorat Stephanus Infissura (*a*): *Vigesima septima*, inquit, *mensis januarii proximi præteriti & sequentibus venerunt nova ad urbem, quod die sabbati 25. ejusdem, qua fuit festum conversionis S. Pauli, serenissimus Ferdinandus Neapolitanus & Siciliæ Rex diem clausisset extremum, qui obiit sine cruce, sine luce, sine Deo.*

(*a*) *Infiss. ms. arch. Vat. sig. n. 111. Volat. l.6. Politian. ep. l.2. Surit. to.5. l.1. c.27. Marian. l.26. c.6. & alii.*

II. His consentanea Joannes Burchardus (*b*) refert: *Ductor meus*, inqut, *mihi retulit Ferdinandum Regem Neapolitanum die martis* XXI. *mensis januarii proxime præteriti apud Trepergate tunc fuisse, & aliquantulum alteratum se sensisse. Mercurii* XXII. *ejusdem inde Neapolim equitasse, & in castro novo ibidem cum ex equo descenderet syncopasse, & in castro novo ibidem & sabbato sequenti* XXV. *ejusdem mensis circa horam* XVI. *absque confessione & sacramentorum ecclesiasticorum perceptione diem suum extremum clausisse, hoc solum dempto, quod quidam frater ordinis Minorum confessor ejusdem Regis coram eo in camera stans publice ipsi acclamavit, quod pœniteret pro peccatis suis & actibus male gestis, & si quid indebite contra Ecclesiam egisset, nec in dicto Rege signum aliquod contrarium visum fuisse.* Verum Comineus (*c*) contracto ex belli imminentis curis morbo sacra eum confessione conscientiam expiasse dicit, sperareque addit pœnituisse illorum commissorum criminum. Addit Burchardus (*d*) sublato Ferdinando æmulo, Carolum contendisse hereditario Andegavensium principum jure a Renato seniore Rege supremis tabulis devoluto Neapolitanum regnum ad se pertinere, rogasseque oratorum suorum opera Alexandrum, ne Alfonsum Ferdinandi filium eo indueret, pontificiave authoritate redimiri diademate juberet: *Licet*, inquit, (*e*) *superioribus diebus defuncto claræ memoriæ Ferdinando de Aragonia Siciliæ Rege Neapolitano serenissimus Alfonsus II. etiam de Aragonia primogenitus suus ex ordinatione & institutione felicis recordationis Innocentii Papæ VIII. in regno Neapolitano sive Siciliæ citra pharum successerit, tamen Rex Franciæ prætendens ad regnum ipsum Siciliæ citra pharum jus habere per oratores suos institit, ne idem Alfonsus in regno hujusmodi per sanctissimum dominum nostrum investiretur aut coronaretur in Regem, vel quod alias citra ejusdem regni dispositionem coronaretur: ex quo coronatio ejusdem Regis Alfonsi diutius est retardata.*

(*b*) *Burch. ms. arch. Vat. sign. n.104. p.121.*

Præcipiti syncope abreptus.

Abalienatio sensibus acclamatum ut scelerum pœniteret.

(*c*) *Comin. l.7. c.11.*

(*d*) *Burch ms. arch. Vat. sig. n.104. l.2. pag. 173.*

(*e*) *Burch. ubi sup.*

Rex Francorum intercedit ne Alphonsus Rex a sede Apost. renuntietur.

III. Vincere arte nisus est Alfonsus Gallorum Regis conatus, cumque Alexandrum filiorum suorum amplitudinis cupidissimum esse cognosceret, devinxit illum sibi affinitate, Sanciamque filiam suam notham Jofredo illius pariter notho filio pactus est (*f*), moxque decretus (*g*) cum amplissima authoritate Joannes Borgia legatus Cardinalis Montis regalis, qui pontificio nomine regia ornamenta eidem Alfonso conferret, quæ Burchardus describit his verbis: *Alexander Papa VI. volens statui dicti Regis Alfonsi opportune providere, de reverendissimorum Cardinalium consilio die veneris* XVIII. *mensis aprilis in suo secreto consistorio, quod duravit ab hora* XII. *usque ad mediam horam vel circa ante* XX. *&* XXI. *creavit legatum de latere suo reverendissimum D. Joannem tit. S. Susannæ presbyterum Cardinalem Montis regalis vulgariter nuncupatum ad investiendum dominum Alfonsum Regem de regno Siciliæ citra pharum & terris ipsumque in Regem inungendum & coronandum.* Extant Alexandri eo argumento literæ (*h*), quibus de præstanda ab Alfonso solemni ritu clientelaris officii sponsione, regnoque liberalitate ac beneficientia sedis Apostolicæ illi asserendo provincia data fuit hisce verbis concepta.

Contracta inter Alphon. & Pont. affinitas.

(*f*) *Infiss. Burch. ubi sup. Sur. to.5. l.1. c.22. & 27. Marian. l.16. c.6. Naucl. vol.2. gen. 50. & alii.*

(*g*) *Id. ib.*

(*h*) *Ext. in ms. arch. Vat. inscript. varia & in diario Burch. l. 1. p.146.*

*Dilecto filio Joanni tit. S. Susannæ presbytero Cardinali ad regnum Siciliæ citra pharum nostro & Apostolicæ sedis legato.*

*Postquam claræ memoriæ Ferdinandus de Aragonia Siciliæ citra pharum Rex, sicut Deo placuit, rebus fuit humanis exemptus, nos considerantes quod charissimus in Christo filius noster ipsius Ferdinandi Regis primogenitus, tunc Calabriæ dux, ad præsens in dicto regno & tota terra, quæ est citra pharum, quæ de jure & proprietate Sanctæ Romanæ ecclesiæ fore nos-*

cun-

tuntur, usque ad confinia terrarum ipsius ecclesiæ, excepta civitate nostra Beneventana cum ejus territorio, districtibus, & pertinentiis ipsi Ferdinando Regi vigore investituræ & concessionis per felicis recordationis Innocentium Papam VIII. prædecessorem nostrum sub certis modo & forma

Favet illi Alexander ut succedat Ferdinando.

factarum successit, quodque prædecessoris nostri Romani Pontifices dicti regni Reges, qui pro tempore fuerunt, inungi & coronari facere consueverunt, ac intendentes, quod Alfonsus Rex sedis Apostolicæ devotissimus juris, regni, & terræ prædictorum, ac regalium insignium plenitudine gratulari, ac statum suum firmius stabilire valeat, videntesque tantum munus, prout etiam prædictus Alfonsus Rex per suos speciales ad nos propterea destinatos oratores cum instantia postulavit adimplere, ac debitis solemnitatibus honorare prædecessorum vestigiis inhærentes, & infra, habita super hoc cum venerabilibus fratribus nostris ejusdem

Legatum decernit qui ipsi coronam imponat.

S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, te nostro & ejusdem ecclesiæ nomine ad regnum & Regem prædictos pro præmissis, & nonnullis aliis ejusdem Romanæ ecclesiæ arduis negotiis peragendis dictæ sedis legatum de latere nostro de fratrum eorundem consilio comitante pacis angelo destinamus, circumspectioni tuæ prædictum Alfonsum Regem, præstito ab eo & per te recepto nostro & ejusdem Romanæ ecclesiæ nomine juxta formam in literis Innocentii prædecessoris hujusmodi desuper confectis & inferius annotatam corporali juramento per traditionem vexilli ejusdem Romanæ Ecclesiæ in suis manibus de regno & terra prædictis, ac omnibus juribus & pertinentiis eorundem authoritate apostolica investiendi, ipsiusque in illorum realem & corporalem & actualem possessionem hujusmodi inducendi, ut præfertur, solemniter inungendi, ipsumque in signum pleni juris atque dominii & terræ prædictorum, ad laudem & honorem omnipotentis Dei, & gloriosæ virginis Mariæ, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum, totiusque curiæ cœlestis triumphantis, statum quoque nostrum & S. R. E. regni, & terræ prædictorum salubrem & felicem, in Regem catholicum dicta authoritate coronandi facultatem & authoritatem eadem authoritate & de simili consilio concedimus: Et infra. Tenor vero formæ prædictæ sequitur & est talis.

IV. Nuncupandi sacramenti formula præscripta.

Ego Alfonsus Rex Siciliæ plenum homagium ligium, & vassallagium faciens vobis domino meo domino Alexandro Papæ VI. & ecclesiæ Romanæ pro regno Siciliæ & tota terra, quæ est citra pharum juxta & secundum illum statum, quem tenebat & possidebat dictus Rex Ferdinandus in dicta terra citra pharum usque ad confinia terrarum ipsius ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum toto territorio, & omnibus districtibus & pertinentiis suis, secundum antiquos fines territorii, pertinentiarum, & districtus civitatis ejusdem per Romanum Pontificem distinctos, & in posterum distinguendos, ab hac hora fidelis & obediens ero B. Petro & vobis domino Alexandro Papæ VI. vestrisque successoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus sanctæque apostolicæ Romanæ ecclesiæ. Non ero in consilio vel consensu, seu facto ut vitam perdatis seu perdant, aut membrum, aut capiamini seu capiantur mala captione. Consilium, quod mihi credituri estis per vos vel nuntios vestros, vel per literas ad vestrum vel eorum damnum scienter nemini pandam, & si scivero fieri, procurari, vel tractari aliquid quod in vestrum vel ipsorum damnum cedat, illud pro posse impediam, & si hoc impedire non possem, illud vobis vel eis significare curabo. Papatum Romanum & regalia S. Petri tam in regno Siciliæ & terra prædictis, quam alibi consistentia adjutor vobis ero ad retinendum, defendendum, & recuperandum, & recuperata manutenere contra omnem hominem. Universas & singulas conditiones contentas in literis Innocentii prædecessoris vestri super ipsorum regni & terræ concessione confectis, ac omnia & singula, quæ in eis continentur literis plenarie adimplebo, & inviolabiliter observabo, & nullo unquam tempore veniam contra ea. Non procurabo per me, vel alium seu alios quoquo modo, ut eligar vel nominer in Regem vel Imperatorem Romanum, seu Regem Theutoniæ, aut dominum Lombardiæ, vel Tusciæ, & si electionem, vel nominationem ad imperium, vel regnum Romanum seu Theutoniæ, regnum aut dominium Lombardiæ, vel Tusciæ, seu per majoris partis eorundem de me celebrari contigerit, nullum hujusmodi electioni seu postulationi assensum præstabo, nec intromittam me modo aliquo de eorum, vel alicujus eorum regimini, nec etiam de civitate Beneventana & suis territoriis, districtibus, & pertinentiis, seu Campania, neque de Maritima, ducatu Spoletano, marchia Anconitana, patrimonio B. Petri in Tuscia, Massa Trabaria, Romandiola, alma urbe, in civitatibus Perusina, civitate Castelli, Bononiensi, Ferrariensi, Anconiensi, aut comitatu Venaysini, aut aliis terris quibuscumque vel dominiis, seu feudis ipsius ecclesiæ ubilibet constitutis ex successione vel legato, seu donatione, vel venditione, vel alio quovis titulo vel contracto, nihil mihi umquam acquiram vel vendicabo, seu potero acquirere, vel quomodolibet vendicare, & nihil unquam re-

Adiecta lex de imperio, Insubria aut Hetruria cum regno Neapol. non conjungendis.

Ritus inunctionis & coronationis. VII.

*mus juxta formam, & tenorem literarum earundem in nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus Sancti †. Amen.*

*Ritus inunctionis & coronationis.*

*Magnificus dominus Jacobus Caracciolus comes Burginus cancellarius regni, vexillum de manibus Regis accipiens, illud in sacristia pro Rege paratum portat & praeponit. Surgit Rex, & in faldistorio suo, quod interim in opposito lege competenti, distantia videlicet palmorum quindecim, vel circa, a primo gradu altaris in illo plano positum fuit. Sedit legato facie versa, & apud eum in duobus scabellis hinc & inde positis sedent duo episcopi, ubi sibi invicem facies quasi vertent, magis tamen ad latera Regis inungendi quam legati, prout in consecrationibus episcoporum fieri solet. Interim procurator fiscalis regius requirit omnes notarios non stans longe a cornu epistolæ altaris detecto capite, ut de investitura & traditione possessionis faciant unum vel plura instrumentum, & instrumenta, sub his verbis:* Ego Joannes de Gallutiis regius procurator fiscalis requiro vos omnes & singulos notarios & tabelliones publicos hic consistentes, ut de investitura & inductione in possessionem regni Siciliæ, &c. per Reverendissimum dominum legatum serenissimo Regi Alfonso nostro II. de Aragonia, ut supra facta conficiatis unum vel plura publicum & publica instrumentum & instrumenta. *Quibus sic peractis post modicam moram surgit Rex, & ambo sui assistentes depositis mithris, & aliis prælatis cum mithris sedentibus, archiepiscopus Neapolitanus dicit legato:* Reverendissime pater. Postulat, &c. *prout in pontificali. Legatus:* Scitis illum, &c. *Neapolitanus respondit*: Et novimus, &c. *Legatus:* Deo gratias. *Sedent Rex & ambo assistentes. Legatus competenti & intelligibili voce dicit:* Cum hodie, &c. *Finita monitione, surgit, accedit, coram eo super cusino genuflexus osculatur ejus manum. Tum præstat juramentum confectum sub hac forma, videlicet:* Ego Alfonsus Dei gratia Rex Siciliæ profiteor, promitto, juro coram Deo & angelis ejus deinceps legem, & justitiam, & pacem Ecclesiæ Dei populoque mihi subjecto pro posse & nosse facere atque servare, salvo condignæ misericordiæ Dei respectu, sicut id consilio fidelium meorum melius potero invenire: pontificibus quoque ecclesiarum Dei condignum & canonicum honorem exhibere, atque ea, quæ ab Imperatoribus & Regibus ecclesiis collata & reddita sunt, inviolabiliter observare: abbatibus, comitibus, & vassallis meis congruum honorem secundum consilium meorum fidelium præstare. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei evangelia. *Et ambas manus super librum missalem, quem legatus teneat, ponat, ut prius in juramenti præstatione fecit.*

Publica monumenta de regni concessione edita.

VIII. Precum formulæ repetitæ.

*Rege sic genuflexo permanente, surgit legatus deposita mithra & stans ad Regem versus dicit intelligibili voce legendo:* Oremus. Omnipotens æterne Deus, &c. *Item dicunt prælati in suis locis sine mithris stantes submissa voce. Finita oratione prædicta surgit Rex, & ante cornu evangelii super gradus altaris & illius plano, se prosternit quatuor cusinis, videlicet unum sub genibus, aliud sub stomacho, & duobus sub brachiis & capite sibi positis, legatus accepta mithra procumbit in faldistorio, in quo sedebat ad altare versus: omnes prælati cum mithris in suis locis genuflectunt: scabellum ponitur pro cantoribus in fine presbyterii, quo posito in libro duo cantores dicunt lætanias, aliis cantoribus in pristino eorum loco remanentibus ipsis respondentibus:* S. Petre. S. Paule. S. Januari, [*bis dicatur,*] *Dicto in lætania:* Ut obsequium, &c. *surgit legatus cum mithra, & accepto in sinistra baculo pastorali, stans versus ad Regem prostratum dicit in cantu lætaniarum:* Ut hunc &c. *Idem faciunt & dicunt prælati omnes cum mithris in suis locis genuflexi. Tum legatus iterum procumbit ut prius, & lætania perficitur. Finita lætania surgit legatus deposita mithra, & stans versus ad Regem prostratum dicit intelligibili voce:* Pater noster, *qua plane per eum completo, dicit intelligibili voce legendo:* Et ne nos, &c. *cum aliis, & duabus orationibus: idem prælati omnes in suis locis sine mithris genuflexi dicunt. His dictis legatus sedit accepta mithra Rex coram legato super cusinum genuflectit, prælati omnes cum mithris circumstantes in modum chori post Regem. Finita lætania surgit legatus deposita mithra, & stans versus ad Regem, nudabatur brachium dextrum Regis & inter scapulas ampliatur vestis superior, solvitur diploidis camisia, acolytus Papæ cum carafa * olei cathecumenorum stet a dextris legati: dominus Bernardinus Gambara subdiaconus apostolicus cum vase & bombyce stet prope dictum acolytum. Legatus depositis chirothecis & incœpta oratione:* Deus Dei filius, *& usque ad verba*, benedictionem infundat, *inclusive continuata intincto pollice dextræ in oleo cathecumenorum, inungit brachium dextrum Regis inter juncturam manus & cubiti ab intra in modum crucis, & bombyce desuper posita, & fascia per dictum Bernardinum ligata, inungit eodem pollice eumdem Regem in modum crucis inter*

Ritus regiæ inunctionis.

* ampullæ

*ter scapulas & bombycem desuper ponit, religantur camisia diploidis & parva vestis, ac alia desuper aptantur, & dum præmissa facit legatus nihil dicit, sed præmissis expeditis continuat dictam orationem dicens eandem usque ad finem, & tunc dicit aliam illi sequentem, videlicet:* Omnipotens sempiterne Deus, &c. *idem dicunt omnes prælati, plane tamen legendo. Quibus dictis prælati ipsi ad sua loca revertuntur.*

IX. *Finitis orationibus prædictis, surgit Rex, & legatus lavat manus cum medulla panis & extergit, tum & ipse surgit, amoventur ambo faldistoria, & aliud faldistorium cum scabello & duobus cusinis ponitur in plano versus cornu evangelii. Versus legatus & stans ante ultimum gradum altaris fecit confessionem cum ministris suis majoribus genuflexis. Cantores dicunt introitum, & prælati etiam bini & bini in suis locis stantes confessionem dicunt. Facta confessione legatus accedit ad altare, osculatur illud in medio, & evangelium ex libro evangeliorum, imponit incensum, incensat altare, accipit mithram in cornu epistolæ, ubi incensatur, & ipse descendit ad faldistorium, legit introitum, kyrie eleyson, & proceditur in missa usque ad versum primi Alleluja inclusive. Rex facta confessione surgit & ab illis duobus suis assistentibus associatus, videlicet Neapolitano & Antiocheno, intrat sacristiam suam sedet in sede sive faldistorio ibidem sibi parato: sedent & illi duo assistentes in suis scabellis eis illuc asportatis dominus Bernardinus subdiaconus apostolicus extergit bombyce brachium Regis, & inter scapulas reponitur bombyx in bacili ibidem parato, & ad comburendum portatur, & aptatur camisia diploidis, & parva vestis.* Nonnullis interjectis, quibus regii cultus formam elegantiamque describit, subiicit, *sic paratus accedit ad thalamum regium a duobus suis assistentibus ac regiis & capellanis duobus majoribus eleemosynario & confessore dumtaxat associatus, ubi in sede regali sua genuflexit, & ex libro suo dicit introitum:* Kyrie eleison, Gloria in excelsis Deo, *orationem,* Deus qui corda fidelium, *& sub eadem conclusione sequenti.*

Deus regnorum omnium protector da mihi servo tuo triumphum virtutis tuæ scienter excolere, ut qui tua constitutione sum princeps tuo semper numine sim potens. Per Dominum nostrum, &c. *Dein decantatur epistola,* & Alleluja, *cum primo versu tantum, videlicet,* Emitte spiritum tuum & creabuntur.

X. *Interim apud Regem stantibus cantoribus versum prædictum:* Emitte, *cantantibus, reponitur faldistorium legati in medio altaris, in quo ipse sedit cum mithra. Rex descendit de thalamo suo ab illis duobus suis assistentibus & aliis suis associatus: & accedens ad legatum fecit ei similes reverentias ut prælati, quibus & ipse pariter facit, ut prius & facta detecto capite reverentia coram eo super cusinum genuflectit. Prælati omnes faciunt circulum post Regem, ut prius, cum mithris stantes & omnia simul cum legato, plane tamen dicentes, legatus autem accepto ense nudo de altari per me sibi porrecto, illud tradidit in manu Regis recipientis dicens:* Accipe gladium, &c. *quo dicto Rex osculatur manum legati. Tum imposito per me gladio in vaginam legatus cingit Regi gladium in vaginam dicens:* Accingere, &c. *Surgit Rex & extractum ensem de vagina viriliter ter vibrat, tum super brachium sinistrum extergit, reponit in vaginam, & iterum coram legato, ut prius genuflectit. Corona de altari per me sumpta traditur legato, quam cum omnibus prælatis paratis manum apponentibus solus Regi imponit dicens:* Accipe coronam, &c. *Pomum deinde a me legato porrectum legatus tradit Regi in sinistram recipienti dicens:* Accipe dignitatis pomum, & per id in te catholicæ fidei cognosce signaculum, quia ut hodie ordinaris caput & princeps regni & populi, ita perseveres author & stabilitor Christianorum & fidei Christianæ, ut felix in opere, locuples in fide cum Rege Regum glorieris, qui vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. *Surgit Rex, & per me ense discincto, & domino Hectori Caraffæ camerario suo majori traditur, qui eum in vaginam immediate ante Regem defert per totum officium. Legatus a dextris, & archiepiscopus Neapolitanus a sinistris Regis, deducunt præcedente solo portatore ejusdem ipsum Regem: sequitur patriarcha Antiochenus, oratores regii, & capellani majores cum confessore & eleemosynario. Ubi Rex ipse cum sceptro in dextra & pomo in sinistra per legatum & archiepiscopum prædictum in solium & sedem Regis intromittitur & ad sedendum ponitur, dicente legato eo;* Ita retine, &c. *Convenienter præcedent Regem omnes regii, & prælati omnes parati sequentur stantes in thalamo a dextris & a sinistris ante sedem regiam, sed pro angustia loci fieri poterit ut supra dixi.*

Quo ritu accinctus gladio.

In regio folio collocatus a legato.

XI. *Rege inthronizato, legatus deposita mithra stans versus ad altare incipit in cantu:* Te Deum laudamus; *quem cantores prosequuntur usque in finem, legato ipso ad dextram & archiepiscopo ad sinistram Regis sine mithris interim stantibus, & regali-*

gali-

galibus omnibus post prædictos hinc & inde juxta Regem. Finito: Te Deum laudamus; legatus stans in loco prædicto juxta Regem detecto capite eu libro dicit: Firmetur manus tua; cum duabus orationibus sequentibus, idem dicunt plane omnes prælati. His dictis legatus accepta mithra & facta cum ea Regi aliquali reverentia, & per Regem pari modo refacta, redit cum prælatis similiter cum mithris incedentibus, similiter per eos prius Regi reverentia facta, ad suum faldistorium, & illis ad sua scamna, & cantores dicunt secundum hymnum cum suo versu: Veni Sancte Spiritus; ad quem legatus in suo faldistorio & Rex depositis corona sceptro & pomo in suo, & prælati in bancis suis omnes detectis capitibus genuflectunt. Regi deponitur corona per dominum Fridericum & D. Gentili Virginio Ursino tenenda traditur, similiter sceptrum & domino Jofredo traditur, & Domino Henrico assignatur, & in suo tempore per eundem D. Fridericum omnia Regi reponuntur, & quando est per Regem facienda genuflexio, non debent prius prædicta sibi deponi. Finito versu prædicto surgunt omnes, & in suis locis sedent quousque evangelium incipitur. Diaconus dicit: Munda, &c. legatus imponit incensum, benedicit diacono & alia fiunt more solito. Ad evangelium deponitur Regis corona, ut supra, sceptro & pomo in manibus retentis: quo finito, & cum duobus suis capellanis majoribus dicto, sedet & reponitur sibi corona. Ad verba: Incarnatus est, Rex cum corona sua in sede se humiliter inclinat. Idem fecit legatus in faldistorio suo; prælati vero omnes in locis suis detectis capitibus genuflectunt. Cum legatus finito credo dicit: Dominus vobiscum, surgit Rex cum corona & dicto Oremus sedet. Lecto per legatum offertorio portatur faldistorium in medio altaris, in quo sedet legatus cum mithra ut prius: archiepiscopus & patriarcha assistentes occurrunt Regi usque ad gradus thalami, ubi Regi cum corona & pomo descendenti reverentiam faciunt, & Rex ipse, ut prius, ipsis, &c. & usque ad legatum deducunt. Regi prætereunti & redeunti omnes prælati assurgunt cum mithris, & reverentiam faciunt, & ipse eis etiam, &c. ut prius, & regii sequuntur ut prius.

XII. Pervento ad legatum competenti spatio, videlicet decem vel duodecim palmorum, deponitur Regi per dominum Fridericum corona, sceptrum, & pomum, assignantur, & datis per eundem D. Fridericum duodecim medaliis ad hoc ordinatis Regi, Rex facta legato reverentia super cusinum super eo genuflectit, & dictas duodecim medalias legato in manum dexteram offert, & manum ipsam osculatur, cui legatus dicit: Centuplum accipies, & vitam æternam possidebis. Surgit Rex & competenti spatio prædicto reassumit coronam, sceptrum & pomum, & facta legato reverentia revertitur ad thalamum a duobus suis assistentibus ad gradus thalami associatus, ubi facta & recepta reverentia, dimisso Rege, ad sua loca revertuntur, Rex ascendit thalamum & solium, & sedet usque ad præfationem, legatus post recessum Regis depositis chirothecis lavat manus, ascendit ad altare, & prosequitur missam more solito.

Oblatio a novo Rege facta legato.

Super calicem sive patenam ponuntur seu hostiæ, videlicet tres magnæ & tres parvæ, & paulo infra, de quibus subdiaconus dat unam magnam & unam parvam credentiariis, & de ampullis vini in tazea eidem etiam pro probatione. Incensatis per legatum oblatis & altari, incensatur legatus per diaconum ter sibi thuribulum offerentem. Tum cum diacono thuribulum deferente accedit ad Regem in thalamo cum mithra archiepiscopus Neapolitanus, quo ibidem constituto, surgit Rex cum corona, & archiepiscopus deposita mithra accepto thuribulo facta Regi reverentia cum capite stans ante ultimum gradum solii incensat Regem cum corona stantem ter ei thuribulum ducens, tunc facta sibi, ut prius, reverentia reddit thuribulum diacono, & accepta mithra, & cum ea Regi reverentia facta redit ad locum suum. Interim diaconus incensat omnes regios bis cuilibet thuribulum ducens. Post prælatos incensat oratores, episcopum Tropiensem, & alios prælatos majores, & alios duos confessorem & eleemosynarium & in thalamo Regis barones: Et infra.

Legato præfationem incipiente surgit Rex cum corona, dicit cum capellanis suis: Sanctus &c. quo dicto reassumpta corona ascendit ad sedile suum, ubi genuflectit dimissis corona, sceptro, & pomo sic manens quousque ad communionem sit iturus dicto per legatum: Agnus Dei, &c. Ego cum instrumento pacis cum quodam panniculo mundo extergo, & panniculum ipsum deosculor, & capellanus ille cum pluviali, qui de baculo pastorali servivit in missa cum alio instrumento pacis genuflectens ad dextram legati, qui finita oratione: Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, &c. osculato altari osculatur primo meam pacem, deinde aliam, singulis dicens: Pax vobis, & nos sibi: Et cum spiritu tuo. Tum ego do instrumentum meum archiepiscopo Neapolitano, qui id defert Regi genuflexo dicens: Sit pax tecum, & ille respondens: Et cum spiritu tuo, ante & post reverentiam consuetam Regi faciens XIII.

& re-

*& restituto sibi instrumento rediit ad locum suum: & ego instrumentum suum super altare repono. A Rege accipiunt pacem omnes regii suo ordine. Reverso ad locum suum archiepiscopo Neapolitano alius capellanus cum alia pace dat pacem hoc ordine archiepiscopo Neapolitano, & ille alii prælato post eum cum ore, & alter alteri*. Et infra: *Postquam legatus se communicaverit sub utraque specie, antequam se purificaverit digitos abluat, expectet Regem communicandum. Duo prælati assistentes occurrunt Regi sine mithris usque ad gradus thalami, & ipsum deducunt, ut alias. Rex descendit detecto capite absque sceptro, & pomo, sequuntur regii omnes etiam illi cum corona, sceptro & pomo & capellani majores, & duo alii. Rex genuflectit in supremo gradu solii, vel altaris. In cornu epistolæ sine cussino communionem reverenter & devote a legato recipit, qui hostiam in dexteram recipiens patena cum sinistra apposita illam Regi tradit dicens:* Corpus domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam.

Sacra communione refectus Rex.

*Rex sumpta communione & purificatione accipit coronam ante ultimum gradum altaris, ac sceptrum, & pomum & facta altari cum capite reverentia redit ad thalamum suum a duobus suis assistentibus cum mithris associatus. Ubi in faldistorio suo genuflectit, & dimissis corona & sceptro & pomo legit communionem, & post orationem de Spiritu Sancto, qui addit orationem sequentem:* Deus, qui ad prædicandum æterni regni evangelium Romanorum imperium præparasti: porrige famulo tuo arma cœlestia, ut pax Ecclesiæ nulla turbetur tempestate bellorum. Per Dominum, &c. *Finita missa & benedictione per legatum data, idem legatus dat plenariam indulgentiam omnibus utriusque sexus, qui missæ seu benedictioni suæ hujusmodi interfuerunt*. Et infra.

XIV. *Rex interim accipit coronam, sceptrum, & pomum, accedit ad supremum gradum altaris, genuflectit: Legatus acceptis corporalibus ambabus manibus, & illis indicibus medio extenso in modum semirotundum plicatis illa Regi porrigit osculanda, tum dextrum, deinde sinistrum oculos Regis tangit, & Regi iterum porrigit osculanda: demum cum ipsis signum crucis super Regem producit. Qui surgit, imponitur sibi corona, recipit sceptrum & pomum & in faldistorio, quod post medium altaris versus cornu epistolæ sibi ponitur, sedit*. Et infra: *Legatus dimissis in altari corporalibus, vadit ad faldistorium suum in plano in cornu epistolæ sibi in loco consueto paratum, deponit paramenta omnia, & sandalia, & accipit cappam. Tum faldistorium ipsum post medium altaris versus cornu evangelii sibi ponitur, ubi sedet ad dextram Regis. Rex creat milites & alia, quæ ex consuetudine, vel alias facere consueverunt Reges in eorum coronationis solemnitate, faciet. Perfectis omnibus legatus a dextris Regis associabit eum usque ad portam ecclesiæ, prælatis omnibus ipsos sequentibus, ubi peractis per Regem ipsis gratiis, Rex extra portam ecclesiæ ascendit equum sibi paratum, & coronatus cum sceptro & pomo in manibus baronibus super ipsum baldachinum portantibus & aliis regni destinatis equitabit via ordinata ad castrum novum*.

Creati equites a novo Rege.

XV. Eadem die complesse Alfonsum facta Alexandro promissa tradit Burchardus (a), celebratasque ejus Sanciæ filiæ impuris natalibus ortæ cum Jofredo Borgia ejusdem Alexandri filio constitutas ante, ut diximus, nuptias perfectaque impositæ Alfonso coronæ pompa, Jofredum creatum a socero Tricaricensem principem, comitem Clarimontis, Lauriæ & Carinolæ. Gentilem vero Virginium Ursinum magistrum equitum renuntiatum. Tum Pontifex, Francorum Regem monuit (b), ut expeditionem Italicam intermitteret, grassari enim in urbe pestilentiam, extimescere se ne in ditione ecclesiastica tumultus bellici concitarentur, ne annonæ inopia transalpinorum accessu magis ingravesceret, neve etiam Alfonsus Neapolitanus Rex defendendi sui causa Turcam in Italiam exciret atque ita Christianum imperium barbaricæ vastitati pateret. Ad quæ exponenda Franciscum Cardinalem S. Eustachii legatum ad Carolum Regem misit, eumque dare operam conciliandæ paci jussit (c).

Spuria Alphonsi spurio Pontificis nupta.

(a) Burch. ubi sup. Sur. to. 5. l. 1. c. 30.

Monitus Gallus Rex ne Italiam ingrediatur.

(b) Insign. ms. arch. Vat. sign. n. 111.

Objectum illi Turcam excitum iri.

*Alexander, &c. dilecto filio Francisco S. Eustachii diacono Cardinali ad charissimum in Christo filium nostrum Carolum Francorum Regem illustrem in præsentiarum in partibus Italiæ constitutum, & ad universam Italiam, ac ad quæcumque ipsius Italiæ loca, ad quæ te declinare contigerit, apostolicæ sedis legato salutem, &c.*

(c) L. 52. bull. p. 211.

XVI. *Considerantes, prout universo orbi notissimum fore dignoscitur, quot & quanta damna retroactis temporibus proh dolor! perfidi Turci Christi nominis hostes, Christianum sanguinem sitientes, reipublicæ Christianæ intulerint, quosque Christianorum dominia, terras, civitates, atque loca suæ tyrannidi & spurcissimæ sectæ subjecerint, quodque in dies continue pejora facere & attentare præsumant in maximam divinæ majestatis offensam, ipsiusque reipublicæ Christianæ, nostramque & catholicorum Regum & principum aliorumque*

De Turc. grassationibus.

fide-

Ui ob Christiana dissidia creverint animis.

*fidelium ignominiam atque jacturam, & quia desiderii nostri semper fuit ob dissensiones & bellorum turbines in Italia hac tempestate vigentes, quorum occasione vires nostræ minuuntur, Christianorum potentia debilitatur, ipsi perfidi Turci inde majorem sumentes audaciam & videntes principes & potentatus Christianos inter se diffidentes, eisque propterea resistere non valentes, ad invadendum Christianorum terras & loca, prout anno superiori adversus Croatiam fecerunt, & adhuc se facturos minantur, facilius inducuntur, tanto furori resistere & obviare nequimus nisi bella & dissensiones hujusmodi cessent, sitque inter Christianos Reges & principes aliosque potentatus vera pax & concordia, ad pacem & concordiam ipsam componendam ut omnis scandali materia auferatur damnisque & periculis, quæ bellorum furor producit, & fovet, obvietur, convertimus omnes sensus & spiritus nostros & propterea,* & infra, *habita super his cum venerabilibus fratribus nostris ejusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura, te ad charissimum in Christo filium nostrum Carolum Francorum Regem illustrem & Christianissimum, universamque Italiam, ac quæcumque Italiæ loca, ad quæ te declinare contigerit, tanquam pacis angelum nostro & ejusdem Romanæ ecclesiæ nominibus ad pacificandum ipsam Italiam, ipsumque Regem ad pacem ipsam amplectendum, quemadmodum eum pro sua erga sedem Apostolicam devotione, ac reipublicæ Christianæ utilitate, ut catholicum principem decet, facturum non dubitamus, inducendum, dictæ sedis legatum de latere nostro de fratrum eorumdem consilio comitante pacis angelo provide duximus destinandum, &c.* Amplissima eum authoritate fulcit, principesque, atque præsules opera illi non deesse jubet (*a*). *Dat. Romæ apud S. Petrum anno MCCCCXCIV.* VIII. *id. octobris pontificatus nostri anno* III.

Decretus ad Carol. Regem Franc. legatus.

(*a*) *Reg. post eand. ep.*

XVII. De hac Francisci Cardinalis legatione meminit Petrus Delphinus Camaldulensium summus præfectus in literis ad Petrum Barrocium Patavinum episcopum datis (*b*): *Me*, inquit, *Florentiam contuli, idque ut occurrerem reverendissimo protectori nostro legato apostolico, qui* IV. *kal. novembris hanc urbem ingressus est, ac solita legatorum pompa exceptus: egressus in occursum ejus ad octavum lapidem factus est obviam nobis, ibique (erat enim vespera) mansit usque in sequentem diem. Quam ægre accepisset legationis provinciam non solum difficillimam, verum etiam periculi & desperationis plenam, mecum ubi primum jumento descendit [si quidem accersiri me continuo jusserat] per unam & eo amplius horam apertissime multaque fiducia contulit. Audita Florentinorum a Rege Neapolitano defectione difficiliora futura sibi omnia polliceri cœpit. Tandem kal. novembribus hinc profectus est, & Lucæ ipsum modo præstolari adventum Regis hodie audivi, rediturumque cum eo Florentiam.* Et paulo infra: *In hoc fluctuantis status discrimine Hieronymus hic a senatu tanquam ultimum desperatæ rei suæ refugium ad majestatem regiam cum quatuor civibus missus est, si forte eo interprete pacificus sit futurus Regis ingressus, qui licet hostili populatione non credatur venturus, in ipsius tamen adventu non defuturum maximum aliquod in urbe hoc scandalum quibusdam occasionibus mirum in modum dubitatur. Induxit hodie vicarius archiepiscopi a dominio requisitus biduanum omnibus jejunium tam laicis quam religiosis, cras in pane & aqua, sequenti die consueto jejuniorum more, mandavitque ecclesiis omnibus, ut per idem biduum sacra missarum solemnia de Spiritu Sancto cum oratione de tribulatione decantaretur. Ad decem & eo amplius Gallorum millia Florentiam cum Rege ingressura dicuntur, & jam complures heri & hodie advenerunt. Florentiæ* VI. *novembris MCDXCIV.*

(*b*) *Petr. Delph. l.4. ep.19.*

Florentini spreto Neapolitano adhærent Gallo Regi.

Hieronymus Savonarola ad Gallum orator decernitur.

Carolus Rex Florentiam ingreditur.

XVIII. Non admisit Carolus Gallorum Rex in colloquium Franciscum Cardinalem legatum, veluti suspectum hostem, quod Aragonias partes adversus Gallos Pii II. avunculi exemplo, fovisset, Alexandri vero monita hoc responso elusit; pestilentiam se non expavescere, cum vitæ laboribus mors finem imponat, non metuendam famem, cum lautissimos commeatus rerumque affluentiam secum illaturus foret: non formidare Turcam, cum ab ineunte ætate pro amplificanda fide adversus Turcas arma exercere vellet, nec venientis impetus defugere. Illius præterea orator mox atque Neapolitani regni jura Alexandri decreto collata Alfonso accepit, in Cardinalium consistorio conquestus Caroli juribus hereditariis detractum, a pontificia sententia ad futurum concilium, (quod ob invasum flagitio ab Alexandro, ut ferebatur, pontificatum) congregandum contendebat, provocavit. Auxit eam discordiam Julianus S. Petri ad vincula Cardinalis (*c*), qui Caroli Francorum Regis partes secutus, Alexandrique Alfonso juncti fœdere iras veritus in Gallias, ut dixi aufugerat, præfecto imposito, qui Ostiæ arcem præsidiario milite, armis, tormentis bellicis, commeatuque egregie instructam teneret: ad quam recipiendam Alexander exercitum immisit (*d*), repulsamque passus, excitis demum maritimis, ac terrestribus Alfonsi Regis viribus ipsam de-

Caroli responsum ad Alexandrum.

Juliani Roburei Card. in Gallias fuga.

(*c*) *Id. ibid. Burch. ubi sup. Surit. to. 5. lib. 1. c. 28. Guicciard. l. 1.*

(*d*) *Id. ib.*

deditione accepit ea lege, ne Julianum Cardinalem, nec præfectum Robureum censuris bellove persequeretur, nisi novæ ab iis irarum causæ darentur. Verum haud diu post movente in Italiam Gallica arma Carolo Rege, Fabritius Columna illam eripuit (a) Pontifici ad excipiendam portu Gallicam classem Neapolitanum regnum invasuram. Porro Carolus Francorum Rex, antequam signa Italiæ inferret, amplissimos oratores, quorum princeps erat Eberardus Aubignius, ad Alexandrum misit, qui exponerent Neapolitanum regnum Gallicis armis vel ex infidelium vel impiorum tyrannide partum olim fuisse, principumque Andegavensium, quorum stirps defecerat, jura ad Carolum devoluta, ad quæ repetenda transgressurum alpes, simulque ab sede Apostolica, cui Galli semper addictissimi extiterant, beneficium avitum illi restitui deposcerent præsertim cum ea expeditio ad sedis Apostolicæ, cui census annuus non pendebatur, jura asserenda hortatore ipso jam ante decreta fuisset. Ad quæ Alexander respondit (b), jam Neapolitanum regnum a prædecessoribus suis tribus principibus stirpis Aragoniæ nimirum Alfonso I. Ferdinando, Alfonsoque II. variis diplomatibus jure beneficiario concessum, æquumque non videri ut Carolo traderetur, ni prius judiciario ordine disquireretur cujusnam gentis, an Gallicæ, an Aragoniæ jura potiora essent, atque adeo in apostolicis diplomatibus ad Aragonios datis adjectam formulam, collatum sine alterius damno beneficium.

(a) Id. Sur. c. 37. & Comm. nans ubi sup.

Repetit Gallus Neapol. regni jura.

(b) Guicciar. eod. lib.

XIX. Ferdin. Hisp. Rex eadem affectat.

Addidit etiam Pontifex supremum Neapolitani regni imperium ad sedem Apostolicam spectare, decereque Gallum Regem majestatis pontificiæ vindicem, ut legibus potius, quam armis causam disceptaret, cum bellica vis ingentes in Italia tumultus, gravissimaque discrimina paritura foret: iisdem utebatur argumentis Ferdinandus Hispaniarum & Siciliæ Rex (c), ut Carolum a Neapolitana expeditione avocaret; cum enim ille palam jactaret, restituto Gallicæ genti Neapolitano regno, adversus Turcas se arma versurum, Alfonsi Silvæ oratoris opera Carolo sæpius significavit, se nil optare magis, quam ut universi Reges Christiani arma pro amplificanda fide Mahometicaque superstitione delenda jungerent, nil laude dignius in adolescentiæ flore suscipi posse, quam si juvenilem ardorem in tam augusto opere explicaret: certissimos illum manere triumphos, sacrum enim bellum maxima animi voluptate geri solitum, labores in eo toleratu faciles, clades non sine gloria accipi, sumptus multiplici fœnore augeri: mortem iter esse ad immortalitatem: proinde intermisso Neapolitano bello attolenda in Turcas signa, neque enim sine excidio Italiæ, Christianique imperii discrimine inter Christianos bella agi posse, ac si in Africam copias Gallicas immittere vellet, Hispanas se cum iis conjuncturum, regnaque florentissima amplitudine & opibus Neapolitano præstantiora sibi Christoque comparaturum, si tamen Neapolitani juris recuperandi cura menti alte defixa esset, judiciario ordine apud Pontificis supremi illius regni domini subsellia causam prosequeretur. Ad hæc respondit Carolus, illustre notumque omnibus esse jus Gallicum, ac regnum illud recuperare armis cum legibus non posset, se decrevisse; nullam ab Alexandro æquitatis vel honestatis haberi posse rationem, qui ecclesiæ Romanæ jura dissipabat, ut filios suos spurios augeret ornaretque, & ideo ab eo ad concilium œcumenicum provocatum. De concilio autem congregando pro re Christiana temperanda verba fecerat.

(c) Surit. to. 5. l. 1. c. 31. & 35.

Caroli ad Hispanorum Reg. responsum.

XX. Ejusdem expeditio in Italiam.

Transgressus alpes, ut dictum est, Carolus universæ Italiæ terrorem injecit, de quo hæc Raphael Volaterranus (d): *Cum in tota Gallia tum Britannia insula delectu habito anno MCCCCXCIV. mense octobri* [1] *cum equitum viginti quinque, peditum*

(d) Raphael Volat. l. 3.

NOTÆ [1] Nihil hoc anno celebrius actum est quam Caroli Gallorum regis expeditio in Italiam, hanc vero octobri mense anni hujus cœptam, quin potius eo mense transvectas a Carolo alpes ex Raphaele Volaterrano notat Annalista. Sed alpes Italiam a Gallia dividentes diu ante Carolus superaverat. Marinus enim Sanutus, idem qui Vitas ducum Venetorum ad annum usque 1493. perduxit, quem Muratorius Rer. Ital. to. XXIV. authorem statuit commentarii de bello Gallico (seu potius Italico) Caroli VIII. & Lodovici XII. a se vulgato ibid. col. 1. opus illud ab hoc anno 1494. exorsus statim affirmat, ineunte aprili mense seu potius die ejusdem mensis prima *Astam* quæ ad alpium radices sita est pervenisse. Huic Scriptori utcunque adstipulatur Anonymus Scriptor diarii Ferrariensis, adnotans die ultima augusti Carolum pervenisse Mediolanum. Hæc si admiserimus, legatio illa pontificia, cujus hic meminit Annalista non quidem in Galliam, sed Astam missa. Quin & ex ephemeridibus Senensibus Allegretti. vulgatis Rer. Ital. to. XXIII. constat, Francifcum cardinalem pontificis legatum Carolum adiisse cum Lucæ ageret, a quo ne admissum quidem rediisse. Ex ea urbe sive ex morbo sive rei pecuniariæ angustia, ut notat Senarega in commentario de rebus Genuens. Rer. Ital. to. XXIII. nonnisi sero Carolus movit. Florentiam enim non prius quam die XVII. novembris pervenit, teste Allegretti in ephemeridib. qua urbe præcedenti die exules Medicææ fami-

*ditum quindecim millibus, instrumentorum quoque bellicorum curribus centum, regni vero principibus, Philippo Sabaudiæ duce ejus avunculo, & aliis nonnullis iter ingressus per alpes, ubi primum in subalpina regione cum tanta multitudine apparuit, timor omnibus incussus.* Objurgatum Carolum ab Alexandro, quod ingressus esset Italiam armatus, judiciariumque ordinem contempsisse refert Nauclerus (*a*) : *Taceo*, inquit, *scriptum Pontificis ad Regem, cujus exemplar vidi atque legi, quibus exprobrat illi quod monita ejus per literas & nuntios, ne Italiam ingrederetur, oblatamque justitiæ viam super regno, si quod jus prætenderet sibi competere, penitus contempserit.* Addit Surita (*b*) intentatas etiam ab Alexandro minas Carolo: censuris perculsum iri ex decreto Pii II. in Mantuana synodo promulgato. Irrogabantur eo pœnæ anathematis, nullo cæsareæ regiæve authoritatis discrimine, iis qui a pontificia sententia ad concilium provocabant; sed eludebatur Alexandri authoritas, quod vitio intrusus in pontificatum diceretur, atque ex curia pontificia ad suas ecclesias omnes Galli discedere regio edicto jussi intentata sacerdotiorum mulcta: contra vero Alexander omnes, qui libertatem ecclesiasticam labefactarent, anathemate perculit (*c*), cunctosque Cardinales ad curiam pontificiam redire imperavit, contulitque (*d*), apud Vicovarum colloquium cum Alfonso Rege Neapolitano; de quibus fit mentio in ms. codice Vallicellano (*e*), atque in eo itinere vetere ritu sanctissimum Eucharistiæ sacramentum præivisse additur. Ut vero exceptus Rex a Cardinalibus, quæve ab eodem Rege Pontifici honoris cultusque demissi signa exhibita fuerint, describit Joannes Burchardus (*f*): *Causa*, inquit, *adventus Papæ ad Vignarium propterea quod valebat *... cum serenissimo Alfonso II. de Aragonia Rege Neapolitano contra Regem Franciæ, & alia circa hæc opportuna.* XIV. julii, & infra, *nescio quos Cardinales ultro versus Regem fecit equitare me inscio, qui sic Regi obviam venientes ipsum per duos tractus lapidis ultra quod eos locaveram, & ordinaveram, reverenter in equis susceperunt detectis capitibus Regi manum dexteram porrigentes, & ter in ore osculantes: quos simili modo Rex detecto capite ex equo recepit primo Neapolitanum, deinde Ulixponensem, & successive alios omnes, quo facto præcesserunt Neapolitanus & Ulixponensis similiter, deinde montis regalis a dextris habens Ursinum & a sinistris Valentinum, quos sequebatur Rex medius inter Senensem a dextris, & S. Georgii Cardinales a sinistris.* Et infra: *Venimus hoc ordine usque ad castrum hospitii Papæ, in aula Rex & omnes sui dimiserant enses & alia arma. Deinde intravit ad Pontificem, coram quo genuflexus pedem & manum Papæ, tum surgens Papam in genu* osculatus est, Cardinalibus Papam circumstantibus. Qui tunc surrexit, & sinistra sua Regem ad unam ex fenestris dictæ cameræ ducens per octavam partem unius horæ vel circa ibidem secrete secum locutus est, Cardinalibus aliquantulum a longe circumstantibus. Post collocutionem hujusmodi pauci ex nobilibus Regis osculati sunt pedem Papæ: deinde Cardinales omnes Regem usque ad ostium cameræ habitationis suæ, quæ erat in dicto castro associarunt.* Dimisso post conventu ab utroque etiam ad Bajazethem Turcarum Imperatorem Camillum Pandonem & Georgium Bucciardum ad poscendam opem legatos missos tradunt (*g*), cum publice Carolus Constantinopoli minitaretur. Ad hanc vero gloriam illum incitasse, cum Astam pervenisset, Ludovicum Sfortiam, dum fidem operamque omnem deferret, narrat Ferronius (*h*): *Neapoli*, inquit, *recepta tanta auxilia terra marique sese subministraturum, Turcarum ut imperium Constantinopolitanumque diadema nullo negotio Gallia florens recipiat ita futurum, ut res gestas magni Caroli famamque Rex adolescens vincat.*

XXI. Dum Astæ versabatur Carolus pustulato morbo decubuit non sine vitæ periculo, neque Alfonsus quamvis validissimam classem ad Genuam solicitandam, ut Mediolanense jugum excuteret, instru-

(a) Naucl. vol. 2. gen. 50.
(b) Surito. l. 1. c. 30.
Alexandri cum Alphonso colloquium.
(c) Id. ib. c. 35.
(d) Burchar. MS. arch. Vat. sign. n. 104. Guic. l. 1.
(e) MS. Vallic. p. 216.
(f) Burc. l. 2. pag. 183.
* conferre.
Alexandri cum Alphonso colloquium.
* oro
(g) Id. ib. Burch. MS. arch. Vat. sign. n. 140. l. 2.
(h) Ferro. in Car. VIII. lib. 1.
Iogentia Caroli promissa de Turcico imperio excindendo.



NOTÆ familiæ principes excesserant, ait Senarega; qui & addit Carolum dum Florentiæ ageret, & cum novis urbis rectoribus de conditionibus tractaret, *titulum magni per adulationem prorsus Florentinorum, quam sua voluntate assumpsisse*. Hunc regem omnium primum fuisse censeo, qui *magni* titulum dum adhuc viveret admiserit; nam Carolo magno elogium illud nonnisi post obitum adjectum Pagius ex Mabillonio ad A. 814. 23. animadvertit. Conventum est inter Gallum & Florentinos ut rex oppida illa, in Annalibus relata, quibus oppidum Sarzanello addendum est, & aliud nominis pene similis Sarzana, ut oppida inquam illa, *recuperato* tandem *regno* Neapolitano, redderet Florentinis, *quod ingratum*, addit scriptor ille, *fuit Genuensibus; nam paulo ante, ipso* (rege) *Sarzana discedente oppida nostra* (oppida enim illa exceptis Pisis, & Petra Sancta juris erant Genuensium) *quæ Florentini per vim occupassent restituturum promiserant*. Die tandem XXVIII. Florentia discessit, (Allegretti in Ephemerid.) Die II. decembris Carolus ingressus est Senas; ex qua die IV. discessit, (Allegretti in Ephemeridib.) Tum venit Aculam (Aquapendente) dein Montem Faliscorum, ac tandem Viterbium, denique die XXXI. decembris Romam. Reliqua ex Annalibus petas. MANSI

(a) Guic. l. 1.

Pars Neap. regni ab Alphonso oblata Carolo.

(b) Ferron. l. 1.

xisset (a), terrestremque etiam exercitum, qui Gallis iter interciperet opposuisset, rem, ut poterat, feliciter gessit; immo victo similis interpretibus concordiæ Venetis majorem regni partem Carolo obtulit (b), qui spretis iis continuato itinere in Etruriam penetravit: ubi mox novæ rerum conversiones subsecutæ: Petrus enim Medices Florentinæ reipublicæ princeps, qui invitis civibus Alfonso Regi Neapolitano adhæserat, Gallorum progressibus territus Carolum adiit (c), ut illius iras deliniret, ac Petram sanctam, Serzanellum, Liburnum, Pisasque illius potestati permisit: qua re male gesta Florentinorum odia in se incendit, ut prætorii ingressu repulsus majoris mali timore perterritus cum Joanne Cardinale, qui postea in pontificatu Leo X. dictus est, ac Juliano fratribus in exilium rerum omnium egenus profugerit (d). Augebat illius invidiam Pisas a Carolo Rege, civium lamenta miserato, libertate fuisse donatas: eo tamen dissimulato dolore Florentini Carolum honorificentissime exceptum Florentia patrem patriæ, libertatisque vindicem appellarunt. Describit illius in eam urbem ingressum Burchardus (e), tum pactiones ab ipso cum Florentinis confectas, necnon ut regiis literis Gallica in Neapolitanum regnum jura promulgarit, ut armorum potentiam æquitate nixam ostenderet.

(c) Volat. l. 5. Ferron. l. 1. & alii.

Petrus Mediceus Florentia exactus cum fratribus.

(d) Id. ib.

Pisæ libertate donatæ.

(e) Bur. c. 36

Receptus Florentiæ Carolus.

XXII. *Feria*, inquit, II. XVII. *novembris serenissimus Francorum Rex intravit civitatem Florentiæ cum maximo honore & triumpho, magna equitum & peditum copia associatus, ubi diversa cum ipsis Florentinis tractavit. In valvis ecclesiarum & aliis locis publicis aureis literis scriptum erat. Pax, & restauratio libertatis. Iniit inter alia cum ipsis Florentinis conventionem, & capitula, quæ* XXVI. *dicti mensis fuerunt, in ecclesia metropolitana Florentiæ missa ibi finita, publice lecta, & mediis juramentis stipulata, per quæ inter cætera Florentini promiserunt dare Regi Franciæ centum triginta millia scutorum infra annum. Deinde quolibet anno duodecim millia usque ad finem belli, Rex habebit continuo Florentiæ duos oratores suos, viceversa Florentini duos apud Regem de rebus bellicis occurrentibus mutuo tractaturos: Pisa & Ligurnum erunt in potestate Regis usque ad finem belli: differentiæ inter Florentinos & Januenses occasione Petræ sanctæ, Sarzanæ, & castri novi, remissæ sunt eidem Regi, qui ut accessum suum ad urbem honestaret: iis diebus Florentiæ decrevit & publicari fecit suas patentes literas sub tenore huiusmodi, videlicet.*

Pacta cum Gallo a Florentinis inita.

*Carolus Dei gratia Francorum Rex universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis zelum catholicæ fidei, & salutem in Domino sempiternam.*

*Considerantes attentius, & intra nostræ mentis arcana sæpenumero revolventes innumerabilia damna & incommoda, cædes, strages, ac nobilium civitatum & fidelium populorum desolationem & devastationem, ac plura alia horrendissima facinora, quæ spurcissimi Turci in sanguinem Christianum incessanter debacchantes a quinquaginta annis citra, ut a majoribus nostris profecto fidedignis didicimus, inhumanissime perpetrarunt, cupientesque more progenitorum nostrorum Francorum Regum Christianissimorum tantis sceleribus, quæ ipsi perfidissimi Turci religioni Christianæ continuo minantur, pro viribus occurrere, ac eorum sitibundam rabiem totis conatibus expellere, postquam placuit Altissimo in regno & dominiis nostris suam pacem ponere, proposuimus pro debellando Turchos eorumque furores rabidos, & recuperandis Terra sancta & aliis dominiis per eos Christianis principibus & populis ablatis propriis personæ laboribus, facultatibusque non parcere, quinimmo dilectissimis uxore & filio nostro unico, regnoque amplissimo pacifico & opulentissimo, ac præter voluntatem principum & pro eorum regni nostri relatis, statuimus cum adjutorio Dei, cujus causam amplectimur, ac summi omnium Christianorum Pontificis, & pastoris, nec non principum aliorum fidelium præsidio sacratissimum hoc opus fidei devotione & magno animo aggredi, quod quidem sanctum propositum divina credimus inspiratione nostro cordi fuisse infusum. Nec arbitretur quispiam, ut ad occupandum quorumcumque principum, vel populorum dominia, aut civitates opus hoc tam sanctum tamque laudabile aggrediamur: sed, ut ipse Deus ineffabilis verus testis est, hoc solum ad ejus laudem & gloriam, suæque fidei Christianæ religionis exaltationem & ampliationem amplectimur, sperantes in ipso Deo, a quo omnia perfecta opera perfectionem suscipiunt, nos hoc sanctum desiderium nostrum ad optatum finem perducturos. Sed quia regnum Siciliæ, quod Neapolim vocant, per progenitores nostros & e manibus infidelium & aliorum Romanæ ecclesiæ restitutum, & de quo ipsi progenitores circa quatuordecim investituras, videlicet duodecim a diversis Romanis Pontificibus, & duas alias factas a duobus generalibus conciliis receperant, & quod ad nos jure hereditatis pertinet, (quamvis Pius Papa II. volens suos ex humili plebe natos ad principatuum fastigium extollere, regnum ipsum contra justitiam abstulerit, & illud quondam Ferdinando de Aragonia* con-

XXIII. Caroli Regis Franc. de Turcis subiciendis pompaticæ literæ.

Gallica in regnum Neap. jura exposita.

*Profitetur Carolus sacrum in Turcos bellum moliri.*

*concesserit), ad depugnandum perfidissimos Turcos præcipue per portum Valoniæ, & nonnulla alia loca nobis faciles ingressus præbere potuerit, illud Deo auxiliante, intendimus recuperare, ut vobis & nobis facilis ingressus & egressus ac tutum præsidium esse possit, nec intendimus propter almæ urbis Romæ, prout modernus Alfonsus de Aragonia ac sui prædecessores alius Alfonsus & Ferdinandus magna temeritate & rebellione obsidendo eam fecerunt, aut aliis terris Romanæ ecclesiæ præjudicium aliquod, seu damnum inferre, sed illa & ipsius ecclesiæ subditos, pro illius & Apostolicæ sedis honore & reverentia, ab omni damno & injuria pro posse nostro illæsos conservare, ac ipsius ecclesiæ statum, honorem, dignitatem more dictorum progenitorum nostrorum, quandiu poterimus, potius adaugere. Quia vero pro dicto regno recuperando & nostro sancto proposito exequendo pro faciliori, & breviori via ad urbem prædictam veniendo per nonnullas terras ecclesiæ transitus sit nobis faciendus, sanctissimum in Christo patrem & dominum dominum Alexandrum divina providentia Papam VI. ac sacrum S. R. E. Cardinalium collegium, nec non quarumcunque civitatum, oppidorum, terrarum, & locorum ejusdem Romanæ ecclesiæ rectores, gubernatores, potestates, officiales, cives, incolas, & habitatores quoscumque in Domino requirimus, hortamur, & contestamur, ut saltem quemadmodum hostibus nostris, & in hoc sacro proposito nobis adversantibus favores & auxilia, quæ potuerunt præstiterunt, & præstant, ita nobis & nostris liberum ingressum & regressum per civitates, oppida, terras, & loca prædicta ac victualia necessaria nostris expensis & sumptibus exhibere dignentur. Nisi aliqui nos hoc in opere saluberrimo impedivissent, ut credimus jam urbem Neapolim & magnam regni partem expugnassent & in principio mensis proxime futuri fines hostium ingredi potuissent; si vero ingressus & regressus, & liber transitus, & victualia nobis & nostris solvendo debita pretia fuerint, quod non credimus, denegata, nihilominus curabimus totis viribus invenire & capere, & victualia necessaria, quibus poterimus mediis, præstantes solenniter nobis ad culpam non debere imputari, sed potius illis, qui perfida iniquitate de fide nostra non recte sapientes nostrum pium & sanctum propositum voluerint impedire. Protestamur insuper de injuriis Deo & vobis faciendis, damnis quoque & interesse per nos propterea jam incursis, si quæ in futurum incursuri fuerimus, quam protestationem prosequimur coram universali ecclesia, ac principibus totius Christianitatis, quos convenire intendimus pro hac sanctissima expeditione Deo duce fideliter adimplenda. In quorum omnium fidem & testimonium præsentes literas fieri, & per notarium publicum infrascriptum subscribi & publicari, nec non regalis sigilli appensione muniri fecimus. Dat. Florentiæ XXII. mensis novembris anno Domini MCCCCXCIV. & regni nostri anno XII.*

*Nolle Romanæ ecclesiæ vel clientibus injuriam aliquam inferre.*

*Liberum iter per ditionem eccles. tantum exposcere.*

*Contestatur de damnis quæ hostes contracturi sint.*

Meminerunt de his literis Caroli Regis plerique authores, inter quos Surita (a) Caroli jura in Neapolitanum regnum a Ferdinando Castellæ Rege contempta, ut inania ait, cum beneficiarium Romanæ ecclesiæ regnum testamento relinqui a principibus Andegavensibus nun posset (b), quod verum erat: ita nec Joanna II. in Alfonsum Regem Aragonum adoptionis jure beneficiarium idem regnum transfundere potuerat, cum utrumque cum apostolicis diplomatibus successurorum in Neapolitano regno heredum ordu descriptus pugnaret, constaretque jamdiu illius regni jura ad sedem Apostolicam devoluta: at cum vi illud rapuissent Aragonii potiori jure Gallis, qui illud ex Saracenorum & Manfredi ereptum manibus restituissent Ecclesiæ, deberi Carolus disceptabat. Ob conversas vero illius adventu Etruscas res publica Italorum odia contraxit, quippe florentissimæ reipublicæ momento dissolverat imperium, quod tot annis tantisque laboribus partum fuerat; redegerat in suam potestatem plerasque munitiones: Pisæ in libertatem vindicatæ, dejecto Florentino insigni, Caroli statuam stricto ense minacem posuerant: mons Politianus illarum exemplum erat secutus (c); Luca & Senæ in ejus clientelam concesserant. Ex quibus territi universi principes facere cœperunt colloquia, ut ingravescentem illius potentiam eliderent. Metuebat insulæ Siciliæ Ferdinandus Rex Hispaniarum, classemque validissimam ad eam tuendam, defendendamque ditionem ecclesiasticam comparavit (d): abalienatus (e) est ab eo Ludovicus Mediolanensis dux, qui Joanni Galeatio duci defuncto spoliatoque nepote XXII. octobris successerat (f), cum aliquarum Etruriæ urbium a Carolo obtinendarum spe excidisset: Veneti recepto Petro Mediceo profugo fortunam illius miserati Italicos tumultus ægre ferentes, sui etiam imperii jacturam formidarunt: Maximiliano Cæsari permolestum erat Italicum regnum Gallico adjungi, ipsumque excitare annitebatur Alexander Papa, ut & cæsareas Italiæ urbes Carolo eriperet, seque Ecclesiæ propugnatorem, ingressu in ditionem ecclesiasticam prohibito, præstaret. Propterea vocato ad se Maximiliani

XXIV.

(a) *Sur. to. 5. l. 1. c. 36.*

Jus regni Neapol. nec ad Hisp. nec ad Gall. sed ad Pont. pertinebat.

(b) *Id. c. 34.*

Adventu Caroli VIII. perturbata universa Italia.

(c) *Ferr. l. 1.*

Cur plures principes in eum conjurarunt.

(d) *Sur. c. 38.*

(e) *Guic. l. 1.*

(f) *Burch. ms. arch. Vat. n. 104.*

liani oratore professus est, prius se mortem obiturum, quam Carolum Italia potiri pateretur, ut testatur Burchardus (*a*), administer, atque interpres.

(a) *Burch. ubi sup. p. 189.*

XXV. Ingressos Florentiam Gallos inclementia usos erga cives benevolos queritur Petrus Delphinus (*b*) in literis ad Patavinum episcopum proximo anno datis, cum jam Galli Florentia excessissent: *Commiseratus sum tam fœdam inclytæ urbis faciem, tantis implicitam curis, quæ hostili animo ab amicis pressa blandiri eis, atque arridere cogebatur, qui de se erant quam pessime meriti. Solatus sum plerosque convenientes me domi, suasique, ut agerent Deo gratias, quod de magnis periculis ab eo liberati magnifice non essent passi graviora, & minus malum etiam pro maximo existimarent bono, siquidem castigans castigasset eos Dominus & morti non tradidisset eos, cæsos nempe illos fuisse, sed flagellis, non scorpionibus, tentatos cum fideli Abraham, si diligerent Deum, visosque in tribulatione patientes, & revera ita fuisse apertissimis deprehendi argumentis. Retulit mihi per id temporis Florentia civitatem illam magnam itinere dierum trium quæ conversa est ad prædicationem Jonæ. Vidisses hoc adventu Domini abstinere omnes ab esu carnium, neque permissa edicto publico aperiri macella. Templa ubique solito amplius confessoribus ac pœnitentibus plena, totque utriusque sexus sacrosanctum corpus Christi dominico natali die perceperunt, ut paschalem solemnitatem retulerint. Si perstiterint in fide, neque declinaverint a mandatis Domini, timere non poterunt surrecturos in judicio secum viros Ninivitas, seque condemnaturos, quoniam sicut illi ad prædicationem prophetæ, ita isti ad proborum religiosorum hortamenta optime conversi sunt. Ex fonte bono die IV. februarii* MCDXCV. Porro anxius inter hæc erat Alexander, dubitans quid facto opus esset: nam tertia novembris die habito Cardinalium senatu Ascanium Cardinalem Sfortiam Florentiam mittendum decrevit, paulo autem post Ascanium ipsum, qui in Ostia occupanda & agro Romano infestando Gallis faverat (*c*), & Sanseverinatem Cardinales in custodiam tradidit, ut narrat Burchardus (*d*): *Feria*, inquit, *tertia* IX. *decembris venerunt ad palatium apostolicum Ascanius, S. Severini, de Lunate Cardinales: P. episcopus Cæsenatensis, ac Prosper de Columna & Hieronymus Tuttavilla, & eodem sero omnes detenti ibidem manserunt. In mane sequenti relaxatus fuit episcopus Cæsenatensis auditor cameræ: deinde fuit consistorium secretum, cui etiam dicti Cardinales interfuerunt, & eo finito Cardinalis Ascanius & S. Severini missi fuerunt ad cameras superiores palatii supra Papam ibidem reclusi & custoditi, Prosper & Hieronymus fuerunt missi per unum deambulatorium ad castrum S. Angeli & ibidem detenti, Cardinalis vero de Lunate missus ad Ostiam ad tractandum ibidem quædam occurrentia. Eadem die dominus Ferdinandus de Aragonia dux Calabriæ venit ad urbem.* Non potuit Calaber Alexandrum a vi Gallica defendere, cum Romani rerum suarum discrimen adire recusarent (*e*), Regemque præpotentem, a quo gratiam pacisque honestissimas rationes referre poterant, pro tuendis alienis commodis ad iram in se irritare. Verebatur Alexander, ne quid in ipsum moliretur Carolus ab adversariis suis, qui vitio pontificatum eum adeptum fuisse objiciebant, impulsus; fugamque adeo capere meditatus est. At Cardinales die XII. decembris jurejurando se ad defendendum Pontificem, eumque quocumque pergeret, sequendum obstrinxerunt: cogitantem autem fugam Veneti illum, ut Romæ subsisteret, confirmarunt (*f*), laboranti opem polliciti, nec non Ferdinandus Siciliæ & Hispaniarum Rex Gallo denuntiavit (*g*), ne Pontifici bellum inferret. Sed ob exceptum Ferdinandum Calabriæ ducem hostem offensus Carolus significavit Alexandro Romam ingredi se decrevisse (*h*), quandoquidem Calabrum recepisset: tum etiam instituit, ut Ascanium & Sanseverinatem Cardinales ex custodia educeret.

(b) *Petr. Delphin. l. 4. ep. 24.*

In ancipiti discrimine conversi ad Deum Florentini.

(c) *L. 3. p. 246.*

(d) *Burch. in diar. l. 2. p. 2.*

Nonnulli Cardinales ab Alexandro custodiæ traditi.

Ferdinandi Aragonii in Urbem adventus.

(e) *Burch. l. 2. & Volat. l. 3.*

Metuit sibi Alexander ne quid in eum Carolus moliatur.

(f) *Id. c. 2.*

(g) *Id. c. 41.*

(h) *Id. c. 41.*

XXVI. Dolebat Alexander suis se invisum esse, neque Romanæ ecclesiæ clientes ad eum defendendum arma capere, quare Francorum Regem ipsius amicitiam exambientem ultra non repellere decrevit, cum Gallicam armorum vim ferre non posset. Itaque Cardinalem Sanseverinatem die decimanona decembris e custodia emissum ad illum legavit (*i*), ut de concordiæ legibus cum ipsomet pacisceretur.

Cum Carolo coactus paciscitur.

(i) *Burchar. in diar. l. 2.*

XXVII. Addit Burchardus (*k*) missas ad se & alios Germanicæ nationis in pontificia aula agentes a Cardinale Gurcensi literas, quibus conquerebatur etiam tum consumptos frustra suos labores ad Pontificem Regemque in concordiam redigendos, neque Carolum regem aliud magis optare, quam omnibus filii amantissimi officiis Alexandrum complecti: hostes vero Gallici nominis, qui in urbe morabantur, Pontificem ab eo abalienasse; pollicebaturque nullam Germanis injuriam illatum iri: conceptæ erant hisce verbis eæ literæ (*l*).

(k) *Id. ib. p. 214.*

*Charissimis fratribus & amicis prælatis & aliis curialibus nationis Alemannicæ & dominiorum illustrissimi archiducis Philippi in urbe habitantibus.* Cha-

(l) *Ext. ea lit. apud Burchar. p. 214.*

*Charissimi & si, prout testis est Deus, qui hominum scrutatur corda & renes, qualem potuimus fecimus diligentiam erga Christianissimum Regem tum nomine summi Pontificis, tum nomine nostro dedimus operam ad faciendam bonam unionem & intelligentiam inter ipsum summum Pontificem & Christianissimum Regem, nihilominus, quorum culpa nescio, hactenus fuimus impediti, non per ipsum Christianissimum Regem, cum nil aliud cupiat quam se devotissimum filium gerere erga summum Pontificem, & sanctam sedem suorum progenitorum more, sed timeo quod a Deo principaliter propter peccata nostra & demerita graviter offenso impedimentum dictæ unionis processerit, qui nisi precibus devotarum personarum fuerit placatus, dicta unio, nec ex consequenti pax inter principes Christianitatis fieri poterit: cæterum cum timor sit de invasione urbis per armigeros ipsius Christianissimi Regis, & suorum confœderatorum, si dicta unio in dies breves non fiat propter hostes ipsius Christianissimi Regis, qui stant in urbe, ut dicitur, sic effeci apud Christianissimum Regem, ne aliqua damna inferant sui armigeri quibuscumque partisanis in urbe moram trahentibus, neque etiam cateris quibuscumque, undecumque sint oriundi, nisi in armis contra suam majestatem & suos reperirentur, & inter cæteros in urbe moram trahentes voluit & declaravit sua majestas, quod omnes subditi serenissimo D. meo Romanorum Regi semper augusto & illustrissimo principi D. Philippo eius inclyto nato Austriæ archiduci & Burgundiæ duci non minori favore per suos armigeros debere tractari, quam propriis ipsius Christianissimi Regis una cum omnibus Romanis, & hac de causa me misit ad D. comitem de Monpensier eius cognatum & generalem locumtenentem, ad significandum ei pro parte suæ majestatis, ut caveret, ne permitteret per quosque armigeros suæ majestatis aliquas injurias aut molestias fieri supradictis incolis, & præcipue dominis Reverendissimis DD. Cardinalibus quibuscumque partisanis & civibus Romanis & maxime dictis subditis D. Cæsaris & D. Archiducis Philippi, &c. Vester Amicus Cardinalis Gurcensis vos monet, ut ad illius ædes vos conferatis pro declinanda vi militari. Valete felices charissimi & Deum pro intentione mea, quæ est ad pacem universalem inter Christianos, & guerram universalem contra Turchos orate. Ex Formello hac* XXIII. *decembris.*

Philippus archidux Carolo conjunctissimus.

XXVIII. Exprobrasse antea eundem Cardinalem Gurcensem Alexandro, missum fuisse ab eo Georgium Buzardum literarum apostolicarum scriptorem ad Bajazethem Turcarum Imperatorem, ut illum adversus Francorum Regem Constantinopolitanam expeditionem meditantem concitaret, permoveretque ad Alfonsum Regem Neapolitanum tuendum adversus vim Gallicam, refert Burchardus, additque promulgasse Cardinalem ipsum Gurcensem fuisse Buzardum apud Senogalliam, dum ex Turcica legatione redibat, deprehensum a Joanne Robureo urbis præfecto fratre Juliani Cardinalis S. Petri, tum etiam tradita illi ab Alexandro tractandarum cum Turca rerum capita comperta; in quibus etiam significabat Alexander, Francorum Regem transalpinarum gentium exercitu auxiliisque Mediolanensium succinctum Romam contendere, ut ex pontificis manibus Zizimum sultanum reciperet, tum Alfonsum Neapolitanum, ad quem tuendum tum & affinitatis & beneficiarii principatus ab annis jam sexaginta circiter illius avo collati gratia, obstrictus erat, regno depelleret, quo parto trajicere in Græciam in animo erat, ac ni Bajazethes ipse permoveret Venetos ad Alfonso opem ferendam universos Christianos Reges se Gallo conjuncturos, adductoque secum Zizimo validissima classe Constantinopolim oppugnaturos: ostendebantur etiam a Cardinale Gurcensi Bajazethis literæ ad Alexandrum datæ (a), quibus exponebat pro Christiani imperii quiete expedire, ut Zizimus e medio tolleretur, si enim Francorum Regi dedatur, ingenti bello Christianos se petiturum; numeraturum vero trecenta aureorum millia cum illius cadaver sibi traditum fuerit, nec terra marive Christianos unquam vexaturum. Quæ literæ hac temporis nota consignatæ erant: *Scriptum Constantinopoli in palatio nostro secundum adventum Christi diem* XV. *decembris anno MCDXCIV.*

Exprobratum Alexandro fœdus cum Turcis adversus Gallos.

Bellum Turcicum a Gallo fraude politica jactatum.

(a) *Ext. apud eund. Burch. l. 2.*

Quæ a Bajazethe promissa ne Zizimus Gallo dederetur.

XXIX. Cum porro de pace agi cœptum esset, petiit Francorum Rex, ut sibi sultanus Zizimus traderetur, promulgabatque se cum Andrea Palæologo Moreæ despota Thomæ Palæologi Moreæ despotæ Constantini Palæologi ultimi Græcorum Imperatoris filio convenisse, atque ab eo avita Constantinopolitani imperii jura acceptis annuis vectigalibus in Gallum transfusa, ea lege addita, ut Moream e Turcarum tyrannide vindicatam eidem restitueret. Poscebat etiam (b), ut Alexander Neapolitani regni beneficium ut supremus illius princeps ipsi conferret, ac pontificias copias una cum eo in Turcas sociaret. Traditum illi Zizimum fuisse, dicetur proximo anno, ac paulo post extinctum: negatam autem fiduciarii in Siciliam juris donationem. Cumque Romæ in-

Carolus promulgat ab Andrea Palæol. emisse jura imperii Constantinop.

(b) *Id. ib.*

(a) Cap. 42.

Proposita Carolo auxilia universi orbis Christiani si regno Neap. abstinere velit.

(b) Burch. ms. arch. Vat. sig. n.104. l.2.

ingressu cohiberi non posset, rogatum (a) Cardinalis Sanseverinatis & episcopi Elnensis opera, ut habita majestatis sedis Apostolicæ, ac religionis ratione pacificus in urbem ingrederetur: tum illi expositum, si Neapolitanum bellum vellet intermittere, armaque vertere adversus Turcam pontificia authoritate universi imperii Christiani viribus ad tam gloriosum facinus suffultum iri, deque religione optime promeriturum, cum metuendum periculum immineret, ne Alfonsus Neapolitanus Turcas in Italiam non sine magno rei Christianæ detrimento induceret. Paucis vero interjectis diebus missum ab Alexandro Joannem Borgiam Cardinalem ad Carolum, ut de ingressu in urbem pacisceretur, refert Joannes Burchardus (b): *XXIV. inquit, decembris Cardinalis Montis regalis, pro eo quod nova venerant de voluntate Regis Franciæ super compositione & concordia facienda super introitu suo ad urbem, deputatus fuit per S. D. N. mittendus ad Regem Franciæ ad castrum Brachiani, ut ipse Rex alium suum mitteret, cum quo de modo adventus Regis prædicti tractandus esset.*

Dux Calabriæ ex urbe dimissus.

Caroli VIII. in urbem ingressus pacificus.

(c) Id. ib. Volat. l.3. Sebast. Brant. ms. arch. Vat. sign. n.111. Ferron. in Carol. VIII. l. 1. Comin. c. 10.

(d) Sebast. Brant. ubi sup.

XXX. Addit author die proxima ducem Calabriæ Ferdinandum ex urbe dimissum fuisse, Cardinalem vero Ascanium etiam rum in pontificia regia custodiis asservatum libertati restitutum: se vero, utpote jussu pontificio perrexisse, ut magnifici apparatus, quo excipi vellet ordinem ab eo juxta veteres ritus acciperet; tum subjicit: *Respondit Rex venire velle admodum sine pompa. Audivit & post me Rex dominum Hieronymum Portarium, qui pro omnibus collegis suis Romanis locutus est, populum, & ejus facultates Regi offerens.* Nocturnis ejusdem diei, quæ annum claudebat, tenebris, hora nimirum secunda Carolus tribus Cardinalibus stipatus nimirum Juliano S. Petri ad vincula, Beneventano, & Ascanio Sfortia, urbem sine bellico strepitu pacificus ingressus est, cui pontificiorum castrorum magister ex pactionibus confectis portarum urbis claves obtulit (c), cum eæ antea Ferdinando duci Calabriæ Alexandri imperio venienti traditæ fuissent, ad ædes autem S. Marci regio apparatu adornatas deductus bellica circum tormenta, florentissimumque exercitum disposuit (d), de cujus gestis proximo anno dicetur.

(e) Sur. to.5. l.5. c 29. Marian. l.26. c.6. & alii.

De novi orbis imperio certatum inter Lusitanum & Castellanum.

XXXI. Agitata hoc anno lis est (e) quanta unquam maxima de dimidio orbe terrarum inter Ferdinandum Castellæ, & Joannem Lusitaniæ Reges: Ferdinandus quippe Pontificis decreto obtinuerat insulas a Christophoro Columbo patefactas, & tractum terrarum omnem, centum leucarum ab insulis promontorii viridis Fortunatisve intervallo quæ ad occidentem solem pertinerent, querente autem de eo Lusitano Rege, imperium scilicet Oceani sibi adimi, nec non classem in occidentem ad lustrandas incognitas oras mittere meditante, ea concordiæ ratio inita est Tordesillæ septima junii, ut linea astrologorum concipienda mente a polo arctico ad antarcticum per spatia trecentis & septuaginta leucis ab insulis Capitis viridis porrecta duceretur, quæ lustrandas ad occidentem a Castellano novi orbis terras, ab aliis a Lusitano ad orientem aperiendis distingueret, missique peritissimi maritimarum rerum mathematici, qui gradus solis & septentrionis in iis oris monumentis commendarent.

Colonia prima in Hispaniolam adducta.

(f) Petr. Martyr dec. 1. c.2.

Canibalium insulæ coli cœptæ a Christianis.

(g) Id. ib.

XXXII. Immissa anno superiori classis (f), quæ coloniam in Hispaniolam deducebat, tertio idus octobris solvens ex insula Ferrea, Fortunatarum ultima, uno & viginti diebus emensa æquor octingentis & viginti circiter leucis ad primam Canibalium insulam applicuit die dominico, unde Dominica dicta est: sed cum illa arboribus ubique consita humano genere deserta esset, ad alias insulas vestitas arboribus, quæ suaves odores efflabant, brevi tempore appulit, quæ prima Canibalibus culta reperta est, Galana fuit, cum nostrorum adventu illi perterriti in abditos silvarum recessus avolarunt. Quam vero illi humana laniena infames essent, describit Petrus Martyr (g) in literis ad Ascanium Cardinalem Sfortiam ex Regum Hispaniarum aula III. Kal. maii hujus anni datis, ubi primum ad Ferdinandum & Elisabeth horum fama pervenit.

Repertæ plures insulæ iisque impo-sita nomina.

XXXIII. Prætervecti nostri alias insulas, quibus montis Serrati, S. Mariæ rotundæ, B. Virginis antiquæ nomina imposuere, nec non plures alias ad magnitudinem insignem, cui S. Crucis nomen inditum, pervenere. Obvios se præbuere in littore quatuor, juvenes qui protentis supplicum instar manibus e gentis nefandæ manu in libertatem vindicari exposcebant, at Canibales in silvas aufugerunt, ex insidiis tamen aliquos dein intercepere, qui in vinculis tanquam libyci leones feritatem immanem ostentarunt. Progressi nostri mare insularum, quarum quadraginta sex lustrarunt, mira varietate distinctum sulcavere, quod archipelagus dixere. Ab eo tractu digressi ad Burichenam insulam applicuere, cui S. Joannis nomen datum est, ac demum ad Hispaniolam quingentarum leucarum intervallo a prima Canibalium insula disiunctam appulere: quæsiti triginta octo viri, qui barbarorum

dy-

Crediti Canibalibus Hispani occisi fuere. Arx versa fuit in cineres.

dynastæ commendati fuerant extincti reperti sunt, castellum ligneum, quod circumducto aggere extructum fuerat, in cineres versum erat; ex iis, qui in Hispaniam avecti fuerunt, septem perierant ob aeris mutationem; e superstitibus tribus solutus unus est, duo noctu in mare furtim se proiicientes aufugerunt. Excensione in insulam facta condendæ urbi novæ data opera, excitataque altaria, in quibus res divina peracta est: quibus de rebus circiter nono kal. aprilis ad Hispaniarum Reges relatum est, & ab ipso præfecto novi orbis auctor factus certior.

Condita urbs nova.

XXXIV. Eodem anno Ludovicus Aragonius Cardinalis a Petro Martyre expetiit, ut novum terrarum orbem, qui hactenus ad occidentem latitabat, catholicorum Ferdinandi & Elisabethæ Regum auspiciis repertum, eorumque adjunctum imperio describeret: cujus, nec non Frederici patrui ejusdem Cardinalis votis assentiens author (*a*) plura de Hispaniolæ ubertate feracitateque auri, quod incolæ non æstimant, nisi artificis manu in formam aliquam deductum fuerit, præfatus addidit, ut Columbus Cubam vastæ magnitudinis perlustrandam susceperit in latere ad meridiem Jamaicæ, ipsa Sicilia majore prætermissa, tum subiicit: *Dum in littore rem divinam præfectus audiret, ecce primarium quemdam octogenarium virum gravem, nec eo minus nudum, multis illum comitantibus. Hic donec sacra peragerentur admiratus ore oculisque intentus adfistit, dehinc præfecto canistrum, quem manu gerebat, plenum patriæ fructibus dono dedit, sedensque apud eum per interpretem Didacum Colonum, qui id idioma, cum propius accessissent intelligebat, orationem habuit hujuscemodi. Terras omnes istas hactenus tibi ignotas manu potenti te percurrisse renunciatum nobis fuit, populisque incolis metum non mediocrem intulisse, quare te hortor moneoque, ut itinera duo, cum e corpore prosiliunt, animas habere scias, tenebrosum unum ac tetrum his paratum, qui generi humano molesti infensique sunt, jucundum aliud & delectabile illis statutum, qui pacem & quietem gentium viventes amarunt. Si igitur te mortalem esse, & unicuique pro præsentibus futura merita obsignata memineris, neminem infestabis. His & aliis pluribus per interpretem insularem præfecto admiranti tale hominis nudi judicium relatis respondit. Compertissima sibi esse quæcumque dixerit de animarum e corpore exeuntium variis itineribus ac præmiis, immo & existimasse hactenus illa ipsis & reliquis earum regionum incolis fuisse ignota, cum ita vivant natura contenti. Ad cætera vero se a Rege & Regina Hispaniarum, ut eas omnes orbis oras hactenus incognitas pacaret missum respondit, ut scilicet Canibales & reliquos scelestos homines indigenas debellaret, debitisque suppliciis afficeret: innoxios autem ob eorum virtutes tutaretur & honoraret, quare ne ipse aut alius quisquam, cui non sit animus nocendi, vereantur, immo si quid forte a vicinis injusti sibi aut aliis bonis illatum fuerit, aperiat. Seni præfecti dicta adeo placuerunt, ut se iturum quamvis ætate jam gravescentem cum præfecto libentissime prædicaret.* Et infra. *Compertum est apud eos velut solem & aquam terram esse communem, neque meum aut tuum malorum omnium semina cadere inter ipsos, sunt enim adeo parvo contenti, quod in ea ampla tellure magis agri supersint, quam quidquam desit, ætas est illis aurea, neque fossis, neque parietibus aut sæpibus prædia sæpiunt, apertis vivunt horreis sine legibus, sine libris, sine judicibus suapte natura rectum colunt, malum ac scelestum eum judicant qui inferre cuiquam injuriam delectatur.*

(*a*) *Petr. Martyr. dec. 1. c. 3.*

Cuba & Jamaica inventæ.

Traditio apud barbaros de inferno vel paradiso exeuntibus animabus designato.

Coloni ad barbaros responsum.

Communia omnia apud Barbaros.

XXXV. Cæterum Hispani, qui morum probitate pellicere ad fidem Christianam barbaros debuissent, illos mille injuriis affectos in desperationem conjecere (*b*): raptabant insularium fœminas ante parentum, fratrum, & virorum oculos, stuprisque & rapinis intendebant adeo, ut incolæ quotquot e nostris imparatos possent contrucidarent, necnon ad tollendos omnes commeatus, diraque fame ex insula extrudendos cœco consilio non modo mandare terræ semina abnuerint, verum maiizium, inecam, aliasque frugiferas plantas evulserint, unde tanta fames incessit, ut quinquaginta & eo amplius millia hominum perierint, passimque tanquam morbosi gregis pecudes caderent; præsertim Cibanorum montium auri feracium accolæ, qui a nostris auri cupidine opprimi fremebant. Tentarunt quinque millia barbarorum Hispanos bello conficere, sed equorum impetu prostrati sunt.

Hispani barbaros scelerum fœditate asperant.

(*b*) *Cap. 4.*

Corrupti commeatus a barbaris. Fames horrenda sequuta. Bello victi barbari.

XXXVI. Contulit (*c*) hoc anno Alexander VI. Ferdinando & Elisabethæ Hispaniarum Regibus Africæ expugnandæ jus, adeo ut ea expugnata cæteris regnorum titulis Africanum adiicerent, addita tamen lege, ut Christi cultum in Africa restituendum curarent.

(*c*) *Lib. 3. bull. secr. pag. 249.*

*Charissimo in Christo filio Ferdinando Regi, & charissimæ in Christo filiæ Elizabeth Reginæ Castellæ & Legionis illustribus salutem, &c.*

*Sicut fidedignorum testimoniis jam dudum, & etiam in præsentiarum accepimus, licet claræ memoriæ Castellæ & Legio-*

Jus expugnandæ Africæ iis datum a sede Apost.

*gionis Regibus tunc & pro tempore existentibus, qui semper pro viribus, non sine maximis laboribus & impensis, ac magna Christiani sanguinis effusione barbaras nationes expugnare, & ad fidem catholicam reducere conati fuerunt, per sedem Apostolicam jus Africam expugnandi, & ditioni suæ subiiciendi concessum fuerit, tamen quia causantibus bellorum turbinibus, & aliis sinistris temporum eventibus, quibus, proh dolor! retroactis temporibus regna ipsa afflicta fuerunt, quamplura munimenta, scripturæ, & literæ regni prædictorum deperdita sunt, & etiam ob tanti temporis diuturnitatem vos, qui provinciam hujusmodi omnino suscipere & prosequi, divina favente clementia, pro divini nominis gloria, & exaltatione decrevistis, de literis concessionis hujusmodi docere posse non speratis. Nos igitur præmissa diligenti consideratione pensantes, & animo revolventes quot & quanta Castellæ & Legionis Reges præfati majores vestri pristis temporibus pro expugnatione infidelium & barbararum nationum hujusmodi effecerunt, quotque regna & terras ab ipsorum infidelium manibus eripuerunt, ac ad Christianam religionem reduci curarunt, & quæ vosmet ipsi tam ferventi animo hac tempestate nostra, prout toti orbi notissimum est, adversus Saracenos regni Granatæ, qui per tam longa tempora regnis vestris & progenitorum vestrorum, quibus finitimi erant, infesti fuerunt, quot tandem divino auxilio vobis subdidistis, digne & laudabiliter effecistis, ac sperantes quod etiam item brevi tempore pro vestra singulari devotione, virtute, ac potentia & magnitudine regia ad honorem Dei & nominis Christiani propagationem, adversus dictam Africam efficietis, & nomen Salvatoris domini nostri Jesu Christi inibi inducetis & seminabitis, ac propterea non immerito prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, qui Regibus præfatis jus provinciam hujusmodi suscipiendi, ut præfertur, concesserunt, vestigiis inhærentes, vosque, hæredes, & successores vestros, ut tanti negotii provinciam etiam eo libentius & promptius assumatis, favoribus gratiosis prosequi volentes, motu proprio, non ad vestram vel alterius pro vobis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine vos, qui etiam Aragonum, Siciliæ, Valentiæ, & ejusdem Granatæ, ac aliorum quamplurium regnorum & dominiorum Reges & principes magnanimi & potentissimi estis, heredesque ac successores præfatos, quos vestigia vestra imitaturos, & sedi Apostolicæ devotissimos futuros non dubitamus, authoritate omnipotentis Dei nobis in B. Petro concessa, de ipsa Africa omnibusque regnis, terris, & dominiis illius sine alicujus Christiani principis præjudicio, authoritate apostolica tenore præsentium de novo potiori pro cautela plene investimus, illaque vobis heredibusque, & successoribus præfatis authoritate vicariatus ipsius domini nostri Jesu Christi, qua fungimur in terris per vos, heredesque, & successores præfatos, si illa acquisiveritis, ut speramus, in perpetuum tenenda, regenda, & gubernanda, & ad illis libere dominandum, prout alia regna, terras, & dominia vestra tenetis, regitis, & gubernatis, libere donamus, concedimus, & assignamus, vosque ac etiam heredes & successores præfatos Regis titulo, prout ipsa Africa & alia ipsius dominia sub Regis nomine & titulo tenentur, decoramus, & insignimus majestates vestras, charissime fili & charissima in Christo filia, nec non heredes & successores vestros præfatos per viscera misericordiæ domini nostri Jesu Christi, & per sacri lavacri susceptionem requirentes, & plurimum hortantes in Domino ut, si ipsam Africam, vel aliquam ejus partem Domino concedente acquisiveritis, omni studio & diligentia, prout catholicos Reges & principes decet, efficere studeatis, quod inibi nomen ipsius Salvatoris nostri colatur, & fides catholica exaltetur & amplietur, ut exinde præter æternæ retributionis præmium, nostram & dictæ sedis benedictionem & gratiam uberius consequi mereamini. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MCCCCXCIV. id. februarii pontificatus nostri anno III.* [1].

Iterum confirmatum ab Alexandro.

Africæ Regum titulus si eam expugnarint attributus.

Addita lex ut nomen Christi inferant Africæ.

XXXVII. Instruxerunt itaque classem iidem Reges adversum Afros, ut Christi imperium latius proferrent, ad quod bellum sacrum promovendum Alexander adhortatus est Hispanos (*a*), ut opes viresque in conficiendam expeditionem conferrent, atque in-

(*a*) *Lib. 7. bullar. secr. pag. 89.*

NOTÆ [1] INstituta a nobis semel & iterum pontificiarum bullarum chronologia, de qua ad A. 1485. monet ut Alexandri literas hic recitatas in sequentem annum transferamus. Quemadmodum enim Sixtus IV. & Innocentius VIII. ita & Alexander VI. in bullis suis annos ex veteri novoque stylo indiscriminatim signabat. Hinc literæ hic recitatæ datæ anno 1494. & pontificatus III. stylum exhibent veterem, neque enim annus pontificatus III. cum anno novi styli, 1494. sed potius cum sequenti 1495. quo ex veteri stylo annus adhuc 1494. agebatur congruere potest. Rursus vero in aliis epistolis sparsim per Annales legendis stylum novum prefert. MANSI

indulgentiarum præmia militibus proposuit, tum populos proceresque concordiam colere jussit.

*Ad futuram rei memoriam.*

*Charissimus in Christo filius noster Ferdinandus Rex, & charissima in Christo filia nostra Elisabeth Regina Castellæ & Legionis illustres, qui per longa tempora adversus Agarenos regni Granatæ, quod tam longo tempore in faucibus eorumdem Castellæ & Legionis regnorum non sine magna Christianæ reipublicæ ignominia, ac regnorum eorundem jactura & detrimento occupatum detinuerant, non sine maximis laboribus, periculis & impensis, ac Christiani sanguinis effusione sine ulla intermissione pugnando, tandem divina favente gratia regnum ipsum Granatæ ab ipsorum Saracenorum manibus & tyrannide cum maxima Christiani nominis gloria, & catholicæ fidei exaltatione, ac regnorum eorundem quiete recuperarunt, decreverint ex eorum pia & innata in Christianam religionem devotione etiam adversus Africam, illiusque expugnationem bellum movere, firma spe fiduciaque conceptis, quod auxiliante Altissimo exinde victoriam & expugnationem consequentur, cum infidelium partium illarum saltem pro aliqua parte ad fidem catholicam conversione. Nos attendentes quod ad ipsius Africæ expugnationem, & tantam fidei præfatæ exaltationem Regis & Reginæ prædictorum, qui in prosequutione dicti belli regni Granatæ intolerabiles impensas subierunt, facultates non suppetant, sed expedit tam ab Hispania, quæ potentissima, fortissima & devotissima est, quam ab aliarum nationum fidelibus propugnatores & bellatores, aliaque auxilia exquirere, & opus ipsum pium & plurimum meritorium ipsique Deo gratum & acceptum arbitrantes, ut Rex & Regina, qui jam classem non parvam pro hujusmodi sancta expeditione parare cœperunt Deo favente eorum pium & laudabile propositum hujusmodi ad effectum perducere valeant, Christi fidelium convocato auxilio, quantum in nobis est, operari volentes, authoritate omnipotentis Dei, cujus vices, quamvis immeriti, gerimus in terris, hortamur, requirimus, & monemus universos Christi fideles, præsertim nationis Hispaniæ, ut eisdem Regi & Reginæ ad expugnationem hujusmodi, ac fidei præfatæ exaltationem cum bonis & personis suis pro sua possibilitate viriliter & indesinenter assistant, illius exemplo, qui pro nobis mortem non abnuit, tollant in cordibus suis crucem suam, & illi ex eisdem fidelibus, qui ad hoc idonei sunt dictos Regem & Reginam, immo verius salvatorem nostrum præfatum sequantur, & pro illius nominis gloria, & infidelium prædictorum fidei hostium expugnatione, mortis periculo se exponere non formident, memores verbi ejus, qui dixit :* Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me; *pariter & confidentes in eo, qui dixit :* Ecce vobiscum sum usque in consummationem sæculi; *qui una nocte per angelum suum centum octoginta quinque millia hominum ex exercitu Sennacherib interemit, & qui alias Ecclesiam suam in magnis periculis non dereliquit, neque permisit inimicos ejus de eorum impietate gloriari pro illius nominis gloria, & eorumdem infidelium expugnatione mortis periculis se exponere juxta ipsorum Regis & Reginæ ordinationem non formident recepturi exinde præmia felicitatis æternæ.*

Africam Christo subiicere meditati Hispaniæ Reges.

Classis instrui cœpta.

Moniti Hispani ut Regibus auxilium præbeant.

XXXVIII. *Et ut fideles ipsi eisdem Regi & Reginæ in prosecutione tam sancti operis eo promptius assistere, & eis possibiliora auxilia exhibere studeant, quo exinde majora animarum suarum commoda cognoverint adipisci, & eis pro tam salubri bono portas paradisi ad æternam gloriam cum sanctis Apostolis & gloriosis martyribus reserari universis fidelibus eisdem, qui ad bellandum contra eosdem infideles pro consecutione dictæ Africæ, cum eorundem Regis & Reginæ exercitu in personis propriis se contulerint, & per tempus, quod thesaurarii proventuum hujus sanctæ expeditionis, qui pro tempore fuerint deputati, ordinaverint in illis permanserint, confisi de ipsius omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus authoritate, ac verbi ejus, qui est via, veritas, & vita, ac nobis, qui in personam ejusdem B. Petri, qui authoritate, licet non paribus meritis, successores sumus, dixit :* Quodcumque ligaveris super terram ligatum erit & in cælis : & quodcumque solveris super terram solutum erit & in cælis; *& etiam de apostolicæ potestatis plenitudine nobis cælitus tradita, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem & indulgentiam, qualis per prædecessores nostros dari consuevit proficiscentibus in subsidium terræ sanctæ, & qualis in anno jubilei per eosdem prædecessores concessa extitit, concedimus pariter & donamus, ac eorundem, quos in hanc sanctam expeditionem proficisci continget, animas sanctorum angelorum consortio in cælestibus & æterna felicitate mansuras perpetuo decernimus collocandas. Dat. Romæ apud S. Petrum MCCCCXCIV. pridie idus novembris pontificatus nostri anno* III.

Proposita immortalitas felix arma pro Christo Africæ illaturis.

XXXIX. Interea concertatum est (a) inter Castellanum ac Lusitanum Reges de Africa Christianis armis debellanda; Ferdinandus

(a) Surit. l. 1. c. 39. & Marian. l. 26. c. 6.

dus enim eam ob causam ab Alexandro poposcit, ut militiarum religiosarum magistratus cum amplissimis vectigalibus, nec non decumarum sacerdotalium tertiæ sibi traderentur: aspiravit ad eandem gloriam deballandæ Africæ Lusitanus, ac Phutense regnum, ( Fez vulgo vocant ) jam a Pio II. Lusitanis Regibus addictum objecit. Sine itaque Lusitani, cui assertum in Phutense regnum, alteriusve Christiani principis detrimento datum (a) Castelano est, ut Algerii, Bugeæ, & Tuneti regna armis sibi subiiceret, ac veluti ordinum equestrium princeps vectigalibus eorumdem magistris attributis, dum in barbaros bellum sacrum gereret, potiretur. Quod vero ad tertias attinet, extant de iis Alexandri literæ, quibus eæ Ferdinando sunt attributæ, ut Granatensis regni arces adversus Maurorum impetus communiret.

Quæ Africæ regna Ferdinando data ut ea expugnaret.

(a) *Lib.* 3. *bul. pag.* 203.

XL. Hoc anno missum ab Alexandro in Hungariam Ursum Ursinum legatum, ut proposita amplissima noxarum venia Hungaros concitaret in Turcas, tum Beatricem Reginam Matthiæ olim Regis uxorem Wladislao Bohemiæ Pannoniæque Regi conciliaret, refert Bonfinius (b), sed flectere Wladislaum ob ejusdem Beatricis sterilitatis vitium non potuisse, profitentem ipsam se non conjugis, sed sororis loco laute honorificeque habiturum: itaque cum rediret infecta re apud Villacum in Noricis extremum diem obiisse: susceptum vero extremo anno ab Hungaris bellum Paulo Kinisio duce ad eluendam ignominiam, cladem que antea acceptam a Turcis: contracto itaque decem millium equitum exercitu infra Sinderoviam per concretum alta glacie Danubium in Mysiam irrupisse, arcesque duas, in quibus Alibechi thesauri, direptæque Christianis opes asservabantur, improviso adventu summaque vi expugnasse, suosque effecta late vastitate onustos præda incolumes reduxisse, actasque ab Wladislao Rege de parta victoria Deo gratias. Subornare tum auro Turca annisus est regalis Albæ præsidiarios milites, patefactaque conjuratione, idem Kinisius inaudito crudelissimoque supplicii genere scelus ultus est, siquidem conjectis omnibus reis in teterrimum carcerem singulis diebus proditorem Christiani nominis unum eductum, transfixum veru assatumque sociis flagitii devorandum exposuit, ultimum vero fame confecit: quæ barbaries ut omnino a Christiana mansuetudine abhorrens detestanda.

(b) *Bonfin. dec.* 5. *l.* 3.

Ursi episc. Tranensis legati obitus.

Ungarorum in Turcas excursio felix.

Immane vindictæ genus sumptum de proditoribus.

XLI. Confirmata eodem anno est ab Alexandro (c) militia S. Georgii a Friderico Imperatore condita contra Turcarum grassationes, auctaque a Maximiliano, quorum equitum illud fuit institutum, ut in arce munitissima haberent duo vel tria bellatorum millia armis egregie instructa, atque ad quotidianas eruptiones in Turcas expedita, ut barbarorum, qui ex agris rusticanos homines in servitutem abducebant, excursiones cohiberent: iis autem, qui equestri illi ordini nomen darent, aut etiam subsidiariam stipem conferrent, sacræ indulgentiæ propositæ sunt: imperatæ vero fuere equitibus nonnullæ precum formulæ, quas pro Pontifice, pro Cæsare, pro sodalibus vivis atque defunctis funderent: constituta etiam stipendia pro iis, qui in bello membris debilitarentur. Consignatum est diploma hac temporis nota. *Datum Romæ apud S. Petrum an. MCDXCIV. idib. aprilis pontificatus nostri anno* 11.

(c) *Lib. bull.* 11. *pag.* 162.

Militia S. Georgii confirmata.

Quod sit illius institutum.

XLII. Hoc denique anno Bernardinus Feltrensis (d) ordinis Minorum vitæ sanctimonia & doctrina conspicuus, cujus opera Pontifices in informandis ad pietatem populis usi sunt, Ticini vitam feliciter clausit: ubi ipsius memoria colitur, cujus corpus decimo sexto mense refossum omnis corruptionis, vel levissimæ labis immune repertum est, immo & centesimo supra quartum post anno editum a Ticinensibus publicum decretum, illud perstitisse integrum & incorruptum ostendit (e). Recenset inter alios præcipua ejus gesta, ac patrata ipsius precibus divinitus miracula Lucas Wadinghus. Meminit (f) de eo Petrus Delphinus, utpote de viro sanctitatis opinione spectatissimo in literis ad Petrum Barrocium episcopum Patavinum amicitia utrique conjunctissimum datis: *Probo*, inquit, *quod Bernardini Feltrensis optimi nostra ætate viri miracula memoriæ commendanda susceperis. Satisfeceris ipse plurimis illius studiosis, & animo retuleris gratiam vel defuncto.*

B. Bern. Feltr. Corpus corruptionis immune.

(d) *Chron. Min. Steph. Brevent. l.* 3. *c.* 2. *bist. Papien. Ferrar. in novo Catal.* 29. *Septem. Vvading. in annal. to.* 7. *ann.* 1494. *n.* 5. *usque ad* 90.

(e) *Ib. n.* 83.

(f) *Pet. Delp. l.* 4. *ep.* 9.

Depulsi

I. DEpulsus est anno a Deiparæ partu nonagesimo quinto supra millesimum quadringentesimum indictione decimatertia cœlesti ira vindice, soloque Gallorum adventus terrore Alfonsus Neapolitano solio, quod cæsorum procerum sanguine, spoliisque innocentium firmare annisus erat, moxque Carolus, qui potitus Neapoli jam suscepta de Turcico bello consilia dimisisse videbatur, magnis repente periculis aditis partum regnum eadem facilitate, qua subegerat, dimisit: quæ uti contigerint narrare aggredimur. Ineunte hoc anno eodem Rege in ædibus S. Marci commorante (a), ejusque metu Alexandro in mole Hadriana se continente una cum Cardinalibus (b) Neapolitano, S. Anastasiæ, Montis regalis, Ursino, Alexandrino, & Valentino, agitatum est ab aliis Cardinalibus anceps consilium de instituendo judiciorum ordine adversus Alexandrum, qui simoniaco scelere pontificatum invasisse diceretur, vitamque insignibus flagitiis maculasse. Adversariorum principes erant, Ascanius Sfortia, qui in divenditi suffragii præmium illius ædes, supellectilem lectissimam, auri vim ingentem, & vicecancellariatus, quod vocant, munus retulisse (c) accusabatur, Julianus Cardinalis S. Petri ad vincula & Gurcensis, qui Alexandrum in crimen facti cum Turca fœderis vocaverat (d), Alexandri vero res in iis angustiis fuere, ut bis tormenta bellica ad quassandam Hadrianam molem adducta scribat Comineus (e), totiesque reducta: jactabant adversarii, antemurale arcis pontificiæ divinitus labem sponte fecisse, ut de simoniaco Pontifice pœnæ a læsa Ecclesia sumerentur.

(a) *Burchard. ms. arch. Vat. sign. num. 104. l. 2.*
(b) *Comin. l. 7. c. 12.*
Motæ de Alexandri pontificatu lites.
(c) *Id. ib. Infiss. ms. arch. Vat. sign. n. 111. & alii.*
(d) *Burch. ms. arch. Vat. sign. n. 104. l. 2.*
De mole Adriana expugnanda agitata consilia.
(e) *Comin. sup. c. 8.*

II. Verum prudens salutareque a Carolo captum est id consilium, ut una cum aliis Christifidelibus morbidum potius Ecclesiæ caput toleraret, quam si cum Ecclesiæ discrimine amputare niteretur, inconsultisque factiosis Cardinalibus, qui graves inde iras concepere (f), fœdus pepigit pontificiæ majestati iniquum, ut observat Comineus (g), quippe Carolus quatuor arces, nimirum Terracinam, Civitatem veterem, Viterbium, Spoletumque extorquebat, a Gallis retinendas, donec ipse Neapoli abscessisset, cujus vis atque injuriæ Alexandro illatæ causa sociale fœdus ad infringendam Gallicam potentiam initum sit memorat idem author (h). Aliæ pactiones fuere, ut Cardinales, cum quibus inimicitiam conceperat, in gratiam admitteret, Zizimum sultanum ipsi traderet, tum diadema Neapolitanum, adjecta formula sine alterius damno, conferret, quas leges refert Burchardus hisce verbis (i): *Dominica* XI. *januarii conclusum fuit & deliberatum inter sanctissimum dominum nostrum & illustrissimum dominum Philippum de Bresach avunculum Regis Franciæ locumtenentem ejusdem Regis per S. D. N. assignare debet Gem sultanum fratrem magni Turcæ ad sex menses Regi Franciæ, qui eu nunc solvere deberet Papæ* 20000. *ducatos, & dare cautionem mercatorum Florentinorum & Venetorum de restituendo Gem sultano ipsi Papæ elapsis dictis sex mensibus sine mora, item coronare Regem Franciæ Regem Neapolis sine alterius præjudicio, & facere securos Cardinales S. Petri ad vincula, Gurcensem, & Columnam, & Sabellum.* Et infra: *Sed Cardinales S. Petri ad vincula & Gurcensis intellecta conclusione sine eis facta conquesti sunt Regi de pactis ipsis per eum non servatis, cum ipsis promisisset per coronam regiam sine eorum scitu & voluntate cum Pontifice non velle concordare, vel aliquid concludere, & hoc medio conclusionem hujusmodi impediverunt.*

Visum est tolerandum potius Alex. ne schisma fieret.
(f) *Comin. sup. cap. & Burchard. ubi sup.*
Initum cum eo fœdus.
(g) *Id. ib.*
(h) *Ibid.*
Quæ pactiones firmatæ.
(i) *Burchar. l. 2. p. 9.*

III. Composuere postea hi Cardinales suas lites cum Alexandro antea contractas, inque ejus gratiam restituti fuerunt. Pontifex autem in regiam Vaticanam rediit, solemnique ritu Francorum Regem excepit, atque ejus rogatu Guillelmum Brissonetum episcopum Macloviensem, e cujus consiliis Rex ipse pendebat (k), sacra purpura insignivit. Quo vero cultu Alexandrum Rex prosecutus sit, ita describit Burchardus (l): *Feria sexta* XVI. *mensis januarii circa horam* XX. *Papa portatus fuit per deambulatorium discopertum in roccheto & capucino cruce præcedente, quam portavit dominus Raphael diaconus cappellæ, cum nullus adesset subdiaconus apostolicus, de castro ad palatium prædictum. Rex adventum Papæ intelligens occurrit ei usque circa finem secundi horti secreti, de quo ad dictum deambulatorium ascendit: Cardinales secuti sunt Regem, qui tunc cum eo præsentes erant & ipsi Papam expectantes, Papa cum esset in plano horti prædicti præcesserunt Cardinales Regem usque ad Pontificem. Rex viso Pontifice ad spatium duarum camarum genuflexit bis successive competenti distantia, quod Papa finxit se non videre, sed cum Rex pro tertia genuflexione facienda appropinquaret, Papa deposuit biretum suum, & occurrit Regi ad tertiam genuflexionem, ac eum te-*

Cardinales cum Alex. suas lites componunt.
(k) *Burch. l. 2.*
(l) *Com. l. 4.*
Gallor. Rex vetere ritu Alex. coluit.

*nuit ne genuflecteret, & deosculatus est eum, ambo detectis capitibus erant. Sicque Rex nec pedem nec manum Papæ deosculatus est, Papa noluit reponere biretum suum, nisi prius Rex se tegeret, tandem simul capita cooperuerunt, Pontifice manum bireto Regis, ut cooperiretur, apponente.* Defecit ea in re Alexander a majorum exemplis, qui sibi hunc honorem velut Christi vices in terris gerentibus exhiberi passi sunt: sed gravior illum urgebat metus, ut Gallo Regi, quem ut hostem formidabat, abblandiretur. *Rex quam primum a Pontifice, ut præmittitur, receptus fuit, rogavit Papam vellet pronuntiare Cardinalem episcopum Maclovienſem consiliarium suum, quod Papa dixit se facturum, mandans mihi, quod ad effectum hujusmodi reperirem Cappam unam Cardinalarem & capellum.* Et infra: *Posita fuit sedes Papæ cameralis ante dextram suam, in qua sedit Rex retro sedem Papæ, & retro sedem Regis & ante in modum Coronæ posita scabella pro Cardinalibus, in quibus sederunt Cardinales. Papa noluit sedere, nisi prius sederet Rex, quem manu coegit prius sedere. Deinde sedit reverendissimus dominus Cardinalis Neapolitanus, & sedit ad dexteram Papæ juxta murum in scabello, prout sedere solet diaconus Cardinalis a dextris in capella Papæ existens, alii Cardinales post eum ordine consistoriali, seu potius ante eum: sicque Rex non sedit recta linea inter Cardinales, sed ante eos, seu in medio eorum. Omnibus sic sedentibus Papa dixit nuper se vota omnium Cardinalium habuisse pro creatione R. D. episcopi Maclovienſis in S. R. E. Cardinalem, quem majestas Regis ibidem præsens instanter fieri supplicaverat, & ipse facere paratus erat ipsis Cardinalibus complacentiam. Respondit reverendissimus dominus Cardinalis Neapolitanus, & post eum alii in eandem sententiam, quod non solum id ipsis placeret, sed fieri supplicarent pro Regis honore & voluntate, tunc vocatus per me prædictus dominus Maclovienſis depositis sibi mantello & capucino de ciambelloto nigro, & bireto nigro, induit ipsum cappa Cardinalis Valentinus, in qua coram Papa genuflexit, qui detecto capite ex ceremoniali pronuntiavit ipsum Cardinalem per verba: Authoritate Omnipotentis Dei, &c. & ecclesiam Maclovienſem ac omnia & singula monasteria, & beneficia ecclesiastica, quæ prius in titulum & commendam obtinebat, sibi commendavit. Maclovienſis osculatus est pedem manumque Papæ, & a Pontifice elevatus ad oris osculum est receptus. Tunc iterum genuflexit, & Papa imposuit capiti suo capellum rubeum verbis in ceremoniali positis. Quo facto Maclovienſis egit gratias Pontifici, qui dixit Regi agendas esse: coram quo Rege ipse Maclovienſis genuflexus memor novæ dignitatis adeptæ & episcopalis, egit ei gratias. Sic flexus surrexit, & a singulis Cardinalibus ad oris osculum receptus est.* Cœnomanensis etiam præsul Luxemburgensium principum stirpe ortus Cardinalium postea cœtui ascriptus, ac titulo SS. Marcellini & Petri insignitus (a) est, Carthaginensis (b) vero Cardinalis titulo S. Crucis est donatus, cum in Hispania alter illius tituli Cardinalis Toletanus nuncupatus obiisset (c). Paucis autem ante diebus Francorum Rex Alexandro, ut Christi vicario obedientiam detulit solemni ritu, quem accurate describit Burchardus, additque Regem Francorum ab Alexandro Ecclesiæ filium primogenitum sæpius appellatum.

Rogatus Alex. ut Maclovienſ. episc. Cardinalem creet.

Quo ritu ille cardinalitia dignitate ornatus sit.

(a) Burch. eod. l. 2. Comm. l. 7. c. 12.
(b) Burch. ib. p. 14.
(c) Id. ib. p. 20.

IV. *Feria*, inquit, *secunda XIX. januarii Rege veniente Papa dimissa mithra plana assumpsit pretiosam. Rex fecit debitas reverentias in terra primum in introitu consistorii, secundam in plano ante solium Papæ, tertiam in solio ante Papam, ubi genuflexus pedem, deinde manum Papæ osculatus fuit, quem Papa celerans ad oris osculum recepit ante ejus ascensum ad solium. Ascenderunt successive Alexandrinus & Carthaginensis Cardinales, & Papæ solitam reverentiam fecerunt ibidem permanentes, Rege ad sinistram Pontificis stante. Commemoravi sibi quod verba obedientiæ proferret, respondit statim se id facturum. Interim D. Joannes Rovam primus præsidens parlamenti Parisiensis coram Pontifice venit, & genuflexus exposuit, Regem ad præstandam obedientiam sanctitati suæ personaliter advenisse, velle tamen prius tres gratias a sanctitate sua petere: consuetum enim id esse vassallis ante obedientiæ præstationem sive homagii: petebat propterea primo omnia privilegia Christianissimo Regi, ejusque conjugi, & primogenito concessa, & omnia in quodam libro, cujus titulum specificabat, contenta firmari: secundo ipsum Regem de regno Neapolitano investiri: tertio articulum de dando fidejussores super restitutione fratris magni Turcæ inter alios heri stipulatum cassari & aboleri. Pontifex respondit ad primum se confirmare hujusmodi primo petita quatenus essent in usu. Ad secundum quod ageretur de præjudicio tertii, propterea oportere cum consilio Cardinalium super hoc maturius deliberare, cum quibus conari vellet pro posse suo Regi complacere. Ad tertium velle etiam cum ipso Rege concordare consentiente sacro Cardinalium collegio, non dubitans eos omnino futuros concordes. Qua responsione sic, ut præmittitur*

Præsidis Parisien. oratio ad Alex.

Petita confirmatio privileg. Regis Franc. Postulatum jus fiduciarium regni Neap. Responsum Alexandri.

*tur, per Pontificem data, Rex stans ad sinistram Papæ protulit verba hujusmodi sententiæ : Sanctissime pater accessi ad præstandam obedientiam deferendumque honorem tuæ beatitudini, quo more prædecessores mei Franciæ Reges præstare consueverunt : quibus dictis prædictus præsidens adhuc genuflexus surrexit, & stans coram Pontifice verba Regis hujusmodi latius extendit in hanc sententiam. Beatissime pater. Consueverunt principes, & præsertim Francorum Reges Christianissimi per suos oratores sedem Apostolicam & in ea pro tempore sedentes venerari : Christianissimus vero Rex Apostolorum limina visitaturus id non per oratores & legatos suos facere, sed in persona propria, devotionem suam ostendere volens, statuit observare. Te igitur, pater beatissime, Christi verum vicarium Apostoli Petri successorem fatetur & recognoscit, illique filialem & debitam reverentiam, quam prædecessores sui Francorum Reges summis Pontificibus facere consueverunt, vobis præstat, & omnia sua sanctitati vestræ & huic sanctæ sedi offert. Papa sedeas, & sinistra sua manum Regis dextram tenens respondit brevissime, & convenienter propositis, Regem ipsum in sua responsione hujusmodi primogenitum filium suum appellans.*

Præstitum a Rege obsequium Alexandro.

Habita ab ejusdem interprete oratio.

V. Subdit auctor (*a*) die proximo SS. Fabiano & Sebastiano martyribus sacro peractam magna pompa ab Alexandro rem divinam, id pie expetente Rege, qui Pontificis sacrificantis manibus aquam affuderit. Quis non suspiciat potentissimum Regem Pontifici infenso tot officia adeo demisse præstitisse sola religione compulsum ut quodammodo umbram Petri prodigia edidisse fateatur? Vigesima octava januarii die Zizimus sultanus Francorum Regi traditus est, cum illius opera ad Turcas civili implicandos bello, Europaque eiiciendos usurum præ se ferret, dieque insequenti ex urbe discessit, equitante e sinistro latere Cardinale Valentino, quem honesta legationis quadrimestris in Neapolitano regno gerendæ specie obsidem acceperat. Gallici vero exercitus prima acies jam liliata signa Neapolitano regno intulerat, primoque impetu fusis fugatisque iis, qui ad tuendos S. Germani aditus accincti erant, prona omnia ad deditionem repererat, adeo ut Alfonsus non de pugna, sed de fuga cogitarit (*b*), præceps autem adeo extitit ejus fuga, ut quo die Francorum Rex Roma excessit, percrebuisse referat Burchardus, Alfonsum Neapolitanum Regem mari fugam cœpisse : XXIX. *januarii*, inquit, & infra, *nunciatum fuit Pontifici recessisse e Neapoli*, nempe Alfonsum, *cum magno thesauro in quatuor galeis iturus ad Siciliam & Hispaniam pro gentibus contra Regem Franciæ conducendis*. Ita existimatione hominum ferebatur, nonnullique etiam suspicati sunt (*c*), Turcas auxiliates evocaturum in Francos, cum suis diffideret, quibus se invisum esse dolebat : verum tanto flagitio abstinuit, regalemque fastum conculcare, seque religiosæ vitæ addicere maluit, ut divinam molliret iram, quam in se asperatam sentiebat, atque in filium Ferdinandum, mox atque Roma reversus est, regnum transtulit, ut invidiam, qua premebatur, a se removeret, cujus rei famam summa celeritate, exeunte januario Romam ipsum pervasisse refert Burchardus.

(*a*) Id. ib. p. 17.

Zizimus Gallo Regi traditus. Gallorum in regno Neap. irruptio. Alphonsi exercitus profligatus.

(*b*) Burch. ubi sup. Sebast. Grant. ms. arch. Vat. sig. n. 111. Comin. l. 7. c. 13. Ferron. l. 1. Sur. to. 5. l. 1. & alii.

Turpissima ejusdem fuga.

(*c*) Comin.

Religiosæ vitæ se addicit ad expianda scelera.

VI. *Nunciatum est Pontifici Ferdinandum ducem Calabriæ Neapolitanum Regem esse assumptum ex cessione Alphonsi patris, ipsumque Ferdinandum matrimonium cum illustrissima domina Isabella de Aragonia filia Regis Ferdinandi avi sui defuncti mandato Alfonsi Regis patris sui per verba de præsenti contraxisse, equitasse per Neapolim tanquam Regem, vassallos juramentum fidelitatis sibi præstitisse, barones & nobiles incarceratos per avum & patrem suum relaxasse & liberasse, quosdamque, qui cum Gallis se intelligebant, decapitasse. Item renunciatum fuit Pontifici inhabitatores civitatis Terracinæ exportatis omnibus bonis dimissa civitate inde recessisse, ac Regem Neapolitanum ipsam occupasse*. Paucis interjectis addit Burchardus Cardinalem Valentinum Franco Regi obsidem datum aufugisse.

Ferdinando filio relictum ab Alfonso regnum.

VII. Recepto filio Alexander multa moliri cœpit (*d*) in Francorum Regem, qui progressus in Neapolitanum regnum pronos in obsequium populos, ipsique tamquam liberatori gratulantes Aquilanos obvios excepit. Capuani vigesima prima februarii die nonnullis confectis pactionibus se dediderunt (*e*). Venienti Aversam Neapolitani se suaque detulere, ac demum in regiam urbem maximis amotis officiorumque significationibus admiserunt, præcipuas tamen arces præsidiariis copiis instructas tenuit Ferdinandus, ut narrat Burchardus (*f*) : *Die*, inquit, *vigesimaquarta hujus mensis*, nempe februarii, MCCCCXCV. *die dominica Rex Franciæ circa horam vigesimam intravit civitatem Neapolitanam, & hospitatus est in castro Capuano : omnia dictæ civitatis habuit in obedientia, exceptis castro S. Ermi, in quo erant, gentes Regis Neapolitani, & castro novo, in quo erat comes Piscariæ cum gentibus suis, & castro dell' ovo, in quo*

(*d*) Comin. l. 7. c. 13.

Neapolitani regni populi se Carolo dedunt.

(*e*) Burch. l. 2.

(*f*) Burchar. ms. arch. Vat. sig. n. 104. l. 2.

*erat*

*erat Rex Ferdinandus in turre S. Vincentii*. [1]

VIII. Conversum est repente omne Aprutium, ac universa Apulia, dempta Brundusina arce, & omnis Calabria, exceptis paucissimis arcibus, in Francorum Regis fidem ac potestatem sponte venerunt, adeo ut obvii trium itinerum intervallo, antequam Gallicus exercitus prodiret, munitionum præfecti, urbiumque magistratus deditionis verba nuncuparint. De qua præcipiti Caroli Regis victoria hæc Petrus Delphinus ad Petrum Barrocium Patavinum episcopum scripsit: *Electi sunt quatuor de primariis civibus*, nempe Florentinis, *qui congratulatum eant Regi ob tam insperatam, & præcipue incruentam victoriam. Arces tamen Neapolis, quæ munitissimæ esse dicuntur, nondum in suam ditionem redegit Gallus, neque facile expugnandæ creduntur, &c. Vale ex Fonte bono die* XIV. *martii MCCCCXCV.*

IX. Victa est humana expectatio, ac præter opinionem munitissimæ arces Gallo Regi apertæ fuere singulari divinæ providentiæ arcano judicio, ut memorat idem Petrus Delphinus in literis ad Marianum Camaldulensem missis (*a*). *Gallorum Rex multa & magna brevi confecit. A Domino factum est illud & est mirabile in oculis nostris. De ipso enim per quemdam virum Dei Amasiæ Regi Juda dictum fuisse legimus: Si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus: Dei est enim & adjuvare & in fugam convertere. Rarissimum sane exemplum, ut quis regnum adipiscatur alterius sine ulla fere sanguinis effusione. Vale ex Fonte bono die* XXI. *martii MCCCCXCV.*

(*a*) *Petr. Delph. l.* 4. *ep.* 28.

X. Septima (*b*) martii die Neapolitana arx Gallo Regi pactione militari tradita, ac decimaquinta (*c*) castrum Ovi munitissimum ei deditum, aufugiente in Ænariam insulam Ferdinando Rege, ac paulo post tradita arx Cajetana a præsidiariis auro victis. Quibus victoriis cumulatus Francorum Rex cum ad reliquas arces Brundusinam nimirum, Mantiam, Turpiam, Rhegium excurrere, necnon Ænaria Ferdiuandum pellere debuisset, ut iis in suam potestatem redactis votum de restituenda orienti religione nuncupatum persolveret, in quo quidem gloriæ & laborum socios alios Reges habiturus erat, juvenili lenitate ad agendas fabulas se convertit, ut narrat Burchardus (*d*): XV. inquit, *martii dominica* II. *quadragesimæ castrum Ovi Neapolitanum Regi Franciæ se submisit, & factæ sunt coram ipso Rege per suos tragœdiæ sive comœdiæ de Papa, Romanorum & Hispaniarum Regibus, ac Venetiarum & Mediolani ducibus liga & confœderatione simul collusorie & more Gallico derisorie*. Nec minus ab eo Gallisque Christianæ rei illusum est, cum garrirent ex Neapolitano regno in Græciam contra Turcas crucis signa illaturos, fictaque prodigia de sepulchro dominico Gallicis armis recuperando spargerent, quæ narrat Burchardus: *Romæ*, inquit, *fama statim*, nimirum post deditam Capuam, *fuit, Regem ipsum in camera quietis suæ in nocte in dicta civitate horribilem vocem bina vice audivisse, capsam unam de illis, quas in camera sua habebat, ex se ipsa apertam fuisse, & vexillum quoddam in ea existens se erexisse Regi propterea incurrisse ad regnum suum non reversurum nisi rehabita terra sancta & sepulchro Domini*. Jactabantur hæc ad deludendos fideles, qui amplificatam Christi religionem cupiebant, ne Gallicis armis sine impietatis nota se opponerent, qua arte nonnullos Gallos Reges maximo conscientiæ rerumque suarum damno usos, increpitusque a Romanis Pontificibus, ac Deum in eos exemplum edidisse vidimus supra.

(*b*) *Burch. sup. l.* 2.
(*c*) *Id. ib.*

Ferdinandi fuga in insulam Ænariam. Omittis Carolus reliquas regni arces expugnare. Negligit expeditionem Turcicam.

(*d*) *Burchar. in Diar. l.* 12.

Tempus teris in studiendis comœdiis.

Sparsæ s Gallis stultæ fabellæ de bello Turcis inferendo.

Hanc vero artem accusat in Carolo Co- XI.

NOTÆ [1] BUrchardi codicem mendosum nactum fuisse Annalistam oportet; neque enim rectæ chronologiæ congruit dies XXIV. februarii anni hujus cum die dominica compositis; cum anno eodem litera D. Dominicalis esset, quæ proinde diem XXIV. februarii cum feria III. componebat. Quare reformanda est lectio juxta Burchardum editionis Eccardi in cop. Historic. tom. II. col. 2066. *Eodem die* (XXIV. februarii ut ex contexto liquet) rex Franciæ intravit *civitatem Neapolitanam & hospitatus est in castro Capuano*. Sed re diligentius discussa codicem utrumque vitii aliquid continere credo; singulisque pensatis arbitror, Vaticani codicis lectionem Eccardiana sinceriorem esse quanquam in notis numeralibus mendi aliquid præfert. Venisse enim Neapolim die XXII. februarii, Carolum Regem scribit, qui tunc Venetiis chronicon suum de bello illo Caroli scribebat, Sanutus; dies vero illa, ut optime codex Vaticanus adnotat, in dominicam incidit. Ita ergo legendum: *Die XXII. hujus mensis die dominica*.

Falli vero Burchardum suspicor scribentem arcem Ovi a rege Ferdinando cum suis occupatam, quo tempore Carolus urbem Neapolis victor intravit. Rex enim Ferdinandus urbe Capua egressus, cum cives Gallis sese dedissent, Neapolim præpropere accurrit; sed portas urbis clausas offendit; admonitusque simul est urbem nomine regis Galliæ teneri. Quare abire coactus trireme conscensa Ischiam concessit. Hæc Sanutus.

Eodem Sanuto teste fœdus de quo Annalista hic num. 14. die XXXI. martii sancitum fuit. MANSI

(a) Comin. l.8. c.12. Politico dolo ostentata spes restituendæ Græciæ religionis.

Comineus (a), politicumque hoc commentum ut pessimum damnat, cum arcana cordis quamvis altissimis tenebris abdita, divino oculo omnes animorum sinus penetranti pateant, neque humano fuco æterna sapientia deludi queat. Uti vero Galli ad religiosam in Turcas militiam se comparaverint perstringit, dum ipsos ludis & comessationibus veluti votorum omnium compotes se dedidisse conqueritur (b). Jactatæ porro ab iis de Turcica tyrannide delenda voces rapidisque victoriis peragrata Italia tantum terrorem Turcis intulerunt, ut nonnulli eorum profani sacerdotes actum de Turcico imperio vaticinarentur, ut hisce verbis refert Burchardus (c): *Die* XXIV. *hujus*, nempe februarii, *ex Constantinopoli ex juridicis mercatoribus scriptum fuit, Turcas ibidem dictum Regem Franciæ multum timere, & duodecim Turcarum sacerdotes fidem Christi prædicare*. Haberi aliqua apud Saracenos vaticinia de Mahometica superstitione aliquando a Christianis excindenda ex Gregorii XI. literis vidimus (d), quibus ait improbissimos homines tanquam asinam Balaam prophetare posse, quamvis eos circa tempus aberrasse compertum sit. Præclare autem a Carolo Francorum Rege in Turcas rem geri, Græciam omnem ad Christianum cultum reduci potuisse, refert Comineus (e).

(b) Id. l. 7. c.14.

(c) Burch. ms. arch. Vat. sig. n.104. l. 2. Formidatus a Turcis Gall. Rex.

(d) A. C. 1375. n. 10. Potuit Christi Imperium proferre.

(e) Comin. l.7. c.14.

XII.

Perstringunt præterea nonnulli Venetos Turcico corruptos auro operam dedisse, ut veneno Zizimus necaretur: alii autem Alexandrum Pontificem carpunt (f), qui Zizimum lento tabo infectum Gallo Regi tradiderit. Verum ipsum ex intemperantia lethalem morbum contraxisse refert Burchardus (g) sic inquiens: *Feria quarta* XXV. *mensis februarii prædictus Gem alias Zizimus, frater magni Turcæ, qui nuper Regis Francorum per sanctissimum dominum nostrum ex pacto & conventione inter eos stipulatis fuerat consignatus, in civitate Neapolitana, & castro Capuano ex esu sive potu naturæ suæ non convenienti vita est functus, cujus cadaver deinde ad instantiam & preces magni Turcæ eidem magno Turcæ cum tota defuncti familia missum est, qui propterea dicitur magnam pecuniarum summam persolvisse seu donasse, & familiam ipsam in gratiam recepisse*. Quamquam extincto Zizimo Bajazethes ingenti metu levatus, haud tamen omnino liberatus erat, cum victoriæ Caroli per Apuliam Calabriamque crebrescerent, illumque hortatore Alexandro Venetos intentatis miniscompulisse, ut Neapolitanum regnum Alfonso ac Ferdinando filio contra vim Gallicam assererent, tradit Comineus (h), eaque de causa Venetias transmissum Turcicum oratorem.

(f) Ferron. l.1. in Car.VIII.

(g) Burchar. ms. arch. Vat. sig. n.104. l.2. Zizimi mors.

Veneti a Turca in Gallos excitari.

(h) Comin. l.7. c.15.

XIII.

(i) Id. ib.

Confluxerant (i) etiam tunc Venetias, præter internuntium pontificium, Romanorum atque Hispaniarum Regum, tum Mediolanensis ducis oratores pro sociali fœdere in Gallum agitando, quippe hos principes variæ angebant curæ: Pontifex ditionis pontificiæ arces injuria extortas a Carolo querebatur: Maximilianus Cæsarea jura in Etruria occupata affectatumque imperium: Hispaniarum Rex Siciliæ ac Sardiniæ insulis male metuebat: Mediolanensis principatum Mediolanensem a duce Aurelianensi, qui Astam tenebat, jure hæreditario appeti pavebat. Cum vero Carolus promulgasset in Neapolitanum regnum ea potissimum de causa incurrere, ut e propinquo in Turcam copias mitteret, Veneti antequam in Gallum armorum fœdus inirent, illum de Turcica expeditione non verborum inanium jactantia, nil aliud quam Christianorum orientalium strages paritura, sed re ipsa gerenda pertentarunt, ac Philippo (k) Comineo Gallico oratori proposuerunt in fœdus Maximilianum Cæsarem ac Ferdinandum Hispaniarum Reges adductum iri, tum Italiam bellicos sumptus suppeditaturam, divisa ex æquo in omnes oneris portione: Neapolitanam vero litem ita diremptum iri, ut assentiente Pontifice Alfonsus Ferdinandusve annuum vectigal Gallo Regi penderet, illique fidem addiceret: præterea Gallus tres arces insignes in eo regno retenturum, ex quibus bellum conficeret in Turcas, aliquæ vero Apuliæ urbes traderentur Venetis, qui Gallo Regi ingentem vim auri ad faciendos in sacram militiam sumptus persolverem, tum centum triremes instructuros. Ingentia erant hæc promissa, quibus subvectus Francorum Rex Constantinopolitanum imperium, cujus hæreditario jure ex despotæ Moreæ cessione parto potiri se jactabat perdomare, Christoque subiicere potuisset: neque enim Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, aliique Reges in tam præclaro opere defuturi videbantur, doletque Comineus (l) pacta adeo honorifica utiliaque a Carolo admissa tunc non fuisse.

Quibus de causis omnes principes in Gall. conspirarint.

(k) Id. ib. Quæ proposita a Venetis subsidia pro recuperanda Græcia.

(l) Id. ib.

XIV.

Repudiata male a Carolo Venetorum pacta. Detrahitur Carolo jactatæ religionis larva.

Cum itaque pateret a Gallo Turcicum bellum negligi, atque a Comineo quærerentur diffugia, obiecere illi Veneti, Carolum Regem Christianæ reipublicæ fucum fecisse, bellique Turcici specie Florentinorum ac Pontificis invasisse urbes, nec non Mediolanensem principatum a duce Aurelianensi affectari, nec pati velle, ut Italia inani de religione

am-

amplificanda figmento delusa Gallicæ servituti subiiceretur; atque ideo fœdus in eum sancitum est (a) Venetiis promulgatumque dominica palmarum: de quo hæc habet Burchardus (b): IV. *aprilis nunsiatum est in urbe ligam inter sanctissimum dominum nostrum Papam, serenissimos Maximilianum Romanorum & Hispaniarum Reges, & Venetiarum & Mediolani duces pro communi Christianorum beneficio & cura, ac totius Italiæ quiete Venetiis conclusam esse & approbatam:* Addit Romæ duodecimo aprilis die in ecclesia S. Petri eam armorum societatem divulgatam, honestatem vero triplici splendido velamine de Christiano imperio adversus Turcicas irruptiones defendendo, vindicanda oppressa Italia, nec non mutua ope tuendis principatuum juribus sibi a Veneto duce significatum tradit Comineus (c).

(a) Eod. c.15. Sabell. Guicciar. l.2.
(b) Burch. ms. arch. Vat. sign. n.104. Guic. l.2.
Fœdus armorum in eum sancitum.
(c) Com. l. 7. c. 13. Alex. l. 7. bul. ferr. pag. 350.

XV. Missus porro est ab Alexandro in Germaniam episcopus Concordiensis, ut Maximilianum in Carolum Francorum Regem conciliaret, jussus conqueri expugnatum injuria a Gallis Neapolitanum regnum, commonitum ut staret juri, sententiamque pontificiam acciperet: proposita fuisse pericula impendentia a Turcis, si Italiam bello civili implicaret: legatum jam ad ipsum Franciscum Cardinalem S. Eustachii, repulsumque ac duas illum arces ditionis pontificiæ extorsisse: Zizimum in ejus custodia periisse: magno rei Christianæ damno revocatos ab Africano bello Hispaniæ Reges: recuperatam vero a Ferdinando Rege Neapolitani regni partem, ac si Germani accedant fœderi in Gallos sancito, restitutis in pristinum statum rebus, Florentissimam expeditionem in Turcas instructum iri.

*Venerabili fratri Leonello episcopo Concordiensi referendario nostro domestico ad charissimum in Christo filium nostrum Maximilianum Romanorum Regem illustrem, ac universa & singula provincias, terras & loca Germaniæ sacro Romano imperio subjecta nostro & Apostolicæ sedis cum plena potestate legati de latere nuntio & oratori salutem & apostolicam benedictionem.*

*Licet potestatis plenitudo desuper nobis concessa sit, & universi gregis dominici divina disponente clementia curam habeamus, finem tamen humanæ possibilitatis excedere non valentes, considerantesque quod circa singula per nosmetipsos apostolicæ servitutis debitum absolvere non possumus, nonnumquam viros electos scientia & dignitate præditos ac virtute conspicuos in solicitudinis partem assumimus, ut ipsi vices nostras supplentibus ministerium nobis commissum favente pietate superna facilius & salubrius exequamur. Sane considerantes quot & quanta claræ memoriæ Romanorum Imperatores semper Augusti, præcipui hujus sanctissimæ sedis advocati & defensores, cæterique inclytæ nationis Germanicæ principes, & ipsa denique tota Germanica natio pro eorum summa bonitate & singulari erga sedem ipsam & Romanam ecclesiam devotione adversus libertatis ecclesiasticæ, & terrarum patrimonii B. Petri oppressores semper, dum opus fuit, etiam sponte sua nullis laboribus, nullis periculis nullisve expensis parcendo effecerint; ac indubie sperantes charissimum in Christo filium nostrum Maximilianum eorumdem Romanorum Regem illustrem, aliosque ipsius Germanicæ nationis principes, ipsamque Germanicam nationem more progenitorum suorum longe majora hac tempestate, urgente præsertim tanta & tam evidenti, nedum Romanæ ecclesiæ adeo oppressæ, sed totius Reipublicæ Christianæ necessitate cum omni fervore libentissime & promptissimis animis esse facturos, ac opportuna & necessaria adversus ejusdem Romanæ ecclesiæ ac terrarum illius oppressores & occupatores, ac pacis & quietis Italiæ turbatores præsidia allaturos decrevimus pro debito nostro hujusmodi nostras & Romanæ ecclesiæ, & Italiæ, immo totius reipublicæ Christianæ necessitates præfato Maximiliano Regi præcipuo ejusdem Romanæ ecclesiæ advocato atque defensori, cæterisque principibus dictæ nationis Germaniæ peculiaribus & devotissimis hujus sanctissimæ sedis filiis significare, ut rebus in discrimine positis providere & opportune consulere possint, nosque una cum eis & aliis catholicis Regibus & principibus pacatis omnibus generali & pernecessariæ contra præfatos Turcos Christi nominis hostes Christianum sanguinem sitientes, prout nostri semper fuit, post nostram ad summi apostolatus divina favente clementia assumptionem, desiderii, pro fidei catholicæ exaltatione, & reipublicæ Christianæ gloria, ipsorumque hostium depressione intendere valeamus.*

Missus in Germaniam ad Cæsarem legatus.

XVI. *Cum superiori anno charissimus in Christo filius noster Carolus Francorum Rex Christianissimus cum maximo exercitu terra marique Italiam, ut regnum nostrum Siciliæ citra pharum, quod est speciale patrimonium B. Petri sibi vendicaret, ingrederetur, nosque, prout ex pastoralis officii debito tenebamur, aperte cognoscentes quot & quanta mala, pericula, cædes hominum, depopulationes incendia, & alia quam plurima damna, quæ bellorum furor parit & producit: ne dum ipsi Siciliæ regno, & aliis Romanæ ecclesiæ terris, universæque Italiæ, sed toti reipublicæ Christianæ ex*

Queritur Alexander de expugnato a Carolo Neapol. regno.

cau-

causis de se manifestissime notis essent proventura prout postmodum experientia rerum magistra edocuit, præfatum Carolum Regem diversis literis & nuntiis congruo quidem tempore paterna charitate hortati & exhortati fuissemus & monuissemus, ut ab hujusmodi gravissimo & Christianæ religioni perniciosissimo bello abstineret, viam sibi justitiæ, si quam super dicto Siciliæ regno sibi competere putaret, offerentes, commemorantesque grandia ex ipsis perfidis Turchis nobis & universæ reipublicæ Christianæ imminentia pericula, quæ Christianorum viribus ex bellis inter eos vigentibus debilitatis proculdubio subsequerentur, & deinde eum omnino propositum suum prosequi decrevisset, paterna monita nostra non audiens, credentes eum de novo optimis rationibus ad pacem & concordiam amplectendam inducere posse, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio dilectum filium nostrum Franciscum S. Eustachii diaconum Cardinalem legatum de latere nostro ad præfatum Carolum Regem ad persuadendum sibi pacem & concordiam commemorandumque nefandissima mala & pericula ex hujusmodi bello, ut prædiximus proventura, suisque etiam juribus, si qua in dicto Siciliæ regno sibi competere putaret, audiendis & intelligendis duxissemus destinandum, ipseque Cardinalis libenter onus hujusmodi pro tam communi bono suscepisset, seque ad ipsum Regem, non sine magnis laboribus & incommodis contulisset, tandem Rex ipse forsan aliquorum potius dissensiones, quam pacis amœnitatem desiderantium consilio & persuasionibus ductus, præfatum Cardinalem tunc legatum super hoc omni cum humanitate sæpe & sæpius instantem nedum audire, sed ne quidem videre, & ut ad majestatem suam accederet, permittere voluit, non sine maxima hujus sanctissimæ sedis, cujus authoritatem & dignitatem Rex ipse, prout sperabamus, suorum more progenitorum observare debuisset, ignominia, ultraque progrediens almam urbem sacro Apostolorum sanguine dedicatam summa annonæ penuria laborantem cum toto suo exercitu, non sine gravissimo nostro, & totius Romanæ ecclesiæ, ac curiæ nostræ dispendio & periculo, ingressus, & per aliquot dies in dicta urbe permanens, antequam dictam urbem exiret, Ziximum sultanum Turcorum tyranni fratrem, qui apud nos & hanc sanctam sedem, prout conveniebat, in tutissimum Christianorum præsidium servabatur, ac duas ex potioribus nostris & ejusdem ecclesiæ arcibus extorquens, & demum ad ipsum Siciliæ regnum se transferens, illud vi occupavit, expulso inde legitimo possessore, regnumque ipsum ab ipsa Romana ecclesia, cui authore Domino præsidemus, recognoscente, periitque tunc in manibus suis prædictus sultanus, ex cujus obitu perdidit Christiana religio opportunum contra Turcorum in Christianos effrænatam rabiem remedium, compluraque alia mala & detrimenta passa est, quæ duximus prætermittenda. Et cum præfatus Carolus Rex regnum ipsum Siciliæ exiens, dimissa tamen in eo non parva sui exercitus parte versus Galliam se conferret, charissimus in Christo filius noster Ferdinandus ejusdem regni Rex illustris a majori regnicolarum parte vocatus magnam ipsius Siciliæ regni partem statim recuperavit, occupantibus tamen adhuc Gallis quamplures ipsius regni arces, civitates, terras, atque loca non sine maximo regni & regnicolarum damno & detrimento, & cum præmissorum occasione, ne dum regnum ipsum & aliæ Romanæ ecclesiæ terræ, sed universa Italia, & etiam civitates atque loca eidem Romano imperio subjecta sint plurimum consumpta, devastata, & afflicta, ac maxima damna & detrimenta ab ipsis Gallis, etiam aliquas alias arces in ipsa Italia extra dictum regnum occupantibus & detinentibus, illata, passa fuerint, & in dies patiantur, & nisi de celeri remedio occurratur sit formidandum, ne majora damna, nedum ipsi Italiæ, sed toti reipublicæ Christianæ subsequantur, ipsique perfidi Turci debilitatis Christianorum viribus, & tot dissensionibus occasione hujus belli etiam extra ipsam Italiam vigentibus, & parati illi Italiam invadere, & illam vel aliquam ejus partem, quod Deus avertat, suæ dirissimæ tyrannidi subiicere moliantur, nos volentes, prout tenemur, tot & tantis malis occurrere, ac desiderantes compositis rebus ipsis, ad dictam pernecessariam & generalem expeditionem devenire, quodque Christiani principes non in seipsos, sed adversus infideles eorum arma convertant, prout jam charissimi in Christo filii nostri Ferdinandus Rex & Elizabeth Regina Castellæ & Legionis illustres adversus infideles Africæ se facturos proposuerant, qui jam cœpissent, nisi hujusmodi nostræ & Romanæ ecclesiæ turbationes eos retraxissent, quod quibuscumque catholicis molestissimum profecto esse debet, sperantesque quod præfatus Maximilianus Rex, ad quem id maxime spectat, se huic sancto & optimo desiderio nostro promptissimum exhibebit, & cum ad hujusmodi necessitates explicandas, ipsumque Maximilianum Regem hortandum & requirendum oratorem & nuntium nostrum transmittere decreverimus, ad fraternitatem tuam, quam magnitudine consilii, doctrinæ claritate, exemplaribus vita & moribus, eximia quoque integritate, probitate, fidelitate, ac

Ut commonitus fit ut staret juri. Exposita pericula a Turcis impendentia.

Ut missus fit ad ipsum Francisc. Card. S. Eustach. legatus.

Ab eodem repudiatus fit.

Ziximum obsidem & duas arces extorserit.

Perierit in ejus manibus Ziximus.

Redeunte in Gallias Carolo recuperata fit pars regni a Ferdinando.

Adducta fit in periculum Italia ne in illam Turcæ irrumperent.

Ab Africano bello revocati fint Hispaniæ Reges.

*præcipua prudentia comprobatum habemus, in cujus affectibus geritur, prout firmiter tenemus, sedare discordias, justitiæ terminos colere, ac errantes ad viam reducere veritatis, mentem nostram potissime convertentes, sumentesque in Domino fiduciam specialem, quod ea, quæ tibi duxerimus, committenda, gratia tibi assistente divina, circumspecte, juste, & fideliter tua pervigili & exactissima diligentia adimplere curabis, te ad præfatum Maximilianum Regem, ac universa & singula provincias, terras, atque loca ejusdem Germaniæ sacro Romano imperio subjecta, tanquam pacis angelum, ac virtutum ministrum, ad Dei laudem ac præfatæ ecclesiæ statum & honorem nostrum, & ejusdem sedis nuntium & oratorem cum plena potestate legati de latere in præsentiarum provide duximus destinandum, ut inter cætera præfatum Maximilianum Regem, cæterosque ejusdem Germaniæ principes nostros, & ejusdem sanctissimæ sedis devotissimos filios nostro & ejusdem ecclesiæ nominibus horteris ad suadendum, ac opportune providendum cum præfato Carolo Rege, ut regnum ipsum Siciliæ, Italiamque, & alia per eum & gentes suas loca occupata in pristinum statum restituat, reponat, & plenarie reintegret, pacemque & concordiam cum præfato Ferdinando Rege, aliisque catholicis Regibus & principibus, necnon ejusdem Italiæ potentatibus amplectatur, & amplexam foveat ac observet: & si forsan facere differret, seu recusaret, ac in suo proposito animo indurato vellet perseverare, ipse Maximilianus Rex cum cæteris ejusdem Germaniæ principibus defensionem regni Siciliæ & Romanæ ecclesiæ, ac Italiæ prædictorum, prout tenentur & debent, omnino cunctis posthabitis suscipiant, & alios catholicos Reges & principes ad id etiam omni studio & diligentia inducant, ut deinde rebus pacatis possimus insimul ad dictam generalem contra ipsos perfidos Turcos expeditionem devenire, in qua nedum nostras, & ejusdem Romanæ ecclesiæ facultates, sed personam propriam offerimus, & etiam ubi opus fuerit exponemus, etiam proprium sanguinem effundendo, dantes tibi harum serie plenam, liberam, & omnimodam facultatem, potestatem, & authoritatem omnia & singula faciendi, gerendi, mandandi, & exequendi, quæ in præmissis & circa ea necessaria quomodolibet & opportuna fore cognoveris, ac mandantes quibuscumque personis ecclesiasticis & sæcularibus, etiam si archiepiscopali, episcopali, vel quavis alia ecclesiastica seu mundana præfulgeant dignitate, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis per te statuendis, ut tibi in cunctis hujusmodi negotium concernentibus pareant efficaciter & intendant, omni exceptione & dilatione cessante &c. Dat. Romæ apud S. Petrum an. incarnationis dominicæ MCDXCV. VII. kal. novembris pontificatus nostri anno IV.*

Rogati Germani ut fœderi in Gallos accedant.

Pacatis rebus proposita sacra in Turcas expeditio.

XVII. Quod ad Hispaniæ Reges ab Africano bello revocatos attinet, adversabatur Ferdinandus Rex Hispaniæ Gallis, ne regno Neapolitano potirentur, quod contenderet, Alfonsum Regem in adulterinum filium transfundere non potuisse Neapolitani regni jura & Aragonio sceptro conjungenda, urgebatque Ferdinandum & Elisabetham Hispaniæ Reges Alexander, ne Gallos Neapolitanarum rerum potiri paterentur, intentavitque anathema Neapolitani regni clientibus, qui Gallis studerent: quod iisdem Hispaniæ Regibus exposuit (a), ut eos ad revocandum Ferdinandum Aragonium in regnum Neapolitanum excitaret: eo quippe restituto sacrum bellum in Turcas facilius posse redintegrari dicebat.

(a) L. 7. bull. secr. p. 254.

*Ad futuram rei memoriam.*

*In suprema militantis ecclesiæ specula Romanus Pontifex constitutus ex injuncto sibi desuper Apostolicæ servitutis officio ad ea intendere compellitur, per quæ adversus occupatores terrarum & bonorum Romanæ ecclesiæ, ac turbatores pacis & quietis reipublicæ Christianæ opportunis remediis provideatur. Dudum siquidem charissimum in Christo filium nostrum Carolum Francorum Regem illustrem paterna charitate sæpenumero requisivimus, & etiam monuimus, ut a belli per eum adversus regnum Siciliæ citra pharum, quod est speciale patrimonium B. Petri, inchoati prosequutione, ac etiam ab occupatione ipsius regni, & arcis nostræ Ostiensis aliarumque terrarum Romanæ ecclesiæ, necnon perturbatione pacis & quietis Italiæ desistere vellet, & deinde cum præfatus Rex requisitionibus & monitionibus nostris paternis minime parere curasset, & ad reprimendos ejusdem conatus, & ut ab aliena occupatione, atque ejusdem Romanæ ecclesiæ offensione desisteret, subsidio aliorum catholicorum Regum & principum opus esset; nos charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Regem, & charissimam in Christo filiam nostram Elizabeth Reginam Castellæ, Legionis, Aragonum, & Siciliæ ultra pharum illustres hortati fuimus, & in Domino requisivimus adversus præfatum Carolum Regem bellum, utpote pro jurium Romanæ ecclesiæ, & libertatis ecclesiasticæ defensione, ac totius reipublicæ Christianæ quiete justum movere & persequi deberent, donec ipse Rex Franciæ Siciliæ regnum citra pharum, & arcem nostram Ostien-*

Ferdinandus & Elisabeth adversus Gall. Regem sollicitati.

*stiensem, ac alias Romanæ ecclesiæ terras hujusmodi in pristinum statum reposuisset, restituisset, & plenarie reintegrasset; ut deinde rebus omnibus pacatis alicui generali & pernecessariæ expeditioni contra perfidos Turcos Christiani nominis hostes Christianum sanguinem continuo sitientes cum ipsorum Ferdinandi Regis & Elisabeth Reginæ, qui semper omni conatu pro orthodoxæ fidei catholicæ exaltatione, & infidelium depressione adversus ipsos infideles pugnare, & arma sua convertere consueverunt, ac confœderatorum nostrorum, ipsiusque Regis Franciæ, cæterorumque catholicorum Regum & principum auxilio, prout nostri semper fuit desiderii, providere possemus.*

Propositum restituto Neapol. regno expeditionem in Turcas motum iri.

XVIII. *Cum autem cupiamus Ferdinandum Regem & Elizabeth Reginam, qui ut catholicos Reges & principes, ac hujus sanctissimæ sedis devotissimos filios decet, bellum promptissimo animo susceperunt, interim a quibuscumque impedimentis & molestiis tutos & liberos esse nos volentes desuper opportune providere, omnibus & singulis personis tam ecclesiasticis quam sæcularibus, etiam quacumque archiepiscopali, episcopali, regali, reginali, seu quavis alia ecclesiastica vel mundana dignitate fulgentibus, ac communitatibus & universitatibus quibuscumque sub excommunicationis, ac suarum dignitatum etiam regalium & feudorum, quæ a nobis & Romana, ac quibusvis aliis ecclesiis in feudum vel emphiteosim, aut quemvis alium titulum recognoscunt, & inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda, ac interdicti in communitates & universitates hujusmodi latæ sententiæ pœnis, quas eo ipso si contrafecerint incurrisse noscentur, in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, ne contra præfatos Ferdinandum Regem & Elizabeth Reginam, durante hujusmodi belli prosecutione, præfato Regi Franciæ auxilium, consilium, vel favorem directe vel indirecte quovis modo quæsito colore præstare, ac etiam eosdem Ferdinandum Regem, & Elizabeth Reginam in regnis & dominiis suis molestare, & contra eos insurgere, ac bellum movere, & aliquas dissensiones & perturbationes suscitare audeant atque præsumant, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MCCCCXCIV. id. septembris pontificatus nostri anno* IV.

Fideles vetiti studere Gallo adversus Ferdinandum.

XIX. Ita expeditionis Turcicæ ostensa species est ad depellendos regno Neapolitano Gallos, qui eandem spem orbi Christiano injecerant, ipsos nimirum, confecto Neapolitano bello arma adversus Turcas versuros. Tradit vero Ferronius (*a*) a Venetorum aliorumque fœderatorum oratore Carolo Regi aperte denuntiatum, ut Turcicam conficeret expeditionem, cujus ostentatione Neapolitanum regnum sibi pepererat, vel illud Ferdinando restitueret; responsum (*b*) autem a Carolo ademptum majoribus suis per vim Neapolitanum regnum, solidosque Gallos sine eorum hortatu in Turcas arma capessere, suisque auspiciis gerere. Abjecta itaque de restituenda orienti religione cura, Christiani principes in mutuas cædes vires exercuere.

(*a*) *Ferron. l. 1. in Car. VIII.*

(*b*) *Ferron. l. 2. in Car. VIII.*

Quid responsum a Carolo. Redit in Gallias nondum pacato regno.

XX. Carolus compositis rebus Neapolitanis post inanes theatrales ludos, adversariorum numero territus, in Gallias redire decrevit, adducta secum parte exercitus, parte rebus omnibus male instructa in regno relicta, proximo tempore validissima auxilia pollicitus: vigesima autem maii die ipsum Neapoli movisse tradunt, cum prius in ea urbe sine pontificia authoritate Neapolitani regni insignia solemni ritu suscepisset, quippe Alexander promissis de conferendo illi jure beneficiario adjecta, sine alterius damno formula, veluti vi extortis stare abnuit, cumque in urbem iter tenderet Carolus, metuens Pontifex ne quæ extorquerentur pactiones, Urbem veterem primo, dein Perusium petiit, præfecto Romæ sedis Apostolicæ legato Cardinale S. Anastasiæ, qui venientem Regem pontificio nomine honorifice exciperet. Extat ea de re ad ipsum diploma (*c*) subjectis conceptum verbis.

Alexander ex urbe profectio.

(*c*) *L. 3. bull. secr. p. 269.*

*Antoniotto tit. S. Praxedis presbytero Cardinali S. Anastasiæ nuncupato, &c.*

XXI. *Cum ob certas causas animum nostrum moventes per aliquos dies ab ipsa urbe, in qua cum nostra curia residemus, in præsentiarum secedere decreverimus, brevi tamen ad illam duce Domino redituri, dimissisque in ea omnibus pro curialium & aliorum ad dictam curiam in dies confluentium commoditate officiis, nos volentes interim bono & felici urbis & curiæ prædictarum regimini providere*, & infra, *sperantesque quod ea, quæ tibi duxerimus committenda, gratia tibi assistente divina, circumspecte, prudenter, juste, & fideliter exequeris, te in urbe prædicta ejusque territorio & districtu de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium consilio, nostrum & Apostolicæ sedis legatum de latere, necnon in spiritualibus & temporalibus vicarium generalem authoritate apostolica tenore præsentium usque ad nostrum reditum dumtaxat creamus, constituimus, & etiam deputamus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MCCCCXCV.* VIII. *kal. januarii pontificatus nostri anno*

Antoniottus Card. creatus in Urbe legatus.

XXI. [1] Dum porro Neapoli agebat Carolus miraculum solitum contigisse in ea urbe referunt Gallici annales (a), cum enim die dominica tertia maii in ecclesia principe S. Januarii nomini sacra divinis mysteriis ingenti pompa celebratis interfuisset, ac præsentibus pluribus Cardinalibus, episcopis, & præsulibus Ecclesiæ caput S. Januarii theca pretiosissima inclusum illi ostensum fuisset, ac deinde vitrea ampulla plena illius martyris sanguine concreto, qui instar saxi induruerat, ut Rex ipse virga argentea exploravit, allata, ac dein illa in altari capiti martyris esset admota, illico colliquescere ac ebullire sacer cruor visus est, cujus miraculi magnitudo plures admiratione perculit, id vero sæpius contigisse præsules proceresque Neapolitani testati sunt.

(a) *Petr. Depery in additionib. ad Monstrelet.*

Sanguis D. Januarii admotus capiti colliquescit.

XXII. Regressus Romam Carolus biduo in ea moratus, nec ob Alexandri fugam, abruptumque ab illo fœdus, Italosque & Reges exteros in eum concitatos urbis imperium corripuit, ut plerique pertimuerant, nec litem Alexandro de pontificatu fraude simoniaca invaso movit, ut novarum rerum cupidi restituendæ ecclesiasticæ disciplinæ specie optabant. De qua animi moderatione a Carolo ostensa hæc scripsit Petrus Delphinus (b): *Rediit pacificus Rex Gallorum, neque jugum, ut putabatur, Romæ imposuit: utinam absoluta spiritualis servitutis jugo gloriari habeat in perpetuum vera libertate, ac reformata in melius vivendi ratione dicere verius possint Romani, quam olim Judæi responderint Domino. Semen Abrahæ sumus & nemini servivimus umquam. Reformandam gladio paulo post urbem Romam concionator quidam magni in populo hoc nominis contestatur*, is erat Hieronymus Savonarola; *ego autem quo mitius ejus interpreter vaticinium posse quidem fieri arbitror, ut reformanda sit gladio, sed gladio spiritus, quod est verbum Dei.*

(b) *Petr. Delph. l. 4. ep. 37.*

XXIII. Restitutæ Pontifici a Carolo arces.

Digressus urbe Carolus Viterbium perrexit, frustraque Alexandro de colloquio postulato, illi quamvis infenso adversario ecclesiasticas arces antea pactione sibi traditas restituit (c), excepta Ostia, quam Juliano Cardinali S. Petri ad vincula tamquam Ostiensi episcopo reddidit: deinde in Etruriam profectus noxias in ea traxit moras, cum itinere concitatiore antevertere hostiles insidias potuisset: Veneti vero cum metuerent, ne subacta Etruria Carolus reliquæ Italiæ jugum imponeret, Florentinis auxiliares copias submisere, quas cupide exceptas, urbemque egregie communitam Petrus Delphinus Augustino Barbadico Venetiarum duci rescripsit (d).

(c) *Comin. l. 7. c. 12. & l. 8. c. 2.*

(d) *Petr. Delph. l. 4. ep. 32.*

XXIV. *Urbem Florentiam omni præsidiorum genere munitissimam audio, accersitis undique multis hominum millibus, & ducibus etiam stipendiariis hujus illustrissimi dominii: qui omnes per urbem vicatim distributi sunt. Plena est armorum civitas. Vici omnes signis crassioribus, quæ heri parata vidimus, per transversum muniendi uno tantum ad Regis transitum expedito relicto. Orationes & eleemosynæ sine intermissione continuantur, ut sperari merito queat hac conversione atque humilitate, quod potissimum telorum genus duco, liberandum facile hunc populum.* Secutæ deinde sunt Senis variæ seditiones, quas idem author ita describit (e). *Exorta est Senis paulo ante seditio, clausis per triduum urbis portis, insurrexisse ajunt patritios in plebem, obtruncatosque utrinque tumultuario certamine ad quadraginta viros. Inclinasse dicunt Gallos, qui Senis sunt, &c. Die* VII. *augusti MCDXCV.*

(e) *Ib. ep. 47.*

XXV. Invasit tum Florentinos major terror, cum mox accepissent Senenses Gallicum jugum subiisse, unde Florentiæ majores instructi sunt bellici apparatus ad Gallicam vim retundendam, tuendamque Etruscam libertatem. Quam rerum conversionem prædicto Veneto duci Petrus Delphinus significavit (f): *Magna*, inquit, *cives istos incessit trepidatio, metus ingens consternatis eorum animis & conterritis tam vicino pressæ libertatis*, nempe Senensium, *exemplo, commoti etenim tum*

*suo*

(f) *Ib. ep. 34.*

NOTÆ [1] Annalista deceptus ex notis chronicis literarum quas hic recitat, Antoniotto tit. S. Anastasiæ cardinali demandatam hoc anno urbem absente pontifice regendam ex his ipsis literis censet. Verum literæ istæ consignatæ sunt *die VIII. Kal. Januarii pontificatus anno III.* additur annus 1495. sed errore manifesto; neque enim annus tertius pontificatus cum anno Christi 1495. at potius cum anno Christi 1494. congruit. Insuper anno isto 1495. Roma quidem digressus est pontifex, sed junio mense. Augusto dein mense jam redierat, ut ex literis hic num. 35. in Annalibus recitatis elicitur. Literæ igitur datæ decembri mense ad Antoniottum ut urbem Romam absente pontifice curaret, ad absentiam istam pertinere utique non possunt. Referenda igitur hæc ad priorem adventum Caroli regis in urbem, anno superiori expirante. Forte enim tunc pontifex sibi metuens adventum regis opperiendum sibi non arbitrabatur opportunum; quare discessum meditabatur, demandata interim regiminis cura Antoniotto S. Anastasiæ, quanquam mutato dein consilio pontifex ipse substitit. Quæ si admittantur ita reformanda est epistolæ illius inscriptio: *Datum &c. an. MCCCCXCIV. VIII. Kal. januarii pontificatus &c. anno III.* MANSI

*suo ipsorum periculo, tum vicem fortunatum humanarum mirantur, populum potentia satis clarum tam facile cœpisse fieri potestatis alienæ. Gubernatorem Rex in sua profectione unum e suis ducibus Senis relicturus creditur, & de hoc satis. Florentia in dies munitur magis, & militum numero & armorum multiplicium copia. Dux Urbini nudius quartus Florentiam advenit, cives aliquot coævi & æquales Petri Medicis in diversas Italiæ urbes ad tempus relegati, donec regia maiestas pertransierit. Florentiæ die* XVII. *junii MCDCXV.*

XXVI. Audito Florentinorum apparatu Carolus Rex, ne quod discrimen adiret Senis, Pisas contendit (*a*), nec Florentiam ingressus est, de quo & aliis Florentinorum rebus plura Petrus Delphinus ad eundem ducem scripsit (*b*); ait enim: *Factum est tandem ut exoptavit hic populus. Abiit Rex Pisas versus: profectus heri ex oppido S. Miniatis, quod inter Florentiam & Pisas medio itinere situm est. Liberata saltem ingenti facultatum ac rerum suarum detrimento, quamvis enim, si huc Rex divertisset, non fuissent ullo pacto Florentini* [ *ut existimo* ] *Senensium more jugum accepturi, melius tamen fuit non experiri fortunam. Benedictus Deus, cujus gratia Rex conversus est retrorsum, cor enim Regis, sicut legimus, in manu Domini, quocumque voluerit vertet illud. Mihi sane* [ *quod & hic fatentur omnes* ] *multum mutata ab ea, quam olim agnovi Florentia videtur. Refert mihi in dies magis alteram Ninivem, nam sicut illa ad prædicationem Jonæ, ita hæc ad unius concionatoris hortamenta tota ad Deum conversa monstratur, ut facile credi possit, his munitam & vallatam spiritualibus armis telisque cœlestibus avertisse faciem Regis, ne se ad turbandam, aut forte etiam devastandam accesserit. Florentiæ die* XXI. *junii MCCCCXCV.*

(*a*) *Ib. ep.* 35.
(*b*) *Ib. ep.* 36.

XXVII. Licet autem Florentini adversus Gallos cum Pontifice & Venetis aperte conspirare non auderent, geminum tamen exercitum ad res suas tuendas, amissaque recipienda contraxere, quorum statum ita exposuit (*c*) Petrus Delphinus: *De non restitutis adhuc arcibus, quæ occupantur a Rege dominio Florentino varia est opinio in populo, excusantibus aliis Regem, quod merito sibi effugium servaverit si a fœdere urgeretur: aliis contra vituperantibus & dolentibus quod non staret Rex promissis. Consulat Dominus Italiæ paci, &c. Florentiæ die* IV. *julii MCCCCXCV.* Concepere dein graviores iras in Gallos Florentini, cum accepissent Liburniam arcem regio imperio ipsis ademptam, ac Pisanum præfectum illi impositum fuisse, deque violato fœdere conquesti sunt (*d*).

(*c*) *Ib. ep.* 39.
(*d*) *Ib. ep.* 43.

XXVIII. Interea Carolus Apennino ingenti labore superato Fernoum octo milliarium a Parma intervallo quinta die julii pervenit, cum fœderatorum principum adversæ copiæ numero validiores itinera intercludere conatæ sunt. Promulgabat (*e*) Carolus properare se in Gallias, ut fortissimum exercitum in Turcas colligeret, atque in reditu cum Maximiliano Rege Romanorum de sacro bello colloquia facturum, sed omnia per simulationem utrinque geri videbantur, ac in contrarium conserta, atroci ad Tarrum flumen pugna fuso Christiano cruore eruperunt. Depulsi sunt castris Itali majori eorum strage quam Gallorum, siquidem ex Gallis minus ducentos, ex Italis tria millia & eo amplius desiderata Comineus (*f*), qui aderat, & alii testantur. Egregia autem bellica facinora Gallorum Regem tunc edidisse, atque virtute præcipuaque sanctorum tutelarium, quorum reliquias lustrandi venerandique votum conceperat religione maximis fuisse periculis ereptum ferunt.

(*e*) *Sur. to.* 5. *l.* 2. *c.* 6.
Jactata dolo utrinque Turcica expeditio. Versa in Christianorum cædes mutuas.
Cruento prælio Itali propulsati.
(*f*) *Comi. l.* 8. *c.* 6. *Burch. l.* 9. *Ferron. l.* 1. & *alii.*

XXIX. Aliter rem describit Petrus Delphinus (*g*) in literis ad Venetorum ducem: *Perlatus est hodie Florentiam nuntius conseruisse bis manus in agro Parmensi militem vestrum cum Gallorum exercitu, cæsaque secundo prælio ex utraque parte ad duo millia hominum, inter quos fuisse tum interfectos tum captos complures duces, ac primarios milites. Atrox visa est Florentinis dimicatio & longe sævior, quam pro Italico more. Suspensa videtur admodum civitas & incerta, quidnam consilii Rex capturus sit, utrumne progressurus audacius, an cavens sibi Pisas versus rediturus, neque enim minorem Gallorum, quam fœderis cladem fuisse affirmant, captis insuper magna ex parte jumentis ipsorum ineraiis, &c.* Confirmatam fuisse eam famam proximis diebus narrat idem author in literis ad Venetum ducem missis. Eodem argumento extant hæ Alexandri ad ducem ipsum datæ literæ (*h*), tum de recepta eorundem classe Apulia, liberata Gallorum grassationibus Italia, denique de instaurandæ in Turcas crucesignatæ expeditionis concepta spe, atque expectatione concitata actæ gratiæ.

(*g*) *Petr. Delp. l.* 4. *ep.* 41.
(*h*) *Ext. apud Petr. Just. l.* 10.

*Alexander Papa VI. dilecto filio Augustino Barbarico duci Venetiarum.*

*Tu, dilectissime fili, clamores & mœrores nostros nequaquam surda aure sub dissimulatione pertransisti, sed suasionibus, hortamentisque nostris obtemperans, quamprimum nos terrore Gallicu cuncta prosternente perculsos almam urbem deseruisse, Gallosque* XXX.

Tuscanella a Gallis cædibus & rapinis fœdata.

*losque, ut reliquas strages prætermittamus, civitatem nostram Tuscanensem hostili impetu invasam cædi & occisioni crudelissime expositam pene desolatam reliquisse intellexisti, immensis e vestigio potentiæ tuæ viribus exurgens pro nostra & ejusdem Ecclesiæ defensione devotionis tuæ solitæ vexillum explicuisti: coacto siquidem maximo robustissimoque equitum peditumque exercitu, parataque validissima classe, pro nostra & illius, quæ nobilitatem tuam Christo genuit matris Ecclesiæ imprimis, & consequenter Italicæ patriæ, ac sociorum defensione terra marique nullis sumptibus, nullis laboribus, nullisque periculis parcendo audentissime decertare, sicut erat licitum, justum gloriosumque putasti, pulsi sunt, quamvis non incruenta victoria, incomparabili tua tuorumque virtute invasores Ecclesiæ & occupatores Italiæ, ereptaque est eorum manibus classis tuæ armis Apulia, majoraque in dies pro reformanda stabiliendaque sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, ac totius Italiæ libertate & tranquillitate abs te tuisque impigerrime & constantissime geri indubitata certitudine speramus.*

Terrestris & maritimus exercitus instructus a Venetis in Gallos.

Pulsi a Venetis Galli.

Recepta Apulia eorundem classe.

XXXI. *Maxima hæc sunt, dilectissime fili, gloriosissimaque ardentissimæ tuæ erga nos & hanc sanctam sedem devotionis documenta, quæ, sicut claritate & magnitudine tua omnium corruptibilium monumentorum memoriam exuperant, ita profecto immortali laude, sempiternaque memoria digna sunt. Quamvis igitur hæc multoties, cum dilecto filio Hieronymo Georgio equestris ordinis viro probatissimo apud nos oratore tuo fidelissimo, sicut merebantur, extulerimus, ipsique innuxerimus, ut dignas tibi senatuique tuo nostro nomine gratias, existimamusque ipsum hac in re, sicuti in cæteris ei commissis solitus est, sapienter & integerrime se habuisse; nobis tamen non putavimus satisfactum esse, nisi perpetuo quoque literarum nostrarum breviusculæ laudationis testimonio tam præclaras a te senatuque tuo res gestas æternitati commendaremus, contestantes immensas nos vobis pro tot tantisque meritis & obsequiis gratias debere: quas si unquam dabitur occasio, vobis rependere benevolentissimo animo non tardabimus. Verum quia perseverantia est illa, quæ in bonis operibus sola coronatur a Domino, nobilitatem tuam toto cordis affectu exhortamur & obsecramus in Christo, ut cunctis viribus, omnique conatu ad propulsandas turbationis Italicæ reliquias sedulo velis intendere, ut illam in pristinæ dignitatis & quietis decorem amœnitatemque diebus nostris, sicut vehementer optamus, tua præsertim opera restitutam videamus: quod & si sponte tua te facturum sciamus, nolumus tamen committere, ut glorioso operi exhortatio nostra deesset, quod te senatumque tuum apud Altissimum cœlesti triumpho decorabis, & in terris immortali fama laudatissimos reddet. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die* XXI. *augusti MCDXCV. pontificatus nostri anno* III.

Actæ ab Alex. Venetis gratiæ.

Rogatus dux ut pacem Italicam afferat.

Parte alia in Etruria Florentini, cum Gallorum res inclinasse vidissent, collectis animis ad sua oppida recipienda consurrexerunt in arma, ut scripsit Petrus Delphinus (a) ad Venetum ducem, tum ad pontem saccum Gallos tumultu præsidiario, a Florentinis, quibus deditionem fecerant, immaniter jugulatos contra militarem sponsionem hæc scribit: *Affirmant*, inquit (b), *concisos fuisse, ac dilaniatos omnes Gallos a militibus prædæ intentis, inventosque in occisorum visceribus aureos multos, quos singuli fere timore appropinquantis exercitus territi hauserant, quemadmodum auri avidissima suapte natura gens illa est. Florentiæ die* VII. *augusti MCDXCV.* XXXII.

(a) *Petr. Delph. l.* 4. *ep.*47.

(b) *L.*4. *ep.*49.

Quæsitum in Gallorum visceribus aurum.

Pervenerat Astam incolumis Carolus, sed illum gravis cura Mediolanensis belli premebat, dux enim Aurelianensis Ludovicus, postea eo nomine dictus XII. in Gallorum Regum serie, a Ludovico Sfortia lacessitus, Novariam nonnullasque arces eripuerat (c), ac si victoriam persecutus esset, imparatum turbatumque metu hostem pellere principatu potuisset: sed deinde a Ludovico Sfortia eductis suis & sociorum viribus Novariæ obsessus (d) in extremam rerum inopiam adductus est. Ad quem liberandum Gallorum Rex urbis deditionem & concordiam iis legibus cum Sfortia pactus (e) est, ut is Genuam Gallorum Regum beneficentiæ acceptam referret, duasque naves ad suppeditandos Neapolitanis arcibus commeatus instrueret. Postulati (f) deinde Veneti de pace fuere a Gallo Rege, ut Mantuanum marchionem, copiasque e regno Neapolitano revocarent, ac promulgarent fœderatorum numero Ferdinandum Neapolitanum non contineri, nec non Monopolim Gallis ereptam restituerent, cui Venetiarum dux Augustinus Barbadicus hanc pacis formulam antea propositam, repetivit, ut Christiana arma in Turcas averterentur: Ferdinandum consentiente Pontifice Gallorum Regis beneficiarium se professurum, & quinquaginta millia annua nummorum ducalium persoluturum: tum ingentem auri vim mutuandam a republica Veneta, cui propterea Brundusium, Hydruntum, Tranum oppignerarentur repræsentaturum: Tarentum vero duasque alias arces maritimas Carolo Regi, quas antea in Italicæ expeditionis procinctu expe-

XXXIII. Repetitus ab Aurel. duce Mediolanensis principatus.

(c) *Id. ib. Sabell. enn.* 10. *l.* 9.

Pax cum Mediol. inita.

(d) *Comin. l.*8. *c.*10. *Sabellic. sup. l.*9.

(e) *Comin. c.*11. *Sabell. eod. l.*9. *Ferron. l.* 2. *Sur. l.* 2. *c.* 14.

Pactiones Venetorum de gerendo in Turcas bello.

(f) *Com. l.*8. *c.*12. *Ferro. l.* 2.

pe-

petierat, ad bellum in Turcas ex iis gerendum datum iri, necnon liberum aditum ad faciendos bellicos apparatus in Venetis urbibus permittendum; Regem Romanorum ex Germanicis provinciis in Turcicas erupturum, Italiam omnem auxilia adjuncturam, Galloque ac Veneto conjunctis, tumultuantibus principibus, Italis frænum injectum iri: præterea Venetam rempublicam centum triremes suis sumptibus egregie instructas Gallo Regi suppeditaturam, tum subsidium terrestre quinque millium equitum Venetis stipendiis conductum iri. Hæ conditiones amplissimæ cum in tabulas redactæ a Philippo Comineo Gallo Regi, qui tum Lugdunum pervenerat, patefactæ essent, spretæ (a) omnino fuerunt, gerente omnia ad libitum suum Maclovienli Cardinale, qui Regem suo imperio subjecerat, Regeque cura rerum abjecta ludis deliciarumque inanibus aucupiis, non gerendæ Turcicæ expeditioni, amplificandæve religioni intento [1].

Promissæ Carolo triremes centum. Spreta iterum Venetorum pacta.

(a) Comin. eod. c.12.

XXXIV. Inde Gallorum in Neapolitano regno res pessum ivere; Rex enim militibus, quos in Neapolitano regno reliquerat, nulla, ut erat pollicitus, auxilia submisit (b), & Ludovicus Sfortia dux Mediolanensis pactas triremes duas ad commeatus arcium Neapolitanarum præsidiariis inserendos, extracta de industria mora retinuit (c): Ferdinandus vero Neapolitanus, qui Ænaria insula pulsus non fuerat, Venetorum, quibus Hydruntum, Tranum, Brundusium, Monopolim, & alia loca pignori subjecerat, opibus, nec non Ferdinandi Siciliæ & Hispaniarum auxiliis adjutus post plures ancipitesque pugnas Neapolim VII. julii die (d) recuperavit.

Gallorum res labefactatæ in regno Neap.

(b) Id. c. 13.

(c) Ferron. l.2.

(d) Sur. to.5. l.2. c. 18. Guicc. l.2.

XXXV. Maximis etiam illum juvit præsidiis Alexander, qui ad ipsum legatum amplissima fultum potestate Joannem designatum episcopum Amalphitanum misit (e), ut in Neapolitano solio eum constabiliret, inque ejusdem fide populos adversus Gallos confirmaret: *Ad regnum & Regem præfatos cum benedictione nostra accedens in regno prædicto juxta datam tibi a Domino prudentiam & providentiam tam publicis quam privatis rebus, sicut præsentis temporis qualitas exigit, ac necessitas dicti regni exposcit, authoritate nostra fideliter consulas, nec non adhibitis provisionibus opportunis debitam executionem impendi facias atque procures, mandantes quibuscumque personis ecclesiasticis & sæcularibus, etiam cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis fuerint, etiamsi archiepiscopali & episcopali dignitate præfulgeant, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis per te statuendis, ut tibi in cunctis præsertim, quæ pacem & quietem regni, ac incolarum & habitatorum prædictorum concernent, pareant efficaciter & intendant, omni exceptione & dilatione cessante. Nos enim omnes & singulos processus, sententias, censuras, & pœnas, quos & quas per te vigore præsentium haberi & promulgari contigerit, & quæcumque pro tempore inde secuta, rata habebimus, & faciemus, authore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, &c. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum anno MCDXCV. XVI. kal. septembris pontificatus nostri anno III.*

(e) L.3. brev. secr, p. 280.

Amplissima authoritate instructus.

XXXVI. Tantum valuere in Ferdinandum Aragonensem Alexandri VI. pontificis studia, ut principis Montispenserii, cui regni gubernacula Carolus tradiderat, ignavia (f), ac nobilium, qui a Gallis in munerum largitione spreti fuerant, quos populi, etsi onerum Aragoniorum gravitate levati, mox secuti sunt (g) defectione, Galli ipsi variis consumpti incommodis nunc victores nunc victi partas urbes eadem facilitate, qua pepererant conversis studiis amiserunt, necnon stipendiariorum Helvetiorum ingentem multitudinem in reditu partim necatam, partim spoliatam ab Hispanis contra jus gentium refert Burchardus (h) hortatore Valentino Borgia, qui illatam ineunte anno ab Helvetiis injuriam matri suæ, cui octo millia aureorum eripuerant Romæ, vindicare cupiebat. Periit etiam pars magna eorundem Gallorum, qui concurrerant ad Neapolitana lupanaria novo morbi genere ad plectenda hominum crimina immisso, quem Itali Gallicum, Galli Neapolitanum,

(f) Comin. l.7. c.15.

(g) Id. c. 14.

Recuperatæ urbes ab Aragonius.

(h) Burch. mſ. arch. Vat. sig. n.114. l.2.

Horrenda lues venerea exorta.

NOTÆ [1] OMnia quæ hic narrat Annalista ex puris fontibus hausta vera sont & sincera; verus chronologicus ordo fæde turbatus & corruptus est. Ita ergo illum ex Sanuti historia belli Gallici restituas. Julii die VI. prælium commissum ad Tarrum, quod pro vario scriptorum studio varie describitur; Galli enim de victoria sibi plaudunt ut ex Cominæo narrat Annalista; Itali fœderati exutos a se castris Gallos affirmant, ut ex Sanuto compertum est. Illud constat Gallos hoc commisso prælio nihil novi deinceps tentasse. Die sequenti Ferdinandus rex Neapolitanus urbem Neapolim recepit. Septembri vero mense induciæ factæ sunt, ut de pace tractaretur; quam demum Gallus cum Mediolanensi composuit. Veneti, in concordiam ut venirent invitati, recusarunt. Tunc Novaria Mediolanensi restituta a Gallis est. MANSI

num, alii rectius luem veneream flagellumque scortatorum nuncuparunt, de quo hæc tradit Ferronius (a).

(a) Sabell. enn.10. l. 9. Ferron. l.2.

XXXVII. *Circa ea tempora Neapoli dira scabies homines invasit, cui cum pharmaca ut novo morbo quærerentur multos absumpsie. Hunc morbum vane quidam dixere elephantiasim, alii lichenas, & id impetiginis genus, quod accepto osculo mentum venaretur a Cajo Plinio, cujus & Cornelius Celsus plures species prodiderit designatum, alii carbonem, alii ignem sacrum, alii lepræ speciem, alii inter morbos populatim aut vi astrorum aut aeris intemperie vagantes collocavere, adnotantque eodem anno, quo is morbus grassari cœpit in Romano agro Tyberim, in Bononiensi Rhenum, in Ferrariensi & Mantuano Padum, in Veneto Athesim, extra solitos limites exundasse, tantisque imbribus annum eum maduisse, ut terris undique humentibus minus mirandum sit æstivum aerem ad eam intemperiem pervenisse calidam, & humidam, quam Marcus Tullius eu Philosophorum placitis putredini corruptionique causam dare scripsit. Alii quidam inter morbos contagione polluentes adscripsere occultam & venenatam illius esse naturam voluere.*

Æstate incanduit.

XXXVIII. Plerique ex Indis, apud quos grassatur, ab Hispanis delatum contendunt, cum idem ex India illius remedia attulerint. Utut sit, diffusa mali pernicie scortatores acerrima hoc flagello a Deo vindice diverberatos, pœnarumque iuventa in peccatores nova genera, cum peccandi modum non facerent constat. Quod vero attinet ad eluviones fluminum, quibus extremo anno vexata est Italia, de iis plures auctores meminere, inter quos Petrus Delphinus hæc scripsit (b): *Excessisse affirmant Romæ Tyberim suo alveo, atque in tantam altitudinem excrevisse, ut quindecim cubitis per urbem inundatio aquarum intumuerit cum haud exigua domorum strage atque non solum pecorum, verum etiam hominum pernicie. Nunquam altius inundasse & majore damno dicitur, cum per seu & triginta horas sine intermissione quarta videlicet quintaque hujus mensis creverit. Quis non timebit te, o Rex gentium? quod non potuerunt paulo ante Gallorum tormenta durissima, cu ad ostendendam potentiam tuam in momento, in ictu oculi mollissimo elemento & dejecisti homines & tecta diruisti, quid si aperueris cataractas in cœlo, ut fluctus tui super nos transeant, ut singuli dicamus: Abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum? Averte quæsumus iram tuam a nobis, & esto placabilis super nequitia populi tui Domine Deus. Vale. Florentiæ die XIX. decembris MCDXCV.*

Magnæ eluviones fluminum per hyemem.

(b) L.4. ep.72. ad Bernardinum priorem Claustr.

Consentit Burchardus, qui solemnem supplicationem ab Alexandro institutam dominica tertia adventus, quæ in decimamtertiam decembris diem inciderat, cum extra ripas in urbem Tyberis effusus esset, preces ad placandam divinam iram, ritusque servatos describit.

Eodem tempore, quo in Italia lues venerea grassata est, etiam in Germania scortatores afflixit, atque a piis existimatum est eam pestem ad blasphemorum in ganeis & lupanaribus lascivientium coercendam licentiam divinitus immissam, adeo ut Maximilianus Cæsar novo casu percitus hanc sanctionem (c) in blasphemos ediderit. XXXIX.

(c) Ext. apud Dolgast. to. 2. const. imperial. in Maximilian. p. 110.

Edita in Vvormatiensi conventu.

*Maximilianus divina favente clementia Romanorum Rex semper Augustus, &c. omnibus & singulis nostri & sacri Romani imperii subditis, &c.*

*Quoniam Dei præceptum, & dicti prædecessoris nostri*, nimirum Justiniani, *constitutio, admonitio, sanctio, & pœna apud plerosque, proh dolor! in oblivionem & contemptum venit, & multifariam transgreditur, ideo nos pro imperiali nostro officio cum & imperii electoribus, principibus, statibus, & universo ordine in istis publicis imperii comitiis Wormatiæ congregatis prædicta delicta*, scilicet blasphema verba, *dolenti animo perpendentes, & ob oculos ponentes quam graviter illis offendatur Deus & creator noster, hominumque animæ propter hujusmodi blaspema verba indignæ efficiantur, misericordia Dei in æternum spoliandæ, & quod ante hac propter talia delicta fames & terræmotus & pestilentiæ, aliæque plagæ in orbe terrarum factæ sint, & adhuc nostris temporibus [ut manifestum est] cum tales, tum aliæ multæ variæque plagæ ac pœnæ fiunt, præsertim novus ille & gravissimus hominum morbus nostris diebus exortus, quem vulgo malum Francicum vocant, post hominum memoriam inauditus, sæpe grassetur, quæ nos justissimæ Dei iræ merito debent admonere, hæc inquam perpendentes, quia omne nobis est studium & oratio, ut Dei inveniamus placationem ad majestatis ejus gloriam, & hominum salutem præhabita matura deliberatione, omnes & singulos nostros & imperii subjectos, universosque Christi fideles hortamur ac jubemus, quatenus hujusmodi blasphema & impia delicta abstinendo fugiatis, & Dei timorem in sensibus accipiatis, & ejus mandatis devote obediatis, quo misericordiam Dei sustineatis, nec in prædictas pœnas incidaeis.*

Pestes & fames & terræmotus ex blasphemiæ scelere oriuntur.

Ortam luem veneream inauditam queritur Cæsar.

Moniti clientes imperii abstineant a blasphemia.

*Igitur statuimus, ordinamus, & volumus districte præcipiendo, si quis cuiuscumque dignitatis, status, aut conditionis sit,* XL.

san-

*sanctissimum Dei nomen inaniter adhibuerit, aut blasphema verba & sacramenta de Deo juraverit, aut per sanctissimam Christi passionem, vulnera, membra, & his proxima verba juraverit, aut per Dei genitricem Mariam semper virginem, Deique sanctos, ut hujus blasphemiæ, nempe rei sequentibus pœnis sine omni gratia subiiciantur. Nempe si ex præcipitantia, & per calorem iræ, aut ebrietate, aut simili aliquo casu incogitanter fiat, tale delictum una marcha auri puri, cujus dimidia pars nostræ & imperii cameræ, altera dimidia domino, in cujus jurisdictione perpetratum fuit irremissibiliter luant: qui autem prædictam mulctam non sunt solvendo, ex arbitrio judicis, in cujus jurisdictione deprehensi sunt, puniantur. Si vero constet hujusmodi blasphemias & delicta temerarie facta esse, si patratores sunt homines nobiles, nec prius ob hujusmodi impia verba deprehensi, aut condemnati fuerunt, ut fiant ipso facto infames, neque ad ulla amplius nobilium placita vel officia admitti debeant. Si vero contingat eos iterato in tale crimen impingere, ut secundum qualitatem delicti in corpore irremissibiliter puniantur.*

Quæ pœnæ in blasphemos constitutæ.

XLI. *Quod si patratores sunt inferioris conditionis, ut ab judicibus, in quorum jurisdictione & imperio commiserunt, secundum qualitatem delicti in corpore irremissibiliter puniantur. Postremo, ut omnes, qui superius memorata delicta a patratoribus committi audiverint, nec illis contradixerint, aut eos culpaverint, sed subtercelent, & judicibus, in quorum jurisdictione hujusmodi facta sunt, aut eorum vices gerentibus non deferant, similiter omnes judices & magistratus, qui hujusmodi delinquentes in sua jurisdictione scienter retinent ac tolerant, ut earundem pœnarum, quas diximus cum transgressoribus rei & culpabiles animadversiones sustineant. Quapropter omnibus & singulis præcipiendo mandamus per gratiam viventis Dei, per uniuscujusque fidem, qua tenemini nobis & imperio, quatenus huic nostræ admonitioni, constitutioni, & ordinationi obediatis, eamque exequamini, & passim per nostras & vestras ditiones publicari faciatis, & tam vestros subditos, quam peregrinos eidem parere districte jubeatis: delinquentes autem & transgressores prædictis pœnis rigide coerceatis, nullius hominis habito respectu, si & iram Dei, & a nobis sancitam pœnam vultis evitare. Quæ igitur nostræ placuerunt majestati ad effectum perducere enitimini, ut & sententiæ nostræ executio, & nobis fiat beneplacitum. Datum, & regii nostri sigilli appensione obsignatum Wormatiæ VII. die mensis augusti anno a nativitate Christi MCCCCXCV. regnorum nostrorum Romani X. & Hungarici VI.*

Audientes blasphemos & non corripientes pœnæ obnoxii.

XLII. Hoc anno cum divina justitia novo supplicii genere impudicitiæ deditos plecteret, in pia virguncula insigne divini amoris prodigium edidit, ut hæc publicis tabulis tunc consignata monumenta (a) docent: *In Christi nomine. Amen. Ad laudem & gloriam summi & immortalis Dei protectoris & actoris fidei catholicæ, & omnium infidelium & hæreticorum confusionem: notum sit cuilibet legenti, vel præsentium scripturam audienti, qualiter de anno nativitatis domini nostri Jesu Christi MCCCCLXXXXV. in nobili civitate Cremæ diœcesis Placentinæ in domo cujusdam nobilis viri, & civis Cremensis appellati Joannes Francisci Perdelles de parochia S. Jacobi dictæ civitatis Crema in Italia, est quædam devota & sancta virgo plena virtutibus, & sanctis operibus, nuncupata soror Stephana de Quintianis de castro nuncupato de Lyunsi novi diœcesis Brixiensis tertii habitus ordinis S. Dominici patriarchæ Prædicatorum, cui post innumeras & maximas revelationes divinas omnipotens Deus qualibet sexta feria communicat omnia mysteria passionis domini nostri Jesu Christi modo quo sequitur. Nam primo facta aurora, ut comprehendi potest per ipsius virginis sermonem, rapta in spiritu tentatur a diabolo variis modis, & maxime circa fidem sanctam & fortitudinem virium, dicens quod non poterit sustinere tantam passionem, & quod quærat vanam gloriam, dicens: Tot homines ad te videndum accedent, & cupis quod dicant te esse sanctam, & hoc durat hora spatio dimidia, cui tentationi viriliter virgo resistens in extasi loquitur intelligibiliter respondens cuicumque impugnationi, & divino auxilio prævalet. Deinde ligatur cum manibus supra caput insolubilibus ligaminibus & invisibilibus compedibus, sicut Christus ad columnam, & sic flagellatur invisibiliter, ut potest comprehendi per motus exteriores, cum moveatur per totum corpus ad dimidiam horam exceptis pedibus & manibus, quæ manent immobiles, ac si ligatæ essent chordis realibus ad columnam, & multi astantium fecerunt experientiam si quomodo possent removere unum brachium ab altero, & nunquam fuit possibile, licet summopere conarentur, immo non fuit possibile, ut possent commovere unum digitum, manens sic ligata quasi spatio unius horæ in tot afflictionibus & tormentis cum lamentis & suspiriis piis, quæ cor humanum nec excogitare posset ac intelligere, nisi corporalibus oculis videret, neque etiam videns lingua humana explicare posset ad ple-*

Insigne divini amoris prodigium.

(a) Ext. apud Henric. Just.

In Stephano de Quintianis virguncula.

Passionis dominicæ dolores divinitus illi inflicti.

Virgunculæ pia demissio.

*plenum. Deinde intervallo facto dimidiæ horæ, Christus Jesus apparet ei, sicut comprehendi potest per gestus devotos ac verba sancta, qui eam confortat & exhortatur ad tolerantiam passionis, offerent sacratissimam suam passionem, cum ipsa in tali extasi posita devote respondere solet: Domine non sum digna passione tua, sed semper fiat voluntas tua, & hoc dicto ligatur cum manibus supra pectus etiam ligaminibus insolubilibus, ut supra, sicut stabat ligatus Christus coram Pilato. Postea aperit manum dexteram quasi capiens arundinem, stringens postea illam immobiliter. Deinde stans in contemplatione Jesus Christus offert sibi coronam spineam, & ipsa respondet cum magna humilitate & lætitia: Domine mi dona mihi eam, & sic eam cum magna reverentia & devotione recipit coronam spineam, cum tanta pœna & dolore, tormento & tremore, quod lingua stridores & motus corporales, contractus nervorum etiam calamo non posset explicare, & sic ad quartale unius horæ manet in sudoribus visibilibus a capite usque ad pedes semper in piis lamentationibus: & sic postea remanet immobilis rapta in spiritu, in quo raptu si frons tangeretur cum filo levissime, vel quacumque alia parva re, ut sæpe expertum est, statim redeunt dolores & lamenta propter punctiones spinarum, id est dolorum, quos Christus ex punctionibus spinarum sustinuit. Deinde dissolvitur & per dimidiam horam manet in contemplatione, non in extasi, in quo tempore certat ratio cum sensualitate, expectans portationem sanctæ crucis loquens sibi ipsi: O paupercula noli timere: respice tuum principem, qui totus a capite usque ad pedes sanguinolentus fuit. Si te tædet supplicium, respice præmium, dimitte rationem superare sensualitatem. Postea videt crucem, & oculis immobilibus & fixis stat versus crucem, dicens! O magnam redemptionem: O redemptionem humanam! O salutiferam crucem, tanto tempore te desideravi. Deinde erigit se versus crucem, & cum magna devotione & lætitia amplectitur & osculatur ipsam crucem invisibilem sicut præsentem. Postea visibiliter brachium dextrum extenditur & figitur, sicut si manus esset fixa realiter cum clavo materiali, & immobiliter, & statim videntur nervi extensi, & venæ tumentes, & manus fiunt nigræ, & sicut figeretur manus realiter cum clavo materiali, illa clamat terribiliter & lachrymis piis lamentatur. Deinde simili modo extenduntur sibi pedes unus super alium, dexter super sinistrum, tamen supra suam longitudinem naturalem, & in tractu pedum totum corpus movetur deorsum, exceptis manibus, quæ restant immobiles penitus in locis, ubi fuerunt inclavatæ, ac si essent veri clavi ferrei, & pedem dextrum positum supra sinistrum, apparet quædam rubedo quantitatis ictus unius mallei: & cum inclavatur manus sinistra emittit clamorem cum lamentis magnis sicut dictum est in clavatione primæ manus, & quando inclavantur pedes facit similes clamores, & hoc facto manet immobilis in cruce in modum Jesu Christi crucifixi. Et facto brevi spatio videtur quod bibat spongiam aceti & fellis, & iterum facto brevi intervallo videtur emittere spiritum cum tremore. Deinde manet immobilis per aliquod spatium temporis, & postea facit magnas commotiones cum clamoribus & lamentationibus quasi percutiatur cum lancea. Deinde remanet quasi mortua & totum tempus, quod in cruce consumitur est quasi una hora, semper stans expansis manibus, & pede supra pedem posito cum rubedine in medio, & tumefactione nervorum, ut supra dictum est, postea dissolvitur primo sibi manus dextera, secundo manus sinistra, & ultimo sibi dissolvuntur pedes, & in dissolutione cujuscumque prædictorum videtur pati maximos dolores. Postea secundum quod comprehenditur per gestus exteriores & verba ejus apparet ei Jesus Christus, cui gratias agit maximas pro dono suæ passionis, commendans se Jesu Christo multum devote, & postea commendat ei statum ecclesiasticum, & præcipue statum Prædicatorum, ut oves eis commissæ bene gubernentur, & singulariter orat pro ordine, &c.* Adjuncta testium nomina præterimus.

Spineæ coronæ aculei divinitus illi impressi.

Cruci etiam modo arcano ac divino affixa.

Ut sensim solvantur ii dolores.

XLIII. Floruit etiam hoc tempore opinione sanctitatis Thomas eximius concionator tertii ordinis S. Francisci, de cujus vaticiniis hæc memorat Petrus Delphinus (a) in literis ad Dominicum Maurocenum procuratorem S. Marci: *Audivi ego miranda de isto vate, quæ prophetico spiritu repletum fuisse præter hanc etiam prophetiam aptissime demonstrant evangelizante illo apud Camerinum, & palam una cum populo etiam loci principem arguente, constituerat secum tyrannus, minime ferens publicam increpationem, virum Dei incendio atque igne consumere, quod cum nemine sibi referente divinitus ei revelatum fuisset, continuo arreptis prunis ardentibus, atque in manicam tunicæ depositis, principem adiit, eique ostendit quod minime ignem formidaret, qui eum illæsa etiam tunica ad ipsum detulisset. Accipe & aliud, quod annalibus palatii Florentini annotatum accepi. Ingressus aliquando propheta iste Florentiam per eam portam, quæ ad Faventiam ducit, offendit juxta illam duos ludo aleæ insistentes, ex quibus cum al-*

(a) Petr. Delph l. 4. ep. 42.

A blasphemo petitus pugno.

*alterum, amissa pecunia, blasphemantem audisset, durius in illum invehi cœpit. Impatiens iste, ac debacchanti similis, mox in se arguentis faciem pugnum intorsit. Hac accepta contumelia vir Dei, confestim cœlesti afflatus numine prædixisse impio illi dicitur, futurum aliquando Florentiæ prætorem Zutium de Cola nomine, qui illatam sibi injuriam vindicaret. Elapso decennio, cum de more prætor alienigena ejusdem nominis magistratum iniisset, tentus quodam die ab apparitoribus, atque ad prætorem adductus est, cumque nullius recentioris culpæ sibi esset conscius, succurrit illi tandem vaticinium hominis Dei, quem percusserat pugno impie, interrogato prætoris nomine, cum Zutium de Cola appellari cognovisset, enarravit ei rei olim gestæ seriem, confessus se Dei voluntate in manus ipsius incidisse, ut veteris piaculi reatum novo supplicio deleret. Quod & factum est, nam prætoris ejusdem jussu manus ei continuo præcisa est, qua admiserat facinus. Hujusmodi sane homines maximi faciendos esse duco, qui Spiritu Sancto inspirati locuti sunt, potentes in opere & sermone, qui enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei, quod si filii & heredes. Vale Florentiæ die* XI. *julii MCDXCV.*

Divinam illi vindictam prædicit.

Res confirmata exitu.

XLIV. Obiit hoc anno Joannes Lusitaniæ Rex (*a*) amplificati apud Afros imperii, propagatæque Christianæ apud Æthiopas occidentales religionis gloria clarus, quam ipsum fœdasse crudelitate Comineus accusat (*b*): excusat tamen Osorius, ac propinquorum cædes necessitati ascribit: *Attulit*, inquit; *ille quidem multis viris nobilibus necem, & principes etiam sibi conjunctos interfecit, quos animadvertebat aut parum obsequentes esse, aut perniciem in illum machinari, sed id nisi fecisset neque regiam dignitatem tueri, neque vitam conservare potuisset*; magnus dein exornat laudibus: *Tanta*, inquit, *erat illius animi magnitudo, ut quamvis corpore in patria consisteret, mente tamen orbem terrarum peragraret, multaque animo frequenter agitaret, eaque moliretur, quæ si non fuisset immatura morte sublatus, nomen illius clarissimum reddere potuissent.* Et infra: *Populi non tam illum ut Regem verebantur, quam ut parentem amabant, eorum enim commodis animo patrio consulebat: hæc autem illius sententia merito laudari solet, cum diceret sibi non tam propositum esse, ut operis hominum ad aurum quærendum abuteretur, quam ut aurum quæreret, ut opibus suis hominum inopiam sublevaret. Cum accepisset esse volucrem, quæ rostro pectus dilacerat, ut pullos serpentum morsibus exanimatos sanguine suo profuso in vitam revocet, ejusdem volucris imaginem suis insignibus adjungendam curavit, ut ostenderet se esse paratum pro suorum salute sanguinem suum profundere. Ex omnibus tamen virtutibus, quibus illum præditum fuisse commemorant, nulla fuit admirabilior singulari quodam pietatis, & religionis studio, quo mirifice flagrabat, numquam enim eum neque turbulenta negotia, neque conjurationes contra illum factæ, neque malorum omnium tempestates a rebus divinis summa cum religione procurandis abstraxerunt.*

Joannis Regis Lusit. obitus.

(*a*) *Jo. Barros. dec.*1. *Asiæ l.*3. *c.*12. *Osor. l.*1. *Sur. to.*5. *l.*2. *c.*15.

(*b*) *Comin. l.*8. *c.*17.

Illius elogium.

XLV. Plura molitus erat (*c*), ut in Georgium filium nothum sceptrum Lusitanum transferret (nam Alfonsus ex Leonora Regina susceptus in adolescentiæ flore incitato equo decurrens in terram projectus allisusque obierat) (*d*) atque ab Alexandro oratoris opera institerat, ut idem Georgius apostolica authoritate justorum natalium dignitate juris fictione donatus regno idoneus renuntiaretur, sed cum id sine Emmanuelis ducis Visensis injuria, cui ex Lusitaniæ præscripto regnum debebatur, fieri non posset, illique acriter Isabella Regina Emmanueli consanguinitate resisteret repulsam passus tandem eum vitæ finis adesset, quo mors vanis consiliis velum detrahere solet, Emmanuelem, cujus fratrem natu maximum sua manu in convivio interfecerat (*e*), uti jura decreverant, testamento successorem reliquit, sacrisque omnibus, quæ ad expiandum animum pertinebant, rite procuratus, virtutis & pietatis insigne specimen dedit. Emmanuel vero regno inito, cujus insigne vigesima septima octobris, exacto ætatis vigesimo sexto anno, accepit (*f*), Georgii Costæ Lusitani Cardinalis opera fidem suam, publice Alexandro Pontifici, uti Christianum decebat principem, præstitit, *pollicitus*, inquit Osorius (*g*), *fidem per omne vitæ spatium erga sanctam Romanam ecclesiam summo studio retenturum, & pro illius sanctitate, quoties opus ita fuisset, pugnaturum.* Nec modo a pietate, verum a clementia duxit regni auspicia Emmanuel, Judæos enim, qui Joanne Rege libertatem amiserant, quod temporis flexu constituto inopia impediti exire Lusitania non potuissent, liberos esse jussit, oblatumque ab ipsis magnum argenti pondus respuit: *Statuebat enim*, addit author, *gentem illam beneficiis ad studium christianæ pietatis allicere.*

(*c*) *Sur. to.*5. *l.*1. *c.*29.

(*d*) *Osor. l.* 1.

Emmanuel relictus testamento hæres.

(*e*) *Comin. sup. c.*17.

(*f*) *Jo. Barros. dec.*2. *l.*4. *c.*1.

(*g*) *Osor. l.*1.

Delatum ab eo obsequium Pontifici.

XLVI. Eodem anno Alfonsus Neapolitanus olim Rex (*h*), de quo sæpe antea, regno profugus, dum illud a Ferdinando filio recuperabatur, Messanæ in Sicilia apud Olivetanos Monachos calculi doloribus gravissimis extinctus est decima octava no-

Alphons. Regis Neap. mors.

(*h*) *Comin. l.*7. *c.*11. *Sur. to.*5. *l.*2. *c.*18. & *alii.*

novembris, cum eleemosynis ac precibus, necnon singulari in adversis tolerandis patientia anteactæ vitæ sceleta expiasset.

XLVII. Eodem anno Franciscus Ximenius, gestarum postea rerum magnitudine clarissimus, in archiepiscopatu Toletano suffectus est Cardinali Mendozæ defuncto, qui Ferdinando & Elisabeth consuluerat, ut mediocris conditionis hominem, modo aliis integritatis, prudentiæ, gravitatis, & doctrinæ dotibus præditus esset, ad eam dignitatem eveherent: floruerat Ximenius inter Minoritas doctrinæ & sanctitatis opinione, præcipuaque inter eos, qui S. Francisci disciplinam in pristinum nitorem restitutam colebant, munera gesserat, optaratque in Africam ad evangelium Saracenis S. Francisci exemplo inferendum proficisci; sed cujusdam sanctæ mulieris vaticinio ab eo consilio revocatum refert Gomesius(a): *Ardebat*, inquit, *Ximenius miro quodam desiderio transmarinis hominibus Christum annuntiandi, paratus supplicia & mortem subire. At quoniam per viros religiosos certior factus fuerat fœminam ordinis sui cultricem [ ex his quas vulgo beatas vocant ] ibidem esse vitæ & morum sanctitate claram, & quæ divorum præsentia sæpe numero frui crederetur, captato extemplo fœminæ colloquio ad eam rem, quam animo conceperat, ejus sententiam prius requisivit. Deterruit hominem vates mulier, & ut a proposito desisteret effecit; servari enim eum ad res maximas perficiendas dicebat, in quibus graviora certamina sustinenda forent, quam si inter barbaras & Punicas nationes versaretur: retardatus beatæ dictis sententiam mutavit:* Profectus in Castellam Elisabethæ Reginæ pientissimæ gratissimus fuit, quam impulit, ut a delectis censoribus religiosam disciplinam, quæ fœdissime obsolevetat in omnibus monasteriis tam virorum quam fœminarum instautari regio studio eniteretur. Creatus archiepiscopus magno animi robore pietatis Christianæ splendorem suæ diœcesi restituere aggressus est, tum luxus opumque contemptum initio sectati visus est, ut ait Gomesius; *Nullam sane aut sumptuosi aut magnifici apparatus rationem per id tempus habere nec unquam habiturus videbatur, non frequentis familiæ, non pretiosæ suppellectilis, quin priscam illam sanctorum patrum frugalitatem cum Francisci sui humilitate conjungere visus est; nam asello, quo solebat, vehebatur, monachis sui ordinis affectantibus, aut ibat pedibus, non argento mensam, non aulæis parietes ornabat: totum porro annuum censum statuerat ita partiri, ut ex parte dimidia præsentibus egenorum necessitatibus subveniretur, reliqua vero deductis cum familiæ, tum pontificatus necessariis sumptibus in opera publica, quæ religionis cultui provehendo, juvandisque sacrarum literarum studiis necessaria essent, impenderetur. Totum ergo semissem pauperum usibus destinatum Joanni Cardennæ Burgensi viro theologo & antiqui moris homini, quem piis præfecerat largitionibus unica syngrapha decrevit, nulla expensis ratione deferenda in egenos distribuendum.*

Franciscus Ximen. archiepiscopatu Toletano auctus.

Evangelii Afris prædicandi desiderio arserat.

(a) Gomes. de reb. gestis Ximen. l. 1.

Prædicta illi quæ divinitus servarentur.

Franciscanam disciplinam in Hispania restituit.

Initio præsulatus paupertatem sectatus est.

Dimidiam vectigalium partem pauperibus assignant.

XLVIII. Remisit deinde ex illo vitæ genere Ximenius, atque ab æmulis in invidiam fuit adductus: sed Pontificis maximi imperio, cui minus obedientem esse teligio erat, id illum fecisse ostendit Gomesius in medium prolato apostolico hoc diplomate.

*Alexander Papa VI. dilecto filio Francisco electo Toletano.*

*Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Sancta & universalis Ecclesia sic, ut te ignorare non putamus, ad instar cælestis Jerusalem multis ac diversis decoratur ornatibus, in quibus, sicut in excessu prævaricando peccatur, ita in defectu nimium declinando erratur. Grata est Deo & laudabilis cujuslibet status conducens observantia, & propterea quicumque, præsertim prælati Ecclesiæ, sicut in moribus ita in habitu & incessu studere debent, ne nimio fastu superbi, neve nimia abjectione superstitiosi esse videantur, cum utroque authoritas ecclesiasticæ disciplinæ vilescat. Eam ob rem hortamur te, ut postquam te sancta sedes Apostolica de inferiori statu ad archiepiscopalem dignitatem evexit, quemadmodum te in interiori conscientia secundum Deum vivere intelligimus, de quo plurimum gaudemus, ita extrinsecus juxta condecentiam status tui, habitu scilicet, familia, & cæteris ad dignitatis decorem convenientibus te habere & observare coneris. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XV. decembris MCDXCV. pontificatus nostri anno IV.*

Monitus a Pontifice ut præsularem splendorem retineret.

XLIX. Pontificiæ authoritati paruisse Ximenium, & divitias æque ac paupertatem passum refert Gomesius, cum enim splendor vitæ magnum habeat momentum apud vulgus, quod vano rerum apparatu duci consuevit; ad vindicandam a contemptu publicæ personæ dignitatem, ita cultus exteri amplitudinem sibi ascivit, ut cum magnificentissime & molliter stratos lectos haberet, in nuda tamen humo cubare sæpe deprehensus sit, quæ ex eodem Gomesio repetenda visa sunt: *Holoserica*, inquit, *veste superinduebatur & pretiosis pellibus, sed præcipue leucophæis, quod vesti scilicet Franciscanæ concolo-*

Paret Pontifici clanculum in se acerbitatem exercet.

Humi cubat cum holosericatos lectulos haberet.

lo-

*lores essent, utebatur. Longo post tempore dum reipublicæ gubernandæ præesset Beltranum Merinensem regium apud novum orbem senatorem vestem illi obtulisse ajunt rarissimis pellibus ornatam ex animalibus transmarinis, quæ tribus ducatorum aureorum millibus æstimabatur, retinuit quidam illam Ximenius domi per aliquos dies, ne videretur offerentem contemnere, sed paulo post ad Beltranum remisit morbi prætextu, quo postremo laboravit, quasi sibi parum commodus eo tempore ejusmodi cultus & necessarius esset. Mirum quiddam in illis pellibus fuisse traditur, nam si quando explicabantur, aut quovis modo agitabantur, suavitas quædam odoris ex illis afflabatur, quæ totum opplebat locum, lectos item sericis & purpureis stragulis ornatos, cum tamen ille Franciscanæ regulæ ad ultimum usque spiritum observantissimus fuerit, & sindones lineas semper respuerit, & sæpe a ministris deprehensus sit, mollibus culcitris & pretiosis pannis e lecto ablatis, in nudis tabulis, aut humi somnum carpere.* Hactenus de Ximenio, quem Cardinalitia dignitate ornatum, & crucesignatum in Africam pro Christi circumferendo nomine exercitum ductantem, nec non ob magnam Maurorum multitudinem traductam ad fidem, aliaque præclare gesta illustratum fuisse visuri sumus.

Pellium quarundam mira fragantia.

I. *Nova inter Reges orta dissidia.*

ANno excurrentis sæculi nonagesimo sexto supra mille quadringentos indictione decima quarta, bellis Neapolitano regno ardente exitialibus, cum Ferdinandus Alfonsi demortui filius Pontificis Venetorumque viribus suffultus, Carolique Regis Francorum duces illud inter se ferro & flammis partirentur, ac novæ e Gallia in Italiam erupturæ procellæ signa minacia emicarent, Alexander Papa ad augendas suas partes, distinendumque novis curis Carolum Francorum Regem, Henricum Anglorum Regem ad mutuum armorum fœdus cum Maximiliano Romanorum, & Ferdinando Castellæ Regibus, ac Venetis duceque Mediolanensi antea firmatum pellexit, ac julio mense exeunte solemni ritu promulgavit, ut narrat Burchardus, (a) sic inquiens.

*Anglus in belli societatem contra Gallum excitus.*

(a) *Burch. ms. arch. Vat. sign. n. 104. l. 2.*

II. *Dominica ultima mensis julii sanctissimus dominus noster paratus more solito in similibus equitationibus ab omnibus reverendissimis dominis Cardinalibus associatus equitavit ad ecclesiam B. Mariæ de populo, in qua reverendus pater dominus Bartholomæus archiepiscopus Cusentinus celebravit missam solemnem de Spiritu Sancto absque aliqua commemoratione, pro eo quod serenissimus Rex Angliæ ligam inter Papam, Romanorum, & Hispaniarum Reges, Venetorum, & Mediolani cives diu publicatam nuper etiam ipse inivit. Missa finita antequam Papa benediceret dominus Hadrianus de Corneto clericus cameræ apostolicæ in cappa sua consueta pede Papæ osculato, & indulgentiis absque benedictione habitis ascendit pulpitum, & fecit orationem convenientem: deinde publicavit plenarias indulgentias per Papam interessentibus concessas. Post hæc dicto: Te Deum Laudamus; Papa dixit: Pater noster, & versiculos & orationem, & dedit benedictionem solemnem, prout etiam alias in publicatione dictæ ligæ fecerat, & rediit ad palatium suum ordine, quo venerat.*

*Promulgatum Romæ id fœdus.*

III. Expectabatur interea ut Maximilianus Romanorum Rex in Italiam superatis alpibus descenderet (b) a Pontifice, Ludovico Sfortia duce Mediolanensi, ac Venetis, ut ferunt, excitus ad Gallicam vim Germanicis armis infringendam; pervaserat enim fama ingentem a Carolo Rege terra marique confici expeditionem, quam Itali fœderati omni ope promovebant: quæ tamen Gallorum consilia mora consenuere, (c) ut videbimus. Honestatis autem & decoris plena erat Maximiliani in Italiam adventus causa, cum ad augustale insigne instituto veteri accipiendum accessisse præ se ferret: quam ob causam refert Joannes Burchardus, Alexandrum Papam mense julio ineunte legationis apostolicæ munus Bernardino Carvajali tit. S. Crucis in Jerusalem presbytero Cardinali injunxisse, suisque monumentis mandavit pontificium diploma, quo amplissimæ prærogativæ in legatum ipsum ab Alexandro collatæ fuerunt (d).

(b) *Burchar. eod. l. 2. Sabellic. enn. 10. l. 9. Guicc. l. 3. Jovinus l. 4. Mutius l. 30. Bizar. l. 16. & alii.*

(c) *Burch. ubi sup.*

*Bernardin. Carvajal ad Cæsarem legatus decernitur.*

(d) *L. 7. bull. secr. p. 397.*

*Dilecto filio Bernardino tit. S. Crucis in Jerusalem presbytero Cardinali ad charissimum in Christo filium nostrum Maximilianum Romanorum Regem illustrem ad partes Italiæ venientem, & Germaniam, ac quæcumque ipsius Italiæ, & alia etiam extra ipsam Italiam, ad quæ te forsan declinare contigerit, loca, nostro & Apostolicæ sedis legato salutem, &c.*

IV. *Intelligentes nuper ex literis charissimi in Christo filii nostri Maximiliani Romanorum Regis illustris, se personaliter cum exercitu suo in Italiam, Deo adjuvante, descendere velle, ut ipsius Italiæ tot bellorum turbinibus quassatæ opportune consulere, & Romanam ecclesiam, cujus advocatus, atque defensor existis, per Gallos & alios eis adhærentes, adhuc majorem regni Siciliæ citra pharum, quod est speciale patrimonium B. Petri partem, nec non arcem nostram Ostiensem vi occupantes, in suis juribus & libertate plurimum læsam, ac etiam jura sacri Romani imperii, per ipsos Gallos oppressa & violata, restituere & reintegrare, ac imperialis celsitudinis dignitatem, ejusdemque imperii Romani coronam de manibus nostris suscipere possit, nec aliquid se omissurum, quod ad nostram, & ejusdem Romanæ ecclesiæ protectionem, & ipsius Italiæ salutem pertineret, ac considerantes ob dissensiones & bellorum turbines hac tempestate in ipsa Italia vigentes, quorum occasione vires & potentia Christianorum debilitantur, reipublicæ Christianæ propter perfidos Turchos Christi nominis hostes acerrimos, & Christianum sanguinem continue sitientes, nec aliud molientes, quam quod omnia Christianorum dominia (quod Deus avertat) suæ tyrannidi & spurcissimæ sectæ subjicere possint, maxima imminere pericula nec facile obviari posse, nisi bella & dissensiones hujusmodi cessent, sitque inter Christianos Reges & principes, aliosque potentatus vera pax & concordia, & propterea considerantes quantum expediat nedum ipsi Italiæ, sed toti reipublicæ Christianæ, ut in ipsa Italia bella cessent*

*Maximilianus expeditionem Italicam meditatur.*

sent

*sent, pax & concordia vigeant & perseverent, quod subsidio præfati Regis hujus sanctissimæ sedis devotissimi filii fieri posse speramus, dignum & conveniens esse existimantes, ut etiam præfati Regis in defensionem Romanæ ecclesiæ, & pro ipsius Italiæ pace & quiete venientis personam condignis honoribus prosequamur, de tuæ circumspectionis industria, quam potentem opere pariter & sermone in magnis expertum, & arduis comprobatum, eximia probitate & fidelitate, maturitate consilii, morum elegantia, literarum scientia, & aliis grandium virtutum donis, quibus personam tuam illarum largitor Altissimus insignivit pollentem cognovimus, in cujus affectu geritur, prout firmiter tenemus, fluctuantes turbines, & inter se dissidentes, quoscumque ad pacis amœnitatem reducere, sumentes in Domino fiduciam specialem, ac sperantes quod ea, quæ eidem circumspectioni tuæ, cujus præsentia nobis pro incumbentibus Romanæ ecclesiæ continue oneribus summe perutili pro tam celebris boni consecutione votiva in præsentiarum carere compellimur, duxerimus committenda, tua exactissima & pervigili diligentia adimplere curabis, habita super iis cum venerabilibus fratribus nostris ejusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura te ad ipsum Regem ad partes ejus Italiæ venientem ac Germaniam, & quæcumque ipsius Italiæ, & alia etiam extra ipsam Italiam, ad quæ te declinare contigerit, loca, tamquam pacis angelum nostro & hujus Romanæ ecclesiæ nominibus ad ipsam Italiam pacificandum, ejusque quieti & saluti una cum præfato Rege intendendum provide duximus destinandum, firma spe fiduciaque conceptis, quod inspirante pacifice regum Rege, qui de mundo ascensurus ad Patrem pacem jure quodam hereditario nobis reliquit in terris, fomenta dissensionum & bellorum quæcumque mora extinguere, & salutaris concordiæ, ac inextimabile pacis bonum producere modis omnibus procurabis, & ipso Domino assistente efficies, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno MCDXCVI. pridie non. julii pontificatus nostri anno IV.*

Decretus ad ipsum Bernardin. Card. legatus.

V.
(a) Ib. p. 387.

Instructus præterea est authoritate legatus (a), ut Carolo Francorum Regi censuras ecclesiasticas intentaret, ni bello Italico abstineret.

Intentatæ Carolo Regi censuræ.

*Alexander, &c. Ut præmissa facilius, commodius, & liberius, prout tanta res exigit, exequi valeas, tibi charissimum in Christo filium nostrum Carolum Francorum Regem illustrem, si adhuc cum gentibus armigeris ad peramplius Italiam molestandam venire, seu mittere vellet, sibique directe vel indirecte quovis modo adhærentes, ac ad id auxilium, consilium, vel favorem præstantes sub sententiis, censuris, & pœnis ecclesiasticis, de quibus tibi videbitur expedire, ut ab hujusmodi molestationibus omnino desistere, & arma deponere, ipsamque Italiam in sua pace & quiete dimittere, ac per ipsum Regem vel nomine suo detenta & occupata restituere & relaxare debeat, authoritate nostra monendi & requirendi, & si (quod absit) desistere nollent, contra eos ad declarationem procedendi, ac inter ipsum Carolum Regem, aliosque Reges, duces, principes, & potentatus invicem dissidentes, ac illis adhærentes complices, & sequaces eorundem super quibuscumque discordiis, differentiis, ac bellis urgentibus, & quæ esse possent inter eos quibuscumque juribus, actionibus, occasionibus, seu modis quomodocumque & qualitercumque nostro & ecclesiæ nominibus tractandi, & componendi, ac indicendi sub spe pacis & concordiæ treuguas & inducias quascumque temporales, nec non pacem & concordiam, etiam perpetuo duraturas,* & infra, *plenam, liberam, & omnimodam authoritate apostolica tenore præsentium concedimus facultatem, potestatem, & authoritatem, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCCXCIV. pridie non. julii pontificatus nostri anno IV.*

Jussus Italica bella intermittere.

VI.
Quis honos a Cæsare legato Apost. delatus.

Profectum ad Maximilianum Regem Cardinalem legatum, habitumque honorifice, Rege ad illius ex equo desiliente prospectum, eumque complexu perhumaniter recipiente, tradit Burchardus, additque in eo congressu legati crucem a dextris, ensem vero Cæsaris a sinistris fuisse collocatos, se vero ad Romanorum Regem missum, ut sacris ritibus, qui peragendi erant, præesset: tum rituum, qui in conferendæ ferreæ coronæ celebritate servandi sunt formulam ita describit (b).

(b) Burch. l.2. p. 66.

*Prædictus Rex sive Imperator se transferat Mediolanum ad ecclesiam D. Ambrosii extra dictam eclesiam in loco, ubi est columna marmorea erecta, & ibi debet esse liber missalis, qui debet esse in manibus unius ex comitibus de Inglesio & antiquioribus, & ibi dictus comes recipiat sacramentum super evangelio ab ipso Imperatore jurante sancta Dei evangelia, & in præjudicium animæ suæ, quod erit devotus & fidelis Christianus, & pro posse suo conservabit & augumentabit fidem catholicam & sanctam Ecclesiam domini nostri Jesu Christi. Præstito juramento prædictus Imperator, sive Rex amplectitur ambobus brachiis prædictam columnam marmoream erectam in signum totius Italiæ, & sicut illa columna est recta, ita justitia sit recta in*

Qui ritus a Cæsare coronam ferream accipiente observandi.

*ipsu*

*ipso Imperatore. Postea dictus comes accipiat cum reverentia unam crucem in manibus, supra quam sit imago domini nostri Jesu Christi, & ante ipsam crucem Imperator flexis genibus devotus osculatur pedes Crucifixi. Hoc facto prædictus comes cum cruce in manibus antecedens Imperatorem & ipsum ducit intra ecclesiam D. Ambrosii. Imperator flectit genua & osculatur crucem. His peractis denuo ipse comes accipit crucem in manibus, & præcedit Imperatorem, & eum introducit in chorum, & ducit ipsum ad altare majus, & ibi flectit genua ad infimum altaris, & sic stando ipse comes levat ipsi Imperatori de capite coronam, & eam deponit super altare divi Ambrosii, & ibi est paratus reverendissimus dominus archiepiscopus Mediolanensis, qui facit officium ipsi Imperatori, prout moris est, & in fine prædictus comes imponat prædicto Imperatori coronam ferream, quæ Mediolani gubernatur. His expeditis duo nobiles parentelæ de Contis induti cottis albis super vestimentis eorum, & cum reverentia accipiunt in eorum brachiis dominum Imperatorem, & eum portant super cathedram S. Ambrosii, & ibi sedebit, & sedendo confirmat privilegia ipsis comitibus de Inglesio in totum & per totum, prout jacent, & de ipsa confirmatione fit publicum instrumentum, qualiter prædictus dominus Imperator debite recepit coronam ferream in Mediolano. Nota quod dominus Imperator non debet morari in civitate Mediolani nisi per tres dies, nisi casus infirmitatis adest, vel aliud impedimentum.*

VII. Maximiliani in Italiam adventus.

(a) *Jovius l.4.*

(b) *Surit. to.5. l. 2. c.3.*

Decreverat Maximilianus post acceptam (*a*) ferream coronam in Insubria, etiam Romæ auream e pontificis manibus capessere, cumque ab Italis, a quibus erat excitus, copiis auroque subsidiario se instructum iri speraret, exiguo comitatu stipatus venerat (*b*), adeo ut factos officii causa populorum concursus pœniteret, neque Comum Mediolanumve, ubi apparatus splendide comparati erant, ingredi voluerit. Mille equites peditumque duo millia, cum Dertona recessit, secum duxisse tradit Burchardus (*c*), adjungitque Genuam perrexisse, ac religionis ergo ostensum illi in ecclesiæ principis sacrario catinum, quo Christus in cœna ultima usus est: *Tertia*, inquit, *octobris, in sacristia ecclesiæ metropolitanæ Regi & duci*, nempe Alberto Saxoniæ, *prædictis mihi & omnibus ibidem existentibus*, & infra, *ostensus fuit catinus, sive paropsis Christi, in quo fecit ultimam cœnam cum discipulis suis, qui inæstimabilis pretii esse dicitur, longeque plus valere, quam posset per quemcumque æstimari, est autem catinus ipse lapis smaragdus*. Cultum magnificentissime Cæsarem a Genuensibus referunt Genuenses historici (*d*), ornataque (*e*) in eo portu classe Pisas contendisse.

(c) *Burchar. ubi sup.*

(d) *Foliet. l.12. & Aug. Justinian. l.5.*

(e) *Id. ib.*

Genuæ instructa classe Pisas contendit.

VIII. Pisæ Cæsareæ clientelæ restitutæ.

(f) *Jov. l. 4.*

(g) *Comin. l.7. c.7.*

Vindicati fuerant in libertatem Pisani a Carolo Gallorum Rege, quam adversus Florentinorum impetus tuebantur ægerrime, adventuque Maximiliani recreati in veterem cæsaream clientelam restitui poposcerunt, Carolique Regis signum marmoreum cum liliorum aureorum insigni, ut Cæsari morem gererent (*f*), confregere, ponteque in Arnum dejecere, ex quorum facto inania populorum studia arguit Philippus Comineus (*g*). Propulsatis vero Pisis Florentinis eductus deinde adversus Liburnum, quod tenebant Galli, exercitus, sed coorta tempestate cæsarea classis disjecta est, nec non castra gravibus damnis affecta, adeo ut Maximilianus obsidionem solvere coactus Germaniam repetierit (*h*), dissipatis ingentibus consiliis, quæ versabat animo, siquidem eum ad Florentinos pro recuperandis imperii vetustis juribus oratores misisset, instaretque, ut ii fœderatorum, nempe Pontificis ipsius, Hispaniarum Angliæque Regum, ducis Mediolani, Venetorumque numero accederent exponebat, (*i*) se pacata Italia adversus Turcas arma versurum; superiori enim anno Wormatiæ de ea re habiti (*k*) fuerant solemnes imperii conventus, ac plerique suaserant, ut omisso in Gallum bello, Turcicæ expeditioni conficiendæ vacaret, quippe Alexander de assiduis in finitimas Christianorum oras excursionibus hæc refert: (*l*) *Continuo ipsi perfidi Turchi Christi nominis hostes Christianorum terras, & loca etiam munitissima cum validissimo exercitu invadere, & maximas incursiones ac prædas facere non cessant, prout anno superiori, quo totam Croatiam devastarunt, & quamplurimos Christianos in miserabilem servitutem redegerunt, effecerunt & adhuc de novo faciunt, totis viribus illam occupare, & suæ durissimæ tyrannidi subiicere conantes. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MCCCCXCIV. kal. augusti pontificatus nostri anno* II. Quin etiam hoc anno mense octobri Rhodiorum equitum princeps ad eum oratorem legavit (*m*), ut ipsum ad gloriosissimum pro Christo bellum suscipiendum impelleret, doceretque maximos bellicos apparatus terra marique a Bajazethe fieri, ac Turcas, sancitis inter Christianos principes fœderibus, graviores metus concepisse: tum etiam quodam vaticinio, quo ferebatur Turcicum imperium exitio proximum, sectamque Mahometis octingentesimo post anno excindendam, vehementer perculsos

(h) *Sabell. enn. 10. l. 9. Jovius l.4. Volat. 23. Sur. to.5. l.2. c.34. Guicc. l. 2.*

De Turcica expeditione habita colloquia.

(i) *Guicc. l.3.*

(k) *Mutius l.30.*

(l) *L.3. bull. secr. p.291.*

Turcarum in Croatiam irruptiones crebræ.

(m) *Bosius p.2. l.15.*

fos

sos; de qua etiam fama Rhodius magister proximo anno Alexandrum certiorem fecit. Pervulgatum hujusmodi apud Mahometanos de eorum superstitione aliquando abolenda vaticinium jam ante ex Gregorii XI. literis vidimus (*a*), & paulo ante repetivimus: & licet circa annorum circumscriptiunem erratum fuerit, non modo a Mauris, verum a nonnullis Christianis, ut a Torquato & ab Hieronymo Savonarola, & aliis, qui sine divino instinctu conjecturis temporum momenta assequi conati sunt, tamen de nefaria eadem secta, & antichristi imperio triumphaturam Ecclesiam ex apocalypsis oraculis habetur, quæ multis antea Mahometis ortum sæculis edita a divina providentia Henricus Institor (*b*) & Genebrardus (*c*) observant, ne secundis impiorum hominum rebus turbarentur electi, utque eadem fallaci prosperitate reprobi confunderentur.

Mahumetismi excindendi pervulgata fama.

(*a*) *Annal. to.16. ann.1373. n.10.*

(*b*) *Henr. Instit. tr. 8.*

(*c*) *Genebr. in chron. l.3.*

IX. Cæterum Maximilianus ad Turcicam conficiendam expeditionem impar erat viribus, atque nummariis subsidiis, quæ etiam defuerunt ad suscipiendum augustale insigne, quo ornatus majori cum dignitate crucesignato exercitui præfuisset. Præceps (*d*) adeo fuit illius discessus, ut legatus apostolicus vix eundem salutare potuerit, irarumque plenum sæpius repetiisse ajunt (*e*), non venatoris habitu, ut sociorum confisus auxiliis fecerat, sed armati Cæsaris more, omnibus imperii succinctum viribus in Italiam reversurum. Ideo autem promissa subsidia minus præstita fuerunt, cum jam Gallorum res, ad quorum infringendos conatus excitus fuerat, in Neapolitano regno corruissent, nec non Veneti & dux Mediolanensis de Pisarum imperio contrariis studiis certarent.

Discessus turpis Maximiliani ex Italia.

(*d*) *Guicc. l.3.*

(*e*) *Jov. l.4. Sur. to.5. l.4. c.39.*

X. Quod porro ad Neapolitanas turbas attinet, gestum (*f*) diu est bellum ancipiti eventu, nam Ferdinandus ad Tarentum erumpentibus ex eo Gallis inferior viribus obsidionem solvere coactus est, demum qui sæpe tumultuariis præliis hostilibusque grassationibus fractus fuerat, conjunctis cum duce Mantuano copiis, & Gonsalvi Hispani ducis celebratissimi manu suffultus, Gallos ad Atellam compulit, interclusisque commeatibus ad faciendam deditionem adegit. Inter quæ Alexander Pontifex, Veneti, & Mediolanensis dux communibus stipendiis conductum exercitum adversus Gallos immisere, cujus imperium Urbini duci datum est, de quo extant literæ (*g*).

Inter Ferdin. & Gallos certatum.

(*f*) *Comin. l.8. c.14 & 15. Ferron. in Car. VII. l.2. Sabel. enn.10. l.9. Sur. to.5. l.2. c.28. & 30. & 41. & alii.*

(*g*) *L.7. bull. secr. p.359.*

XI. Conjunxit armis Alexander ecclesiasticarum censurarum severitatem, ac Joanni S. Mariæ in via lata diacono Cardinali provinciam dedit, ut de malis, quæ Galli Neapolitano regno adversus Ferdinandum Regem intulissent, publica acta conficienda curaret, ut in eos legum ecclesiasticarum severitas posset adhiberi (*h*).

(*h*) *L.7. bull. secr. p.269.*

*Dilecto filio Joanni S. Marci in via lata diacono Cardinali in regno Siciliæ citra pharum nostro & A. S. L.*

*Ad audientiam non sine cordis displicentia ac admiratione non parva pervenit, quod nonnulli ecclesiarum prælati, & aliæ personæ ecclesiasticæ etiam in dignitatibus constitutæ tam religiosæ, quam sæculares, qui ad pacis bonum tota mente aspirare tenentur, suorum salutis status & honoris immemores, Dei timore postposito, in regno Siciliæ citra pharum, quod est speciale patrimonium B. Petri, scissuram & dissensionem damnabilem, ac contra charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum ejusdem regni Regem illlustrem, sedemque Apostolicam, ad cujus superioritatem dictum regnum pertinet, rebellionem temerariam excitare & inducere, inductamque pertinaciter fovere, suisque falsis suggestionibus & perversis consiliis manutenere præsumpserunt & præsumunt in dies, ex quo in regno prædicto scandala maxima, depopulationes, incendia, sacrilegia, furta, rapinæ, homicidia, incursiones, & alia quamplurima damna evenisse noscuntur in animarum suarum perniciem, ac Regis & regni prædictorum, ac populorum dicti regni dispendium & detrimentum non modicum, perniciosum quoque exemplum & scandalum plurimorum. Nos igitur, quorum interest, contra talium scelerum patratores, ac eorum temerarios ausus & insolentias, ne de ipsorum valeant malitia gloriari, quoad possumus, remedio opportuno occurrere, ac aliis aditum perpetrandi similia amputare, circumspectioni tuæ, de qua in his & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi personaliter, si eorum præsentiam habere potueris, alioquin per edictum in valvis unius vel duarum ecclesiarum circumvicinarum, de quibus tibi videbitur, affigendum, super præmissis omnibus & singulis inquiras authoritate nostra diligentius veritatem, & quæ per inquisitionem eandem repereris veritate fulciri in publicam formam redigas, processus quoque deinde, quos super præmissis habueris, ad nos sic in publicam formam redactos, ut super eisdem maturius deliberare, & ulterius ad punitionem excessuum & delictorum hujusmodi, justitia exigente, procedere valeamus, sub tuo sigillo clausos quantocyus destinare procures, contradictores per censuram ecclesiasticam, ac* alia

Ingentia in regno Neap. bella sequuta.

Contra Gallos legatus censuras jussus distringere.

*alia juris opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCCXCVI. kal. septembris pontificatus nostri anno* v.

XII. Galli Neapolitano regno pulsi.

At Gallicus exercitus & censuris ecclesiasticis, & fœderatis Italorum armis pressus, necnon omni ex Gallia auxiliorum spe depulsus tumultuati in duces cœpit, præliumque inire cum hostibus, ad quos etiam plures Germani descivere, detrectavit: itaque salutem pactus, & commeatu libero impetrato deditionis verba nuncupavit ea lege, ut instrumenta omnia bellica, & arces, quæ præsidiis Gallorum tenebantur, in Ferdinandi potestatem redirent: qui vero vitam, quam armis defendere potuerant, ea pactione redimere putaverant, ab hostibus tantis incommodis sunt affecti, ut duas eorum partes morbis vel peste consumptas una cum Monpenserio pro rege referat Comineus (*a*). Alios per Italiam vagantes omnium egenos illudentis humanæ instabilitatis fuisse spectaculum narrat Paulus Jovius.

(*a*) *Comin. l. 8. c.14*

XIII.

Tanta porro auctus victoria Ferdinandus junior, qui jam firmato solio, ductaque in conjugem consanguinea vacabat delitiis, atque ad summum humanæ gloriæ felicitatisque fastigium assurrexisse videbatur, repente morbo extinctus est (*b*). Cujus mortem divinæ ultioni aliqui ascribunt, cum ille Theanensem episcopum securi percuti jusserit. Successit Ferdinando in Neapolitano regno Fridericus patruus, de quo hæc tradit Burchardus (*c*): *Feria sexta septima octobris*, nempe hujus anni, *obiit serenissimus D. Ferdinandus Siciliæ Rex Neapolitanus, in cujus locum & regnum assumptus est & successit illustrissimus dominus Fredericus de Aragonia princeps Altamuræ, dux Adriensis regni prædicti administrator, vel admirandus Ferdinandi senioris dicti regni Regis patris Ferdinandi prædicti ultimo defuncti frater Germanus, cui omnipotens Deus prosperum ingressum & felicem progressum tribuere dignetur*. Præfuit idem author sacris ritibus in regia illius inunctione.

(*b*) *Burch. l.2. Jovius l.4. Guicc.l.3.*

Ferdinandus Rex Neap. extinctus.

(*c*) *Burch. ubi sup. Sur. tom. 5. l.2. c. 33. Marian. l.27. c.7.*

Fridericus illi succedit.

XIV. Galli Cajetam deditione tradunt.

Potitus regno Fridericus, cum Galli aliquot Cajetam adhuc tenerent, qui confectas a sociis pactiones respuebant, ad eos inde disturbandos exercitum movit, & licet initio Galli nonnullis eruptionibus strenue resisterent, demum tamen spe suppetiarum animo demissi deditionem fecerunt, impositique navi male compaginatæ periere, ut narrat Burchardus (*d*): *Sabbato*, inquit, XIX. *novembris facta est compositio & conventio de castro Cajetano inter serenissimum Regem Neapolitanum & Gallos in arce Cajetana & prædicto castro existentes de assignando castrum & arcem hujusmodi Regi libere & expedite, nisi infra quindecim dies ex tunc immediate sequentes veniret ipsis Gallis sufficiens subsidium a Rege Franciæ, quo possent se contra Regem Fredericum opportune tueri, & dati sunt obsides, qui lapsis diebus hujusmodi consignatis castro & civitate prædicta Regi Frederico fuerunt liberati, & datus liber recessus Gallis ibidem existentibus cum bonis & rebus suis personæ circiter trecentæ viginti, qui omnes, demptis circiter viginti, apud Terracinam rupsis de fortuna maris lignis sunt submersi, de quo Papa habuit literas die veneris secundo decembris ante horam concistorii.*

(*d*) *Burch. mss. arch. Vat. l. 2. Sur. to. 5. l. 2. c. 34. & 38. Jovius l. 4. Guicc. l.3 Feron. in Car. VIII. l. 2.*

XV. Hypocrisis Caroli VIII. turpem exitum sortita.

Hic fuit Neapolitani belli a Carolo Francorum Rege sacri in Turcas belli specie suscepti funestus exitus. Non defuere etiam inter Gallos, qui de Carolo conquererentur, quod externis, nec non suis, quos discriminibus implicitos deseruerat, exitia tanta intulisset: *Varie*, inquit Feronius (*e*), *laudabatur reprehendebaturve. Aditum quidem paratum ab eo in Italiam magno nominis splendore, nullo regni commodo, quem si cæteri Reges æmulati contendant & armis & pecuniis & hominibus, exhausturi brevi sint Galliam, Italis proceribus aliisque exteris bellum ex bello semper serentibus & augentibus privatorum commodorum gratia. Pro tot thesauris congestis in Neapolim vitia inde satis superque relata, invectum Carolum in Neapolim victorem cum insigni illa laurea, at hostes triumphasse decore Gallico convulso, expugnatas eorum arces, at Francos genus hominum optime moratum modestissimos mores ea expeditione exuisse, dominatum eos accepisse Neapolis, at in clientelam impegisse delitiarum fastusque exteri & Campani*. At de his satis.

(*e*) *Feron. ubi sup.*

Vitiis expugnati Galli magis quam armis.

XVI.

Cæterum quamquam Neapolitanum regnum, propulsatis dejectisque Gallis, conquievit, haud tamen ditio ecclesiastica pacata fuit (*f*), Alexander enim Pontifex, cum illos ad Atellam deditionem fecisse audisset, & cum aliis ducibus Virginium Ursinum in Ferdinandi Regis redactum potestatem, Ferdinando mandata dedit (*g*), ne fidem illi datam servaret, cum is jam ante a sede Apostolica perduellionis crimine damnatus esset. Extat lata in Virginium ab Alexandro sententia (*h*), qua illi versum est crimini, quod monitus a Pontifice ipso sæpius, ut Gallicas partes ad pontificias tuendas desereret, nec jussis ejus neque Cæsaris, Regum Hispaniæ, ac Veneti & Mediolanensis ducum precibus flecti potuisset.

(*f*) *Burch. l.2. Volat. l.22. in Alex. VI. Jov. l. 4. Guicc. l. 3. Sabell. enn. 10. l. 9. Sur. tom. 5. l.2. c. 30.*
(*g*) *Surit. super. c. 30. Jov. ubi sup.*
(*h*) *L. 7. ball. secr. p.246. & 341.*

Ad

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Ut Ostia intercepta a Gallis.*

*Dudum licet iniquitatis filio perditionis alumno Virginio Ursino domicello Romano notum esset, quot & quanta gravissima mala ex adventu Regis Francorum armata manu in Italiam, & ex invasione & violenta occupatione regni Siciliæ citra pharum, quod est speciale patrimonium Beati Petri, ac detentione arcis nostræ Ostiensis provenerant, propter quam occupationem, invasionem, & detentionem tam Rex ipse, quam omnes fautores, adhærentes, ac sibi auxilium, consilium, vel favorem præstantes gravissimas censuras & pœnas, quæ in his, quæ singulis annis contra hujusmodi invasores & perturbatores dicti regni, & juriam ejusdem Romanæ ecclesiæ in die cœnæ Domini publicari consueverunt, incurrerant, ac ipse Virginius, qui noster & ejusdem Romanæ ecclesiæ subditus & vassallus erat, a præstatione auxilii & favoris contra regnum prædictum abstinere teneretur, & non solum contra jura ipsius Romanæ ecclesiæ, quidquam attentare non debuisset, verum etiam eandem Romanam ecclesiam adjuvare, eique servire subjectionis jure astringeretur & obligaretur, & secus faciendo ultra prædictas censuras, & perjurii reatum omni feudo & dominio, quod ab ipsa Romana ecclesia obtinebat, indignum se faceret, & ab eo cadere deberet, tamen nos volentes secum benigniori officio agere paterna moti charitate, misimus ad eum dilectum filium Vincentium electum Capersanum tunc cubicularium & nuntium nostrum cum pleno & sufficienti mandato nostris & dilectorum filiorum nobilium virorum Venetiarum & Mediolanensis ducum confœderatorum nostrorum stipendiis conducendum, hortantes eum, ut pro debito suo & servitio nostro ac sedis Apostolicæ oblata sibi stipendia & honorificas conditiones acceptare vellet, & cum corde indurato acceptare recusasset, non cessavimus ex abundanti benignitate nostra per plures interpositas personas, & condecentia media secum agere, ut eum ad amplectendum viam nostram & stipendia prædicta oblata acceptandum adduceremus sed ipse quanto magis se rogari cernebat, tanto obstinatiori corde renuebat, & ulterius ad convincendum proterviam suam, & ne ullo unquam tempore aliquam excusationis materiam exquirere posset, denuo ad eum præfatum Vincentium cum pleno mandato pro sua conducta concludenda atque firmanda destinavimus, parique modo nuntios suos cum mandatis præfati Venetiarum & Mediolanensis duces, & eorum nomine sui oratores ad ipsum Virginium miserunt, requirentes & hortantes eum, ut pro communi Christianorum beneficio & salute, ac quiete totius Italiæ ad hujusmodi nostra & eorum communia stipendia conduceretur, ad quod etiam alii nostri & sanctissimæ ligæ confœderati, videlicet charissimi in Christo filii nostri Maximilianus Romanorum, & Ferdinandus Reges & Elizabeth Regina Hispaniarum illustres per eorum nuntios eundem Virginium plurimum hortati fuere, & cum surda aure & protervo animo renueret malens ejusdem Regis Francorum dicti regni & jurium ejusdem ecclesiæ occupatoris stipendiis contra ecclesiam, ejusque jura servire, quam pro defensione ecclesiæ, ad quam tenebatur, oblatis stipendiis militare, gentes armigeras contra prædictum regnum in terris ejusdem Romanæ ecclesiæ quotidie instruendo & expediendo in nostrum & ejusdem ecclesiæ ac sedis prædictorum contemptum & vilipendium, prædictas censuras & pœnas ac perjurii reatum incurrendo, nos volentes, prout pro conservatione jurium Romanæ ecclesiæ ac sedis prædictarum tenebamur, omnibus opportunis remediis providere, eidem Virginio per nostras in forma brevis literas sub excommunicationis latæ sententiæ, ac ecclesiastici interdicti in omnibus terris & locis suis atque aliis, ad quæ eum & milites suos declinare contingeret, necnon rebellionis & confiscationis omnium bonorum suorum stabilium & mobilium ubicumque existentium, ac privationis omnium feudorum & statuum, quæ ab ipsa Romana ecclesia obtinet pœnis, quas ipso facto incurreret, mandavimus, ut nihil contra prædictum regnum directe vel indirecte attentare, nec illud intrare præsumeret, neque aliquas gentes armigeras, in quibuscumque terris & locis ejusdem Romanæ ecclesiæ facere, vel tenere a die intimationis literarum prædictarum in antea, immo quoscumque milites & pedites ad sua stipendia; sive sub eo militantes infra sex dies a die intimationis hujusmodi computandos, quorum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies pro tertio & peremptorio termino ac monitione canonica assignavimus, a prædictis terris & locis removere penitus deberet, & prædictis militibus & peditibus sub similibus censuris & pœnis ac termino & canonica monitione, ut sua stipendia nullatenus reciperent, & in regnum prædictum intrarent, & si qui recepissent restitutis ipsis stipendiis ab eo & sua militia & obedientia, eisdemque terris & locis ecclesiæ recederent, & si secus facerent decrevimus, & declaravimus præfatum Virginium, & omnes secum militantes prædictas censuras & pœnas ipso facto incurrere, terrasque omnes & loca suæ ditionis, & alia, ad quæ eum & milites prædictos de-*

*Virginius Ursinus cum iis sensit adversus Pontificem.*

*Rogatus ab Alex. & Cæsare & Ferdin. & Mediol. Gallum deserere abnuit.*

*Censuris defigitur.*

*declinare contingeret, ecclesiastico supposita esse interdicto eo casu absolventes & liberantes omnes & singulos subditos suos a quocumque juramento fidelitatis quo eidem Virginio astricti erant, liberosque & solutos esse decrevimus & declaravimus: omnia quoque bona, terras, oppida, & dominia sua & militum suorum prædictorum cameræ apostolicæ confiscavimus, & confiscata esse, & pro rebellibus ejusdem Romanæ ecclesiæ ipsos eo casu declaravimus, prout in eisdem literis plenius continetur.*

XVII. *Cum autem postmodum præfatus Vincentius tunc nuntius noster in præsentia nuntiorum dictorum confœderatorum præfato Virginio quasdam alias nostras in simili forma brevis literas, quibus eumdem Virginium ad præmissa peragenda paterne hortabamur, præsentaverit, & licet tunc & deinde sæpius magna cum instantia, ut illas reciperet & juxta illarum continentiam & tenorem mandatis nostris, prout tenebatur, obtemperare deberet omnibus, quibus potuit, modis requisiverit, ac etiam nuntii dictorum confœderatorum ejusdem Virginii rebellionem & perfidiam videntes sibi nomine dictorum confœderatorum affirmaverint, quod si mandatis nostris contraveniret ultra pœnas prædictas in dictis literis nostris monitorialibus contentas, ipsi confœderati hostiliter adversus eum statumque suum cum omni eorum conatu insurgerent, tamen ipse Virginius in sui cordis duritie Pharaonis inhærendo vestigiis peramplius perseverans, Dei timore postposito, literas prædictas recipere recusaverit, multaque nefanda & detestabilia præsertim in læsionem honoris & dignitatis hujus sanctissimæ sedis & apostolicæ authoritatis ac fidei nostræ contemptum publicæ proferre non expaverit, significans omnino contra dictum regnum speciale, ut prædiximus, patrimonium B. Petri, militare & dicto Regi Francorum adhærere velle, nec censuras, pœnas & minas hujusmodi formidare.* Et infra: *Et deinde præfatus Virginius erecta cervice, mala malis accumulando, & in sua erga nos & ipsam Romanam ecclesiam rebellione & obstinatione proterva perseverando cum Joanne, Jordano, Paulo, & Bartholomæo [ de Alviano scilicet ] ac aliis gentibus armigeris personaliter per nostras & ejusdem Romanæ ecclesiæ terras pertransiens ad dictum regnum adversus charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum ejusdem regni Regem illustrem militando contra & præter voluntatem ac monitiones & mandata nostra hujusmodi se contulerit, præfatis Gallis adhærendo, maximaque & innumerabilia damna dicto regno intulerit in grave suæ ac sequacium & complicum suorum prædictorum animarum periculum, apostolicæ authoritatis contemptum, & jurium ejusdem Romanæ ecclesiæ detrimentum, perniciosum quoque exemplum & scandalum plurimorum, &c.* Proscriptione bonorum, & censuris ecclesiasticis percellit Virginium, Joannem, Jordanum, Paulum de Ursinis, Bartholomæum de Alviano, Carolum Ursinum Virginii natum, Camillum, Paulum, & Visellatium fratres, omnique honore & jure exauthorat. *Datum Romæ apud S. Petrum anno MCDXCVI. kal. junii pontificatus nostri anno IV.*

*In eundem & socios repetita.*

XVIII. Itaque Ferdinandus sacramentum de libero commeatu dando Ursinis, nec eorum invadenda ditione infregit, quippe ( ut dictum est ) Alexander Virginio Romanæ ecclesiæ clienti Gallicas partes sequi vetuerat, quin potius pontificiis fœderatorumque partibus adhærescere jusserat, intentata nitenti contra anathematis religione, bonorumque proscriptione, quas censuras ille spreverat, & cum Joanne Jordano, filio Paulo Ursino, & Bartholomæo Alviano copiis succinctus adversus Aragonios in Neapolitanum regnum penetraverat. Quem contemptum vindicaturus Alexander Ursinorum ditionem, dum in Neapolitano carcere teneretur, occupare, jurisque acerbitate uti constituit, de quo hæc Burchardus (a): *Feria quinta*, inquit, *vigesimasexta octobris fuit consistorium secretum, in quo reverendissimus dominus Cardinalis de Lunate creatus & publicatus fuit legatus de latere ad assistendum ad expugnationem castrorum, & terrarum, oppidorum & villarum dominorum Gentilis Virginii Ursini de Aragonia, Pauli Ursini, &c.* Addit author illum ecclesiastici exercitus imperium Cæsari Borgiæ duci Gandiæ contulisse, summaque celeritate eductum ad prædam potius, quam ad pugnam, exercitum: *Feria*, inquit, *quarta* XXVII. *octobris reverendissimus dominus Cardinalis de Lunate legatus, & dux Gandiæ capitaneus cum duce Urbini, ac omnibus eorum gentibus armorum machinis præparatoriisque exierunt urbem ituri ad Anguillariam, & alias terras, & loca domini Gentilis Virginii Ursini: omnes successive debellarunt, expugnarunt autem & acquisiverunt sanctæ Romanæ ecclesiæ intra vel circa unum mensem decem castra, videlicet, Anguillariam, Galeram, Bassanum, & Sutrium, Campagnanum, Formellum, Scrofanum, Cesonum, Vianum, Biedam & Trivignanum.*

*Virginio Ursino non servata fides.*

*(a) Burchar. ubi sup.*

*Exuere eum principatu nititur Alexander.*

XIX. Capto hoc extremo oppido, nempe Treboniano, omnis belli vis ad Brachianum

num

Ad Brachianum cæsus exercitus Pontificius.

(a) Volat. Sabell. Gauc. ubi sup. Surit. to. 5. l. 2. c. 42. & alii.

num incubuit, ubi (a) post varias ancipitesque pugnas demum a Caroli Virginii filii, e Gallia ad flagitanda auxilia reducis, collectitia manu pontificius exercitus profligatus est, vexillis tormentisque captis, ipso duce Urbini Guidone Feltrio una cum pluribus nobilibus in hostium potestatem veniente; in eaque fuga Bernardinum Lunatum Ticinensem Cardinalem ex pavore concepto adeo equum vexasse ferunt, ut ex tanta jactatione obierit, cum victores paulo ante amissa, præter Anguillariam & Trebonianum, recepere. Perculsus suorum clade Alexander, metuens ne Gallica arma ad tuendos fœderatos in Italiam alliceret, pacem interprete Friderico Sanseverino Cardinale Ursinis dedit (b) proximo ineunte anno: at Virginius pacis beneficio potiri non potuit, cum in Neapolitano carcere tunc obierit. Ob ejusmodi Italica bella Petrus Delphinus (c) hæc pie scripsit ad Petrum de Pertica monachum Camaldulensem: *Vere in ea incidimus tempora, ut pro carcere oppidum, pro paradiso eremus habenda sit. Vides ipse quantis nunc bellorum perturbationibus vexetur Italia, quocumque te verteris armorum exaudis strepitus, ac frementium hinnitus equorum, fœdata est barbarorum gladio Latinorum regio. Omnia madent sanguine. Avertat Dominus iram suam a nobis, neque nos deserat in tempore malo, &c. Ex Fonte bono die* XII. *julii MCDXCVI.*

Ursini ad pacem admissi.

(b) Id. ib.

(c) Lib. 5. ep. 6.

XX. Devexo autem hoc anno cum post aliqua levia prælia in Galliæ & Hispaniæ finibus prope Narbonensem agrum atque Salsulas Hispano ereptas induciæ inter Carolum Francorum & Ferdinandum Hispanorum Reges sancitæ essent (d), Pontifex in sacro Cardinalium senatu egit (e) de pace inter universos Christiani imperii principes redintegranda, deque legato apostolico in Gallias decernendo, ut Carolum ad eam amplectendam pelliceret, sed Maximilianus Romanorum Rex, qui in Germaniam iter valde accelerabat, nec Turcica pro fide bella, quamvis id externa specie ostenderet, cogitabat, nec non dux Mediolanensis ea consilia dissiparunt.

Aliqua prælia in Galliæ finibus edita.

(d) Surit. to. 5. l. 2. c. 39. Comin. l. 8. c. 16. & alii.

(e) Id. Sur. sup. c. 39.

XXI. Inter hæc Constantinus Georgianorum Rex Nilum monachum ordinis S. Basilii oratorem misit ad Alexandrum, ut regium obsequium illi, veluti Christi vices in terris gerenti, deferret (f), ipsumque rogavit, ut occidentales Reges ad sacrum in Saracenos bellum adornandum concitaret, cum quibus ipse & orientales Christiani arma juncturi essent: idemque vetus cum Romana ecclesia fœdus redintegraturus expetiit, ut Florentini concilii de orientalis ecclesiæ cum occidentali Romana conjunctione, damnatisque Græcorum erroribus decretum ad ipsum transmitteretur: cui Alexander hoc responsum dedit (g).

(f) Lib. 7. bull. secr. pag. 367.

(g) Ibid. p. 309.

*Carissimo in Christo filio nostro Constantino Georgianorum Regi illustri salutem & apostolicam benedictionem.*

*Accepimus per dilectum filium Nilum confessorem & oratorem tuum literas tuas, quibus summam erga nos ac sanctam sedem Apostolicam devotionem & reverentiam tuam, quantumve reipublicæ Christianæ de victoria adversus infideles per charissimos filios nostros Regem & Reginam Hispaniarum illustres potita gratulabaris plane significasti, & gratias propterea Deo omnipotenti habebas. Intelleximus etiam summa cum animi jucunditate optimam mentem ac sententiam tuam in expeditionem adversus Jesu Christi fidei rebelles undique parandam, & quantum ad hujusmodi salutaria cœpta una cum filio tuo exercitus offerebas ad prophanata templa expianda, & oppressos populos in Christi libertatem vindicandos. De quibus omnibus vix exprimi potest quantam cepimus animo voluptatem, egimusque gratias, ut par erat, omnipotenti Deo, quod majestatis tuæ menti tantum ardorem atque fervorem fidei inspiraveris, & qui tantopere animo & desiderio nostro in fidei Christianæ observantia, & juramento correspondeas, ac de Christianorum prosperitate læteris, nihil est enim quod magis cupiamus, dies noctesque frequentius mente volventes, quam meditari & aliquod consilium inire, quo nostræ fidei consulamus, semperque invigilamus, & supra vires enitimur, ita principes hos Christianos tenere pacatos, ut de Constantinopolitana & Jerosolymitana, aliisque patriarchalibus sedibus recuperandis spes certa capiatur. Sed nec defuit voto nostro, & bonis semper omnibus consiliis adversarius antiquus hostis, qui aliqua discordiarum semina inter eos sereret, quas nihilominus speramus nos fore Christi auxilio facile composituros, omnemque conatum adversus hostes sanctæ fidei convertemus, de quibus non veremur crucis vexillum præferentes certam victoriam reportaturos, ad quam rem etsi semper noster animus fuit accensus, nunc maxima cum alacritate festinat, quandoquidem de tanta tua promptitudine & religione pro Christi gloria certi sumus.*

Georgiæ Rex solicitat occid. ad exped. in Sarac.

Alexandri responsum.

*Te igitur quantum possumus hortamur, & in Domino oramus, quod in isto tuo laudabili consilio persistes, tuosque subditos omnes horteris ac mandes, ut mentem tuam*

in

*in tam sancto proposito sequantur, & pareant. Et quoniam omnibus Christifidelibus expedit pro necessitate salutis æternæ in fide & obedientia cum sancta Romana ecclesia convenire, ubi caput & sedem Christus Dominus, & Apostolus Petrus ipsius vicarius universo orbi Christiano reliquerunt. Gaudemus summopere majestatem tuam ad veram orthodoxæ fidei agnitionem intendere, & quæ ad ipsius fidei rectam observantiam pertinent a nobis & hac sanctissima sede, universæ Christianitatis capite, expostulare. Cum igitur per eundem Nilum oratorem tuum nobis supplicari feceris, ut ad majestatem tuam definitionem fidei in concilio Florentino firmatam, in quo sub felicis recordationis Eugenio Papa IV. prædecessore nostro universa Ecclesia tam Latina quam Græca convenit, mitteremus, ut tu & dominia tua idem sentiendo æternam gloriam, & temporalem hic victoriam contra hostes fidei a Deo merearis, cum sine recta fide Apostoli testimonio placere Deo sit impossibile, nunc dictam definitionem concilii literis nostris sub plumbo tibi mittimus, hortantes devotionem tuam, quod illam mandes per universas provincias tuas publicari & observari. Et sicut in Christo vero Dei filio omnes, ita in ejus præceptis & institutis per suum vicarium, & inde cæteros successores nobis promulgatis uno cultu conveniamus, confidentes, si ita feceritis, nulla vobis adversantia tela inimicorum posse nocere, cujus fide regna vincantur, habentesque serenitati tuæ gratias innumeras de suis oblationibus, quas admisimus libenter, eisque, cum occasio aderit, utemur, sicuti & dicto Nilo latius diximus, cui de cæteris, quæ nobis exposuit, verbo respondimus. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCCXCVI. III. non. julii pontificatus nostri anno IV.*

Monitus Georgiæ Rex ut decretum unionis promulgandum curet.

XXII. Extant aliæ Alexandri literæ ad eundem Georgianorum Regem missæ (*a*), quibus Florentini concilii de processione Spiritus Sancti ex Patre & Filio veluti unico principio, ac de primatu Romani Pontificis in totius orbis ecclesias sanctio continetur.

(*a*) *Ib. p.* 365.

*Alexander, &c. ad futuram rei memoriam.*

*Provisionis nostræ debet provenire subsidio, ut jus suum cuilibet conservetur. Hinc est quod nos tenorem quarumdam literarum felicis recordationis Eugenii Papæ IV. prædecessoris nostri in registro ipsius prædecessoris repertum pro eo quod, sicut exhibita nobis nuper pro parte charissimi in Christo filii nostri Constantini Georgianorum Regis illustris petitio continebat, ipse hujusmodi tenore pro implemento orthodoxæ fidei in partibus illis se asserit indigere, de registro ipso de verbo ad verbum transcribi, & ad ipsius Regis supplicationis instantiam præsentibus annotari fecimus, qui talis est.*

Georgian. Rex conjunctionem cum Rom. eccl. redintegrat.

*Eugenius, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

*Consentiente ad infrascripta charissimo in Christo filio nostro Joanne Palæologo Romanorum Imperatore illustri, & locatenentibus venerabilium fratrum nostrorum patriarcharum, & cæteris orientalem ecclesiam repræsentantibus, lætentur cæli & exultet terra, sublatus est enim de medio paries, qui occidentalem orientalemque dividebat ecclesiam, & pax atque concordia rediit illo angulari lapide Christo, qui fecit utraque unum, vinculo fortissimo charitatis & pacis utrumque jungente parietem, & perpetuæ unitatis fœdere copulante ac continente, postquam longam erroris nebulam, & dissidii diuturni atram ingratamque caliginem serenum omnibus unionis optatæ jubar illuxit. Gaudeat & mater Ecclesia, quæ filios suos hactenus invicem dissidentes jam videt in unitatem pacemque redisse, & quæ antea in eorum separatione amarissime flebat, ex ipsorum modo mira concordia cum ineffabili gaudio omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles ubique per orbem, & qui Christiano censentur nomine matri catholicæ Ecclesiæ collætentur. Ecce enim occidentales orientalesque patres post longissimum dissensionis atque discordiæ tempus se maris ac terræ periculis exponentes, omnibusque superatis laboribus, ad hoc sacrum œcumenicum concilium desiderio sacratissimæ unionis, & antiquæ charitatis reintegrandæ gratia, læti alacresque convenerunt, & intentione sua nequaquam frustrati sunt, post longam enim laboriosamque indaginem tandem Spiritus Sancti clementia ipsam optatissimam sanctissimamque unionem consecuti sunt. Quis igitur dignas omnipotentis Dei beneficiis gratias referre sufficiat? Quis ante divinæ miserationis divitias non obstupescat? Cujus vel ferreum pectus tantæ supernæ pietatis magnitudo non molliat? Sunt ista prorsus divina opera, non humanæ fragilitatis inventa, atque gratia eximia cum veneratione suscipienda & divinis laudibus prosequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio Christe, fons misericordiarum, qui tantum bonum sponsæ tuæ catholicæ Ecclesiæ contulisti, ad quæ in generatione nostra tuæ pietatis miracula demonstrasti, ut enarrent omnes mirabilia tua, magnum siquidem divinumque munus nobis Deus largitus*

Missum ad ipsum decretum unionis Græc.

gitus

*gitus est, oculisque vidimus, quod ante nos multi cum valde cupierint aspicere nequiverunt, convenientes enim Latini & Græci in hac sacrosancta œcumenica synodo magno studio invicem usi sunt, ut inter alia etiam articulus ille de divina Spiritus Sancti processione summa cum diligentia & assidua inquisitione discuteretur, prolatis vero testimoniis ex divinis scripturis plurimisque authoritatibus sanctorum doctorum orientalium & occidentalium, aliquibus quidem ex Patre & Filio, quibusdam vero ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum Sanctum, & ad eandem intelligentiam aspicientibus omnibus sub diversis vocabulis, Græci quidem asseruerunt, quod id, quod dicunt Spiritum Sanctum ex Patre procedere non hac mente proferunt, ut excludant Filium, sed quia eis videbatur, ut ajunt, Latinos asserere Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio tanquam ex duobus principiis & duabus spirationibus, ideo abstinuerunt a dicendo, quod Spiritus Sanctus ex Patre procedat & Filio. Latini vero affirmarunt, non se hac mente dicere Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere, ut excludant Patrem, quin sit fons & principium totius deitatis, Filii scilicet & Spiritus Sancti, aut quod id, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, Filius a Patre non habeat, sive quod duo ponant esse principia, seu duas spirationes, sed ut unum tantum asserunt esse principium unicamque spirationem Spiritus Sancti prout hactenus asseruerunt. Et cum ex his omnibus unus & idem eliciatur veritatis sensus, tandem in infrascriptam sanctam & Deo amabilem eodem sensu eademque mente unionem unanimiter concordarunt, & consenserunt.*

Asserta processio Spiritus S. ex Patre & Filio tanquam unico principio.

XXIII. *In nomine igitur Sanctæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti hoc sacro universali approbante Florentino concilio definimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio, & unica spiratione procedit, declarantes quod id, quod sancti doctores & patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendat, ut per hoc significetur Filium quoque esse secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiæ Spiritus Sancti sicut & Patrem, quoniam omnia quæ Patris sunt Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit: præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius ex Patre æternaliter accepit, a quo æternaliter etiam genitus est.*

Quomodo intelligatur Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedere.

*Definimus insuper explicationem verborum illorum,* Filioque, *veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licite, ac rationabiliter symbolo fuisse appositam. Item in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ ecclesiæ sive occidentalis sive orientalis consuetudinem. Item si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari, & ut a pœnis hujusmodi releventur prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta, illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ in cælum mox recipi & intueri clare ipsum Deum trinum & unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius, illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.*

*Item definimus sanctam apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem & doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam a domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis conciliorum œcumenicorum, & in sacris canonibus continetur, renovantes insuper ordinem traditum in canonibus cæterorum venerabilium patriarcharum, ut patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus vero Antiochenus, & quintus Jerosolymitanus, salvis videlicet privilegiis omnibus & juribus eorum. Dat. Florentiæ in sessione publica synodali solemniter, in ecclesia majori celebrata anno incarnationis dominicæ MCCCCXXXIX. pridie nonas julii pontificatus nostri anno IX.*

Primatus Rom. ecclesiæ agnitus a Græc.

*Cæterum ut earumdem literarum tenor præ-*

*prædictus ſic inſertus omnimodam rei ſeu facti certitudinem faciat, authoritate apoſtolica decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales literæ ſupradictæ, & eadem prorſus hujuſmodi tenori fides adhibeatur quandocumque & ubicumque, ſive in judicio, vel alibi, ubi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, & eidem tenori ſcienter ſtetur in omnibus, ſicut eiſdem originalibus literis ſtaretur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Per hoc autem nullum de novo cuiquam jus acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo conſervari. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MCCCCXCVI.* III. *non. junii pontificatus noſtri anno* IV.

XXIV. Dum Georgiani conjunctionem cum Romana eccleſia exoptabant, ex ſeptentrione Moſcovitæ in finitima regna Romanæ eccleſiæ ritui addicta Sueciam, Livoniamque, & alias ſeptentrionales provincias magno armorum terrore irruperunt: adverſum quos Sueci quinquaginta bellatorum millia eduxere, quibus Alexander pro Chriſti fide in ſchiſmaticos pugnaturis indulgentiarum ampliſſima præmia propoſuit hoc diplomate (*a*).

(*a*) *Lib. 7. bull. ſecr. p. 296.*

*Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus archiepiſcopo Upſalenſi & epiſcopo Aboenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

*Ex relatione dilecti filii Heminqi Gadh præpoſiti eccleſiæ Lincopenſis familiaris & cubicularii noſtri, & totius regni Sueciæ apud ſedem Apoſtolicam oratoris accepimus, quod anno proxime immediate elapſo circa feſtum S. Andreæ Apoſtoli, & pluribus aliis vicibus, Rutheni ſchiſmatici Chriſti nominis inimici cum ſexaginta millibus hominum magnam partem Aboenſis diœceſis in regno Sueciæ conſtituti incendiis eccleſiarum, blaſphemationibus nominis Chriſti & ejus ſanctorum, cædibus, rapinis, matronarum ac virginum illarum partium violationibus, ſtupris, & deflorationibus, ac homicidiis quamplurimum devaſtarunt multa millia Chriſtianorum occidendo, & ſervituti perpetuæ ſubiiciendo adeo, quod vix in partibus illis reperiatur qui contra eoſdem ſchiſmaticos pugnare, & ſe defendere velit aut poſſit, & niſi de celeri & opportuno remedio provideatur tota diœceſis Aboenſis & demum regnum Sueciæ cum terra Livoniæ & provinciis ei adjacentibus per dictos ſchiſmaticos ſubjugari formidantur, nobis ſupplicari fecerunt humiliter dilecti filii Stena Sture regni Sueciæ viceren & gubernator, ac ejuſdem regni prædicti archiepiſcopus, epiſcopi, conſiliarii, qui ultra quinquaginta millia hominum hodierna die contra dictos ſchiſmaticos caſtra metati ſunt, quatenus illis, qui in fine terrarum Chriſtianorum, & confinibus dictorum ſchiſmaticorum continua bella gerendo conſiſtunt, more pii patris compatiendo, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus in dicto regno & terra Livoniæ pro tempore exiſtentibus, & quibuſvis aliis, qui contra dictos ſchiſmaticos, & ad eos compeſcendum & bellandum ire, & pro Chriſti nomine contra illos debellare voluerint, & qui præmiſſa faciendo in die conflictus decedere contigerit vere pœnitentibus & confeſſis plenariam omnium ſuorum peccatorum remiſſionem, necnon ſenio confectis, aut alio quovis impedimento legitimo impeditis, & ibidem ire minime valentibus, qui ad præmiſſa manus porrexerint adjutrices, armatos ſtipendiando, aut alias quovis modo ſubveniendo ſimilem peccatorum ſuorum remiſſionem ſemel in vita & in mortis articulo authoritate apoſtolica concedere & indulgere dignaremur. Nos igitur attendentes requiſitionem hujuſmodi fore juſtam, ac volentes, quantum cum Deo poſſumus, ſcandalis hujuſmodi obviare, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus fidelibus ipſis in conflictibus & bellis hujuſmodi decedentibus plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, nec non ad præmiſſa manus porrigentibus adjutrices, ut præfertur, ſimilem peccatorum remiſſionem ſemel in vita & in mortis articulo authoritate apoſtolica impendatis ad effectum præſentium in partibus illis debite, publicetis, & impendi ac publicari faciatis, ſuper quibus omnibus vobis & veſtrum cuilibet plenam & omnimodam poteſtatem, licentiam & facultatem authoritate apoſtolica tenore præſentium concedimus, & impartimur, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCDXCVI.* X. *kal. julii pontificatus noſtri anno* IV.

Moſcovitarum in Sueciam irruptio.

Sueci quinquaginta millia in eos educunt.

Propoſitæ indulgentiæ pugnaturis in ſchiſmaticos.

XXV. Hoc anno Alexander Pontifex, cum jam ante Chriſtianiſſimi Regis ſplendidum nomen a Francorum Rege in Ferdinandum Caſtellæ & Aragonum Regem transferre conatus eſſet, repugnarentque purpurati patres, catholicum eum dixit, de quo hæc habet Volaterranus (*b*): *Ab Alexandro Pontifice ac patribus Rex catholicus appellatus, ac omnium conſenſu lauream inter principes Chriſtianos meritis & authoritate majorem hodie refert.* De his honorum titulis, quibus Francorum & Hiſpanorum Reges decorati fuere, certe inanibus, niſi ſplendore operum ornarint nomina, varii varia opinantur, & qui-

Chriſtianiſſimi titulum ad Ferdin. derivare meditatur Alexander.

(*b*) *Comin. l. 8. c. 17. Surit. to. 5. l. 2. c. 40. Marian. l. 26. c. 12. Volat. l. 2.*

Catholici nomen tribuit. Ludovico XI. Christianissimi nomen datum. (a) Surit. ubi sup. Catholici nomen Ferdinandus factis expresserat.

quidem S. Ludovico, qui pro amplificanda fide Christiana in Tunetum, Ægyptum, Syriamque expeditiones difficillimas suscepit, Christianissimi nomen non reperimus ideo datum fuisse, sed Ludovico XI. cum pragmaticam sanctionem convulsisset a Pio II. inditum (a). At vero Ferdinandum catholici nomen amplissimis in rem Christianam beneficiis promeritum omnes consentiunt; exciderat enim ex Granatensi regno Mahometicam impietatem, ac tum Hispaniarum Rex a Pontifice appellatus est, deinde cum novum orbem panderet ad propagandum in eo evangelium, Romanæ ecclesiæ causam adversus contrarias principum factiones tueretur, censuræ sacræ tribunalia adversus hæreticos constitueret, depelleret Hispania Judæos, qui fœdas religioni maculas aspergebant, collapsam etiam monasticam disciplinam in pristinum splendorem revocandam curaret, catholici nomen, quod jam ante Alphonsus Asturiarum, & Petrus II. Aragonum Reges, ut refert Surita (b), gesserant, illi assertum est, de quo hæc Joannes Mariana (c): *Ab Alexandro Pontifice Ferdinandus catholici cognomentum accepit in posteros cum regno transfusum stabili possessione. Honorem & titulos principibus dividere Pontificibus Romanis datur. Erat in more, ut in literis apostolicis adscriberetur Regi Castellæ illustri: ergo deinde nova indulgentia adscribi placuit Regi Hispaniarum catholico, non sine obtrectatione & invidia Regis Lusitani, quando Ferdinandus imperio universam Hispaniam non obtineret, ejus tum non exigua parte penes alios Reges: contentio ab eo tempore excitata ad nostram ætatem tenuit. Majori motu exarsurum Gallum verisimile est, si quod Cominæus ait Pontifici erat destinatum Christianissimi appellationem, qua Reges Gallos ante aliquot annos simili exemplo in Ludovico undecimo Pius II. Pontifex maximus honestavit in Ferdinandum transferre, rerum gestarum amplitudini gratiam consentaneam retulisset.*

(b) Id. ib.

(c) Marian. l. 26. c. 12.

Id ægre ferunt nonnulli Reges.

XXVI. Judæi ab Emmanuele Rege exacti Lusitania. (d) Osor. l. 1.

Hoc anno Emmanuel (d) Lusitaniæ Rex, qui Ferdinandi Regis gloriam religionemque æmulabatur, Judæos & Mauros omnes in Lusitano regno agentes die constituta excedere jussit, imposita cunctantibus servitutis pœna, ac tum illico Mauri trajecere in Africam. Cumque pariter solum vertere Hebræi anniterentur, Rex pio religionis incitatus studio, sed non ita æquo, ut impuberum saluti consuleret, illos, qui nondum decimum quartum ætatis annum excesserant, e patrum complexu vi abstrahi jussit, inque religione Christiana educari, quod ægre adeo tulere parentes, ut non defuerint qui filios crudeliter in puteos projecerint, sibique necem intulerint, plerique autem ne vitam in tot ærumnis ducerent, Christo impia simulatione nomen dedere. Narrant hæc Osorius & Mariana (e), & tanquam cum legibus & institutis Christianis pugnantia jure merito damnant, cum fas non sit quemvis invitum ad Christiana sacra compellere, filiosve e parentum sinu divellere, nisi ob flagitia jure patrio excidant. Porro Mauris nulla vis illata est, ne Saraceni in Asia vel Africa degentes in eorum terris Christianos opprimerent, quæ inter alios Mariana ex vetustis monumentis accurate refert (f).

Crudelia eorum facinora.

(e) Marian. l. 26. c. 13.

(f) Marian. de rebus Hisp. l. 26. c. 13.

XXVII. Isabella connubiali lege petit pelli Judæos.

*Isabella princeps inter conjugales leges Mauros & Judæos Lusitani regni finibus deturbari jubebat voti pervicax, qui perfidam gentem tueretur a Christianis institutis abhorrentem, ei ut thoro jungeretur adduci non posse*, & infra, *ad Isabellæ gratiam promerendum ægre quidem, sed datum tamen, ut novo edicto, quod sub hujus anni finem promulgatum est, Mauri & Judæi omnes juberentur finibus Lusitaniæ abscedere servitutis metu proposito, si qui post designatum tempus restitissent, solutum antea pœna nova lege sanciri placuit. Mauri quidem in Africam continuo sine recusatione transmiserunt. Judæis non eadem facultas extitit, quibus paulo post novo edicto filii sunt detracti, quatuordecim annis minores, atque salutaribus aquis per vim adhibiti, insolens decretum a legibus & institutis Christianis abhorrens maxime: malo cogas homines Christiana sacra suscipere libertate cœlo data in re omnium gravissima spolies, quos Deus sui arbitrii esse voluit? grave id piaculum sit, ac ne filios quidem a parentibus eo studio abstrahere liceat: in utroque tamen gens Lusitana peccavit, pueris enimvero sine voluntate parentum ad baptisma violenter raptis, atque majoribus natu ut Christo darent nomina convitiis & contumelia vexatis, ac nominatim discedendi facultate per fraudem sublata, cujus necessitas erat imposita: ita plerique servitutis metu dederunt manus, quidam sincera voluntate, pars multo maxima tempori servientes animo simulato: cujus deinde clara documenta extiterunt: multi ad patriam superstitionem, quam rejecisse visi erant, cum ignominia Christiani nominis reversi. Ergo Judæi variis modis & indignis sunt in Lusitania vexati.*

Mauri in Africam transmigrant.

Judæis filii minores annis 14. erepti.

Multi Judæi ad baptismum fraude compulsi.

Propagandæ in Africa fidei studio idem Rex Emmanuel Georgio episcopo Albanensi interprete Pontifici significavit expeditionis ad Mauros debellandos conficien- XXVIII.

dæ consilia, quæ maxime commendavit Alexander, ac indulgentias (a) illius sacra signa sequuturis; tum iis, qui in sumptus bellicos duos argenteos denarios conferrent concessit.

(a) L. 7. bull. secr. p. 370.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Emmanuel Rex Lusit. Africanam expeditionem meditatus.

*Cum charissimus in Christo filius noster Emmanuel Portugalliæ & Algarbiorum Reu illustris, sicut nobis nuper tam per literas suas, quam per venerabilem fratrem nostrum Georgium episcopum Albanensem Cadinalem Ulixbonensem nuucupatum fecit exponi, suorum progenitorum vestigiu secutus decreverit eu ejus pia & innatu erga Christianam religionem devotione adversus infideles Africæ, illorumque depressionem omnino bellum movere, & personaliter cum vulido euercitu ad partes illas transfretare, firmu spe fiduciaque conceptis, quod auuiliante Altissimo Regum Rege euiude optatam victoriam & expuguationem consequetur cum infidelium eorumdem saltem pro aliqua parte ad fidem catholicam conversione; nos uttendentes quia ad ipsius Africæ & infidelium expugnationem, & tantam fidei præfatæ eualtationem præfato Regi, qui in prosecutione tanti belli intolerabiles impensas subire de uecessitate cogetur, nou suppetuut facultates, sed expedit tum a Portugalliæ, quæ erga fidem catholicam devotissima euistit, & Algarbiorum regnis, aliisque ipsius Regis dominiis, quam ab aliarum natıonum fidelibus propuguatores & bellatores, aliaque uuxiliu euquirere, & opus ipsum pium & plurimum meritorium, ipsique Deo gratum & acceptum arbitrantes, ut Reu præfatus Deo favente suum pium & laudabile propositum ad hujusmodi effectum perducere valeat, Christifidelium eorundem convocato auxilio, quantum in uobis est, operari volentes, uuthoritate omnipoteutis Dei, cujus vices, quamvis immeriti, gerimus iu terris hortamur, requirimus & monemus universos Christifideles, præsertim nationis Portugallensis, ut eidem Regi ad hujusmodi expugnationem ac tantam fidei exaltationem cum persouis suis pro sua possibilitate viriliter & indesinenter ussistant, & illius exemplu, qui pro nobis mortem uon abnuit, tollant iu cordibus suis crucem, & illi en eisdem fidelibus, qui ad hoc idonei euistunt, dictum Regem, immo verius Salvatorem præfatum sequantur, & pro illius nominis gloriu, & infidelium prædictorum fidei hostium expugnatione mortis periculo se exponere non formident:* Et infra.

Solicitati Lusitani ad sequenda illius signa.

XXIX. *Et quia euntiugere poterit, quod plerique dictum bellum sequentes infirmabuntur, & Christifidelium subsidiis pro eorum curaudis infirmitatibus iudigebunt, volumus quod omnes utriusque sexus Christifideles, qui duo regalia argentea dictæ monetæ pro ipsis infirmis curandis, ac etiam ædifieandis ecclesiis in locis, quæ per ipsos militantes ab ipsorum infidelium manibus rapiantur, & ornamentis ecclesiasticis pro divinis inibi celebrandis ufficiis pie erogantium, ac omnes & singuli defuncti sive viventes, pro quibus singulis singula duo regalia argentea dictæ monetæ pro dictis infirmis curandis, sive reparandis ecclesiis præfatis, ut præmittitur pie erogata fuerint in omnibus suffragiis, precibus, eleemosynis, jejuniis, orationibus, disciplinis, & cæteris omnibus spirituulibus bonis, quæ fient & fieri poterunt in totu universali Christi militante Ecclesia, & omnibus membris ejusdem participes in perpetuum fient, &c. Datum Romæ apud S. Petrum annu MCCCCXCVI. idib. septembris pontificatus uostri anno* v.

Stipis quantitas designata.

Hoc etiam anno, ut refert Jo. Barrosius (b), cum Emmanuel Lusitaniæ Rex tuendo amplificandoque animum adjecisset imperio suo, inito apud Montem majorem procerum cœtu in disquisitionem vocavit, an cœptum tot annorum flexu de pandendo ad Indias orientales aditu consilium more majorum, qui Lusitano Guineæ titulos conjunxerant, esset provehendum. Repugnarunt plerique sapientes, qui Indiæ longissimis locorum intervallis submotæ dominatum nonnisi maximis difficultatibus comparari posse, nec partum retineri censebant, regnique distractas vires ita debilitatum iri, ut tuendæ Lusitaniæ impares forent: patefactis etiam Indiis novos æmulos earum imperii concitatum iri. Parte alia permulcebant aliorum animos ingentes spes incogniti imperii partæque ex patefacta Guinea opes ad majora orientem versus conquirenda urgebant: quorum studiis animatus Rex Emmanuel morem majorum, qui rem Lusitanam auxerant, sequi decrevit, cum Ferdinandus pater capitis Viridis insulas aperuisset, atque Henricus patruus Guineæ imperium Lusitano adjunxisset; ac demum adversus sapientum consulta respondit, divinum Numen tuendi Indici imperii vim rationemque idoneam suppeditatutum, si eas Lusitanis patefaceret. Qua in re sane divina vis suspicienda est, quæ adeo Emmanuelis mentem animumque ad incognita Indiarum conquirenda regna immenso pene discreta Oceano penetranda permoverit, cum maximis Cæsaribus ac Regibus ad Syriam ex infidelium manibus vindicandam tuendamve ob intervalla locorum longe minora, animos atque audaciam viderimus defuisse. Tradita autem est ab Emmanuele Rege Bartholomæo Diaz, qui antea XXX.

(b) Barros. dec. 1. Asiæ l. 4. c. 1. Osor. lib. 1. Maff. l. 1.

De Indiarum comparando imperio Lusitani deliberant.

Emmanuelis Regis decretum pium.

Superati magnanimitate ab eo Cæsares & Reges.

ca-

caput Bonæ ſpei luſtraverat, provincia conſtruendarum navium, quæ validiſſima compage aſſilientium fluctuum vim tempeſtateſque eluderent. Ut vero proximo anno inſtructa claſſis, qua Indiæ patefactæ ſunt, Uliſſipone ſolverit, dicetur inferius.

XXXI. Interea Emmanuel cum equeſtres familias in Luſitania admodum a priſtina pietate deſciviſſe intueretur; atque equites, qui fidem Chriſto publice dederant, nulla unquam libidine commaculatum iri, fœdis ſcortorum amoribus irretitos, conſulere earum familiarum dignitati, atque animarum ſaluti putavit, ſi a Pontifice impetraret, ut aggregandis in poſterum militiæ Jeſu Chriſti, aliiſque ſodalitiis equeſtribus, excepto Hoſpitalariorum ordine, uxores ducere liceret, ex quo an graviora mala pullularint ambigit Oſorius (*a*).

De permittendis equitibus religioſis uxoribus actum.

(*a*) *Oſor. l. 1.*

XXXII. *Emmanuel*, inquit, *cum videret quod diſcrimen impenderet tam militibus hujus ordinis, quam reliquorum omnium [ſi enim contra fidem Chriſto obligatam libidinem minime refrænarent, neceſſe erat, ut ſcelus nefarium ſuſciperent, & ſimul ne illis, qui eu religioſis militibus naſceventur eſſet illa macula generis inuſta, quæ nothis omnibus, quamvis ſint nobiliſſimis parentibus procreati ſubeunda eſt ] poſtulavit ab Alexandro Pontifice maximo, ut ſolveret ea perpetuæ caſtitatis religione omnes equites Luſitanos, qui deinceps alicujus religioſæ militiæ ſacramento tenerentur: illi namque qui jam erant ſolemnis voti religione conſtricti fieri non poterat, ut ſalva ipſius religionis fide eandem licentiam impetrarent. Conceſſit id Regi Pontifeu, atque deinceps licuit omnibus, qui in aliquam religioſam militiam aſcriberentur, uxores ducere, exceptis ſolum Hoſpitalenſis ordinis equitibus, qui in quibuſcumque partibus ſint eadem perpetuæ caſtitatis religione conſtringuntur.* Extat ea de re diploma pontificium (*b*).

Soluti nuncupandi caſtitatis voti religione.

(*b*) *L. 7. bull. ſecr. p. 205.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

XXXIII. *Sane pro parte chariſſimi in Chriſto filii noſtri Emmanuelis Portugalliæ & Algarbiorum Regis illuſtris nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in regnis prædictis, in quibus militiæ Jeſu Chriſti, & de Avis Ciſtercienſis ordinis pro infidelium expugnatione & depreſſione ad militandum contra eos ab eorum primæva fundatione inſtitutæ fore noſcuntur, milites dictarum militiarum pro majori parte, continentiæ & caſtitatis voto, quod in eorum profeſſione emittunt, contempto, concubinas etiam plures, & in eorum ac præceptoriarum & prioratuum dictarum militiarum propriis domibus & locis, non ſine magno religionis opprobrio, publice tenere & eis cohabitare, ac etiam adulteria cum aliis mulieribus conjugatis committere non verentur: eu quo ab eorundem regnorum incolis & habitatoribus maximo odio habentur, diſſenſiones & inimicitiæ oriuntur, diverſa ſcandala quotidie concitantur, ac non parva militum eorumdem imminent pericula animarum. Verum ſi ſtatueretur & ordinaretur, quod deinceps perpetuis futuris temporibus in dictis militiis profiteri volentes profeſſionem ſolitam & quoad continentiæ votum matrimonialem, prout milites militiæ ſancti Jacobi de Spatha ordinis S. Auguſtini emittunt, emittere deberent, & ad eorum inſtar matrimonium contrahere poſſent, & hoc perfecto incontinentiæ, adulteriis, odiis, diſſenſionibus, inimicitiis, ſcandalis, & animarum periculis hujuſmodi obviaretur, ac multi nobiles regnorum eorumdem, qui militiis prædictis adverſus ipſos infideles plurimum utiles & fructuoſi eſſent, videntes ſe matrimonium contrahere poſſe ad profitendum in dictis militiis inducerentur, ac quamplures nobiles mulieres, quæ cum difficultate nuptui tradi poſſunt, cum eiſdem militibus poſſent matrimonio collocari, quod ad maximum incolarum regnorum eorumdem conſolationem cederet pariter & quietem. Quare pro parte tam præfati Emmanuelis Regis, qui dictæ militiæ Jeſu Chriſti in temporalibus per ſedem Apoſtolicam adminiſtrator ſeu gubernator deputatus exiſtit, quam dilectorum filiorum univerſorum priorum, præceptorum, & militum dictorum Jeſu Chriſti & de Avis militiarum maxima cum inſtantia & ſæpenumero nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui animarum periculis ac ſcandalis, & diſſenſionibus, ne eveniant, quantum cum Deo poſſumus, libenter obviamus, attendentes quod dominus noſter Jeſus Chriſtus beato Petro Apoſtolo, cujus vices, meritis licet imparibus, tenemus in terris, nunquam tantam tribuiſſet poteſtatem, ut diceret:* Quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cælis; *niſi ipſum Petrum & ejus ſucceſſores ea poteſtate aliquando uti oportere indicaſſet, ex præmiſſis & eu certis aliis nobis expoſitis cauſis, facta etiam ſuper hoc per venerabilem fratrem noſtrum Georgium epiſcopum Albanenſem Cardinalem Ulixponenſem nuncupatum de ipſo Portugalliæ regno oriundum, in ſacra theologia peritiſſimum, ac in magnis, & arduis rebus longa experientia comprobatum, vitæque exemplaris & morum honeſtate decorum, aliiſque vir-*

Equites religioſi impudicitia inquinatiſſimi.

De permittendo iis conjugio actum.

*tutum donis, quæ in eo divina propagavit clementia, multipliciter insignitum, asserentem se de hoc plurimum informatum esse, ac ita in regnis prædictis omnino expedire, idque etiam dudum antea cum felicis recordationis Sixto IV. & Innocentio VIII. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, dum in humanis agebant, conclusisse, qui morte præventi ad finalem expeditionem devenire nequiverunt, nobis relatione fideli hujusmodi instantissimis supplicationibus inclinati, & rationibus in dictis Jesu Christi, & de Avis militiis profiteri volentes solitam & quoad continentiæ votum, matrimonialem, prout milites militiæ S. Jacobi de Spatha hujusmodi emittunt professionem, emittere debeant, & ad eorum instar matrimonium, alias tamen rite contrahere, & in eo postquam contractum fuerit, remanere libere & licite possint authoritate apostolica, & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium statuimus pariter & ordinamus, ac cum eis super hoc dispensamus, prolem ex hujusmodi matrimoniis suscipiendam legitimam nuntiantes, firmis tamen in reliquis institutis dictarum Jesu Christi & de Avis militiarum omnino remanentibus, non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis earumdem Jesu Christi & de Avis militiarum juramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominic. MCCCCXCVI.* XII. *kal. julii pontificatus nostri anno* IV.

Votum continentiæ ad matrimonialem pro equitibus restrictum.

XXXIV. Eadem sanxisse jam ante Eugenium IV. vidimus de equestri militia Jesu Christi in Lusitania, cum satius visum esset, ut equites pie nuberent, quam impudicitia contaminatam vitam ducerent. Verum inde oborta alia gravissima incommoda fuisse, queritur Osorius (a): *Hæc autem Regis providentia qua, ut videbatur, sceleribus occurrebat, & suos magno incontinentiæ periculo liberabat a multis laudari solet. Ego vero statuere non possum, utrum sic multum majorem peccandi materiam suis attulerit illa ipsa, quam subtrahere summo studio concupivit. Primum enim nunquam ullum disciplinæ lavamentum potuit esse salutare: quo circa ea, quæ fluunt, severe devincienda sunt, & eo unde deciderant reducenda, si volumus ut quæ laudabiliter instituta sunt, eundem semper fructum & utilitatem retineant. Deinde propter nuptiarum curas cernimus illum antiquum ardorem, qui erat in religiosis militibus ad dimicandum, esse jam magna ex parte restinctum, minus enim expediti, & minus alacres sunt, & cum breve aliquod tempus bellicis in rebus insumpserint, citius & libentius, quam decet, otium amplectuntur. Deinde tunc, cum erat illis matrimonium interdictum credibile est multos fuisse, qui non religionem aliquam susciperent: nunc vero postquam de religione detractum est, quod nimis asperum multis videbatur, suspicari non absque ratione possumus omnes, qui ut in aliquam ejusmodi militiam ascribantur, elaborant, cupiditate tantum & ambitione ad studium militiæ illius impelli.*

(a) Osor. eod. l. c. Marian. l. 26. c. 13.

Enata exinde gravia incommoda.

*Postremo hoc cupiditatis introitu multo latius, quam antea, patefacto paulatim deventum est, ut quæ erant optime fundata laberentur & ruerent; cernimus enim fidem datam Christo contemni, res sacrosanctas violari, sacra vectigalia ab hominibus audacibus & flagitiosis occupari, eos qui nunquam hostis vultum aspexerunt, opibus ad sanctos usus destinatis affluere, illisque ad luxum, & vitæ lasciviam intemperanter abuti, sed hæc quæ curare non possumus lamentari desinamus.* XXXV.

Descripserat paulo ante idem author florentissima earum equestrium familiarum, quibus religio Christiana in Hispaniis asserta fuerat, exordia, quæ repetere non injucundum erit: *Eo*, inquit, *tempore quo Hispania maxima ex parte erat sub Arabum potestate & imperio constituta, cum esset perpetuum inter illos & Christianos bellum, sine ullo firmo & stabili induciarum fœdere concitatum, fuere quidam viri nobiles non magis virtute, quam religione præcellentes, qui vovebant se pro Christi gloria, quandiu vires suppeterent, summa contentione pugnaturos, quod ut multo alacrius facerent, & commodius ad cœlum viam munirent, a nuptiis abstinebant. Illorum vita partim in religionis studio, partim in exercitatione consumebatur, tantusque erat in illis ardor animorum, ut eos beatissimos judicarent, qui in bellis pro defensione reipublicæ & Christi sanctissima religione susceptis occumberent. Horum exemplum cum multi sequerentur, fuerunt varii militarium religionum ordines instituti a Regibus, multis beneficiis ornati, & a Pontificibus maximis approbati, ex quibus multi viri prodiere, quorum virtute Mauri sæpissime cum magna Christiani nominis gloria fusi fugatique sunt. Erant autem omnes imagine crucis ex panno partim rubro, partim viridi facta, & vestibus assuta secundum pectus insigniti.* Hactenus de equitibus Hispanis Osorius. XXXVI.

Multæ victoriæ religiosorum equitum virtute partæ.

Confirmatus hoc anno est ab Alexandro (b) equester ordo S. Michaelis nomini sacer, quem Ludovicus XI. in Galliis XXXVII.

(b) Lib. bull. 37. p. 144.

in-

instituerat, cum Carolus VIII. supplicem de ea re libellum sedi Apostolicæ porrexisset.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Militia S. Michaelis instituta a Lud. XI.

*Pro parte charissimi in Christo filii nostri Caroli Francorum Regis illustris nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim claræ memoriæ Ludovicus etiam eorundem Francorum Rex ejusdem Caroli Regis genitor, tunc in humanis agens, singularis devotionis fervore accensus, cupiens pro tuitione & defensione fidei catholicæ, ac regni sui, totiusque reipublicæ Christianæ in honorem S. Michaelis Archangeli certam militiam, seu auratam societatem in sincera & chara fraternitate & unione mutuo se perpetuo habiturorum, quæ regalis ordo in posterum nuncuparetur instituere, triginta sex milites seu auratos, quorum ipse seu successores sui Francorum Reges essent caput, haberentque superioritatem, congregavit, seu congregari voluit, indixitque pro conservatione & manutentione societatis, fraternitatis, & unionis prædictarum certa statuta, nonnullasque ordinationes & consuetudines perpetuo duraturas, & deinde pro augmentatione & magnificentia dictæ militiæ regalis votum emisit solemne æternæ, increatæ, immensæ, summæ, omnipotenti, & gloriosissimæ ac individuæ Trinitati Deo Patri, Deo Filio, Deo Spiritui Sancto de erigendo, seu erigi faciendo per Romanum Pontificem pro tempore existentem, sedemque Apostolicam ad honorem ipsius Trinitatis, intemeratæ virginis Mariæ, ipsius humani generis redemptoris piæ matris, dicti S. Michaelis totiusque curiæ cœlestis in capella ejusdem S. Michaelis sita in palatio regali Parisiensi, in quo parlamentum teneri consuevit in inferiori parte, & prope sitam portam introitus ipsius palatii unum collegium virorum ecclesiasticorum sæcularium, qui inibi divinum officium horis congruis & competentibus diurnis pariter & nocturnis decantare, pariterque celebrare deberent &c.* (Constituit Alexander leges in divino cultu peragendo in ea sacra ædicula observandas, ac sacerdotum munera distinguit, necnon prærogativis illustrat.) *Dat. Romæ apud S. Petrum MCCCCXCVI. idib. novembris pontificatus nostri anno v.*

XXXVIII. Auctus est hoc anno ab Alexandro sacer senatus, ut refert Joannes Burchardus, qui novorum Cardinalium nomina recenset (a): *MCDXCVI. feria VI.* XIX. *februarii sanctissimus dominus noster in secreto consistorio creavit & publicavit quatuor novos Cardinales, videlicet reverendissimos patres dominos Bartholomæum episcopum Segobricensem magistrum domus palatii apostolici, Joannem episcopum Agrigentinum castellanum castri S. Angeli de urbe, Joannem episcopum Perusinum datarium, & Joannem de Borgia protonotarium apostolicum ex sorore sanctitatis suæ nepotem ab urbe absentem, & cum Rege Neapolitano cu commissione & legatione sanctissimi domini nostri constitutum.*

(a) *Burchar. ms. arch. Vat. sig n.104. l.2.* Felix Contelor. in elenc. Cardin.

Cardinales creati ab Alexandro.

Hos omnes Hispanos fuisse memorat Surita (b), nimirum Joannem de Castro episcopum Agrigentinum in Aragonia, tres alios Valentiæ ortos, de quibus extat hoc diploma (c), quo Joannes Borgia diaconus, alii presbyteri titulares renuntiati fuere, ac omnibus juribus Cardinalitiis insigniti, ut si Alexandrum e vivis discedere contingeret, futuris comitiis pro creando successore interessent.

(b) *Sur. to.5. l.2. c.42.*

(c) *L.7. bull. pag. 361.*

*Ad futuram rei memoriam.*

XXXIX. Novorum Cardd. nomina & elogium.

*Provida deliberatione considerantes venerabilium fratrum nostrum Bartholomæi Segobricensis, Joannis Agrigentini, Joannis Perusini episcoporum, & qui secundum carnem, & in præsentiarum in regno Siciliæ citra pharum cum potestate legati de latere nuntius noster existit, & in ipso legationis munere se cum maxima laude gessit, dilecti filii Joannis electi Melphiensis ingenii claritatem, ac morum elegantiam, vitæ bonitatem & modestiam, eximiam integritatem, singularem prudentiam, in arduis magnanimitatem, in consulendo gravitatem, & in peragendo diligentiam, ac rebus denique omnibus summam circumspectionem, & longam experientiam, quibus longo jam tempore eos, qui etiam per longa tempora in Romana curia omni cum laude versati, & de nobis benemeriti fuerunt, prædictos esse cognovimus, ac indubie sperantes, quod propter hæc & alia, eis gratia assistente divina, affutura suffragia esse poterunt, & Romanæ ecclesiæ & reipublicæ Christianæ multipliciter fructuosi ac nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti præfato solicitudine indefessa in negotiorum nobis & eidem Pontifici etiam pro tempore existenti incumbentium votiva & utili expeditione ac sublevatione onerum, quæ continue graviora nostris humeris incumbere cernimus, admodum proficui, & propterea volentes pro temporis necessitate opportune providere, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris ejusdem S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura de illorum consilio pariter & assensu ad omnipotentis Dei laudem, gloriam, & honorem, ac præfatæ ecclesiæ suæ sanctæ exaltationem episcopos in presbyteros, & electum præfatos in diaconum ejusdem Romanæ ecclesiæ Cardinales authoritate apostolica, & ex certa scientia, ac etiam de Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium assumimus, & creamus, ac eo-*

rum

*rumdem fratrum nostrorum cœtui, numero & collegio cum dignitate, authoritate, præeminentia, honoribus, privilegiis, prærogativis, & emolumentis consuetis favorabiliter aggregamus, Cardinalesque esse, & pro Cardinalibus haberi debere decernimus & pronuntiamus, ipsosque solitn benedictione benedicimus, & eu nunc in Cardinales, & ipsorum fratrum nostrorum ordinem, eorumque collegium una cum præfatis fratribus nostris eisdem authoritate, scientia, & potestatis plenitudine, ac de simili consilio recipimus & admittimus, præfatis fratribus nostris & cuilibet eorum sub excommunicationis & æternæ maledictionis & inhabilitatis, ea vice dumtaxat, ad electionem futuri successoris nostri Romani Pontificis active & passive latæ sententiæ pœnis districte præcipiendo mandantes, ut si forsan nos etiam antequam tituli pileus rubeus, & quævis alia cardinalatus insignia eisdem de novo creatis Cardinalibus publice tradita, & ad consulendum os eis apertum per nos extiterit de medio summoveri contigerit, eosdem Cardinales creatos in fratres collegas recipiant, & ad electionem futuri successoris nostri active & passive admittant in omnibus & per omnia, perinde ac si omnes recepti & insignia hujusmodi eis tradita, & ad consulendum os eis apertum, ut præfertur, extitissent, ac decernentes electionem quamcumque, quam forsan dictis Cardinalibus de novo assumptis, vel eorum aliquo non admissis, ut præfertur, quovis modo fieri, ac generaliter omnia & singula, quæ secus attentari contigerit, nulla, irrita & inania, nulliusque roboris vel momenti ac prorsus pro infectis haberi.*

Decretum Cardinales censendos antequam pileus iis traditus fit.

XL. *Volentes quoque, & de simili consilio & assensu eisdem authoritate, scientia & potestatis plenitudine præfatis Cardinalibus creatis concedentes, quod in huiusmodi obitus eventum illi ex eis, qui capellum rubeum, & alia insignia hujusmodi n nobis non habuerint, illa propria authoritate sumere, gestare, tenere, cœteraque officia, quæ alii Cardinales exercere sunt soliti, exercere, absque eiusdem successoris nostri nova concessione, aut alterius cujuslibet contradictione libere & licite possint & debeant*, & infra, *non obstantibus felicis recordationis Eugenii Papæ IV. prædecessoris nostri literis, per quas dudum de tunc fratrum suorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Consilio & assensu inter alia decrevit & declaravit, quod alicui in Cardinalem pro tempore pronuntiato nullum jus, nullusque titulus re aut nomine acquireretur donec de similibus consilio & assensu, si pronuntiato in Romana curia præsenti cardinalatus insignia, videlicet, per capelli rubei traditionem, tituli assignationem, & annuli juxta morem consuetum digito immissionem: absenti vero ab eadem curia per huiusmodi capelli missionem realiter forent impensa, aut saltem in generali concistorio; quodque etiam sic in Cardinalem pronuntiatus, etiam postquam insignia hujusmodi omnia recepisset, & admissus foret & receptus, ut præsertim in electione Romani Pontificis pro tempore vocem activam, aut aliquo alio actu minime habere posset, donec per Romanum Pontificem pro tempore existentem de similibus consilio & consensu sibi in praticandis, consulendis, & deliberandis negotiis consistorii antedicti, postquam in consistoriis aliquibus mores in talibus observari consuetos expertus, interrogatus consiliative aut consultive responsum dandi licentiam habuisset, & ut communibus verbis dici solet, foret eis os apertum. Decrevit quoque irritum & inane quidquid secus super iis a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, & si quis in Cardinalem contra præmissa se ausus fores nominare, eo ipso eu tunc omni jure, quod sibi quomodolibet acquisitum prætenderet, privatus esset, & perpetuam inhabilitatem incurreret ad hujusmodi cardinalatus honorem; cæteri vero & ad hoc adhærentes, & dantes auxilium, consilium vel favorem ipso facto sententiam excommunicationis incurrerent, a qua, præterquam in mortis articulo constituti nequirent ab alio, quam n Romano Pontifice, absolutionis beneficium obtinere, ac de certo eorumdem Cardinalium numero & quibusvis consiliis, ac aliis constitutionibus apostolicis, necnon capitulis & ordinationibus in conclavi, in quo fuimus ad apicem summi apostolatus assumpti, ut præfertur, tam ante assumptionem no'tram, quam post per nos & præfatoi Cardinales sub quibusvis modis, promissionibus, conditionibus, formis forsan etiam juramento, voto, vel alias quomodolibet roboratis*, & infra, *seu quod forsan aliqui ex prædictis Cardinalibus assumptis ad obtinendum dignitatem cardinalatus hujusmodi qualitates forsan requisitas non habeant, & præfatus Joannes electus Melphiensis ætatis, quam pro expressa haberi volumus, defectum patitur, nos enim cum eisdem Bartholomæo Segobricensi, & Joanne Agrigentino, ac Joanne Perusino episcopis, ut in presbyteros & cum Joanne electo Melphiensi, ut etiam eu nunc in diaconum Cardinalem assumi, ac quæ ad cardinalatus dignitatem & officium hujusmodi pertinent facere, gerere, & exercere, ac cum Bartholomæo Segobricensi, & Joanne Agrigentino ut Agrigentinæ, ac Joanne Perusino, ut Perusinæ, necnon Joanne Melphiensi ut Melphiensi ecclesiis*

Eugenii constitutio contraria soluta.

non

*propter assumptionem prædictam præesse non desinant*, & infra, *authoritate, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac motu proprio de specialis dono gratiæ dispensamus, eisque pariter indulgemus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno* MCDXCV. XI. *kal. martii pontificatus nostri anno* IV.

XLI. Hieronymus Savonarola novas res molitur.

Hoc anno Alexander Hieronymum Savonarolam Ferrariensem, qui Florentinos vi sacræ eloquentiæ versabat, ac de restituenda ecclesiastica disciplina vehementissime declamabat, sacris concionibus habendis ad populum interdixit, cum Gallo Regi, cui felices triumphos antea spoponderat, studeret, atque hypocrisis suspicione, ne res novas moliretur, ac pseudoprophetam ageret, laboraret, de quo hæc Petrus Delphinus ad Petrum Barrocium episcopum Patavinum scripsit (a): *Ambire fratrem Hieronymum archiepiscopatum Florentiæ abs te primum didici, non tamen solo*. Paucisque interjectis verbis. *Potest hic esse propheta mendax, potest esse hypocrita, & simulare sanctitatem: qua suspicione etiam hic Florentiæ haud penitus vacat*. Et paulo post: *Prædixit per annos aliquot publice evangelizando felices futuros Florentinos, hac tamen lege quod præcessura prius forent multa in eos mala, ac bonam rerum suarum partem essent amissuri. Accepta per hos dies nova Pisarum liberatarum clade obruendum fuisse lapidibus a populo mœrente ac tristi haud dubie credidissem, si non assertor veritatis, sed simulator, atque ambitiosus ab eo fuisset existimatus. Laceratur quidem modo in plebe a multis, & carpitur Pisarum defectione & Gallorum fraude. Longe tamen plures inveniri audio, & de primoribus maxime, qui rebus præsunt, qui & hominem tuentur, & ejus vaticiniis fidem habent, nec deficiunt spe futura esse quæcumque prædixit, siquidem futurorum certitudinem esse præteritorum exhibitionem. Non prædicat ipse modo, immo jam fere duo menses sunt, quod ab hoc desiit munere prohibitus, ut ajunt, a Pontifice per apostolicum breve. Suffecit tamen socium in locum suum, quem Hieronymum eumdem existimant, & hic populo placentia loquitur hortans, ut bono sit animo, siquidem jota unum aut unum apicem non præteriturum ab iis, quæ Hieronymus prædixerit, donec omnia fiant. Si tamen tibi ab homine fidedigno relata esse cognoscis, caveat sibi ac timeat, ne dum per abrupta, & non meritis gradum sibi facientibus conatur ascendere, sibimet pariat ruinam. Utrum vero imminentium periculorum metu, an prædicationum ipsius virtute, ac vi sermonis facta fuerit Florentinorum conversio, non est meum judicare. Unum scio videri mihi Florentiam longe mutatam ab illa, quam olim noveram. Prædixerat Jonas: Adhue quadraginta dies, & Ninive subvertetur, sive prophetæ prædicatio, sive subversionis metus author fuerit Ninivitarum conversionis, conversi tamen liberati sunt, & peracta pœnitentia fecerunt sibi Deum propitium, &c. Florentiæ die* VII. *januarii MCDXCVI.* In aliis literis ad eumdem episcopum datis die ultima maii significavit Hieronymum ipsum Savonarolam pellexisse plures viros claros, ut remisso rebus humanis nuntio S. Dominici sacra instituta sectarentur. Verum non diu latentem hypocrisim tegere potuit, nam cum suam authoritatem obsolescere videret, quod sacris concionibus interdictus esset, pontificium imperium infringere non est veritus, jactans sibi præter fas concionandi munus prohibitum, magnaque ostentatione eleemosynas publicas pharisæorum more præcinentibus tubis distribuere cœpit, corruptisque factionis suæ civibus, reliquos concionatores, quibus id munus ab episcopo vel Pontifice demandatum erat, sacris pulpitis arcere, ut ipse unicus ab omnibus audiretur, quod Petrus Delphinus eidem episcopo Patavino significavit (b) VII. julii hujus anni, qua in re criminis labem contraxisse certissimum est, cum prædicatores a Pontifice & episcopis non a laicis magistratibus mitti possint, & illa ab omnibus hæresiarchis prima basis jaciatur, in qua confusionis suæ turrim excitare consueverunt, ut passim in annalibus demonstratur: *Quomodo enim prædicabunt*, inquit Apostolus, *nisi mittantur?* quare adversarii, ut se missum a Deo ostenderet conspicuo miraculo, Hieronymum in rogos postea impulerunt. Eo interim res progressa est, ut Pontifex Florentinos sacrorum usu interdicere decerneret, quod Hieronymum censuras spernentem, ac profanantem sacra, ac more hæreticorum pontificiæ authoritati detrahentem sequerentur. Ut vero demum magistratus paruerint pontifici, ac Hieronymum & socios armis rem gerentes concitato populo ceperint, affecerintque supplicio dicetur inferius [1].

(a) L. 4. ep. 78.

Concionum habendarum munere interdictus.

Concionandi munus invadit cæterosque arcet concionatores.

(b) Petr. Delp. l. 5. ep. 5.

NOTÆ [1] PAuca hoc anno adnotanda occurrunt; sed emendationem plane merentur ea quæ de sublata hoc anno Savonarolæ conciones ad populum habendi facultate scribit Annalista. Bis enim sacrum munus interdictum illi constat; semel quidem superiori anno exeunte; iterum vero sequenti anno

1497.

NOTÆ 1497. quæ postrema Alexandri inhibitio legitur in ejus literis ad priorem & fratres S. Marci datis die XVI. octobris anni 1497. legendis in Appendice ad vitam F. Hieronymi Savonarolæ editam Parisiis an. 1774. to. II. pag. 130. Ante biennium vero id vetuisse pontificem Savonarolæ colligo ex epistola Petri Delphini hic in Annalibus recitata ac signata anno 1496. die VIII. januarii; asserit enim ibi de Savonarola: *Jam fere duo menses sunt, quod ab hoc desiit munere, prohibitus, ut ajunt, a summo pontifice*. Ex quibus anno 1495. novembri mense a sacro munere prohibitum illum fuisse conficitur. MANSI

I. Pontificius exercitus ab Ursinis fusus.

Fluctuabat civilium bellorum metu Christianum imperium anno post Christum natum millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo indictione decimaquinta, cum residuæ dissidiorum faces nova incendia excitarent; nam & Ursini superiore anno ab Alexandro Pontifice appetiti bello ecclesiasticum exercitum Bassanum inter & Surianum hoc ineunte fudere (*a*): Insubriam exterruit (*b*) Trivultius sex millibus Helvetiorum Vasconumque succinctus; Liguriam Fulgosii & Cardinalis Petri ad novas res moliendas infestaruut, inque Neapolitano regno adversus Fridericum Regem coitiones recentes instauratæ: sed hi motus facili compressi bello, cum Carolus Francorum Rex sociis principibus Sabaudo, Mantuano, Bentivolis, aliisque eum evocantibus defuisset.

(*a*) *Guicc. l. 3.*
(*b*) *Sabel. en. 10. l. 9.*

In Neap. regno motæ turbæ. Gallorum Rex sociis deest.

II. In primis quod ad ditionis ecclesiasticæ tumultus attinet; post eam pontificiarum copiarum cladem a Carolo Ursino, & Vitellio Tifernate tyranno vigesima quarta januarii die (*c*) datam, Alexander Consalvum Ferdinandum Regis Hispaniarum ducem strenuissimum excivit, cum vim Gallicam expavesceret, ne eo successu elata irruerer in ditionem ecclesiasticam, Consalvo vero authore, necnon Venetis concordiæ suasoribus pax Ursinis restituta (*d*) est, ne acerbitate nimia ad extera arma inferenda ditioni ecclesiasticæ cogerentur, præsertim cum Ostia a Cardinale S. Petri, Gallicæ factionis sectatore, in præsidiariorum Gallorum potestatem redacta esset: quod adeo ferebat ægre Alexander, ut Ferdinandum Regem Hispaniarum exorarit, ut Gallos inde milites exturbaret, professus (*e*) eo insigni promerito & sibi pontificatus authoritatem asserendam, nec non Romæ libertatem restitutum iri, quippe non leves urebant eum curæ, ne hostilis classis in eum invecta portum, grave aliquod sibi periculum afferret: cum Consalvus præter spem Gallos præsidiarios salutem pactos ad arcis deditionem nona martii die compulit, quorum ducem Menoldum Guerrium ad Pontificis in solio considentis, Cardinaliumque corona cincti pedes supplicem adduxit (*f*); quem asperis ille correptum verbis ob arcem ecclesiasticam tamdiu obsessam, Consalvi clementiæ imperioque permisit: Consalvum autem ipsum maximis affecit honoribus, rosaque aurea precatione pontificia sacrata donavit. Ille tamen Alexandri dissolutos mores, ipsiusque spuriorum impudentissimam lasciviam, nec non pontificiæ aulæ licentiam indignatus militari animo, ac religioso ardore corripuit, quod pontificiæ majestatis decus splendoremque labefactaret, hortatusque est, ut vitia sua suorumque primum submoveret, deinde Eceleiiæ sanctitatis nitorem in pristinum statum restituendum curaret. Pupugit ea militaris libertas Alexandrum, nec tamen publicæ totius orbis offensioni mederi visus est, cum repentino casu e veterno excitari visus est.

(*c*) *Sur. sup. c. 42.*
Consalvus dux Ferd. in Gallos evocatus ab Alex.
(*d*) *Id. ib. Guicciar. l. Sabell. ubi sup.*
Ostia a Gallis retenta.
(*e*) *Surit. l. 3. c. 1.*
Ea depulsi a Consalvo.
(*f*) *Burch. ms. arch. Vat. sign. n. 104. l. 3. Sur. l. 3. c. 1. Guicc. l. 3. & alii.*
Rosa aurea illi tradita.
Alexander a Consalvo militari audacia virorum perstrictus.

III. Affectabat Alexander pontificio decore posthabito S. Petri patrimonium transferre in spurios (*g*), ac septima junii die Beneventanum principatum ducalibus titulis insignivit, moxque Joanni Borgiæ duci Gandiæ tradidit, de quo hæc tradit Joannes Burchardus (*h*): *Feria quarta septima junii fuit secretum concistorium, in quo sanctissimus dominus noster erexit civitatem Beneventanam in ducatum, & de consensu omnium Cardinalium, qui interfuerunt, nullo se opponente seu minimum verbum contradicente, infeudavit illustrem Joannem Borgiam de Aragonia ducem Gandiæ S. R. E. capitaneum generalem filium suum charissimum, & omnes successores suos ex ejus lumbis descendentes masculos legitimos in perpetuum de dicto ducatu Beneventano & civitate Terracinensi & Pontecurvo, ac ejus & eorum comitatibus sive territoriis, solo reverendissimo domino Cardinale Senensi viriliter & animose investituram hujusmodi oppugnante ne fieret, ex legitimis rationibus, ac evidentissimis dictis votum suum approbante, qui tamen solus resistere, ac factum ipsum impedire non potuit.* Intercessisse etiam ejusmodi decreto Ferdinandi Regis oratorem principis sui nomine, cum id in Ecclesiæ reique Christianæ exitium manifeste vergeret, refert Surita (*i*). Nec diu divina animadversio dilata est, tantis enim auctus S. Petri opibus infelix juvenis, eas in scorta lenonesque profundebat (*k*), cum æstate dimisso fratre Cardinale Valentino, necnon pedissequis abire jussis, ne quis illius delitias olfaceret, una cum lenone personato, quem eodem equo invehebat, inter nocturnas per urbem concursationes deprehensus ab incognitis sicariis novem vulneribus confossus est, cujusque corpus, qua latrinarum illuvies flumini illabitur, projectum est. Cum vero ille non compareret, putabat Alexander ipsum apud scortum nobile delitescere, cum ex quibusdam inditiis cadaver lacerum fœtidumque dete-

In spurios ecclesiasticum principatum transferre molitus.
(*g*) *Burchar. ms. arch. Vat. l. 3. Volat. l. 22.*
(*h*) *Burchar. diar. ms. arch. Vat. sign. n. 102. l. 3. p. 398.*
Beneventanus ducatus Joanni Borgiæ datus. Solus Card. Senensis obsistit.
(*i*) *Sur. to. 5. l. 3. c. 5.*
(*k*) *Sur. l. 3. c. 5. 7. Marian. l. 26 c. 15. Guicc l. 3. & alii.*
In latrinæ illuvie projectus.

ctum eductumque est, nec umquam cædis author cognosci potuit: non a latronibus patratum facinus, quod pecuniæ vestesque demptæ non essent, constabat; sed ab hoste tacito, quem alii Cardinalem Valentinum, alii Ursinorum, in quos bellum gesserat, aliquem principem, alii Ascanium Sfortiam Cardinalem, alii alios ex variis suspicionibus perstringebant. Quem funestum casum Burchardus, qui illius exequiarum, quæ honorificentissime celebratæ fuere, ritibus præfuit, accurate describit hisce verbis.

IV. Infœlicissimi pontificiæ meretricis, & spuriorum joci.

*Feria quarta* XIV. *mensis junii reverendissimus dominus Cardinalis Valentinus, & illustris D. Joannes Borgia de Aragonia Gandiæ dux, S. R. E. gentium armatarum capitaneus generalis sanctissimi domini nostri Papæ filii charissimi fecerunt cœnam dominæ Vannotiæ matri eorum positæ prope ecclesiam S. Petri ad vincula cum ipsa eorum matre & aliis. Cœna facta nocte cursum agente, & reverendissimo domino Cardinale Valentino reditum eorum ad palatium apostolicum sollicitante, & apud ducem & capitaneum fratrem suum prædictum ascenderunt equos, sive mulas ambo ipsi cum paucis ex his, quoniam paucissimos servitores secum habebant, & simul ambo equitarunt usque non longe a palatio reverendissimi domini Ascanii vicecancellarii, quod alias sanctissimus dominus noster tunc vicecancellarius inhabitare consuevit, & construxit. Ubi dominus dux asserens se, priusquam ad palatium reverteretur, alio solatii causa, accepta a prædicto Cardinale fratre venia, retrocessit remissis omnibus illis paucis servitoribus, quos secum habebat a se, retento tantum stapherio, & quodam, qui facie velata ad cœnam ad eum venerat, & per mensem vel circa prius singulis vel quasi diebus eum etiam in palatio apostolico visitaverat, in mula, quam ipse dux equitabat, retro se recepto equitavit usque ad plateam Judæorum, ubi etiam dictum stafferium licentiavit, & a se versus palatium remisit, sibi tamen committens, quod ad horam in dicta platea expectaret ipsum, infra quam si ad eum non reverteretur, ad dictum palatium rediret, & his dictis prædictus dux cum velato in groppam suæ mulæ confidente a stafferio recessit. Et quia equitavit nescio ubi, interfectus & necatus est, & in flumen per illum locum juxta seu prope hospitale S. Hieronymi Sclavorum nuncupatum in via, quæ de ponte S. Angeli recta via itur ad ecclesiam B. Mariæ de populo juxta fontem ex terra conductum situm, per quem fimus super carrucis sive carretis conductus ad ipsum flumen proiici consuevit, projectus est.*

Joannes Borgia in media libidinum licentia trucidatus.

Addit author Alexandrum adeo indulsisse luctui, ut nonnisi post aliquot dierum inediam ab amicissimis Cardinalibus, ut cibum caperet, induci potuerit, insultabantque ejus calamitati æmuli, ac diro scommate pervulgarunt, illum jam Petri piscatoris dignum successorem, qui spurios filios in flumine piscaretur. Cæterum inter eos de lugubri filii cæde dolorum fluctus Alexander, cum illum male actæ vitæ conscientia stimularet, metueretque ne divina in ipsum justitia severitatis exemplum statueret, de parto tanto ambitu pontificatu, cujus majestatem in se obsolescere agnoscebat, dimittendo agitavit consilia, eaque Ferdinando Regi Hispaniarum patefecit: (a) a quo responsum est, rem adeo gravem & arduam non nisi habita prius matura deliberatione tentandam videri, sinendumque, ut concepti de cæde filii doloris vis remitteretur.

Ex spurii funesto casu mœrore confectus Alexander.

Derisus a poetis.

De pontificatu dimittendo agitat consilia.

(a) Sur. l. 2. c. 7.

V. Et de ecclesiastica disciplina restituenda.

Decreverat etiam idem Pontifex ad placandam divinam iram in pristinum statum collapsam apud plerosque fœdissime disciplinam ecclesiasticam revocare, atque in Cardinalium senatu maximo cum pietatis sensu de Christiana sanctitate in suum vindicanda splendorem egit, designavitque sex Cardinales pietate, scientia, prudentiaque conspicuos, ut tam egregio operi sedulo studium navarent, qua de re Petrus Delphinus has literas scripsit (b): *Si ob ducis interitum conversus est Pontifex una cum Cardinalibus, quemadmodum significasti, ad reformandam ecclesiam, non erunt obnoxii propheticæ illi sententiæ. Percussisti eos & non doluerunt; attrivisti eos & renuerunt accipere disciplinam. Vale ex Fonte bono die 1. julii MCCCCXCVII.*

(b) L. 3. ep. 37.

VI.

Demandatum id munus instaurandæ disciplinæ, tollendarumque corruptelarum fuit inter alios Francisco Cardinali Senensi, ad quem Petrus Delphinus literas gratulatorias dedit: *Datam tibi audio, domine observandissime, & quinque tecum pariter Cardinalibus summis itidem ac probatissimis viris a Pontifice potestatem & componendi Romanæ curiæ status, & totius Ecclesiæ reformandæ. Præclarum utique & dignum summo sacerdote ac Christi vicario mandatum, qui sponsæ Domini sui consulendum tandem duxerit, nec pessumdari ulterius tulerit divinum honorem, ac vineæ, quam plantavit dextera sua, delitias proculcari, cœlestis nimirum inspiratio & ex incomprehensibili sanctæ Trinitatis arcano, non humano consilio in Pontificis mentem opportuno tempore effusa. Quid enim opportunius hac adversa tempestate, quidve utilius optari communibus*

pio-

*piorum omnium votis potuit, quam ut fundata ab exordio religionis nostræ super firmam petram Apostolica sedes, & Apostolorum sanguine consecrata, ventis nunc & turbinibus in eam validissime irruentibus, non dimoveretur loco, sed vestris potissimum solidaretur consiliis, vestraque sapientia & authoritate confirmaretur?* Et infra.

VII. *Quamobrem accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, gladio, inquam, spiritus, quod est verbum Dei. Aperi os tuum, & implebit illud Dominus, ut sicut es eruditissimus, proferas inter collegas tuos nova & vetera. Dedit tibi Dominus linguam eruditam ad utilitatem multorum, ut evellas & destras, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes. Contende igitur, præsul optime, enitere homo Dei hanc tam egregiam tibi injunctam operam navare strenuissime una cum gravissimis atque sapientissimis collegis tuis. Non est parvifacienda hujusmodi provincia vobis demandata, quæ omnium animos in certissimam visa est spem erexisse, restituendi per vos paulo post aurei sæculi, ac beatæ vitæ atque angelicæ revocandæ. Temerarius fortasse hortator atque amens videar: verum inenarrabili lætitia gestiens ob inopinatum & inexpectatum nuntium, optatissimum tamen, conceptum sermonem continere non potui, in voce gratulationis & exultationis ista protuli, non adhortationis, &c. Vale ex Fonte bono die III. julii MCCCCXCVII.*

VIII. Reliqui ad id munus adsciti fuere Joannes stirpis Aragoniæ princeps, Georgius Ulissiponensis, Antoniottus Palavicinus S. Praxedis, Galeottus Riarius S. Georgii, Joannes Antonius Card. Alexandrinus, editæque sunt ab iis plures sanctissimæ sanctiones, quæ perductæ ad exitum non fuerunt, quandoquidem eum dolor ex nece filii acceptus consenuisset, prætexuit Alexander libertatem pontificiam iis sanctionibus imminui.

Redit ad ingenium Alexander.

IX. Decrevit idem Alexander hoc anno (a) Cæsarem Borgiam Cardinalem legatum ad conferenda apostolica Friderico Regi Neapolitano regia jura & insignia, ut ex pontificio diplomate (b) patet.

(a) *Burch. l. 3. Paris. e Grassis to. 1. Sur. l. 3. c. 8.*
(b) *L. 41. bull. pag. 244.*

Alex. lit. de conferendo insigni regio Frederico.

*Dilecto filio Cæsari S. Mariæ novæ diacono Cardinali ad regnum Siciliæ nostro & Apostolicæ sedis legato.*

*In præsentiarum regni nostri Siciliæ & totius terræ, quæ est citra pharum, quæ juris ejusdem Romanæ ecclesiæ specialis & proprietatis existunt, atque cunctorum in illis degentium populorum necessitates ex intimo cordis affectu intuentes, necnon tranquillitati, profectui, & prosperitati regni & terræ prædictorum paterna charitate consulentes, ut quæ sub justo, provido, & claro Rege ac principe juste provideque regantur, providere cupientes, regnum prædictum cum tota dicta terra usque ad confinia terrarum ipsius ecclesiæ, excepta civitate nostra Beneventana cum ejus territorio & districtu, juxta & secundum illum statum, quem claræ memoriæ Ferdinandus primus & Alfonsus secundus dicti regni Reges, dum in humanis agebant, melius tenebant & possidebant, seu alter ipsorum melius tenebat & possidebat, charissimo in Christo filio nostro Frederico ejusdem regni Regi illustri, tanquam in dictis regno & terra successori pro eo suisque liberis ex recta linea a suo corpore legitime descendentibus natis & nascituris in feudum perpetuum sub certis modo & forma & conditionibus legitime expressis de venerabilium fratrum nostrorum ejusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium consilio pariter & assensu, ac ex certa nostra scientia, & de apostolicæ potestatis plenitudine duximus concedendum, confirmandum, & de novo elargiendum, ipsumque Fredericum Regem per vexillum dictæ Romanæ ecclesiæ principaliter investiri, necnon ab eo fidelitatis debitæ juramentum, plenumque homagium, & vassallagium, ac ligium, pro hujusmodi feudo debita & consueta recipi, & nonnulla alia tunc expressa fieri & adimpleri mandavimus, prout in aliis nostris desuper confectis literis plenius continetur.*

*Attendentes igitur quod,* & infra, *assistente tibi divina gratia omnia & singula per ipsas literas nostras præfato Frederico Regi concessa prudenter, fideliter, & diligenter exequeris, habita super hoc cum eisdem fratribus nostris deliberatione matura, te,* & infra, *nostro & ejusdem ecclesiæ nomine ad præfata regnum & Regem ad præmissa omnia in dictis literis contenta plenarie exequendum, ac pro nonnullis aliis ejusdem Romanæ ecclesiæ arduis negotiis peragendis, tanquam pacis angelum, Apostolicæ sedis legatum de latere de fratrum eorundem consilio, comitante pacis angelo, duximus destinandum, tibi in regno & terra prædictis plenæ legationis officium cum plena potestate legati de latere committendo, ut nostro & ejusdem Romanæ ecclesiæ nomine a præfato Frederico Rege fidelitatis debitæ solitum hujusmodi recipias juramentum, nec non promissiones, sponsiones, & conditiones in literis ipsis contentas cures efficaciter adimpleri, ac etiam privilegium præfati Frederici Regis aurea bulla bullatum, in quo proprio juramento fateatur & recognoscat expresse regnum Siciliæ, & totam terram ipsius, quæ est citra pharum, usque ad confinia* X.

Cæsar Borgia creatus legatus.

Data imperia ut Fredericus regnum beneficentiæ Apost. acceptum referat.

*finia ejusdem Romanæ ecclesiæ, excepta dicta civitate Beneventana, cum territorio & pertinentiis suis, quæ ecclesiæ remanebit eidem, ex sola gratia & mera liberalitate sedis Apostolicæ & nostra sibi suisque heredibus fuisse concessa, ipsumque recepisse & tenere regnum & terram hujusmodi a nobis & dicta Romana ecclesia sub pactis, modis, & conditionibus in dictis literis contentis, de manibus ipsius Frederici Regis recipies ad nos & sedem prædictam deferendum, & nobis ac sedi prædictæ præsentandum, & alias in regno & terra prædictis evellas, destruas, disperdas, ædifices, plantes, deformata reformes, corrigenda dirigas, diffidentes proceres ad concordiam pacemque reducas, inobedientes vero atque rebelles authoritate nostra per censuram ecclesiasticam, ac alia opportuna remedia compescas, prout cœlestis gratiæ infusio, tuaque prudentia tibi ministrabunt, firma spe prudentiaque tenentes, quod actus tuos dirigente, qui novit aspera in vias planas convertere, per tuæ circumspectionis industriam, quodque tibi per nos fideliter commissa optatum finem recipient, & ad præfati Regis pacem ac statum prosperum & felicem ejusdem regni pro tua prudentia componentur.*

XI. *Præterea tibi inter Regem præfatum & quascumque personas ecclesiasticas & sæculares dicti regni bonum pacis & concordiæ inducendi, & quantum ad laudem & gloriam omnium, Redemptoris, & orthodoxæ fidei augmentum, & sedis prædictæ honorem, necnon Regis præfati pacificum & tranquillum statum, ejusque corroborationem, & regni prædicti redintegrationem & conservationem, ecclesiasticæ libertatis reformationem, morum honestatem, justitiæ cultum, relevationem ecclesiarum & pauperum quomodolibet pertinebunt, statuendi, ordinandi, mandandi, decernendi, exercendi, & etiam exequendi, ipsos quoque contradictores & rebelles, quacumque ecclesiastica vel etiam mundana præfulgeant dignitate, ut præmittitur, appellatione postposita compescendi, brachium quoque sæculare, si opus fuerit, invocandi, quibusque privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, & literis apostolicis generalibus & specialibus sub quacumque verborum forma & expressione concessis, per quæ nulli qualiscumque status, gradus, ordinis, & conditionis in hac parte volumus afferre suffragium, nequaquam obstantibus, plenam & liberam tenore præsentium simili consilio concedimus facultatem, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MCCCCLXXXXVII. v. idus junii pontificatus nostri anno* v. Instructus (*a*) etiam est Cæsar Cardinalis legatus amplissimis aliis mandatis ad conferenda sacerdotia, ad cognoscendas dirimendasque causas ecclesiasticas, ad solvendas censuras, ad temperandas leges canonicas, variaque privilegia impertienda. Extant eodem argumento aliæ ad eundem Cardinalem datæ literæ (*b*) de tradendo Frederico Neapolitano regno, deque regia inunctione & corona conferenda.

(*a*) *Ib. p.* 247. & *p.* 252.

(*b*) *Ib. p.* 242.

XII. Certior vero factus est hisce literis (*c*) Fridericus Neapolitanus Rex de collato illi Siciliæ citerioris regno, excepta Beneventana urbe circumjectoque agro, deque legato Cardinale ad vexillum illi e manu tradendum decreto.

(*c*) *L.* 41. *bull. p.* 241.

*Alexander, &c. charissimo in Christo filio Frederico de Aragonia Siciliæ Regi illustri.*

*Cum nos hodie regnum Siciliæ cum tota terra citra pharum juxta & secundum illum statum, quem claræ memoriæ Ferdinandus primus & Alfonsus II. dicti regni Reges, dum in humanis agebant melius tenebant & possidebant, seu alter ipsorum melius tenebat & possidebat, usque ad confinia terrarum Romanæ ecclesiæ, civitate nostra Beneventana illiusque territorio & districtu exceptis, sibi dicti regni Regi illustri, tanquam in dictis regno & terra successori, per te tuosque liberis ex recta linea a tuo corpore legitime descendentibus & nascituris de venerabilium fratrum nostrorum ejusdem Romanæ ecclesiæ Cardinalium consilio pariter & assensu, & ex certa nostra scientia, & de apostolicæ potestatis plenitudine in feudum perpetuum confirmavissemus, & de novo elargiti fuissemus, tandem intendentes, ut tu juris regni, & terræ prædictorum ac regalium insignium plenitudine gratulari, & statum suum firmius stabilire valeres, dilecto filio nostro Cæsari S. Mariæ novæ diacono Cardinali apostolicæ sedis legato de dictorum fratrum consilio per alias literas nostras commisimus & dedimus in mandatis, utque ad dictum regnum se personaliter conferens te per vexillum ejusdem ecclesiæ de regno & terra prædictis ac omnibus juribus & pertinentiis eorundem investiret, & in illorum possessionem induceret, & quia Reges Siciliæ, qui pro tempore fuerint ad mandatum Romanorum Pontificum inungi & coronari consueverunt, postquam te investisset, & in possessionem hujusmodi induxisset, ut præfertur, te in Regem solemniter inungeret, & in signum pleni juris atque dominii te de regno & terra prædictis coronares, præstito a te & ab eo nostro & ejusdem Romanæ ecclesiæ nomine recepto solito juramento, prout in eisdem literis plenius continetur.*

Neapol. regnum Frederico datum.

Cæsari Borgiæ Card. conferendi illi vexilli potestas data.

*Cum*

XIII. *Cum, itaque fili charissime, per unctionem principatus, per coronam virtutes, per sceptrum posestas in Rege congrue designentur, attendat regia celsitudo tua non utique per qualemcumque principatum, sed eum qui prudentia, justitia, fortitudine, temperantiaque subsistit regios humeros inungi, & tempora coronari, studeat tua devotio sic sceptro uti & dominari, ut nos ex tanto tibi impenso munere collaudari, Romana ecclesia apud tuos regnicolas in summa devotione haberi, ipsique regnicolæ & justo, sapienti, modesto, ac forti principe gratulari non immeriso valeamus & valeant. Datum Romæ apud S. Petrum anno MCCCCXCVIII. v. idus junii pontificatus nostri anno v.*

Fridericus ad sectandas regias virtutes excitatus.

XIV. Exceptum Capuæ ab illo legatum maximis hunoribus prima augusti die refert Surita, ac dein Neapolim eximia pompa ingressum, Regemque Fridericum, coactis procerum maximis conventibus in principe ecclesia a legato regiis ornamentis redimitum fuisse. Præerat ritibus Burchardus, qui servandam eorum formulam, utque Rex genibus submissis sacramentum fidei Pontifici præstiterit, describit. Non interfuere huic celebritati Sanseverinates principes (*a*), neque enim vetera adhuc posita erant odia: immo Antonellus princeps Salernitanus pro Carolo Francorum Rege iterum signa explicuit, arcesque omni conatu munivit: sed demum exeunte anno a Friderico Rege Consalvi Ferdinandi ducis auxiliis oppressus deditionis verba nuncupavit (*b*) vitam liberumque commeatum una cum sociis pactus. Potitus Antonelli sociorum arcibus Fridericus firmasse solium videbatur, cum Ferdinandus Hispaniarum & Carolus Francorum Reges Neapolitanum regnum a Ferdinando seniori spurio jure non tentum fuisse disceptarunt, atque ideo illud a Friderico occupatum vitio, sed vel ad Hispanum vel ad Gallum spectare, deque eo inter se partiendo egere; quæ arcana colloquia in Friderici & ducis Mediolanensis perniciem postea eruperunt.

Fridericus Rex Neapol. sceptrum pontificiæ beneficentiæ acceptum refert.

(*a*) *Sur. to. 5. l. 3. c. 8.*

Nonnulli principes Gallicas partes tutati.

(*b*) *Id. Sur. c. 12.*

Salernitanus princeps victus.

Motæ lites vel ad Gallum vel ad Hisp. spectare Neap. regnum.

XV. Inclaruerat Florentiæ hoc tempore apud vulgus magna pietatis & prophetici spiritus opinione Hieronymus Savonarola Ferrariensis redintegratæ in Prædicatorum congregatione Florentina disciplinæ religiosæ fama illustris, a quo Caroli VIII. Regis in Italiam exercitum florentissimum ducentem, Italicarumque rerum conversiones sagaci animo denuntiatas multis ante annis, tum plura alia posteris temporibus ventura ferunt, cumque exinde multorum odia contraxisset, tum etiam opinionem novandarum rerum injecisset, dum extases jactaret, & de congregando concilio, restituendaque disciplina declamaret; eversis jam Gallorum rebus, quarum magnificentiam extulerat, in crimen vocatus est apud sedem Apostolicam, quod nefanda elatus hypocrisi prophetam se dixisset, ac nova moliretur, cui propterea intentatum est ab Alexandro VI. judicium, objectisque censurarum pœnis concionandi munus iterum est ei interdictum. At qui ipsi præter fas studebant has pro eo literas ad Alexandrum dedere (*c*).

Hieronymus Savonarola vatem agit.

Vocatur in judicium ab Alexandro.

(*c*) *Ext. in arch. Florent.*

*Alcuandro VI. summo Pontifici.*

XVI. *Sanctissime & beasissime pater, &c. Moleste tulimus ferimusque insectatam esse boni viri, quantum nos cognoscimus, virtutem, & delata fuisse ad sanctitatem vestram ea nulla de causa, quæ merito excitare pontificales in fratrem Hieronymum censuras, si ea vera extitissent, debuissent. Nos, sanctissime Pater, multo aliter censemus: bonum nos hunc virum, bonumque religiosum, peritumque rerum Christianarum existimamus. Diversatus est in urbe nostra aliquot annos prædicationibus intentus, plebique ad meliores mores instruendæ, neque notari potuit [modo careat affectibus delasio] quidquam, in quo vel exemplo vitæ, vel excellenti doctrina aberraverit; sed, ut novit vestra beatitudo, vix inveniri potest ubi præclara virtus careat invidia. Sunt & in nostra urbe tamquam in magno populo qui etiam virtutem invertant seu naturæ levitate, seu alio quovis morbo, & tunc sibi plus placeant, doctique esse magis viri videantur, cum quid in doctos bonosque viros liberius audent: quibus magis venia danda, quam graviore aliquo periculo id vindicare erroris. Supplicamus ergo sanctitati clementiæque vestræ pro ea, quæ omnibus in rebus semper fuit in nos vestra paterna & divina charitas, ut totum hoc negotium ad gravitatem sapientiamque vestræ sanctitasis referatur, tollaturque hæc animorum displicentia civitati, atque ista censurarum pontificalium gravitas, ne plus posse videatur parum religiosa quorumdam levitas, quam bona studia bonæque artes hominum religiosorum &c. Meminerit vestra sanctitas hujus devotissimæ civitatis & populi sedis Apostolicæ & sanctitatis clementiæque vestræ; cui nos & rempublicam istam humillime commendamus. Ex palasio nostro die octava julii millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo.*

Florentinorum lit. pro Hieronym. Savonarola.

XVII. Non propterea composita lis est, sed subtersugiente illo temere Apostolicæ sedis judicium, ac scripta contraria non sine impudentiæ nota spargente, datum est pontificium diploma (*d*) ad ordi-

(*d*) *Ext. apud Burch. ms. arch. Vat. sign. n 104. p. 2. pag. 303.*

dinis Prædicatorum religiosos viros Florentiæ agentes, ut Hieronymus probaret se missum a Deo: objectum, pro concione blasphema verba illum effutiisse, quasi mentiretur Christus si Savonarola mentiretur: atque ad vaticinia probanda in jus vocatus est: datum crimini congregationem Etruscam Dominicanorum illius dolo fuisse divulsam a Longobardica, atque adeo imperatum fuit, ut vicarius Longobardicæ congregationis de Hieronymi ipsius causa cognosceret, nec non præcipui ejus sectatores Florentia Bononiam se conferrent.

Subiicitur Longobardicæ congregationis magistro.

*Alexander Papa VI. dilectis filiis priori & conventui monasterii S. Marci ordinis Prædicatorum in civitate Florentiæ.*

Alexandri lit. adversus Hieron. Savonarolam.

*Quia divini consilii inscrutabilis altitudo universali administrandæ Ecclesiæ nos Petri successorem, licet immeritum, hoc tempore præesse disposuit, jugi quantum nobis divino munere datur diligentiæ studio procurandis iis rebus intendimus, quibus religio, salus, & pax Christiano populo conservetur, floreat, & amplificetur, dogmatum vero novitas fictæ simplicitatis adumbrata velamine, e qua in populo frequenter & clero schismata, hæreses, & morum subversio oriuntur, de Ecclesia miti emendationis flagello pellatur, ne quietum corporis Ecclesiæ statum solicitare in præsentia possit, neque cæteris delinquendi exemplo isto malo potestas fiat in posterum. Sane Hieronymum quemdam Savonarolam de Ferraria ordinis Prædicatorum novitate pravi dogmatis delectatum accepimus, & in eam mentis insaniam Italicarum rerum commutatione deductum, ut se missum a Deo, & cum Deo loqui sine ulla canonica attestatione fateatur in populo contra canonicas sanctiones. Non sufficit cuiquam nude tantum asserere, quod ipse sit missus a Deo, cum hoc quilibet hæreticus assereret*, id quidem jure optimo affirmat Alexander, cum Lutherus postea eodem modo jactans se missum a Deo hæreses sparserit, *sed oportet quod ostendat illam invisibilem missionem per operationem miraculi, vel scripturæ testimonium speciale, Christum præterea Jesum crucifixum & Deum mentiri, si ipse mentiatur, horrendum certe & execrabile adjurationis genus: extra statum salutis quemquam fieri vanis illius assertionibus non credentem, alia deinceps illum non minus inepta facere, dicere, & scribere, quæ si prætereantur impune nihil est quod non ausum falsorum religiosorum temeritati sit, & in corpus Ecclesiæ, quod verendum est, vitia sub virtutum specie subintrent. Cogitavimus longa cunctatione, & diutina patientia nostra efficere, ut fatuam illam propheticam suam professionem recognosceret, ad solidæ veritatis viam se flecteret, & quæ turbationis causa in Ecclesia fuerant illius verba temere & inique prolata, consulte & fideliter revocaret. Credebamus post aliquod tempus jam advenisse diem, quo de ipso meliora concipere deberemus, ac dolorem, quem nunc usque ex effræni arrogantia & scandalosa separatione a patribus suis Lombardiæ perpessi fueramus, quæ sub dolosa calliditate, sicut post cognovimus, perversorum quorumdam fratrum impetrata est, amodo ex sua humili adhærentia in lætitiam commutaremus, sed [ quod dolenter referimus] spe nostra frustrati sumus, nam licet per literas nostras ipsum in virtute sanctæ obedientiæ monuerimus, ut ad nos veniret, veritatem ab eo & ab ore suo intellecturos, tamen non solum venire, & nobis obedire recusavit, verum etiam ipse acerbiorem in dies magis doloris nobis causam subministravit, impudenter fidelium oculis legenda ingerens, quæ solo alias auditu temere profuderat inhibenda.*

Obiectum illi probet se a Deo missum.

Blasphemiæ accusatus.

Vaticinia illius in examen anceps adducta.

Segregatio illius a Longobardica congregatione vocata in suspicionem criminis.

Vocatus ad sedem Apost. judicium diffugit.

*Ea propter cum nos reddendæ universæ* XVIII.
*Italiæ pacis grandi ac laborioso opere detineamur, hanc ipsam causam fratri Sebastiano de Madiis de Brixia congregationis Lombardiæ ordinis Prædicatorum generali vicario decernendam, judicandam, puniendamque secundum vestri ordinis statuta commisimus per literas nostras in forma brevis, Hieronymo Savonarolæ prædicto in virtute sanctæ obedientiæ sub excommunicationis latæ sententiæ pœna stricte præcipiendo mandantes, ut vicarium prædictum ad cognoscendam hujusmodi causam a nobis judicem deputatum prompta & sincera obedientia recognoscat, illius mandatis ubilibet gentium se vocaverit, omni provocatione & appellatione postposita, pariturus. Interea vero dum hæc causa coram prædicto vicario discuteretur, ab omni declamandi in populo & publice legendi officio per præsentes literas prædictum Hieronymum suspensum esse decernimus. Cæterum ne alteri cuiquam ex fratribus vestris malo exemplo ejusdem Hieronymi libertate propria delectati errandi & decipiendi tribuatur facultas, locum istum sancti Marci de Florentia, & S. Dominici apud Fesulas ordinis Prædicatorum amodo præfatæ congregationi Lombardiæ reunimus, incorporamus, annectimus, omnibus fratribus prædictorum locorum Sancti Marci & S. Dominici sub excommunicationis latæ sententiæ pœna mandantes, ut vicario prædictæ congregationis Lombardiæ velut suo legitimo pastori pareant & intendant, revocantes ex nunc, & revocatum esse decernentes quidquid authoritatis,*

Datus illi judex.

Interdictus concionis munere.

Florentina congregatio Prædicatorum Longobardicæ conjuncta.

*fa-*

Mandatum nonnullis ejus sectatoribus ut ab eo discedant.

*facultatis, sive potestatis cuiquam alteri etiam apostolica authoritate esset indultum: injungentes quoque sub ejusdem excommunicationis latæ sententiæ pœna fratri Dominico de Piscia, & fratri Thomæ Bussino, & fratri Silvestro de Florentia, ut infra spatium novem dierum, quorum tres assignamus pro primo termino, tres pro secundo, & tres pro tertio a notitia præsentium Bononiam proficiscantur, authoritate prædicti vicarii Lombardiæ in uno quopiam conventuum congregationis, præterquam in dominio Florentinorum, collocandi in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Petrum die* XVI. *octobris MCDXCVII.*

XIX. Extant quoque aliæ pontificiæ ad Hieronymum ipsum datæ literæ (*a*), quibus in jus vocatur, quod simplices homines ab obsequio sedis Apostolicæ abducere nisus sit, ac se Spiritu Sancto afflatum, & divino lumine collustratum jactarit.

(*a*) *Ext. apud Burchar. pag.* 306.

*Alexander Papa VI. dilecto filio fratri Hieronymo Savonarolæ de Ferraria ordinis Prædicatorum.*

Correptus Savonarola de populo Florent. falsis vaticiniis deluso.

*Dilecte fili, salutem, &c. Licet uberius per alias literas nostras in forma brevis explicaverimus quantum nobis displicuerint, turbationes, præsertim istius populi Florentini, & eo magis quod habuerint ortum a prædicationibus tuis, quia conabaris, omissis vitiorum extirpationibus laudibusve virtutum, publicis in sermonibus futura prædicere, affirmareque te illa habuisse a lumine æternitatis, ac inspirante Spiritu Sancto, propter quæ & similia simplices homines deviare possent a via salutis & obedientiæ sanctæ Romanæ ecclesiæ, debuisses enim potius procurare in tuis prædicationibus unionem & pacem, quam similes, quas vulgus vocat, prophetias tuas, divinationesque prædicare. Debuisses etiam considerare quod conditioni temporum vehementer repugnat talis doctrina, quam in medium affers, quæ sufficeret ponere discordiam etiam ubi esset summa pax, quanto magis ubi vigent tales simultates & factiones. Periculum itaque multarum animarum, & desiderium nostrum istius populi, & ut satisfaceremus officio nostro pastorali, adduxere nos, ut ad te scriberemus, nec sine maturo consilio decerneremus omnino te vocare ad nos, ut te purgares a tibi impositis, quæ profecto si vera essent, non deberent, impune transiri. Cum autem nuper intellexerimus ab aliquibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus & per literas tuas & nuntios, quod paratus es omnibus per te dictis vel factis subjicere te correctioni sanctæ Romanæ ecclesiæ, quod est officium boni Christiani & religiosi hominis, plurimum lætati sumus, incœpimusque persuadere nobis, ea te non prædicasse malo animo, sed potius simplicitate quadam & zelo proficiendi in vinea Domini, licet certo contrarium experientia doceat, verum ne videamur talia penitus negligere, quæ nullo pacto sunt negligenda, decrevimus iterum ad te scribere, & respondentes literis tuis mandamus tibi in virtute sanctæ obedientiæ, quod amplius abstineas ab omni prædicatione, tam publice quam secrete, ita quod non possit tibi imponi quod cessans a publicis sermonibus convertaris ad conventiculas, quem modum omnino teneas donec secure, commode, & cum ea honestate, qua decet religiosum, non stipatus, ut intelligimus, militibus possis ad præsentiam nostram te conferre. Videbimus enim te hilari & paterno animo, vel donec maturius deliberemus quem modum debeas in futurum tenere, vel, si nobis videbitur, aliquem idoneum & probum virum destinabimus, quod si feceris, ut speramus, ex tunc suspendimus brevia & contenta in illis, quæ adscripsimus, & quascumque clausulas in eis contentas, ut quiete possis conscientiæ tuæ vacare. Dat. Romæ apud S. Petrum die* XVI. *octobris MCCCCXCVII.*

Subjicit se Pontificis correptioni.

Jussus accedere ad solium Apost. sine militari præsidio.

Non paruit Pontifici Savonarola, cum audiri vellet non audire Ecclesiam atque omnes judices suspectos sibi diceret hæresiarcharum more, missisque literis questus est apud eundem Alexandrum falsa ipsi suggesta fuisse: affictam falso hæresim: defendere se nisus est si vaticinatus esset: multis ante annis, quem contingerent futura, se prædixisse: negavit se dixisse, se a solo Deo missum, vel dixisse cum Deo se colloqui, aut se appellasse prophetam: objecta verba blasphema interpretatione meliori dissolvit, redarguit vero eos, qui non credant revelatis sibi a Deo privatos gratia: tum plura ad suam excusationem, si Romam ad dicendam causam non accederet, adjecit, timere scilicet inferendam sibi necem ab adversariis, ac si judex Florentiam mittatur, errata coram universo populo se revocaturum. XX.

*Responsio fratris Hieronymi Savonarolæ ad Alexandrum Papam VI.*

Hieronymi Savonarolæ responsum.

*Beatissime pater post beatorum pedum oscula. Exhibitæ fuerunt pridie literæ sanctitatis vestræ conventui nostro in forma brevis, quibus conventum hunc & conventum S. Dominici ad Fesulas congregationis Lombardiæ reunisse intimabant, & fratrem Dominicum de Piscia, ac fratrem Thomam Bussinum, & fratrem Silvestrum de Florentia Bononiam proficisci sanctitas vestra præcipiebat, idque ideo factum fore, quod ego ipse Hieronymus multa fatua ac scandalum in Ecclesia Dei facile paritura,*

con-

*contra canonicas sanctiones dixerim, & publice populo prædicaverim, causamque meam cognitioni & punitioni generalis vicarii dictæ congregationis per alias suas literas submittebat, quas literas bono animo & ea, qua decuit, reverentia suscepimus, dum sanctitatem vestram de statu sanctæ Ecclesiæ, & de salute animarum nostrarum solicitam ostendunt: sed doluimus vehementer ac dolemus, quod eo usque processerit hominum malitia, ut sint qui etiam summo Pontifici, ac Christi in terra vicario res tam falsas, tamque perverse interpretatas suggerere non formidaverint.*

Queritur falsa Alexandro suggesta.

*Et quia ex prædictarum literarum serie constat totius hujus rei effectum a me assertæ culpæ causa proficisci, parcet, mihi sanctitas vestra, si ego tanquam is, a quo dicitur oriri hæc tempestas, mea gestorum veritas, atque sinceritas boni securi, & qui sequi sperantur effectus a falsis interpretationibus, assertionibus, & suggestionibus defendam. Neque hoc erit difficile, quia ego palam locutus sum mundo, & semper docui in ecclesia & in templo, in quo omnes Christiani conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. Hinc simplicitatis meæ, & probatæ doctrinæ tot millia testium habeo, ut nullo pacto me apud sanctitatem vestram dubitem causam meam sine ulla prorsus difficultate defensurum, ut enim ait Philosophus:* Verum vero consonat, falso autem dissonat.

Afflictam sibi hæresim.

*Suggesserunt itaque in primis vestræ sanctitati, ut in ejus literis patet:* Novitate pravi dogmatis delectatum; *quod falsum esse clarum est, publice enim scitur me nullum pravum dogma sequi, nec prædicare, sed sanctas scripturas dumtaxat, & sanctos doctores, & in publica prædicatione sæpe dixisse, & in scriptis reliquisse, me & omnia mea sanctæ Romanæ ecclesiæ submittere, & hoc idem, ni fallor, beatitudini vestræ scripsi in quibusdam meis literis, de quibus etiam ipsa fecit mentionem in brevi quodam sanctitatis suæ ad me misso.*

Defendit si futura sit vaticinatus.

*Si quis autem dicat, quod prædicare futura novum est dogma, falsum est, quia hoc semper fuit in Ecclesia Dei, ut patet discurrenti scripturas ecclesiasticas, nihil enim obest religioni Christianæ prædicare futura, dummodo non sint contra fidem vel bonos mores, aut rationem naturalem, nec unquam hoc fuit aliqua lege prohibitum, nec prohiberi potest, hoc enim esset Deo imponere legem, qui dicit per Amos:* Non fecit dominus Deus verbum nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas.

XXI. Profitetur multis ante annis quam evenirent prædixisse futura.

*Secundo quia in prædictis literis dicitur:* Et in eam mentis insaniam Italicarum rerum commutatione deductum, &c. *Hoc etiam manifeste falsum est, & ab omnibus scitur, quia præterierunt quinque anni, quibus hæc prædixi, vel plures etiam quam decem anni jam sunt, non ergo deductus sum ad hoc propter commutationem Italicarum rerum.*

Negat se dixisse a solo Deo missum.

*Tertio ditur:* Et se missum a Deo, &c. *Hoc quoque falsum est. Sciunt omnes qui me audierunt, quia nunquam dixi, immo in scriptis nostris, quæ ab omnibus legi possunt, scripsi qui eram missus a prælatis meis, sicut & fere omnes alii Prædicatores, sed nunquam dixi a solo Deo me missum, ut testes sunt multa millia hominum.*

Negat dixisse loqui cum Deo.

*Quarto dicitur:* Et cum Deo loqui, &c. *Hoc etiam nunquam expresse dixi, nec unquam utor tali modo loquendi, ut testis est universus populus Florentinus, quod etiam si dixissem, nullam propter hoc incurrerem pœnam, non enim invenitur in aliquo loco scriptum, nec in toto corpore juris canonici, nec civilis, nec aliquo authentico libro, quod qui dixit se cum Deo loqui puniatur, stultum etiam esset & impium facere talem legem, cum nullus posset imponere legem Deo, potest enim ipse loqui cum quibus vult, & eis præcipere ut dicant.* Hæc dicit dominus Deus, &c. *sicut prophetæ faciebant.*

XXII. Refellit objecta blasphema verba.

*Item suggesserunt me dixisse, Jesum crucifixum & Deum mentiri, si ego mentirer, cum neque hoc absolute dixerim, quasi Deo voluerim me æquiparare, sed in causa tamen, verbi gratia si quis diceret:* Erunt signa in sole & luna & stellis, &c. *& deinde dicat:* Si ego mentior, Christus quoque mentitur; *nunquid hoc execrabilis adjurationis genus? ita ego aliquam veritatem quam locutus est Christus, aliquando cum dixissem subjunxi:* Si ego mentior, & Christus, &c. *Item in eodem brevi subsequitur:* Extra statum salutis quemque fieri vanis illius assertionibus non credentem, &c. *Hoc ego nunquam dixi, sed bene hoc modo locutus sum, quod cum sciam multa, quæ prædixi, esse a Deo, qui obstinato animo eis non vult credere, sed omnino statuit contradicere, signum est quod is extra gratiam sit, quoniam, ut dici, gratia & lumen fidei semper inclinant ad veritatem: ideo qui est in gratia non potest tendere contra veritatem, quæ a Deo est firmata, verum qui nostris assertionibus non credunt, nec tamen obstinato animo contradicunt, dixi & publice scripsi, quod poterunt esse in gratia & salvari contradicentes, ergo non dixi, quod peccarent, sed quod modo quo supra illorum contradictio signum erat privationis gratiæ.*

Arguit eos, qui non credant revelatis a Deo privatos gratia.

*In eis præterea ibidem dicitur:* Alia deinceps illum non minus inepta facere, & dicere, ac scribere, quæ, &c. *Totus siquidem populus iste testis est,*

Tuetur scripta sua & dicta.

*me*

*me nec dicere, nec facere inepta, nec scandalosa, sed quæ magnæ sunt virtutis & necessitatis in fructus multos, & salutem animarum, & ad pacem in civitate Florentina, & ad reformationem spectantia, & cum scriptum sit :* In ore duorum vel trium testium stat omne verbum ; *ego non solum duos vel tres, sed duo & tria vel etiam decem testium millia in medium adducam, cum quibus & ipsa opera non a me, sed a Deo per me facta clamabunt, probabuntque, me nunquam talia dixisse aut, &c. similiaque adversum me reprobi homines composuerunt.*

XXIII. Negat se dixisse prophetam.

*Præterea in ipso brevi sequitur :* Cogitavimus longa cunctatione, & diuturna patientia nostra efficere ut fatuam illam propheticam professionem recognosceret, &c. *Ego arbitror, quod nullus homo mundi prorsus possit inveniri, qui audiverit unquam ab ore meo tam arrogans verbum, ut dixerim me esse prophetam, verum e contrario multa etiam millia poterunt testari me sæpe dixisse non esse me prophetam, neque filium prophetæ, quod etiamsi dixissem, non video quare etiam puniendus, nulla enim facta est aut fieri potest lex, quæ damnet hominem quemquam, qui se dicat ex spiritu divino futura prædicare, nisi sub hoc velamine populum solicitet ad malum, vel hæresis, aut aliquid quidquam præter hæc faciat, ut scribitur Deuteronomii* VII. *quod de me nullus dicere potest, ut notissimum est. Dici non potest, quod alius nullus surgere potest propheta in Ecclesia Dei, & si hoc dicitur donum prophetiæ de Ecclesia pelletur, quod est contra illud Amos tertio superius allegatum :* Non faciet dominus Deus verbum, &c. *& illud proverbiorum decimonono :* Cum propheta defecerit dissipabitur populus. *Quod si dicetur Deuteronomii decimoquarto scriptum est, quod propheta, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut doceret aut dixerit ex nomine alienorum deorum, interficietur, quod si venerit, quod locutus est, bonus propheta fuit, non autem falsus. Quod non est intelligendum sic, videlicet nisi statim quod prædixit eveniat interficiatur. Alioquin fuerat interficiendus Isaias, & Jeremias, & alii multi prophetæ, & ipse Christus dominus, quia multos annos vixerint, & ea quæ ab eis fuerint prædicta, nec in eorum vita venerunt, & ideo intelligere oportet, quod si aliquis dixit se ex spiritu Dei futura prædicere, & ea, quæ prædicit, non sunt contra fidem, nec contra canonicas scripturas, nec contra catholicæ Ecclesiæ doctrinam, expectandus est patienter eventus eorum, nec sperandus est, maxime ubi vita bona comes fuit, quia Deus multos servos habet occultos, ideo ait Apostolus :* Prophetias nolite spernere, *si autem tempora a propheta præfinæ non evenerint, quæ prædixit, tunc debet acriter argui, & sic lex ipsa intelligitur. Cum ergo jam multa, quæ prædiximus, evenerint, adhuc non sum arguendus, nec puniendus, quia illa futura pronuntiaverim, si autem cætera suo tempore non evenerint, merito arguendus ero, certus sum autem quod evenient, nec ex eis unus apex præteribit.* Cum ex hac licentia multorum errorum a fanaticis spargendorum impenderet discrimen, a concilio Lateranensi postea sancitum est, ne quis revelata sibi promulget, nisi prius sedi Apostolicæ, ad quam spectat judicare de propheta, ea aperuerit. Subdit Savonarola in sua apologia. *Certe, beatissime pater, notissimum est non solum Florentiæ, sed etiam in diversis Italiæ partibus, quod meis verbis secuta est pax in civitate Florentiæ, quæ si non fuisset secuta, tota Italia fuisset perturbata, quod si verbis adhibita fuisset fides, Italia hodie non hoc modo quateretur, nam ejus prævidens afflictiones, licet a multis fuerim derisus, pronuntiavi gladium venturum, ac pacis remedium ostendi solam esse pœnitentiam, unde Italia universa gratias per me Deo agere deberet, docui enim eam remedium tranquillitatis, quod quidem servans Florentiæ jam habet, quod non haberet, & similiter si tota hæc faceret Italia, gladius nequaquam per eam transiret, quid enim nocere potest pœnitentia? Nullus itaque vere testari potest, me scandala in Ecclesia seminasse, sed ego innumeros habeo testes, quod bona semina seminavi, verum inimicus homo zizaniam seminavit, & incidit in foveam, quam fecit.*

E prædictis a se aliqua evenisse, alia nondum eventura.

Prædicta a se Italiæ mala & per pœnitentiam averti posse.

XXIV.

*Subjungitur præterea hoc in eodem brevi :* Subdola calliditate perversorum quorumdam fratrum, &c. *Primum quidem perversos fratres eos vocandos esse, quos nulla notat prorsus infamia, immo qui in toto hoc populo sint optimæ famæ, non potuerunt suggerere sanctitati vestræ, nisi improbi homines : mittat enim eadem sanctitas vestra aliquem ex suis fidelibus, qui cives & populum interroget de fama fratrum S. Marci & S. Dominici de Fesulis, & probabit, atque clarius cognosces, quam apertum fuerit hoc eorum mendacium.* Illos pervertit Savonarola, cum mutare cucullas cum galeis, & cedere gladio ac cædi se exponere jussit, qui pergit : *Secundo falsum est, quod hæc separatio fuerit impetrata a quibusdam solummodo, & non omnibus, ut publico loquar instrumento. Tertio quia fuit impetrata, non ut laxius in libertate viveremus, sed strictius, ut effectus ipse demonstrat. Præterea nec subdole*

Famam prædicatorum defendit.

Negat dolo congregationem suam constitutam.

dole fuit impetrata, cum causa hæc longo tempore fuerit discussa, & mature examinata, ut testis est reverendissimus dominus protector noster Neapolitanus, qui hanc separationem sua prudentia impetravit: nam juxta seriem nastrarum constitutionum hæc provincia est a provincia Lombardiæ distincta, & una alteri præesse non debet, sed propter pestem quandam diminutis fratribus in hac provincia, conventus S. Marci de Florentia fuit per literas ejusdem generalis magistri unitus, seu commendatus congregationi Lombardiæ. Deinde prior quidam non vocatis fratribus aliis breve impetravit, quod quidem nullius dubitatur fuisse valoris, cum esset subrepititium, quare si augmentatis fratribus & multiplicatis authoritate sanctitatis vestræ ad statum naturalem reversi sunt, ita hoc dici non potest, id esse fraudulenter factum, immo est secundum tenorem nostrarum constitutionum.

XXV.

Præterea ibidem sequitur: Nam licet, &c. & id tamen falsum est, quamvis enim mihi præceperit sanctitas vestra, quod eam adirem, literas nostras tamen ad eam transmisi rationabiles causas adducens, quibus adire non possem juxta illud, cap. Si quando de rescript. Prima fuit quia infirmus & valetudinarius eram, & periculo mortis me exposuissem. Secunda quia adversarios habeo capitales, & tales quod judicio omnium, qui hoc sciunt, civium, Romam non potuissem pervenire: & hoc est quasi publicum in civitate, unde nec possum sine debita custodia domum egredi. Tertia fuit propter civitatis periculum, cujus regimen adhuc erat debile & nostris monitis a Deo sustentatur & perficitur. In calce autem literarum rogavi sanctitatem vestram, ut hac vice mihi parceret, quia alias cum majori satisfactione venire poteram. Miror autem quod sanctitas vestra literas meas non habuerit, quarum copiam propter hoc in literis conventus nostri heri ad sanctitatem vestram missis allegavimus, ut & ipsa videat quod falso loquuti sunt qui dixerunt, me obedientiam recusasse. Præterea cum beatitudo vestra sit maximis rebus occupata, non potest de his quæ particulariter fiunt, exactam habere notitiam: quod intelligentes homines perversi suggesserunt, ut hanc causam meam determinandam, judicandam, & puniendam committeret vicario generali conventuum reformatorum Lombardiæ & Prædicatorum, qui judex fuit nobis summopere jure suspectus, notorium est enim quod inter congregationem Lombardiæ & nostram propter separationem prædictam ortæ sunt controversiæ maxime, & quod idem vicarius una cum fratribus non cessat quotidie nos infestare. Constitutum igitur adversarium alicujus judicem ejusdem novit sanctitas vestra quam contra omnia sit jura & divina & humana. Præterea quando quis inimicos habet capitales, omnia jura illi concedunt, ut personaliter non teneatur comparere ubi vitæ sibi imminet periculum, quia hic timor est cadens in constantem virum: quis enim accederet, vel qua ratione aliquis tenetur consistorii talis subire judicium, se in hostium sinum reponere, & ad mortem per violentam injuriam, non per justitiam referendam ultionem se offerre? ut Clem. Pastoralis de re judi. scribitur, subdendo in eodem textu rationem, quatenus hæc quidem de jure timentur, hæc de morte vitantur, hoc refugit ratio, hoc abhorret natura. Ergo qui hujusmodi citationem saperet arctasse citatum, quo jure cum aliis plerisque tum in dicta Clement. dicto cap. Si quando, per doctores, & præcipue eximium sanctitatis vestræ auditorem Felinum, & tuti sumus & impune non paremus sanctitati vestræ justas causas plures assignando. Ego enim inimicos habeo capitales, ut sanctitati vestræ scripsi, & tot, & tales, ut non possim hinc recedere, nec sine maxima cautione propter multiplices insidias egredi, quomodo igitur dicitur in prædicto brevi, quod debeam parere huic vicario Lombardiæ ubilibet gentium me citaverit, præsertim cum multa sint Italiæ loca, ad quæ nullo pacto sine vitæ indubitato periculo non possim transferri? Unde ergo hæc, nisi quia sanctitati vestræ perversi homines subdole ea quæ falsa sunt, suggesserunt, & literas nostras ei non reddiderunt?

XXVI.

Inimicos autem habeo tales propter veritatem a me prædicatam, veritas enim odium parit, plerique enim pravi cives, qui unam factionem non tam propter reipublicæ studium, quam propter explendam ambitionem suam expulerant primatum affectantes, alias novas & plures hinc factiones & simultates suscitabant, & velut de hydra dicitur uno truncato capite plura nascebantur & sequebantur, ut dissidente civitate & tumultuante populi licentia discordiæ, rixæ, vindictæ, seditiones, cædes & universæ urbis exitium impenderent, maxime assistente potentissimo Rege, apud quem odii fomites non deerant, ipsum de eversione hujus patriæ solicitantes. Sic ipsa civitas tam intestinis quam externis agitata odiis facile [nisi Deus subvexisset] tum peritura maius universæ Italiæ incendium subministrasset. Ego quantum potui Regis indignationem & gladium averti præsenti civitati, tum pericula prospiciens, eum ad clementiam, pietatem, & religionem hortatus sum, monens

Excusat se, si Romam non accesserit. Causæ ab eo allatæ.

Negat obsequio defuisse.

Provocat apud Pont. datum sibi adversarium pro judice.

Sine vitæ periculo ad illud tribunal accedere non potuisse ait.

Continuisse Gall. Regem ne Florentiam everteret.

*nens non solum hic, sed ubique locorum suos a direptione, & ab atrocitate continere, & Dei timorem semper præ oculis habere. Deinde hæc civitas Dei munere incolumis eu medio incendio servata est, & in ea civium concordia, publica pax, ac Dei timor inductus est. Quid ego aliud potui diu noctuque utilitati ac tranquillitati hominum, & divino præcipue honori totis viribus inserviens? aut quid magis necessarium eo tempore facere debui? Hanc denique laborum meorum mercedem ab ingratis reporto? quorum adhuc me non pœnitet, dummodo merces nostra copiosa sit in cœlis, mendaces enim & vani sunt filii hominum, & vana est spes eorum, & quamvis eos non timeam, qui scio scriptum esse:* Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum; *nolo tamen Deum tentare, cum & contra scriptum sit:* Si persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam: *& dominus Jesus scit, quod ter hoc nobis exemplum præbuit, & Apostolus Paulus humanis defensionibus sæpe usus est.* Pluribus interjectis de Dominicana familia Florentina, quæ disciplinæ regularis restituendæ studio a Longobardica juste disgregata fuerit, concludit Savonarola.

Mala pro bonis sibi reposita.

XXVII. *Cum igitur, beatissime pater, constet omnia, quæ sanctitati vestræ suggesta sunt, esse falsa, & a perversis hominibus, qui quærunt animam meam, esse & fuisse falsa conficta, qui me eu hac urbe astutiis suis cupiunt educere, non ut veniam ad pedes sanctitatis vestræ, coram qua me omnia nostra facile defensurum spero, sed ut me interficiant in itinere ambitione sua tyrannidem affectantes, non indignabitur sanctitas vestra defensiones nostras pie admittere, & nos potius, ut arbitror, prudentes quam inobedientes appellare, dum interim supersedemus, ut intelligamus patris nostri & domini nostri benignam responsionem, & ab hujusmodi gravaminibus liberam absolutionem, nam doctrinam hanc a prædecessoribus sanctitatis vestræ & doctoribus sanctis, videlicet theologis & canonistis didicimus, unde inter alia multa allegari possent, specialiter hoc pates, sicut plene novit sanctitas vestra, ut in præallegato cap.* Scribentes. *Et maxime per dominum Felinum Ferrariensem, ejusdem sanctitatis vestræ benemeritum auditorem, cum nisi hæc notissima essent in literis præsentibus ea non subscripsissemus. Quod autem omnia, quæ superius scripsimus, vera sint, ubi oporteat non erit difficile nobis probare. Mittat sanctitas vestra unum de suis fidelissimis virum justum & non suspectum, & clare ab universa populo poterit certificari: & ego paratus sum in omnibus emendare meipsum ubicunque ero, & publice coram populo universo omnia errata mea revocare. Dignetur sanctitas vestra mihi significare quid eu omnibus, quæ scripsi vel dixi, sit revocandum, & ego id libentissime faciam, nam & hac vice & semper, sicut sæpius dixi ac etiam scripsi, me ipsum & omnia mea dicta & scripta subiicio correctioni sanctæ Romanæ ecclesiæ, & sanctitatis vestræ, cui semper me ipsum & fratres meos ejusdem pedibus prostratum plurimum commendo. Florentiæ eu conventu S. Marci die vigesima nona octobris MCCCCXCVII.*

Quæritur vocari Romam ut in itinere ab hostibus occidatur.

Si Florentiam mittatur judea coram populo omnia errata a se revocaturi.

*Beatitudinis vestræ filius & servus frater Hieronymus.*

Non admissæ sunt a sede Apostolica hæ excusationes ut fictæ, intereaque adversus ipsum ejusdem sedis defugientem judicium nonnulli theologi varia scripta edidere, hæreseosque suspicione perstrinxere, ita ut quæsita multis annis sanctitatis opinio momento eversa fuerit, de quo Petrus Delphinus (a) Camaldulensium magister hæc tum scripsit ad Guidonem religiosum virum: *Quæ per Julianum scribam heri misisti ad me opuscula contra Hieronymum Prædicatorem edita, & nuper impressa, perlegi accurate omnia, atque ut semel tibi aperiam sententiam meam, quomodo sit immunis ab excommunicatione judicandus nequaquam video: quis tuto non obediat summo sacerdoti? aut quis ejus præcepta contemnat nisi quod non animadvertit scriptum? Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? melior est enim obedientia quam victimæ, & auscultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ est nolle acquiescere. Viderit ipse quoniam ductus spiritu hoc faciat, ut vicarium Christi non timeat, nec mandata ejus observet. Ego nimirum, si mihi occurreret, nec ave ei dicerem, ne dum communicarem cum illo ulla in re. Opto & ita precor Dominum, ne Florentina respublica aliquid patiatur mali aliena culpa, &c. Eu Fonte bono die 1. julii MCCCCXCVII.* Scripsit (b) idem Petrus Delphinus adversus Hieronymum hoc anno dialogum de pontificia authoritate. Cæterum damnatum publico judicio eundem Savonarolam cum adversus Pontificem & Florentinos magistratus aperte rebellasset, inferius visuri sumus: nunc de turbis Anglicis agamus. XXVIII.

(a) Petr. Delp. l.5. ep. 37.

Plures Theologi adversus Hieronymum scribunt.

(b) L.3. ep.5.

Ingentes facti sunt in Anglia tumultus XXIX.

Anglia ab impostore turbata.

(a) Polyd. Virg. l. 26. Sur. to. 5. l. 3. c. 9. & 14. Sabell. enn. 10. l. 9. & alii.

(a) a Petro Varbecho impostore, [1] qui se Eboracensem ducem Eduardi olim Angliæ Regis filium ex Richardi sævis manibus divina providentia servatum esse fingebat, & a Margareta Burgundæ regiæ vidua ut nepos honorificentissime habitus ad Francorum Regem se contulerat, cum Henricus bellum ipsi moliretur inferre, paceque confecta abire jussus ad Jacobum Scotiæ Regem perfugerat, qui Hunlei comitis filiam genere propinquam matrimonio illi junxerat, belloque Henricum Angliæ Regem petierat; pace vero redintegrata cum Anglo, excedere regno jussus erat. Ita Scotia profugus, cum Cornubienses finitimi adversus Henricum tumultuarentur, ad eos se transtulit, cupidissimeque exceptus, exercitum ex collectitia rusticanorum turba male armis instructum contraxit, atque vicinas urbes bello adortus est; demum Henrico copiis apparatissimis succincto veniente, levi prælio fusus fugatusque est; at salutem pactus in victoris deditionem se permisit, quæ Virgilius Polydorus (b) in proximum annum refert, alii (c) vero in hunc conjiciunt. Cæterum Henricus filio Henrico secundogenito Eboracensem principatum tradidit. Arturo vero natu maximo Catharinam Ferdinandi & Elisabethæ Regum Hispaniarum filiam ad firmandum solium despondit, de quo inferius.

Victus ab Henrico Rege.

(b) Polyd. sup. lib. (c) Sur. c. 9.

Catharina Hispana Arturo desponsa.

XXX. Prædicator negat Virginis conceptionem maculæ expertem.

In Gallia Joannes Veri ordinis Prædicatorum doctor Parisiensis, cum publice e sacro suggestu dixisset, virginem Deiparam maculæ originalis peccati immunem non fuisse, gravissime audientes offendit, Parisiensesque doctores inito celeberrimo cœtu statuerunt, neminem academiæ illi ascribendum esse nisi contrariam sententiam defensurum se sacramento sponderet. Qua de re hæc apud Trithemium leguntur (d): *Eodem anno*, nempe MCCCCXCVII. *quidam doctor Parisius fuit ordinis fratrum Prædicatorum nomine Joannes Veri homo temerarius & præsumptuosus, qui in die conceptionis purissimæ semper Virginis Dei genitricis in oppido quodam Deppe Rothomagensis diœcesis, publice in ambone prædicavit, beatissimam virginem Mariam purgatam ab originali macula, & non præservatam. Ex qua prædicatione scandalum grande in populo fuit exortum, quia omnes ferme hodie, præter paucos Prædicatores, credunt, sentiunt, & prædicant Dei genitricem omni laude dignissimam originali nunquam subjacuisse peccato, sed præservatam semper; unde citatus ad universitatem Parisiensem propositiones suas erroneas & falsas* XVI. *die mensis septembris publice revocare & abjurare compulsus fuit cum juramento, quod nunquam aliter de conceptione B. Mariæ semper virginis sentire, credere, aut prædicare velit, quam præfata universitas determinavit. Sequenti autem die hoc est* XVII. *mensis septembris congregati sunt apud S. Maturinum in civitate Parisiensi octuaginta duo sacræ theologiæ professores viri doctissimi, & omnes in eadem universitate de rigore promoti, in præsentia totius universitatis uno ore unaque sententia statuerunt & determinarunt, quod nemo deinceps præfatæ universitati adscribatur, nisi se hujus determinationis, quod videlicet beatissima Dei genitrix & virgo Maria semper ab originali macula fuerit immunis & præservata assertorem, strenuumque propugnatorem pro viribus futurum confirmet juramento. Ipsi etiam omnes antea juraverunt, sicut in statuto continetur, se omni tempore huius veritati purissimæ conceptionis Marianæ firmiter adhæsuros. Mirum nobis videtur quod tantis viribus se nonnulli opponere audeant. Horum exemplo provocati sacræ theologiæ professores almæ universitatis Coloniensis simile statutum fecerunt anno Trithemii abbatis nostri* XVI. *Moguntinæ quoque universitatis doctores anno Joannis Trithemii* XVIII. *simile pro defensione purissimæ conceptionis decretum sanxerunt.*

(d) Trithem. in chron. Spanhei. Bibl. Pat.

Damnatus ab academia Parisiensi.

Decretum nemini doctoralem lauream collatum iri nisi conceptæ Virginis decus tueatur. Simile editum a Coloniensi academia.

XXXI. Susceptum hoc anno est a Joanne Alberto Poloniæ Rege bellum (e) adversus Bajazethem Turcarum Imperatorem, uti præ se ferebat, ad Kyliam & Bialogrodum Valachiæ arces repetendas, nec non patrui in Warnensi pugna cæsi necem ulciscendam, proferendosque latius Christiani imperii fines. Obtulere se illi laborum & gloriæ socios Joannes Tiffenius cruciferorum equitum magister, Alexander magnus Lituaniæ dux, & Stephanus palatinus Walachiæ, ac si Hungari in sacrum idem bellum cum illis coivissent, facili negotio Turcarum res fuissent attritæ.

(e) Michov. l. 4. cap. 73. Chron. l. 30. & alii.

Expeditio a Poloniæ Rege in Bajazethem suscepta. Finitimi principes ab eo aversi.

NOTÆ [1] ANglicos tumultus incentore Petro Varbechio præcedenti saltem anno cœpisse certum est; cum Sanutus in historia belli Gallici affirmet, Angliæ regem ab Alexandro rogatum ut arma in Gallos commoveret, acquiescere noluisse, eo quod metueret sibi a Perichuno quodam (ita Petrum appellat) moliente Angliæ regnum ad se transferre, cui Burgundiæ dux favebat. Fœdus tamen cum pontifice idem rex Angliæ inire non renuit. Porro tota hæc de fœdere armisque Anglorum in Gallos concitandis tractatio præcedenti anno agitata fuit. Idem tamen Scriptor bellum istud civile confectum tandem fuisse præsenti anno 1497. inferius adnotat. MANSI

tæ. Verum Polonus cum fratre Ladislao Rege consilia non contulerat, subdubitatumque est, illum non in Turcam, sed in Valachum convertere impetus meditatum; atque his suspicionibus excitata sunt odia, quæ in civile bellum eruperunt, neque enim commeatus ac pabula subministravit Valachus, uti erat pollicitus, quare adversus eum ut fœdifragum Polonica arma versa sunt: florentissimus autem ille Polonorum exercitus variis incommodis pressus, magnasque clades accepit obsidentibus itinera Valachis pabulatores intercipientibus; quod divinæ in Polonos, qui pro fide bellaturi scortorum multitudinem secum traherent, iræ tribuit Michovias: *Timore*, inquit, *non vulgari erant concussi Poloni, ut plerumque a paucis hostibus infidelibus & schismaticis aut fugarentur aut trucidarentur secundum illud Deuteronomii* XXXII. *& psalmi ultimi sabbati, quomodo persequebatur unus mille & duo fugarunt decem millia: nonne ideo quia Deus suus vendidit eos & dominus conclusit illos? ipseque Stephanus Voyevoda nonnullos dira morte perimebat, ut tandem clamarent ad Regem Poloni, quo illos in domos redire permitteret.*

Poloni ob scortationes divina ultione perculsi.

XXXII. Oppugnata est ab Alberto Sazovia, tormentisque bellicis diverberata; quibus auditis, metuens Hungariæ Rex, ne Valachus in Turcarum partes se transferret, concordiæ interpretem egit: atque ita nullo fructu dissoluta est expeditio, redeuntesque Polonos Turcæ & Valachi gravioribus damnis ex insidiis affecere, extremaque agmina carpsere, atque in nemore Boukonyna ingentem Christianorum vim interceptam in barbaricas regiones abduxere, adeo ut ægre Rex, qui morbum contraxerat, defensus sit. Ob quem infelicem eventum senatus Polonicus cavit, ne Reges imposterum generales in Turcam expeditiones nisi junctis Apostolica sede & cæteris Christianis Regibus sociali armorum fœdere conficerent: *Tantum*, inquit Michovias, *ipsa expeditio lucri emolumentique æviterni Polonis & suo Regi præbuit, ut communi laudo statuerint, nunquam Regibus suis permittendum expeditiones facere generales, scilicet, proceres regni nunquam generaliter ad arma movendos contra infideles Turcas, aut Tartaros, nisi primum consulta Apostolica sede, sed & aliis Regibus Christianis ad expeditionem ipsam accedentibus. Mœror quoque summus hoc improspera expeditionis casu hoc regnum implet pro communi fratrum regnicolarum casu, qui ab inconsulta paucis communicata expeditione evenerat, proque amissa existimatione, quia Turcæ & Tartari nihil plus quam generalem Polonorum timuere expeditionem.*

Dissoluta turpi eventu expeditio.

Decretum a Polonis ne ordinibus inconsultis expeditio suscipiatur in Turcam.

Irritati ea expeditione Turcæ Valachis Tartarisque conjunctis in Poloniam proximo anno maximo cum exercitu irrupeꝛunt, quos cælo pugnante profligatos videbimus. Interea factas a Turcis ineunte vere per Croatiam excursiones in Styriam & Carinthiam, actamque plurimam prædam refert Michovias (*a*), eaque illectos æstate iterum repentina irruptione easdem provincias evastasse, ac fidelium fere sex millia in servitutem abduxisse, ad quas Turcicas grassationes comprimendas cum Maximilianus cæsarea arma exerere debuisset, Gueldriam immisso Alberto Saxoniæ duce populatus est (*b*).

Turcarum excursio in Croatiam & Carinthiam.

(*a*) *Michov. c.* 78.

(*b*) *Trithem. in chron. Sponhei.*

XXXIII. Exposuit Alexandro Emmanuel Lusitaniæ Rex administro Georgio Cardinale Albanensi decrevisse arma vertere adversus Afros ad eos Christo subjiciendos, popoicitque urbium expugnandarum jus imperiumque sibi conferri, quod ipsi ita a Pontifice (*c*) concessum est, ut sine detrimento fieret alterius Christiani principis, cui jus in eas urbes partum esset: tum legem addidit, ut in loca imperio Lusitano adjecta Christi cultum restituendum curaret.

(*c*) *L.* 7. *bull. fecr. p.* 462.

Africam affectat Lusitanus.

*Charissimo in Christo filio Emmanueli Portugalliæ & Algarbiorum Regi illustri salutem &c.*

*Te ac heredes successores tuos, quos vestigia tua imitaturos, & sedi Apostolicæ devotissimos futuros non dubitamus, authoritate omnipotentis Dei, nobis in B. Petro concessa, de civitatibus, castris, locis, terris, & dominiis infidelium, quæ tibi ditionique tuæ subjici, & quæ te in dominum cognoscere seu tributum solvere velle contigerit, sine alicujus Christiani principis, cui jus in illis sit quæsitum præjudicio authoritate apostolica tenore præsentium investimus, illaque tibi, heredibusque & successoribus tuis præfatis authoritate vicariatus ipsius domini nostri Jesu Christi, qua fungimur in terris, per te, heredesque & successores præfatos in perpetuum tenenda, regenda, & gubernanda ac ad illis libere dominandum, prout alia regna, terras, & dominia tua tenes, regis, & gubernas libere donamus, concedimus, & assignamus, ac illa conquirendi plenam & liberam facultatem elargimur, districtius inhibentes quibuscumque Regibus, principibus, & dominis temporalibus, quibus jus quæsitum non foret, ne se contra sic se tibi subjicere volentes quovis modo opponere, nec tibi propterea bellum movere, seu alias molestare præsumant. Majestatem vero tuam charissime fili, nec non heredes & successores præfatos per viscera misericordiæ domini nostri Jesu Christi, & per sacro*

Concessa illi sine damno Christiani principis cui jus partum foret.

Lex addita ut Christi cultum restituendum partis locis curet.

*cri lavacri susceptionem requirimus & plurimum hortamur in Domino, ut si aliqua ex terris, locis, & dominiis hujusmodi, Domino concedente, acquisiveritis, omni studio & diligentia, prout catholicos Reges & principes decet, efficere studeatis, quod inibi nomen ipsius Salvatoris nostri colatur, & fides catholica exaltetur & amplietur, ut exinde præter æternæ retributionis præmium, nostram & dictæ sedis benedictionem & gratiam uberius consequi mereatis, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MCDXCVII. kal. junii pontificatus nostri anno* v.

XXXIV. Gerbæ expugnatæ a Siciliæ proreg. (a) Sur. to. 5. l. 3. c. 17. (b) Id. ib. c. 16. Melilla in Africa parta Gusmanii opera. (c) Eod. cap. (d) Gomes. l. 2. Comm. l. 8. c. 17. Sur. to. 5. l. 4. c. 9. Joannes princeps Hisp. extinctus.

Aspirabat etiam ad Africæ imperium Ferdinandus Hispaniarum Rex, atque hoc anno septembri devexo arx Gerbæ insulæ Africæ objacentis Joannis Nuzæ proregis Siciliæ virtute in fidem ejusdem Ferdinandi ac potestatem venit (a), inque ipsa Africa ex adversa Almeriæ regione, Melilla (b) a barbaris deserta a Gusmanio Medinæ Sidoniæ duce præsidiariis copiis bellicisque instrumentis egregie munita est ad proferendos latius Christiani imperii fines: quibus progressibus exterritus Phutensis Rex finitimas urbes munitionibus præsidiisque firmavit (c). Parabatur etiam a Ferdinando ipso & Elisabetha Regibus classis (d) ad explorandum Americæ continentem, in quo majora longe opulentioraque, quam in Africa regna perfacile comparanda Christophorus Columbus prædicabat, sed inter secundos rerum successus Joannes princeps tot regnorum heres, qui Margaritam Maximiliani Romanorum Regis filiam uxorem duxerat, in ipso ætatis flore peracuta febri mense octobri extinctus est. Porro Emmanuel Lusitaniæ Rex, cui Isabella Joannis principis defuncti soror in matrimonio juncta erat, in Castellam a socero & socru in hereditatis amplissimæ spem evocatus est (e), quæ tamen hereditas postea ad Philippum Austriacum, qui Joannam duxerat, devoluta est, quem tamen ostensa tanta felicitate potiri non potuisse suo loco dicetur.

(e) Sur. to. 5. l. 3. c. 18. Hispaniæ sceptra ad Austriacum translata.

XXXV. Ximenius restituendæ in Hisp. eccles. disciplinæ vacat.

Cæterum Ferdinandi & Elisabethæ Regum authoritate fultus Ximenius collapsæ in Hispaniis ecclesiasticæ disciplinæ restituendæ, uti ante cœperat, sedulam operam navabat, cujus pia studia cum eludere vafri homines niterentur, qui se ab archiepiscopali imperio solutos ornatosque immunitatibus prætexebant, suasque causas a Pontifice tantummodo cognoscendas, Ximenius ad tollendam hujusmodi male vivendi licentiam ab Alexandro VI. obtinuit (f), ut illi convulsa ejusmodi immunitate, quæ peccandi irritamentum & munimentum foret, ad communes archiepiscopales leges redigerentur. Datam ita a Ximenio sanciendæ disciplinæ ecclesiasticæ operam refert Gomesius (g), ut homines renati denuo viderentur, vitiisque omnibus bellum indictum. Ad monasticam etiam pristinam sanctitatem instaurandam plurimum laborem susceptum a Ximenio ipso, faventibus Ferdinando & Elisabetha Regibus, tradunt, eaque sacrarum legum severitate perculsi stuprorum usu contaminati homines, quingenti numero in Africam trajecerunt (h), ut inter impios impie agerent, refert Sabellicus (i). Auget horum illorum numerum Petrus Delphinus, & gravissimis sententiis eorum impietatem execratur (k): *Novum*, inquit, *scelus & nostra ætate inauditum heri primum didici ex literis tuis ex Hispania, videlicet ad mille diversorum ordinum religiosos, quos conventuales vulgus nominat, communi consensu in Africam enavigasse, atque ibidem, relicto vero Dei cultu, abnegataque Christiana fide, ad ritus sese gentilium transtulisse, eo quod indulgentes vitæ laxiori cogerentur a Rege suam quisque regulam observare. Miror tantæ multitudinis cor unum & animam unam in adeo detestabile facinus conjurasse. Miror multo magis doctrinam insipientium, cum ex iis multi, ut scribis, forent sacræ theologiæ professores, tam facile potuisse a veritate auditum avertere, & ad fabulas converti*. Et infra: *Vere antichristi omnes. Nunc autem, ait Apostolus, antichristi multi sunt, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Quibus recte obiici potest, quod fuerint magistri insipientium, & doctores errantium. Hortati sunt sæpius Christianam plebem. Nolite jugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras? Aut quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Aut qui consensus templo Dei cum idolis? Et nihilominus ipsimet averterunt se & non servaverunt pactum, & fornicati in adinventionibus suis. Musoleæ die* XI. *decembris MCDXCVII.*

(f) Gomes. l. 1.

Indictum vitiis bellum. (g) Id. ib. Sur. to. 5. l. 3. c. 15. Raph. Vol.

(h) Sabell. Enn. 10. l. 9. (i) Id. ib. (k) Petr. Del. l. 5. ep. 49.

Horrenda eorum apostasia.

XXXV.

Eodem anno Deus ad inferendum Indis orientalibus evangelium Lusitanorum pios & magnanimos conatus promovit. Immisit enim mense julio Emmanuel Lusitaniæ Rex (l) quatuor navium classem Ulissipone instructam, præfecto Vasco Gamma ad explorandas Indias, in quo facinore arduo conficiendo auctos divinitus illi animos confirmatosque reportatæ postea divina Numinis vi admirabiles victoriæ, per amplissima regna diffusa Christiana religio, eversæ dœmonum aræ, obtri-

(l) Jo. Barros. dec. 1. Asia l. 4. c. 1. Classis Lusitana immissa in Indias.

tritaque Mahumetica superstitio ostenderunt. Tanti operis molitores Vascum Gammam ac socios Emmanuel in maritimæ expeditionis procinctu hac oratione ad subeundos labores accendit. Cogitanti sibi Dei optimi maximi divinæ gloriæ Lusitanique nominis amplificationem occurrisse, nil majus suscipi posse, quam si depulsis jam ex Hispania Mauris, regnique Phutensis præcipuis arcibus occupatis Indiarum terrarumque orientalium oras incognitas vastissimo ab ecclesia Romana intervallo disjunctas aperiret, in quibus non modo fidem Jesu Christi Lusitanorum opera propagandam, colligendamque inde Dei hominumque gratiam speraret, verum amplissimas opes vastissimaque imperia ex impiorum manibus vindicanda Lusitanæ coronæ adjectum iri; si enim ex patefacta jam occidua Æthiopiæ parte novos titulos Lusitania pepererit, majora longe compendia ex orientalibus opibus adeo in antiquis historicorum monumentis celebratis conquisitum iri, cum ex earum tantum commercio Veneti, Genuenses, Florentini, aliique Italiæ populi tantam potentiam consecuti fuerint. Plura alia in eamdem sententiam addita ab Emmanuele, ac mox vexillum crucis effigie adornatum Gammæ in genua provoluto traditum, quo Rex religiosæ Jesu Christi militiæ princeps ac moderator sacro equitum ordini eum ascripsit; Gamma vero porrecta religiose ad crucem manu solemni sacramento professus est pro divina & Lusitana gloria crucem ante Maurorum, gentilium, omniumque barbarorum ora circumlaturum, eamque spretis omnibus periculis ad extrema vitæ suspiria defensurum, omnique fide ac diligentia ad patefaciendas Indias incubiturum. Accepto autem sacro vexillo divinam opem imploraturus ad templum, in quo ecclesiastica sacramenta conferri mare conscensuris sueverant, pernoctaturus se contulit, instructoque agmine religioso a sacerdotibus in naves deductus una cum sociis indulgentiarum præmio a summis Pontificibus jam ante Henrici principis rogatu iis, qui ad barbaras aperiendas oras contendunt proposito, donatus est, quem non ad præclaros felicesque agendos triumphos, sed ad funus pergere plerosque existimasse, narrat hisce verbis Osorius (a).

Vexillum crucis Gammæ datum a Rege.

A sacerdotum agmine linteato deductus ad naves.

(a) Jo. Barro. c. 2. Osor. & Mass. ubi sup.

XXXVI. *Aberat Olysippone prope littus quatuor passuum millia templum sane religiosum & sanctum ab Henrico in honorem sanctissimæ Virginis ædificatum, quod postea alterius amplitudine & magnificentia, quod Emmanuel illi conjunctum in honorem ejusdem Virginis a fundamentis extruxit, nomen amisit. In id Gamma pridie illius diei, quo erat navem conscensurus, se recepit, ut noctem cum religiosis hominibus, qui in ædibus templo conjunctis habitabant, in precibus & votis consumeret. Sequenti die, cum multi non illius tantum gratia, sed aliorum etiam, qui illi comites erant, convenissent, fuit ab omnibus in scaphas deductus, neque solum homines religiosi, sed reliqui omnes voce maxima cum lachrymis a Deo precabantur, ut bene & prospere illa tam periculosa navigatio omnibus eveniret, & universi re bene gesta incolumes in patriam redirent; a multis tamen interim is fletus, atque lamentatio fiebat, ut funus efferre viderentur, sic enim dicebant. En quo miseros mortales provexit cupiditas & ambitio! Potuit ne gravius supplicium istis hominibus constitui, si in se scelestum aliquod facinus admisissent, est enim illis immensi maris longitudo peragranda, fluctus immanes difficillima navigatione superandi, vitæ discrimen in locis infinitis obeundum. Non fuit multo tolerabilius in terra quovis genere mortis absumi, quam tam procul a patria marinis fluctibus sepeliri? Hæc & alia multa in hanc sententiam dicebant, cum omnia multo tristiora fingere præ metu cogerentur. Gamma tamen, quamvis lachrymas suorum desiderio funderet, rei tamen bene gerendæ fiducia confirmatus alacriter in navem faustis omnibus conscendit* VII. *idus julii anno a Christo nato MCDXCVII.* Minime idoneum erat id navigationis tempus (b), ut postea compertum est, verumtamen, regente cursum Deo, vigesima novembris (c) die Bonæ spei promontorium prætervecti sunt. Describit pluribus Barrosius (d) Gammæ itinera, utque in vasto mari normis naviculariis dimensaque altitudine solis ex instrumentis mathematicis, quæ Rodericus & Josephus Judæus medici regii, ac Martinus Bohemus Joannis Regiomontani discipulus hortatore Rege Joanne II. commenti erant, cursum fuerit moderatus inter medias procellas ad oram Zanguebarii natali Christi die, ex quo id littus Natale appellatum, applicuit, atque ab iis Æthiopibus aliquos commeatus inito commercio accepit. Ut vero hæc navigatio, felicem exitum patefactis Indiis habuerit, proximo anno dicetur.

Effusæ multæ cælo preces.

(b) *Maff. ubi sup.*

Instrumenta nova ad tenendum in oceano cursum inventa.

(c) *Joan. Barof. sup. lib. c. 4.*

(d) *Id. c. 2. 3. eod. c. 3.*

Anno

I. Carolus Franc. Rex Neapol. regnum iterum affectat.

(a) Comin. l.8. c.18. Ferron. in Car. VIII. Gaguin. in eod. Guicc. l.3.

Miserando mortis genere perit.

(b) Id. ibid.

In extremo vitæ actu pietatis signa dat.

(c) Ferron. ubi sup.

ANno salutis Christianæ nonagesimo octavo supra mille quadringentos indictione prima Carolus VIII. Francorum Rex Neapolitanum bellum redintegrare, prioraque damna novis farcire rationibus meditabatur (a), cum universa illa bellica consilia a Deo confracta sunt, imminentiumque calamitatum timore liberata Italia; ipse enim in ætatis flore, dum ludentes pila circumspicit una cum Regina conjuge recreandi animi causa, repentina apoplexia percussus abalienatis sensibus concidit, obiitque nocte ante proximum aprilis diem octavum, in quem dominica palmarum incidebat; haud tamen imparatum & immemorem salutis animæ ereptum tradit Comineus (b), cum bis ea hebdomada sacramento pœnitentiæ noxas expiasset, ac postremam vocem de nullo umquam peccato lethali committendo edidisset, terque recuperato vocis usu in ea cum morte lucta se Deo Deiparæ, & SS. Claudio & Blasio commendasset, de quo hæc tradit Ferronius (c).

II. *Tanta indole princeps repente sublatus est, nam quodam die ex cubiculo uxoris prodiens una cum ea in ambulacrum apud Ambasiam substitit, ut qui in castro pila ludebant simul spectarent, atque ibi orto sermone cum Joanne episcopo Andegavensi de prioris vitæ erratis, ita sibi futurum propitium Deum obtestabatur, si non speraret posthac futurum, ut Deum neque culpa ulla piabili, neque inexpiabili, quoad eius fieri posset, offenderet. Hæc dicens mox aversus corruit hora diei post meridiem secunda, jacuitque ad horam noctis undecimam, qua cum vox eum defecisset expiravit, sed cum ad se redire visus esset extrema hæc vox tertio audita est Deum sacramque Virginem implorantis. Ubi primum corruit in vicinum ambulacro cubiculum, quo nullum toto castro sordidius erat, perductus, ubi casu non culcitra non thorus linteo ornatus, palearium tantum aderat linteis sordidis substratum, atque is, cui tot castra ornatissima, tot urbes florentissimæ parebant, animam egit magno sui desiderio apud omnes relicto, annum agens vigesimum septimum*, natum ultima junii excurrente anno MCCCCLXX. refert additionum ad Monstreletum author (d), *cum regnasset annos quatuordecim, magnificeque ad Dionysii Parisiorum sepultus est, sepulchroque majorum illatus.*

Insigne humanæ fragilitatis exemplum statuit.

(d) Auctor addit. ad Monstrel. post. vol. 3.

III. Patere hoc exemplo ait Comineus (e) spernendum esse humanum fastum, nec res caducas tot anxiis curis ambiendas, cum non minus sceptra quam ligones mors conculcet. Ordinando illum optime regni statui, administrandæ justitiæ, tollendis vectigalibus, atque ad quadringenta millia nummorum redigendis, restituendæ etiam in pristinum splendorem ecclesiasticæ disciplinæ vacare tum cœpisse tradit, quo etiam elogio illum exornat Ferronius (f): *Cœpit*, inquit, *& ipsam Galliam probatissimis institutis regere: ipse bis hebdomade omnium querelis auditis jus dicebat, libero omnibus aditu ad auditorium dato. Nemo fuit, quantumvis abjectus, qui non ad prætorium, ubi venisset, audiretur. Constituerat magistratus regios, salariis auctis, ab omni quæstu avocare, jure illo etiam sportularum sublato duodecies centum millia libellarum Turonicarum nomine tributi a Gallia tantum quotannis exigere volebat ad alendas copias ipse se, familiamque suam, omnes etiam aulicos magistratus ex fructibus obventionibusque regiorum prædiorum canonis regii, aliorumque jurium alere debebat, quem morem priscos Galliæ Reges conservasse ferunt*. Et infra: *Magistratus non nisi eruditissimis probatissimisque viris dedit, ac sæpe falsus ab aulicis, qui inde pecuniam extorquebant ad senatorium gradum neminem admisit, qui non ab ipso senatu nominatus lectusque esset, nec temere novam ullam sanctionem proposuit, quæ non a Galliæ curiis prius probata discussaque fuisset* [1]. His consentanea scribit Belcairus (g): illum nimirum paulo ante mortem sacra matrimonii jura cœpisse colere, spretis adulterinis illecebris, atque justitiæ administrandæ amantem fuisse, tum singulis hebdomadis sui sæpius copiam publice fecisse, jusque omnibus præsertim egentioribus dixisse: nonnullos e judicibus jurisve dicendi administros ob rapinas magistratu movisse, judiciorum formam ad antiquam simplicitatem atque integritatem instaurare, ac sacerdotes ad eandem normam coercere Pon-

(e) Comin. sup. c.18.

(f) Ferron. ubi sup.

Regias virtutes explicare cœperat.

Magistratus summa integritate instituit.

(g) Belcair. dec. 1. l.7. n. 41.

Regiom munes justitiamque diligentius ante mortem excoluit.

NOTÆ [1] COnsonant iis quæ hic narrat Annalista de Carolo rege meditante judicia ad veterem normam reformare; consonant, inquam, patentes literæ ejusdem anno superiori datæ, quibus vetera monumenta consuli scrutarique mandat, ut quæ fuerit veterum prædecessorum suorum ac præsertim S. Ludovici norma in judiciis vulgarium præsertim hominum servata, intelligeretur. Extant literæ illæ in Spicilegio Dacherii tom. III. pag. 848. nov. edit. MANSI

Ob non confecta D. Franc. Paulani mandata adversis exceptus. (a) Vita S. Franc. auct.

pontificia opera meditatum. Excultum fuisse a S. Francisco Paulano piis institutis, atque ob non gestum illi morem ipsi adversa accidisse tradunt (*a*).

IV. Succedit illi Lud. XII. (b) Comin. cap. ult.

Cum nullam prolem suscépisset Carolus, conjunctissimus illi sanguine Ludovicus dux Aurelianensis alterius Ludovici Aurelianensis Caroli VI. fratris nepos in regnum successit, ac die maii XXVII. Rhemis magna pompa sacro oleo litus est, ut docet Comineus (*b*), qui adfuit, hisque scribendi finem fecit, vir veritatis amantissimus ac prudentiæ pietatisque laude conspicuus. Quid vero novus Rex volveret animo, mox pandit (*c*), dum Gallico Jerosolymitanos & Siculos titulos regios, nec non ducales Mediolanenses veluti hereditarios publicis inscriptionibus adjecit. Addunt Alexandrum Pontificem a Ludovico non sine magna piorum offensione rogatum, uti leges matrimonii inter ipsum ac Joannam Valesiam demortui Regis sororem solveret, illumque causam judicibus Ludovico benevolis cognoscendam demandasse, quibus de rebus hæc Ferronius (*d*) : *Anna Carolo prius nupta Britannorum principatum secum auferebat. Visa res est gravissima, & quietem Gallicam convulsura. Adhibito intimorum consilio de repudianda Joanna Valesia uxore Caroli nuper Regis sorore consilium iniit. Huic uni vitam acceptam & captivus & odio apud fratrem flagrans Ludovicus debebat, repudiaretne Regis sororem, & eam sororem, cui tantum deberet? quid si proceres Gallici graviter id ferant? hæc aliquantulum agitata torserunt Regem : denique populus uxorem, cui tot annis Rex assuevit repudiari quo tandem pacto augurabitur? Vicit aliorum sententia, qui & metu cum Joanna contractum matrimonium, & contestationibus eo tempore adhibitis id constare, neque fœdere ullo naturali contractum ajebant, asseverante id Ludovico. Maligni rerum æstimatores varie id ejus factum incessebant. Quasi, ajebant, vero id esse simile potest, cum Regi Carolo tres essent liberi, cum mœrens uxor captivi vitam a fratre multis lachrymis impetrasset, metum, si quis initio adhibitus sit, nunquam purgatum? nullum mariti officium in tam bene de se meritam uxorem ab eo collatum? cubantem una eu illius complexu æque discessisse, atque aliam mulierem amplexantem? desiderii ejus expectationem non impletam, non pellectum animum, non mitigatum tot lachrymis, quas profuderant uxoris oculi pro marito liberando? Ad Pontificem itum est Romanum. Is erat Alexander VI. Borgiæ filii extollendi avidissimus, omnesque etiam quærens occasiones ampliandi ei imperii, ac ratus Ludovici amicitiam ad eam rem aptissimam, judices ei dedit. Hi fuere Philippus Luxemburgus Cardinalis, Ludovicus Albigiorum Pontifen, Ferrandus Septensis episcopus,* qui erat Apostolicæ sedis internuntius : *hi tandem dissolverunt, lata sententia, matrimonium.*

(c) Ferron. in Lud. XII. Gaguin. in eod. Guic. l. 4.

Hierosol. & Siculos titulos Gallico conjungit.

(d) Ferron. in Lud. XII.

Quæsitæ causæ.

Favit illis voluntaribus Alexander.

V. (e) Frizon. in Gall. purpurata Ferron. in Lud. XII. Cæsar Borgia Cardinalatum abiicit.

Attulit (*e*) pontificias literas de ejusmodi causæ cognitione idem Cæsar Borgia, qui mense octobris, postquam consistorium ingressus Alexandrum parentem & Cardinales rogavit, ut dignitatis Cardinalitiæ ponendæ potestas sibi fieret, cum diaconatus ordinem non sponte, sed paternæ observantiæ timidique obsequii ergo suscepisset : mox, voti compos factus iter in Gallias, ut splendidas nuptias adipisceretur, intendit, allato quoque pileo cardinalitio Georgio Ambasiano archiepiscopo Rothomagensi novo Regi summa familiaritate conjuncto, atque in purpuratorum patrum numerum pridie idus septembris adscripto, de quo hæc Joannes Burchardus (*f*): XVII. *mensis septembris proximo præteriti, vel circa illum diem, S. D. N. Alexander Papa VI. in secreto suo consistorio de reverendissimorum dominorum Cardinalium interessentium consilio & consensu assumpsit, creavit, & publicavit in S. R. E. presbyterum Cardinalem reverendissimum in Christo patrem dominum Georgium archiepiscopum Rothomagensem, eique tit. S. Sixti assignavit & capellum rubeum, deinde sibi misit per illustrem Cæsarem Borgiam de Aragonia ducem Valentiæ olim Cardinalem Valentinum filium suum charissimum, cum multis rochettis & muneribus aliis, & facultatem pileum ipsum recipiendi sub forma & modo sibi destinatum, cujus facultatis vigore reverendissimus Cardinalis S. Petri ad vincula die* * XXVI. *decembris* * XXI.
*proxime præteriti, quæ fuit festum S. Thomæ Apostoli in ecclesia collegiata S. Marini oppidi Chinensis Turonensis diœcesis post missarum solemnia serenissimo Ludovico Francorum Rege præsente pileum prædicto reverendissimo domino Cardinali Rothomagensi imposuit & tradidit, cæremoniis solitis observatis.*

(f) Burch. l. 3. diar. ms. auth. Vat. sign. n. 104. p. 526. Georgius Ambasianus Cardinalis creatus.

VI. Creditum divinam legem a Lud. XII. violatam.

Porro Ludovicus Gallorum Rex sive adeo scelestus fuisset, ut sacramento publice professus est, ut nunquam conjugem sanctissimam, cujus lachrymæ illum merito supplicio subduxerant, nisi meretricio affectu amplexus esset, sive perjurio ad Annam Reginam in concubinam accipiendam Britanniæ retinendæ studio se devinciret, juncto cum ea connubio sperata felicitate non est potitus, ac post gesta gravissima bella perturbatumque orbem sceptra duci Engolismensi inglorius

transmisit. Cæterum Joanna Valesia injuriam ita æquo animo tulit, ut omni virtutum genere floruerit: *Ea fuit*, inquit Ferronius (a), *eximia pudicitia & integritate cœlestis vitæ ob morum sanctitatem quædam virtutis exempla vivens nusquam non præbens. Ac tantum absuit, ut repudium ferret, ut se plerumque magno onere levatam prædicaret, humanasque cogitationes spesque aversata, ad divinas animum transtulerit*. Institutus fuit ab illa sanctimonialium ordo, cui Annuntiatæ nomen inditum, quod Deiparæ sacra mysteria, virtutesque præcipuo studio recolere profiteretur.

(a) *Ferro. in Lud. XII.*

Joanna Valesia sanctitatem ex viri flagitio consectata.

VII. In Etruria Florentini Pisarum recuperandarum studio bellum ursere, sed infelici eventu a Pisanis, qui Græcos milites conduxerant, fusi sunt, ut Petrus Delphinus narrat (b). Non tamen ob hanc cladem incœpto destitere Florentini, & dum castrensem laborem assiduo obeunt, graviora sunt passi, grassante morbo epidemico ob aeris intemperiem; ex pravis soli halitibus contractam, ut idem author memorat (c).

(b) *L. 6. ep. 3.*

(c) *L. 5. ep. 81. 82.*

VIII. Parte alia decimatertia novembris die Venetus exercitus ad sex millia militum cum duce Urbinate, ac Petro Medice, & Carolo Ursino cum plura oppida ad defectionem pellexisset, Camaldulum, quod centum Florentini tuebantur, variis impressionibus tentavit, ac divinitus propulsatus est multis cæsis ac pluribus vulneratis, ut narrat Petrus Delphinus in literis ad Eusebium Camaldulensem: *Hoc*, inquit, *pro miraculo habitum est, quod cum multa millia tum equitum tum peditum acriter Camaldulum impugnarent, ac circumfusi undique missilibus agerent præsente duce Urbinate, & aliis summis viris nec unus quidem ex iis, qui monasterium tuebantur, sauciatus sit, creditum nimirum est affuisse cœleste Numen, cujus ductu auspicioque factum sit, ut contempta religione ac pietate fœdissimo eventu hostes pugnaverint, nostri vero integri omnes prælio excesserint*.

Petrus Medices redire Florentiam tentat.

IX. Conspicuo & insigni miraculo defensum Camaldulum idem author refert in literis ad Patavinum episcopum proximo anno datis (d): *Dicam*, inquit, *tandem dignationi tuæ, quod confecto bello a multis fidedignis audivi, quodque per adversæ partis primarios milites, & copiarum duces celebre omnibus factum est. Visum utique pluribus ex iis, qui Camaldulum oppugnabant, monachum quendam veneranda facie, augustoque aspectu, & majestatis pleno, promissaque barba dum dimicaretur, in fastigio turris templi sub divo firmiter constitisse, & præcinctum ac suffarcinatum tegulas inde lapideas jactu infatigabili devolvisse, cæterum conatos primum sagittarios multos balistis monachum dejicere, non modo non potuisse in eum sagittas dirigere, qui facile omnium undique ictibus videbatur expositus, sed ne emittere illas quidem & contorquere, donec clarius animadverterunt alium illum esse, quam domesticum monachum, & mortali carne indutum, angelicum videlicet quempiam, aut [quod magis creditur] patrem ducem Camaldulensis ordinis Romualdum. Hoc audio non solum in Etruria, verum longe amplius in agro Piceno & alibi, quo ex militia hostis redit, passim vulgari cum singulari attestatione justitiæ & virtutis Dei, &c. Vale ex Fonte bono die III. julii MCDXCIX.*

(d) *L. 5. ep. 83.*

Divina virtute repulsus.

Visus S. Romualdus hostes tegulis obruere.

X. Hoc eodem anno Florentiæ tumultus civiles aucti, (e) in quibus Hieronymus Savonarola ordinis Prædicatorum, qui magna doctrinæ & sanctitatis opinione apud suos ob adstrictam religiosam disciplinam, nec non pietatis cultum inter populares provectum florebat adeo, ut etiam ob Italicas calamitates multo ante quam contingerent prædictas propheta haberetur, cum in concionibus cœlestia jactaret visa, miracula polliceretur, nec patraret, novasque res moliturus in Alexandrum declamaret, solicitaretque Reges, ut concilium œcumenicum ad Christianam disciplinam in pristinum statum restituendam, decernendumque in Turcas pro restituenda orienti religione sacrum bellum agendum curarent, Florentinæque reipublicæ gubernacula a partium suarum sectatoribus, qui pii videbantur, regenda affectaret, ab adversariis, quos depressos cupiebat, supplicio affectus est; cum in carcere fassus esset vaticinia, quæ propalasset, partim ex sacris oraculis elicuisse, partim sagacitate mentis collegisse, cœlestia visa sibi objici confinxisse ad captandam famam, tum ingentia illa pietatis opera, uti de congreganda synodo œcumenica pro moribus cleri populique perpoliendis, conficiendo sacro bello, augenda pietate ad improbum finem, nempe ad mundanam gloriam assequendam direxisse. Inique tamen ipsum oppressum ab æmulis, & quamvis hæc de se fassus sit, tormentorum sævitiæ succubuisse ejus studiosi voluere (f). Verum illum in non paucis peccasse graves contendunt authores, seque in impietatis grave discrimen conjecisse, pavisse curiosos impostoris instar fallaci prodigiorum spe, unde arcano Dei judicio flammis, quas a suis veluti rosas impune calcandas jactabat, exustus perierit (g). Hujus funestæ Catastrophes hæc fuere exordia.

(e) *Burch. diar. l. 3. ms. arch. Vat. m. Vall. bibl. sig. in. C. n. 66. Guicc. l. 3. Sabell. enn. 10. l. 9. Comin. l. 8. c. 19. Naucl. vol. 2. gen. 50.*

Hypocritam se fuisse in tormentis fassus est.

(f) *Guic. l. 3.*

(g) *Comm. l. 8. c. 19.*

XI. Discissa erat, ut dictum est, contrariis dua-

Florentini in duas factiones discissi.

duabus factionibus Florentina respublica. Pars, quæ Hieronymum ut vatem colebat, Caroli Francorum Regis expectatione sustentabatur, Pisas quibus potiebantur Veneti, aliasque urbes creditas Carolo recuperare illius adventantis ope sperabat, pars vero adversa Pontificis ac Mediolanensis Venetique fœderatorum societatem amplectendam suadebat, inter quæ cum Hieronymus pontificia Romanæque curiæ vitia acerbe carpsisset, solemnesque episcoporum cœtus cogendos, ut tot malis modus poneretur contenderet, in crimen factionis novæ concitatæ suspectæque doctrinæ ab Adversariis adductus est, quare ab Alexandro concionatorio interdictus est munere: cumque aliquanto tempore paruisset, verum exinde famam obsolescere, seque injuste opprimi putaret, pontificium interdictum contra leges latum palam contendit, sectatorum suorum patrocinio fretus, tum vero magis collapsæ illius res auctusque adversariorum numerus, qui illum tanquam contumacem Pontifici, & summo ordinis Dominicani magistro rebellem traducere cœperunt, præcipue ii, quibus sedis Apostolicæ nomen sacrosanctum erat, a cujus imperiis etsi acerbissimis, viro præsertim religioso, desciscere nefas esset, atque inter hos Franciscus ordinis Minorum, qui in ecclesia S. Crucis sacras conciones habebat, in illum veluti perduellem nefandæque doctrinæ satorem invectus est: contra autem illum ordinis Prædicatorum concionatores palam defendere, ac Dominicus e Piscia in eam temeritatem prorupit, ut Minoritam de subeundo ad probandam dictorum fidem ardente rogo provocarit.

Pontificio imperio obluctari erat nisus.

XII. Ad has Prædicatorum Minorumque fratrum concertationes exarsere Florentini, qui novo quodam prodigio curiosos oculos pascere cupiebant; atque etiam Raynaldus Ursinus archiepiscopus Florentinus, qui hujusmodi insanientium hominum in flammas ruere parantium, ethnicorum instar, qui in Indiis cupidine gloriæ se vivos concremant, nefarias provocationes compescere debuisset, eas magis provexit, ut questus est in carcere Savonarola, qui invitus ad hosce laqueos trahebatur, quique cum die constituta excitatis duobus ingentibus rogis in medio foro, in quod populus ad spectandum scelus confluxerat, adversarium Minoritam incendii ardore non territum videret, spes in Eucharistia ad demulcendas flammas reposuit, negavitque sodalem Dominicum ingressurum rogos, ni secum Christi corpus, in quo spes sitæ erant, efferret, cum Minorita contemptor vitæ id non deposceret, sed palam se in cineres redactum iri profiteretur, instaret tamen, ut nisi Prædicator æmulus illæsus e flammis emergeret Savonarolæ doctrinam de non parendo pontificio interdicto impiam censendam.

Florentini novorum prodigiorum percupidi.

Eucharistiam ignibus inferendam urget prædicator.

At Florentini magistratus, qui ex editiore theatro rei expectatione suspensi erant, nec miserorum imminenti ustulatione movebantur, cum animadvertissent sacrilegum facinus patraturos, Deumque impie tentaturos, si sacram Eucharistiam flammis inferre paterentur, spectaculum prudenter dissolverunt. At populus prodigii jactati expectatione delusus Savonarolam, ut hypocritam & pseudoprophetam, qui Ecclesiam non audiret, seque audiri vellet traducere cœpit, dieque insequenti mota seditione conjunxit se Savonarolæ adversariis, qui Franciscum Valorium virum promeritum Savonarolæ addictissimum trucidarunt, inque Prædicatorum ædes impressione facta Savonarolam, ac duos socios captos in prætorii carceres abripuerunt: quam rerum conversionem Petrus Delphinus in literis ad episcopum Patavinum describit (a), & quid de Hieronymo senserit significat sic inquiens. XIII.

Savonarola ut impostor habitus.

Franciscus Valorius ejus fautor trucidatus.

(a) Petr. Del. l. 5. ep. 68.

*Ut quid modo Florentiæ agatur ex me noveris, non est passus & clemens & miserator Dominus, ut interdicto, quod formidavimus, omnis civitas premeretur, neque enim peccatum aliquorum communi omnium debuit animadversione mulctari. Detectæ sunt tandem Ferrariensis insidiæ. Excommunicatus hoc anno a Pontifice, & a generali sui ordinis & prædicare & celebrare non destitit, ac palam de Pontifice oblocutus, nec Deum visus est, nec homines revereri.* Et infra: *Tandem data est provincia quibusdam a dominio, ut oppugnarent monasterium, & Hieronymum vinctum in palatium perducerent, quod octava hora noctis haud sane facile factum est, repugnantibus viriliter intus fratribus, qui ultra centum erant, & armis bene instructi. Sex interfecti in eo tumultu dicuntur, Laici quatuor, fratres duo: vulnerati ad mortem ad quadraginta. Ductus itaque cum duobus fratribus Dominico videlicet & Silvestro in palatium diligenti custodia, heri in equuleum cum eisdem sublatus est. Per omnia Benedictus Deus. Vale Florentiæ die XI. aprilis MCDXCVIII.* XIV.

Percussus anathemate prophanavit sacra.

Hieronymi sodales temere arma induunt.

Interrogatus (b) tormentis a judicibus de factiosis concionibus respondit, se putasse Florentinos ad Christianum orbem commovendum, ut concilium œcumenicum cogeretur idoneos futuros, spemque concepisse in eo vel ipsum Pontificem, vel plures præsules gradu deturbandos, ha- XV.

(b) MS. Vall. sign. lit. C. n. 66.

Cur declamarit in Alexandrum Savonarola.

habiturum se in eo concionem sacram, ac res suas nomenque amplificaturum, utque hæc arcana consilia perduceret, tentasse omnes modos, ut reipublicæ magistratus sibi conciliaret, ac principatum pro arbitrio formaret.

XVI. Cur imperia pontificia fregit.

Quæsitus cur pontificio imperio non paruisset, nec Romam se contulisset, respondit pertimuisse, ne in itinere ab adversariis ipsi nex afferretur: cumque anathemate fuisset defixus, visum nonnullis inique latum, verum se illius religione devinctum putasse, ac aliquanto tempore sacris abstinuisse; sed cum res suas eversum iri expavesceret, ad illud oppugnandum animis factisque consurrexisse: digressum autem ex æde S. Reparatæ, non ut obsequeretur Pontifici, sed ut periculo imminenti se subduceret, cum Pontifex curiaque Romana haberi ab eo publicas conciones excandescerent, minasque Florentinis intenderent, ea porro, quæ e sacro suggestu jactasset viros aliquos insignes, proprio designatos nomine, detrusos ad inferos, ac objectas minas aliis viris conspicuis, ni religiosam disciplinam amplecterentur, æternum perituros, iterumque in cælum fuisse evectum, hæc omnia ad inanem pompam effusa: prædixisse sæpius barbaros Italiam vastaturos, non quod id divinitus acceperit, sed eo quod Ecclesia a barbaris ingentibus calamitatibus affici consueverit.

Vaticinia ex industria conficta.

XVII. Alia dubiis conjecturis dicta.

Quod ad renovationem Ecclesiæ, & conversionem infidelium, quam eventuram prædicarat, spectat, professus est, se id ex sacris oraculis elicuisse, atque omnino ita futurum firmiter credere, non vero id cælitus agnovisse. Quod vero proximo tempore gentes convertendæ sint, ad id se multis argumentis adduci, non visis cælestibus, quæ sibi ad venandam gloriam arrogarit, sectatum vitæ genus asperum, idque aliis persuasisse, ut sanctitatis opinionem de se concitaret. Quod vero in æde S. Reparatæ programma suggestui affixum fuisset conceptum his verbis: *Ego autem constitutus sum Rex;* professus est id sua industria affixum non fuisse, sed fratris Dominici, ut opinabatur, opera: quamvis enim arrogans & improbus esset, numquam tamen in tantam superbiam se extulisse, ut quæ Christi erant sibi arrogarit.

Impium programma negat.

XVIII. A Pontificiis judicibus Sacerdotio exauctoratus.

Confessum hæc & alia generalis ordinis Prædicatorum magister, & Romolinus episcopus postea Cardinalis Surrentinus delegati a Pontifice judices illum una cum duobus sodalibus sacerdotali exutum dignitate Florentinis magistratibus tradiderunt, qui strangulatum laqueo flammis exusserunt, nec quidquam vel ad sui accusationem excusationemve locutus est; cujus tristem exitum Petrus Delphinus in literis (a) ad Patavinum episcopum describit (b): additque: *Ne quidem capillus eorum superfuit. Redacta in cinerem corpora jussu dominii in Arnum fluvium accuratissime demersa sunt, quod cœpissent mulierculæ rogo appropinquare, ut asportarent vel mortui fratris cineres. Cæterum expectantibus multis, ut aliquid loqueretur ad populum cum ultimo loco traheretur in patibulum, nec attollere oculos nec hiscere ausus est, qui tanta olim audacia prædicaverat. Hanc tantum fuisse ultimam ejus vocem affirmant, quod cum ab episcopo, qui ipsum degradavit, pronuntiari audisset præcisum se esse ab Ecclesia, confestim respondit: Militante; superbum existimatum est responsum: Hoc quoque non præteribo silentio, fuisse illum pendentem in ligno a puerorum multitudine saxis impetitum, a quibus antea solitus erat in templo ante prædicationis initium hymnis & laudibus excipi. Illud quoque animadversum est, præter omnium, qui publice necantur, morem accidisse, nullius eorum, qui aderant, fuisse exauditam vocem, quæ, dum Hieronymo a carnifice adimeretur spiritus, Dei misericordiam imploraret, quando pro damnatis vel ob gravissima facinora etiam altissimis clamoribus cæleste auxilium tunc temporis consueverit a populo invocari. Hic fuit Hieronymi Ferrariensis & sociorum ejus exitus. Vale ex Fonte bono die* XXVI. *julii MCDXCVIII.* [1].

(a) Guic. l.3.
(b) Petr. Del. l.5. ep. 73.

In extremo vitæ actu non loquutus.

Vox illius ultima superba.

Cum maximo populi Florentini odio periit.

XIX. Nonnulli dubitarunt inique oppressum fuisse, inter quos est Philippus Comineus (c), qui plura illum arcana detexisse ait,

(c) Comin. sup. c.19.

NOTÆ [1] Nigris profecto coloribus Hieronymum Savonarolam Annalista hic depingit; qui enim illi est monachus vafer, hypocrita, superbus, audax; aliis nec vulgaribus hominibus dignitate scientia & sanctimonia conspicuus vir est pius, zelo Dei fervens, doctus, sincerus & plane sanctus. S. Franciscus a Paula ante annos ab obitu F. Hieronymi viginti in ea, quam dedit, ad Symeonem de la Limena epistola a Deo sibi prænunciatum affirmat, virum illum, quem sanctum & Deo carum appellat, æmulorum invidia confictis criminibus accusandum & immerito supplicio tradendum fore, cujus dein extincti & combusti cineres (reliquiis in profluentem projectis) a viris quibusdam piis raptim subductos miracula operaturos. Hanc epistolam hodie pariter servari Romæ apud Sanctimoniales fœminas cœnobii S. Cæciliæ in Transtiberinis monet, qui illam recitat, author additionum ad vitam Savonarolæ Parisiis editam anno 1674. Johannes Franciscus Picus Mirandulanus, vir scientia conspicuus, Savonarolæ vitam descripsit, quem ubique mire effert & commendat.

ait, quæ a Florentinis aperiri non potuissent, publica vero illius judiciariæ actionis monumenta vel adulterata ab adversariis, vel illum tot dierum cruciatibus fractum ex humana imbecillitate interrogantium cupidini morem gessisse (a), constatque saltem ex instrumentis, de quibus supra memoravimus, atrocissimas calumnias, quas in Romana curia sparsas refert Burchardus (b) de arcanis exomologeseon a sodalibus illi patefactis, vitaque impurissima, ac sacrilegiis inquinatissima, falso affictas fuisse: nocuisse autem præcipue illi congregandi concilii pro vitiis curiæ Romanæ resecandis studia, factionemque Florentiæ conflatam, opinio fuit: *Capita accusationis*, inquit Sabellicus (c), *fuere quod in Alexandrum Pontificem contumacius dixisset, cum ad populum concionaretur, sed majori invidiæ illi fuit nova factio sui nominis in liberam civitatem inducta. Fuit vir alioqui ingenio & doctrina eminens, & dignus qui nihil extra religionem voluisset.*

(a) *Guicc. l. 3.*

Calumniæ plures illi falso affictæ.

(b) *Burch. l. 3.*

(c) *Sabellic. en. 10. l. 9.*

XX. Quod vero ad vitia curiæ Romanæ a Savonarola exagitata attinet; ea adeo pios omnes offendebant, ut Lusitaniæ & Hispaniarum Reges cultores pietatis eximii legationem ad Alexandrum VI. ut eum monerent apostolici officii decreverint, ut refert Osorius (d) de Emmanuele: *Misit*, inquit, *ad Alexandrum legatos, qui eum admonerent, ut rebus Ecclesiæ prospiceret, nam mores esse profligatos, pietatis studium restinctum, flagitiorum licentiam solutam, res sanctissimas pretio indignissimis addici. In ea urbe, quæ fuerat pietatis & sanctimoniæ domicilium, officinam impudentiæ atque sceleris institui, ecclesiamque Romanam insigni infamia flagrare, remque esse in extremum pene discrimen adductam, proinde se illum orare & obsecrare, & per Christi sanguinem obtestari, ut iret obviam sceleri, resecaret libidinem, coerceret avaritiam, moresque laxos disciplina severiore devinciret, tantumque munus pro dignitate tueretur, & rempublicam Christianam, quæ tantis vitiorum exemplis erat a studio pietatis aversa, pietatis exemplis ad officium reduceret. Legati*

(d) *Osor. l. 1.*

Alexander a Rege Lusit. officii Apost. monitus.

NOTÆ mendat. S. Philippus Nerius, quo tempore in Savonarolæ scripta inquisitio Romæ agebatur, sub Paulo IV. anno 1558. multa prece Deum exorabat ut causæ viri sancti faveret, eodemque temporis articulo quo sententia de ejus orthodoxia in cœtu delectorum patrum edebatur, ipse, prudente Deo, re cognita tamquam de obtenta victoria palam inter suos triumphum canebat; ut ex Abrahamo Bzovio narrat ejusdem additionis ad vitam Savonarolæ scriptor tom. II. pag. 615. Denique ipse de se Savonarola palam pro concione ad populum narravit, didicisse se ex relatione viri cujusdam fide dignissimi, extare Romæ virum in theologia inter paucos insignem, qui ingenue fassus fuerit in colloquio cum amico, neminem nosse se, qui de Fr. Hieronymo obloqueretur, quin moribus esset improbus; neminem vicissim, qui F. Hieronymum probaret, quin & ipse pariter vitæ esset inculpatæ. Recitat verba illa F. Hieronymi P. Paulinus Bernardini in Apologia pro F. Hieronymo vulgata in iisdem additionibus pag. 568. His sane viris, ut assensum pariter nostrum præbeamus, res ipsa suadet, si paulo diligentius mores, vitam, & res gestas F. Hieronymi discutiamus. Profecto ad mores quod attinet, nemo prudens de inculpata ejus vita, de pietate, & castimonia dubitaverit; quamquam enim Burchardus clericus Papæ illum de infandis, turpibusque criminibus convictum scribit a Judicibus Pontificiis, cum tamen acta ejus interrogationis, quamquam ab infestissimis Savonarolæ adversariis conficta vel corrupta, nihil ejusmodi prodant, cur fidei Scriptoris hujus quidquam deferamus, nihil est. Unum, in quo publicam invidiam subivit illud erat, nimirum spretum pontificium imperium quo a munere concionandi abstinere jubebatur, spretas insuper censuras Pontificias, quas velut iniquas passim traducebat. Verum si Savonarolam auscultemus, id egisse illum non plane ratione destitutum constabit. Concionibus ille suis multum valebat ad coercenda populorum vitia, ad virtutes insinuandas; silente illo, metuendum erat, ne pristina omnia vitia redirent. In his ergo angustiis constitutus optimum factu censuit, si spretis Pontificiis censuris, & imperio, quæ ab adversariis plane per calumniam imprudenti & oscitanti Pontifici extorta norat, in sacro illo munere perseveraret. Hæc pluribus inculcat P. Paulinus Bernardini Lucensis in sua pro Savonarola apologia. At enim ementita vaticinia per summam impudentiam sparsit Savonarola. Quis nam rogo ementita illa fuisse demonstret? Ex iis sane plura exitus comprobavit; plura in futurum implenda expectabantur, nec vacua fuisse posteritas agnovit. Fac tamen aliquando errasse Savonarolam? nonne ex assuetudine vaticinandi decepti Prophetæ interdum pro vero vaticinio ea obtrudunt, quæ phantasia agitata dictavit? Hanc doctrinam a S. Gregorio in Pastorali traditam Theologi omnes suscipiunt, & admittunt. Numquid propterea vates illi damnandi sunt & reprobandi? Verum F. Hieronymus ultimo supplicio addicendus in quæstione judiciali fassus est, se volentem, prudentemque vaticinia plane falsa sparsisse. Fateor hæc legi in actis pervulgatis inquisitionis F. Hieronymi, sed hæc ab adversariis corrupta fuisse suspicio tunc increbuit. Sane Joannes Franciscus Picus in vita Savonarolæ affirmat, ambigua multa tunc F. Hieronymum dixisse, nihil satis planum & apertum, non volentem prudentemque se falsa sparsisse fateretur. Idem confirmat qui tunc Florentinam Historiam scribebat Nardus. Cur vero tam ambiguus loqueretur causa suberat, nimirum tormentorum acerbitas, quam cum ferre non posset Savonarola æquiores sibi Judices efficere nitebatur, veritatem dissimulando. Hæc sunt quæ Savonarolam excusant, quæque judicium de illo æquius ferre jubent; quanquam & ipse ultro agnosco prudentius acturum fuisse illum, si non ita palam & passim de vitiis sacrorum Principum apud vulgus locutus fuisset, quod illi vitio datum a Cardinali Alexandrino, qui dein sub nomine Pii V. Romanum solium ascendit, P. Paulinus Bernardini in Apologia sæpius laudata testatur. Mansi

*gati fuere Rodericus Costrensis, Henricus Continus, & Fernandus Continus, viri claris natalibus orti, & prudentia non vulgari præditi, his autem mandavit, ut hanc legationem cum Fernandi Regis legato communicarent, quem Ferdinandus, ut cum Emmanuele Cæsaraugustæ constituerat, ea etiam de causa erat Romam missurus.* Quid vero ii oratores cum Alexandro VI. Romæ egerint proximo anno, subiicit Osorius (*a*): *Legati, qui ab Emmanuele Romam missi fuerant, cum primum Romam pervenere; omnem legationis rationem cum Garsia Lasso Ferdinandi Regis legato, uti fuerant jussi, communicant. Re itaque deliberata omnes ad Pontificem adeunt, eumque Regum nomine suppliciter orant, obsecrant, & obtestantur, ut velit flagitiorum incendium pietatis studio & judiciorum severitate restinguere, neque semel hoc ab illo libera voce contendunt, sed sæpius instant & urgent, & publico etiam testimonio postulata consignant, ut esset omnibus testatum, nihil ab Hispaniæ Regibus omissum fuisse, quod ad labentis Ecclesiæ instaurationem pertineret. Quæ quidem admonitio hunc fructum habuit, ut Pontifex deinceps non ita dissolute rempublicam gerere videretur. Præ se autem tulit admonitionem illam sibi non ingratam accidisse.*

(*a*) *Id. ib.*

Acta publica de ea re edita.

XXI. Illum reprehensum etiam fuisse Castellæ Regum nomine a Garsia Lasso oratore refert Mariana (*b*), remque acerbe tulisse. Iterumque Ferdinandum Hispaniæ Regem missis Eneco Corduba & Philippo Pontio commonuisse Alexandrum, Beneventum a Romana ecclesia non abalienandum; eum enim principatum Gandiæ duci traditum fuisse dictum est. Quibus responderit Alexander, non detractum fuisse de Ecclesiæ imperio Beneventum, nec se velle quidem, quamvis Cardinales consensissent, ut daretur Gandiæ duci, retento penes Romanam ecclesiam jure fundi. Cæterum Joannem Borgiam, qui eo principatu auctus fuerat, diu potiri illo non potuisse, infelicissimeque lascivam vitam clausisse diximus, nec is principatus ad ejus posteros translatus est.

(*b*) *Marian. l. 27. c. 2.*

XXII. In tanta vitiorum libertate, quæ Alexandro VI. Pontifice viguere, Judæi Christianam religionem ementiti, omnibusque flagitiis contaminatissimi in curiæ Romanæ officia irrepsisse comperti sunt: tum quadraginta Marrani genere Hispani Marranicæ hæreseos infamia insignes comprehensi, qui cum ad hæresim publice damnandam parati essent, solita clementia in Ecclesiæ sinum recepti fuere. Ritus tum servatos ita describit Burchardus (*c*): *Dominica vigesima noni dicti mensis julii constructum fuerat suggestum magnum & amplum ante porticum basilicæ principis Apostolorum de urbe inter ipsum & alium, qui est super scalos accessus ad eandem bosilicam, super quod suggestum admissi sunt quodraginta Marrani reconciliandi, quibus super eorum suggesto in terra in eorum consueto habitu consitentibus, & reverendis patribus dominis Petro archiepiscopo Reginensi almæ urbis gubernatore, Joanne Carthaginensi serenissimi Regis & Reginæ Hisponiarum oratore, Octaviano Maranensi episcopo sanctissimi domini nostri Papæ referendario, Dominico Jocobotio & Jacobo Dragatio sacri palatii apostolici causarum auditoribus, magistro Paulo de Mondia Januensi ordinis Prædicatorum ejusdem palatii magistro, & magistro Joanne de Malcone ordinis Minorum sacræ theologiæ professoribus prædicti domini nostri Papæ in basilica prædicta pro notione Hispana pænitentiariis, & in eorum quotidiano habitu, in loco, ut supra, consitentibus, quidam magister in theologia ordinis Prædicatorum fecit sermonem in vulgari Italico de fide, & dictos Marranos, qui omnes de natione Hispanica erant, & inter eos unus professus ordinis S. Francisci, cujus habitum publice deferebot, quem & omnes prædictos de omnibus eorum erroribus sibi notis in fide arguit & reprehendit & instruxit. Quo sermone finito Marrani petierunt veniam, & se absolvi, tum magister polatii sermone latino admonuit eos ad fideliter credendum & bene vivendum, & pœnam simul merentibus convenientem eis commemoravit, quam admonitionem quibusdam verbis Hispanis illis exposuit. Deinde omnibus illis genu flectentibus iniuncta pœna quod in habitu, qui eis impositus fuit ad hoc ordinatus, bini & bini irent ad basilicam S. Petri orotionem ibidem facturi, & inde eodem ordine ad ecclesiam conventus B. Mariæ supra Minervam, ubi dimisso habitu posset quisve libere in suum locum redire. Acceptis huiusmodi habitu & pœna prædicti domini magistri Paulus & Joannes absolverunt omnes, qui absoluti iverunt ad bosilicam & ecclesiam prædictas, Papo in cameris novis omnia prædicta vidente, & eis benedicente. Habitus autem dictis Marronis impositus huiusmodi erot formæ, super habitu quotidiano, quædam tela rubea sive pavonatio super humeros ante pectus & terga pendens usque ad coxas habens crucem croceam latam quatuor digitos, & longam ad longitudinem ipsius telæ superhumeralis, unusquisque applicuit ad altare prædictæ ecclesiæ B. Mariæ de Minerva deposita tela supradicta. Illis receptis fratres appenderunt in altum*

(*c*) *Burch. ms. arch. Vat. sig. n. 104. l. 3. p. 501.*

Marrani quadraginta hæresim publice Romæ ejurant.

Qui ritus servati.

Quam vestem gesserint.

*eccle-*

*ecclesiæ pro memoria actus illius*. Addit (*a*) Burchardus Petrum de Aranda episcopum Calagurritanum pontificiæ domus magistrum de Marrania sive Judaica superstitione & hæresi in jus vocatum, una cum filio spurio protonotario, & scriptore apostolico, instructisque actis judiciariis, demum XIV. septembris damnatum, deque gradu ecclesiastico ritu dejectum, & in perpetuam custodiam in mole Hadriana conditum. Objecta porro ei fuere, effutiisse legem Mosaicam unum habere principium, Christianam tria: Christum non esse passum, si sit Deus: orando dixisse gloria Patri, & aliarum duarum personarum divinarum mentionem omisisse. Comedisse antequam celebraret: diebus prohibitis carnes esitasse: indulgentias inanes & commentitias esse ad quæstum confictas: non infernum, non purgatorium, sed paradisum tantum conditum a Deo. Erant hæc Marranicæ hæreseos præcipua capita.

(*a*) *Id. ib. p.*505.

XXIII. Quod ad Hispanicas res attinet; nato ex Emmanuele Rege Lusitaniæ & Elisabeth Ferdinandi Hispaniarum Regis filia ortu maxima Michaele (*b*), qui communibus parentum, & avi, aviæque votis tot regna conjuncturus erat, effusa lætitiæ significatione, pacisque optatissimæ spe triumphabat Hispania, cum, ut humanæ res nunquam eodem vestigio consistunt, illi plausus mox in planctus conversi fuere, Elisabeth enim Regina ex partus laboribus e triumphali thalamo in sepulchrum decidit. Fuit illa virtutibus ornatissima, quæ mortem una cum partu sibi adfuturam prædicens multis pietatis & sanctimoniæ operibus se ad immortalitatem cœlestem compararat. Filius vero Michael, qui in tot regnorum spem educabatur, triennio post defunctus, cujus mors Lusitaniæ cum Castella & Aragonia cœptam conjunctionem diremit; Joanna vero, quæ Philippo Maximiliani Imperatoris filio nupta erat, succedens florentissimorum regnorum spes in stirpem Austriacam transtulit.

(*b*) *Osor. l.*1. *Gomes. l.*2. *& alii.*

Reginæ mors.

Hispaniæ regna in Austriacam stirpem translata.

Hoc anno habita est a Francisco Ximenio archiepiscopo Toletano (*c*) synodus secunda Talabricæ ad disciplinam ecclesiasticam in suum decus restituendam, in qua vetus sanctio instaurata, ut singulis annis sacerdotum synodus saltem semel haberetur, quod decretum postea a Tridentina synodo constabilitum est.

(*c*) *Gomes. l.* 1.

Synodus a Ximenio pro disciplina restituenda coacta.

In Galliis nonnulli impii magicarum artium & commercii cum dæmonibus patrocinium arripere non perhorruerunt: effutiebant magiam crimine idololatriæ infamem non esse, ad bonum finem eam referri posse, licere maleficia repellere maleficiis, sine ratione damnari ab Ecclesia subtiliores eas artes, multa ex iis bona manare, ingentis esse doctrinæ opus imagines sub certis conversionibus syderum conficere ad patrandas admirandas virtutes, intelligentiam motricem cæli influere in animam rationalem, cogitationes nostras intellectuales ac voluntates a cæli influxu oriri atque arte magica cognosci posse, eadem arte in commercium divinitatis & sanctorum spirituum posse nos assurgere: quæ nefandæ propositiones, pluresque aliæ ab academiæ Sorbonicæ doctoribus damnatæ fuere, quorum literæ hac temporis nota sunt consignatæ. *Acta sunt hæc, & post maturam crebramque inter nos & deputatos nostros examinationem conclusa in nostra congregatione generali Parisiis apud S. Mathurinum de mane super hoc specialiter requisitos, anno Domini MCDXCVIII. die* XIX. *mensis septembris*.

Ad vindicandam vero ab hæresi Ecclesiam, servandamque incorruptam fidei puritatem Alexander apostolico decreto vetuit (*d*) de rebus fidei disceptari, atque universis fidelibus imperavit, ut hæreticorum nomina apud sacerdotes deferrent, quorum ope res ad censorum cognitionem manaret. XXV.

(*d*) *Lib. divers. bullar. ms. arch. Vat.*

Porro in Bohemia & Moravia Pikardorum grassabatur impietas, ac simplices variis argutiis irretiebat, cum quibus Henricus Institor (*e*) ordinis Prædicatorum hoc anno, ut ipse restatur, sæpius concertavit, atque opuscula, ut sacerdotes ad refellendas eas instrueret, plura conscripsit. Fuere horum Waldensium sive Pikardorum errores præcipui quinque.

(*e*) *Henr. Instit. inquis. advers. Pikard.*

*Primus quod quia Romana ecclesia non exprimitur in evangelica doctrina, ideo non est reputanda: & quomodo nulla alia exprimitur nisi congregatio fidelium servans evangelicam doctrinam, sicut ipsi observant, ideo ipsorum ecclesia propter doctrinam evangelicam sit acceptanda*.

Waldensium error de ecclesia.

Refellit hunc errorem Henricus Institor amplissimo commentario, cujus est hic indiculus! *Quod Christus ideo Romanam ecclesiam non expressit, quia per se Ecclesiam in gentibus ædificare non potuit, cum non erat missus nisi ad oves, quæ perierant domus Israel: ædificavit autem per Apostolos per orbem, & per caput Apostolorum Petrum sedem Romæ instituendo*. Romanæ vero ecclesiæ dignitatem illustrat per hæc capita. *Sunt autem in numero septenario privilegia divina Christi promissa, fundatio clavium, Ecclesiæ ordinata executio, duplicis gladii ministerialis jurisdictio, hæresum authoritativa condemnatio, miraculorum virtuosa operatio, graduum* XXVI.

Refellitur.

Septem veræ ecclesiæ argumenta.

duum

*duum ecclesiæ varia distinctio, summi sacerdotii continuata successio. Duodecim autem donaria a Christo collata ex his notare poteris, quod quia hæc ecclesia militans regnum & civitas supra montem non sub modio, ut hæreticorum existunt latibula, juxta Salvatoris sententiam noscitur posita, & Joannes Apostolus dicit. Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotium, & duodecim ad minus invenimus, quæ regnum quodcumque efficiunt gloriosum, videlicet si regnum sit recta institutione & legitime authoritate stabilitum, si origine nobilitatis antiquum, si amplitudine terrarum & numero provinciarum sit profusum, si dignitate distributionum & officiorum decentissime sit ornatum, si vinculo concordiæ sit unitum, si in pace etiam guerrarum tempore cum ceteris manet in se quietum, si divitiis & honoribus sit copiosum, si in expugnatione manet insuperabile & fortissimum, si in optimis virtutibus & consuetudinibus manet regulatum, si Regem habet nobilem & virtutibus clarum, ac multis nobilibus principibus & baronibus populatum, si semper sit permansurum & durabile perpetuum. Ideo cum ista inveniantur in Romana ecclesia, minime autem in aliorum perfidorum conventiculis, certe id regnum gloriosum existit & sanctum.*

XXVII. Objectio quod Christus sit caput Ecclesiæ.

*Secundus*, nempe Pikardorum error, *quod Christus nullum aliud caput præter semetipsum voluit habere super Ecclesiam, unde nec Petrum in suum vicarium habere voluit.* Evincit hunc errorem Henricus ex verbis Christi: *Tibi dabo claves*; ac probat fuse ex quatuor capitibus militantem Ecclesiam debere habere unum caput uniforme, quod versetur cum hominibus, nempe ex unitate fidei, ex unitate Ecclesiæ, ex unione membrorum, ex veteris legis impletione, solvitque argutias hæreticorum hac distinctione, quod Christus sit caput Ecclesiæ primarium, Papa vero secundarium.

XXVIII. Responderus esse primarium.

*Tertius*, nempe error, *quod papatus in Romana ecclesia originem accepit ex Constantini donatione, & non ex Christi institutione.* Confutatus est ab Henrico ampliori tractatu, cujus hic est index: *Quod Petrus fuerit a Christo electus in Papam, id est in patrem patrum probatur ex septem scripturæ passibus. Item declarat, quod cæteri Apostoli cum Petro fuerunt sacerdotes æqualiter ordinati, non autem episcopi æqualiter, sed sub Petro. Matthias etiam fuit non a Christo immediate, sed a Petro sacerdos & episcopus ordinatus. Item declaratur, quod triplici ex causa Christus noluit Petrum in suum vicarium instituere ante suam passionem, sed post suam resurrectionem.*

XXIX. Error hæreticorum contra Ecclesiæ statuta.

*Quartus*, nimirum error, *quod cum doctrina evangelica omnibus statutis humanis sit præferenda, ideo statuta Romanæ ecclesiæ in canonibus & legibus non sunt suscipienda.* Ad hæc ostendit Henricus licet doctrina evangelica sit statutis humanis præferenda, tamen quædam statuta alia ex lege evangelica derivata esse, non tamen vana, sed necessaria ob varios casus humanos, nec legem evangelicam observari posse sine canonum statutis, cum ecclesiæ potestas debeat esse ordinata ad populi correctionem, cum delinquit, & regimen cum recte agit, secundo ad controversiarum decisionem: *Quare Augustinus in illud Matth.* XVI. *Tibi dabo claves regni cælorum, quod Christus unum solum caput voluit esse in tota Ecclesia, ad quod diversa membra recurrerent, si forte ab invicem dissentirent. Tertio propter fidei & sacræ Scripturæ defensionem, si enim aberrent leges humanæ, tollendæ sunt, non enim, ut ait Gregorius, Christus dixit: Ego sum consuetudo, sed ego sum veritas, & Augustinus dicit ad Bonifacium, quod quicumque legibus Imperatorum, quæ contra Dei voluntatem feruntur, obtemperare non vult, acquirit magnum præmium.*

Cur ea sint necessaria.

XXX. Blasphema interpretatio de meretrice Babylonica.

*Quintus*, error scilicet, *quod expositio eorum super apocalypsim de muliere, quam meretricem apocalypticam nominant, sit verissima, ubi per illam volunt intelligere Romanam ecclesiam.* Ad discutiendas hujus erroris tenebras primum Henricus demonstrat sacrarum scripturarum veram interpretationem ad Romanam ecclesiam spectare, a qua omnes hæreses veteres damnatæ fuerunt, cujus doctrina innumeris miraculis confirmata est per sanctos, ac recentiora quædam exempla affert. Deinde pluribus explicat per meretricem apocalypticam intelligendam sectam Mahumeticam: *Nonnulli*, inquit, *expositores hunc ultimum passum de persecutione Christianorum a bestia & Mahometistis intelligunt de hac ultima persecutione, in qua Turci obtinuerunt ex regnis Christianorum duo imperia, quatuor regna, viginti provincias, & ducentas urbes, etiam ante annos viginti computando ab anno præsenti, in quo sumus scilicet MCDXCVIII. in quo etiam præsenti anno magnam depopulationem & terrarum devastationem igne & gladio intulerunt regno Poloniæ, &c.* Addit de futuris Christianorum triumphis: *Concludit Joannes, quod mulier visa ab eo in spiritu sit civitas magna, id est, unitas in numerosa multitudine Mahometistarum habitans in terra super Reges terræ. Demum in cap.* XXVIII. *describitur gentis Mahometicæ percussæ lamentatio, & primo quoad Reges & potentes, secundo quoad mercatores.*

Confutatus.

*Qua-*

XXXI. Quales vero essent ii, qui in Romanam ecclesiam blasphemas eas voces evomebant, describit graphice Henricus, dum ita Pickardorum principem alloquitur: *Frater dilecte, cui congregationi ascribi potest nisi Romanæ & Apostolicæ sedi, authoritativa videlicet hæresum condemnatio: Frater, dic ubi tua congregatio habuit authoritatem condemnandi nedum sanctam Romanam ecclesiam, sed & omnia ejus statuta, leges, & canones, dic ex quo generali concilio cum copioso numero prælatorum & doctorum celeberrimorum, ut in talibus fieri pernecessarium est. Dic mihi, sutor, ille qui copita librum composuit fuitne præsidens ubi Romana ecclesia ut meretrix apocalyptica fuit condemnata? & vere præsidens cum serpente antiquo & suo conciliabulo: sed non mirum, cum ab initio omnium hæresum, præcipue Arianorum, hoc proprium habeant, ut quamvis inter se in opinionibus sint diversæ, in persecutione tamen & odio Romanæ ecclesiæ, propter authoritativam, quam super eos habet, præsidentiam in ipsorum condemnationem, sunt uniti, ut vulpeculæ Sampsonis vineam Domini devastantes habentes caudas conjunctas, facies sejunctas. Attende, frater, an hoc divinum privilegium in evangelica doctrina careat fundamento certe non, ad quid enim hæc Christi verba ad Petrum post promissionem ædificationis suæ Ecclesiæ prolata, quod portæ inferi non prævalebunt adversus eam? quid enim per portas nisi hæreses & vitia ad interitum damnationis disponentes, quæ in extinctionem Ecclesiæ usque in præsens non prævaluisse? Si non credis agnosce cum experientia hæc edocente ipsam semper per generalia sua concilia in condemnationem hæresum prævaluisse. Inspice libros & gesta conciliorum, & sentiens, sed nec inspicere tui affectant, odio habentes lucem, ut vespertiliones in tenebris ambulantes, & completur propheticum id: Noluit intelligere, ut bene ageret; sed non desunt sacri canones omnium hæresum condemnationem prætendentes. Quis, rogo, condemnavit octuaginta & amplius hæreses descriptas non in tuo copito, sed in sacris canonibus 24. quæst. 3. cap. quidam autem hæretici quibus quamplurimis, & tuis participant erroribus, ut quod Christus non sit in sacramento altaris, sancti non sint venerandi, purgatorium negantes, tacendo de aliis spurcitiis diabolicis subterraneis invicem sine ordine convenientes & commiscentes; quod auditu horribile est, in quo errore & si non omnes Waldenses, tamen Pickardi tales inventi sunt, & adhuc permanere verissima experientia per magnos fide dignos patet?* De his, qui dicti sunt etiam Fossarii agetur inferius. Præter vero superiores errores aliis triginta quinque infecti erant, quos idem Henricus Institor recenset his verbis, ac postea fuse confutat. Nobis turpia hydræ capita ostendisse, confutasse erit.

Ecclesiæ nomen nulli alteri quam Romanæ adscribendum.

XXXII. *Primus (a) quod quia Papa est caput omnium errorum, ideo ejus censuras, quas æstimant non posse fulminare & excommunicationes, & simili modo ejus indulgentias in animarum liberatione nullius valoris esse dicunt, & excogitatas solummodo propter avaritiam clericorum. II. Quod quia prælati sunt scribæ, & religiosi pharisæi, de quibus in evangelio traditur, ideo eis non est obediendum, sed tantummodo Deo, Sacræ Scripturæ novi & veteris testamenti. III. quod quia Christus dixit: Omnes vos fratres estis, & inter vos unus non est major altero, ideo ecclesia Romana, quæ tam in spirituali quam in temporali statu tenet diversos gradus & dignitates nulla est apud Deum. IV. Quod nemo debet genua flectere alicui in dignitate temporali, vel spirituali constituto eo quod angelus Joanni dixerit: Vide ne feceris, conservus enim tuus sum, &c. possit tamen fieri tempore necessitatis ne notam incurrant. V. Quod decimæ non sint dandæ, eo quod in primitiva Ecclesia non dabantur. Clerici non debent habere possessiones eo, quod in veteri lege dictum fuerat: Non habebunt sacerdotes & omnes, qui de tribu Levi sunt partem & hereditatem cum populo. VI. Quod episcopi & abbates non debent habere jura legalia, & clerici & claustrales non debent habere præbendas, & non laborantes sunt in statu damnationis. VII. Quod testamenta non sunt pro eleemosynis ordinanda. VIII. Quoad statum sæcularem dicunt, quod omnes Reges & principes cum suis adhærentibus sunt in statu damnationis, eo quod propter bona temporalia & possessiones committunt bella, & sanguinem effundunt humanum contra illud præceptum: Non occides. IX. Quod nec contra infideles pugnare debent, cum nemo sit ad fidem cogendus.*

(a) Henr. Inst. Alii Waldensium seu Pikardorum errores.

Sublati ab iis dignitatum ordines.

Negatæ sacerdotum decumæ.

Eversus ab iisdem politicus status.

Negant pugnandum cum infidelibus.

XXXIII. *Decimus, quod non sit obediendum ex voluntate, sed solum ex necessitate, ut illi, qui ex eorum secta occidantur maneant in statu salvationis, cæteri vero omnes, qui occiduntur inter nos ex voluntaria obedientia ad Romanam ecclesiam dicunt esse in statu damnationis, & etiam ex eis, ut in relapsis post abjurationem, si occidantur. XI. Quod terra & populus non sint per partes dividendi, & quod hujusmodi divisiones terrarum ex tyrannica persecutione tyrannorum primo infidelium exortæ fuerunt, & ideo a fidelibus non esse observandas. XII. Quod nullus debet fieri in Ecclesia*

Omnia volunt esse communia.

Sacramentalia ab iis spreta.

*censualis. XIII. Quoad sacramentalia dicunt catechismum nihil valere, & quod benedictiones fontis baptismatis nihil valent, & omnia, quæ circa baptismum observantur, nihil prosunt, ut sunt exorcismi & benedictiones, patrini etiam, quia nihil insellligunt, sed eu consuetudine respondent pro nihilo supponunt. XIV. Sacramentum confirmationis omnino reprobant, & quod solum episcopi debeant confirmare dicuns nullum habere fundamensum. XV. De sacramento Eucharistiæ suns major pars, qui omnino negant ibi esse verum corpus Christi, adiicienses quod dudum fuisses consumptum illud si montis magnitudinem habuisset. XVI. Illorum paucorum, qui ibi esse verum corpus Christi dicunt, quod omnis qui potest sumere potest & consecrare, cum magis sit sumere quam conficere. XVII. Quod bonus laicus melior est sacerdote malo, ideo quilibet talis laicus posest conficere, & addunt quod etiam malus sacerdos in mortali peccato enistens non posest conficere. XVIII. Quod in omni loco possint & debeans eorum sacerdoses conficere justa illud Malachiæ: in omni loco mihi offersur oblasio munda; unde & ecclesias & ecclesiarum consecrationes omnino reprobans, similiter & altarium, & dicuns quod in qualiber domo, ubi & quoties conveniuns possins conficere. XIX. Quod quilibet possit conficere dummodo habueris a senioribus manuum impositionem, & quod introisus missarum & alia cerimonialia, quæ observantur a casholicis, nihil sins, quia Apostoli non habuerunt.*

Christi præsentiam negant in Euch.

De sacerdotio male sentiunt.

XXXIV. Divina officia tollunt.

*Vigesimus quod verba Christi & verba consecrationis in vulgari debeant proferri, & cantus, qui a casholicis esiam tempore canonis profersur, sit cantus infernalis. XXI. Quod semel communicare in anno est damnosum, eo quod omni die sit communicandum, horæ etiam canonicæ nihil prosunt, similiter & oblationes, quæ in missis fiunt avaritia sacerdotum adinvenit. XXII. Quod missæ defunctorum, & vigiliæ etiam quæcumque suffragia, quæ pro defunctis fiuns nihil valeant, quia nullum dicunt esse purgasorium post hanc visam, & sunt quidam, qui dicunt quod decedens post mortem subito vel ad cælum vel ad infernum sransit: alii & major pars asserunt neminem salvari aus damnari ante finale judicium. XXIII. De sacramento pœnitensiæ varii inter eos varia sentiuns, nam aliqui confessionem necessariam homini omnino negant, eo quod legisur in evangelio illam fuisse observasam, alii, qui concedunt esse faciendam, dicuns quod omnibus indifferenter fieri possit, & quod mulieres absolvere valens & confessiones audire. Cæteri, qui Romanæ ecclesiæ in eo, quod sacerdote sit opus, assentiunt, dicunt quod malus sacerdos absolvere non possis, quia per se ligatus alium ligasum absolvere non possit. XXIV. Quod per manuum impositionem, sicus Apostoli fecerunt, & sacerdotes inter eos ordinantur, & peccata remistuntur, & si quis confiteri velit melius est, ut bono laico, quam malo sacerdoti confiteasur. XXV. Quod omnes utriusque senus possuns, ab omnibus peccatis quantumcumque gravibus absolvere & absolvi, nec sit quidquam reservandum, & quod levis pœnitensia exemplo Christi: Vade & amplius noli peccare, sit imponenda, & multa alia asserunt enorbitantia, quæ recisare longum esset. XXVI. Circa sacramentum matrimonii, sunt qui illud solummodo sociesatem inter virum & mulierem repusans, alias indifferenser convenire affirmant, item quod continentes, ut virgines, non peccant mortaliter per oscula & impudicos tactus. XXVII. Quod gradus affinitatis, consanguinitatis carnalis, & spiritualis, quos Ecclesia instituit, & impedimenta ordinis & publicæ honestatis spernunt, & quod mortaliter peccant si conjuges absque spe prolis convenians, compaternitatem etiam spernunt. XXVIII. Sacramentum ordinis omnino reprobant, dicentes quod omnis bonus laicus sis sacerdos, sicut Apostoli laici fuerunt, & quod mali sacerdotis orasio nec pro se nec aliis prosis, unde & clericalem tonsuram omnino derident. XXIX. Quod omnes tam viri quam mulieres debeans prædicare juxta illud Apostoli: Volo omnes homines loqui linguis, ut Ecclesia ædificationem accipiat. Plura alia enormia in aliis sacramentis observans, quæ ad præsens omissuntur.*

De sacra exomologesi varios errores tenent.

Matrimonium negant esse Sacramentum.

Sacramentum ordinis tollunt.

XXXV. Scripturam sacram in sensum impium detortam tantum recipiunt.

*Trigesimus. Decretales & decreta, exposisiones sanctorum doctorum omnino respuunt, & literalem sensum dicunt in sacra scriptura novi sestamensi sansummodo esse observandum. XXXI. Miracula sanctorum subsannans, immo nec aliquem sanctum reputant, aut invocant nisi Apostolos & Deum, signum crucis abhorrent, nec se signant, verum signum crucis Christi contemnunt. XXXII. Circa consuetudinem ecclesiæ dicunt, quod omnes tales in evangelio non comprehensæ sunt consemnendæ, unde festivisates sanctorum, Ascensionem, & festum paschasis, nasalis Christi & beatissimæ Virginis spernuns, & dicunt unum diem sicut alterum, unde & in illis festivitasibus Ecclesiæ occulse operantur ne notentur. XXXIII. Ecclesias constructas horreum repusant, suos intrare non permittuns nisi causa subsannandi, allegantes: Tu cum oraveris intra in cubiculum, &c. Item ornamenta ecclesiarum o-*

Ecclesiarum ingressum suis prohibent.

*mnino*

*omnino deridens, corporale dicunt pannum bracharum, conficiunt, licet non credant sacramentum esse, in piccario pro calice sine lumine, dicentes quod Deus est lumen. XXXIV. Quod tantummodo Pater noster sit orandum, nec angelica salutatio, aut symbolum fidei, & quod unum Pater noster plus valet tota missa. XXXV. Quod omne juramentum sit mortale peccatum, & quod imperfectis melius sit mori quam jurare, alii autem perfecti jurare possunt propter metum, & quod jurant non tenentur servare. XXXVI. Quod judicia, quæ fiunt super maleficia, sint iniqua, quia Deus dixit: Mihi vindictam, & ego retribuam, unde omnes etiam tales, ut dicunt, sunt in statu damnationis. Omnes etiam ecclesiasticas censuras dicunt non esse reputandas. Sunt & alii quamplures articuli, qui jam brevitatis amore non assignantur, patebunt autem in opere novo conficiendo in eorum reprobationem.* Dum in confutandis his erroribus Henricus desudabat, censor fidei in iis otis creatus est, ut dicetur inferius.

Justitiæ administratio ab iisdem sublata.

XXXVI.

(a) Trithem. in chron. Spon. hoc ann.

Polonus Germanos solicitat ad vertenda arma in Turc.

In Germania hoc anno principum celeberrimi conventus Friburgi acti sunt (a) ad Christianum imperium adversus Turcarum impetus tuendum, ad quos Joannes Albertus Poloniæ Rex, qui a Turcis, Tartaris, & Moldavis variis excursionibus vexabatur, Nicolaum Rosenbergium oratorem misit, ut Germanos ad conjungenda cum Polonis, Hungaris, Bohemis, & Lituanis adversus hostes fidei arma concitaret. Extat ab illo tum habita oratio (b), in qua & Bajazethis in Tauricam Chersonesum progressus, & Moldaviæ principis perfidiam, & suscepti a Polonis in Turcas belli causas, necnon Turcarum Tartarorumque in Russiam irruptiones his verbis Maximiliano Cæsari exponit: *Non incogniti sunt, Rex gloriosissime, sacræ majestati vestræ acerrimi illius ac potentissimi hostis conatus, qui nil aliud magis cogitat, curat, nil ardentius sitit, nisi ut rem Christianam evertat, quo sic profanam sectam suam & imperium propagare posset, utque id facilius aggrediatur, ingenio & astu utens treuguas, sufferentiasque pacis cum ceteris finitimis principibus sibi constituit, ut imperium potentiæ suæ in unum principem convertendo illum vastet, occupet, & pedetentim ceteros Christianos principes facilius opprimat, & ditioni suæ subjiciat, prout hoc ingenio initio felicis assumptionis majestatis regiæ ad regnum usus est, dum pro treugis constituendis atque firmandis ad quodcumque tempus placuisset, arbitrio suæ majestatis per oratorem suum plenarium ha-*

(b) Ext. to. 2. rer. Germ. ex edit. Freheri p. 235.



*bentem mandatum detulit, cujus majestati eu certis rationibus, respectibus, atque causis diuturnas facere non fuit visum, sed præcipue ne ea res regnis ac principalibus clarissimorum Germanorum suorum, ceterisque finitimis fieret incommoda, tandemque temporum qualitate in triennales pacis sufferentias consensit, ut medio tempore sese ad gerendum bellum commodius compararet, quæ quidem treugæ tam per capitaneos limitum Turcici imperii, quam etiam Tartaras, qui tunc in fœderibus adscripti erant, non semel extitere violatæ, in quos quidem Tartaros Tauricam Chersonesum incolentes post captas magni ponderis urbes Caffam & Theodosiam Turcus ditionem sibi comparavit, & imperium, quod dum majestas serenissimi domini mei Regis cognovisset, quorsumque res tenderet, considerasset, treugæ quoque ipsæ expirassent justis ac necessariis causis permota, nil cunctandum rata, ne incautam imparatamque hostis domi opprimeret, consultius fore existimavit foris cum hoste bellum gerere, quam domi sibi illatum propulsare, & maxime instigante ad hoc ipsum ac solicitante Moldaviæ vaivoda subdita suo, cui se olim serenissimus parens æternæ memoriæ princeps urbes dudum per Turcos occupatas Albipolim & Lycoscoviam [quæ alias Kilia dicitur] jure suscepti ab eo feudi atque fœderum recuperaturum pollicitus, & obligatus erat, dumque id majestas sua validissimo & instructissimo exercitu comparato perficere juraret, idem ipse vaivoda Vualachiæ præstitæ fidei immemor, atque debiti, quo se antea jurejurando regno Poloniæ astrinxerat, ab obedientia suæ serenitatis desciscens, rebellavit sive timore magnitudinis potentiæ Turcorum precibus, sive solita imbutus pro more gentis perfidia, & ita cœpta suæ majestatis impediens, atque perturbans, bellum demum necessario in se convertit. In cujus belli prosecutione, qua fortuna usa sit majestas sua regia, & quorum quantæque auxiliares copiæ adversatæ sunt cœptis suæ serenitatis, & quantum in ea re delatum sit postulatis ac desiderio fraternæ majestatis serenissimi domini Hungariæ Regis, quemque etiam in finem præfatus Moldaviæ vaivoda perfidia usus sit in majestatem regiam firmatis induciis atque fœderibus violatis, æstimat sacram majestatem vestram non latere. Sed neque ea perfidia illata contentus fuit, nisi majorem multo periculosioremque nuper adjecisset, concitans ingentes Turcorum & Tartarorum copias, quibus etiam securum transitum atque commeatum per suam provinciam præbuit. Qui quidem crudelissimi hostes incredibili celeritate usi, qua omnes*

Hortatore duce Moldaviæ bellum susceptum est.

Turcarum & Tartarorum in Poloniam excursiones.

*alias gentes superant, anni tempore sibi ad bellandum inconsueto, quali nunquam alias exercitum educere solebant, inopinati supervenientes in dominia suæ majestatis irruperunt, hoc est in terras Russiæ nobilissimam regni portionem, multarumque vicinarum provinciarum altricem quam tanta clade afflixerunt, quantum nulla unquam alia provincia tam atrociter aut auditur aut legitur afflicta fuisse, quoniam in omnem ætatem sexus utriusque, in omnemque conditionem humanam sine delectu immanissime sævitum est, senes & decrepiti, pueri atque infantes, matronæ gravidæ, sacerdotes, & quidquid religionem Christi profitebatur cæsi omnes crudeliterque obtruncati sunt, reliqui, quibus vires & ætas validior fuit, capti omnes, & in duram ac miserandam servitutem abrepti. Sævitum etiam præter morem humanum in animantia bruta pecudum omnis generis, ex quibus nihil vivi omnino relictum est, quodque ferrum absumere non potuit, ignis consumpsit.*

XXXVII. *Vastata deinde pro magna ejus parte nobilissima provincia, onusti rerum omnifaria præda Walachiam festinantissime repetierunt, unde redituri aucti majoribus copiis brevi sperabantur, prout de eo serenissimus dominus Hungariæ & Bohemiæ Rex fraternæ majestati literis suis in exitu meo de Polonia significavit, quomodo gener Turcorum Imperatoris sexaginta millibus bellatorum associatus ex Asia, seu Anatolia adventans jam Danubium trajicere incœpisset Russiam ingressurus, urbesque & arces provinciæ ejusdem Tartarorum, & utriusque Valachiæ palatinorum auxiliis expugnaturus esset. Significavit etiam eodem tempore illustrissimus princeps Alexander magnus dux Lituaniæ Germanus suæ majestatis huic simile, auditu minus gratum ac jucundum, quomodo instigante ac solicitante Turcorum Cæsare duo vel fortasse tres Tartarorum Imperatores cum innumerabilibus copiis e sedibus suis moventes Russiæ terris appropinquarent, jamque ad ripam Berysthenis fluminis castra metati fuissent, contra quos omni sua suorumque potentia adunata præfatus illustrissimus Lituaniæ princeps ad resistendum consurrexit. His tantis ac tam periculosis rumoribus majestas serenissimi domini mei permota, omni sua suorumque potentia congregata, contra hostilitatem campestraliter ad occurrendum profecta est in partes Russiæ, committens se Deo, expectans celerrima, ac indubitata majestatis fraternæ auxilia, quæ eu utroque suo regno & literis & oratoribus certis suæ majestati mittere fraterne ac liberaliter pollicita est, per seque in armis paratam necessitatibus suæ majestatis modis omnibus succurrere. Cum igitur majestas sua tanti periculi causam, & quæ inde sequi possent incommoda secum diligentius reputasset, nossetque dubios bellorum semper esse eventus, intelligens non unius regni opum atque virium fore ad sustinendum diu tantum ac tam periculosum bellum, dignum ac necessarium existimavit causam communis impendentis periculi ad notitiam sacræ majestatis vestræ tanquam primarii Christianæ reipublicæ principis, simulque universorum sacri imperii ac Germaniæ illustrissimorum principum, cujuscumque status ac eminentiæ existant, referre, consilium & auxilium sacræ majestatis vestræ atque universorum tantæ necessitati exposcens atque implorans, quo tantorum tamque validorum hostium conatus, atque insultus communibus Christianorum opibus atque auxiliis reprimi possent, ne hoc regnum, quod semper singulare Christianorum propugnaculum extitit, assiduo bello attritum concidere quovis modo aut everti contingat.*

Expedit ad eos repellendos arma Lithuanus.

XXXVIII. Plura alia addidit Polonus orator, ut Maximilianum, principesque Germaniæ ad sacram expeditionem in fidei hostes conficiendam impelleret, evertendique Turcici imperii, & Jerosolymæ recuperandæ spe titillavit. Cæterum factis ea de re pluribus consiliis laudarunt omnes tam gloriosum opus, sed conferre opes in bellicos sumptus detrectarunt (*a*), ac somniantium instar visi sunt levi conatu ad arma coire. Turca vero rabidus tanto impetu in bellum adversus Christianos incubuit, ut nisi Deus in eum cœlum nivibus ac gelu armasset, afflictam jam pluribus cladibus Poloniam exitio dedisset. Nam in primis Stephanus Moldaviæ dynasta Tartarorum Turcarumque succinctus copiis primo vere in Podoliam ac Russiam tanta vi tantoque terrore irruperat, ut eas provincias nemine adversante evastarit (*b*), innumeramque Polonorum multitudinem in servitutem abduxerit: *Plurimi*, inquit Martinus Cromerus (*c*), *mortales utriusque sexus, & omnis ætatis atque ordinis a perscrutantibus cuncta hostibus, & fugientium vestigia persequentibus extracti in miserabilem servitutem abducti ac distracti sunt, ita ut Thracia, Macedonia, Scythia, & Asia Russis mancipiis implerentur: supra centum millia hominum abacta esse tunc feruntur cum innumerabili gregum, armentorum, & omnis generis præda Pramislia, Radimnum, Jaroslavia, Prævorsum & complura alia ignobiliora oppida cum innumerabilibus pagis direpta & incensa.* Aversa in Tauricam Chersonesum ea præda, Tartari Præcopenses novæ prædæ cupi-

Laudatum sacrum in Turcas bellum a Germ. sed neglectum.

(*a*) Trith. in chron. Spanhei.

(*b*) Mich. l. 4. c. 75.

(*c*) Crom. l. 30.

Plures Poloniæ urbes evastatæ a Turcis.

cupiditate capti mense julio in Russiam Podoliamque iterum irrupere.

XXXIX. Adductus in invidiam est Joannes Albertus Poloniæ Rex, qui publicæ rei administratione bellique superiore anno suscepti neglecta cura libidini & comessationibus se dedidisset, adeo ut, dum nostu simulato cultu, cum paucis oberraret ex contracta cum juvenibus ebriis, rixa, accepto vulnere regii officii admonitus, excusso torpore, Polonos nobiles ac fratrem Hungariæ Regem in arma ad propulsandos Tartaros, verum sero, concitaverit (*a*), cum jam illi se cum rapinis in tutiora loca subduxissent. Dissolverat ob recessum hostium exercitum, cum septuaginta millia Turcarum autumno superiorum bellorum reliquias demessuri incurrere; qui nullis Polonorum viribus, sed pugnante tantum, ut paulo ante indicavimus, pro iis cœlo deleti fuerunt, adeo ut Turcæ gentem divina vi defensam non amplius bello petendam censerent, ut refert Cromerus his verbis (*b*): *Sub finem novembris septuaginta millia Turcarum per Valachiam in Russiam sese effuderunt, omnem eam oram, quæ ad Nestrum & circum Haliciam, Zidazoviam, Drohobiciam, & Samboriam est ferro & igni vastantes & prædas agentes, neque progrediendi ac debacchandi modum ullum barbari sibi statuissent, nemine sese ipsis obiiciente, nisi cælitus Deo, sicut creditum est, miserante populum suum repressi, atque adeo oppressi essent, derepente enim intensum frigus & gelu extitit, & nix tanta decidit, ut circumsepti undique Turcæ, neque progredi neque regredi possent, & insolens id novumque hominibus illis pariter & jumentis mitiore cælo natis & educatis accidebat. Ita jumentis plerisque omnibus frigore & fame confectis, hominum quoque supra quadraginta millia alsisse & obriguisse memorantur, multi reperti postea, qui interfectis equis in uteros eorum exenteratos calentes etiamnum sese illatebraverant, sed nullo operæ pretio, statim enim calor artus vita & sanguine destitutos deserebat, reliqui cum sese utrumque tamen explicassent, & in Moldaviam evasissent, a Stephano palatino & Valachis Polonorum insequentium habitum mentitis, & locorum opportunitate utentibus, divexati & contrucidati sunt, ita ut viu decem millia Istro transmisso salva evaserint. In religionem hæc res cessit Turcis, ita ut sibi persuaderent gentem Polonam atque Russam divinitus defendi & vindicari, itaque non temere deinceps eam gentem bello sibi lacessendam & infestandam esse existimaverunt. His tot tantisque malis expiato hominum nostrorum fastu, nequitia, cultusque divini neglectu, magis propitium deinceps numen affulsit Poloniæ.* Compositis deinde in Polonia dissidiis instaurata fuerunt intet Joannem Albertum Poloniæ, Wladislaum Hungariæ & Bohemiæ Reges, nec non Alexandrum Lituaniæ principem fœdera: Moldaviæ etiam dynasta a Turcarum societate ad officium revocatus, ac Maximilianus Cæsar in eorum partes pellectus. Sed licet plura de Turcica expeditione conficienda agitata fuerint consilia, ea demum sine ullo successu evanuisse visuri sumus.

(*a*) *Michov.* & *Cromer. ubi sup.*

Turcæ pugnante cælo debellati.

(*b*) *Crom. ib.*

Quadraginta eorum millia frigore periere.

Moldavus ad pristinum cum Polonia fœdus revocatus.

XL. Hoc anno Christophorus Colonus (*c*), sive alias Columbus dictus, III. kal. junii instructa octo navium classe Bœtica in novum orbem solvit, australes Hispaniolæ respectu terras lustraturus, ac post gravissimos æstus, quibus propemodum incendebantur naves, in amœnissimæ temperiei cœlum demigravit per maris dorsum ascendens, veluti per altum montem cœlum versus ascenderet: tandemque pridie kal. julii montes longe prospexit, ac lætus postea insulæ portum ingressus est, viditque proceræ staturæ homines scutis præter arcus & sagittas ultra aliorum morem armatos, capillis oblongis gossypina vitta pudibunda tectos, cætera vero nudos, albi autem coloris, quod mirum visum est cum ab Æthiopiæ parallelo Colonus non discessisset, cujus stupendæ varietatis affertur hæc ratio a Petro Martyre: *Tunc terrarum illam reliquis ejus paralleli regionibus cælo proximiorem esse, & a crassis convallium ac paludum vaporibus remotiorem credidit*, nempe Colonus, *quanto altorum montium a profundis vallibus suprema culmina recedunt, quoniam se ab Æthiopiæ parallelis numquam exiisse in tota ea navigatione pertinaciter Almirantus affirmat, tantaque sit in utriusque terræ incolis, continentis scilicet Æthiopiæ, & insularum naturæ varietas; Æthiopes enim nigri, crispi, lanati, non autem capillati; hi vero albi capillis oblongis, protensis, flavis, unde discrimen hoc tantum oriri possit alias non video: terræ igitur dispositio, non cælorum status eam causantur varietatem. Scimus in torridæ zonæ montibus nives cadere, durareque scimus, & in valde distantibus ab ea ad septentrionem urgeri magno calore habitatores.* Ab ea insula ad occidentem incito cursu Colonus magno impetu ab oriente torrentis vasti ex altis montibus decidentis instar mare decurrere comperit; faucesque illius maris Os draconis, objacentem vero insulam Margaritam appellavit. In terram applicans Pariam dici cognovit, populisque amplissimis in mediterraneis cultam, nec non ingens mansuetorum homi-

(*c*) *Petr. Mart. dec. 1. c. 6.* & *Aloys. Cadamust. c. 105.*

Christophori Columbi in novum orbem varia itinera.

Continens detectus.

minum multitudo torquibus & armillis decora ad nostros visendos confluxit: deinde Pariæ vastissimæ provinciæ Cumana, Mancapana, Curiana regionibus perlustratis, in Hispaniolam, quæ a Paria octingentis octoginta duobus millibus passuum ad septentrionem submota jacet, directo itinere tertio kal. septembris hujus anni ad fratrem sociosque pervenit. At omnia præter spem turbida reperit (*a*), nam cum Bartholomæus Hispanos, qui spretis laboribus stupris, rapinis, ac cædibus barbarorum se dediderant reprimere niteretur, illi rebellarant, conflarantque in insula intestinum bellum: tum apud Ferdinandum & Elisabetham Reges criminibus falsis insimulaverant colonos Ligures, quasi Hispani sanguinis hostes, affectatique novi orbis imperii reos: quare arcano jussu intercepti ambo fratres, ob patefactum novum orbem coronis dignissimi, post tot exhaustos labores conjecti in vincula spoliatique omnibus in Hispanias abducti fuerunt.

(*a*) *Petr. Mar. c.7. Cadamust. c. 107. 108.*

Columbus una cum fratre calumniis oppressus.

XLI. Lustrata orientalis Æthiopia.

Patefactæ etiam sunt hoc anno Emmanuelis Regis auspiciis per vastissimos Africæ flexus Indiæ (*b*) a Vasco Gamma, qui cum Calecutium nobile in Malabarico regno emporium omni aromatum genere refertissimum applicuisset, vigesima die maii de superato Oceano, patefactaque India gaudio cum suis exiliit, quasi futuros triumphos atque illa regna Christi, ac Lusitani Regis imperio adjungenda præsagiret. Consumptos ferme menses undecim in eo itinere observat Maffeus (*c*): ait tum de insigni divinæ providentiæ prodigin, quod in iis Calecuti oris visitur hæc addit.

(*b*) *Jo. Barr. dec. 2. Asia l.4. c.3. Osor. l. 1. & Maff. l.1.*

(*c*) *Maff. l. 1.*

XLII. Divino prodigio in Indiam pervenisse patefactum.

*Julio ineunte Olysippone solverant mensibus ferme undecim in itinere insumptis, circa maii exitum in Indiam deferuntur, perincommodo sane tempore, etenim in iis regionibus tum alia multa admiranda, tum illud in primis omnium physicorum ingenia superat, quod in eadem cœli plaga pari solis accessu recessuque iisdem anni mensibus ab ortu trans Gallis*, ita dicitur montium longa series (*d*) ducentis porrecta leucis, *juga, quæ recto ad Cori promontorium excursu, quemadmodum supra demonstratum est, totam Malabaris longitudinem intersecant æstas ac siccitas. Ab occasu cis Gatem hyems & assiduæ pluviæ sunt, ut in tanta locorum propinquitate, quod ad rationem tempestatum attinet, iidem pene populi sibi mutuo antipodes videantur esse, quam diversitatem, quæque de æquinoctiali circulo ac torrida zona antiqui falso opinati sunt, & alia ejusmodi permulta, si quis apud se diligentius reputet, profecto intelliget omnia, quæ in cælo, quæque in terris fiunt non ad necessitatem fati, vel ad fortunæ temeritatem, verum ad unius omnipotentis Dei liberam voluntatem ac providentiam esse referenda. Quo tempore Gamma ad Calecutanam oram est appulsus, in ea Malabaris parte hyemis erat initium, cum altera quæ ad ortum est maximis jam tum caloribus æstuaret.* Quod ad earum gentium ritus moresque cum eo penetrarunt Lusitani spectat; refert Barrosius (*e*), eos partim Mahumetica, partim gentilitia superstitione fuisse imbutos, Brachmanasque pythagoreos sacra apud eos procurasse, quorum instituta accurate describit Maffæus.

(*d*) *Jo. Barr. sup. c.7.*

Veterum opinio de zona torrida inculta falsa arguitur.

(*e*) *Barr. sup. c. 7.*

XLIII. *Non unum*, inquit, *Brachmanarum genus, quippe alii liberis operam dant, vivuntque in hominum frequentia, alii cælibem agunt vitam, quas hodie proprio vocabulo Jogues appellant, Gymnosophistas olim Græci dixere, iique partim longissime peregrinantur stipem emendicantes, & victus vestitusque asperitate nacti existimationem ac fidem credulas hominum mentes portentosis mendaciis, variisque superstitionibus in fraudem impellunt: partim in solitudinibus aviis & subterraneis specubus durissimo vitæ genere inedia, vigilia, nuditate, frigoris æstusque patientia semet ipsi discruciant, abstinentque ab omni corporis voluptate ad certum annorum spatium, quo exacto in Abdutos [ id nomen ordini ] magna cum gloria referuntur. Ii tamquam humana fastigio celsiores, & omnium rerum licentiam adepti, nullis jam tenentur legibus, & in omni scelerum & flagitiorum genere impune volutantur. Est Jaguibus, id est, Gymnosophistis, rector maximus, qui vectigalia perampla dispensat, vocatosque ad se certis temporibus impostores varias in regiones ad prædicanda impiæ vanitatis deliramenta dimittit. Hosce omnes mirum quam densa in caligine, & quanta in veritatis ignoratione demersos diabolus teneat. Parabrammam nescio quem Deorum antiquissimum colunt, & ex eo filias tres, quorum in gratiam terna fila gerunt e collo suspensa. Multis præterea non hominibus modo, sed brutis etiam animantibus cælestes habent honores, & templa ædificant, quibus in prisca illa Romanæ urbis magnificentia vix quidquam simile extiterit. Sane fanum est simio dicatum, cujus dumtaxat pecori, in victimarum usum custodiendo porticus miram in longitudinem excurrit columnarum septingentarum e marmore tantæ magnitudinis, ut Agrippæ columnas, quæ in celeberrimo quondam omnium deorum templo Romæ visuntur, sine dubia adæquent. Elephantis etiam religionem nummis tribuunt, bobus autem eo majorem, quod hominum vi-*

Volutantur in omni flagitiorum genere.

Tenuem Trinitatis imaginem colunt.

Simium in templo magnificentissimo adorant.

ta

*ta functorum animos in eam maxime belluam immigrare opinantur. Multos habent suarum superstitionum libros magno labore studioque conscriptos, quæ non nihil ad veteris Græciæ fabulas, & auguralem Etruriæ disciplinam videntur accedere. Hi libri ne in vulgus prodeant cavent quam diligentissime, sed ex iis arbitratu suo depromunt quæ ad populum decipiendum in concionibus, vel in privatis colloquiis contracto supercilio & magna pompa verborum edisserant, quamquam haud pauca superioribus annis a Brachmane quodam apprime docto, cum se ad Christum aggregasses, nostris hominibus prodita sunt, inque Lusitanum sermonem accurate conversa, tandem ad me pervenerunt, meræ nugæ & anilia plane deliramenta, quæ hoc loco ne leviter quidem attigisse operæ pretium duxerim. Ex quo facile apparet quantum immortali Deo populi debeant ii, quibus in tanta aliorum cæcitate Christianam lucem adspicere datum est. Jam de sacrificiis, libationibus, cæterisque nefariis ritibus, quibus vel ad placandos commentitios deos, vel ad expiandos mortuorum manes utuntur, singillatim exponere, ut supervacaneum, ita pene infinitum sit.*

Deliramenta habent pro oraculis.

XLIV. Illatam Indiis fidem Christianam a B. Thoma Apostolo floruisse eo tempore, quo Tartari Indiarum Imperatorem subegerunt, ex Vincentio Bellovacensi & aliis vidimus, nec non a Romanis Pontificibus missos præcones evangelicos, qui cœlestem doctrinam inter Tartaros Indosque disseminarunt: sed eam errorum sentes, cum interjecti Saraceni commercii facultatem ademissent præfocarant, donec divinæ sapientiæ placuit per inaccessa maria iter ad Indos pandere.

Diu floruit in India Christi religio.

XLV. Porro Calecutiensis Rex hospitum Europæorum novitate perculsus eos honorifice excepit; cujus cultum describit Maffeus (*a*). Expositurus (*b*) vero Lusitani Regis legationem Vascus Gamma lenocinatus est barbaro dicens ejus nominis famam remotissimas gentes pervagatam, ineundæque cum eo societatis Lusitanum percupidum esse, addiditque illum mille ac sexcentarum leucarum intervallo maritimarum terrarum tractus suorum opera lustrasse, neque a gentium Regibus quisquam aliud deposcere, nisi ut doctrina Jesu Christi redemptoris generis humani imbuerentur, & cæli terræque dominum colerent, quem ipse colebat, ad cujus gloriæ propagandæ gratiam tantos labores in perlustrando orbe terrarum susciperet: hoc autem liberandarum ab æterno exitio tot Regum & populorum animarum cœleste beneficium cumulare maxima opum affluentia, onustas enim serico, pannis, equis, & aliis mercibus naves mittere, quæ aromata aurumque facta permutatione in Christianorum oras subveherent: neque a Lusitano Rege aliud exoptari, quam ut divini Numinis nominisque Lusitani gloriam promoveret, eaque de causa cum Mauris Afris infensissimis Christianorum hostibus ingentia gessisse bella, atque in Phutensi regno quatuor arces munitissimas iis eripuisse, atque exinde suffusos invidia Mauros Lusitano nomini detrahere.

(*a*) Maff. l. 1.
(*b*) Barros. l. 4. c. 9.

Gammæ apud eum legatio.

XLVI. Ob hæc vero præclara facinora Græcis Romanisque præfert Lusitanos ut Christi vexilliferos Barrosius, qui fidei divinique cultus pio studio accensi crucem, sanctissimum scilicet Christi vexillum, signumque redemptionis nostræ, de quo canit Ecclesia: *Vexilla Regis prodeunt*; non modo ante Maurorum Africæ, Persidis, & Indiarum ora circumtulerint, verum apud gentes etiam paganas, quæ nunquam divini cultus notitia imbutæ fuerunt, defixerint, atque in tam præclaro opere per procellosa sævaque maria scopulosque, per vastissima terrarum intervalla ad suos antipodes penetraverint, quod omnibus incredibile videbitur, qui pericula, tempestates, qui famem, qui sitim, qui novas ægritudines, qui perfidiam insidiasque (*c*) a tot barbaris structas, superandas perpenderint. Remensus in Europam iter est Gamma lentissimis auris, cum mille ac ducenta leucarum tractum a flumine, cui Infantis nomen impositum, ubi Bartholomæus Diaz ultimæ navigationis limitem fixerat, ad Calecutium usque aperuisset.

(*c*) Eod. c. 11.

I. INcipit annus poſt Chriſtum natum milleſimus quadringenteſimus nonageſimus nonus indictione ſecunda, quo Franciſci Ximenii Toletani, & Ferdinandi Granatenſis archiepiſcoporum pia ſtudia ingentes Granatenſium multitudines a Mahumetis ſuperſtitione ad Chriſti cultum traductæ ſunt, adeo ut uno die tria millia baptiſmalibus ſacris initiata fuerint, cujus rei memoria Toleti & Granatæ anniverſariis ſacris xv. kal. januarii celebratur. Tum profana delubra Chriſtiano expiata ritu divino Numini ſacrata, & Mahumetanorum voluminum, quæ aureis diſtincta notis erant, ut eo ſplendore impietatem ſpurcitiamque commendarent, vis ingens flammis injecta. Qui vero veteri ſuperſtitione irretiti felices eos evangelii progeſſus abrumpere conati ſunt in officium ejuſdem Ximenii conſtantia redacti fuere, ut eleganter narrat Gomeſius (*a*): *Multa*, inquit, *ad illius urbis*, nempe Granatæ, *tranquillitatem, multa ad mutua Chriſtianorum cum Mauris commercia, multa denique ad religionem ipſam ſpectantia excogitavit, nam cum divina providentia & beneficio Ferdinandus Talabricenſis Hieronymiani ordinis ſodalis, vir ſanctimonia & doctrina clarus, ad ejus urbis pontificatum aſſumptus eſſet, facilius Ximenius ab homine minime ambitioſo obtinuit, ut concordibus animis de illorum ſalute inter ſe communicarent, eoſque omni cura & diligentia ad Chriſti fidem reducendos curarent, quod cum diligenter ſecum conſideraſſent, hæc demum ratio ad id exequendum potior viſa fuit. Vocatis primum ad ſe ſacerdotum illorum principibus (quos illi Morabitos & Alfaquinos vocant) cum iis quotidie manſuete & comiter de rebus ad religionem ſpectantibus diſputare, nihil per vim cum illis agere, ſed potius omni libertatis genere eorum animos ſibi devinciendos curare, quod & fecerunt, nam partim ſericeis telis, partim rubris pileis coccineo grano tinctis, quibus gens illa impenſe delectatur, non contemnenda ſumma comparatis donatos a ſe dimittebant. Qui nuper igitur contempti & captivi eſſe videbantur, æqua libertate & ſplendore cum victoribus ſe frui cernentes, animis paulatim erga noſtros conciliatis, Chriſti dogmata amplecti cœperunt, populoque deinceps ſuadere, ut mendaci Mahometo abnegato Chriſtum verum Deum ſequerentur. Fuit id adeo providens & ſalubre conſilium, ut intra paucos dies Alfaquinorum authoritatem turbæ ſecutæ ad baptiſmum petendum catervatim convolarent, nam dies quidam inter faſtos relatus eſt, quo pluſquam tria millia hominum luſtrali aqua expiata ſunt, quos cum non poſſet Ximenius privatim ſingulos de eccleſiaſtico more tingere decrevit aſperſorio univerſos luſtrare, quod merſionis ſimplicis locum habuit.*

Granatenſium tria millia uno die baptiſmo luſtrata.

(*a*) *Gom. l.2. Sur. to. 5. l.3. c.44. Marian. l.27. c.5. & alii.*

Egregia Ximen. arch. Toletan. novata opera.

Neophyti muneribus donati.

Alfaquinorum exemplum turba ſequuta.

II. *Cœpta eſt fieri ejuſmodi converſio* xv. *kal. januarias anno Domini MCCCCXCIX. qui dies Gothicis temporibus Receſuintho Rege procurante angelicæ ad Deiparam virginem legationi eu inſtitutione Eugenii ſecundi archiepiſcopi Toletani, non autem Ildefonſi, ut vulgo creditur, conſecratus religioſiſſime & perſancte colitur. Cum hoc igitur auſpicatiſſimo die bona quadam Ximenii fortuna tanta res fieri cœpta ſit ingentis hujus beneficii cauſa, quo reſpublica Granatenſis tunc per eum affecta fuit Deiparæ virgini, ſub cujus tutela eccleſia Toletana eſt, ſolemnia ſacra cum Granatæ, tum Toleti eo die quotannis facienda curavit. Hæc nunc duabus his celeberrimis urbibus magna ſenatus religioſi cura celebrari & confici videmus. Bona pars Granatenſis urbis jam fidem Chriſti libentiſſimis animis ſuſceperat, quando exorti ſunt quidam contumaces & rebelles, qui paternarum traditionum nimis ſtudioſi, dolenteſque priſcam Maurorum ſuperſtitionem in Hiſpania funditus eo exemplo perire, populi animos crebris concionibus a Chriſtianiſmo vehementer deterrebant. Hos omnes Ximenius, ne quid detrimenti novellæ illæ plantationes caperent, vinculis coercitos in cuſtodia detinuit, & quod ejus ingenio repugnabat, indignis modis tractari permittebat.*

Feſtus dies Granatenſium converſionis inſtitutus.

Pertinaces Saraceni aſperius habiti.

III. Inter hos fuit Zegri e patritia Abenhamaris familia, authoritate, animique & corporis dotibus inter Mauros ſpectatiſſimus: is Petro Leoni Ximenii a ſacris miniſtro, ut manſueſceret, traditus poſt aliquot dies ſive difficultatibus victus, ſive Dei potius afflatu, nam ſe divinitus admonitum ut Chriſtianus fieret profeſſus eſt, ſacro initiari baptiſmate a Ximenio popoſcit, & Gonzalii Ferdinandi ob conſertam olim cum Gonſalvo Ferdinandi duce celeberrimo in Granatenſi planitie ancipitem pugnam nomen ſumpſit, quem ad Chriſti cultum traductum religioni amplificandæ plurimum profuiſſe addit Gomeſius: *Commodiſſima*, inquit, *accidit Ximenii conſiliis hæc Gonzali Ferdinandi Zegri converſio, nam ſimul atque id vulgatum fuit, Mauri, quibus priſca ſuperſtitio cordi erat, animis mutatis Chriſtianiſmo initiantur; tantum poteſt unius ho-*

Inter eos viri principis converſio multum profuit.

mi-

*minis apud populum authoritas, qui sua virtute & animi præstantia fidem sibi & amorem inter suos peperit, quinquaginta millibus nummum in singulos annos a Ximenio Zegri donatus non modo Christianæ religioni apud suos dilatandæ, sed & reipublicæ commodis augendis multis in rebus postea usui fuit, quemadmodum in Ferdinandi Regis catholici historiis traditur. Hoc successu exultans Ximenius occasionem tam commodam urgendam, & totum Mahumetanum errorem penitus ex animis illorum, quando opportunitas dabatur, extirpandum esse ratus, nihil illorum opiniones morabatur, qui inveteratam consuetudinem paulatim aboleri consultius esse censent, id enim tantum in rebus parvi momenti, & ubi de animarum salute non agitur, locum habere existimabat.*

IV. Alcorana ad quinque millia flammis exusta.

*Ergo Alfaquinis ad omnia obsequia eo tempore exhibenda promptis Alchoranos, idest suæ superstitionis gravissimos libros, & omnes cujuscumque authoris & generis essent Mahumetanæ impietatis codices facile sine edicto aut vi, ut in publicum adducerentur, impetravit. Quinque millia voluminum sunt ferme congregata, quæ variis umbillicis punica arte & opere distincta, auro etiam & argento exornata, non oculos modo, sed animos quoque spectantium rapiebant. Multi eis se donari a Ximenio petierunt, sed nemini quidquam concessum est, ignibus omnia publica in pyra ad unum exuri jussit, præterquam aliquot ad rem medicam pertinentia.* At proximo anno maximæ seditiones a Mauris pertinacibus ob felicia hæc fidei incrementa concitatæ sunt, ac plures, qui Mahometem damnasse videbantur, ab Ecclesia ad Mahometem defecerunt, Mahometicamque impietatem etiam in posteros, qui Christum externa specie colere simularunt, propagavere, sed majora longe compendia ea mala vicerunt, cum religionis decus in eodem Granatensi regno tot sæculis a Mahometana impietate inquinato efflorescat.

Nonnulli in Mahumetismum relapsi.

V. Turcarum Imp. a Mediolanensi in Christianos concitatus.

Dum vero ea parte Ecclesia præclaros hosce de Mahomete triumphos deportat, alia Bajazethes Turcarum Imperator Ecclesiam in Peloponeso, Macedonia, & Istria sævissime afflixit ab ipsis Christianis ob intestinas eorum dissensiones concitatus. Vulgo authores (a) tanti facinoris culpam conjiciunt in Ludovicum Sfortiam Mediolani ducem, qui cum Venetos cum Gallorum Rege conspirare ad ipsum principatu exuendum intueretur, Antonium Bugiardum, & Martinum Cassatum ad Bajazethem miserit, eique significarit, Francorum Regem subacta Italia cum Venetis arma Christiana adversus Turcas pro restituendo orienti Christi cultu versurum, extantque literæ eo argumento a Ludovico ad Bajazethem ipsum datæ, quas latinitati donatas Joseph Ripamontius historiæ suæ inseruit. Ejusdem flagitii particeps extitit (b) Fridericus Rex Neapolitanus (quippe qui nosset Gallum expugnaro Mediolano bellum illaturum Regno Neapolitano) inde vero maxime evertendi illius sumpta est occasio, ut videbimus in Alexandri VI. diplomate, quo de gradu dejecto Friderico, regnum illud inter Ludovicum Gallum & Ferdinandum Hispanum Reges partitus est, quamvis scriptores uti diximus, ipsum redarguant, quod irrumpente in Italiam Carolo VIII. hujus sceleris præbuisset exemplum.

(a) *Alex. in bull. invest. reg. Neap. concessi Ludovico Burch. l. 3. Sabel. ennead. 10.... 9. Cremon. Ferron. l. 3. in Lud. XII. Sur. to. 5. l. 3. c. 42. Guicc. & alii.*

Et a Fred. Reg. Neap.

(b) *Sur. id. ib.*

VI. Decretus ad Venetos Jo. Borg. Card. pro communi fœdere in Turcas.

Cæterum Alexander, ut excitatum incendium restingueret, Joannem Borgiam Cardinalem legatum misit (c) Venetias, ut Venetos cum Mediolanensi, Mediolanensemque cum Gallo conciliaret, quo Christianorum arma in hostes fidei jungerentur. Tum Venetos ad Turcicos impetus retundendos accendit, ac Veneti cleri decumas in bellicos sumptus impendendas ipsis attribuit: tum aliis apostolicis affecit beneficiis, quæ principibus bella sacra gerentibus conferri consuevere. Verum legati apostolici inanes curæ fuere, cum ipse Alexander ea factione adversus Mediolanensem nulla injuria lacessitus, sed spe amplificandi filii spurii se irretiisset (d).

(c) *Sur. to. 5. l. 3. c. 38.*

(d) *Burch. ms. arch. Vat. sign. n. 104. l. 3. p. 47.*

VII. Christiani in Turcico imperio afflicti.

Interea grave damnum passa est religio & miseri Christiani, qui in Turcici imperii limite erant, barbaricis excursionibus contrucidati (e), vel addicti sunt in servitutem; Scanderbasse enim Illyrici, vulgo Bossinensis præfectus, ingenti equestri exercitu succinctus Venetam ditionem ferro flammaque miscuit mense octobri Forojuliensem agrum ad Liquentiam usque pervagatus: *Superioribus diebus*, nimirum ineuntis novembris, inquit Joannes Burchardus (f), *Turcæ invaserunt patriarchatum Aquilegiensem dominii Venetorum, & illum depopularunt, villas combusserunt, & magna damna intulerunt: idem fecerunt duabus villis serenissimi Romanorum Regis adjacentibus.* Confirmat idem Petrus Delphinus (g) in literis ad Jacobum monachum Camaldulensem.

(e) *Petr. Just. l. 10. Sabel. ennead. 10. l. 9. Aug. Just. l. 5. Michov. l. 4. c. 79. Crom. l. 30. Sur. sup. c. 38. & alii plures.*

(f) *Burch. ubi sup. p. 600.*

(g) *Petr. Del. l. 6. ep. 12.*

VIII. Christiani captivi fidei odio cæsi.

Recuperari præda non potuit, immo captivi a Turcis, ut expeditiores essent ad pugnam, metu nostrorum interfecti sunt, ut refert Sabellicus (h): *Villæ*, inquit, *passim direptæ & incensæ, multique mortales capti, sævitum in captivos, quod Italicis ejus gentis expeditionibus accidit.*

(h) *Sabell. ubi sup.*

Turcarum immanes in Italiam excursiones.

*cum ad Tiliaventi ripam sub noctem fecissent castra, veriti, ut credere est, ne ab hoste interclüderentur, aut certe gravem prædam pertæsi, ingentem captivorum numerum mares promiscue & feminas uno in loco fœde trucidarunt. Sic quoque ingens vis mortalium abducta est, atque ex omni flore ætatis selecta.* Ob has Turcarum grassationes indictas solemnes supplicationes Venetiis fuisse instructosque ingentes apparatus relatum est Petro Delphino, qui in divina misericordia reponendas præcipuas victoriæ spes ita edocuit (a): *Conversos isthic omnes ad orationem & ad expeditionem in Turcos magnopere probo. Singulare hoc est atque unicum in adversis præsidium. Et clamaverunt,* inquit, *ad Dominum cum tribularentur & de necessitatibus eorum liberavit eos.* Et alibi: *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur. Itemque: Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me, salvasti enim nos de affligentibus nos, & odientes nos confudisti. Audi quid de hoc testetur David, tribuens Deo, non sibi victoriam. Et præcinxisti me virtute ad bellum, & supplantasti insurgentes in me subtus me, & inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti. Accedente divino auxilio humanis conatibus, nihil dubito de felicissimo nostrorum congressu & futura victoria, præsertim cum hostis materiam excitandi belli quæsierit, nulla a vobis provocatus injuria prior ipse in fines vestros incursionem fecit militibus effuse vastantibus abactaque hominum ac jumentorum præda. Precemur Dominum, ut immittat terrorem in efferos Turcorum animos, ut primo statim concursu & impetu a nostris opprimantur, deletoque ad internecionem illorum nomine respublica Veneta in tranquillum redigatur, ac pace terra marique parta congaudeat, &c. Ex Fonte bono die* III. *septembris MCDXCIX.*

(a) *Petr. Del. l. 6. ep. 3.*

IX. Mari quoque male gesta res est, quippe Veneti florentissimam classem instruxerant ad Othomannicam profligandam, tuendasque Peloponesiacas urbes, quæ Veneto parebant imperio: sed ob trierarcharum pugnam refugientium magis, quam Antonii Grimani præfecti culpam, adipiscendæ victoriæ occasione gemina non usi, Naupactum vulgo Lepanthum, amiserunt, de quo hæc Sabellicus (b): *Ad Sapientiam*, is est Spragiæ insulæ portus, *tumultuaria pugna commissa est cetea una Veneta Andreæ Lauretani viri fortissimi ductu, qui ex Corcyra eo occurrerat, ut pugnæ interesset cum duabus onerariis ad bellum instructis, Othomannicam unam arcem verius quam navem ferociter invasere, injectisque confestim catenis conserta est atrox pugna, atque utrique funesta, nam ad primum prælii congressum sive hostium fraude, ut periculo prælium discuteretur, sive casu aliquo, ut fit, continuo ingens flamma emicuit, conflatumque est incendium, & naves, quæ ex adverso conflixerant, quia manicis ferreis consertæ insolubiliter inter se hærebant, & propugnatores, qui in his erant, atrociter absumpsit: Turcorum plurimi ex sua cetea in subiectum mare metu præcipitante desiluerunt, suntque suorum occursu servati. Nec multo meliore eventu Venetæ triremes pugnam inivere, nam cum una aut altera in confertissimas hostium naves ferociter invectæ ingentem stragem & trepidationem intulissent, ceteræ sive metu, sive quia secunda aura, ut trierarchi causati sunt, destituerentur, alio cursum tenuere. At hæ cum quibus manus conserta est multum diuque inter hostes cum strage colluctatæ post atrocem pugnam, etsi male habitæ, retro tamen ad suos abierunt, quo apparuit nobilissimam victoriam eo die e manibus amissam. Secundum hanc pugnam hostis institutam navigationem repetit, dextrum Peloponesi littus legens, non minus tamen quam antea Venetorum incursibus obnoxius. Sunt interim pleræque naves Turcis ex occasione redemptæ. Ventum est inde ad fauces Naupacti sinus: hic iterum Venetus hostem adortus aliquanto fœdius quam ad Sapientiam elabi passus est, nam cum loco & navium robore, apparatuque multo superior esset, facilis esset secuta victoria, si hi, quibus datum erat negotium, fortiter obivissent, sed pluribus pugnam detrectantibus, barbarus, quia principio de fuga agitasse dicitur, ut si Venetus paulo ferocius fuisset invectus in terram ad suos relictis navibus egrederetur,* terrestris enim Turcicus exercitus simul cum classe oram legebat, *præter spem sinu potitus est, quamquam non sine jactura aliqua interceptarum a Veneto Navium emensa. Inde Othomannica classis dextram sinus oram Naupactum urbem vetustissimam Venetis ademit, hodie Lepanthum, ut plerique corrupta voce nominant.*

Naupactum Venetis ereptum.

(b) *Sabel. ubi sup.*

Atrox prælium navale.

Vincendi occasio amissa a Venetis.

X. Turcicam oppugnationem non sustinuisse Naupactenses & alios finitimos, sed mox deditionis nuncupasse verba, tradit Turcogræcæ historiæ (c) author, qui belli hujus causas etiam retexit, nempe Bajazethem superstite Zizimo, coluisse pacem cum Venetis, illo autem sublato, solutum metu occlusum odium in Christianos mox effudisse. Conflata inde maxima invidia Grimano, qui eam magis auxit, cum neque in trierarchas, qui certa-

(c) *Turcogr. l. 1.*

Grimanus præfectus classis causam e vinculis dicere jussus.

tamen abnuerant pro imperio animadvertisset, neque expectato successore e provincia decessisset. Reversus itaque in custodiam publicam traditus ex vinculis causam dixit, quod ubi illius filius Cardinalis accepit, Venetias, ut parenti opem ferret, Roma provolavit, ut refert Joannes Burchardus hisce verbis (a). *Feria tertia XV. mensis octobris recessit ab urbe Reverendissimus dominus Cardinalis Grimanus cum septem familiaribus tantum, aliquibus eu aliis ipsum sequentibus, iturus Venetias pro liberatione domini Antonii Grimani genitoris, qui in dies ibidem expectabatur, per dominium detentus judicandus, nam cum Rex Franciæ, ut Ludovicum ducem Mediolani facilius vinceret, se cum Venetis colligasset, & in eventum victoriæ Cremonam, ac omnia loca, castra, terras, & oppida ultra flumen Addæ, seu citra respicientia a parte civitatis Bergomensis & Brixiensis sita dominio Venetorum libere perpetuo adjunxisset, magnus Turcus magnam classem maritimam & terrestrem paravit, de quo Veneti suspicati, etiam ipsi classem ordinarunt ad loca Turco vicina, cui Venetorum classi Rex Franciæ & magnus magister Rhodi plures naves seu ligna addiderunt. Constituerunt Veneti classis suæ capitaneum dominum Antonium Grimanum procuratorem S. Marci magni nominis virum, qui itinere accepto, & ad locum seu passum deputatum provectus, cum Turcus versus Naupactum & Corcyram & alia loca potenti armata pergeret, dominus Antonius Grimanus capitaneus eum formidans non est ausus ei resistere, sed se ad portum recepit, Turcus propositum suum prosequens Naupactum & successive alia loca potenter invadens ditioni suæ subjunuit, cujus rei causam prædicto domino Antonio dederunt, & alium capitaneum deputantes dominum Antonium detentum Venetias mitti mandarunt, ut cum pro commisso crimine punirent. Dubitavit Cardinalis ne sine causa pater capitalem subiisset sententiam, vel cum magna gratia & favore perpetuam relegationem & omnium bonorum suorum confiscationem; ideo profectus est, ut præfertur, Cardinalis ipse Venetias, ubi id Roma relatum est, singulis noctibus secrete apud patritios hinc & inde genitoris sui innocentiam declamando ejus liberationem pertractabat.*

(a) Burchar. l. 3. diar. pag. 589.

Gallorum cum Venetis fœdus pro spoliando Mediolanensi.

XI. Cardinalis Grimanus patrem tuetur.

Quantumvis Cardinalis patris sui causam tueretur, & objectam imperii mollitiem discessumque e provincia excusaret, quod Gallica classis illum deseruisset, nec prece nec gratia ita potuit judices flectere, quin ille affectus exilio (b) in insulam Liburniæ objacentem, cui Ossaron nomen est, deportaretur, unde postea revocatus in patriam dux renuntiatus fuit. Ex iis constat falsos fuisse rumusculos, qui de parta victoria ad Petrum Delphinum (c) perlati fuere. Quod vero ad Gallicam classem attinet, composita erat, ut refert Jacobus Bosius (d), ex viginti duabus navibus majoris alvei, missaque in orientem fuerat, ut Rhodo opem ferret, siquidem bellici Turcarum apparatus fama increbrescente creditum fuerat, Bajazethem de Rhodiis opprimendis cogitasse, sed ubi conversos in Venetum imperium barbaricos impetus cognitum est, Gallica classis, tum Rhodiæ naves, quæ vel in Liguria Siciliave instructæ fuerant, Venetis se conjunxere, adeo ut Christiana classis centum & octuaginta apparatissimis navibus constaret, cui Turcica, licet ad ducentas & septuaginta ascenderet, robore tamen & viribus longe inferior erat, sed Antonium Grimanum, vel trierarchas Venetos Turcicarum navium numerus terruerat, ita ut quemadmodum dicebamus, pugnandi occasionem omiserint, quamobrem indignati Galli abscessere. Cæterum præter Naupactum alias etiam urbes insignes Bajazethem Venetis ademisse, proximo anno dicetur.

(b) Sabell. enn. 10.

Pulsus in exilium Griman. præfectus ac dein revocatus.

(c) Petr. Del. l. 6. ep. 4.

(d) Bosius p. 2. l. 15.

Florentissima Christianorum classis.

XII.

Afflictis in oriente Christianis rebus opitulari conatum Pontificem narrat Cromerus (e), ac Germanos, Hungaros, Bohemos, Polonos sacram in Turcas expeditionem commovere, ad quam conficiendam anno ineunte comparatos se ostenderant; nam Maximilianus Cæsar scriptis ultima januarii ad Petrum Aubussonium Rhodiæ militiæ principem, eundemque Cardinalem literis rogarat (f), ut in Germaniam ad solemnes conventus, in quibus bellum sacrum decernendum erat, oratores mitteret, [1] cum illius equestris militiæ ad religionem propagandam conditæ consiliis regi vellet: pariterque Joannes Albertus Rex Poloniæ ei significarat (g), provinciam Turcis Tartarisque conterminam Rhodio ordini tradere se de-

(e) Crom. l. 30.

(f) Bosius sup. l. 15.

Maximilianus Germanos concitare nisus in Turcas.

(g) Id. ib.



NOTÆ [1] Tantum aberat ab indicendo in Turcas bello Maximilianus Rex Romanorum, ut ab illo una pariter cum Italiæ principibus occultos legatos missos fuisse ad sollicitanda in Venetos Turcarum arma Sanutus in historia belli Gallici affirmet. Idem pariter historicus tradit Saracenis in Forojuliensem tractum irrupturis per Carinthiam liberum transitum a Maximiliano permissum quod summam ejus cum Turca consensionem indicat. Quæ cum ita se habuerint conventus illi so-

crevisse, ut eam adversus barbaticas excursiones tuerentur, Christianique imperii limites proferrent. Sed Maximilianus Romanorum Rex, quantumvis Bajazethes grassaretur in Christianos, arma adversus barbarum non vertit, quod Gueldrensi primum bello, deinde Helvetico implicitus fuetit (*a*). Polonus etiam cum Germaniæ turbas & Italiæ incendium, de quo dicetur infetius, contemplaretur, tanti belli molem suscipere non est ausus (*b*): & ita ob Chtistianorum dissensiones Ecclesia a Mahometanis oppressa est, cum vel soli Germani, qui mutuis vulneribus in tumultuariis pugnis sese conficerent, insignem de Turca triumphum deportare potuissent. De cruentis enim Germanorum in civili bello stragibus hæc refert Nauclerus(*e*).

(*a*) *Naucl. vol. 2. gen. 50.*

Mutuis bellis illi se conficiunt.

(*b*) *Crom. l. 30.*

(*c*) *Nauclet. ubi sup. Bilibaldus de bello Helvet. l. 2. Mutius l. 30. & alii.*

XIII. *Anno salutis MCCCCLXXXXIX. circa finem februarii in superiori Alemanniæ haud longe a fontibus Rheni fluminis inter domum Austriæ & Helvetios alias confæderatos seu Suitenses exorta est grandis turbatio, quæ paulatim descendens per lineam Rheni quaquaversum usque ad Basileam bellum suscitavit atrocissimum: in eo namque bello, etsi nunquam totis copiis bellatum sit, cæsa tamen diversis in locis & pugnis referunt viginti millia pugnatorum, quale non memoratur, nisi fallor, a centum annis & citra in omnibus bellis illarum partium fuisse visum vel auditum, venerunt enim ad arma duo populi finitimi. Austriæ domus Regis Romanorum Maximiliani patrimonium est proprium: is tum aberat bello apud Gueldrenses occupatus. Erant per idem tempus in urbe Constantia congregati primates Suevorum tractantes de liga eorum renovanda: hos Austri veluti socios locum tenentes pro Rege in auxilium contra Helvetios invitabant. Quærebant hi media pacis & invenisse se arbitrabantur; sed nova repente turbatio exorta cuncta composita dissipavit: quo factum est ut, etsi nondum conclusa essent capitula omnia in liga Suevorum, opem tamen ferre Regi dignum ducerent, & cum hi belli motus pervenissent ad Regem, totum ipse imperium contra Helvetios suos hostes invocabat, propter quod nonnulli principes communitatesque auxiliares copias miserunt, unde mirum videri posses, quod Helvetii angulum Alemanniæ perexiguum tenentes toti imperio resistere auderent: sed si quis vires Helvetiorum & eorum situm perspiciat, non multum mirabitur.* Et infra: *Accesserunt autem hac tempestate illis socii homines de liga Grisea bellicosi, eisque parent Abbacellenses. Sunt illis & alia percommoda, quod veluti ex una civitate, in qua præter cives nemo habitat, & ut unum corpus unius animi & voluntatis exeuntes pro libertate, ut ajunt, conservanda pugnant. Hæc illis audaciam præstant, & quod parati sunt mori, vel vincere, &c.* Addit Helvetios strenue Germanorum propulsasse impetus adeo, ut in præliis Germani plures quam Helvetii ciderint, ac demum cæsareas collectitias turmas moribus studiisque dissonas fuisse dissolutas.

Viginti millia bellatorum cæsa.

In Helvetios universa Germania concitata.

Resistunt illi universo imperio.

XIV. Scripsit de hoc funesto Helvetico bello Bilibaldus Pyrckeimetius Norimbergensis (*d*), qui in cæsareo exercitu merebat, ac varia certamina describit (*e*), quibus Helvetii cæsarianos longe numero superiores fudere, atque inter has bellicas clades dira adeo fame laboratum esse, ut fœminæ puerique pecorum instar herbas in pratis depascerent: quod triste spectaculum se inspexisse ait, cum a Cæsare in vallis Tellinæ confinia mitteretur ad commeatus a duce Mediolanensi pro alendo exercitu, qui plures dies sine pane exegerat, excipiendos: *Accidit*, inquit, *ut forte inter eundum per villam magnam, sed exustam transirem, in cuius exitu duas deprehendi vetulas, quæ agmen quadraginta fere puerorum parvorum, necnon puellarum haud secus ac pecorum greges præ se agebant. Erant omnes extrema macie ob inediam confecti, ut effigie sua, præterquam quod moverentur, haud multum defunctis absimiles, ita ut aspicientibus horrorem quemdam iniicerent. Interrogavi vetulas quonam turbam tam miserandam ducerent, at illæ tanquam attonitæ, ac vix præ dolore ac fame ora aperire valentes, responderunt confestim me visurum, quonam tam infelix ageretur juventus. Vix hoc dixerant, cum ad pratum quoddam deventum est, in quod ingressi ac in genua prolapsi bestiarum instar herbas depascere cœperunt, hoc uno distantes, quod illæ morsu vescuntur, hi vero manibus cibum decerpebant,*

(*d*) *Bilibald. l. 2. de bell. Helv.*

(*e*) *Ext. in to. 3. rer. Germ. ex edit. Freb.*

Dira fames.

Puerorum greges ad herbarum pabula ducti.

NOTÆ lemnes hoc ineunte anno in Germania celebrati alio profecto quam ad expeditionem Turcicam decernendam spectabant.

Quæ pariter scribit Annalista superius num. 6. de legatione Joannis Borgiæ cardinalis a pontifice ad Venetos missa alio profecto, quam censet Annalista, respiciebant. Eodem enim Sanuto teste nihil aliud a Senatu petiit legatus nisi ut a Pisaurienti bello quod in commodum ducis Valentini filii sui suscipere pontifex meditatur, sese nequaquam immisceret. Id vero a legato impetratum affirmat. MANSI

*pebant, & jam usu herbas discernere didicerant, ac noverant, quæ amaræ seu insipidæ, quæ suaves aut gustu essent præstantiores, præcipue vero herbam eligebant acetosam, quam & præ cæteris dignoscebant. Ad tam dirum igitur spectaculum obstupui, ac tanquam amens diu constiti. Rursus igitur vetula inquit: En cernis curnam calamitosa hæc turba huc sit deducta, cui longe magis profuisset, si nata foret nunquam, quam tot ærumnis subiici, ac tam miseram exigere vitam, ferro cecidere patres, fame vero matres, abacta sunt bona, & in prædam cessere, ac habitacula flammis sunt absumpta, nos miseræ ob ultimam senectutem hic sumus relictæ, quo infelicissimam hanc juventutem brutorum instar ad pascua agamus, & quantum valemus herbarum esu sustentemus, speramus tamen brevi tam illos quam nos a tantis absolutum iri miseriis, etenim quamvis duplo plures fuissent, brevi tamen ad hunc redacti sunt numerum, cum quotidie aliqui fame & inedia deficiant, longe profecto celeri morte, quam prolixiori vita feliciores. Hæc cum vidissem ac audivissem, lachrymas continere nequivi: tam miserandam hominum sortem miseratus, ac bellicum furorem merito detestatus.* Cæsarianos pariter fames ita pressit, ut aliqui ad herbas vorandas se converterent, alii

Nefanda dissidia Christianorum.

XV. in insaniam, in rabiem alii agerentur, vinumque adepti, illud cruore suo dum partiebantur, fœdarent.

Porro bellum hoc funestum a Francorum Rege concitatum idem author aliique memorant (*a*), ut Ludovici Mauri Sfortiæ ducis Mediolanensis evertendi occasionem captaret, qua opportune usus illum principatu turbinis instar dispulit, ut fuse Itali, Galli, Germanique scriptores (*b*) prosequuntur. Spectare, Insubriam ad se jure hereditario aviæ Valentinæ sororis Philippi Mariæ ultimi Vicecomitum stirpis principis, qui nulla legitima virili prole suscepta obierat devolutum contendebat Ludovicus XII. sed Franciscus Sfortia, qui Philippi filiam notham duxerat, eumdem principatum invaserat, transfuderatque in posteros, a quibus Gallus avitum jus repetivit, fultumque legibus promulgavit, ut nitide Nauclerus exponit (*c*): *Mense*, inquit, *octobri Rex Francorum Ludovicus apparatu magno & copiis armatorum duxit in Italiam, prætendens Mediolanum & totam Insubriam in suam vindicare potestatem ex causa, quod extincto quondam sine liberis Philippo Maria, ad Valentinam sororem legitimam Regis aviam maternam ducatus hereditario jure spectabat, quem tamen ducatum Franciscus Sfortia, qui illegitimam præfati Philippi filiam uxorem habebat, vi armata invaserat, ipseque & liberi ejus, quorum ipse Ludovicus unus esset, vitio spolii nequaquam purgato, detineret occupatum.*

(*a*) *Id. ib. Sabell. ennead.* 10. *l.* 9. & *alii*.
(*b*) *Sebast. Branc. ms. arch. Vat. sig. n.* 111. *Burch. ubi sup. Corius par.* 7. *Sab. enn.* 10. *l.* 9. *Ferron. in Lud. XII. Gaguin. in eod. Aug. Just. l.* 5. *Naucl. vol.* 5. *gen.* 50. *Panvin. in Alex. VI. Mut. lib.* 30. & *alii*.

De jure Gall. Regis in ducatu Mediol.

(*c*) *Nauclet. ibid.*

XVI. Antequam vero eam expeditionem conficeret regni res composuit Ludovicus, & cum Anglo, cum Hispano, cum Philippo Maximiliani filio duce Burgundiæ Belgiique principe, restitutis nonnullis controversis terris, fœdus instauravit, (*d*) novumque pepigit cum Pontifice ac Venetis, quod diu latuit Ludovicum ducem, donec mense julio pontificio tabellario, qui ad Cæsarem Borgiam mittebatur, intercepto, quæ in se capta erant consilia cognovit (*e*), quibus adeo consternatus est animo, ut Bajazethem Turcarum Imperatorem ad inferendum Venetis bellum, quo ipsos orientali implicitos ab Insubrico distraheret, concitarit, ut superius enarratum est: illius vero frater Ascanius Cardinalis ex pontificia aula fuga se subduxit. Tum mense augusto præmissus (*f*) a Ludovico Rege fortissimus exercitus Ludovico Lucemburgensi Lignio principe, Eberardo Stuardo, Albino Scoto, & Joanne Jacobo Trivultio ducis Mediolanensis hoste infensissimo præcipuis ducibus primo impetu Arazzi & Anonis objectas arces cepere, indeque Alexandriam, quam ducis frater Galeatius tuebatur, magnis molitionibus aggressi, tridui flexu in eam irrupere, eandemque diripuere, cujus cladis terrore perfusum Ticinum deditionem fecit, pariterque reliquæ Mediolanensis imperio obnoxiæ civitates una cum oppidis in Gallorum potestatem certatim venerunt: invisus enim cunctis erat ob acerbioris imperii sui sævitiam Ludovicus Mediolanensis, quod cum ipse animadverteret non in armis, sed in fuga spe reposita, una cum uxore, liberis, atque ingenti thesauro in Germaniam præcipiti fuga profectus est, ut Cæsaris, cujus supremo imperio Insubria parebat, viribus contra Gallicam vim se tueretur. Ut autem illi, ita & Mediolanensibus se defendendi animi defuere, mox enim amplissima civitas ad omnes incertorum eventuum auras suspensa Gallos excivit, exemploque suo finitimas urbes ad defectionem traxit, ac paucis post diebus arte & situ munitissima arx Mediolanensis, quæ in annos aliquot omni bellico apparatu instructa erat, a Bernardino Curtio Ticinensi, quem Maurus ab ineunte ætate educaverat, cuique adeo fidebat, ut illi potius, quam Ascanio fratri Cardinali ultro poscenti, eandem arcem custodiendam tradiderit, auro victori Gallo diven-

(*d*) *Ferr. in Lud. XII. l.* 3.

(*e*) *Burch. l.* 3.

A Mediolanen. in Venetos Turca incitatus.

(*f*) *Guicciard. l.* 4.

Alexandria vastata a Gallis.

Ticinum & aliæ urbes deditionem faciunt.

Ludovicus dux fugit in Germ.

Arx Mediolan. a præfecto proditore divendita Gallis.

vendita est, quas rerum subitas conversiones Joannes Burchardus his verbis monumentis suis mandavit (a).

(a) *Bur. tom. 5. p.* 583.

XVII. *Die IV. præsentis mensis septembris nuntiatum est, Regem Franciæ Alenandriam, Tortonam, & multas alias civitates & loca ducatus Mediolani sibi subjugasse: illustrem dominum Ludovicum ducem Mediolani circa finem augusti proxime præteriti a Mediolano recessisse per lacum Comanum ad dominium serenissimi Romanorum Regis; filios suos cum reverendissimo domino Ascanio præmisisse, ac septem milliones auri secum deportasse; dixisse autem recessum suum ex Mediolano oratori dominii Venetorum: Vos, domini Veneti, mittitis mihi Regem Franciæ ad prandium? certifico firmiter vos eum habiturum ad cœnam. Post ejus recessum Mediolanum se ditioni Regis Francorum submisisse, & multa alia dicta sunt de arce: castellanum castri Mediolani, in quo erant quadringenti Alemanni, & circiter mille quingenti Itali, quod castrum bombardis, sclopetis, balistis, & omnibus generibus armorum munitum erat, & provisionem grani, & omnium necessariorum pro tribus annis personis prædictis, & ad eorum numerum, ac alias ad defensionem copiose habebat, de castro ipso Regi Franciæ consignando tractasse, ac receptis ab ipso Rege multis millibus scutis & quodam statu seu dominio in regno Franciæ, castrum ipsum XVII. septembris præsentis domino Joanni Jacobo de Trivultio nomine Regis acceptanti consignasse, ac plura alia.*

Veneti commoniti de bello impendente a Gallis.

XVIII. Tantam ob infidam adeoque turpem proditionem, infamiæ maculam suscepit Curtius, ut Galli, a quibus præmia perfidiæ suæ acceperat, cum gravissimis probris onerarint, ex quibus pudore oppletus, oppressus conscientia sceleris paulo post partas opes cum vita dimisit. Eversum fuisse principatu justo Dei judicio communi fama vulgatum est, ut ostendunt Petri Delphini ad alterum ejusdem nominis & cognominis nobilem virum datæ literæ: *Actum esse de principe Mediolani mirari videtur nemo, quem mores ac vita hominis nequaquam latebant, facile sibi fuisse unusquisque arbitratur, hujus divinasse interitum. Ab alio expecta, alteri quod feceris. Capta vero a nostris, quæ tamen, ut scribis, sponte se dedidit, pars illa omnis ducatus Mediolanensis, quæ citra Abduam fluvium sita est, venire mihi in mentem fecit sermonem Samuelis ad Saul Regem Israel: Scidit, inquit, Dominus regnum Israel a te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Fodere vobis tentavit foveam, & incidit in eam. Vale. Ex Fonte bono die XIV. septembris MCDXCIX.*

Proditionis tristes fructus.

Excivisse illum inter alia flagitia Turcas in Italiam contra Venetos Petrus Barrocius episcopus Patavinus affirmavit de temporum horum iniquitate questus, cui Petrus Delphinus hæc rescripsit: *Memini te ante complures annos, sicut ex literis tuis patet, vaticinatum fuisse ruinam illius, cuius modo fecisti mentionem, qui amissa fere in momento temporis & in ictu oculi tyrannide, antequam vidisset hostem, ad alienos se proripuit, subditorum oppressio, exactiones immodicæ, pudor nullus, nulla religio, ita divinare de illo haud dubie suadebant, sed a Deo prostratus in interitum carnis forte erigendus est ad salutem, & mutandus in virum alterum, etenim sicut legimus non sinere nullo tempore peccatores agere ex sententia, sed statim ultionem adhibere magni beneficii est indicium, quamquam si ipse & alii cum eo, ut affirmas, concitaverunt Turcos adversus civitatem nostram dilui nisi ingenti pœnitentia & cruciatu tantum non poterit scelus, quomodo enim compensaturi sunt ii, qui se hujus rei fecerunt authores, tantam hominum stragem, raptus virginum, templorum eversiones, vastationes agrorum, villarum direptiones atque incendia? &c. Musoleci die XXIX. octobris MCDXCIX.* XIX.

De inopina victoria factus certior Ludovicus Francorum Rex Lugduno Mediolanum provolavit, atque a civibus exceptus (b) est magnificentissima pompa, quam describit Nauclerus rerum hujus temporis scriptor accuratissimus (c): *Nullo*, inquit, *resistente, & sine sanguine Rex Mediolanum accepit, nam cum ex Bynasco exivit a Mediolano decem millibus passuum, nobiles cives, mercatores, universaque civitas effusa, usque ad tria milliaria illi obviam ibant. Præcesserunt eum quadraginta pueri, ut fertur auratis & sericis induti, palmas portantes in manibus, alii Regem magnum venire, alii libertatem patriæ adesse carminibus designantes, gestabant etiam vexillum magnum cum insignibus Francorum, habitaque est elegans oratio a puero concludens Regem ipsum non minus eos, quam parentes eorum a libidine & furore tyranni liberasse. Sequebantur quingenti juvenes amictis pretiosissimis ornatibus, quos sequebantur viginti quatuor senes aureis vestibus insignes senatorum more, urbis claves ex auro solido Regi præsentantes. Post illos triginta utriusque juris doctores gestantes pallium aureum, sub quo Rex Mediolanum ingressus est, post hos multitudo magna nobilium & mercatorum. Præcessit clerus & religiosi cum reliquiis. Sequebantur Regem Cardinalis de Borgia sedis Apostolicæ legatus, Cardinalis S. Petri* XX.

(b) *Burchar. eod. l.* 3.
(c) *Naucl. vol.* 2. *gen.* 50.

Rex Gallor. splendide a Mediolanen. acceptus.

*tri, Cardinalis Rothomagensis, dux Sabaudiæ, Valentiæ & Ferrariæ duces, Mantuæ & Montisferrati Marchiones, Venetorum & Genuensium oratores, & Rex ipse ad arcem deductus est.*

XXI. Quod ad Genuenses attinet; ubi Gallum Mediolano potitum percrebuit, communi consilio victoris potestati se permittere, ut domesticas tollerent simultates, constituerant (*a*), quantumvis Augustinus & Joannes Adurnius, ut pristinam dignitatem, qua floruerant in republica, retinere anniterentur; sed votis delusi urbe excesserunt. Delecti itaque fuerunt viginti quatuor cives fide, rerumque gerendarum usu spectatissimi, qui legationem hanc apud Regem obirent: *Admissi*, inquit Bizarrus (*b*), *in colloquium, & ab eo quam humanissime excepti æquis conditionibus, atque pactis reipublicæ summam ei hac lege & conditione publico nomine tradidere, ut nempe conservatis pristinis immunitatibus aliisque statutis & privilegiis hactenus ab exteris principibus conservari solitis, Rex urbi præfectos daret, quorum fide, justitia, atque prudentia reipublicæ salus atque dignitas contineretur*: Obstrinxisse hosce jurejurando vigesima sexta octobris die Ligures, ipsos Ludovico Regi fidos & obsequentes fore Justinianus refert (*c*), cum biduo ante duo ex oratoribus Genuensibus, dum fenestræ incumberent miserabili humanæ fragilitatis exemplo, præcipites in terram allisi expirassent. Missus vero a Gallo Rege Genuam Philippus Clivensis ducis frater regius affiois reipublicæ gubernacula tenuit. Nec minori celeritate Veneti, quorum res in oriente Ludovici ducis Mediolanensis hortatu in Peloponeso & Istria a Bajazethe Turcarum Imperatore vehementer atterebatur, in Cremonensi agro bellum confecere, Periliensium enim comite duce, & Antonio Mauroceno, ac Melchiore Trivisano legatis, quid quid circa Abduam est Cremonamque ex percusso cum Gallis fœdere suæ ditioni subjecerunt (*d*). His addit Sabellicus (*e*): *Et Sfortiani per hæc nobilissimo principatu exciderunt anno millesimo salutis atque undequingentesimo, qui quinquagesimus fuit ab eo, quo Franciscus Sfortia Ludovici pater fuerat Mediolano potitus.*

(*a*) *Bizar. hist. Gen. l. 17. Aug. Just. l. 5. Foliet. l. 12.*

Genuenses in ejusdem ditionem se conferunt.

(*b*) *Bizar. ubi sup.*

Funestus Genuens. oratorum casus.

(*c*) *Aug. Just. ubi sup.*

Cremona & agro cis Adduam potiti Veneti.

(*d*) *Burc. l. 3. p. 588. Sabell. enn. 10. l. 9. Ferron. l. 3.*

(*e*) *Id. ib.*

XXII. Eversis ita Sfortianis bellum Riariis est illatum; Alexander enim legum acerbitate usus in fiduciarios principes, qui officii obliti annua vectigalia pontificio ærario non intulerant honore dejecit eos, ut testatur Burchardus (*f*): *His diebus*, nempe medio circiter octobri, *sanctissimus dominus noster facta causa, quod domini seu vicarii Ariminenses, Pisaurienses, Imolenses, Faventinenses, & dux feudatarii ecclesiæ Romanæ censum sibi & cameræ apostolicæ annuatim debitum non persolverant, authoritate apostolica, non tamen consistorialiter privavit eos, & declaravit privatos. Præterea communitas Mediolanensis mutuavit cameræ apostolicæ XLV. millia ducatorum eisdem diebus pro coadunandis gentibus armorum ad intrandum manu forti civitates prædictas & eorum loca. Recepit hujusmodi pecunias nomine Romanæ ecclesiæ dominus Cæsar Borgia dum Valentinus filius Papæ, capitaneus gentium prædictarum, & pro earum restitutione obligarunt se communitati Mediolanensi prædictæ reverendissimi domini Cardinales de Borgia legatus de latere & S. Petri ad vincula.*

(*f*) *Burchar. eod. l. 3. p. 590.*

Proceres fiduciarii ob non solutum vectigal exauctorati ab Alex.

XXIII. Fulta (*g*) erat jure pontificia causa, verum non Romanæ ecclesiæ dignitatem ac jura asserere studuit Alexander, sed spuriorum opes amplitudinemque augere, inque ipsos ejusdem ecclesiæ principatus derivare nitebatur, nam & Lucretiæ filiæ spuriæ Spoletum tradidit (*h*), & Riariis Sixti IV. pronepotibus jure exutis, longe turpius ecclesiasticarum urbium imperium in Cæsarem Borgiam transtulit, utque cum Francorum Rege convenerat, ab eo flagitavit, ut regias copias Borgiæ qui cum ipso e Galliis venerat, traderet, ut juncto ecclesiastico exercitu Æmiliæ tyrannos exturbaret. Obsecutus est Alexandri votis Rex, ac Riarii gravi bello a Borgia oppressi sunt, ut memorat Burchardus hisce verbis (*i*): *Feria secunda* XVIII. *novembris dominus Cæsar Borgia de Aragonia dux Valentinus filius Papæ, olim Cardinalis Valentinus*, & infra, *secrete rediit ad urbem ad palatium Papæ, cum quo mansit usque ad diem Jovis* XXI. *dicti mensis, qui in mane recessit etiam secrete, associatus tamen a gentibus Papæ. Equitavit versus Imolam, quam parum post violenter sibi subegit cum castro, & filios quondam domini Hieronymi comitis nepotes reverendissimi domini Cardinalis Georgii ejusdem civitatis dominos violenter spoliavit.*

(*g*) *Sabel. enn. 10. l. 9.*

Ecclesiæ principatus in Spurios confert Alex.

(*h*) *Burch. l. 3.*

Exuit iis pronepotes Sixti IV.

Galli cum eo jungunt arma.

(*i*) *Id. ib. p. 601. Sebast. Pradiar. ms. arch. Vat. sig. n. 111. Sabell. enn. 10. l. 9. Guicc. l. 4 Panvin. in Alex. VI.*

Imola subacta a Cæsare Borgia.

XXIV. Extractum est in annum sequentem hoc bellum, quo flagrante venenum Alexandro per literas nomine Foroliviensium exaratas paratum fuisse, refert idem Burchardus (*k*), ut Catharina Sfortianæ gentis, comitis Hieronymi olim uxor, bello a duce Valentino illato liberaretur; sed fraudem patefactam. Quibus consentiunt Petri Delphini literæ (*l*), quæ facinus egregie vindicatum addunt: *Scripsisti mihi*, Marianum Cuccinum procuratorem alloquitur, *ante complures dies delatas fuisse ad Pontificem nomine comitissæ literas*

Parato sibi veneno Alex. liberatur.

(*k*) *Burch. l. 3.*

(*l*) *Pet. Del. l. 6. ep. 22.*

*vene-*

*veneno infectas, ut contactu illarum necaretur, deprehensum tamen fuisse a prudentibus facinus, tentosque latores, & confessos scelus, cujus erant conscii, conjectos fuisse in vincula, ut ultimum paulo post de iis supplicium sumeretur. Juste id quidem, qui enim fodit foveam incidit in eam, sed non fuit satis quod Pontifex in nomine Domini ultus fuerit in eos, qui ministri fuerunt sceleris, nisi etiam novissime diebus istis de authore ipsius severius se vindicasset. Allatus est heri huc nuntius, captam fuisse illam ab exercitu Francorum, qui Pontificis nomine urbem ejus obsederant, venisseque in hostium potestatem: ausa mittere manum in Christum Domini, cedere tandem coacta est justo Dei judicio, qui vicarii sui injuriam minime inultam tulit, & licet rari exempli flagitium admiserit, non multum tamen miror, dicente sacro eloquio: Brevis est omnis malitia super malitiam mulierum, &c. Vale. Florentiæ die xv. januarii MD.*

Authores sceleris pœnas dant.

Inter hæc Ludovicus Francorum Rex mense decembri, tradita Joanni Jacobo Trivultio Mediolanensis ducatus præfectura, in Galliam intempestive recessit, (a) cum nondum Insubriæ res composuisset, secumque Joannis Galeatii olim ducis, quem Ludovicus Maurus veneno sustulisse fama erat, filium, & principatus heredem secum in Gallias duxit, ac vitæ monasticæ institutis constrinxit. Ut vero ingentes mox a Francorum Regis discessu secutæ sint rerum conversiones, cum Trivultius, qui graves cum pluribus Mediolanensibus simultates gerebat, nec non Galli civium animos exasperassent, proximo anno dicetur.

Gall. Regis discessus in Gallias.

(a) *Feron. l.3. Guicc l.4. & alii.*

XXV. Appetente eodem sæculari anno Alexander Papa prædecessorum pio instituto literas apostolicas de proposita amplissima noxarum venia iis, qui limina Apostolorum decretis diebus religiose lustrarent, ritu solemni promulgavit, ut refert Burchardus. Præcipua vero diplomatis pars concepta est hisce verbis (b).

(b) *Burch. eod. l.3.p. 608.*

*Alexander episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.*

Pervigilio natalis Domini inchoatus.

*Authoritate apostolica & en certa scientia tenore præsentium omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus per universum orbem constitutis annunciamus & declaramus, ipsum annum jubilei in vigilia nativitatis ejusdem domini nostri Jesu Christi proxime ventura inchoare, quo tempore portam dictæ basilicæ B. Petri centesimo quoque anno Jubilei pro majori fidelium devotione aperiri solitam astantibus venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium collegio, & maxima prælatorum, cleri & populi multitudine propriis manibus aperiemus faciemusque aperire alias basilicæ S. Pauli ac Lateranensis, & B. Mariæ Majoris de dicta urbe ecclesiarum, portas etiam de more anno jubilei aperiri consuetas, & pro consequenda ipsa plenissima indulgentia basilicas eorundem Apostolorum Petri & Pauli, ac Lateranensem, B. Mariæ majoris ecclesias, illarumque majora altaria hujusmodi per Romanos & in dicta urbe commorantes & residentes triginta, per peregrinos vero & forenses quindecim diebus continuis seu interpolatis semel in die visitare debere, omnes & singulas plenissimas indulgentias per dictos prædecessores dicto anno jubilei basilicas & ecclesias prædictas visitantibus concessas de novo pro conscientiarum eorundem fidelium majori securitate, ac potiori cautela authoritate & scientia similibus approbantes, concedentes, & innovantes, adicientes quoque, ut ii, qui pro consequenda indulgentia hujusmodi iter arreptum, vel post præparationem ad veniendum ad dictam urbem dicto anno jubilei per eos factam fuerint legitime impediti, quo minus ad dictam urbem valeant pervenire, aut præpediti in loco, in quo tunc fuerint, & venientes in via, vel tam ipsi si ad prædictam urbem quam Romani & alii residentes & commorantes ac forenses prædicti dierum prætaxato numero non completo in dicta urbe decesserint, vere pœnitentes & confessi, eandem plenissimam indulgentiam omnimo consequantur.*

Quis dierum numerus pro lustrandis ecclesiis sancitus.

XXVI. *Et ut omnes Christifideles ejusdem plenissimæ indulgentiæ facilius capaces Deo propitio efficiantur, habeantque, ad quos in casibus nobis & sedi Apostolicæ reservatis, si in illos inciderint, recurrere possint deputavimus in dicta basilica S. Petri pœnitentiarios, quibus eos in dictis casibus reservatis absolvendi plenam & liberam pro majori Christifidelium, qui ad nos non ita de facili recurrere possent, commoditate & animarum suarum salute per alias nostras literas, prout in illis latius continetur, concessimus facultatem. Et ut animarum salus eo tempore potius procuretur, quo magis aliorum egent suffragiis, & quo minus sibi ipsis proficere valent, authoritate apostolica de thesauro S. R. E. animabus in purgatorio existentibus, quæ per charitatem ab hac luce Christo unitæ decesserunt, & quæ dum viverent, ut sibi hujusmodi indulgentiæ suffragarentur meruerunt, paterno affectu, quantum cum Deo possumus, succurrere cupientes, de divina misericordia, ac potestatis apostolicæ plenitudine volumus & concedimus ut, si qui parentes, amici, aut cæteri Christifideles pietate commoti pro ipsis animabus, purgatorio igni pro expiatione pœnarum eisdem se-*

*ſecundum divinam juſtitiam debitarum expoſitis, dicto jubilei anno durante pro reparatione baſilicæ prædictæ S. Petri aliquam eleemoſynam juxta dictorum pœnitentiariorum vel alicujus eorum ordinationem dictas baſilicas & eccleſias modo præmiſſo devote viſitando in capſa in eadem baſilica S. Petri deputata poſuerint, ipſa plenisſima indulgentia per modum ſuffragii ipſis animabus in purgatorio exiſtentibus, pro quibus dictam eleemoſynam pie erogaverint, pro plenaria pœnarum relaxatione ſuffragetur.*

Data poteſtas applicandæ mortuis indulgentiæ.

XXVII. *Præparent ergo omnes Chriſtifideles corda ſua Domino, & mores in melius commutare conentur, a malefactis abſtineant, ſatisfaciant Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis ſpiritum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis & peregrinationibus, ut baſilicas & eccleſias prædictas, in quibus ſane mille & fere innumerabilia una cum ipſis glorioſiſſimis Apoſtolis Petro & Paulo requieſcunt, qui mortem pro Chriſti nomine perpeſſi ejus conſpectui ſemper aſſiſtunt, devote viſitantes & confeſſi, ipſos glorioſiſſimos Apoſtolos & ſanctos interceſſores ad Dominum habere & pleniſſimam indulgentiam hujuſmodi & reconciliationem cum ipſo piiſſimo Redemptore noſtro per divinam miſericordiam, & eorundem Apoſtolorum & ſanctorum precibus & meritis, per quæ eorum bona conſequi mereantur. Amen. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ MCDXCIX. XIII. kal. januarii pontificatus noſtri anno VIII.*

XXVIII. (a) Burch. l.3. p. 207. Deſcribit idem Burchardus (*a*) varios ritus ſacros, qui in indicendo anno jubileo ſervati fuere, tum ſacrarum precum, quæ in pandenda aurea baſilicæ S. Petri porta repetitæ fuerunt formulas refert, additque inſtruxiſſe Alexandrum authoritate pœnitentiarios ut Chriſtifideles a contractis noxis, nonnullis exceptis caſibus, expiarent: *Conceſſit* inquit, (*b*) *undecim pœnitentiariis ordinariis ejuſdem baſilicæ componendi ſuper male ablatis incertis, & eleemoſynis pro animabus in purgatorio exiſtentibus liberandis, ac abſolvendis in omnibus caſibus, etiam ſanctitati ſuæ & ſedi Apoſtolicæ in genere vel in ſpecie reſervatis, exceptis quatuor dumtaxat, videlicet conſpiratione in perſonam vel ſtatus ſummi Pontificis, aut Romanæ eccleſiæ, falſificatione literarum apoſtolicarum, ſupplicationum, & commiſſionum, delatione armorum & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, injectione manuum violentarum in epiſcopos & alios prælatos ſuperiores.*

(b) Id. ib. p.606. Sacerdotes pro expiandis noxis ampliſſima donati authoritate.

XXIX. Imperaſſe præterea Alexandrum, ut nullus Cardinalis jubileo anno abeſſet ab urbe, refert Petrus Delphinus (*c*) in literis ad Franciſcum Cardinalem Senenſem datis, quibus pontificium conſilium commendat: *Non improbo Pontificis conſilium, quod fluctuante Italia, & ſurgente nunc gente contra gentem, & regno adverſus regnum, apud ſe patres detineat ſapientia præditos, cum quibus frequentiore coeunte ſenatu cogitationes ſuas communicet, & eorum ſententiis nitatur in emergentibus rebus arduis, qui velint & ſciant opportuno tempore prudentiſſime conſulere, ſalus enim eſt ubi multa conſilia, atque utinam ejuſmodi futura ſint, ut non ſolum Romanæ eccleſiæ, verum etiam omni Chriſtianæ reipublicæ profutura experiamur. Inſtat annus centeſimus, qui etiam quinquageſimus eſt, annus utique jubileus, annus remiſſionis, quem ſanctificari præceperat Dominus, ut requieſcerent cuncti habitatores terræ, & nulla alicubi apparet quies. Commota eſt & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt, quoniam iratus eſt eis. Niſi placatus cito fueris, & ad concordiam diffidentes atque ad cor redire prævaricatores juſſerit, cum ſit in manu ejus poteſtas & imperium, non modo requietionis annus futurus non erit, verum ſummæ confuſionis, terroriſque. Hinc a Turcis, illinc a Gallis circumventi Italiæ principes gravi bello implicandi ſunt, nec ſinendi per otium vitam ducere. Erudire forte nos vult per contraria Deus, &, ne otio torpeamus, otii vitia negotio & fatigatione diſcutere pergit. Dignetur tantummodo munire patientia imbecillitatem noſtram, ut difficultatibus, quæ ſe undique nobis obiiciunt, fortiter obluctemur, nec cedamus malis, &c. Vale. Ex Camaldulo die x. auguſti MCCCCXCIX.*

(c) Petr. Del. l.6. ep.1.

XXX. Facta eſt hoc anno maxima Bohemorum ad Romanam eccleſiam acceſſio, ſolutiſque cenſuris, quæ a Paulo II. latæ fuerant, Pragenſis eccleſiæ ſacerdotibus ampliſſima poteſtas data eſt (*d*) ab Alexandro, ut redeuntes ad ſinum eccleſiæ Huſſitas exciperent.

(d) Lib. bull.54. p. 262.

*Dilectis filiis decano & capitulo eccleſiæ Pragenſis.*

*Devotionum veſtrarum exigentibus meritis inducimur, ut votis veſtris, in his præſertim, per quæ Chriſtianæ & catholicæ fidei propagationem & propugnationem eccleſiarum quarumlibet pro tempore recreandarum, ne diutinæ vacationis incommoda ſuſtineant proviſionem ipſarum, quam bonorum conſervationem pertinere conſpicimus, favorabiliter annuimus, atque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte veſtra pe-*

*titio continebat, quod cum olim in civitate, diœcesi & provincia Pragensi, & fere toto Bohemiæ regno quædam hæreticorum perversa rabies Christifidelibus plurimum infesta invelesceret, & ecclesia Pragensis, quæ inibi sedes metropolitica extitit, præmissis causantibus pastoris solatio destituta foret, prout adhuc fore dignoscitur, felicis recordationis Paulus Papa II. prædecessor noster ad hujusmodi hæreticorum rabiem comprimendam, immo a dicto regno extirpandam inter alia tunc per ipsum Paulum prædecessorem adhibita remedia ecclesias, capellas, monasteria, & alia loca, ad quæ dictos hæreticos pro tempore declinare contingeret, ecclesiastico supposuit interdicto, cumque ipsi hæretici ex admissione & observatione a Christifidelibus in dicto regno commorantibus interdicti hujusmodi occasione assumpta multa ex ecclesiis, capellis, monasteriis, & aliis Deo dicatis locis incenderent, & profanarent, immo (quod amarius dolendum erat) rectoribus, presbyteris, & ministris ecclesiarum & monasteriorum hujusmodi partim necatis, & partim turpiter profligatis ferro igneque consumerent, destruerent, & solo æquarent, ac infinita mala Christifidelibus inferrent, bonæ memoriæ Rodulphus tunc episcopus Wratislaviensis ad partes illas per sententias, censuras, & pœnas per eundem Paulum prædecessorem contra eosdem hæreticos præmissorum occasione latis & promulgatis executioni demandandis cum plena potestate ab eodem Paulo prædicto legatus de latere missus, de licentia ejusdem Pauli primo, & deinde recolendæ memoriæ Sixtus IV. etiam prædecessor noster provide attendentes, quod illud, quod in præmissis statutum erat ad remedium, tendebat ad noxam, omnibus & singulis presbyteris & clericis ejusdem regni, ut ipsi hujusmodi eorum ecclesiis, capellis, & monasteriis etiam in præsentia dictorum hæreticorum dummodo illos sine periculo evitare non possent, divina officia publice celebrarent, ipsisque Christifidelibus ecclesiastica sacramenta ministrarent, ad certa tunc expressa, jam forsan effluxa, tempora respective concesserunt, & cum illis quoad hoc dispensarunt, idemque Sixtus prædecessor noster interdictum, ut præmittitur, in ecclesiis, capellis, monasteriis, & aliis locis prædictis appositum ad certum tempus, & deinde usque ad beneplacitum suum suspendit, & alias gratias concesserunt, & indulserunt, prout in literis apostolicis in forma brevis etiam sub plumbo expeditis, & aliis documentis desuper confectis plenius dicitur contineri. Cumque ut experientia docuisse asseritur, atrocitas & inhumanitas dictorum hæreticorum, qui licet antea in catholicorum sanguinem sævierint, ac desolationibus & ruinis ecclesiarum catholicarum incubuerint, ex hujusmodi eis per sedem Apostolicam exhibita clementia, Deo cooperante, non solum mitigata, sed etiam adeo reducta sit, ut plures ex ipsis hæreticis recepta pœnitentia ad unitatem fidei reversi sint, ac ecclesiæ, capellæ, & monasteria destructa prædicta passim ab ipsis Christifidelibus restaurari & reformari permiserint & permittant, immo ad illa reformanda & restauranda de eorum propriis bonis contribuerint & contribuant, sitque spes non vana, quod si dictæ sedis Apostolicæ clementia illis de novo, quatenus dispensatio prædicta cessaret, & interdictum hujusmodi ad beneplacitum, ut præfertur, relaxatum, revocatum, seu expiratum fuisset, de novo concederetur & relaxaretur, ac ipsi hæretici cum hujusmodi & aliis sedis ejusdem benignitate prosequerentur dicta hæresis tempore procedente paulatim decresceret, & fides catholica ibidem feliciter propagaretur, quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur, nos, qui hæreticorum hujusmodi rabiem exstirpare, & illorum animas lucrari facere, & Christi fidem ubique vigere nostris maxime temporibus intensis desideramus affectibus, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium consilio pariter & assensu, vos decanum & capitulum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati estis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes vestris hujusmodi supplicationibus, nec non consideratione charissimi in Christo filii nostri Wladislai Hungariæ & Bohemiæ regnorum Regis illustris pro vobis nobis super hoc humiliter supplicantis inclinati, interdictum prædictum ad nostrum beneplacitum & ultra usque ad quatuor menses auctoritate apostolica tenore præsentium de novo suspendimus, vobisque decano & capitulo præfatis, ut vos per aliquem clericum catholicum & Deum timentem, quem inter vos pro tempore ad hoc duxeritis eligendum, usque quo dictæ ecclesiæ Pragensi de pastore provisum fuerit, bona omnia & jura ipsius ecclesiæ, etiam in his, quæ jurisdictionis archiepiscopalis existunt, in spiritualibus & temporalibus in concernentibus civitatem & diœcesim Pragensem tantum administrare, dignitates & beneficia quæcumque civitatis & diœcesis prædicta-*

Cur Bohemia a Paulo II. fuerit interdicta.

Inde hæretici majori licentia grassati in catholicos.

Solutum a Sixto IV. interdictum ad tempus.

Reversi ad Ecclesiam Hussitæ.

Ecclesias instaurare pollicentur.

Censuræ ab Alex. rescissæ.

*dictarum pro tempore vacantia, in quibus catholici tantum, vel permixtim catholici cum hæreticis, & non ubi soli hæretici degunt seu habitant, clericis catholicis tantum & idoneis conferre, & de illis providere eosdem, beneficiorum vero, in & sub quibus hæretici tantum consistunt, bona & jura, sicuti bona dictæ ecclesiæ cathedralis Pragensis gubernare, nec non calicem & patenas consecrare, corporalia & alia paramenta ecclesiastica benedicere, insuper hæreticos & schismaticos ad unitatem fidei redire volentes post abjuratam per eos publice hæresim recipere, & reconciliare, & alios quoscumque, qui dictum interdictum violassent, aut cum dictis hæreticis quovis modo communicando, excommunicationis sententiam incurrissent, absolvere & gremio sanctæ matris Ecclesiæ restituere, ipsisque pro præmissis pœnitentiam injungere salutarem, & nihilominus vobis decano & capitulo, nec non omnibus & singulis totius regni prædicti catholicis, presbyteris, ac clericis, ut in omnibus & singulis vestris catholicis ecclesiis, monasteriis, & capellis, etiam præsentibus dictis hæreticis, dummodo eos sine periculo evitare aliter vobis non permittatur, divina officia publice celebrare, & ipsis Christifidelibus sacramenta ecclesiastica ministrare libere & licite possitis & valeatis licentiam, facultatem, & omnimodam potestatem eadem authoritate apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus. Volumus autem quod præsens indultum quoad alia quam ad suspensionem interdicti prædictam, post tres annos a data præsentium computando nullius sit valoris vel momenti, sed eo ipso cessasse dignoscatur, non obstantibus præmissis, nec non provincialibus & synodalibus editis constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac dictæ ecclesiæ Pragensis juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno MCDXCIX. octavo idus junii pontificatus nostri anno* VII. Refloruit religio in Bohemia, ac pauci in impietate obduruere, quos aliquot post annis ab Wladislao Rege exagitatos & in vincula conjectos fuisse suo loco dicetur.

Reconciliandi hæreticos potestas data.

XXXI. Hoc anno Marsilius Ficinus pie obiit relictis (a) pluribus ingenii & doctrinæ monumentis, ac post mortem Michaelem Mercatum Miniatensem philosophum Platonicum edocuit (b) vera esse, quæ de animarum e corpore exeuntium immortalitate ex Platonicis placitis & fide Christiana antea post doctam disputationem concluserant: cum enim junctis dextris pepigissent uter prior e vivis excessisset (si ita Deo placeret) alterum de alterius vitæ statu redderet certiorem, contigit ut haud ita multo post Marsilius Florentiæ moreretur, ac dum summo mane Michael Mercatus philosophicis studiis operam dabat, ex inopinato sensit strepitum currentis equi, atque ad ostium domus cursum inhibentis, tum vocem Marsilii clamantis inaudiit: *O Michael, o Michael, vera vera sunt illa.* Ad vocem amici assurgens Michael fenestram aperuit, ac Marsilium candidatum vectum equo candido, aufugientemque a tergo conspexit, quem frustra clamoribus & oculis prosecutus est, donec ex oculis evanesceret: cumque deinde comperisset Marsilium eadem hora defunctum, relictis humanæ philosophiæ studiis, Christianam philosophiam mire coluit.

(a) *Bellarm. de script. eccl.*
(b) *Baron. to.5. annal. ecclef.* 411. *n.*68.

Marsilius Ficinus post mortem amico apparet.

Confirmat quæ docuerat de animæ immortalitate.

XXII. Hoc anno patefactis, ut dictum est, Indiis rediit Olissipponem Vascus Gamma (c) potiori jure Africani & Indici gloriosa nomina ob munitum ad orientales Æthiopas & Indos evangelio iter relaturus, quam veteres Imperatores cæsarum oppressarumve gentium nomina sibi indiderunt. Ubi vero Indicas res, piper, caryophillos, cinnamomum, crocum, gemmasque explicuit (d), vulgus obstupescens laudibus maximis cumulavit Emmanuelem Lusitaniæ Regem, cujus auspiciis tantæ opes inveherentur, tamque vasta imperia patefierent. At ille uti pius Rex atque catholicus, spretis humanis laudibus, gloriam omnem Deo ascripsit, non tam opes, quas per tot pericula, per tot varia climata, per torrentes æstus, per intolerabilia frigora, per famem, sitim, novamque luem, per tria & eo amplius leucarum confecta millia, per tot cum barbaris Regibus fraudulenta commercia quæri indignum erat, cum ipsorum quærentium funeribus lugubres essent (quippe ait Osorius (e): *Centum & quadraginta & octo profecti cum Gamma fuerant, quinque & quinquaginta tantum reversi sunt, & hi maxima ex parte labore & invaletudine debilitati*) quam animarum innumerabilium Christo lucrandarum immensa compendia contemplatus Rex, gratias egit divinæ providentiæ, quæ illum veluti idoneum instrumentum, quo novi orbis panderentur portæ ad evangelium tot barbaris nationibus, quæ in fallacium turpissimorumque errorum tenebris etiam tum infeliciter jacuerant, inferendum, easque ex dæmonum servitute in Christi libertatem vindicandas delegisset. Ut itaque plures secum agendis Deo pro tanto beneficio gratiis socios nancisceretur, omnem Lusitaniæ clerum populumque scriptis

(c) *Barof. l.4. c.11.*
India a Vasco Gamma patefacta.
(d) *L.5. c.1.*
(e) *Osor. lib....*

(a) Maff. l. 2.

Celebrati a Lusitanis sacri triumphi. Henrico principi militaris statua erecta.

ptis literis hortatus est, ut solemnes supplicationes instructo religioso agmine decernerent, divinasque laudes celebrarent; tum magnificentissimum Virginis nomini consecrandum templum construxit, quibus de rebus hæc tradit Maffeus (a): *Patefacta jam India, & incognita ad eam diem navigationis ratione utcumque comperta, primum omnium Emmanuel toto regno supplicationes indixit. Populi circa præcipua templa frequentes iere, dein Mariæ virgini ejus navigationis præsidi extructam olim ab Henrico principe ædiculam in ipso aditu portus Ulyssiponensis miram in amplitudinem extulit auxitque, ac loco in primis illustri, ut ab omnibus conspici posset, ipsius Henrici militarem statuam collocavit. Ad ejus templi custodiam & ceremonias, & navalis præsertim turbæ, ducumque animos rite expiandos eximia sanctitate monachi acciti ex Jeronymitana familia, quam Rex præcipua benivolentia ac veneratione prosequebatur. Locus desumpto a Christi incunabulis nomine Bethleem dictus, in primis totius Hispaniæ tum structura, tum religione visendus.* Fuerat Henricus regiæ Lusitanæ princeps, uti diximus suo loco, patefaciendi orbis incogniti primus author (b), tantique operis præsidem ac tutelarem Deiparam acceperat, cujus administros equites Jesu Christi religiosæ militiæ, cui ipse præfuit, esse voluerat, atque adeo patefacta India Emmanuel ejusdem militiæ princeps B. Virgini novi orbis Christo conquirendi tutelari, eas primitias persolvit.

(b) Barros. l. 4. c. ult.

Auspiciis Virginis relatus honos.

Pandi-

I. PAnditur annus jubileus quingentesimus supra millesimum indictione tertia, quo ingentes populorum ex omnibus Christiani orbis regnis ac provinciis concursus ad lustranda Apostolorum limina, visendaque urbis magistræ veritatis & religionis arcis, loca sanctorum martyrum cruore consecrata, pietatis studio facti fuerunt (*a*): verum ob Turcicas clades & Italica bella, quibus plurimus Christianus sanguis fusus, & peregrini religiosi gravissimis incommodis affecti iter difficile extitit. Describit pluribus Joannes Burchardus quo ritu porta aurea basilicæ S. Petri ab Alexandro aperta, ac deinde vertente anno clausa fuerit, precationumque formulas, quibus sacrata est, adducit. Meminere autem de ingenti mortalium linguis dissonorum in urbem religionis causa concursu non Itali modo, verum Galli, Hispani, Angli, Germani, Poloni scriptores (*b*). Ex multis suffecerit Petri Delphini (*c*) hæc ad Marianum Cucinum procuratorem scribentis testimonium afferre: *Confluere ad urbem copiosam populorum multitudinem tum eu aliis dudum, tum ea te modo cognovi; & gaudeo non deesse Christianæ religioni hoc devotarum ac piarum mentium testimonium, præsertim in tanto defectu fidei, ac bonorum morum depravatione: Reliqui mihi, ait Dominus, sepsem millia virorum, qui non curvaverunt genua sua ante Baal. Et alibi scriptura testatur: Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus. In sagena regni cœlorum ex omni genere piscium congregante comprehensos videmus bonos & malos. Sit benedictus Deus, qui in assertionem majestatis suæ, atque catholicæ fidei tantæ multitudinis adduxit testes, quique ad hæc usque tempora bonorum sibi semen ac reliquias haud quaquam exiguas reservavit, &c. Vale. Florentiæ die XXIV. januarii MD.*

(*a*) *Burch. ms. l. 3. Volat. l. 22. Guice. l. 4. Ferro. l. 3.*

(*b*) *Mich. l. 4. c. 79. Polyd. Virgil. l. 26. Paul. Lang. chro. Citiz. Trit. in chr. Spanh. Marian. l. 27. c. 7. & alii.*

Jubilæi anni celebritas.

(*c*) *Petr. Del. l. 6. ep. 26.*

II. Addunt authores missos ab Alexandro Pontifice in ea regna apostolicos internuntios quæstoresque, ut sacro beneficio eos, qui Romam commode venire non potuerant, afficerent, subsidiariumque aurum ad instruendos bellicos in Turcam apparatus cogerent iis, qui constitutum pro indulgentiis consequendis pretium persolverent. De bello Turcico dicetur inferius; subiicemus nunc eventum mirabilem, ex quo celeberrimo hujus anni die, nimirum recurrente festo Apostolorum Petri & Pauli, Pontifex, in extremum vitæ discrimen incidit, quod hisce verbis enarrat Burchardus (*d*) administer pontificius.

(*d*) *Burchar. p. 2. in Alex. VI. p. 83.*

III. Alexander cœlitus percussus.

*Eadem die*, nempe festo S. Petri, *post horam vesperorum circa vigesimam primam venit tempus valde turbidum cum magna pluvia & grandinibus grossis ad instar fabarum, & vehementissimo vento, ex cujus impetu cecidit maximum caminum multis cannis tectum super excedens, cujus casus fregit tectum, & cum tecto fregit duas trabes aulæ superioris pontificum, & illa omnia simul fregerunt unam trabem aulæ inferioris Pontificum, in qua Papa sedebat in sede eminenti, super quam quoddam pallium sive supercælum more consueto erat extensum. In aula superiori læsit, & interfecit tres personas, quæ simul cum ruina ciderunt in aulam inferiorem, quarum una statim mortua est, aliæ duæ personæ mortuæ sunt postea. Cum Papa erant soli reverendissimus dominus Cardinalis Capuanus, & Dominicus Gaspar Poto cubicularius secretus, qui videntes tempus adeo turbatum, & ventum frigidum cum pluvia per fenestras aulam ingredi, de commissione Papæ iverunt versus duas fenestras unus ad unam, alius ad aliam, ut eas clauderent, & viu erant in fenestris, & ecce ruinæ, saltarunt in fenestris, in quibus salvati sunt. Videntes autem ruinam Pontificis sedem circumdedisse, acclamarunt illi portam aulæ prædictæ custodientibus: El Papa è morto, el Papa è morto: de quo sine mora clamor venit ad urbem. Accesserunt quam primum ad sedem Papæ acclamantes: Pater sancte; Papa non respondit. Magis igitur timuerunt: approximantes autem se Papæ reperrerunt eum in sede sedentem non mortuum, sed totum attonitum, vulneratum in capite duobus ictibus, ab uno loco pellis erat aperta, in alio loco conquassatio & tumor, & in manu dextera in digitis medio & annulari valde graviter, & etiam parum cum uno clavo in brachio dextero. Extraxerunt eum de sede prædicta, & duxerunt eum cum suis pedibus ambulantem ad cameram proximiorem, ubi positus in sede bassa annuentibus suis domesticis adbibita sunt remedia opportuna, & renuntiatum est ad urbem Cardinalibus & aliis, Papæ periculum aliquod non imminere. Salus autem Papæ fuit, quod trabs illa ultima, quæ rupta est in medio habebat in capite clavos extra murum infixos, qui illam partem sedem Pontificis existentem a capite in muro fortiter tenuerunt, adeoque trabs ipsa mansit in muro, & ejus medium, quod ruptum erat declinavit in terram,*

Vulgatus temere rumor extinctum fuisse.

Admirando casu servatus Alexander.

*& sa-*

*& factum est Papæ defensorium, ita quod omnia declinarent ad medium, & non versus Papam.*

IV. Curatis tamen vulneribus, confirmataque valetudine gratias ritu solemni Deo egit, ac B. Virginis ope tanto se liberatum periculo ratus, templum illius nomini consecratum adiit, ac sacra donaria, nimirum calicem aureis nummis refertum principi altari lætus obtulit, ut narrat Burchardus (*a*), qui servatos in ea celebritate ritus fuse describit. Instauratus (*b*) etiam tum ab eo pius mos a Callisto III. institutus, ut meridie campanæ pulsarentur, quo fideles ad precationem dominicam, & salutationem angelicam repetendas excitarentur, ut divinum Numen suis adversus Turcas præsidio esset.

(*a*) *Burch. ib. p. 87.*
(*b*) *Burchar. in diar. ms. par. 3.*

Instauratus pius mos de oratione angelica meridie repetenda.

V. Inhiabant illi reliquiis Græciæ, atque, ut supra indicavimus, & Turcogræcæ historiæ author (*c*) observat, Bajazethes solutus metu post Zizimi mortem Venetos bello petierat. Cum vero Pontifex Venetam causam tueretur, ac Reges Christianos se fœdere conjuncturum in Turcas minitaretur, Bajazethes ipse terreri visus est, ac de pace actionem instituit, siquidem illius oratorem vigesima quarta februarii ab oratore Veneto ad Alexandrum adductum memorat Burchardus (*d*), additque proximo mense Regum & principum oratores in sacrum senatum vocatos ab Alexandro, ut optima pro decernenda conficiendaque in Turcas expeditione consilia agitaret (*e*): *Feria*, inquit, *quarta undecima mensis martii fuit consistorium secretum, ad quod vocati sunt omnes oratores Regum & principum in urbe existentes. Interfuerunt episcopus Segoviensis & Philibertus oratores Regis Romanorum, episcopus Trecorensis orator Regis Franciæ, episcopus Wigorniensis orator Regis Angliæ, oratores Regis Neapolitani, unus orator Regis Hispaniæ, oratores Venetorum, ducis Sabaudiæ, Florentinorum. Papa proposuit periculum, quod Christianis per Turcos comminatur, & quod scripsisset de mense octobris proxime præteriti Regibus, ac principibus Christianis quod mitterent mandata ad consulendum & providendum necessitati Christianæ, & cum nullus responderet, admonuit iterum ad idem. Audio fuisse responsum per unum convenire magis prius fieri pacem & concordiam inter principes Christianos, deinde rem Turcarum tractari. Audio etiam Papam præmissa ad instantiam Venetorum proposuisse pro eorum interesse particulari.*

(*c*) *Turcogr. hist. auct. l. 1.*
(*d*) *Burch. ubi sup.*
(*e*) *Id. ib. p. 32. Sur. to. 5. l. 3. c. 46.*

Principum oratores pro expeditione indicenda in Turcas convocati.

VI. Meminit de his conventibus Surita (*f*), in quibus ait, Alexandrum exposuisse Venetam rempublicam Christiani imperii antemurale propugnaculum esse, ad quod defendendum omnes Christiani concurrere deberent: sperare se Francorum Hispanorumque Reges, necnon Venetos mari bellum in Turcam suscepturos, terra vero Hungariæ & Poloniæ Reges crucesignata vexilla elaturos, quibus fœdere conjunctis decumas sacerdotales, aliaque apostolica beneficia largiretur: porro juri & rationi consentaneum esse, ut alii etiam Reges & principes, ejusdem fidei & spei consortes, subsidia pro belli Turcici sumptibus mitterent: hisce vero propositis Romanorum Regis oratorem copiosa oratione de egregio Maximiliani in rem Christianam studio, alacrique ac parato ad lacessendos Turcas animo disseruisse: flagrante autem Italia bello nil præclarum in eos geri posse, pacanda itaque prius Christianorum dissidia definiisse: Ludovici Francorum Regis oratorem apparata similiter oratione testatum esse, non revocandam in dubium optimam pro religione tuenda Christianissimi Regis mentem, cæterum nullis se ab eo pro spondendo auxiliari exercitu instructum mandatis fuisse: at Laurentium Suarem Figueroam Hispanum subiecisse decorum videri, ut Hispaniarum Regis orator rhetoricæ artis in eo conventu expertem se proderet, & candide affirmaret, Ferdinandum instruxisse jam in Turcam exercitum, amplissimaque dedisse mandata pro paciscendis omnibus in illum necessariis armorum opumque subsidiis, neque excutere, num bella Italica Bajazetem in arma adversus Christianos excitarent? deinde Friderici Neapolitani Regis oratorem graves querelas de Italicis motibus effudisse, deque novo terrore, quem Francorum Rex, occupato Siciliæ Regis titulo, iniiceret, nec Fridericum ipsum, dum ingruebat is metus, Turcica bella, sed idoneos tantum ad propugnandam Neapolim apparatus meditari posse: hoc silente, Venetum oratorem universas reipublicæ vires opesque pro Christiano imperio ad extremi spiritus luctam tuendo obtulisse, aliorum vero principum orotores ita communibus verbis officia exhibuisse, ut nullis tamen pactionibus fidem devincirent: tum vero Alexandrum Pontificem de Romanorum Francorumque Regibus conquestum esse, qui sacrum in Turcas bellum spernerent, nullaque de conjungendis auxiliaribus copiis promissa dedissent: mox in Fridericum Neapolitanum Regem acerbissime invectum, quod Bajazethis Turcarum Imperatoris oratorem magnificentissime excepisset, ac solemne cum eo fœdus sanxisset, denique in Ferdinandi, qui

(*f*) *Sur. annal. to. 5. l. 2. c. 46.*

Quæ fuerint in eo agitata.

Regum oratores splendida sed falsa pollicitt.

Veneti universas vires se collaturos in Turcam spondere. Pontificis justæ querelæ de Gallo & Germano & Neapolitano.

ser-

Difflata in ventos omnia consilia.

ferme solus debita veraque in sedem Apostolicam officia summa cum dignitate explicuisset, & catholici Regis nomen ornasset opere, laudes percurrisse. Itaque belli sacri consilia conseruere, nullusque appetente hujus anni vere a Christianis Regibus instructus est exercitus, cum Bajazethes formidandos terra marique apparatus bellicos fecisset.

VII. Extremo autem vere cum is in Peloponesiacas urbes Venetæ ditionis fulminaret, sustinendæque tanti belli moli impares essent Veneti, tunc ad subsidia conferenda edidit diploma Alexander (a), quo describit ingravescentem in Christianos barbaricam tyrannidem, Neopactum recenter Venetis ademptum, profanata Christiana sacra, fidelium sanguinem fusum, crudeles modo in Hungariam, modo in Poloniam, modo in Croatiam & Stiriam excursiones, impendensque imperio Christiano exitium, ad quod avertendum sacerdotalium vectigalium decumas imperavit hac de causa.

(a) Lib. ep. secr. p. 90. & etiam apud Burchar. par. 2. in Alex. VI. p. 59.

*Alexander episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.*

Turcarum in Christianos grassationes ingentes.

*Cum perfidissimi Turcæ Christi nominis hostes Christianum sanguinem sitientes, ac omni conatu Christianorum terras atque dominia suæ tyrannidi & spurcissimæ sectæ subjicere quærentes superiori & præsenti annis validissimam classem maritimam, maximumque terrestrem exercitum ad expugnandum statum, terras, atque dominia dilectorum filiorum nobilium virorum Augustini Barbarici ducis & dominii Venetorum instruxerint, diversasque incursiones civitatum effecerint, & multa millia animarum adduxerint, ac in miserabilem servitutem redegerint, villasque & loca plurima igne ferroque vastaverint, ac tandem Neopactum civitatem, aliaque oppida & loca maritima circumvicina munitissima vi & armis ceperint, Christianis omnibus etiam ecclesiasticis & religiosis utriusque sexus, etiam pontificali dignitate præditis, ac prægnantibus cum semivivis corpusculis inibi repertis crudelissime cæsis & interfectis, ac aliis in durissimam servitutem redactis, templis Salvatoris nostri pollutis & dirutis, ad suum malum & iniquum propositum continue ferventius prosequentes, & nil aliud die noctuque quærentes & excogitantes, quam omnium Christianorum dominia suæ tyrannidi & spurcissimæ sectæ subjicere, ac legem Christi nostri subvertere, denuo validiorem classem maritimam, majoremque terrestrem exercitum instruant, ac omnia maritima loca atque portus Christianorum occupent, pateatque eis deinde facilis ad Romanæ ecclesiæ terras, & præsertim ad hanc almam urbem nostram, in qua Petri sedes est collocata, & qua (quod Deus avertat) expugnata se totius orbis imperium facile occupare posse non dubitant accessus, & nisi celeriter occurratur, prout res expostulat, formidandum sit, ne ipsi perfidissimi Turcæ victoriæ superbia elati, videntes catholicos Reges & principes ac potentatus inter se diffidentes, privatis commodis intentos, commune bonum negligere, majora & irreparabilia damna inferant Christianis, prout ita superioribus annis & in diversis terris atque locis Germaniæ, Hungariæ, Poloniæ, Croatiæ, & aliis eis finitimis, ac charissimo in Christo filio nostro Maximiliano Romanorum Regi illustri subjectis inferre non cessarunt in maximam divinæ majestatis offensam, nostram & catholicorum Regum, & principum aliorumque Christifidelium ignominiosum dedecus & jacturam: nos illius vices gerentes in terris, qui pro mundi salute de summo cælorum solio ad ima descendens, carnem humanam assumere, & mortem subire non horruit, repetentes animo non sine maxima cordis amaritudine, quot sacratissimæ patriarchales, metropolitanæ, & cathedrales, aliæque insignes ecclesiæ pene innumeræ, ac utriusque sexus regularium personarum monasteria, cœnobia, & pia loca prophanata & deformi ruinæ subjecta, quotque ornamenta, cruces, & calices, aliaque divinis deputata ministeriis conflata & destructa ac )quod lamentabilius est) sanctorum veneranda corpora, & ipsorum sacræ reliquiæ conculcatæ, ac quot innumeri sexus utriusque Christifideles ad damnatam Mahometicam sectam sub dira servitute recipiendam compulsi fuerunt, & nisi per catholicos Reges & principes tantæ insaniæ tantoque furori celeriter occurratur, majora in dies detrimenta verisimiliter proventura, cupientesque pro ejusdem fidei defensione, & Christianorum salute non solum nostram & sedis Apostolicæ facultates nostræ dispositioni commissas exponere, sed personaliter (prout jam aliquibus catholicis Regibus & principibus per diversas nostras literas significavimus) si nobiscum accedere voluerint, una cum sacro venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium collegio, qui se etiam ad id pro eorum pia in Christianam religionem devotione sponte obtulerunt, in hac sacratissima & pernecessaria expeditione accedere, & proprium sanguinem, si opus fuerit, affundere.*

Affectatum ab iis Romæ imperium.

Decretum in Turcas Romanæ ecclesiæ nomine bellum.

VIII. *Et quoniam ad tantam rei molem perficiendam nostræ & ejusdem Romanæ ecclesiæ non suppetunt facultates, volentes pro viribus huic sanctissimo operi (ne alia domi-*

*minia, regna, provincias, civitates, & loca Christianorum ipsi perfidissimi Turcæ diripiant, ac sub tyrannide deducant, ac continuis bellorum turbinibus affligant) quantum nobis ex alto permittitur, votive intendere, matura desuper deliberatione præhabita, de eorundem Sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium consilio pariter & assensu, unam veram & integram decimam omnium & singulorum fructuum & proventuum secundum verum valorem annuum ecclesiarum, monasteriorum & aliorum beneficiorum suorum, & obventionum quarumlibet, etiam ratione capelli ad eosdem Cardinales sic volentes & consentientes provenientium per eos in Romana curia, nec non omnium provinciarum, civitatum, & terrarum ejusdem Romanæ ecclesiæ ac prædictæ urbis, & ejusdem Romanæ curiæ officiorum cujuscumque qualitatis, etiam vicecancellarii, majoris pœnitentiarii & camerarii, ac patriarchalium, metropolitanarum, cathedralium & aliarum ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, præposīturarum, præpositatuum, dignitatum, personatuum, administrationum, officiorum, canonicatuum, & præbendarum, aliorumque cum cura & sine cura beneficiorum ecclesiasticorum sæcularium, & etiam S. Benedicti,* & infra, *præceptoriarum & militiarum hujusmodi fructus, redditus & proventus ecclesiasticos ubilibet in dicto universo orbe percipientibus & percepturis, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant; etiam exemptis & quantocumque privilegiatis persolvendam, colligendam, levandam, & exigendam infra terminum per legatos, sive nuntios & collectores per nos super hoc deputandos, eisdem præfigendam in præmissum fidei tam commune, tam sanctum, tamque pernecessarium opus, videlicet contra ipsos perfidissimos Turcos, & non alios usus omnino convertendos, apostolica authoritate & ex certa nostra scientia tenore præsentium per triennium a data præsentium computandum imponimus. Et ut præmissa metu pœna ab omnibus inviolabiliter observentur, contradictores, inobedientes, & rebelles aut scienter fraudantes, & hujusmodi decimas integre non solventes, cujuscumque gradus, status, ordinis, & præeminentiæ ut præfertur fuerint, etiamsi patriarchali, archiepiscopali, aut quavis alia ecclesiastica præfulgeant dignitate, excommunicationis & privationis ecclesiarum, monasteriorum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum & officiorum omnium, ut supra qualificatorum, ita ut illa ex tunc vacare censeantur, & ut vacanti impetrari, & libera conferri possint, sententias & pœnas ipsas ipso facto incurrere declaramus, quibus sententiis venerabiles fratres nostri Cardinales prædicti huic sanctissimo operi una nobiscum toto cordis affectu intente, sponte scripti se submittere voluerunt; statuentes etiam, ut omnes & singulæ personæ, quæ ob non solutionem sive defraudationem decimarum, vel alias quacumque occasione præmissorum excommunicationis sententia innodatæ fuerint, ab illa nisi per Romanum Pontificem præterquam in mortis articulo constitutæ, & nisi prius satisfacto de his, quæ tenentur, absolvi nequeant,* & infra: *volentes quoque ac decernentes quod si, authore Domino, profligatis hostibus fidei victoriam Christianus exercitus consequeretur, & finis huic bello impositus esset, si in secundo vel tertio annis id esse contigerit, tunc ab eo tempore citra expeditione cessante decima hujusmodi amplius non levetur, nec exigatur. Circa vero collectionem & exactionem tam decimarum, quam pecuniarum quarumlibet, & aliorum bonorum undecumque & quomodocumque ad hoc sanctum opus provenientium, & modum illa expendendi per legatos sive nuntios & collectores prædictos sub conditionibus, modis, & formis ita curabitur, ut omnes & plane intelligere, & aperte videre possint pecunias hujusmodi integre in hanc salutarem expeditionem, & non in alios usus erogari, &c.* (Dantur præsulibus mandata ut in singulis diœcesium locis hanc sanctionem festis diebus etiam vulgari idiomate promulgandam curent.) *Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MD. kal. junii pontificatus nostri anno VIII.*

Ecclesiastici conferre sumptus in stipendium jussi.

Decumæ tantummodo in bello sacro absumendæ.

IX. Expositi etiam Turcici progressus in alio diplomate (a), quo imposuit Judæis omnibus, qui in Christiano imperio degerent, vigesimam bonorum & obventionum hanc ob causam: *Judæi quoque ab ea impositione immunes esse non debent cum inter Christianorum dominia constituti liberam ab eis ducere vitam, in ritibus suis persistere, divitias acquirere, multisque aliis privilegiis gaudere permittantur, & sese denique ex commodis Christianorum sustentare, ac liberos & eorum familias alere dignoscantur, ipsique Judæi [si Christianis pressura obvenerit, quod Deus pro sua clementia avertat] detrimentorum essent participes, & eorum periculo usi nostro, res ageretur. &c.* Ne minoris ordinis sacerdotes decumarum onus gravate ferrent, non immunes ab eo facti, ut sæpe alias Cardinales: extat enim apud prædictum Burchardum (b) subsidiariæ pecuniæ ab unoquoque Cardinalium pro rata censuum portione conferendæ indictio hisce concepta verbis;

(a) Ext. ib. p.68.

Exigenda decuma a Judæis.

(b) Burch. p.2. ms. in Alex. VI. p.72.

Ta-

*Taxa redditunm reverendissimorum dominorum Cardinalium, ad cujus rationem est solvenda decima in expedisione contra Turcos.*

*Reverendissimus dominus Cardinalis Neapolitanus pro ducatis decem millibus ducatos mille.*

Cardinales singuli stipendium conferunt.

*Reverendissimus dominus Cardinalis S. Petri ad vincula pro ducasis viginti millibus ducatorum duo millia.*

*R. D. Cardinalis S. Mariæ in porsicu pro ducatis quindecim millibus ducatus mille quingentos.*

*R. D. Cardinalis S. Angeli pro ducatis duodecim millibus ducatos mille ducentos.*

*R. D. D. Cardinalis Uliuponensis pro ducasis sepsem millibus ducatus sepringentos.*

*R. D. Cardinalis Racanatensis pro ducatis undecim millibus ducatos mille supra censum.*

*R. D. Cardinalis S. Clementis pro ducasis decem millibus ducatos mille.*

*R. D. Cardinalis Beneventanus pro ducatis decem millibus ducatos mille.*

*R. D. Cardinalis S. Praxedis pro ducatis decem nillibus ducatos mille.*

*R. D. Cardinalis Montis regalis pro ducatis decem millibus ducasos mille.*

*R. D. Cardinalis Ursinus pro ducatis decem millibus ducatos mille.*

*R. D. Cardinalis Alexandrinus pro ducatis octo millibus ducatos octingentos.*

*R. D. Cardinalis S. Crucis pro ducatis decem millibus ducasos mille.*

*R. D. Cardinalis Gurcensis pro ducatis tribus millibus ducatos trecentos.*

*R. D. Cardinalis Agrigentinus pro ducatis duobus millibus ducasos ducentos.*

*R. D. Cardinalis Capuanus pro ducatis decem millibus ducatos mille.*

*R. D. Cardinalis Grimanus pro ducatis septem millibus ducatos sepsingensos.*

*R. D. Cardinalis Alborensis pro ducatis duobus millibus ducatos ducentos.*

*R. D. Cardinalis Reginus pro ducatis duobus millibus ducatos ducentos.*

*R. D. Cardinalis Cosentinus pro ducatis tribus millibus ducatos trecentos.*

*R. D. Cardinalis Salernisanus pro ducasis tribus millibus ducasos trecentos.*

*R. D. Cardinalis Caputaquensis pro ducatis duobus millibus ducatos ducentos.*

*R. D. Cardinalis Mutinensis pro ducatis tribus millibus ducatos trecentos.*

*R. D. Cardinalis Senensis pro ducatis novem millibus ducatos nongentos.*

*R. D. Cardinalis S. Georgii pro ducatis octodecim millibus ducatos mille octingentos.*

*R. D. Cardinalis Columna pro ducatis tribus millibus ducatos trecentos.*

*R. D. Cardinalis Ascanius pro ducasis triginta millibus ducatos tria millsa.*

*R. D. Cardinalis de Medicis pro ducatis seu millibus ducatos sexcensos.*

*R. D. Cardinalis S. Severini pro ducatis tredecim millibus ducatos mille trecentos.*

*R. D. Cardinalis Estensis pro ducatis quatuordecim millibus ducatos mille quadringentot.*

*R. D. Cardinalis Cæsarinus pro ducatis duobus millibus ducatos ducentos.*

*R. D. Cardinalis Farnesius pro ducatis duobus millibus ducasos ducensos.*

*R. D. Cardinalis Borgia pro ducatis decem millibus ducatos mille.*

*R. D. Cardinalis Cornarus, qui nullos habes redditus, nihil.*

*R. D. Cardinalis Madrutiensis pro ducasis duodecim millibus ducatos mille ducentos.*

*R. D. Cardinalis Cenomanensis pro ducatis novem millibus ducatos nongentos.*

*R. D. Cardinalis Roshomagensis pro ducatis novem millibus nongensos.*

*R. D. Cardinalis Alibretus pro ducatis duobus millibus ducentos.*

*R. D. Cardinalis SS. Quatuor coronatorum pro ducatis octo millibus octingentos.*

*R. D. Cardinalis Hispalensis pro ducatis quasuordecim millibus mille quadringensos.*

*R. D. Cardinalis de Aragonia pro ducatis duobus millibus ducentos.*

*R. D. Cardinalis Rhodianus, R. D. Cardinalis Polonus, R. D. Cardinalis Strigoniensis quia in bello existunt nihil solvunt.*

*Henricus archiepiscopus Tarentinus sacri collegii clericus & secretarius ac decimarum collector manu propria.* Annexa alia omnium Romanæ curiæ officialium censura, nec non xenodochiorum, & cuique pro rata opum portione vectigal decumanum impositum.

Cogendi erant his sacris stipendiis milites, qui contra Dei hostes profecturi X.
crucis imaginem pectore humerisve induebant. Quo autem ritu a sacerdotibus pro Christo dimicaturis affigeretur non incommodum hoc loco ex Paride Grasso (a), qui ex pontificalibus libris formulam collegit, delibare visum est.

(a) Paris. Grass. to. 1. p. 419 ms. arch. Vat.

*De benedictione crucis imponendæ eis, qui ad serram sanctam vel contra infideles eu devosionis causa proficisci desiderant.*

Qui ritus servandi a legato profecturo in Turcas.

*Ante omnia crux benedicenda de panno rubei coloris formula præparanda est per ipsum, qui signari & proficisci intendit, & in*

*& in uno bacili seu paropside munda reponi debet, & in ea portari ad ecclesiam sive capellam ubi actus benedictionis fiet, & si plures erunt signandi, tunc tot cruces præparentur quot sunt signandi. Item signandus debet in die actum benedictionis præcedenti jejunare, & si prius non confessus fuerit peccata sua Deo, confitebitur in die actus prædicti, poteritque sacramentum salutare corporis Christi sumere per manus illius episcopi, sive prælati, aut simplicis sacerdotis, qui ipsum signabit cruce. Præparabuntur quoque quinque capellani sive acolyti superpelliciis induti, quorum unus bacile sive paropsidem cum cruce benedicenda ad dextram benedicentis, alius vero ad sinistram vas aquæ benedictæ cum asperforio ex herba hyssopi facto: tertius vero librum benedictionis ante benedicentem, & duo alii ceroferarii cum luminaribus ardentibus hinc inde modicum benedicendum habentes tenebunt versam faciem ad ipsum benedicendum, sive signandum. Igitur signandus ante altare genuflexus missam audiet, qua finita communionem, ut supra, suscipiat, tum benedicens si prælatus vel episcopus talis sit, qui mithra utatur, deponet casulam sive planetam, loco cujus pluviale rubei coloris indutus sedebit in sede ante medium altaris posita, ita ut faciem signando, renes altari vertat, si autem non sit prælatus, sed simplex sacerdos qui benedicit, ac missam celebravit, tunc deposita tantum planeta stans continue versus, ut supra benedicet, si vero nulla tunc actum istum missa præcessit, tunc si episcopus sit aut prælatus qui mithra utatur, nullam quidem mithram sed solum deposito mantello stolam de rubeo colore supra rochettum capiet, & similiter si sacerdos simplex sit superpellicium stolam recipiet, & sive prælatus sit, sive simplex sacerdos sit, discooperto capite hoc modo incipiunt. Vers.* In nomine Patris † & Filii † & Spiritus † Sancti. *Respond.* Amen. *Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cœlum & terram. *Antiph.* Angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis. *Psalm.* Qui habitat in adjutorio Altissimi, &c. *legatur totus iste psalmus ad longum per benedicentem, cui alternatim unus ex ministris respondeat, & in fine psalmi dicat:* Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto. *Tum antiphona prædicta repetatur. Deinde benedicens si episcopus est stans detecto capite dicat hymnum:* Vexilla Regis, *& totum, quo finito dicat alte:* Pater noster, *quod secrete prosequitur usque ad Vers.* Et ne nos, *& alios sequentes versiculos intelligibili voce legat dicens:* Et ne nos inducas in tentationem. *Resp.* Sed libera nos a malo. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum, *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Ritus in lustrando sacro vexillo.

Oremus.

Deus invictæ potentiæ, Deus majestatis immensæ, Deus fidelium omnium peregrinantium auxilium, plena & perfecta consolatio, qui famulis tuis arma victricia tribuis, quæsumus hanc crucem, *sive*, has cruces in tuo nomine formatas bene † dicere digneris, & venerandæ crucis vexillum sit ei, *vel*, eis robur invictissimum contra hostis tentamenta nequissimi, sitque ei, *vel*, eis in vita salus, in via defensio, in domo protectio, & ubique præsidium sempiternum per Christum dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Oremus.

Omnipotens Deus, qui crucis signum pretioso Filii tui sanguine dedicasti, quique per eandem crucem Filii tui domini nostri Jesu Christi mundum redimere voluisti, & per virtutem ejusdem venerabilis crucis humanum genus ab antiqui hostis chirographo liberasti, te suppliciter exoramus, ut digneris hanc crucem paterna pietate bene † dicere, & cœlestem virtutem & gratiam impartiri, ut quicumque eam in passionis & crucis Unigeniti tui signum ad tutelam sui corporis & animæ super se gestaverint, cœlestis gratiæ plenitudinem ex ea munimen valeant tuæ benedictionis accipere, & quemadmodum virgam Aaron ad rebellium perfidiam repellendam benedixisti, ita & hoc signum tua dextra bene † dicas, & contra omnes diabolicas fraudes virtutem ei tuæ defensionis impendas, ut omnibus illud operantibus animæ pariter & corporis prosperitatem conferat salutarem, & spiritualia in eis dona multiplicet, per eundem Christum dominum nostrum. Amen.

*Quo dicto benedicens aspergat crucem seu cruces aqua benedicta in formam crucis, tum si prælatus sit sedeat cooperto capite, si autem sacerdos sit eodem modo ut prius, & capiens crucem imponat in media vel in sinistra pectoris signandi parte, ita ut crux affixa remaneat vesti, & si plures erunt signandi, similiter singulis singulas cruces affigat, & pro unoquoque dicat:* Accipe signum crucis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, in figuram passionis crucis & mortis Salvatoris nostri Jesu Christi, & ad tui corporis & animæ defensionem. Amen.

Qui ritus servandi in crucesignatis lustrandis.

*Et si unus benedicendus fuerit non dicit hic,* Amen, *sed continuet,* ut divinæ bonitatis gratia post iter expletum salvus

& emen-

& emendatus ad nos valeas remeare per Christum dominum nostrum. Amen. *Si autem plures fuerint signandi tunc dicto supra unoquoque :* Accipe, *usque* ad defensionem, *super pluribus semel in plurali collective dicat :* Ut divinæ, &c. *Deinde, sive prælatus sit sive non, genuflexus detecto capite, omnibus simul cum eo genuflectentibus dicat ut supra :* Pater noster. Et ne nos. *Vers.* Christus vincit, Christus regnat. Christus imperat. *Respond.* in æternum & in sæculum sæculi. *Vers.* Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis. *Respond.* Miserere nobis Domine, miserere nobis. *Vers.* Respice Domine faciem Christi tui. *Respond.* Et exaudi preces servorum tuorum. *Vers.* Adjuva nos Deus salutaris noster. *Respond.* Et propter gloriam nominis tui libera nos. *Vers.* Salvos fac nos domine Deus noster. *Respond.* Ut liberati serviamus tibi. *Vers.* Alleva manus tuas super gentes alienas. *Respond.* Ut videant & agnoscant potentiam tuam. *Vers.* Hostium nostrorum tolle superbiam. *Respond.* Et eorum contumaciam prosterne. *Vers.* Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt. *Respond.* Et in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt. *Vers.* Ecce inimici tui Domine surrexerunt. *Respond.* Et qui oderunt te extulerunt caput. *Vers.* Mitte nobis, Domine, auxilium de sancto. *Respond.* Et de Syon tuere nos. Kyrie eleyson, Christe eleyson, kyrie eleyson.

*Et his dictis surgat surgentibus omnibus benedicens stans, ut prius, prosequatur manibus in modum præfationis dispositis, dicens :* Domine exaudi orationem meam. *Respond.* Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum, & cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui pretioso sanguine dilectissimi filii tui domini nostri Jesu Christi genus humanum redimere, ac in ejus humilitate jacentem mundum erigere dignatus es, tribue quæsumus, ut hic famulus tuus per te redemptus sive hi famuli tui, qui adversus impias Tartarorum & Turcarum gentes, cæterasque barbarorum nationes vivificæ crucis inimicos pro tui nominis gloria arma suscepturi sunt & pugnaturi, virtutis tuæ brachio sublevati, ad ecclesiam tuam victricia signa reportent per eundem Christum dominum nostrum. Amen.

*Quo dicto benedicens aspergat crucesignatos cum aqua benedicta. Deinde cum manu faciendo super eis crucis signum dicat in singulari si unus est signatus, & si plures simul erunt, in plurali :* In hoc signo † vade. In hoc signo † vince. In hoc signo † revertere. *Et omnes astantes respondeant.* Amen. *Tum benedicens sive sit prælatus sive non, osculatur signatum in facie dicens :* Pax tibi, *cui signatus respondet :* Et cum spiritu tuo. *Astantes autem osculantur, si volunt, crucem in pectore signati affixam, & vadant in pace.*

XI. Christiani Reges ad vindicandas Christi injurias perfrigidi, ad suas ardentissimi.

Decretum hoc in Turcas sacrum bellum quam male confectum fuerit turpe est referre, maxima enim est ubi de religione defendenda agitur socordia principum Christianorum mirum dictu! dum ab ejusdem consorte fidei offensiuncula accepta est, ad eam vindicandum illos innumeras mox acies effundere consuevisse lugent annales: at si Christiana pietas a Mahometana est vindicanda, post impositas sacerdotibus decumas, edictaque de religiosa conscribenda militia proposita, omnia pia illa bellica consilia consenescunt, atque ita post tantos apparatus funestæ acceptæ clades deflendæ manent: *Heri*, nimirum undecima septembris die, inquit Burchardus (a), *nuntiatum est ad urbem per quosdam, Turcum habuisse nona mensis augusti, & ditioni suæ vi & armis subjugasse civitatem Methonensem, & duas alias civitates Venetorum, in quibus neminem dimisit vivum: etiam pueros & mulieres necavit.* Amplitudine, magnificentia, & opibus florentissimam (b) fuisse eam urbem tradunt, & miserando expugnatam casu, quo scilicet tempore ob exceptas suppetias excubitores mœnibus incaute abscessissent, cum antea ingens barbarorum strages edita fuisset: *Affuerunt*, inquit Sabellicus (c), *Bajazethi Peloponesum petenti ad centum quadraginta armatorum millia, quibus fretus copiis Methonem terra & aquis terribili est oppugnatione adortus: æneis machinis muri disjecti, & tecta urbis concussa saxorum molibus superne petiti, defensa est tamen urbs plures dies Methonensium fide & virtute Venetoque præsidio, bisque interim oppugnati, qui in urbe erant tanta hostium rabie, ut catervæ militum muros subeuntium a tergo impulsæ, ac in præceps actæ fossas urbis sua corporum strage repleverint. Mansit utroque certamine res Veneta incolumis, repulsusque est hostis a mœnibus propugnatorum virtute ignominia & clade affectus.*

(a) Burch. ubi sup. p. 95.

Methone a Turcis expugnata.

(b) Trith. chron. Spon.

(c) Sabell. ennead. 10. l. 9. Petrus Card. Bemb. hist. Venet. l. 5.

XII. *Superveniunt interea Venetæ triremes tres commeatu & viris onustæ, quæ ex Zacyntho mittebantur, nam Veneta classis, quæ illic stabat, multo erat inferior, quam ut tuto cum hoste congredi posset,* & paulo inferius: *Hi qui novissime suppetias ferre jussi sunt per medias hostium stationes plenis velis, ad urbem contendunt, nec por-*

*Factus in litus concursus ad Venetas naves excipiendas.*

*rum subire potuerunt, qui multis molibus fuerat ab oppidanis obstructus, ne eo hostis potiretur. Vs igitur sua submuralibus vadis impacti in se totam civitatem illico vertunt, ne vadis hærentes ab hostibus interciperentur. Metu igitur lætitiaque variantibus, ut commeatum simul & præsidium acciperent, non solum eu cæteris urbis locis, sed eu murorum quoque stationibus ad mare concurritur, quam hostis occasionem nactus facto impetu prius muros transcendit quam ad subitum clamorem occurri potuerit. Pugnatum est nonnihil in urbe, postremo omnibus amissis cædes fœdissima Græcorum militumque edita est, urbs direpta, ac magna ex parte incensa. Bajazethes Methone capta, Junco deditione potitur mox & Corone.* His consentanea scribit Turcogræcæ historiæ author (*a*), additque mares omnes qui duodecimum ætatis annum excesserant, contrucidatos, pueros reliquos fœminasque Constantinopolim in servitutem abductos. Cæterum non sine maximo Turcarum sanguine fuso, cæsis nempe quindecim millibus barbarorum, partam hanc fuisse victoriam Petro Delphino relatum est (*b*).

*Corone Turcis dedita.*

(*a*) *Turcogr. hist. l.1.*

(*b*) *Ext. apud Petr. Delp. lit. l.6. ep.52.*

XIII. Cum illius cladis fama ad Pontificem pervenisset, urgere magis sacri belli apparatum constituit, ac Poloniæ Hungariæque Reges solicitavit, ut signa in Bajazethem ad distrahendas illius vires efferrent: tum propositis sacris muneribus Christifideles ad profitendam sacram militiam cohortatus est, Turcarumque immanitatem summam exposuit (*c*).

(*c*) *L. 4. litterar. commun. p. 55.*

*Ad futuram rei memoriam.*

*Beati Petri, meritis licet imparibus, successores, & domini nostri Jesu Christi in terris vicarius effecti, audito sæpius & intellecto validissimo exercitu, quem perfidissimi Turchi Christi nominis hostes adversus Christianos terra marique paraverant, ac mente revolventes quot regna, quot provinciæ, quot dominia, & principatus, ac civitates, villæ, & oppida, ac alia loca Christifidelium, qui in sortem & hæreditatem eiusdem domini nostri Jesu Christi vocati fuerant, numero repleta non solum prædecessorum & antecessorum nostrorum, sed etiam nostris temporibus ab ipsis impiissimis & crudelissimis, ac damnatæ sectæ Mahometanæ defensoribus, & Christianæ religionis inimicis Turchis capta & obsessa fuerunt, quodque ipsi post habitam victoriam sicuti sibi a natura crudelitas innata est, ab huiusmodi crudelitate & sævitia abstinere nescientes, regna, provincias, dominia, civitates, & loca prædicta, & in illis consistentia Dei templa, proh dolor! everterunt, incendio concremarunt, virgines deflorarunt & tam illas quam alias mulieres & viros cum eorum filiis & parvulis adhuc lactentibus secum adduxerunt, & in perpetuam servitutem constituerunt, ac [ quod dolenter referimus ] quandoque eos ad abnegandam fidem Christianam tum pollicitationibus, quas tamen postmodum non observant, tum etiam diversis pœnarum generibus induxerunt & coegerunt, senesque tanquam inutiles, o crudelitas immensa! interfecerunt, juvenes vero tanquam boves jugo aratri constituerunt, aliaque quemplura insupportabilia tormentorum genera in ignominiam & dedecus ac vilipendium Christianæ religionis, & Dei excelsi contemptum inflixerunt & imposuerunt, & in dies excogitare non cessant, quomodo possint Christianum nomen subjugare, quodque adeo illorum potentia & effrænata audacia crevit & in dies crescit, quod sancta mater Ecclesia, quæ domina gentium a Domino constituta fuerat, quodammodo ancilla eiusdem sectæ Mahometanæ facta sit, & eiusdem ecclesiæ filii tanquam servi sub tributo constituti sint ac nisi dictorum Turchorum rabies & conatus reprimerentur periculum non parvum imminebit, quin brevi tempore reliquum Christianitatis suo imperio & subiectioni subiugent, quare de eodem domino nostro Jesu Christo exemplo eiusdem B. Petri confidentes, quod suos non deseret in tempore necessitatis, non cessamus catholicos Reges & principes sæpius exhortari, & requirere, ut pro reverentia ipsius domini nostri Jesu Christi, cuius causa agitur, semotis quibusvis discordiis & æmulationibus, pacem inter se componentes ad subversionem & exterminationem præfatorum Turchorum, & eorum principis Bajazethis, qui oculis veneno plenis non cessat lustrare, qua parte venenum diffundat, & Christianos offendat, insurgerent, & anno nondum elapso ad obviandum furori dictorum Turchorum, qui magnum exercitum terra & mari adversus eosdem Christianos præparaverunt. Hac præcipua de causa bonæ memoriæ Joannem sanctæ Mariæ in via lata diaconum Cardinalem tunc in humanis agentem legatum nostrum de latere ad dilectos filios nobilem virum Augustinum Barbadicum ducem & dominium Venetorum destinavimus; qui nostro nomine eisdem duci & dominio per nos possibilia in tam pio & necessario opere expeditionis contra præfatos Turchos subsidia offerret.*

*Crudeles Turcarum in Christianos grassationes.*

Interfecti senes.

Aratro subjecti juvenes Christiani.

Solicitati Reges ut sedatis discordiis arma jungant in Turcas.

Missos ad Venetos legatus ad eos in Turcas excitandos.

*Et quamvis dux & dominium præfata in eodem tam necessario & celeritatem exigente opere etiam voluntarii, ac etiam nostris monitionibus & exhortationibus exhortati ingentem classem & exercitum adversus dictos Turchos præparassent & mis-* XIV.

*sis-*

*fissent, charissimusque in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, & dilectus filius noster Petrus S. Hadriani diaconus Cardinalis, qui magistratum hospitalis S. Joannis Jerosolymitani ex dispensatione apostolica obtinet, ac dilecti filii conventus Rhodi hospitalis ejusdem etiam ipsis nostris exhortationibus excitati magnam navium copiam cum armatorum multitudine in subsidium ducis & dominii prædictorum, & ipsius Christianæ fidei misissent, tamen, forsan Domino propter Christifidelium delicta, & ut singuli principes & Christifideles quodammodo a somno excitati, & ad sancta Dei opera intenti vehementius adversus dictos Turchos insurgant permittente, dicti Turchi multitudine prævalentes magnam partem classis Christianorum devastarunt, & ex hujusmodi victoria in superbiam & elationem adducti, & cognoscentes etiam Christifidelium debilitatem & impotentiam, in suaque potentia & ferocitate confidentes ad Neopatrensem primo, & deinde Methonensem civitates munitissimas se contulerunt, & illas ac alia loca illis vicina vi & armis occuparunt, ac alia quamplurima mala & damna partibus illis intulerunt, & in dies magis atque magis inferre non cessant. Nos vero desiderantes, quantum cum Deo possumus, huic morbo tantum invalescenti, & virus suum dilatanti & diffundenti congruum antidotum, necessariamque medicinam exhiberi, & ipsius B. Petri exemplo de eodem domino nostro Jesu Christo spem indubiam tenentes, quod non solum ceteros suos fideles a dictorum Turchorum oppressionibus tueretur, sed etiam eis de ipsis immanissimis Turchis victoriæ triumphum præberet, ut ab ipsis occupata loca recuperarentur, cum adjuvante Domino nostro possit unus mille ex eis fugare, non cessavimus apud charissimos in Christo filios nostros Wladislaum Hungariæ & Joannem Albertum Poloniæ Reges illustres nostris exhortationibus instare, & in nostram sententiam inducere, ut ipsi tanquam validissima fidei Christianæ, & hoc tempore tanto imminenti periculo opportuna propugnacula, expeditionem contra præfatos Turcos, qui validissimum exercitum terra & mari & in diversis locis adversus ipsos Christianos præpararunt susciperent, nosque eosdem Hungariæ & Poloniæ Reges tam aptos quam etiam pro devotione & sinceritate, quam semper erga sanctam sedem Apostolicam gesserunt & gerunt voluntarios invenimus, ordinavimusque juxta possibilitatem nostram Regibus pro præmissa expeditione subsidium præberi, & etiam præbebimus, ac ab aliis præberi faciemus pro nostris viribus, juxta temporis ac rei qualitatem & necessitatem.*

Instructa classis socia Venetor. Gallor. & Rhodiorum.

Classis Christianæ pars profligata a Turcis.

Neopatræ & Methone ab iis expugnatæ.

Ungariæ & Poloniæ Reges in eosdem sollicitati.

Decretaiis ab Alex. pro Turcica expeditione subsidia.

XV.

*Verum cupientes etiam providere, ut Christi fideles incolæ & habitatores in partibus & provincia Valachiæ commorantes, seu quomodolibet habitantes huic expeditioni una cum præfatis Regibus in eorum exercitibus vehementius contra dictos Turchos, & eorum sævitiam & rabiem excandescant & insurgant, quo majoribus muneribus & gratiis pro consequendis præmiis felicitatis æternæ cognoverint se communitos, de omnipotentis Dei misericordia, qui omnes ipsum in eorum necessitatibus invocantes sublevat, & ejusdem Petri ac beati Pauli etiam Apostoli ejus authoritate confisi, omnibus & singulis Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis partium & provinciæ Valachiæ habitantibus, ac aliis quibuscumque, qui in expeditione hujusmodi contra præfatos Turchos interfuerint, seu castris per dictos Valacos ordinandis & destinandis aliquod opus ad hujusmodi expeditionem necessarium, vel opportunum fuerit, aut victualia & necessaria pro subventione pugnantium in dictis castris, aut inibi pro opere expeditionem hujusmodi quomodolibet commorantium detulerint, & præmissa seu aliquod eorum durante hujusmodi expeditione, fecerunt, plenissimam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, veniam & remissionem etiam hujus sacri anni centesimi jubileo, & quæ proficiscentibus in subsidium terræ sanctæ concedi consuevit & concessa est, ac ipsum jubileum per præsentes elargimur, ac volumus & apostolica authoritate decernimus & concedimus, ut tam prædicti, quam qui commode ad hujusmodi expeditionem accedere non valentes, seu etiam non volentes, etiam utriusque sexus fideles tam laici quam ecclesiastici, etiam religiosi dictarum tamen partium & provinciæ Valachiæ, alium vel alios suis expensis secundum suas facultates transmiserint vice sua ad pugnandum, seu alias hujusmodi expeditionem juxta necessitatem & opportunitatem adjuvandum per annum, seu ad minus per sex menses in dictis castris militaverint, aut aliquod ex dictis operibus erogaverint, tam mittentes, etiam si duo, tres, seu si eorum facultates non sufficerent, etiam decem unum solum miserint, quam missi hujusmodi indulgentiæ & remissionis participes existant. Quod si post iter arreptum in via, seu etiam in castris infra annum, seu sex menses prædictos decesserint nihilominus hujusmodi plenissimam indulgentiam & remissionem ac jubileum consequantur, ac quod omnes & singuli tam seculares quam ecclesiastici etiam religiosi, & in quibuscumque ordinibus etiam presbyte-*

Propositæ sequuturis eorum signa indulgentiæ.

byte

*byteratus constitusi absque alicujus irregularitatis incursu in subsidium hujus tam sanctæ & pernecessariæ expeditionis, & pro ipsius fidei catholicæ interesse possunt. Et quia forsan incolæ & habitatores partium & provinciæ Valachiæ prædictarum ad urbem pro hujusmodi jubileo anno præsenti per nos etiam, juxta morem & consuetudinem prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, visitantibus basilicas & ecclesias almæ urbis, & extra eam deputatas concesso, personaliter accedere commode non potuerint, volentes eorum commoditatibus & animarum saluti, & ut dictæ expeditioni liberius vacare possint, providere, omnibus & singulis utriusque sexus tam sæcularibus quam ecclesiasticis, etiam religiosis partium & provinciæ Valachiæ hujusmodi, qui quartam partem de bonis & facultatibus suis ejus, quod in veniendo ad urbem prædictam pro hujusmodi jubileo consequendo, & hujusmodi, per quindecim dies juxta tenorem literarum Apostolicarum desuper confectarum permanendo, ac in redeundo ad eorum domos juxta ipsorum conditiones verisimiliter exponerent, eidem expeditioni miserint, eadem authoritate etiam præsentium tenore jubileum & plenariam omnium peccatorum suorum remissionem elargimur, perinde ac si basilicas & ecclesias prædictas statuto tempore personaliter visitarent.* Adjectum ut quilibet sacerdotem, a quo omnibus noxis, etiam quarum expiatio sedi Apostolicæ reservata est, excepta in episcopos, & superiores præsules manuum injectione, absolverentur, deligere possent, tum solemnes supplicationes imperatæ.

Valachis Jubilæi anni prærogativæ concessæ.

XVI. *Et quoniam magna est vis orationis, quæ pie & jugiter ad Deum funditur, in tantum ut orante Moyse populus Israelitarum victoriam de inimicis reportaret, cessante vero oratione inimici superiores fierent, omnibus & singulis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, præpositis, & aliis ecclesiarum ac monasteriorum prælatis, conventibus, & capitulis in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus cantata in ecclesiis eorum missa solemni Spiritus Sancti, & convocato populo, has nostras literas publicent, & in circuitu ecclesiarum processiones faciant solemnes, ac clerum & populum partium & provinciæ Valachiæ prædictarum moneant & requirant, ut per misericordiam Dei, quam sperant se suscepturos orationibus instent, quantum possunt, ut dominus noster Jesus Christus populo suo periclitanti subveniat, & eum a faucibus draconis satagentis eum devorare eripiat. Nos enim omnibus Christifidelibus incolis & habitatoribus, qui prædictis piis operibus institerint, in omnibus eorum operibus & actibus in Domino benedicimus.* Et infra:

Solemnes preces indictæ pro re prospere gerenda in Turcas.

*Et ut oblationes & suffragia, quæ per ipsos Christifideles, incolas, & habitatores ad effectum præmissæ expeditionis mittentur, bene & diligenter, ac fidenter conserventur, & ad alios, quam præmissos usus non convertantur, volumus quod venerabilis frater noster Gaspar episcopus Calliensis ad Reges præfatos, ac provinciam, & partes Valachiæ hujusmodi nuntius & commissarius per nos destinatus per se, vel alium, seu alios debite curet providere, quo oblationes & suffragia prædicta sine ulla prorsus fraude, prout melius expedire cognoverit, ad hujusmodi effectum recipi, conservari, & exponi possint, super quo sibi plenam, liberam, & omnimodam harum serie concedimus facultatem, conscientiam suam etiam super hoc plurimum onerantes, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MD. VI. kal. octobris pontificatus nostri anno IX.*

Piorum eleemosynæ in militum stipendia non in alios usus verti jussæ.

XVII. Submissus etiam tum Venetiis Benedictus Pisaurius ad tuendas Græciæ laceras reliquias barbaricarum victoriarum cursum continuit, ut Sabellicus narrat (a): *Jam terra*, inquit, *& mari Naupliis imminebat victor barbarus: cæterum audito novi ducis ad Zacinthum appulsu, & quo studio classem contrahebat, trierarchis ex circumjectis stationibus navarchisque ad signa revocatis, proposito; adversus domum proficiscitur. Pisaurius classem abeuntem e vestigio secutus in Hellespontum usque extremum agmen carpendo, morasarumque aliquam, aut ordine aberrantium intercipiendo, persecutus est, ademitque. Interim barbaro hosti biremes & alia navigia ad viginti & amplius, mox retro aversus complures ex hoste insulas locaque maritima populatus est, Æginam insulam recepit. Inde Zacynthum repetit præda onustus, ubi Consalem cum Hispaniensi classe a socio Rege missum invenit.* Et infra: *Qui duarum classium opibus fretus Cephaleniam, anno superiori frustra ab aliis oppugnatam, multa vi est iterum adortus. Laboratum utrinque non mediocriter, magnumque cum hoste certamen plures dies tenuit. Ad postremum disjectis mœnibus oppidoque vi capto Venetus universa insula est potitus.* Proxima enneade partæ victoriæ diem consignat author hisce verbis: *Fuit supremus sancti anni dies is, quo Cephaleniorum insula nominis vetustate insignis Venetis cessit armis.* Ex his perspicuum quam facile Christiani Reges contudissent Turcam, si mutuo fœdere arma conjunxissent. De Imperatoris inani in Turcam conatu hæc refert post Methones lugubre excidium Trithemius (b):

(a) *Sabel. ennead. 10. l. 9. Petr. Bemb. Card. hist. Venet. l. 5. Rub. l. 8. Sur. to. 5. l. 4. c. 24. & 30. & alii.*

Ademptæ barbaris plures naves. Ægina insula iis erepta.

(b) *Trithem. in chron. Spanhei. hoc anno.*

*Eo-*

*Eodem anno iterum fuit conventus Regis & multorum principum in Augusta, & multa contra Turcos conclusa fuerunt, & nihil amplius secutum, propterea quod omnes, quæ sua sunt quærunt, non quæ fidei & necessitatis extrema Christianorum: ibi de consensu principum generalis contributio pecuniarum pro necessitate imperii fuit imposita, sed quolibet suos per se nimium radente subditos nihil imperio poterat a pauperibus dari: & sic perit fides, perit pau & concordia christiana.* Non Turcica, sed Italica bella pro revocando ad imperium Mediolanensi principatu illum cogitasse tradunt (a).

Christi gloria spreta a Christianis suam quærentibus.

(a) *Sur. to. 5. l. 4. c. 6. & 20.*

XVIII. De Ludovico etiam Francorum Rege referunt nonnulli scriptores, illum oratorem ad Bajazethem misisse ad terroris pompam, qui Gallica arma intentaret ipsi, nisi a Veneto bello sibi temperaret, sed is non in Turcam, sed in Mediolanensem ducem arma, in Neapolitanum deinde Regem ea vertere meditatus, quam dissidentium inter se Christianorum publicamque rem prodentium vesaniam derisit Bajazethes, ac Rhodiorum equitum principi consignatis literis anno a natali Christi millesimo quingentesimo, a funesto vero Mahometis ortu nongentesimo quinto scripsit, non capessendum tanto ardore a Gallo Rege Venetorum patrocinium, cum Veneti quo tempore Carolus VIII. Francorum Rex in Neapolitanum regnum exercitum duxit, Turcica arma in eum sollicitassent, significassentque in Turcicum imperium belli molem conversurum, ni Gallici progressus prohiberentur: nec vero orientalium clades Ludovicum videntur tetigisse si illius gesta spectentur, sed Turcici belli specie Neapolitanam expeditionem ejusdem Caroli exemplo meditatum: Fridericum vero Regem, quem Bajazethi, conjunctum fœdere vidimus, Gallum de pace postulasse refert Surita (b), promulgasseque se illa confecta bello Turcas petiturum, sin vero in ipsum Gallica arma verterentur, auxiliaria Turcica imploraturum. At quæsitas impias artes pro tuendo regno exitium ipsi Friderico attulisse visuri sumus. Interea Henricus Anglorum Rex & Philippus Belgii princeps privatis ducti commodis facto ad Caletum colloquio fœdera inter se inivere, Turcicique belli curas abjecere. Joannes Albertus Poloniæ Rex ad Turcicum quidem bellum gerendum pio studio flagrabat, ut narrat Cromerus (c), sed ærarii impeditæ rationes, Prussicæ res incompositæ, Germanorum in publicis Wormatiensibus comitiis suscepti in Turcam conatus, atque ob Helvetica & Italica bella dissoluti eum terruerunt, demumque Tauricanorum Tartarorum per Volyniam excursiones in Russiam Poloniamque sævissimæ distinuere (d). Alexander Lituaniæ dux sub Moscovitici belli mole satiscebat, ac Bohemos, Moravos, Silesios, Polonosque adversus Joannem Basilium socerum, qui Russiæ partem ipsi ademerat, in auxilium vocabat, quod bellum inde enatum refert Heberstenius (e), eum Alexander uxori Elenæ templum, ut Basilio pactus erat, Wilnæ non extruxisset, in quo sacris Rhutenico ritu peragendis una cum suis interesset.

Fridericus Rex Neap. Turcis fœdere se conjungit.

(b) *Sur. to. 5. l. 4. c. 26.*

(c) *Crom. l. ult.*

Tartarorum in Polonia excursiones.

(d) *Id. ib.*

(e) *Heberften. in comment. rer. Moscovit.*

XIX. Divina autem vi Moscovitas ac Tartaros profligatos hoc anno ab Alberto Livoniæ magistro, narrat Bredembachius; (f) *Atrox & memorabile prælium gesserunt Livones contra Ruthenos anno Domini MCCCCC. sub ordinis Teuthonici magistro domino Walterio a Plettemburg excelsi animi & magnæ industriæ viro.* Interjectis nonnullis, ut quatuor Livoniæ episcopi illi se conjunxerint subdit: *Ipso exaltationis crucis die ad urbem Pleskoviam tendunt: juxta hanc sita est planities duorum milliarium amplitudine, in quam ubi devenere obviam illis procedit Ruthenorum Imperator cum centenis millibus armatorum, qui in duodecim acies distributi erant. His adjuncta erat ingens Tartarorum manus triginta millia conficiens. Itaque Teutonicus magister ubi aut turpiter fugiendum, aut ingenti cum animo adversus tantum exercitum barbarie & armis formidabilem procedendum videt, nequidquam de victoriæ spe remittens fortunam belli tentare statuit, & paucis suorum animos confirmat, &c.* Dicere pergit displosa in Tartaros fuisse tormenta bellica, factamque ingentem eorum stragem. De Moscovitis vero hæc narrat: *Tartari ubi prælio fusi fugatique, succedunt duodecim Moschovitarum acies animis & virtute recentes. Teutonici cæsis Tartaris, ubi bellum recrudescere sentiunt quanto majorem hostium vim prioribus succedere conspiciunt, tanto majoribus animis in hostes irruere, & velut ab integro nova virtute resumpta ingenti cum fremitu cæsim punctimque confligere, sauciare, confodere. Vergente jam ad vesperam die, qui ex Moschoviis supererant furtim se Plescoviam subducunt. Prælio ita dirempto, compertum est ex Theutonicorum agmine unum dumtaxat interemptum, Moschoviorum vero & Tartarorum circiter centena millia trucidatos, & duabus milliaribus cadavera passim dispersa jacere. Memorabilis hic erat triumphus, & singulare virtutis & fortitudinis exemplum, ac dignum quod sempiternæ memoriæ donatum nunquam aboleatur. Moscho-*

*vio-*

(f) *Bredemb. in descript. tertii belli Livon.*

Hostium potentia maxima.

Moschi magna strage deleti. Uno catholico tantum cæso centum millia hostium trucidata.

Pax in annos quinquaginta firmata.

*viorum Imperator, qui ipse in aciem non prodierat, cum summo stupore admiratur tantum exercitum tam exigua manu, tam turpiter cæsum & prostratum, atque illico pacem quinquaginta annis cum Teutonibus firmat.* At de his hactenus: nunc ad institutam de Turcis orationem revertamur. Wladislaus (*a*) Hungariæ Bohemiæque Rex egregie ad sacram militiam affectus erat, sed aliorum principum socia arma expetebat. Joannes Daniæ ac Norvegiæ Rex Frisiis & Thiermarsicis præliis se immiscebat (*b*), ut Ditmarsiam, quam jure hereditario tum imperatorio beneficio obnoxiam suæ ditioni contendebat, sibi assereret, Suecia (*c*) Daniæ Regis Stenonisque ducis factionibus laborabat.

(*a*) *Burchar. in msf. diar.* (*b*) *Albert. Krantz. Saxo. l. 13. & bellis. Ditmar. l. 1.* (*c*) *Id. Suec. l. 6. Magnus l. 23. c. 15.*

XX. Decernit Alex. cum Gallo vel Hisp. Rege in Turcas proficisci.

Quod ad Alexandrum Pontificem, summum Christianorum ducem & apicem attinet; promulgasse religiosam in Turcas militiam se profiteri velle, atque omnia ad iter necessaria adornasse refert Surita (*d*): tum ad Reges omnes scripsisse castrenses in crucesignato exercitu labores se subiturum, modo Francorum, vel Hispanorum Rex illum ductaret, ac propterea suis & Cardinalium sumptibus quadraginta triremes comparasse, viginti nimirum Venetiis, reliquas in aliis portubus instruxisse: hortatum etiam eosdem principes, ut laboranti Christiano imperio opitularentur: ac ne ob intestina dissidia Christiana res pessum iret, de pace inter Ludovicum Francorum ac Fridericum Neapolis Reges concilianda, vel ineundis diuturnis induciis egisse, Hispano Regi sacerdotiorum decumas in ipsius regnis cogendas in classici apparatus sumptus obtulisse, dummodo præfecto, cui summum classis Hispanæ tribueret imperium, Pontificem quocumque tenderet sequi juberet. Missi etiam fuere ab Alexandro in Germaniam, Poloniam, & Hungariam apostolici legati, nempe Gurcensis (*e*) Cardinalis ad Maximilianum, & Gaspar Calliensis episcopus ad Joannem Albertum & ad Wladislaum, ad quem iterum adulto anno Reginus Cardinalis profectus, cum rei bene gerendæ spes affulgeret. De Gurcensi meminit Nicolaus Baselius (*f*), interclusumque illi in Germaniam aditum tradit: *Alexander*, inquit, *Papa VI. Raimundum Cardinalem S. Mariæ novæ Gurcensem episcopum cum gratia & indulgentiis jubilei in Germaniam, Daciam, Suediam, & Prussiam legatum a latere misit, multis illum facultatibus dotis nomine condonando. Hic aliquandiu Tridenti substitit propterea quod Maximilianus Rex Germanorum, atque regni principes electores, qui interesse prætendebant hunc, ne suæ legationis fines attingeret, prohibebant. Verum post multos & varios desuper tractatus tandem admissus Inspurchk ad Maximilianum Regem se transtulit, ubi per menses aliquot moratus post Norimbergam, dein Coloniam venit.*

(*d*) *Sup. c. 26. ext. ea de re lit. Alex. VI. apud Bos. p. 2. hist. eq. Jerος. l. 15.*

De pace inter Neap. & Gall. inita colloquia.

(*e*) *Burch. ubi sup.*

(*f*) *Basel. in addition. ad Naucl.*

Card. Gurc. decernitur legatus in Germaniam.

Cur a Germanis aditus prohibitus.

Verebantur illi, ne jubileæ expiationis Turcicique belli specie aurum ex Germania abraderet, priusque de parte auri a piis conferendi, in suos usus derivanda pacisci voluerunt, nam is mos improbus, ex quo tot postea mala fluxere, inoleverat. Pactum similiter Joannem Albertum Regem Poloniæ cum internuntio apostolico Gaspare Calliensi episcopo indicat Cromerus, dum ait ex collecta stipe, quam Poloni pro consequenda jubilea gratia erogaverant, triginta fere aureorum millia comparasse; cæterum non permisisse, ut pontificia de indictis decumis diplomata promulgaret: *Supervenit*, nimirum augusto mense, quo ab insequendis frustra Præcopensibus Tartaris redibat Albertus, *Gaspar Calliensis episcopus Alexandri VI. ejus nominis Pontificis maximi ad Turcicum bellum Regem cohortans, & piæ militiæ, quam crucis seu cruciatam vocant, facultatem ad id bellum ipsi pariter & Hungaro Regi afferens, simulque jubileum & potestatem decimæ de cunctis ecclesiasticis redditibus in suo utriusque regno in subsidium ejusdem belli exigenda. Tardius autem is venit, quod prius in Hungariam cum iisdem mandatis divertisset, ac decima quidem a nostratibus episcopis & collegiis sacris negata, sed usitata contributio pro ea decreta est, quæ tunc ad tria millia florenorum vix pervenit, jubileus vero promulgatus triginta fere millia florenorum Regi reddidit.* Distinctos crucis symbolo ascriptosque sacræ militiæ plures fuisse ab eodem internuntio, addit author. De Cardinale vero Regino in Hungariam post Calliensem episcopum legato hæc tradit Burchardus.

Indignæ querelæ bellum Turcicum specie indici ad opes expilandas.

Ungaricus clerus decumas negat pendere.

XXI. Reginensis Card. in Ungariam missus.

*Feria secunda* XVI. *mensis novembris fuit secretum consistorium, quo finito familia reverendissimi domini Cardinalis Regini legati ad Hungariam destinati osculata est pedem Papæ, & ipse legatus associatus est ab omnibus reverendissimis Cardinalibus extra portam viridaris, valete dixit Cardinalibus & prælatis more solito.* Hoc interprete Hungarum cum Pontifice & Venetis fœdus in Turcas junxisse videbimus postea: quin etiam encyclicis ad Italos literis extremo anno datis egregie animatum, se ad fidem Christi contra Mahumeticam tyrannidem defendendam ostentabat. Pontificiæ vero literæ de gerendo in Turcas bello ita consignatæ sunt: *Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ* MD. V. *idus decembris pontific. nostri anno* IX.

Tan-

XXII. Ex stipe collocata a Venetis instructæ quindecim triremes.

(a) Card. Bemb. hist. Ven. l.5. in fin.

Tantum fuisse fidelium in lucrandis indulgentiis pietatis studium refert Petrus Bembus (a) Cardinalis, ut in ea parte Italiæ, quæ ditionis Venetæ erat, septingentæ novemque auri libræ & eo amplius ex collata stipe redactæ fuerint, quod aurum in quindecim triremibus contra Turcas instruendis collocatum, licet tardius, suo loco dicetur. Ex quo colligitur in reliqua Italia, ac multo magis in aliis regnis ingentem auri vim ex indulgentiis coactam. Verum congestas a fidelibus Italis pro sacro in Turcas bello gerendo opes, ad fundendum Italicum sanguinem profusas queritur Guicciardinus (b): Æmiliamque gravi bello pressam hoc ipso tempore dicetur inferius: licet enim Alexander in Cardinalium senatu verbo & publicis diplomatibus professus esset multa a se in Turcas gerenda, tamen ejus conatus ad res Cæsaris filii sui augendas conversi fuerunt; illum enim rosæ aureæ munere, quod Regibus aliisve principibus de Ecclesia benemeritis dari consuevit, decoravit ac signiferum Romanæ ecclesiæ dixit (c), ut urbes plures ditionis ecclesiasticæ, depulsis veteribus toparchis, qui imperatum censum ærario pontificio non intulerant, in suam redigeret potestatem. Potitus ille paulo ante fuerat Foro Cornelii primum, ac mox Forolivio ineunte anno, ad quem dum Cardinalis Borgia de parto principatu gratulaturus provolaret, ut adumbrata est humana felicitas, contracto ex concitatiore cursu morbo periit, de quibus hæc Burchardus (d): *In nocte sequenti diem martis* XIV. *mensis januarii renuntiatum est per urbem arcem Forliviensem fraudulenter ac violenter expugnatam & in ea magnificam dominam comitissam relictam quondam comitis Riarii ab illustrissimo duce Valentino esse captam, cæteris omnibus interfectis. Præter hæc etiam nuntiatum est, reverendissimum dominum Cardinalem Borgiam ex Bononia, cum quatuor tantum ex suis per tabellariorum postas, ut Romam veloci accessu perveniret, Urbinum applicuisse circiter diem prædictum, & ibidem febrim ipsum invasisse medicis suspectam, de quo Papa fuit per dominum Angelicum episcopum Tyburtinum cum eodem Cardinali existentem certificatus, & deinde per alium nuntium Papæ per eundem episcopum significatum febrim periculosam non esse, & quod morbilli apparerent, quorum causa febris advenerat, quodque Cardinalis ipse captura arcis Forolivviensis intellecta equum ascenderat iturus Forlivium ad ducem illi congratulaturus de victoria, & cum celeri accessu Forumsepronium pervenisset, febrim vehementissimam rediisse, de qua expiravit in nocte post diem jovis* XVI. *dicti mensis januarii.*

(b) Guicciar. l.5.

(c) Burch. ubi sup. Cæsar Borgia creatus signifer ecclesiæ Rom. Forliviensi principatu potitur. Cardinalis Borgiæ misera mors.

(d) Burchard. p.2. in Alex.VI. p.15.

Succinctus Gallicis armis dux Valentinus Pisaurense bellum susceperat, eum ob repentinam Ludovici Mauri in Insubriam irruptionem illud intermittere coactus est, evocato a Ivone Alegrio cum universo equitatu (e) Jacobo Trivultio, qui ob adversæ factionis odia in discrimen adductus erat. Narrant has Mediolanensium rerum conversiones fuse scriptores (f), quas nobis breviter delibare suffecerit.

Ludovici Mauri in Mediol. princ. irruptio.

(e) Sabel. enn.10. l.9. Guicc. l.4. Sur. to.5. annal. l.3. c.46.

(f) Sabell. & Guic. l.4. Ferro. l.3. Mutius l.30. Aug. Just. l.5. Sur. to.5. l.4. c.6. & alii.

XXIII. Excitus ab amicis & aliis Mediolanensibus, quibus Galli invisi erant, Ludovicus Sfortia ex Germania cum octo Helvetiorum millibus, & quingentis Burgundici comitatus cataphractis militibus stipendio conductis, ab Ascanio Cardinale fratre sociatus in Italiam reversus, Novocomi primum, deinde Mediolani a civibus ingenti gratulatione exceptus est, cujus partium studia, Ticinum, Parma, Veganum, & aliquæ aliæ urbes secutæ sunt. De qua recenti rerum commutatione hæc a Petro Delphino (g) ordinis Camaldulensis supremo præfecto ad alterum Petrum Delphinum, de quo supra memoravimus, scripta fuere: *Senex es & provectæ ætatis ac plenus dierum, & nescio an videris unquam aut audieris tantam adeo brevi tempore humanarum rerum varietatem atque incostantiam, quantum pauculis annis vidimus & audivimus. Vere incomprehensibilia sunt judicia Dei & investigabiles viæ ejus, qui & deprimit cum voluerit, & rursum cum voluerit erigit elisos, & sanat contritiones eorum. Occupaverunt dudum Galli Apuliæ regnum facta per mediam Italiam irruptione & devastatione ingenti, paulo post eisdem exturbatis & profligatis in regnum suum, qui prius ejecti fuerant, restituuntur: idem hoc anno atque his diebus Mediolani accidit, pulsus ab eadem gente solio principatus sui Ludovicus, & in Germaniam fugatus, ipse quoque a populo suo paulo ante in pristinam dignitatem revocatus est non sine admiratione omnium fere, qui factum audierunt. Putaverunt plerique omnes actum de illo fuisse, cum adhuc nemine persequente aufugisset, & ecce quam celeriter caput extulit, atque emersit, verum expertus semel potentem super se manum Domini, & brachium extentum non extollatur pro adepta misericordia, ne forte iterum cum illis annumeretur, de quibus dicitur. Dejecisti eos dum allevarentur, non enim propterea in tranquillum redactus Mediolanensium status creditur, opinantibus multis redisurum esse majore militum vi Francorum*

(g) Pet. Del. l.6. ep.28.

*Regem, & in rebelles suos crudelius sævitarum, &c. Vale. Florentiæ die* XII. *februarii MD.* [1].

XXIV. *Plures urbes ab eo recuperatæ.* Pervagata esset latius a Gallis defectio, nisi Veneti, multis precibus exambitam a duce amicitiam respuissent, ac misso Nicolao Ursino Petiliani comite pronas in exitium Gallorum res sustentassent: Genua, Asta, & aliæ cis Padum urbes, intentæ quo spectarent illi motus in officio se continuere. Dedita autem pacto militari Novaria, Sfortia arcem obsidione premebat, ac novas in dies ab Ascanio Cardinale adducendas copias præstolabatur, cum Gallorum Helvetiorumque novi delectus habiti ducibus Georgio Cardinale Rothomagensi, & Ludovico Tremollio, superatis alpibus, Novariam castris cinxere ineunte aprili, decernereque cum iis bello parabat Ludovicus Sfortia cum stipendiarii Helvetii a tribulibus, qui Gallica signa erant secuti, corrupti pugnam cum fratribus propinquisve inire detrectantes missionem petiere: ita *Fusus Mediol. dux.* fusis Italis Germanisque Sfortia Novariam rediit cum Helvetiis, quos numquam in urbe retinere potuit, donec Ascanius Cardinalis frater & Franciscus Gonzaga auxilia ferrent. Cum autem se in prædam obiici hosti intueretur, arte fugam tentavit sumpto Helvetico cultu, sed cum per medias Gallorum acies incedendum ei foret, cognitus captusque est. Quibus consentanea mox Romæ nuntiata refert Burchardus (a): *Nunciatum*, inquit, *fuit ad urbem, quod in dicto conflictu per Ludovicum ducem Mediolani Gallis, & per illos acceptato, hora statuta adve-*

(a) *Burch. ubi sup. p. 46.*

NOTÆ [1] QUæ in ditione Mediolanensi hoc anno accidis inopina illa rerum conversio, omnium quotquot hoc anno contigerunt summa res est, de qua nonnulla adnotare operæ pretium esse judico. Occupatum præcedenti anno a Gallis imperium Mediolanense Ludovicus hoc anno 1500. ineunte majori celeritate quam amisie recepit; conductis enim stipendio 5000. Helvetiis januario labente improvisus intervenit, incautosque Gallos ita oppressit ut partim armorum suorum terrore, partim favore Mediolanensium qui casum principis sui miserari cœperant, præter plures urbes ejus tractus & Mediolanum ipsum obtinuerit, quo Ascanius cardinalis ejus frater die IV. februarii ingressus est. Sequenti vero die idem Ludovicus ut princeps & dominus exceptus. Sed ut fluxæ sunt res mortales, ipsæ Helvetorum copiæ quæ restituendo Ludovico egregiam operam præstiterant, illum pariter defecerunt, qua de re satis in Annalibus. Sanutus qui bellum hoc Gallicum summa fide & veritate, utpote qui Venetiis tunc agebat, descripsit, defectionem illam Helvetiorum qua captus fuit Ludovicus non quidem cum die III. idus aprilis ut Sabellicus apud Annalistam, sed diei V. id. aprilis illigat. Forte tamen die illa III. id. aprilis non Ludovicus sed Ascanius cardinalis in hostium potestatem venit. Narrat Sanutus die XVIII. Kalendas maii, ejus rei nuncium Venetias delatum fuisse. Porro Ascanius audito Ludovici casu Mediolano fugiens 700. equitibus stipatus, Soncinum Benzonum Cremascum Venetarum copiarum ductorem contra se venientem offendit, cum in agrum Placentinum jam pervenisset. Dum pugna expeditur, Ascanius in proximam arcem Rivaltæ se recepit, e qua dum evadere meditabatur retentus fuit ab arcis præfecto Conrado spondente validum fore propugnaculum illud ad vim hostium retundendam. Sed Veneti obtenta de equitibus hostium victoria ad arcem succedentes præfectum coegerunt ut cardinalem traderet. Ita captus Ascanius primo Cremæ dein Venetiis in custodia, honesta tamen & commoda, detentus fuit. Petentibus tandem Gallis conceditur hoc ipso anno die VII. maii, a quibus primo quidem Mediolani brevi tempore servatus, dein translatus in Galliam, Lugdunum die XV. maii pervenit, ubi in arce carcerem subivit. Post dies paucos eductus, cum turri quadam haud procul ab urbe Bituricensi carcerem commutavit, ait Senarega in historia rerum Genuensium Rer. Ital. tom. XXIV. col. 572. qui & addit quærenti de carcere illo cardinali responsum fuisse jusso regis: *Solet turris hæc egregiorum virorum hospitium esse*; nam ait scriptor ille, *Regem per tres annos in ea captivum Carolus Rex prius detinuerat*. Carcerem illum tandem solvis Ascanius cum obeunte Alexandro & post paucos dies Pio III. conclave illud quo Julius II. assumptus fuit, anno 1503. celebrandum erat; qua de re in Annalibus. Infelicissimum fuisse principem notat Sanutus, nam carcerem quarto tunc subiisse affirmat; sed certum tempus quo singula hæc evenerunt, nec ipse distinguit, nec ita facile ex historiis explicaretur. Scimus quidem ante hac semel anno 1494. die IX. decembris Romæ per dies aliquot in custodia servatum fuisse ex causis ab Annalista ad A. 1494. 25. indicatis, quem unum esse ex quatuor carceribus a Sanuto indicatis non ambigo. Romanam hanc præcessit altera detentio Mediolanensis, anno 1480. cum tumultuans in Joannem Galeatium suum ex fratre nepotem Ascanius jussu Ludovici fratris, qui principatum pro Joanne adhuc puero curabat, carceri traditus ad officium coactus rediit. Vide Diarium Parmense anonymi Rer. Ital. tom. XXII. col. 333. Hæc omnia si in numerum referas carceres habebis omnino tres; quartam apud scriptores non lego, nec forte Sanutus alium supputavit, nisi relegationem Perusinam, quam subiit Ascanius seu deprehensus seditionis quam ipse cum cæteris fratribus in Joannem Galeatium nepotem suum paraverant. Vide eamdem anonymum col. 259. Hæc de Ascanii carceribus fusius explicanda fuerant, ut corrigeretur Ciaconius, qui ex detentionibus hisce confusis vel non satis distinctis in anachronismos historico indignos incurrit. Cum enim capturam Gallicam Ascanii anni 1500. narrasset, ejusque rei invidia Alexandrum pontificem onerasset; tum addit *his non contentum* Alexandrum, *ut Ascanium Mariam magis ad terram affligeret cardinalatu illum* privavit, quod tamen re melius considerata eadem qua abstulit facilitate ipsi restituit die XXXI. januarii anni 1495. Quid est chronologiam subvertere si hoc non est? Profecto hæc intulit Alexander Ascanio in carcere detento, sed carcere Romano anni 1494. non Gallico anni 1500. Nunc de Ascanio satis.

Ad Ludovicum quod attinet, ipse pariter post dies aliquot in carcere Mediolanensi exactos translatus in arcem Lugdunensem, inde una cum fratre ad Bituricensem rejectus fuit. MANSI

Desertus ab Helvetiis.

*adveniente Helvetios sive Suitenses a duce Mediolani conductos noluisse pugnare contra Gallos; similiter neque guardiæ Burgundiæ incurrisset in ducem & gentes suas: Gallos ducem cepisse cum multis nobilibus Italis, Suitenses autem & cæteros extraneos illæsos abiisse, & id contigisse veneris*

Capitur a Gallis.

*decima hujus mensis circa horam vesperorum ante civitatem Novariensem, ex quo post quatuor* noctis auditi sunt usque per totam noctem clamores & jubilatus per urbem: Urso, Urso; Francia, Francia; cum sonitu multarum tubarum. Papa dicebatur donasse nuntio, qui hæc nova attulit centum ducatos.* Ita formidabilis quondam princeps ex alto rerum culmine in carcerem decidit, cujus tristem casum divinæ animadversioni (a) tribuunt. Partum ab eo iniquis artibus principatum plerique affirmant: nec minus usum scelere ad illum retinendum, siquidem Bajazethi significasse Gallorum Regem Italia oppressa contra Turcicum imperium conversurum cum Venetis armorum vim, illumque solicitasse ut instructa classe invaderet Italiam, quæ per Fridericum Regem Neapolitanum nihil æque ac Gallorum arma horrentem pateret, illatarumque per Turcicas in Istriam irruptiones calamitatum authorem (b) fuisse. Sed malæ artes non profuere homini, qui in divina potius ope spem locare debuisset: *Adhibuerat*, inquit Ferronius (c), *omnem operam, qua hujusmodi procellam depelleret, Bajazethem Turcarum Imperatorem solicitarat, ut in Italiam arma eodem anno transferret, Turcarum copiis per Forumjulium missis, qui & in ea loca descendentes ingenti præda abducta abierunt, orturum majorem tumultum sperantes, ut eis Sfortiani receperant. Plures id prodiderunt divino id ei consilio accidisse, ut post sublatos veneno nepotes, in hos acerbos fortunæ impetus incideret, alii arrogantiæ, alii perfidiæ, punica enim fide, ut novi commodi spes affulserat, palam recepta etiam cum Venetis Pontificeque fœdera violarat, quidam impietati, cum eodem anno Gallos ad sacrum annum expiandæ reipublicæ Christianæ gratia indictum a Pontifice Romam euntes hospitibus nummo aureo pro Gallico capite delato occidi jussisset.*

* quartam

(a) Sabell. enn. 10. l. 9.

Ingenium malorum author extiterat.

(b) Sabel. enn. 10. l. 9.

(c) Ferron. in Lud. XII. l. 3.

XXV. Perculsus eo casu frater Cardinalis cum aliquot equitum turmis in fugam se conjecit, sed a Veneto equitatu interceptus est. Hac Sfortianorum clade, quam ad tertium idus aprilis contigisse scribit Sabellicus (d) quaque usus est Alexander, quippe qui Gallicis armis novos principatus Cæsari duci Valentino filio suo, a quo fœdatam cruore Italiam videbimus, pa-

Ascanius Card. in fuga interceptus.

(d) Sabel. enn. 10. l. 9.



rere affectabat, ac Georgium Ambasianum Cardinalem presbyterum tit. S. Sixti in Insubria legatum apostolicum creaverat, (e) a quo Mediolanenses decima aprilis die præteritæ a Francorum Rege defectionis veniam poposcere (f), quorum exemplum reliquæ urbes secutæ in Gallorum potestatem redierunt. Cum vero Francorum Rex metueret, ne aliquando Ascanius principatum recuperaret (g) Venetis sibi dedi pervicit, de quo hæc Burchardus in diariis (h): *Eadem die*, nimirum xv. maii, *reverendissimus dominus Cardinalis Ascanius vicecancellarius, qui Venetiis in principio hujus mensis a Venetis consignatus fuit oratoribus Regis Francorum in Franciam ducendus cum omnibus protonotariis, abbatibus, & prælatis secum nuper captis intravit Mediolanum in rochetto & mantello de ciambellotto & capello griseo, & post eum protonotarii, abbates, & prælati prædicti videlicet equis insidentes, pedibus sub equis colligatis successive unus post alium equitantes, a multis stipendiariis Regis Franciæ associati ducti fuerunt ad castrum Mediolani, & inde ad Franciam.* Et infra (i): *Feria sexta quinta mensis junii reverendissimus dominus Cardinalis Ascanius recessit de castro Mediolani in mula iturus in Franciam associatus a viginti quatuor nobilibus & aliis equestribus.*

(e) Pet. Defrey in annal. Franc.

(f) Id. ib. Mediolanenses deditionem faciunt.

(g) Sabel. enn. 10. l. 9 Guicc. l. 4.

(h) Burch. ubi sup. p. 54.

(i) Id. p. 59. Abducitur in Galliam.

Passus est Alexander Ascanium Cardinalem in Gallica custodia pro Italica quiete contra cardinalitiæ dignitatis decus detineri, & Cisterciensem abbatiam, cujus administrationem ille gesserat, Juliani Cardinalis episcopi Ostiensis fidei commendavit (k). Accepit ita merita ab Alexandro præmia Ascanius Cardinalis, qui simoniaca fraude corruptus illum ad pontificatum extulerat. Porro tulisse Ascanium ipsum summa animi constantia eam calamitatem refert Ferronius (l) sic inquiens: *In Galliam perductus, non modo non infracto animo propter adversi prælii eventum, sed confirmato atque renovato visus est, quanquam versa omnia intelligeret, & ad Regem noctu accedens cum multis facibus, aulicis ad ejus spectaculum proruentibus, honorifice quidem Regem & salutavit & appellavit, sed nec ad pedes jacuit, nec ullis lachrymis ejulatuve captivitatem deploravit, quin de sua captivitate cum Philippo Luxemburgo Cardinale & Octaviano Sangelasiano Engolismensium Pontifice disserens, bene secum actum aiebat, jocabaturque Venetos de se optime meritos, qui eum ex his laqueis, quibus circumretitus esset, exuissent ac vi abductum explicassent, cum periculum esset ne in majores plegas incideret, quibus confi-* XXVI.

(k) L. 6. bull. secr. p. 143.

(l) Ferron. l. 3.

Magno animo fert Ascanius calamitatem suam.

*et eum & concidi necesse esset, indicans hac ratione vel ad Fredericum Neapolitanum Regem, vel ad Alexandrum Pontificem confugienti, vel ad Maximilianum redeunti duriorem sortem futuram, ea enim consilia agitarat cum fratre, fugam etiam ambo ad Bajazethem Turcam meditati, ni intercepti fuissent, sed Ascanium ob gradum purpuratorum parum carcer tenuit, ac paucis postea mensibus fidei suæ commissus est, vagarique tota Gallia permissus.*

Emissus e carcere.

XXVII. Non pari sorte potitus illius frater, quem narrant in subterranea specu Lochiensis arcis ferreis compagibus ferreoque ostio munita diuturnam captivitatem pati compulsum, ne liber novas turbas excitaret, quorum calamitate territi Insubres aliquandiu Gallicum jugum tolerarunt: *Ludovicus interea*, inquit Ferronius (*a*), *potitus Mediolano, ut sunt Regum cupiditates insatiabiles & sordent priora dum majora quæque expetuntur animum adjecit ad Neapolim, quæ a Carolo defecerat, recipiendam*, quod illius oratorem die festo S. Petri Alexandro plaudente professum, narrat Burchardus (*b*), cum Fredericus Rex oratoris sui opera festo die Apostolorum Petri & Pauli equum album phaleris ornatum obtulisset Pontifici: *Et tunc*, inquit author (*c*), *reverendus dominus Robertus episcopus Trecorensis orator Regis Francorum dixit: Beatissime pater, cum regnum Neapolitanum spectet de jure ad Christianissimum Regem Franciæ, supplico sanctitati vestræ quod per hujusmodi acceptationem non velit juri Christianissimi Regis mei ad regnum prædictum competenti in aliquo præjudicare, cujus nomine offero sanctitati vestræ, postquam Christianissimus Rex meus fuerit possessionem dicti regni consequutus, longe majus commodum sanctitati vestræ & sanctæ Romanæ ecclesiæ facturum. Papa subrisit & nihil respondit, & orator Regis Neapolitani voluit nescio quid replicare, sed Papa manu & ore indixit ei silentium, nec opus erat aliqua replicatione.* Cum ita de avertendis a Turca in Neapolitanum Christianis armis erumperent consilia, dimisso oratore Neapolitano, atque Alexandro pontificiam ædem ingresso extremum vitæ discrimen adiit, de quo inferius dicetur.

Ludov. dux carcere diutino maceratus.

(*a*) Ferron. l. 3.

(*b*) Burch. p. 11. in Alex. VI. p. 82.

(*c*) Id. ib. Gallus orator dixeprat jus spectare ad Regem.

Refert Guicciardinus (*d*) subacta ab Cæsare Borgia Gallorum armis ac studiis fuisse Pisaurum atque Ariminum, cum vero ad Faventiam castra admovisset, Faventinos ita strenue principem suum tutatos, ut tandem ob ingruentis hyemis inclementiam obsidionem solvere coegerint: legatum vero apostolicum in Germaniam decretum fuisse ab Alexandro, ut Maximilianum ægre ferentem divulsum ab Imperio ducatum Mediolanensem Gallo Regi conciliaret, ut solutus eo metu Ludovicus Neapolitanam expeditionem conficeret. Functum ea legatione Cardinalem Gurcensem ac XXIX. octobris in provinciam abiisse dictum est, agitatumque de affinitate inter utrumque jungenda, despondendaque Claudia Ludovici filia cum Mediolanensi & Britannico ducatibus, nec non jure Neapolitani regni dotalibus Carolo ex filio nepoti, ita conjunctis enim Germania, Gallia & Hispania arctissimo fœdere confici demum feliciter Turcicum bellum posse.

(*d*) Guic. l. 5. Pisaurum & Ariminum subacta a Cæs. Borgia.

De affinitate inter Maxim. & Gallum Regem agitatum.

Hæc bella felicius confecturus Gallorum Rex cum Anglo veteres controversias composuit, factasque novi fœderis pactiones a Pontifice confirmandas curavit: qua de re extat apostolicum diploma (*e*), in quo insertæ sunt hæ Ludovici Regis literæ, quarum exemplum infra scriptum est. XXVIII.

(*e*) L. 2. secr. p. 7.

*Cum die tertia novembris anno Domini MCCCCXCII. apud Stabulas supra mare inter inclytæ recordationis defuncti Caroli Regis domini, fratris, & prædecessoris nostri charissimi, & serenissimi Angliæ Regis Henrici charissimi etiam fratris & consanguinei nostri oratores, procuratores, ambassiatores, & commissarios fuerunt contracta, conventa, tractata, & conclusa nonnulla capitula, bonum pacis & concordiæ utriusque Regis & regni concernentia, quorum tenor sequitur & est talis. In primis quod bonæ, sinceræ, firmæ & perfectæ sint & inviolabiliter observentur pax, amicitia & fœdera inter potentissimos Franciæ & Angliæ Reges antedictos, eorumque patrias & dominia,* & infra, *& durante vita utriusque principum prædictorum & alterius eorum diutius viventis, & per annum integrum post obitum ultimo eorum morientis, ita tamen quod successor Regis præmorientis dictam amicitiam & pacem infra annum a die obitus sui prædecessoris tenebitur per suas literas magno sigillo sigillatas hanc amicitiam ratificare & confirmare, dictamque ratificationem & confirmationem Regi superstiti facere, transmittere & deliberare.* Interjectis pluribus, quibus hostiles excursiones vetitæ, additur ut Veneti, Florentini, & Genuenses libere per Angliam & Gallias commeare, mercesque distrahere possint, limitis controversia ita dirempta est.

XXIX. Ludovici Regis literæ.

*Item quod termini ac limites terræ sine marchiarum Calesiæ de obedientia Regis Angliæ in confinio comitatuum Boloniæ & Gruxemarum ponentur, & reducentur, ac manutenebuntur, uti hactenus fuerunt & erant ante descensum ipsum Regis in Ca-*

De limitibus principalium compositæ controversiæ.

lesia

*lesia, & castella seu fortelitia, quæ captæ & subtracta fuerunt e Regis Franciæ obedientia, die quo ipse Rex Angliæ applicuit Calesiæ, utpote Ardre, la Montoire, Lisbnes, Fiennes, Ostenghes & iis similia, quæ per ipsum Regem Angliæ suos commissarios aut confœderatos, qui sibi in hac expeditione adhæserunt, detinentur & occupantur, reponentur in eo statu, in quo nunc sunt una cum subditis dictorum locorum in obedientia Regis Franciæ pari modo & forma, ut erant ante dictum descensum.*

XXX. Comprehensi præterea eodem fœdere Reges & principes Angliæ & Galliarum Regum socii, de Maximiliano Romanorum Rege & Philippo archiduce adjectum, ut quatuor mensium flexu promulgarent, an ejus fœderis jura admittere & colere vellent. Ne autem pacta fœderis religio temere violaretur, constituti illius vindices in Normannia dux Aurelianensis, in Occitania dux Borbonius, in Britannia comes Engolismensis, in Artesia princeps Alverniæ, & alii proceres, in Anglia vero pacis assertor pronuntiatus est Regis avunculus dux Bethfordiæ, idemque rei maritimæ præfectus. Latæ etiam plures leges ad avertendas omnium discordiarum occasiones, ac jus utrique genti ex æquo administrandum, grassationesque quasvis inhibendas, quæ omnia pontificia authoritate firmanda Gallo Angloque visa sunt: *Quodque*, inquiunt fœderis tabulæ, *uterque principum prædictorum prædictam amicitiam & omnia capitula antedicta per sedem Apostolicam, & authoritatem ejusdem infra seu menses dictos duodecim menses proxime sequentes confirmari, vallari, & roborari pro viribus procurabit, & cum effectu faciet, & insuper uterque principum prædictorum infra terminum supradictum, instanter & cum effectu requiret sacrosanctam sedem Apostolicam & summum Pontificem, quod ferat sententiam excommunicationis nunc pro tunc, & tunc pro nunc in eum ex prædictis ducibus, & principibus, qui omnia & singula capitula in prædicto tractatu contenta, quatenus ipsum concernunt, non observaverit præter & ultra sententiam interdicti in ejus regno, terris, patriis, & dominiis, non obstante aliquo privilegio in genere vel in specie illis, aut eorum alicui sub quacumque verborum serie concesso, cui dicti principes palam publice & expresse renuntiant, &c. Datum apud Stepulas super mare* III. *die novembris anno Domini MCDXCII.* His addit Ludovicus XII. Rex, qui Carolo VIII. successerat se ea admittere & confirmare, ac literas hac temporis nota obsignat. *Datum Parisiis die* XIV. *mensis julii anno Domini MCDXCVIII.* Ac demum Pontifex eorumdem Regum fœdera religionis nexu constringit. *Nulli ergo nostræ approbationis, confirmationis, communitionis, & mandati infringere, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno dominicæ incarnationis MCDXCIX.* XIX. *kal. februarii pontificatus nostri anno* VIII.

Qui fœderis vindices constituti.

XXXI. Natus eodem anno fuerat Carolus ducis Lucemburgensis titulo primum insignitus, de quo hæc Burchardus (*a*): *Nuntiatum est ad urbem die lunæ* XXIV. *februarii proxime præteriti in aurora diei sole existente in piscibus ex illustrissimo Philippo archiduce Austriæ, & illustrissima Joanna filia Regis & Reginæ Hispaniæ natum esse principem, cui in baptismo impositum est nomen Carolus, ob quam rem reverendus dominus Philippus Maturelli orator serenissimi Regis Romanorum voluit, quod ecclesia hospitalis nostri ornaretur, & in ea ad laudem Dei & honorem missa per aliquem prælatum celebraretur aliquibus Cardinalibus præsentibus.* Fuit hic Carolus in Cæsarum postea numero quintus, rebus gestis celeberrimus.

Caroli V. natalia.

(*a*) *Burch. ubi sup.*

XXXII. Optime porro de Christiana religione meriti hoc anno fuere Ferdinandus & Elisabeth Hispaniarum Reges, tum in submittenda in Turcas classe, tum in Granatensium Maurorum comprimendis motibus, frangendis nimirum pertinacibus terrore & vi, aliis vero ad Christum pelliciendis. Orta (*b*) autem Granatæ fuerat seditio ineunte anno authoribus Albaizinensibus, qui editiorem urbis partem propriis discretam mœnibus incolebant, cum ingentes Maurorum ad Christum accessiones fieri pati nequirent, ædes Francisci Ximenii Toletani archiepiscopi, a quo Christiana res ardentibus studiis provecta fuerat, oppugnarunt; & quamvis suaderent ei plerique, ut in arcem Alhambram se subduceret; maluit tamen ipse commune periculum cum suis pro Christi nomine subire. Conflata inde illi maxima invidia est, quasi improvidæ pietatis temerario ardore Granatam tot ducum militumque laboribus partam in discrimen defectionis adduxisset, sed demum purgavit se apud Reges, ac multo majorem Maurorum multitudinem Christo adjunxit, cum Albaizinensibus perduellionis reis vi militari repressis a prætore, qui in perfidia obfirmatiores supplicio affecerat vel conjecerat in vincula, propositum esse, eos crimen læsæ majestatis suscepta tantum Christiana religione expiare posse, tunc enim Christianam fidem velle se profiteri renunciarunt, in quibus desudasse & elaborasse Ximenium accurate

Ferd. & Isab. de re christiana optime meriti.

(*b*) *Gome. l. 2. Sur. to. 5. l. 3. c. 45.*

Mauri in seditionem versi.

Proposita vitæ spe Christo adjuncti.

(a) Gomes. ib.

Albaizenses baptismo lustrati.

narrat Gomesius (a): *Cum Albaizinenses læsæ majestatis lege tenerentur, conditioque illis proposita esset utrum supplicium mallent, an baptismum ad Christum omnes ad unum sunt reducti, & simul quidquid in reliqua urbe infidelis turbæ superat, quos omnes archiepiscopus Granatensis in partem gregis sibi commissi receptos sedulo, ut par erat, Ximenio adjuvante Christianis mysteriis per singulos dies imbuendos perstudiose & sanctissime curavit; sacris etiam missarum, cæterisque divinis psalmodiis, quæ ex antiquorum patrum traditione in orthodoxis ecclesiis decantantur, eos interesse consuefaciebant.*

XXXIII. Subdit auctor piam fuisse inter Granatensem & Toletanum archiepiscopos controversiam; cum Granatensis, erudiendæ nostræ religionis mysteriis turbæ ardore æstuans studio, divina oracula, quæ inter sacras preces repetuntur in Granatensem linguam transferenda curaret, obstaret vero Ximenius Toletanus, quod margaritas ante porcos Christus proiici vetuerit, & multa parabolis obvelata tradiderit, ut improbis illa male interpretandi occasionem adimeret: *Placere quidem ajebat sibi eos sermone vulgari libros circumferri, qui ab hominibus piis scripti, aut optimorum exemplorum enarratione, aut ardentibus verbis & gravibus rationibus, prudentique adeo & maturo dicendi stylo animos prorsus dejectos excitarent, & ab his rebus, quæ sensibus se offerunt, ad illa divina contemplanda revocarent, quales ipse in vulgus edendos, quamprimum esset otium, meditabatur, cæterum novum & vetus testamentum, in quibus multa sunt, quæ doctum & attentum lectorem, castumque & pium hominem requirunt, tribus illis linguis asservanda esse, quas non sine maximi mysterii causa charissimi filii capiti in acerbissimo, quod patiebatur supplicio, Deus optimus maximus superponi voluit: jam vero divinas affirmabat tunc demum magnam Christianæ religionis perniciem adfuturam, quando utriusque testamenti oracula in vernaculas linguas vulgarentur, id enim pessimis quibusque vulgarium hominum ignorantia abutentibus ad universum catholicæ Ecclesiæ statum labefactandum paratam occasionem subministraturum, cum nihil sit facilius, quam stultæ plebeculæ imponere sapientiæ præsertim opinionem sibi ex vulgatis mysteriis arrogantis. His tam prudentibus Ximenii dictis non nihil ab ejus consilii progressu temperatum est, quamvis eis, qui Talabricensi favebant, visa sint paulo duriora, cæterum plusquam vellemus veracem Ximenii sententiam rerum, quas cernimus, eventus comprobavit:* Hosce Granatenses neophytos magna ex parte supplices in timore fuisse, pervicaces autem animo atque insaniam repetituros, ubi facultas esset ait Mariana (b).

Pia contentio an Maurica lingua sacra promulganda essent Qui libri Arabica lingua promulgandi sint expositi.

Scripturæ sacræ idioma titulo crucis consecratum.

Vaticinium insigne.

Plebecula sapientiæ opinione facile decipitur.

(b) Marian. l. 27. c. 5.

XXXIV. Præter Granatenses vero etiam agrestes, qui in villis suburbanis vitam terræ cultu sustentabant, ad quinquaginta millia capitum a Mahomete ad Christum traductos addit idem Mariana, ac profana eorum templa superstitionis infandæ labe perpurgata, sanctissimisque religionis nostræ mysteriis consecrata. Ubi efflorescere evangelium videre montani asperiores moribus, interpretati per vim patrias leges eversas locorum situ & munitione freti ad excutiendum Hispanorum jugum excitis Mauris consurrexerunt, quos perdomitos a Ferdinando ita describit Mariana (c), tum subdit: *Motibus compositis, Rex Granatæ substitit ea gente ad Christum adjungenda, abluenda salutaribus aquis, districtus ea diligentia paulo post montani Mauri quique Almeriæ, Bastæ & Guidixii habitabant, aliisque locis nostra sacra populariter suscipere. Missi ad eos confirmandos, sanandos cæteros pii in omnes partes concionatores sunt adjuncti militari præsidio, dignitatis specie, ne violarentur impune agebatur si qui male cogitarent, ut est gens Maurica mobili ingenio, fluxa fide, quod prudenter ad salutem comparatum videbatur, in contrarium vertit, sic humana consilia sæpe deluduntur.*

Quinquaginta millia rusticanorum ad Christum traducta. Mesquitæ in ecclesias versæ. Montani Mauri seditionem movent.

(c) Id. ib.

Magnæ Maurorum turbæ ad Christum traductæ.

XXXV. *Ad Regem præterea placandum Mauri supra decem millia Seronis Tiiolæ, aliorumque eo tractu pagorum incolæ sacris fontibus sunt admoti, magnus numerus ad pacandam gentem reique summum emolumenti parum, nam eodem tempore in Arundæ & Villalongæ confragosis montibus Maurici tumultus publice sunt concitati. Commotus, ut par erat, nova rebellione Rex voce quidem præconis edictoque denuntiari mandavit omnibus Mauris, qui in iis montibus, ubi motus erant, habitarant ut in castellum descenderent, parando discessui dies non amplius decem dati, cum eo tamen arcano concessit, si qui nostram religionem susciperent, iis manendi in patria suaque cuique retinendi venia esset.*

Mauri Granatensi regno jussi discedere ni fidem Christi amplecterentur.

XXXVI. Præfractiores in Montem rubrum loci asperitate munitissimum se contulerunt; at succubuisse eosdem, ac reliquas Ferdinandi victorias illustrasse subjungit author (d), facta enim deditione vel in Africam trajecisse, vel Mahometem damnasse: quæ licet proximo anno gesta consignet Surita (e), in hunc tamen referre placuit, ne eadem repeteremus. Licet autem plures in veteri superstitione obduruisse exitus ostenderint, innumeras tamen

(d) Id. c. 5. in fin.

(e) Sur. to 5. l. 4. c. 33. 34.

ani-

animas Christiana excultas doctrina veræ pietati se addixisse constar, præter infantium Maurorum turbam magnam, quæ sacro baptismo lustrata immortalitatem consecuta est.

XXXVII. *Ximenii pro religione amplificanda labores.*

Nec modo Ximenium Granatensi ecclesiæ constituendæ augendæque, verum religioni etiam novo orbi inferendæ, vindicandisque a vi & licentia Hispanorum barbaris imbellibus, qua pollebat gratia & authoritate apud Reges operam egregie navasse refert Gomesius (a).

(a) Gomes. l. 2. de rebus gestis Ximen.

*Hispani mala ingentia auri cupidine patrant.*

*Christophori*, inquit, *Columbi Genuensis solerti industria incogniti orbis notitia ad Reges nostros allata fuerat, ubi cum multa gravia & Christianis hominibus indigna per nostros duces & centuriones, reliquumque item Hispanorum militum vulgus, qui illuc commeaverant, patrari nunciarentur adversus illas gentes alioqui imbelles & inermes. Statim Ximenius, dum Hispali apud Reges moratur, cœpit cogitare quo pacto his malis succurreretur, nam cum omnes illuc traiicientes unico tantummodo opum congerendarum studio tenerentur, unicaque illa inexplebili auri cupidine terras sub alio sole jacentes quærerent, primo de deprædandis & spoliandis miseris hominibus, & ni aurum proderent, male mulctandis, post de erudiendis & Christo initiandis maligna & perfunctoria cura agebant. Idcirco Regibus Ximenius suasit, ut viros religiosos sanctimonia & integritate vitæ præstantes ad eam rem curandam transmitterent, qui solutioris vitæ licentiam omnem comprimerent. Id statim religiosissimi principes effecerunt, & de Ximenii consilio & voluntate cum cæteris viris, qui ex omnibus Hispaniæ cœnobiis electissimi conquisiti sunt, una quoque sunt profecti Franciscus Ruizius Ximenii comes, Joannes Trassierrus, & Joannes Robledus omnes Ximenio charissimi & intimi, quorum cum ille probatissimos mores, & insignem eruditionem cum non vulgari pietate conjunctam abunde nosset, voluit magis humano affectui pro tempore cedere, quam Christi nomini & gloriæ deesse, multum enim interesse existimabat per quos in tam barbaris, tamque late patentibus terris fides prima plantaretur & coleretur.*

*De animarum quæstu parum curant.*

*Submissi propterea in eas oras religiosi viri.*

XXXVIII. Spargente porro se latius inventarum incognitarum terrarum vastissimarumque fama, hoc anno Petrus Martyr Ludovici Cardinalis Aragonii, & patrui illius Friderici Regis Neapolitani votis morem gerens, inter alia, quæ de novi orbis rebus monumenta mandavit, de Hispaniolæ incolarum superstitione plura descripsit, ex quibus nonnulla nos delibabimus, quæ ostendent, ut miseri mortales fidei luce orbati fœdissime a dæmonibus deludantur.

XXXIX. *Illudunt barbaris dæmones.*

*Nocturna*, inquit, *insularibus apparere phantasmata, quæ in fatuos errores eos inducant eu simulachris, quæ palam colunt, aperte cognoscitur ex gossampio, namque intexto stipato interius sedentes imagines formant, quæ nocturnos, quo pacto parietibus illos nostri pictores insigunt, æmulantur lemures, cum eu simulachris opera mea ad te missis quatuor tu ipse videris qualia sint, quamve depictis lemuribus similia poteris Regi serenissimo tibi patruo melius coram significare, quam ego illa scribere. Hæc simulachra zemes appellant indigenæ, quorum minora infantulos dæmones referentia cum hostibus manus collaturi frontibus alligant, propterea funiculis, quos vidisti, complexa sunt; his pluvias si pluviæ desint, soles, si sole indigeant, se impetrare arbitrantur: ejus enim, quem unicum sine carentem omnipotentem invisibilemque esse fatentur internuntios esses zemes putant, quisque regulus suum habet zemem, quem colat cælesti numini æterno duo hæc nomina Jocauna Guamaonocon majores eorum indiderunt numen ipsum habere genitricem quinque his nominibus appellatam ferunt. Attabeiram scilicet Mamonam Guacarapitam Giellam Guimazoam.*

*Mentiuntur se omnium rerum dominos.*

XL. *Deliramenta de hominis creatione apud eos vulgata.*

Lugenda etiam fuere deliria, quæ de humani generis creatione finxerunt, ex antris enim duobus multitudinem hominum sponte erupisse effutiebant, plures etiam homines versos in animalia, & more Græcorum fœminam principem in lusciniam mutatam infelicem suam sortem vere conqueri, pueros ciborum inopia in ranas conversos, picam avem sexus organa rostro effinxisse, plures fœminas in formicas transformatas, ut Græcia de myrmidonibus deliravit. Ex quibus perspicue patet, eos populos, cum Dei cognitionem, ac paternas traditiones antiquis sæculis a Noemi posteris acceptas deseruissent, a dæmone inanibus fabellis illusos fuisse, non aliter quam alii gentiles fascinati fuerunt.

XLI. De incantationibus, quibus ægrotos curant, falluntque: si curare non possint, suadent Zemem iratum, quod æger minus religiose illum coluerit, si pereat, affines veneficiis manes evocant, ut fateantur an fato obierit, an Boitii, qui non integre jejunaverit incuria. Porro de Zemium varietate hæc subiicit: *Ligneos quidam construunt nocturnis inter arbores umbris moniti, alii si responsa intra rupes habuerint, marmoreos, insculpunt, in radicibus alii coluntur reperti inter ages, id est, genus edulii. Hos zemes curam habere, ut panis ille coalescat arbitrantur, veluti antiquitas dryades hamadryades ac satyros*

*Illusi dæmonum spectris Americani.*

tyros

*tyros & panes aut nereides fontium silvarum & pelagi curam habere putabat, suosque rei cuique deos assignavit, ut suum quisque genus tueretur. Ita & insulares hi suos zemes invocatos eorum optatis auscultare autumant.*

XLII. *Et a magis in insaniam efferatis.*

Quærunt ab iisdem opera magorum responsa, creduntque verissima esse quæ lymphatici prædicant. Visa sæpius in Guamareti vico dæmonum simulacra, licet vincta fuissent, mutare locum, & impudicitiam exercuisse memorant barbari, nec non ligneum quadrupedem fugam carpere solitum cum minus religiose coleretur, qui tamen Christianorum adventu evanuerit: marmoreum etiam simulacrum fœminea specie coluisse reperti sunt, persuasique erant concitari procellas a dæmonibus, & vastari agros si minori honore afficerentur.

XLIII. Prænuntiatum præterea a dœmonibus barbaris Christianorum adventum, atque ab iis exitium allatum iri ementitos addit Petru Martyr: *Dignum memoratu hoc unum accipito, princeps illustrissime, quod opus jam claudat. Tritissimum apud insulares nostri reperere duos fuisse quondam regulos, e quibus unus Guarionexii, de quo supra mentionem fecimus, fuit genitor, qui a cibo potuque dies quinque continuos abstinuerint, ut de futuris aliquid a zemibus acciperent. Eo jejunio grati zemibus se habuisse in responsis retulerunt, venturam non multos post annos ad eam insulam gentem coopertam vestibus, quæ ritus ac cæremonias omnes insulares esset vastatura, filiosque omnes ipsorum aut perenptura aut privatura libertate. De Canibalibus juniores conjecturam facientes, ubi adventare Canibales sentiebant, fuga sibi consulere statutum erat, neque umquam manus ultra cum Canibalibus conseruerunt. Cum vero Hispanos insulam ingressos viderunt, collectis de hac re conjecturis inter se hanc gentem esse illam augurati sunt. Nec illos fefellit opinio, submissi Christianis jam sunt omnes pertinacibus omnibus interfectis, nec ultra de zemibus extat memoria, ad Hispaniam namque sunt omnes asportati, ut eorum ludibria & dæmonum fallacias nosceremus.*

*Prædictus insularibus Hispanorum adventus.*

*Christianorum adventu dæmones fugati.*

XLIV. Huic commentario alium addidit author (a) Mendozio Tendillæ comiti Granatæ proregi inscriptum, in quo de iisdem Hispaniolæ incolis ad Christianam religionem traductis hæc ait: *Dociles sunt priscorum rituum penitus obliti pie credunt & recitant que de nostra fide edocentur, regulorum filios erudiunt domi primarii ex nostris literasque ac vulgares & urbanos mores facile pueri ebibunt: grandævos ad natales mittunt, si præcipue patres interierint gubernatum avitos incolas: hi jam fide valent in Christum & nostros incolasque suos in amore retinent.* Exeunte anno superiori Vincentius Agnes cognomento Pinzonus, fratrisque sui filius, qui Christophorum Colonum in novo orbe patefaciendo sociarunt, quatuor navibus comparatis Hispania solventes post varios labores hoc anno meridionales continentis novi orbis terras incognitas lustrarunt, novaque ad antarcticum sydera observarunt, necnon mira alia divini artificis opificia, de quibus lector avidus authorem consulat, qui ita concludit: *Magna laude digna est hac nostra tempestate Hispania, quæ latentes hactenus tot antipodum myriades nostris gentibus cognitas effecerit.*

*(a) Cap. 10.*

*Propagata apud insulares religio.*

*Lustrari cœptus continens Americæ.*

XLV. Eodem anno rectri  cursus divina providentia patefacta est a Lusitanis Brasilia, sive novi orbis meridionalis pars, cum illi tendere in Indiam molirentur: ut vero gesta sit res, describit Joannes Barrosius (b), non fuisse nimirum fractos Lusitanorum animos in conquirendis ob navigantium creberrima funera, sed spe majorum rerum accensos, atque Emmanuelem Regem, cum Maurorum in Indiis adversus Christianos tumultus fraudesque perpendisset, non jam exploratoriis navibus, sed justis classibus orientem peragrare decrevisse, ut hostes edomaret, Regesque barbaros virium opumque ostentatione ad suam amicitiam pelliceret. Instructa itaque navium tredecim classe octavo martii die dominico ineuntis sæculi peractis in templo Mariæ Bethlemitanæ divinis mysteriis, concioneque a Dominico Ortizio episcopo Ceptensi de evangelio Christi Indis inferendo habita, Petro Alvaro Caprali classis præfecto crucis dominicæ vexillum prece sacratum tradidit, ut illud coram barbaris circumferret, atque instructa religiosa pompa a sacerdotum agmine divinam opem implorante in naves deduxit.

*Patefacta a Lusitanis Brasilia.*

*(b) Barros. l. 5. c. 1. Osor. l. 2. Maffeus l. 2.*

*Expeditio suscepta in Indiam.*

XLVI. Impositi sunt classi mille ac ducenti viri rei maritimæ bellicæque peritissimi, & octo sacerdotes una cum vicario ad sacramenta classiariis, nec non præsidiariis illius arcis, quæ extruenda in solo Indico erat, administranda, & octo præterea Minoritæ, quibus Henricus postea Ceptensis episcopus præerat, ad fidem Christi barbaris prædicandam lectissimi, dataque (c) sunt Caprali imperia, ut Mauros atque contumaces idololatras perdomaret; sacerdotibus vero, ut barbaras gentes ad nefarios ritus deserendos, Christique fidem amplectendam, nec non mutuam colendam amicitiam, cum omnes ab uno eodemque conditore simus creati, redempti-

*Quis militum & sacerdotum numerus classi impositus.*

*(c) Barros. eod. c. 1.*

Quæ data iis imperia.

ptique a Christo tot annorum millibus, antequam veniret, a patriarchis & prophetis prænuntiato hortarentur.

XLVII. Solútis anchoris die nono martii, quem mensem ad iter Indicum maxime idoneum monstravit usus, tertiodecimo die ad Hesperidas pervenit, circumque eas insulas tempestate jactatus adeo, ut e navibus una luctata cum ventis Olissiponem redierit, aliæ duodecim ad Bonæ spei promontorium flectendum facilius in occidentem progressæ post mensem circiter in continentis incogniti conspectum vigesima (a) quarta aprilis die ventis, vel potius divino nutu, delati sunt, ubi portus, cui a situ & tuta statione Securi nomen impositum est, classem excepit.

(a) *Itinerar. Portugal. c. 64.*

XLVIII. Crucis vexilla defixa in Brasilia.

Defixa sunt in eo litore præalta crucis vexilla solemni ritu, ac prece consecrata, a qua S. Crucis novæ telluri salutiferum nomen inditum, quod postea a profano vulgo commutatum atque ex rubro ligno brasilo nuncupato, quod tingendis vestibus inde petitur, Brasiliæ cognomen datum est. Peracta primum in eo continente divina mysteria in subdnctili ara fuerunt ab Henrico S. Francisci instituta sectante. Porro Brasilii politiores artes, nec non numerandi rationem ac literas ignorabant, nonnulla tantum de Noe deque diluvio tanui traditione a patribus acceperant: Deum non colebant; ominibus vero & auguriis ad insaniam erant addicti, de quorum impostoribus, qui religionem furore simulabant, hæc prodit Osorius.

Diluvii famam a Patribus acceptam tenent.

XLIX. *Est* (b) *in magno apud illis honore quoddam genus hominum maleficum, quos de rebus incertis consuluut; appellantur ab ab illis Pages. Hi gestant in summa sagitta cucurbitam in faciem hominis figuratam: quoties autem illis libet intra cucurbitam ignem subiiciunt, fumum ex herbis congestis faciunt: tum fumum illum naribus accipiunt usque eo dum ebrii vacillent, & corruant, & extra mentem rapiantur; habent enim herbæ illæ eam vim, ut fumo quasi vino supra modum sumpto mentem eripiant. Tum vero stridere dentibus, in ore spumat agere, oculos torquere, necem multis comminari, turbulentis motibus & gestibus eos, qui circumsident, enterrere, nemo enim suspicatur illos absque divini spiritus instinctu tam horrendas voves jacere. Quod si quis ex illis, quibus homo ad eum modum lymphaticus quidquam dirum prænuntiavit aliquem gravem casum subierit, non dubitant, quin illud supplicium ad eam divinationem referendum sit. Hi quocumque veniunt summo omnium plausu recipiuntur: viæ muniuntur, carmina ad tibias gentis more con-*

(b) *Osor. l. 2.*

Inter eos Magi sibi mentem eripiunt ut dæmonem evocent.



*cinuntur, choreæ agitantur.*

De horum populorum barbarie immanissima plura refert idem author, ac describit varios ritus ferinos, quibus homines per ludum mactabant ac vorabant, tum subiicit: *Sunt & alii silvestres atque montani homines, qui cum iis, qui in domibus habitant continenter bella gerunt, eisdemque se sceleribus & eadem immanitate contaminant. Nullum apud eos delictum plectitur præter homicidium, coguntur enim hi, qui sanguine conjuncti homicidæ sunt, eum tradere illis, qui cæsi necem propter sanguinis communionem & propinquitatem jure persequuntur, hi vero eum strangulant atque sepeliunt, & cum multis omnium propinquorum lachrymis atque lamentis utriusque mortui funus instaurant, epulasque dant, in quibus omnes depositis inimicitiis accumbunt. Quod si casu aliquo homicida subterfugiat, tum eorum filiæ, vel sorores, vel cognatæ occisi propinquis in servitutem traduntur, & sic demum omnis utrinque discordia oblivione sepelitur.* L.

*Operæ pretium mihi visum est tam barbaros æque & immanes mores oratione describere, ut intelligi possit in quantam errorum colluvionem incurrat humanum genus literis & humanitate destitutum, & quod multo funestius est præsidio sanctissimæ religionis orbatum, & simul cognoscatur quanta benignitate clementissimus rerum omnium dominator huic miserrimæ genti Portugallensium in eas oras adventu prospexerit, Christianorum enim consuetudine & familiaritate, & hominum sanctorum societate, quam Jesu nominant, quos Portugalliæ Reges in eas partes misere disciplinis factum est, ut multi dispulsis tenebris errores, in quibus versabantur, clare perspiciant, & ad Christi oprimi maximi studium ardentibus animis excitentur, & ingentes Deo gratias ob tam divinum beneficium grata atque memori voluntate persolvant.* At de gentibus illis ad Christi signa traductis dicetur suis locis: nunc ad Lusitanos revertamur. LI.

Misera Christi cognitione destitutorum sors.

Data a Jesuitis egregia opera in convertendis Brasiliis.

Completus gaudio ob inventam novam illam tellurem uberrimam Capralis, duos ex iis, qui morti ob crimina in Lusitania adjudicati, veniaque donati fuerunt, deseruit, ut barbarorum usi consuetudine perdiscere eorum linguam, ac postea sacerdotum ad fidem Christi prædicandam interpretes esse possent: at ipsi, ubi se omni Christianorum auxilio destitutos videre (c) mœrore pressi fundere fletus cœperunt, quos regionis incolæ eorum sortem miserati solabantur, quorum alter multis laboribus cum barbaris toleratis, superfuit, maximo postea ad commercia LII.

(c) *Itiner. Portugall. c. 66.*

erudiendosque Christi fide Brasilienses usui futurus (a): rum Capralis ad sulcandum immanem illum maris trajectum, qui mille & ducentarum leucarum spatio ad Caput bonæ spei patet, vela solvit. Navigantibus cometa dirus Arabiam versus prospectus est diu noctuque octo circiter diebus, obortoque repentino turbine quatuor naves ad contrahenda armamenta segniores demersæ (b) sunt, reliquæ procelloso mari disjectæ sextodecima (c) julii die ad Zophalæ aurifodinis, Maurorumque commerciis celeberrimæ littora, objacentesque duas amœnissimas insulas pervenerunt, una excepta, quæ tempestate in mare Arabicum impulsa in Lusitaniam cum sex tantum hominibus, morbis & fame cruciatis, rediit (d).

*Quatuor naves mari pereunt.*

(a) *Maff. l.2.*
(b) *Cap. 67. Barros. dec.1. l.5.c.2. Osor. l. 2. Maff. jus l. 2.*
(c) *Itiner. Portug. c. 68.*
(d) *Osor. l.2. Maff. l.2.*

LIII. Intento in Indiam cursu ad Anchedinam insulam divertit Capralis, in qua omnes sacramentis se communivisse refert itinerarii author (e): *Complusculis*, inquir, *diebus immorati divinis insistebamus, id est solemniis missarum, & unusquisque nostrum sacram Eucharistiam sumpsit, nam ibant nobiscum complures sacerdotes, ut cum negotiatore nostræ patriæ vitam ducerent in urbe Calecuth*. Appulit (f) in eum portum decimatertia septembris Lusitana classis, instaurataque inter Lusitanum & Calecutiensem Reges amicitia, quæ paulo post, orta inter Christianos & Saracenos seditione, violata est, in qua seditione e nostris quinquaginta numero obruti periere, quæ injuria captis decem Maurorum navibus, sexcentisque Mauris contrucidatis, vindicata (g) est. Fuit hæc ingentium postea bellorum, quibus Lusitani divina vi superiores Indiarum imperium sibi peperere, ac superstitionem Mahumeticam diabolicosque ritus delere cœperunt. Adeo vero dæmonum servituti addictos eos fuisse tradit scriptor itinerarii, ut sæpius dæmones se illis videndos obiicerent, colloquerenturque, tum de regno Narsinga hæc referr (h): *In montibus non longe ab urbe Calecuth Reu dominatur longe potens multarum rerum dominus, Naremgha dicitur, idola colit, conjuges habet supra trecentas, fato functus comburitur, & cum eo conjuges omnes: cæteri vero, cum vitam exuerint, in fovea comburuntur, & eorum conjuges omni mundo muliebri exornatæ illo contendunt, concomitantibus parentibus & cognatis omnibus, subsequentibusque choraulis & tibicinibus applausu immodico ad foveam deveniunt, & ibi conjux, quæ comburi vult cum viro circumvehitur foveam, gestiens ac tripudiis insistens, & demum ut cancer reptando incedit, quoad sese in ardentem foveam præcipitet. Astant etiam memorati affines observantes factum, quoniam cum sese præcipitem dederit mulier, mox iniiciunt ollas olei & butyri super corpus mulieris, ut hoc fomento altus ignis citius comburat conjugem*. Hac insania fascinatos Tartaros, nec non alios orientales, jam ante ex Marco Paulo Veneto vidimus.

(e) *Cap. 71.*
(f) *Cap. 72.*

*Inter Saracenos & Lusitanos bellum exortum.*

(g) *Ib. c. 77.*
(h) *Id. c. 76.*

*Calecutii Rex idololatra.*

*Feralis desperatio per locum celebrata.*

LIV. Cæterum Lusitani Calecutiensium perfidiam ulti, atque incensis in portu pluribus navibus Cochimum abiere, quæ regio omni aromatum genere affluit, ubique sunt cujusdam Brachmanis e veteri superstitione ad Christi cultum traducti opera ad fœdus cum Rege Cochimensi, qui occultas cum Calecutiensi simultates gerebar, sanciendum. Opprimere in Cochimensi ora Lusitanos Calecutiensis immissa classe proximo ineunte anno annisus est, sed ii aromatibus onusti in Lusitaniam cursum direxere, qua de re inferius dicetur.

*Lusitani Calecutio Cochimum abeunt.*

LV. Eodem anno suscepta est ardua navigatio ad lustrandas septentrionales oras a Gaspare Corteregali, cum nullum præclarius facinus obire se posse putaret, quam barbaras nationes detegere, quæ a ferina vita ad humaniorem, nec non ad verum Dei cultum traducerentur, de quo hæc Osorius historiæ mandavit (i): *Gaspar Corteregalis anno MD. Olissippone profectus cursum in septentrionalem plagam direxit, ad terramque tandem pervenit, quam propter singularem amœnitatem viridem appellavit. Homines, ut ipse postea referebat, sunt barbari & inculti, colore candido, qui tamen color ætate propter magnitudinem frigoris infuscatur, valent plurimum celeritate, sunt jaculandi peritissimi, jaculis utuntur in summo perustis, quibus coniectis hostes ita traiiciunt, atque si ferro armata fuissent, pellibus animantium vestiuntur, antra colunt, aut humiles casas stramentis tectas excitant, in quibus habitant. Nulla religione astricti sunt, auguria tamen sequuntur, uxores legitimo sibi matrimonio copulant, de fide & pudicitia uxorum valde soliciti sunt, cum sint natura suspiciosi*. Reversus in Lusitaniam Gaspar proximo anno in eandem regionem se contulit, sed quid illi acciderit, quidquam accipi nunquam potuit. Ejus vero frater Michael illius casus cognoscendi cupidus altero post anno easdem regiones petiit, nec ultra comparuit: ad quos conquirendos dimissa postea ab Emmanuele Rege classis nil de eorum exitu potuit cognoscere, tellusque viridis amisso nomine pristino Corteregalium tellus appellari cæpit.

*Corteregalis in septentrionem ardua navigatio.*

(i) *Osor. l.2.*

*Terra viridis ab eo inventa.*

LVI. Hoc anno: *Feria secunda*, inquit Burchardus (k), *vigesima octava ejusdem mensis*

*Qui fuerint in illud asciti.*

(k) *Burchar ms. arch. Vat. p.2. in Alex. VI. p. 96.*

*fis in secreto consistorio creati & pronuntiati fuerunt duodecim Cardinales videlicet, Didacus archiepiscopus Hispalensis, Jacobus archiepiscopus Arborensis, Thomas archiepiscopus Strigoniensis, Petrus archiepiscopus Reginus gubernator urbis, Franciscus Borgia archiepiscopus Cusentinus thesaurarius generalis, Joannes archiepiscopus Salernitanus, Ludovicus Caputaquensis secretarius Papæ, Antonius episcopus Cumanus, Joannes Baptista episcopus Mutinensis datarius, Amaneus de Albreto sororius ducis Valentinensis, Ludovicus de Borgia, Marcus Cornarius Venetus. Quorum sex fuerunt ab urbe absentes, alii vero sex videlicet Arborensis, Reginus, Cusentinus, Salernitanus, Caputaquensis, & Mutinensis in urbe præsentes. Facta pronuntiatione fuerunt vocati ad consistorium, & ibidem apertis januis osculari pedem, manum & os Papæ & ab omnibus antiquis Cardinalibus recepti ad osculum oris.*

LVII. Variæ Cardinalium ad Reges transalpinos legationes.

*Feria secunda quinta mensis octobris prædicti fuit consistorium secretum in quo sanctissimus dominus noster clausit os novis Cardinalibus, & creavit tres legatos de latere videlicet Gurcensem ad Alemaniam, Reginum ad Hungariam, & Salernitanum ad Franciam.* Et infra: *In eodem vel alio consistorio sequenti Papa dedit titulos novis Cardinalibus præsentibus & successive absentibus, quos omnes hic notabo ac si eadem die essent omnibus simul dati. Didacus tituli S. Sabinæ presbyter Cardinalis Hispalensis patriarcha Alexandrinus, Jacobus tit. S. Vitalis presbyter Cardinalis Arborensis, Thomas tit. S. Silvestri presbyter Cardinalis Strigoniensis, Petrus tit. S. Cyriaci in thermis presbyter Cardinalis Reginus, Franciscus tit. S. Cæciliæ presbyter Cardinalis Cusentinus, Joannes tit. S. Balbinæ presbyter Cardinalis Salernitanus, Ludovicus tit. S. Agathæ presbyter Cardinalis Caputaquensis, Antonius tit. S. Anastasiæ presbyter Cardinalis Cumanus, Joannes Baptista tit. Grisogoni presbyter Cardinalis Mutinensis, Amaneus tit. S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus Cardinalis de Albreto, Ludovicus S. Mariæ in via lata diaconus Cardinalis de Borgia, Marcus S. Mariæ in porticu diaconus Cardinalis Cornarus.*

LVIII. (a) Trithem. in chron. Spanhei. Sanctimonialis Christi vulnerum stigmatibus insignita.

Claruisse tunc in Italia virginem sanctitate illustrem, in qua passionis dominicæ insignia conspecta sint, refert Trithemius hisce verbis (a): *His temporibus claruit in Italia in civitate Ferrariensi virgo quædam devotissima dominicæ passionis meditatrix ferventissima, nomine Lucia, soror professa sub tertia regula S. Dominici ordinis Prædicatorum, stigmatibus crucifixi visibiliter & sensibiliter insignita, quæ omni sexta feria sanguinem fluentem de se manifeste emittunt, & licet præfata virgo continuum eorum stigmatum sentiat dolorem, quartis tamen & sextis feriis amplius cruciatur. Hæc stigmata multi viri docti & clarissimi & viderunt & palparunt, qui testimonium miraculo perhibent, quorum testimonio nos contradicere nec volumus nec debemus.* Conspecta a se & palpata eadem stigmata, dum censoris fidei munere fungebatur, testatur Henricus Institoris (b) in libro, quo veritatem fidei catholicæ cœlestibus prodigiis hoc tempore confirmatam probat adversus hæreticos. Idem etiam testatur publicis literis (c) Hercules dux Ferrariæ ad divina miracula, quæ viderat, prædicanda, ut fideles in constantia fidei corroboraret.

(b) Hen. Inst. in tract. contr. Pick. (c) Ext. apud Henr. Inst.

*Hercules dux Ferrariæ, Mutinæ, & Rhegii, Marchio Estensis, comesque Rodigii, &c.*

Publicæ ducis Ferrariæ de ea re lit.

*Non ignoramus ea, quæ a summo rerum opifice in servorum suorum corporibus ostenduntur, ad fidei nostræ confortationem, & robur, & impiorum, & indurati cordis virorum incredulitatem submovendam non satis eleganter & digne narrari posse: tamen pro devotione nostra, & ut universis pateat, quæ sentimus, vidimus & habemus, his nostris patentibus literis fidem facimus & attestamur, & in verbo veritatis profitemur, venerabilem sororem Luciam professam tertii ordinis Prædicatorum virginem pudicissimam, & sanctitate præstantem, patria Narniensem, & quæ Viterbii commorari consueverat, & nunc in hac civitate nostra Ferrariæ degit, stigmata vulnerum domini nostri Jesu Christi in corpore suo manibus, pedibus in pectore & latere sinistro gestare, & miraculose ac mirabiliter, ipsa enim stigmata non semel, sed sæpe, & pluries vidimus & tetigimus, & in præsentia plurium & medicorum & aliorum virorum excellentium, & in omni facultate præstantium, palpavimus & palpari fecimus, ne forte quispiam de ipsorum veritate modo aliquo dubitationem afferat. Quæ quidem soror Lucia, sicut verbo affirmat, nec si vellet diffiteri posset, cum ex exterioribus, & ex motu corporis id satis percipiatur dolorem continuum ex ipsis stigmatibus patitur, vehementius tamen feria quarta & longe intentius feria sexta affligitur & premitur, & ex ipsis stigmatibus eo tempore manat sanguis, ut palam est videre, & quæ stigmata ab hinc quadriennio dum in matutinis quadam nocte cum aliis sororibus Altissimo psalleret & benediceret misericorditer recepit. Hæc igitur universis manifestandum duximus, ut quæ audivimus,*

*vidimus, & tetigimus credant, & firmiter teneant, sciantque nihil nos dixisse aut affirmasse, de quo non valeamus probationem, si oportuerit, exhibere, &c.* Subdit idem dux Stephanam sanctimonialem Cremæ singulis sextis feriis passionem Domini sustinere, Perusii Columbam sola Eucharistia vitam sustentare, Mantuæ Susannam fama sanctitatis inclarescere, ac plures alias virgines sacras in variis locis divinas extases pati. *Datum Ferrariæ in palatio nostro anno dominicæ nativitatis MD. indictione tertia, die quarto mensis martii.* Auxit Lucia beatarum virginum numerum, & miraculis claruit, ut refert Serarius (*a*).

(*a*) *Serar. in novo catal.*

LIX. Cruces signis in German. vestibus divinitus impressæ.

(*b*) *Trithem. ubi sup.*

Tradit præterea prædictus Trithemius (*b*) ingens factum hoc anno prodigium in Germania, conspectas nimitum in hominibus, atque omnis generis veste seu sacra seu profana cruces divinitus impressas, sive ut refectis vitiis memoriam passionis dominicæ recolerent, sive viso mortis Christi signo ad imminentem mortem pie se compararent mortales: nam ingentem postea hominum multitudinem epidemia periisse narrat author, qui rem adeo admirandam locorum circumstantiis consignat his verbis: *Anno Joannis Trithemii abbatis nostri* XVII. *& sequenti apparuerunt cruces in lineis vestimentis hominum, in camisiis, in peplis mulierum, in mensalibus, & linteaminibus non solum in his, quæ habebantur in usu, sed etiam in illis, quæ in cistis inclusa nullum aeris influxum habere videbantur. In corporalibus quoque & pallis altarium, & albis similiter multoties apparuerunt. In Sobernheim & Meysenheim primo visæ sunt cum maximo vulgi timore & horrore tam subito, quod aliquando dum Salve cantaretur in ecclesia, triginta homines cruces habuisse, quas antea non habuerant, inventi fuerint. Posthæc apparuerunt in Crentzenach & villis circumiacentibus, deinde in Bingen & in Moguntia, & consequenter in multis Alemanniæ locis. Erant autem cruces parvulæ, varii, ac confusi coloris, ac si pannus aliqua pinguedine mixti coloris essat inunctus, nec poterant qualibet lotione deleri, sed post diem nonum aut decimum per se deficientes evanuerunt. Has cruces magna pestilentia hominum in multis locis post biennium subsecuta ast.* Leodii etiam proximo anno hujusmodi cruces divinitus efformatas mulierum candidas vestes magno spectantium horrore distinxisse ex Nauclero inferius videbimus: quæ non sine magno divinæ providentiæ consilio contigisse conspicuum est, cum nefanda secta oriretur, in qua initiandi negabant crucem Christi, & cum sacris mysteriis interessent, ad singula sacerdotis verba blasphemam vocem repeterent: Mentitum est, tum etiam imminentes Lutheri, Zuinglii, & Calvini hæreses crucis Christi signa ac memoriam delere annisuræ forent.

Prodigium in multis locis conspectum.

Consequuta biennio post sævissima pestis.

LX. Waldensium hæresis in Bohem. repullulat.

(*c*) *Apud Henr. Inst.*

Repullulabat hoc tempore in Bohemia & Moravia fœdissima Waldensium hæresis, pluresque salutis suæ immemores proposito fœdissimarum voluptatum lenocinio irretiebat, ad quam pestem excindendam præpositum Nuemburgensem pietate & doctrina conspicuum, atque Henricum Institoris (*c*) ordinis Prædicatorum fidei censores creavit Alexander Papa, amplissimaque authoritate instruxit apostolico hoc ad eos misso diplomate.

*Dilectis filiis præposito Nuemburgensi Closternunburg nuncupato, & Henrico ordinis fratrum Prædicatorum & theologiæ professori, & hæreticæ pravitatis in Germania inquisitori nunciis nostris salutem & apostolicam benedictionem.*

*Crebris fidelium relationibus & querelis certiores in dies reddimur in multis Christiani nominis regionibus, præsertim in Bohemiæ regno ac provincia Moraviæ, multos nequissimi hostis venenis infectos contra catholicam veritatem in verba blasphemiæ prorumpere, & in prava hæreticorum dogmata impudenter quasi furore, quod collisos corruere contra matrem suam sanctam Romanam ecclesiam, quæ Apostolorum Petri & Pauli sanguine consecrata omnium ecclesiarum a Domino primatum obtinuit, dolosis artibus & figmentis insurgere. Additur etiam non vanis rumoribus aut levi infamia, quod quamplurimi illarum regionum in damnatas Waldensium hæreses prolabantur, & cum damnatis quamplurimis aliis hæresibus ipsi quoque in æternæ damnationis barathrum ultro sese immergentes Dei Ecclesiam supra solidam petram Petri a Domino, sicut promissa fuerat, ædificatam, quæ unica columba, sponsa pulchra sine ruga & macula, hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ merito appellatur, dentibus viperinis lacerare, & rabido morsu dilaniare conantur. Ipsam sane Ecclesiam impetunt, quæ disponente Domino semper immaculata, firma, immobilisque & permansit & permanebit: hanc diruere diabolicis versutiis & penitus destruere moliuntur. Nos itaque, quibus & pontificalis officii necessitas, & Christiani gregis discrimen, & catholicæ fidei oppugnatio nullum differendi dissimulandique aut tacendi locum relinquunt, quinimmo ad clamandum incessanter & imminenti cladi obviam ire nos excitant, ut morbos hujusmodi contagiosos & pestiferos a caulis nostris auferamus, ad loca illa Bohemiæ & Mo-*

ra-

*noviæ, a tam pestifera infectione & perditione expurganda solicitudinis nostræ studium vehementissime direximus. Ea propter viris aliquibus fide solida & religionis cultu insignibus, sanctimonia vitæ præclaris, justitiæ, & rerum experientia probatis, sacrarum literarum doctrina præstantibus hujusmodi negotii curam demandandam duximus, qui populos illos verbo & opere & exemplo admonere, & cohibere rebelles severitate disciplinæ & compescere queant, vinum & oleum vulneribus infundentes, aut si cancerosa illa fuerint cauterio & ferro quidquid putridi fuerit resecantes languentes, & hæreticæ pravitatis jaculis transfixos curare diligenter & feliciter valeant.*

LXI. *Ad regnum itaque Bohemiæ & Moraviæ provinciam vos dilectos filios præpositum Nuemburgensem vulgariter Closternumburg nuncupatum, fratremque Henricum Germaniæ inquisitorem ordinis Prædicatorum de fide & sanctimonia, doctrina & prudentia nobis plurimum commendatos, nostros & Apostolicæ sedis nuntios præsentium tenore committimus & mandamus, ut ad Olomucensem civitatem & diœcesim, reliquumque Moraviæ & Bohemiæ regnum personaliter vos conferatis, & cum venerabili fratre nostro Stanislao episcopo Olomucensi, cujus animum orthodoxæ fidei zelo ardere cognoscimus, ac cum consulatu dictæ civitatis, quos etiam ad defensionem & propagationem fidei vobis præsidio affuturos non dubitamus, aliisque prælatis, baronibus, viris doctis catholicis, quorum copiam ibi inveniestis, magna cum solertia perscrutemini, & diligenti inquisitione & mature investigetis, qua via quibusve remediis tam pestiferum virus, & tam contagiosa labes ab illorum populorum animis aboleri possit, vel saltem compesci, ne pars sincera fidelium ulterius corrumpatur, quidve a vobis in hoc fidei negotio agendum sit mature & diligenter exquiratis, ut quæ per informationes & inquisitiones hujusmodi inveneritis, & quæ fidelium consiliis & prudentia vestra agenda judicaveritis, nobis referre valeatis, descendentes quoque ad loca hæreticis pravitatibus polluta animarum saluti, quantum divina gratia vobis subministrabit, consulere studeatis, errores amovere de cordibus hominum, causas errorum confutare, occasionem perditionis aut relapsus auferre, quo poteritis ingenio, contendatis, quos in fide stabiles inveneritis ad perseverandum in ea exhortemini, & in viam rectam dirigatis, & confirmetis, illosque, prout expedire videritis, coadjutores solicitudinis vobis commissæ assumatis, aberrantes ab ovili dominico & catholica veritate suadendo, arguendo, obsecrando, increpando in semitam salutis perducatis, & ut ad cor & dominum redeant elaboretis, hisque omnibus nostram & apostolicam benedictionem impendatis. In perfidia autem & obstinata hæresi persistentes reprehendite, cohibete, & cum Spiritus Sanctus non habitet in eis, quantum poteritis ab eis cavete, dicente Apostolo: Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem devita, sciens quia subversus est, pariterque alios fideles, ut tales hæreticos fugiant & vitent, ac in nullo eis faveant vel communicent, ne cum eis in perditionem ruant, monete, & debitis execrationibus & censuris prohibete: libros hæreticum dogma continentes comburi mandetis, vestrosque catholicos tractatus & sermones adversus ipsorum perfidorum errores, si opus fuerit, impressoria arte non tantum per vicinas regni Bohemiæ, sed & per omnes Germaniæ partes vobis, seu alteri dudum commissas, distribuere procuretis. Ad prædicandum etiam verbum Dei, & evangelicam veritatem publice declarandum viros ad hoc etiam doctos, bonæ conscientiæ, & catholicos deputando, contradictores circa præmissa per censuras ecclesiasticas & juris remedia reprimatis, invocando ad hoc, ubi opus fuerit, auxilium brachii sæcularis, & ubi facultas locusque tutus dabitur per legitimas inquisitiones & processus in talibus fieri solitos contra hæreticos illarum partium, nec non contra maleficos, phantasmata, Herodiades, ut verbis B. Augustini utamur, & magicas artes sectantes, receptatores, & fautores hæreticorum, maleficorum, & magicarum artium sectatores, nostra authoritate procedatis, eos tales declarando judicetis, & severitatis acrimonia plectendos, prout sacri canones decernunt, sæcularibus potestatibus tradatis, & alia omnia & singula, quæ ad officium inquisitionis hæreticæ pravitatis pertinent, adimpleatis & exequamini. Quod si non ambo his, quæ necessaria erunt in præmissis agendis vel exequendis interesse poteritis, alter vestrum injunctum hujusmodi munus, & quæ agenda erunt adimpleat, & exequatur. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ MCDXCIX. pridie kal. februarii pontificatus nostri anno VIII.*

Inquirere jussi in impios.

Amplissima authoritate instructi.

In eorumdem studiosos jussi animadvertere.

Prolapsos in Waldensium veterum sive Pickardorum errores plures Calixtinos, qui in retinendæ communionis sub utraque specie pertinacia obfirmati ad sinum ecclesiæ non redierant, deplorat Henricus Institoris (a) in literis ad episcopum Olomucensem datis; prodigio enim fuit simile, eos, qui tantam pietatis speciem per summam hypocrisim præ se ferebant, LXII.

(a) *Henr. Instit.*

er-

erga sacram Eucharistiam & calicis usum, in eam vesaniam lapsos, ut Christum sub ulla specie contineri demum negaverint.

. *Reverendissimo in Christo patri & domino domino Stanislao Dei & Apostolicæ sedis gratia ecclesiæ sanctæ Olomucensis præsuli dignissimo, Henricus Institoris.*

*Adversus Waldensium fratres, quos vulgo Pickardos vocant, insultus longe major pigritiæ catholicis doctoribus venit excitator, cum ipsa rabiem omnium hæresum in suis hæresibus excedere noscitur. Quid enim crudelius, ubi non portio aliqua Ecclesiæ, ut vestra præclara Olomucensis existit diœcesis, immo totius Christianæ religionis conari videntur fundamenta convellere, tantæque contagionis, ut cæteri etiam erronei relictis suis erroribus pristinis, ut in Calixtinis novissime patuit, potius quam ad unitatem Ecclesiæ sanctæ matris redeant diabolicis Pickardorum erroribus se involvunt, & qui prius compactata & calicem usque ad sanguinem prætendebant defendere, jam ad indicium errorum præcedentium pejoribus sordidantur, & non mirum cum talis instabilitas propria sit hæreticorum, ut & qui prius verum Christi corpus & sanguinem sub utraque venerabantur specie, jam omnia hæc negantes, suos insuper prædecessores errasse tanquam damnatos abiiciunt, simplicem panem cum his perfidis post consecrationem affirmantes. Et cur hæc, nisi ut sub libertate viventes decorem Ecclesiæ in statuum, officiorum, & dignitatum varietate, quibus ipsi carent, obfuscare & labefactare possent?*

Calixtinorum infelix lapsus.

LXIII. *Et de cæteris quidem Germaniæ nationibus quid sentiendum, dum odium cleri secundum Bernardum super cantica sit initium hæresum, in quo sæcularis potestas quanto amplius incrassatur, tanto plus Pickardorum falsa dogmata si non acceptantur, tandem dissimulantur, unde & multis schismatibus, principum dissensionibus, populorum scandalis, animarum periculis vias pandunt, quare revera, ut præmissum est, nisi sponsus Ecclesiæ festino succurreret remedio nihil eu ipsius corporis compage inconcussum evaderet:* Et infra: *Utinam attenderent pagani, utinam Judæi, & omnes hæretici cum quanta animi securitate conscientiæque firmitate pro hac nostra veritate fidei ad divinum indicium poterimus accedere! Nonne cum omni confidentia Deo dicere poterimus. Domine si error est, in hac nostra credulitate a te decepti sumus, nam ista tantis signis & prodigiis confirmatur, & talibus, quæ non nisi a te & per te fieri possunt? Et certe a prædictis summa sanctitate sunt nobis tradita viris, & cum summa & authentica attestatione comprobata, te ipso cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Ex odio in clerum nascuntur hæreses.

Fidei Christianæ quanta sit certitudo.

Profectus in Bohemiam Henricus Institoris a novatoribus quæsivit, quæ causa eos ad deferendam catholicam Ecclesiam toto diffusam orbe, adeundaque impia Waldensium conventicula impulisset. Qui hypocriseos larva subornati, & impietatis veneno turgidi septem defectionis suæ causas attulere, ut ipse narrat (a), easdemque confutat: *Causas*, inquit, *septem vel difficultates inquisitori obiiciunt super causam rebellionis Waldensium contra Romanam ecclesiam, quas æstimant esse justas, ut non habeant obedire. Prima quod Romana ecclesia omnibus vitiis est permixta, unde malignantium censetur non Christi sponsa.* Contra hanc propositionem contradictoriam opponit: *Contra primam causam rebellionis datur hæc conclusio. Abstrahere se ab obedientia sanctæ Romanæ ecclesiæ, eo quod permixta sit reprobis & bonis, est conjungere se numero damnatorum, ubi talis permixtio non existit.* LXIV.

(a) Id. ib.

Sophisma hæreticorum cur deseruerint Ecclesiam Rom.

Refellitur.

*Probat dicta firmissimis argumentis, quid enim aliud prætendit doctrina Christi Matthæi* XIII. *ubi regnum cælorum, id est, sanctam Ecclesiam Dominus comparavit sagenæ missæ in mare & ex omni genere piscium congreganti scilicet bonos & malos, ut per se Christus exponit & post dicens: elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt: ubi Gregorius in homilia: sancta Ecclesia comparatur sagenæ missæ in mare & ex omni genere piscium congreganti, quia nunc bonos malosque communiter quasi permixtos pisces fidei sagena continet, sed littus sanctæ Romanæ ecclesiæ, id est, finis indicat quos sagena trahat. Et iterum in alia homilia. Boni soli nusquam sunt nisi in cælo, & mali soli nusquam nisi in inferno, hæc autem vita, quæ inter cælum & infernum sita est, sicut in medio existit ita utrarumque partium cives communiter recipit, quos tamen sancta Ecclesia & nunc indistincte suscipit, & postmodum in egressione discernentur.* LXV.

Ecclesia Christo teste ex bonis malisque permixta.

*Secunda quia non est obediendum Papæ moribus suis pravis scandalizanti Ecclesiam, cum per subtractionem obedientiæ cogatur ad corrigendum se in moribus.* Convellit hanc argutiam Henricus ex 1. Petri II. *Obedite dominis vestris non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.* Item ad Roman. XIII. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, sive Regi tanquam præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis.* Et infra: *Denique de spirituali potestate voluit Dominus intelligi Matth.* XXIII. *super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi, quæcumque dixe-* LXVI.

Alius schismaticis prætextus.

*dixerint vobis servate & facite, secundum vero eorum opera nolite facere, ubi certum est, quod Dominus loquitur de malis, & cum illis dixit reverentiam esse exhibendam & obedientiam quoad eorum doctrinam vult Dominus prælatis etiam malis bonos subditos subesse. Adsunt etiam rationes ad hoc cogentes, si enim solis justis prælatis esset obediendum, cum nemo nec de se, nec de alio scire potest utrum sit justus juxta Apostolum. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, & quia quis de se non est certus, minus de alio, sequerentur duo maxima inconvenientia, primum quod si soli boni haberent prælationem in Ecclesia, ligare & solvere peccata, conficere & ministrare sacramenta fidelibus, quod nunquam fideles possent esse certi nec de baptismo, nec de remissione peccaminum per claves Petro datas, nec de veritate sacramenti Eucharistiæ.* Et infra: *Aliud inconveniens, quod Christus Ecclesiæ suæ, quam redemit sua morte, non sufficienter providisset, immo male instituisset, & quod non esset fundata in fundamento veritatis æternæ.* Cumque obiicerent adversarii, se Christum caput Ecclesiæ agnoscere, atque ab eo influxum excipere non ab alio; ita docuit Henricus præter supremum caput invisibile opus esse ministeriali & visibili: *Ex eo necessarium est habere caput visibile & conforme ex institutione Christi, & practica ab eo tenta: qua enim de causa noluit Petrum ante suam resurrectionem in pastorem ecclesiæ instituere, nec etiam claves Ecclesiæ sibi tradere, sed tantum promittere dicens: Tibi dabo claves, & non dixit: do claves Matth. XVI. nisi quod per se, dum adhuc erat mortalis, & conformis membris etiam sufficiebat Ecclesiam ipsam habere caput visibile & mortale? Ubi vero factus immortalis & invisibilis voluit suam Ecclesiam habere caput visibile & membris conforme dicens Petro, ut pastoralem curam gereret ovium. Pasce oves meas, unde & institutio Christi demonstrat Ecclesiam regendam non per Christum solum, quare etiam non obedire, sed esse separatum a tali capite est non recipere influxum vitæ spiritualis per sacramentorum susceptionem. Qua de causa sicut omnes episcopi assumuntur ab illo capite in partem solicitudinis ad pascendum & regenerandum oves. Ita omnes inferiores pastores & plebani ab episcopis assumuntur in partem solicitudinis, ut sic unitas & conjunctio membrorum ad caput servetur tam authoritativa, quam ministerialis, unde sine damno Ecclesiæ non fieret, ubi extra casum hæresis non esset Papæ etiam aperte malo obediendum.*

Demonstratur prælatis sive bonis sive malis parendum.

Dissolvitur.

LXVII. *Tertia quia dicimus Papam a nemine mortalium esse corrigendum nisi a Deo, ideo ipsi soli, qui ejus corrector est, æstimant esse obediendum, ne sibi videantur in mala opera sua consentire, & non sint aliqua remedia contra pravos mores Papæ ubi Ecclesiam scandalizat.* Hanc argutatiunculam omnem politicum & monarchicum statum pariter evertere demonstrat Henricus, ac pluribus probat non deesse remedia ad emendandum Papam, si pravitate morum offendiculum Ecclesiæ pepererit, nempe orationes ad Deum, qui Assueri & Nabuchodonosoris, aliorumque tyrannorum corda momento convertit, monitaque Cardinalium, tum subdit: *Non est verisimile quod ob turpem vitam aut mores unius summi Pontificis Ecclesia ipsa, cum qua Christus pollicitus est se esse tamquam protector fortem usque ad consummationem sæculi, debeat omnino perire, sicut enim ait Leo Papa sanctissimus scribens ad Pulcheriam Augustam. Non deserit Ecclesiam suam divina protectio dicente Domino: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Idem scribens clero & plebi civitatis Constantinopolitanæ: Nolite arbitrari, dilectissimi, quod sanctæ Ecclesiæ suæ desit, aut defutura sit divina protectio. Tum etiam quia non est diffidendum in simili articulo de clementia Salvatoris, qui etsi aliquando permiserit naviculam Ecclesiæ suæ multis persecutionum procellis agitari, numquam tamen passus est illam perpeti naufragium asseverante & dicente Domino Matth. XVI. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Ecce remedia, ad quæ convenientius & consultius in articulo necessitatis sive casus prædicti confugiendum foret, quam usurpando divinum judicium, & involvendo se infinitis difficultatibus, & multiplicando scandala scandalis tentare, ut etiam quidam catholici æstimant in tali casu ad veri & indubitati Pontificis Romani depositionem recurrere, cujus rei practica non modo divinæ majestatis, cujus judicium usurparet, esset offensiva, sed etiam nimis difficilis, utpote schismatis introductiva, quæ longe scandalosior & damnosior Ecclesiæ esse potest quam vita turpis unius Pontificis &c.*

Alia hæreticorum argutia.

Non periclitatur ecclesia ob pravos mores unius Pontificis.

Tunc ad Christum sacris precibus confugiendum.

LXVIII. *Quarta quia prælati non sunt imitatores Apostolorum in sanctitate vitæ, ideo nec in ecclesiastica potestate. Quinta quia status perfectionis omnino deficit in Romana Ecclesia.* Ostendit primum Henricus non posse æquari præsulum perfectionem cum Apostolis ob singularem eorum dignitatem, cum omnis perfectio cujuscumque religionis fundata sit super fundamen-

Antiqua Vvaldensium fallacia.

menta Apostolorum Ephes. 11. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & prophetarum*, licet in aliqua perfectione aliqui eos vicerint, qui regna amore Christi reliquerunt. Deinde directe ita respondet: *Dicitur quod sunt imitatores Apostolorum quantum ad professionem, quia profiteri oportet episcopos statum perfectionis, licet non statum perfectæ charitatis, quem etiam perfectionis statum si non servant, damnationem sibi ipsis accumulant, & non propterea Ecclesiam in aliis membris vivis mortificant & adnihilant, sicut perfidi hæretici æstimant, & hoc ideo, quia non sunt domini sacramentorum, sed ministri, &c.*

Divites prælatos posse esse imitatores Apostolorum ostenditur.

LXIX. *Sexta quia tempore schismatis, ubi duo vel tres se ingerebant pro summis Pontificibus sine obedientia Romanæ ecclesiæ fideles salvabantur, ita & nunc & ultimo allegant, quod jam per regnum Bohemiæ plures neutraliter vivunt.* Maximum inter hos discrimen intercedere demonstrat ita Henricus: *In illo schismate illi fuerunt vere & proprie schismatici qui præsentes, scientes factum contra jura scienter vel contra conscientiam fecerunt schisma tale passionibus ducti amoris vel odii, cupiditatis & ambitionis: alii vero, qui uni vel alteri Urbano scilicet vel Clementi obedientes adhærebant, moti ad hujusmodi tenendum non temporalitate, sed en conscientia en auditis consiliis peritorum, non erant vere & proprie schismatici, etiamsi ei, qui non erat verus adhæsissent, quia præter intentionem eorum erat error & divisio eorum, quamvis enim ignorantia juris divini vel naturalis neminem excusat, ut dicit Gratianus in dicto cap. non tum erat talis ignorantia, quia etsi credere in unum caput sicut in unam Ecclesiam catholicam etiam de articulis fidei, qui spectant ad jus divinum, sit necessarium: fideli tamen credere hunc esse illum unum caput vel alium, cum duo sunt gerentes se pro Papa non est articulus fidei, sed qui secundum jura Ecclesiæ est electus, quod scire pertinet ad factum in se & jus canonicum. Quamvis ergo una pars excommunicaret alteram cum sequacibus, & schismaticos nuncuparet, qui simpliciter inhærebant, excusari videbantur a vitio schismatis.*

Sophisma ex neutralitate petitum.

Neutralitatis tempore qui fuerint proprie schismatici.

Qui proprie non fuerint.

LXX. Quod porro neutrales sublata de vero Pontifice controversia a salutis tramite aberrent, demonstrat Henricus ex eo, quod non credant in unam sanctam Ecclesiam, quæ una est ratione unius supremi capitis visibilis ac ministerialis, de quo Christus dixerit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* cujus capitis summi necessitatem pluribus probat, ut ea, quæ sunt fidei, ubi & quoties circa illa dubitatio insurgeret, determinare & conservare habeat.

Non par ratio est hæreticorum cum neutralibus.

LXXI. Multisque interjectis, demum impietatem Pickardorum a Romanæ ecclesiæ gremio recedentium, summamque infelicitatem in luce collocat, pluribusque argumentis non aliam esse veram Ecclesiam Christi sponsam, quam eam, cui Romanus Pontifex præest, sic ostendit: *Tot errores inter eos vigere videmus quot familiæ sunt, cum & fæmellæ matris, masculi patris per se opiniones habent sequi. Immo & ipsi Pickardi quantum inter se sunt divisi in erroribus est inexplicabile, cum etsi quadraginta articuli erronei in lucem devenerunt, de quibus etiam alibi tractabitur, in ipsis tamen plurimorum diversificantur opinando in singulis, prout volunt, unde & quidam de veritate Eucharistiæ nihil tenent, & quod solum significative sub speciebus panis & vini post consecrationem contineatur, de quorum numero fuerunt qui cultris infixis in hostias consecratas, non quidem ab eis consecratas, sed a catholicis, ab ipsis autem furtive sublatas, veritatem experiri voluerunt, ut supra tactum fuit, aliis oppositum credentibus.*

Ut Pikardi inter se gravissime dissentiant.

Cultris sacram hostiam experiundi causa impie confixere.

LXXII. *Hoc etiam manifestum est, quod eorum seniores secreta in eorum cerimonialibus nunquam simplicibus manifestant inter eos conversantes, prout ex eorum propria relatione didicimus, semper timentes proditionem, unde verisimile est, quod quasi innumeris involvantur erroribus, quæ omnia a tot regnis Christianorum per orbem longe lateque dispersis plurimum aliena sunt, omnes sub unius vicarii Christi, & Petri successoris obedientia constituti, scientes quod subesse Romano Pontifici tanquam ipsi Christo, cum ejus existat vicarius, sit de necessitate salutis.*

LXXIII. Librat etiam idem author suis ponderibus adversus Pickardos hoc argumentum, ut universæ gentes ad Romanæ ecclesiæ venerationem & Christi fidem, desertis avitis superstitionibus, non sine maximo divinæ potentiæ miraculo traductæ sint: *Si quis*, inquit, *omnia miracula alia a sanctis negare vellet, hanc tamen conversionem mundi ad fidem negare non potest, cum ad sensum pateat, & sicut hanc conversionem factam nemo adversariorum infidelium, nisi frivole & malitiose potest negare, ita nec miracula sanctorum cum per hujusmodi mundus fuit conversus: Marci ultimo.* Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

Etsi alia negentur miracula, hoc unum negari non potest de conversione mundi.

Se-

Septima argutia Waldensium petita erat ab exemplo pravo, quod plures in Bohemia excusso observantiæ in Pontificem jugo viverent, quorum insistere vestigiis a salute non alienum arbitrabantur: sed esse latam inferorum portam non animadvertebant, nec paucos deliros universali Ecclesiæ præferendos.

I. Ungarus sacro in Turcas fœderi accedit.

ANno post Christum natum millesimo quingentesimo primo indictione quarta multa ad comprimendam Turcicam tyrannidem inter summum Pontificem & Christianos principes agitata sunt consilia, ac primum die pentecostes promulgatum est ritu solemni, Wladislaum Regem Hungariæ sacro in Bajazethem cum Pontifice & Venetis fœderi accessisse, de quo hæc Joannes Burchardus (a): *Dominica pentecostes trigesima maii*, & infra, *reverendus dominus Petrus de Zincentia auditor cameræ & episcopus Cæsenatensis accepit pluviale rubeum & mithram simplicem intra cancellum ac illius partem & altare, ascendit ad Papam, & osculatus est genu ejus, & omissa petitione benedictionis, petiit indulgentias, & Papa concessit interessentibus plenarias. Quibus habitis descendit ad pulpitum prædictum, & fecit orationem denuntiatoriam fœderis inter Papam, Regem Hungariæ, & dominium Venetorum initi contra Turcas, & non venit ad specificationem capitulorum, nec lecta sunt capitula. Finita oratione pronuntiavit sine mora indulgentias habitas a Papa, qui statim stans in solio sine mithra incæpit intelligibili voce; Te Deum laudamus; quod cantores prosecuti sunt ad finem, quo finito Papa adhuc in solio stans dixit: Pater noster, & versiculos, ac duas orationes, quæ habentur in cerimoniali in publicatione fœderis initi contra infideles.* Eadem confirmat Petrus Delphinus (b) in literis ad abbatem S. Jucundæ missis.

(a) Burchar. mss. arch. Vat. p. 2. pag. 185.

Actæ numini publicæ de ea re gratiæ.

(b) Pet. Del. l. 6. ep. 79.

II. Irrumpere in Turcicum imperium ex Pannonia debebat Wladislaus, cui propterea Pontifex pactam auri vim in bellicos sumptus impendendam suppeditabat; magna vero adornabatur classis a Pontifice, Francorum, Hispanorumque Regibus, Venetis & Rhodiis quæ eodem tempore Græciæ Asiæque littora vexare deberet, viresque barbarorum distrahere, summo ejusdem classis Imperatore Petro Aubussonio Rhodii ordinis principe diacono Cardinale, & Apostolicæ sedis legato, de quibus Alexander Cardinalem Reginum in Hungaria legatum hisce literis docuit (c).

(c) Lib. brev. pag. 969.

*Dilecte fili noster salutem & apostolicam benedictionem.*

*Quamplures per hos dies tuæ circumspectionis literas accepimus, quibus diligentiam ac sedulitatem tuam studiumque, quod penes istam regiam majestatem, ac regni prælatos ac proceres Turcorum causa tibi commissa adhibes, plene percepimus, de quo licet tibi non ita frequenter rescripserimus, valde a nobis & sacro Cardinalium collegio, ubi sæpe tua opera ac gesta relata ac recitata fuerunt, commendatus fuisti. Nunc autem, ut intelligas quæ penes nos in ipsa Turcorum causa, in qua dies & noctes, ac toto animo & corde fervemus successerit, has tibi scribendas duximus. Innotuisse debet circumspectioni tuæ, quemadmodum nos superioribus mensibus pro ea Turcorum causa constituimus dilectum filium nostrum Petrum S. Hadriani diaconum Cardinalem, Rhodi magistrum, nostrum & A. S. L. ad quam ineundam legationem cum idem Cardinalis nuper se cum quibusdam triremibus & navigiis suis sumptibus paratum se fore nobis ad breve nostrum, quo nos eum legatum deputasse significavimus, rescripsisset, distulimus publicationem legationis hujusmodi, quoad cum charissimis in Christo filiis nostris Francorum Christianissimo & Hispaniarum Regibus catholicis propter novum inter nos & ipsos Reges contra dictos Turcos fœdus initum, & inclyto Venetorum dominio super tempore publicandæ legationis hujusmodi ac hostilis invasionis consultaremus, ac simul intelligeremus, an ista regia Hungariæ majestas, cum qua, ut nosti ad hoc sanctum opus nos & ipsum Venetorum dominium superioribus mensibus fœdus iniveramus, in Turcos irrumperet, ut maturo, sicuti res poscebat, accepto consilio, quid facto opus esset deliberare possemus, deque his omnibus eundem Cardinalem per nostras literas fecimus certiorem. Cum autem heri oratores dictorum Regum & dominii ad nos venissent, ac in consistorio nostro coram venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus suis principibus deputationem dicti legati pernecessariam esse, sibique valde placere asseverassent, & ut idem legatus publicaretur institissent, & a nobis interrogati, an dicti sui principes parati essent classem suam, facta hac publicatione, in Turcos sine mora dirigere, & dicto legato tanquam nostræ propriæ personæ parere vellent, ac una nobiscum & classe nostra in hanc sanctam expeditionem vires suas & conatus, quemadmodum semper solicitavimus, & ipsi promiserant convertere, respondissentque dicti oratores classem suorum principum præsto esse, proculdubio in dictos Turcos deducendam, ac eidem legato parituram, nec quia præsens æstas prope jam ad finem vergeret, se propterea retardaturos, sed quod*

Petrus S. Hadrian. Card. creatus legatus in exercitu.

Fœdus inter Pont. Gal. & Hisp. Reges & Venetos in Turcas.

Quid a Regum legatis responsum.

*ejus*

*ejus temporis supererat in tam laudabili opere, ac Christianorum omnium causa consumpturos, provisurosque, ut quod personaliter non poterant, per delectissimos belli duces ac præfectos magno ordine ac ratione administraretur, simulque daturos operam, ut continuandæ classis sumptus proferri ac continuari possent, nos itaque collaudata, ut par erat, dictorum principum virtute ac religione, ac tam ferventi de Christiana republica bene merendi zelo & desiderio, ac requisitis eorum oratoribus, ut illos, ut ita agerent ac perseverarent nostro nomine hortarentur, eundem Cardinalem virum fortem, strenuum, singulari prudentia ac fide præditum, ac assiduo in Turcos bello exercitatum, nostrum & dictæ sedis legatum in eodem consistorio publicavimus, ac ut, quod semper toto corde & animo concupivimus, sancta expeditio toties per nos excitata procederet, duximus nos quindecim illas triremes, quas pridem Venetiis designaveramus, instructuros easque in hoc sanctum fidei opus sub legato nostro destinaturos.*

III. Crucesignatæ classis imperium Rhodio datum.

*Et ut primi promptique in hoc tam necessario, tamque communi opere, ut semper voluimus, reperiamur, scripturos & ordinaturos, sicuti fecimus, venerabili fratri Antonio episcopo Tiburtino Venetiis oratori nostro, ut nulla interposita mora dictas quindecim triremes armari & instrui curet, easque sic nostro & ecclesiæ nomine ex toto instructas & paratas ad ipsum Cardinalem legatum perducat. Et cum tua circumspectio per plures suas literas nobis significaverit, quanto studio & animi ardore idem Rex Hungariæ huic sanctæ expeditioni se accingat, & quam validum virtute & robore delectorum militum exercitum comparet, licet semper ea fuerit opinio & expectatio nostra, de sua majestate, putemusque eum more progenitorum suorum, qui Christianæ religionis semper acerrimi propugnatores & defensores fuerunt, hanc tantam de republica Christiana cum ejus summa gloria benemerendi occasionem, & quod pollicita est, & in confœderatione promisit, ac pepigit, non omissuram, sed totis viribus hoc tam sanctum & gloriosum opus aggressuram, tamen ut sua majestas ardentius & majore animo provinciam hanc aggrediatur, tua circumspectio ei hæc omnia significabit, referetque dictos nostros & dictorum principum classium apparatus in promptu esse propediem ac sine dubio, Deo duce, in Turcos felicibus auspiciis soluturos, suamque celsitudinem ad hanc provinciam ardentius capessendam, & ut in ea personaliter incedat omni studio, cura, ac diligentia hortari, excitare, ac inflammare non desines, ut*

Solicitatus Ungarus ut terrestrem exercitum educat in Turcam.

*eodem tempore nos & dicti principes mari potenti classe, & sua majestas validissimo terrestri exercitu communem hostem invadamus, ut circumquaque lacessitus non solum nostra offendet, sed sese, ac quæ occupavit tueri non possit. Quod [ si ut nobis proculdubio persuademus ] sua majestas effecerit, facile sperata de communi hoste victoria, Domino concedente, sequetur, & ejus magna ac præcipua pars virtuti ac laudi suæ majestatis ascribetur, ac proinde sua majestas meritum æternum, perenne nomen, & immortalem gloriam consequetur. Præterea referes suæ majestati nos pecunias, quas sibi pro secunda solutione debemus paratas habere, sed cum non reperiremus modum illas istuc commode mittendi, ordinabis, ut procuratoribus suæ majestatis, aut cui illa voluerit Venetiis in tempore debito persolvantur, unde sua majestas commode poterit illas accipere. Hortaberis itaque suam majestatem velit esse contenta illas Venetiis capere, cum in Hungaria, ut diximus, per quem solvantur non reperiamus, & suis procuratoribus committere, ut illas Venetiis recipiant, ac de his, quæ successerint, facies nos per tuas literas certiores.*

Stipendia illi data.

De tradito in senatu celeberrimo Christianæ classis imperio conjuncta legati apostolici dignitate Rhodiorum equitum magistro Cardinali Alexandri literas affert Jacobus Bosius (a), & consentanea his, quæ in superioribus contenta sunt repetit, nempe Francorum Hispanorumque Regum tum Venetæ reipublicæ expetita consilia de gerendi belli ratione, Wladislaum Hungariæ Regem in societatem armorum pellectum, ac terra in Turcas crucesignatas acies educturum, Regum oratores sacro senatui interfuisse, in quo classis imperium notæ Aubussonii virtuti delatum est, paratas regias classes confectaque jam Neapolitana expeditione Gallica & Hispanica arma in eosdem Christiani nominis hostes versum iri, dum terra Hungarus irrumpet: hos Regum bellicos apparatus in dies auctum iri, sibi vero nil altius infixum hærere animo, quam ut tanta solicitudine decretam sacram expeditionem promoveat: in animum se induxisse eam ducere posthabitis pontificalibus aliis curis, affectæque ætatis incommodis, seque ad subeundos castrenses labores obtulisse, si Gallus Hispanusve Rex se illi comitem adjungeret: actis principibus in consistorio gratiis de egregio in rem Christianam studio, rogasse se oratores, ut ipsos ad promissa ad exitum perducenda hortarentur, significasseque quindecim triremes Venetiis pontificio sumptu instructas, nec modo

IV. Gesta in Cardd. senatu.

(a) Bosius p.2. l.15.

Offert se Alex. ad castrenses labores subeundos.

do opes in tam sacro bello, sed etiam sanguinem libenter profusurum: ita summa omnium gratulatione illum ob præclara præterita facinora militaremque peritiam & authoritatem legatum apostolicum & crucesignatæ classis imperatorem se renuntiasse, tum Angelo Tyburtino dedisse mandata, ut dictas quindecim triremes Rhodum perduceret. Accingeret se itaque strenue tam glorioso operi, ac veterem bellicum ardorem, quem tanta cum laude olim in barbaros explicuerat, pro divini Numinis gloria, religionis ampliatione, Romanæque ecclesiæ tuitione exprometet. Quæ literæ duodecimo augusti hujus anni MDI. die consignatæ fuere.

Quindecim triremes Rhodum perduci jussa.

V. Conceptæ sunt ex magnificentissimo illo belli sacri apparatu, ducisque decreti virtute ingentes spes proferendæ rei Christianæ, quæ magis auctæ sunt, cum recenter increbuisset fama sedatam inter Maximilianum Cæsarem & Francorum Regem de Mediolanensi principatu dissensionem, quæ Turcicum bellum disturbatura videbatur: *Feria tertia, vigesima quarta prædicti mensis augusti*, inquit Burchardus (a), *fuit proclamatum per urbem, celebrata esse sponsalia inter Carolum filium primogenitum illustrissimi Philippi archiducis Austriæ, ducis Burgundiæ, nepotem serenissimi Romanorum Regis in secundo, vel circa suæ ætatis anno constitutum, & Claudiam filiam unicam Ludovici Regis Franciæ in secundo etiam suæ ætatis anno constitutam*. Celebrata est hujus affinitatis lætitia in urbe proximo S. Ludovici recurrente die festo, habitaque a Jacobo Alphatabio, qui Pontifici a secretis erat, in frequentissimo Cardinalium & episcoporum cœtu oratio (b), qua exultantis populi Christiani lætitiam, Regum studia ad provincias infidelium debellandas, Pontificis in ea perficienda conjunctione, principum pro re Christiana augenda providentiam spem Turcici triumphi duce Rhodiorum equitum supremo magistro & S. R. E. Cardinale eleganti stylo extulit, ex qua hæc decerpimus: *Ut consummatissima, undecumque virtus stare loco nescia est, summæque divinitatis plenitudo perpetuo agitari motu consuevit, id ipsum in præsentia obnixe conatur*, de Alexandro loquitur, *ut regno Neapolitano confestim pacato [quod grave obstaculum & velut pessulum ostio autumabat] Christianorum principum classes in hanc præclaram contra infideles, sanctissimamque expeditionem expeditius properent, eoque bellum alacrius prosequantur, quo in generali eorum duce nuperrime constituto firmius, certiusque confidunt, nam ut rerum omnium agendarum in administrationis principe absolutio est, ita in re militari requiri ante omnia præcipua rectoris præstantia debet; circumspectissime igitur Alexandri VI. beatitudo Petrum Daubusson tit. S. Hadriani Cardinalem meritissimum, magnum Rhodi magistrum non modo Christianorum principum Regumque omnium consensu, quam rogatu atque instantia universo exercitui contra Turcas legatum caputque præfecit, in quo tanta bellandi peritia atque experientia est, in quo ea magnanimitas, ea audacia viget, ut vel sub eo unico imperatore Christianorum classibus certissima victoria promittatur, sperarique contingat: qui cum hactenus quod clam nemine est, truculentissimam contra nos infidelium rabiem undantemque impetum assiduus propulsator averterit, jam jam cum veteranis exercitatissimisque bellatoribus suis lacessendi, impellendi, explodendique genus infandum, fulmineus oppugnator, vexillariusque tanti apparatus dux creari merito videatur. Quid igitur mirificum flagrantissimumque sanctissimi domini nostri Alexandri VI. desiderium admiramur, si innata quadam magnanimitate Christianos suos jam jam discurrere Asiam Parthicos arcus, pharetrasque calcantes imaginatur, atque uti somnians videt? Nationes quippe mundi universas fidei nostræ subjugari atque obsequi tam facile est, quam Christiani principes velint. Credite, inquam, hoc mihi patres, quandiu firma hæc concordia stabit, non Oceano Indus, non frigore bosphorus, non Arabs medio sub sole securus existent, nihilque en omni terrarum cælique regione usquam erit, qui Regum nostrorum armis domitum, aut metu quietum, aut pietate devinctum fuerit. Jubilate igitur Deo omnis terra, servite nunc Domino in lætitia, gaudio cuncta colliquescere hymnis plausibusque tripudiare operæpretium facite. Et vos ornatissimi ante alios, vos, inquam, patres appello, aras disponite, thura passim incendite, Deo maximo redemptori pientissimo gratias laudesque concinite, vestra enim res agitur, dum Christianæ reipublicæ decus augetur, vestra dignitas, vestra utilitas, vestra authoritas crescit. Agite inquam, procurate, instate, cohortamini, vela disponite, dirigite, & oram solventibus bene precamini, ut diva Petri cymbula prosequente tranquilla undecumque sub tantis Regibus ad certam perpetuamque victoriam Christianorum exercitus firma concordia applicet.* Hortatus idem orator est exaratis paucis post diebus literis Ludovicum Francorum Regem, ut cœptam expeditionem Turcicam prosequeretur: *Mirum*, inquit, *dictu*

(a) *Burchar. ubi sup.*

Gallum inter Germanumque contracta affinitas.

(b) *Ext. typis cusa inter alias coram Pontificibus habitas.*

Legati Card. elogium.

Succumbent infideles si conjuncti fuerint Christiani principes.

*dictu, creditu difficile est, cum serenissimæ majestatis tuæ voluntatem, classium apparatum, omnimodamque contra infideles expeditionem attigissem, quanta assistentium principum hilaritas, quæve hominum studia, qui plausus, quive acclamatus eruperint. Itaque non ausim conticescere, non desinam supplex attestari [ quoniam majus periculum ex maxima fama, quam ex minima est ] ne tanti incœpti, fortunam prosequi & urgere desistas. Verum inclyte Rex, Christianorum nutantibus jam diu rebus, [ quarum spes in tuo tantum imperio resipiscit ] eo nunc tibi succurrendum ocyssime, eo Redemptoris altissimi erga majestatem tuam gratitudini satisfaciendum plenissime est, quo magis [ ut nunquam tua virtus intremuit, nunquam felicitas claudicavit ] sic nunquam hærere tua prudentia videatur. Sic inquam, tuis gestis sapientissime Rex, populis quietem, Regibus exemplum, perennitatem historiæ, æternamque tibi cæli regiam consequaris. Ex urbe pridie kal. septemb. MDI.*

Adhortatio ad Lud. Regem ut in Turcas arma stringat.

VI. Extant aliæ ejusdem ad Ferdinandum & Elizabetham Hispaniarum Reges literæ, quibus egregia eorum consilia de vertendis in infideles armis ita commendat: *Providistis non alia posse Christianum orbem ratione pacari, quam si in alienas infestasque gentes bellum indiceretur, quid enim optima parens natura amplius aut nobilius temporibus nostris indulgere potuisset, quam Christianum genus universum contra spurcissimas infidelium nationes conspirasse? atque ita conspirasse, ut vestro potissimum ductu certissima nobis victoria promittatur? nihil enim vestra inclyta majestas unquam excogitavit, quin præclare effecerit, nihil unquam exoptavit, quin fælicissime promerueris: sic prorsus ubi nunquam animus, nunquam prudentia labant, prosper & exoptatus eventus neutiquam deest. Itaque dum id vobis quod abusque prope incunabulis tota mente petistis, funestissime contigit, dumque auspicatissimum simul Alexandri VI. vestro genere oriundi eadem ætate pontificatum admiramur beneficam summi Creatoris industriam, ad hanc vos præcipue gloriam expugnandæ infidelitatis procreasse, tam liquido arbitrari par est, quam meritissimum majestatis vestræ catholicum cognomentum debellata Bœtica, Africa depressa, adinventus alter in fidemque nostram redactus orbis locupletissime attestantur. Vestrum est igitur Reges invictissimi catholicam hanc sanctissimamque expeditionem maturius prosequi, & tam propitio tamque opportuno pientissimi Redemptoris nostro præsidio non deesse.*

Hispaniæ Reges ad sacram militiam sollicitati.

Ingentes eorum laudes ex debellata Bœtica & invento orbe novo.

VII. Conjungendus hisce Regibus erat Maximilianus Cæsar, qui Mediolanensis principatus conversionibus a Turcica expeditione se distrahi præsetulerat in Germanicis imperii conventibus; ac licet Caroli sui ex filio nepotis cum Claudia Ludovici unigenita sponsalibus devinctæ Regum voluntates essent, plurima tamen litium materies tollenda erat (a): qua in re operam impense dedisse Raymundum S. Mariæ novæ Cardinalem Gurcensem Apostolicæ sedis legatum, de quo superiori anno actum est, memorat Burchardus, qui de colloquio Tridenti inter Maximilianum & Georgium Ambasianum Cardinalem Rothomagensem Galliarum legatum facto hæc refert (b): *Habito inter Romanorum & Francorum Reges per literas & nuntios pro concludenda pace & concordia inter eos longo tractatu, tandem Rex Romanorum decreverat expectare in Marano Cardinalem Rothomagensem ad concludendam pacem & concordiam hujusmodi a Rege Francorum mittendum, tamen quia dubitavit Cardinalem non posse cum tot equis, quot secum erant, commode in Marano recipere, misit Tridentum, ubi Cardinalis Rothomagensis erat, certos qui pro ipso Romanorum Rege hospitia ordinarent, & Cardinalem Rothomagensem ad expectandum ibidem adventum Regis, ac dominum Jacobum Trivultium, & ceteros Lombardos omnes, qui cum Rothomagense ex Mediolano venerant, quorum erant mille equestres, vel circa ut redirent ad dominium Venetorum, & nullus ex eis remaneret Tridenti commorando: quæ omnia facta sunt. Die igitur martis duodecima præsentis mensis octobris. Romanorum Rex statuit intrare Tridentum, quo præmisit ad tres horas Reverendissimum Cardinalem Gurcensem legatum apostolicum, qui cum majestate sua erat, qui venit Tridentum eadem die circa horam vigesimam secundam. Rex autem secutus est eum, & intravit Tridentum tanquam venator circa primam horam noctis cum equitibus videlicet omnibus in vestibus griseis, & totidem præmiserat, nullus venit obviam; quia sic voluit.*

(a) Burchar. ms. arch. Vat. p.2. p. 240. Petr. Bemb. hist. Venet. l.6. Sur. to. 5. l.4. c. 50. & alii.

Colloquium inter Maximilian. & Ambasianum Card.

(b) Burch. ubi sup. pag. 215.

VIII. *In mane die mercurii decima tertia octobris prædicti convenerunt coram Rege reverendissimi Gurcensis legatus & Rothomagensis Cardinales. Legatus fecit orationem inductivam ad concordiam & expeditionem contra Turcas. Præsidens parlamenti Parisiensis, qui cum Rothomagense erat, respondit legato. Deinde diu locuti sunt simul Rex & Cardinales, tandem intrarunt cameram Rex & Rothomagensis, alii dicunt quod cum eis orator Regis Hispaniæ [ de quo tamen Cardinalis Gurcensis nihil scribit ] & fuerunt simul horis quatuor vel circa & inter se & propriis mani-*

Gurcen. Card. legatus de concordia inter Germ. & Gallos agit.

*manibus scripserunt & composuerunt capitula, & concluserunt concordiam & pacem & quod deberent in festo S. Catharinæ pronime venturo convenire Francfordiæ cum Romanorum Rege electores imperii, & nomine Regis Francorum Cardinalis Rothomagensis cum promissione & ratificatione hujusmodi capitulorum pacis & concordiæ en Francfordia deberent ire Metas Romanorum Ren cum Cardinale Rothomagense & electoribus prædictis & ibi convenire deberet Ren Francorum, & se mutuo amplenare & deosculari, & jurare inter se perpetnam pacem & tunc Romanorum Ren recipere crucem contra Turcas, & Ren Francorum dare Regi Romanorum patrocinium in omnes gentes suas, & idem Romanorum Rex venire Romam pro corona, & inde arripere iter contra Turcas. Et his sic conclusis Gurcensis Cardinalis misit nuntium ad urbem, qui illuc venit Jovis vigesima prima dicti mensis octobris cum literis prædicta significantibus. Cardinalis Rothomagensis recessit en Tridentino die vigesima nona ejusdem rediturus ad Regem Franciæ per postas caballariorum.* Meminit de hoc Tridentino colloquio inter alios Petrus Cardinalis Bembus (a), ac præcipue in his constitutum ait, ut Maximilianus Francorum Regem Mediolanensis ducatus jure beneficiario indueret, Ludovicus vero Cæsarem ad augustale insigne solemni ritu e pontificiis manibus accipiendum juvaret sparsa vero communi fama, quæ Burchardus refert.

Scriptæ pacis leges.

Conventus Metensis indictus. Decrevit Maximilian. crucem in Turcas induere.

(a) *Petr. Bem. l. 6. Guicc. l. 5. Sur. to. 5. l. 4. c. 50. & alii.*

Quæ inter Cæsarem & Gall. Regem conventa.

IX. Percrebrescebat autem tunc maxime apud populos omnium sermo de Turcica excindenda tyrannide, Constantinopoli & Jerosolyma Christiano cultui restituendis, ac nil magis in cœtibus principum, in concionibus publicis, inque vulgi circulis personabat, cum lapsa cœlo in vestes Germanorum crucis insignia fuissent superiori anno, quæ insolitæ alicujus rei expectatione mentes perculerant, eademve hoc etiam anno repetita fuissent prodigia, de quibus ab insignibus viris fide dignissimis Cæsar admonitus est, atque ab episcopo Leodiensi relata hæc illi fuisse narrat Nauclerus (b): *Anno salutis nostræ MDI. miranda sane horrenda & inaudita ostendit Deus hominibus, siquidem, ut scribit Regi Romanorum Maximiliano Leodiensis episcopus, a festis paschalibus singulis diebus in uno, vel alio loco diœcesis Leodiensis apparuit publice & inopinate aliquando in ecclesiis, aliquando in plateis, aliquando in domibus, & in ipsis etiam cubiculis signum dominicæ crucis perfectum, & fuit frequenter nigrum aut rubicundum, ita etiam ut in aliquibus putaretur esse verus sanguis cum medulla & sanie effusus, & fuerunt plerumque cruces simplices, aliquando tamen duplices in forma signi sepulchri dominici. Apparent autem, inquit, nt in plurimum, super capite mulierum, & maxime puellarum in earum peplis supremo vertice. Et refert idem se desuper inquisitionem solertem fecisse, ita quod nec dolus, nec fraus intervenire potuerit. Scribit quoque de muliere quadam ejusdem diœcesis viginti duorum annorum valde honesta, quodque die quodam comperit admonita a matre signum crucis magnum & amplum in peplo coloris aurei, atque ad singulos quatuor ejus angulos interiores crucem nnam parvam ejusdem coloris, perinde atque arma sunt Jerosolymitani Regis, inque medio majorem crucem aliam sanguinolentam. Territa inde mulier cum reverentia peplum illud ad locum mundum reposuit, & aliud mundum capiti imposuit, mox in eodem crux grandis apparuit. Accurrunt homines multi en admiratione, in quorum conspectu iterum & iterum pepla mutaverat, ita ut novem diebus pepla tredecim cruce signata fuerint.* Et infra:

De Constant. & Hierosol. recuperandis Christiani agunt. Cruces cœlo lapsæ in German. vestes.

(b) *Naucl. volum. in fine.*

Nigri aut rubri coloris fuere.

De prodigio factus certior Cæsar ab episc. Leodien.

Pepla tredecim crucibus signata in una muliere.

*Apparuerunt & signa in camisiis mariti crucis sanguinolentæ, hortatus est mulierem curatus suus, nt cum jubileus esset in Trajecto superiori, ubi fuit episcopus, iret illo & confiteretur. Assensa ivit & ad S. Servatium confessa est magno theologo, audita missa post hæc ivit in chorum, & propter reliquias ducta est in sacristiam. Allato ei peplo nitido rogata est quod capiti imponeret, ne cum tanto horrore per plateas incederet. Assumens ipsa novum, quod capiti applicuit, mon erupit in ipsa pepli parte anteriori sanguinis tanta copia, ut confestim in entremam usque fimbriam ad unius digiti longitudinem, prope duorum latitudinem deflueret, unde adeo conspicientes sunt attoniti, nt e canonicis nnus protinus caderet, at illa inde discedente publice visa est in ipso recenti peplo ad scapnlam dextram magna vis sangnmis, in fignram qnasi crucis se porrigens, atque amplificans: cum quibus demum signis ipsa ad eundem episcopum ducta est recenti & madido cruore, ut in præsentia sna, sicut scribit, attrectatus digito adhæreret multis videntibus & admirantibus. Hæc scripsit idem episcopus Regi nostro Maximiliano* XVIII. *die mensis maii anni currentis. An non sunt stupenda & mira hæc omnia? taceo tot monstra in sex annis retro edita, taceo scabiem elephantiæ non absimilem inauditam, nec etiam medicis diu cognitam, quæ plaga ita invaluit ab anno salutis MCCCCXCV. quæ nonnullos extinxit, plerosque inutiles fecit, nec adhuc cessavit.*

Consulti de prodigio ecclesiastici.

Sanguis e peplo novo visus defluere.

Ducta est ad episcopum cum sanguinea cruce.

Venerea lues late grassatur in Germ.

*vis. Hac tam horrenda præsagia nemo advertit, latius terrent, quam emendans. Manifestum est autem talia fieri per providentiam Creatoris propter evidentem utilitatem, quæ ex ea provenire deberet hominibus, & hoc sive fiat per naturam, sive per voluntatem Creatoris, ut timeant & a malo resipiscant, timor vero iste omnino bonus est. Propter quem incutiendum, inquit Guillelmus in libro de universo, Creator & stellas & cometas in cœlo, & gladios igneos, & dracones creat, & apparere facit in sublimi, similiter & portenta in terra, & in mari monstra, in hominibus etiam nasci infantulos multorum capitum, propter quod & monstra dicuntur, non solum quod propter admirationem novitatis ea homines sibi monstrant, sed quoniam iram Dei monstrant imminere hominibus, quod Deus suppleu oro bene vertat.* Hactenus Nauclerus Tubingensis præpositus, quibus verbis chronologiæ suæ finem imposuit, quam Melancton novator demptis aliis aliisque adjectis corruptam edidisse fertur.

Divina ira iis prodigiis portendi visa.

X. Confirmant hæc de crucibus cœlitus descriptis in vestibus alii, ex quibus Nicolaus Baselius in additionibus ad Nauclerum, & Palmerii continuator anonymus his verbis (a): *In Germania multis in locis livores instar dominicæ crucis & insignium passionis Domini vestimentis & corporibus tam virorum, quam mulierum inopinato apparuerunt.* Scripsisse de his Matthæum Herbenum commentarium refert Trithemius: *Eodem*, inquit, *anno cruces sanguineæ, variique characteres in peplis mulierum apud Leodienses & Trajectenses super Mosam maxime apparuerunt, quæ subito plerumque in conspectu notabilium virorum ex aere lineis panniculis fuerunt impressæ. Scripsit de his crucibus & mirandis tractatum luculentum Matthæus Herbenus presbyter ecclesiæ S. Servatii in oppido memorato, homo fide & eruditione venerandus.*

(a) *Nic. Basel. in addit. ad Naucl. Palmerii continuator Cadit. in hist. Cremon. Ciacc. l. de insign. pass. Chris.*

Insignia passionis conspecta in pluribus. Matthæus Herbenus testis oculatus de his scribit.

XI. Easdem cruces suis inspexisse oculis, sibique a Maximiliano Cæsare monstratas fuisse testatur Joannes Franciscus Picus Mirandulæ comes in literis ad eundem Augustum datis: *Monstrasti*, inquit, *dum essem apud te in Germania cruces, clavos, lanceas, & alia pleraque cœlesti quadam, nec visibili pluvia corporibus delineata, & quæ hac de re tibi etiam literis significata fuerant, qua est facilitate dignatus es e Germanica in Latinam linguam interpretari. Vidi & ipse, postquam a tua majestate discessi in Italiam rediturus, multa, quæ non modo fidem rei jam vulgatæ adstruerent, sed majorem multo demirationem incuterent, & universam pene Germaniam ad cœlestia prodigia religionis ergo commonerent, quo factum ut rem tam celebrem, tam dignam posteritatis memoriæ literarum monumentis heroicisque potissimum versibus in præsentia mandare destinaverim, &c.* Non ingratum lectori futurum arbitror si ex illius carmine staurostico inscripto præcipuam partem, in qua continetur historia, delibarim, cum eam temporum & locorum circumstantiis accurate ita instruat.

Eædem cruces a Cæsare monstratæ comiti Mirandulano.

*Dum sol obliquum bissenis partibus orbem*
*Supra quindecies centum numerasset ab ortu*
*Virginei partus primæ trieteridis annum*
*Postremum volvens, labuntur mystica cœlo:*
*Res comperta mihi.*

Interjecta Germaniæ situs descriptione subiicit.

Non tantum cruces, sed clavi, flagra, spongia & tunica divinitus impressa.

*Hic demissa recens populi mysteria, mirum*
*Attoniti inspectant homines, & inania passim*
*Inscribunt, puro delapsa insignia cælo*
*Sanguinolenta crucis clari memoranda triumphi.*
*Effigies late spectatur, spongia, flagra*
*Visuntur, tunica inconsutilis intima, clavi*
*Cernuntur multo madefacti sanguine, telum*
*Quod sacram sævo discreverat impete costam,*
*Pingitur excubitor crista spectabilis ales.*
*Tergeminique micant tali, quos inclyta Christi*
*Jecerat innocui sortitus tegmina miles.*
*Non ignota cano, Cæsar monstravit, & ipsi*
*Vidimus, innumeros prompsit Germania testes.*
*Qua Rhenus tenui Rhætis ex Alpibus orsu*
*Funditur, & major suppostis influit arvis*
*Compertum, viditque lacus, qui molle pererrans*
*Muros piscosæ subjectos perluit Urbis,*
*Quos Constantini proles oriente subacto*

In quibus locis prodigium visum.

Oc-

*Occiduas repetens stellanti murice terras*
*Condidit, & proprio signavit nomine.*

His verbis Constantiam designat; subditque eadem prodigia Basileæ Brisaci conspecta, tum apud Noricos, Sicambros, Cimbros, Ulmenses, Suevos, Bohemos, Vangiones, Osos, Vindelicos, Rhætos, tum de maxima trepidantium ad tanti prodigii conspectum populorum admiratione hæc subiicit.

Maximo perculsi terrore Germani.

*Vindelicus, Rhætus miratur, ut aspera cæde*
*Romani tremuit quondam provincia Vari,*
*Nec tam præcipiti formidine territus hausit*
*Armorum sonitum quondam Germanus arator.*
*Nec sic expavit, subitis cum motibus Alpes*
*Intremuere, minus bellacis tempore Othonis*
*Pertimuit, clare primum cum mystica cœlo*
*Defluxere: juvat lachrymas effundere, multæ*
*Implorant veniam scelerum cum patribus urbes.*
*Æni concutitur pons, illius accola nudis*
*Incedit pedibus, celebrans amburbia, tantum*
*Religio potuit.*

XII. Designat author Insprukenses prodigii magnitudine percussos ad profitendam publicam scelerum expiationem commotos perlustrasse urbes, easque simili religionis studio accendisse, de quibus meminit Nicolaus Baselius(a), qui illorum mores & ritus ad pietatis commendationem institutos ita describit: *Eodem anno viri quidam ex Italia*, nempe ex illius confinibus, *in Germaniam venere tunicis nonnulli lineis, alii griseis laneis induti, nudis pedibus & capitibus discoopertis incedentes, atque ligneam in manibus crucem singuli portantes, neque sacculum neque peram habebant, neque baculum, neque pecuniam juxta Salvatoris nostri exemplum & evangelicam doctrinam, vinum & cerevisiam non bibebant, atque omnibus diebus præter dominicam jejunabant, olera, brassicam, & mentham, herbarumque radices cum sale insperso manducantes absque cuiusvis pinguedinis appositione, carnes, pisces, ova, butyrum, caseum, aut lac nunquam in cibum admittebant. In sacris quoque templis ad modum crucis brachia protendentes humo se jactabant prolixius orantes, non amplius viginti quatuor horis in uno loco vel hospitio manentes, nisi quem corporis valetudo mala detinuisset, nam per civitates & oppida & villas bini simul aut terni circumeuntes, cibum ostiatim, ubi esuries compulisset, mendicabant. Denique his ex clericorum ordine plurimi sacerdotes, diaconi, & subdiaconi conjungebantur, nihil præter tunicam, zonam, ligneam crucem, & orationale secum deferentes. Coloniam Agrippinam, & Aquisgranum omnes visitabant. Erat illis voluntarie hæc assumpta pœnitentia, quam quisque pro voto suo peragebat, alius quidem tribus, alius quinque, septem alius annis juxta voti qualitatem quo se sua sponte obligabat, finito autem termino quisque in sua reversus ab ea dum voluit institutione cessare poterat, verum hoc per septennium ferme totum duravit peregrinationis institutum, quare nunc plures, nunc vero pauciores per Germaniam viri circumire videbantur, quoniam præter monachos & mulieres nullum a peregrinationis suæ consortio excludebant.*

(a) Nic. Basel. in add. ad Naucl.

Publicam scelerum expiationem plures professi.

Pius eorum mos.

Mulieres exclusæ a sacra peregrinatione.

XIII. Pergit Picus Mirandulanus speciem coloris in illis crucibus cœlesti vi in sacra & profana veste impressis a se conspecti describere.

Varius interdum color emicuit in crucibus.

*Minio color, & color atro*
*Nonnunquam similis sacris mantilibus, ipsi*
*Sanguineis rutilans maculis insigne triumphi*
*Vidimus, Actæo confusum pene liquore.*
*Puniceo interdum fulgor certaverat ostro,*
*Interdum fusci migrantem nube coloris*
*Permixtamque crucem rubro, spectavimus olim.*
*Nec morum discrimen erat, sacer, atque prophanus*
*Jam conspersa sibi gestabant mystica patres*
*Conscripti, & pueri, conscriptus sexus uterque,*
*Et templa, & vestes* ( Et infra )
*Qui lassata vago stridore, & pondere sacci*
*Pollineque inspersus, placido dare membra sopori*
*Decernit, rubro sub tectis spargitur imbre.*
*Olli per pectus, per crus, per colla, per alvum,*
*Sydereæ exemplo pingunt insignia guttæ.*

Ipsi artus hominum crucibus picti.

*Quam*

*Quam varii strepitus, quam dissona dogmata, quanti*
*Pro sensu capitum, vario mussare susurri?*
*Crediderim dominum, celsæ qui præsidet arci*
*Olim longa sui potantem oblivia mundum*
*Vidisse, & signis voluisse salubribus almæ*
*Sæpius [ utque alias ] excire ad limina lucis.*

XIV. Crucis suæ memores esse voluit Christus.

At evolutis aliquot annis multifaria hæreseon genera excita ab inferis, & Christi crucem passim ab impiis omni contumeliarum genere violatam visuri sumus, adeo ut divina providentia tanta prodigia ineunte hoc sæculo edidisse videatur, ut crucis hostes oriundi in Germania confunderentur, atque pii in illius veneratione confirmarentur. Interjectis nonnullis Pieus conversa ad Maximilianum oratione eum est adhortatus, ut Christi memoriam in occidente minus reverenter quandoque habitam, in oriente vero pene abolitam illustrandam susciperet.

Crucis hostes confusi iis crucibus.

XV. Non hæc prodigia, non orientis continuæ clades, non avitorum principatuum vastitas crebra, non Gurcensis Cardinalis hortamenta, non Mirandulani comitis pii stimuli Maximilianum commovere, ut sacram expeditionem in Turcas conficeret: quinimmo in Tridentinis conventibus, in quibus bellum decrevisse in fidei hostes Gallica fretus amicitia circumferebatur, ex arcano in Venetos cum Gallis, ut Venetæ ditionis urbes in Italico continente sitas cum iis partiretur, conspiravit (a).

Sacri belli specie, cum Gallo in Venetos conjurat Cæsar.

(a) *Guicc. l. 5. Sur. to. 5. l. 4. c. 50.*

Pontifex etiam privatis ductus commodis arma in bellis Italicis exercuit, ac describunt pluribus authores (b) hostiles Cæsaris Borgiæ in Faventinos impetus, a quorum mœnibus propulsatus anno superiori fuerat, editasque utrinque cruentas strages, adeo ut in una impressione fortissimorum militum Borgianorum duo millia occubuerint, utque extracta obsidione Faventini penuria rerum fracti deditionem fecerint, promissaque fuerit Astorgio principi non modo præteritorum venia, sed etiam in primorum antistitum ordinem adjectio, verum indigna mors tum illi tum fratri contra fas omne rependsa, de quibus hæc Burchardus (c): *Feria secunda vigesima sexta dicti mensis aprilis in sero hora tarda venerunt ad urbem nova, quod capta esset civitas Faventina per concordiam cum domino Faventino factam, ad hoc compulso, quod duo contestabiles, sive capitanei gentium suarum proditorie secum agentes noluerunt pro eo pugnam subire, addictam fuisse libertatem ipsi domino cum bonis, & non servatam, qui ductus fuit Romam, & in castro sancti Angeli detentus, quamquam ætatis erat decem & septem annorum vel circiter idem dominus, & pulcherrimæ personæ & aspectus.*

(b) *Sabel. enn. 11. l. 12. Bemb. Card. hist. Ven. l. 5. Volat. l. 22. Sur. to. 5. l. 4. c. 38. & alii.*

Faventia magnis stragibus parta.

(c) *Burch. ubi sup. p. 172.*

Astorgio principi Faventino non servata fides.

*Circa secundam horam & mediam noctis tracti sunt, & etiam in mane multi sclopeti in castro S. Angeli princeps Squillaci frater ducis Valentini & Carolus Ursinus equitarunt per urbem per magnam partem noctis multa gente associati cum intortitiis acclamantes: Duca duca, Urso Urso; facti sunt multi ignes per burgum martis sequentis, proclamatum per urbem, quod in sero fierent ubique ignes propter hujusmodi victoriam habitam. Feria quinta* (d) *nona dicti mensis junii reperti sunt in Tyberi suffocati & mortui .... dominus Faventiæ juvenis octodecim annorum vel circa, adro pulchræ formæ & staturæ, quod inter mille coætaneos suos vix potuisset sibi similis reperiri cum balista ad collum, duo juvenes per brachia simul ligati, unus quindecim annorum, alius vigintiquinque vel circa, & prope eos quædam fœmina, & alii multi.*

(d) *Id. ib. p. 269.*

Cum suis crudeliter mersus flumine.

XVI. Ingentis ejus flagitii authorem fuisse Cæsarem Borgiam Alexandri filium accusant (e), traduntque illum Faventia potitum cum Salernitanum Cardinalem legatum in eam induxisset, vertisse arma adversus Joannem Bentivolum Bononiensem toparcham, quem eo principatu facile pepulisset, nisi Francorum Regis clientela fuisset tectus. Oborta vero inde controversia, cum nefas esset clientis pontificii parrocinium adversus Pontificem suscipere, respondit Gallus ita susceptum, ut tamen jura, quæ obtinebar Romana ecclesia, illibata manerent, quamvis contenderet Alexander, Gallum obsistere non debere, ne vetera in Bononiam jura recuperarentur. Ita autem Borgia cum Bentivolo concordiam confirmavit, ut vectigal nummarium ac militare exegerit. Permisere etiam ei Bononienses castrum Bononiense, quod inter Imolam & Faventiam situm erat, quod Alexander eidem Cæsari Borgiæ adductis in suam sententiam Cardinalibus, tradidit (f), speciosam eam prætexens causam, quod ille bellicos labores pro ecclesiæ Romanæ dignitate pertulisset.

(e) *Pet. Bem. Card. hist. Ven. l. 5. Sabell. enn. 11. sup. l 1 Guicc. l. 5. Sur. to 5. l. 4. c. 38.*

Joannes Bentivolus a Cæsare Borgia petitus bello Gallica clientela liberatur.

Ad vectigal pendendum adigitur.

(f) *L. 5. bull secr. p. 362.*

*Dilecto filio nobili viro Cæsari Borgiæ de Francia duci Romandiolæ, &c.*

*Cum dilecti filii communitas civitatis nostræ Bononiensis, cui alias, ut asserebant, castrum Bononiense, quod inter Imolensem & Fa-*

*& Faventinam civitates tuas fisum est, per sedem Apostolicam perpetuo fuerat incorporatum, quodque tuuc tenebant & possidebant castrum Bononiense prædictum tibi pro majori civitatum & castri prædictorum quiete & securitate dimiserint, cesserint & relaxaverint, nos considerantes quos & quausa superiori anno tu, qui etiam dux Valentiæ, ac noster & Romanæ ecclesiæ confalonerius ac capitaneus generalis exiftis, in Romandiola uullis impensis, uullis laboribus, uullisve periculis parcendo, pro hujus sanctæ sedis honore & authoritate rebelles & inobedientes nobis & eidem Romanæ ecclesiæ debellando, civitatesque & terras per eos occupatas recuperando, ac ad nostram & ejusdem Romanæ ecclesiæ obedientiam reducendo strenue & intrepide effecisti, quibus sic exigentibus meritis illas sic recuperatas tibi liberisque heredibus & successoribus tuis in remunerationem tot tuorumque præclarorum gestorum de venerabilium fratrum uostrorum ejusdem Romanæ ecclesiæ Cardinalium consilio pariter & assensu per alias diversas nostras literas successive concessimus, & assignavimus, prout in singulis literis prædictis plenius continetur, ac cupientes dictum castrum Bononiense, illiusque incolas & habitatores benigne & quiete regi*, & infra, *tibi pro te liberisque ac heredibus & successoribus præfatis in perpetuum similibus consilio, assensu, scientia, authoritate, & potestatis plenitudine tenore præsentium damus*, & infra, *decernentes ex nunc irritum & inane quidquid secus super his per quoscumque quavis authoritate, etiam per nos scienter vel ignoranter contigerit attentari, & quod uobis licere nou patimur etiam successoribus uostris indicamus, &c. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ* MDI. *kal. junii pontificatus nostri anno* IX.

XVII. (a) L. 5. bull. secr. p. 40. Contra vero judiciariam severitatem adhibuit Alexander (*a*) in Julium Cæsarem Varanum Camerini regulum ecclesiæ vectigalem, qui cum primum ob non solutum censum exauthoratus fuisset, venia donatus, Philippum de Aretionibus Gualdinæ arcis præfectum publica facientem latrocinia, aliosque sicarios in suam clientelam accepit, ut complures insontes misere suspendio aut ferro necati sint, multaque alia commiserat scelera.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cum plures eu terra nostra S. Severini Camerinensis diœcesis suis exigentibus demeritis exules & banniti effecti fuissent Julius Cæsar nempe regulus illos ac nonnullos alios adversus nostras & ejusdem Romanæ ecclesiæ terras grassari, rapinasque, & multa alia mala committere cupientes, & committentes receptare non erubuit, & quod abominabilius est, civitatem nostram* Bella a Camerinensi regulo gesta. *Nucerinam ad nos & eandem Romanam ecclesiam nullo medio pertinentem a nonnullis facinorosis hominibus Perusium exitiis, & rebellibus nostris, aliisque perditissimis latrunculis per fraudem & insidias, proh dolor! capi, diripi, & in prædam dari, ac cathedralem & alias dictæ civitatis ecclesias, monasteria, & pia loca calicibus, crucibus sanctorum venerandis reliquiis, aliisque ecclesiasticis jocalibus & ornamentis spoliari, multosque cives & alios illius habitatores crudelissime interfici, dictamque civitatem per multos menses contra voluntatem nostram detineri facere curavit*, nonnullisque interjectis subdit, *monitus & requisitus, tamen nobis & mandatis nostris obtemperare recusavit, rebelles nostros & ejusdem Romanæ ecclesiæ, videlicet Columnensium, & Sabellorum complices & adhærentes contra prohibitiones nostras per literas apostolicas factas & publicatas scienter receptavit*, & infra, *nos attendentes præmissa, & quamplura* Idem fratricidio infamis. *alia excessus & delicta per dictum Julium Cæsarem, qui longo jam tempore, ut dictum gubernium occuparet, inhumaniter in sanguinem suum sæviens quondam Rodulphum ejus fratrem interficere non expavit, commissa, quæ profecto gravissima sunt & uefanda, ac præsentibus inserere longum esset, sed hic compendiose ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum collecta sunt, de quibus plenam, certam, & indubitatam notitiam habuimus & habemus, adeo uotoria, indubitata, ac nullo modo excusabilia esse, ut nulla possint prorsus tergiversatione celari, & excusatione, vel allegatione defendi, uec esse propterea clausis oculis sub silentio prætereundæ, ac volentes, ut ex debito pastoralis astringimur officii debite providere temerariosque ausus reprimere, ac eos tali plectere pœna, ut cæteris sit in exemplum, & tandem metus pœnæ sit meta malorum, cum absque gravi offensa Christi tantas iniquitates amplius tolerare non valeamus, cogamurque urgente conscientia juste animadvertere in eum, præhabita super præmissis & quamplurimis aliis ejus nefaudis excessibus & delictis cum venerabilibus fratribus uostris ejusdem Romanæ ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura & diligenti, cum Jesu Christi vices, licet immeriti, teneamus in terris: nobisque in persona B. Petri sit dictum:* Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis, *& per psalmistam scriptum sit:* Super aspidem & basiliscum ambulabis; & conculcabis leonem & draconem, *præfatum Julium Cæsarem propter excessus, ero-*

ro-

*rores & delicta perpetrata & commissa, atque etiam præsertim nobis notoria, & nullo modo nullave allegatione excusabilia, majoris excommunicationis & anathematis sententiam, perjurii, sacrilegii reatus, rebellionis & læsæ majestatis crimina damnabiliter incurrisse, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MDI. kal. martii pontificatus nostri anno* IX. Adjecta sunt Alexandri & Cardinalium nomina.

Lata in eundem sententia.

XVIII. Incubuit deinde Alexander ad evertendos Columnenses & Sabellos Friderici Neapolitani Regis socios, in quos gravissimam primum sententiam tulit (*a*), recensitis criminibus, quæ Sixti IV. temporibus ad prodendam perdendamque urbem patrassent, utque recenter Friderico Turcas ad excidium Italiæ vocanti adhæsissent.

(*a*) *Ib. p.* 57.

*Alexander, &c. Ad perpetuam rei memoriam.*

Alex. edictum in Column.

*Dudum iniquitatis filii & perditionis alumni Prosper & Fabricius de Columna a majoribus & progenitoribus suis, quos ut infructuosos & nocivos domus de Columna per felicis recordationis Bonifacium Papam VIII. prædecessorem nostrum in constitutione sua, in corpore juris scripta, quasi ficus fatua nuncupata produxit, non degenerantes, sed potius mala malis addentes in reprobum sensum dati, erecta cervice, spiritu rebellionis assumpto, proprio postergato honore, Deique timore postposito, tempore piæ memoriæ Sixti Papæ IV. etiam prædecessoris nostri, ad ejus, & ipsius Romanæ ecclesiæ stipendia contra claræ memoriæ Ferdinandum seniorem tunc Siciliæ citra pharum Regem pro almæ urbis nostræ, ac status ipsius Romanæ ecclesiæ, quam tunc Ferdinandus Rex cum exercitu suo multipliciter, indebite, & injuste infestare non cessabat, defensione ac conservatione per ipsum Sixtum prædecessorem conducti fuerant, suaque stipendia liberaliter & gratiose, receperant, assistentibus etiam eis dilecto filio nostro Joanne S. Mariæ in Aquiro ipsius Prosperi fratre, & tunc inhumanis agente bonæ memoriæ Joanne Baptista de Sabellis S. Nicolai in carcere Tulliano diaconis Cardinalibus, proditorie agentes, violata per eos fide præfato Sixto prædecessori præstita contra omnem honestatem, contra jusjurandum, contra omne juris debitum ab ipsius Sixti prædecessoris, cujus homines vassalli & subditi erant, cuique jure subjectionis etiam astringebantur, stipendiis, obedientia, ac devotione deficientes, ad castra præfati Regis, partesque suas confovendas, nullaque ab ipso Sixto prædecessore petita & obtenta licentia, tanquam transfugæ cum gentibus suis armigeris ipsius Sixti prædecessoris pecunia conductis declinarunt, ac etiam claræ memoriæ Alfonsum ejusdem Siciliæ Regem tunc Calabriæ ducem, ac præfati Ferdinandi primogenitum, cum grandi exercitu in terris suis per longum tempus tenuerunt & receptarunt: illi gentibusque suis armigeris necessaria, quantum ab eis fieri poterat, subministrantes, qui singulis diebus usque ad almæ urbis, quam obsessam tenebant, mœnia venire, graves facere incursiones, urbem ipsam molestare, illique ac Romanis civibus peculiaribus nostris, & ejusdem Romanæ ecclesiæ filiis, ac Romanæ curiæ curialibus tam ecclesiasticis, quam sæcularibus maxima & irreparabilia damna continue inferre, illosque etiam personaliter capere, ac victualia, ne ad dictam urbem deferrentur prohibere, bonaque civium & curialium prædictorum, necnon ejusdem Romanæ ecclesiæ Cardinalium, aliorumque prælatorum diripere & deprædari, ac publicas stratas obsidere, & insidiis inde transeuntes aggredi non cessabant, & nisi tanto furori ipse Sixtus prædecessor brevi tunc occurrisset, alienasque gentes in suam dictæque urbis defensionem cum maxima impensa sua evocasset, quarum præsidio, divinaque favente justitia, tandem hostes ipsi fugati, & pro majori parte capti fuerunt, ereptis etiam ab eis præfati Ferdinandi Regis vexillis, urbs prædicta, quam versus Columnensium & Sabellorum terras exire nemini tutum erat, pristinæ fuit restituta libertati proculdubio Alfonsus tunc dux & Columnenses præfati urbem ipsam, ut formidabatur, per vim ingressi fuissent, illamque diripuissent, ac omnia, quæ potuissent, mala & damna, quod ut credebatur maxime cupiebant & sitiebant, & ad id anhelabant, intulissent, cujus rei causa præfato Sixto prædecessori etiam pro sua dictæque urbis conservatione ac securitate, tosque & tantis malis imminentibus evitandis, necesse fuit præfatos Cardinales, ac quondam Marianum etiam de Sabellis ipsius Joannis Baptistæ Cardinalis fratrem gentium armigerarum ductorem Ferdinando Regi & Alfonso tunc duci præfatis assistentes, ac eorum gentes in dictam urbem, ut vehementer suspicabatur, introducere volentes capere, & in nostra arce S. Angeli de dicta urbe aliquandiu detinere, quo tempore quondam Laurentius Odo etiam de Columna clericus sedis Apostolicæ prothonotarius, dicti Fabritii frater, ab ipsis progenitoribus suis nolens degenerare, nescitur quo spiritu nisi maligno ductus, ordinis sui clericalis ac beneficiorum ab ipsa sede Apostolica receptorum immemor, temerario ausu cornua contra ipsum Sixtum prædecessorem erigens, & ab ipsis Prospero &*

Conducti a Sixt. IV. in Ferd.

Ad hostem turpiter defecere.

Actæ ab iis plures grassationes.

Hostes profligati divinitus.

Parata ab iis ad Urbem occupandam insidiæ.

Cardinales suspecti traditi custodiæ.

Intercepta ab Odone Columna urbis porta.

Fabritio etiam, ut credebantur, instigatus unam dictæ urbis portam capere, ipsamque urbem ingredi, & in domibus ipsorum de Columna in regione montium de dicta urbe consistentibus non parvam armatorum gentem coadunare, seque ante dictas domos cum equitibus & pedestribus, bellicisque instrumentis munire, ac contra ipsius Sixti prædecessoris, qui pluries paterna charitate suisque monitis, ut a præmissis desisteret, seque ad eum conferret, gratiam & misericordiam ab eo habiturum, requiri fecit voluntatem tenere & maximum in dicta urbe scandalum suscitare non expavit, cujus duritiam, pertinaciam, & rebellionem videns ipse Sixtus prædecessor, volensque manimo tunc dictæ urbis imminenti periculo providere coactus fuit gentes suas armigeras contra eum destinare, qui tandem magno gentium armigerarum tumultu in dicta urbe propterea facto per gentes præfati Sixti prædecessoris gentibus ipsius Laurentii expugnatis devictus, & captus, & in dictam arcem conjectus tandem suis demeritis exigentibus, & facto debito prius contra eum pro tanta, & tam evidenti, ac notoria & manifesta rebellione, ac crimine læsæ majestatis tam temerarie commisso, processo, capite truncatus fuit, urbe prædicta a tot periculis tunc imminentibus liberata, domibusque ipsorum de Columna ad aliorum exemplum subditorum pro parte igne succensis. Et licet præfatus Sixtus prædecessor more pientissimi patris suorum prædecessorum Romanorum Pontificum, qui sæpius excessus & errores per illos de familiis Columnensium & Sabellorum hujusmodi, tot grandium ergæ eos per dictam sedem Apostolicam collatorum beneficiorum omnino immemores, ac ingratitudinis vitio laborantes perpetratos ac multiplices & reiteratas rebelliones commissas eis remiseras, ac ad eorum convincendum malitiam, ac eos in viam dirigendum, & ad dominia caputque suum reducendum liberaliter & gratiose veniam concessisset, eosque in gratiam, ac ad gremium ejusdem Apostolicæ sedis recepisset, præfatosque Cardinales suæ restituisset libertati sub spe futuræ correctionis & emendationis, quodque in dictæ sedis obedientia & devotione ex nunc de cætero persistere deberent, ut tenebantur, tamen in dies pejora prioribus, humani generis hoste instigante, adiicientes & contra eamdem Romanam ecclesiam cornua erigentes, majora mala atque damna dictæ urbi, aliisque quampluribus ejusdem Romanæ ecclesiæ terris atque locis cum gentibus armigeris continue inferre etiam non cessarunt, quorum occasione præfatus Sixtus prædecessor contra ipsos Columnenses, tamquam rebelles suos notorios, pro dictæ urbis, ac ejusdem Romanæ ecclesiæ status conservatione, magno parato exercitu, justissime denuo ad comprimendum tantam rebellionem & iniquitatem arma sumere, & adversus eos bellum gerere cœpit, & nisi ipse Sixtus prædecessor insperata morte præventus fuisset, Columnenses præfati pro tantorum excessuum & scelerum pœna necessario ad totale eorum exterminium deducti fuissent, suorumque sensissent merito pœnas delictorum.

Congregati in ejusdem palatio milites.

Militari prælio victus & captus.

Capite truncatus.

XIX. Postea vero quam recolendæ memoriæ Innocentio Papa VIII. etiam prædecessore nostro, sicut domino placuit, de medio sublato, ad apicem summi apostolatus, divina favente clementia, assumpti fuimus Pharaonis imitatui duritiam, & obturantes more aspidis aures suas nunquam pro majori temporis parte in nostris & ejusdem Romanæ ecclesiæ civitatibus atque terris seditiones, factiones, zizanias, dissensiones, rebelliones, & quamplura alia innumerabilia mala seminare destiterunt, ac aliquas ex eis a nostra & ejusdem Romanæ ecclesiæ obedientia & devotione subtrahere, illasque contra mentem & voluntatem nostram occupare, & ab aliis occupari, columnas Columnensium prædictorum insignia in aliquibus ex civitatibus prædictis in locis illarum publicis & patentibus in apostolicæ authoritatis contemptum erigi permittere, sicque erectas tolerare, ac civitates & terras prædictas gentibus suis armigeris munitas tenere, gentium adjurationes, quæ vulgo cavalcatæ dici solent, contra civitates & terras prædictas, nobis & eidem Romanæ ecclesiæ mediate vel immediate subjectas, nostrosque ac ejusdem Romanæ ecclesiæ subditos, & vassallos sæpissime efficere præsumpserunt, & infra : etiam nostro tempore arcem nostram Ostiensem proditoriis fraudibus atque dolis contra voluntatem nostram capto castellano, illam nostro & ejusdem Romanæ ecclesiæ nomine custodiente, & inde ejecto, interfectisque aliquibus ad custodiam ipsam deputatis, subtrahere, occupare, & per longum tempus detinere non veriti fuerunt, & quamvis præfatus Prosper, quem deinde captum in manibus nostris habuimus, nobis, qui eum benigne suæ restituimus libertati, juramento promisisset, dictam arcem statim sine mora restituere, vel, si id non faceret, ad nos personaliter redire, tamen liber effectus juramenti præstiti immemor, fide more eorum violata, illam minime restituere, nec ad nos redire curavit, ex quo per dictam arcem victualia urbi & Romanæ curiæ prædictis necessaria subtracta deferentes, illa ad ipsam urbem multipliciter impediti, variisque exactionibus, extorsionibus

Ostia a Columna erepta Pontifici.

nibus

nibus, & angariis indebitis molestati fuerunt, adeo ut pro dictæ arcis recuperatione, ac ipsius urbis a tanta obsidione liberatione, habuerimus de necessitate pluries parata exercitu arcem prædictam obsidere, & cum machinis & aliis instrumentis bellicis non sine maxima nostra & ejusdem Romanæ ecclesiæ impensa, tandem illam vi expugnare & ad nostram & ejusdem Romanæ ecclesiæ obedientiam reducere. Et ut tandem nihil eis contra nos & ejusdem Romanæ ecclesiæ statum intentatum remaneret, & arma contra nos deinde sumpserunt, gentes armigeras sine ulla causa in agro Romano tenuerunt, ac contra nos subditosque nostros bellum moverunt, civitatesque nostras Anagniæ, quæ primaria Campaniæ existit, nec non Nucerinam cum plurimorum hominum occisione, ac bonorum etiam pretiosorum, ac ad sacros usus deputatorum direptione ac deprædationa, cum suis ac complicum suorum gentibus armigeris occupari fecerunt, in eisque gentes suas armigeras collocarunt. Et ut dictæ urbis, ac aliarum nobis, & eidem Romanæ ecclesiæ civitatum, & terrarum mediate & immediate subjectarum, subditorumque nostrorum quieti & statui consuleremus inducti fuimus, nos qui domini eorum eramus, anno superiori cum eisdem de Columna & de Sabellis subditis & vassallis nostris pro eis eorumque complicibus ad inducias ad certum tempus cum maxima hujus sanctæ sedis authoritatis & dignitatis ignominia & offensa devenire, dicto dilecto filio nobili viro Laurentio Suarez tunc apud nos charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Regis, & charissimæ in Christo filiæ nostræ Elizabeth Reginæ Hispaniarum catholicorum oratore nostro, ac ipsorum Regis & Reginæ; nec non Frederici de Aragonia tunc regnum Siciliæ citra pharum obtinente, cui adhærebant, quique eis favebat, nominibus interveniente, seque interponente obsignandis per nos & eos induciis prædictis fidejussore, ea quibus omnibus supradictis & aliarum progenitorum ac majorum suorum causa quot incendia, cædes hominum, terrarum & locorum direptiones, agrorum depopulationes, rapinæ, sacrilegia, ecclesiarum & aliorum sacrorum locorum deprædationes, & alia mala & damna, quæ bellorum furor parit produxitque, etiam in civitate nostra Viterbiensi, quam superioribus annis ipsorum Prosperi & Fabritii complices ac sequaces & quondam Antonellus de Sabellis eorum vestigia imitatus, per vim ingressi fuerunt multisque illius civibus, etiam primariis, crudelissime cæsis, interfectis, & inde expulsis, ac bonis eorum in prædam datis, subsequuta fuerunt, neminem latere putamus, quibus

Nucerinam occupavere.

omnibus sive aliquibus eorum non contenti etiam iniquitatis filii ac perditionis alumni Marcus, Antonius, Camillus, Mutius, Prosperetus, Franciscus, Petrus ejus frater, Julius, Octavianus, Pompejus, Petrus, Franciscus ac alii de Columna: Baptista, Paulus, Troilus, Jacobus, Franciscus, Lucas, Ludovicus, Antonius, Sylvius, & Marcus ejus frater de Sabellis, ac alii eorum complices, sequaces, fautores, & adhærentes, ne ab eis degenerarent diabolico spiritu ducti, eorum detestandæ sævitiæ auxilium, consilium, & favorem publice præstare, & quamplura similia mala, damna, homicidia, incendia, nostrarum & ejusdem Romanæ ecclesiæ terrarum direptiones, & sacrilegia committere & perpetrare non erubuerunt.

Plura ab his patrata mala.

XX. Postremo vero mittentibus nuper charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Rege Christianissimo, ac præfatis Rege & Regina Hispaniarum catholicis exercitus suos terra marique pro ejusdem regni Siciliæ citra pharum, quod quilibet eorum ad se ac de jure spectare prætendebat, assecutione, quo regno capto & expugnato contra perfidissimos Turcos Christi nominis acerrimos hostes omni conatu ad illorum expugnationem ac totale exterminium una nobiscum pro Christiani nominis gloria & exaltatione, ac reipublicæ Christianæ defensione, ipsorumque Turcarum depressione intendere proposuerunt, prout jam evidentia facti clare demonstrat, præfata Frederico de Aragonia tunc dictum Siciliæ regnum, ut præfertur, tenenti, ac in illud Turcos ipsos, cum quibus maximam intelligentiam & confœderationem continue habebat, introducere volenti adhærere, seque de ipsis Turchis etiam in terris suis contra Christianos admittendis & retinendis jactare, eundemque Fredericum sequi non dubitarunt: propter quæ excommunicationis majoris & anathematis sententiam, perjurii & sacrilegii reatus, nec non multipliciter rebellionis & læsæ majestatis crimen damnabiliter ipso facto incurrerunt.

Missi a Gallo & Hisp. exercitus in regn. Neap.

Frederico Turcarum socio adhæsere Columnenses.

Nonnullis interjectis additur: Cum igitur absque gravi offensa Christi tantas iniquitates amplius tolerare non valeamus, cogimurque urgente conscientia juste animadvertere in eos, præhabita super præmissis & quamplurimis aliis eorum nefandis excessibus & delictis cum venerabilibus fratribus nostris ejusdem Romanæ ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura & diligenti, cum Jesu Christi vices, licet immeriti, teneamus in terris, nobisque in B. Petri persona sit dictum: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis. Et per psalmistam scriptum: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & concul-

In eos Sabellosque lata anathematis sententia.

eulcabis leonem & draconem; *præfatos Prosperum, Fabritium, Marcum, Antonium, Camillum, Mutium, Prosperetum, Franciscum, Petrum ejus fratrem, Julium, Octavianum, Pompeium, Petrum, Franciscum de Columna: Baptistam, Paulum, Troilum, Jacobum, Franciscum, Lucam, Ludovicum, Antonium, & Sylvium, & Marium ejus fratrem de Sabellis, omnesque alios complices, ac de familiis de Columna & de Sabellis hujusmodi ecclesiasticos & sæculares, quorum nomina & qualitates, status, gradus, conditiones, dignitates, etiam Cardinalatus haberi volumus pro sufficienter expressis, propter excessus, errores, & delicta, ut præmittitur, perpetrata & commissa, ac etiam, præsertim nobis notoria, & nullo modo nullave allegatione excusabilia majoris excommunicationis & anathematis sententiam, perjurii & sacrilegii reatus, rebellionis & læsæ majestatis crimina damnabiliter incurrisse, omnibusque & singulis gratiis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, feudis*, & infra, *omni jure successionis in perpetuum omnino privatos decernimus*, & infra, *concedentes ex nostra mera gratia & liberalitate Joannem Cardinalem de Columna, quem etiam castris, terris, & omnibus temporalibus bonis suis modo præmisso privatum declaramus, ac privamus, & cum quo mitius pro nostro, & hujus sanctæ sedis more agere volumus, in sui Cardinalatus dignitate ecclesiis & beneficiis ecclesiasticis, eo in sinceritate fidei, unitate ejusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ ac obedientia, devotione nostra, ac successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium firmiter persistente remanere, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MDI. XIII. kal. septembris pontificatus nostri anno IX.* Adiecta sunt Alexandri & Cardinalium nomina.

XXI. Percussi hujusmodi fulmine timoreque perterriti Columnenses, cum fœdus inter Pontificem & Galliæ Hispaniæque Reges initum fuisse accepissent, ne clientibus suis exitio essent, eorum imperium Pontifici permisere, uti refert Burchardus sic inquiens (a): *His diebus*, nempe appetente festo corporis Christi, *Columnenses intelligentes concordiam esse conceptam inter Reges Franciæ & Hispaniæ, & propterea sibi timentes ob adventum gentium Gallicarum, decreverunt terras suas committere sacro collegio reverendissimorum dominorum Cardinalium, quod collegium nuntiavit Papæ, qui noluit hoc fieri, sed quod Columnenses mitterent claves terrarum suarum sanctitati suæ cum minis, nisi id facerent, ipsos Columnenses etiam in eorum personis velle punire. Decreverunt propterea dari claves Papæ & collegio, & Papa ad causam misit hoc mane ad eos reverendum dominum episcopum Cæsenatensem auditorem cameræ, qui rem conclusit cum eis.* Cum nonnulli Columnensium partes tueri decrevissent, partim Viterbii, partim aliis in locis Ursinorum opera oppressi sunt, gerente in exercitu militare imperium ipso Alexandro, quem spuriam filiam in palatio pontificio ad administrandum rem Romanam turpiter collocasse narrat idem Burchardus: *Sanctissimus*, inquit, *dominus noster recessurus*, nempe XVII. Julii, *de urbe commisit cameram suam & totum palatium ac negotia occurentia dominæ Lucretiæ Borgiæ filiæ suæ, quæ hujusmodi absentia durante inhabitavit cameras Papæ, & dedit commissionem aperiendi literas sanctitati suæ directas, & si occurreret aliquid ardui haberet consilium reverendissimorum dominorum Ulissiponensis & aliorum Cardinalium, quos posset propterea ad se vocare.* Nupsisse postea illam quarta septembris die Alfonso ducis Ferrariæ primogenito (quippe ejus vir a Cæsare Borgia, ut vidimus, cæsus fuerat) ac Romæ ingentem ideo celebratam lætitiam, tradit author, additque Alexandrum die decima septima septembris in Cardinalium senatu vectigal annuum Ferrariense quatuor millium aureorum ad centum ducales ad tertiam usque progeniem redegisse. Abalienasse etiam ipsum alia Romanæ ecclesiæ bona pro augenda filiæ dote visuri sumus: quæ cum Julius II. juste postea repeteret, universa Italia arsit bello, nec Ferrariensi duci partæ opes profuere.

(a) *Burchar. ms. arch. Vat. p. 2. in Alex. VI. p. 202.*

Territi Column. sua subiiciunt Alexandro.

Pontificii palatii cura spuriæ commissa.

Ducis Ferrariæ filio nupta.

Abalienata ecclesiæ bona ad augendam ejus dotem.

XXII. Cæterum refert Burchardus Alexandrum Sermonetam & alia Columnensium loca sua præsentia subegisse, Marinum æquandum solo decrevisse in Romanorum senatu, Plumbinum ad deditionem compulisse: ob quas inanes victorias officii apostolici oblitum cœlestisque iræ, quæ illi superiorem anno tristem necem intentarat licentiæ babenas effudisse, fertur. At licet Alexandrum obscœnissimis interfuisse spectaculis Burchardus & alii accusent, tamen divina providentia non passa est, ut qui corruptis erat moribus, bonos mores erronea doctrina corrumperet, nam clero ipsum castimoniam imperasse, atque etiam excolendis depravatis religiosorum moribus operam dedisse, constat (b).

Capta Columnensium oppida.

(b) *L. 2. secr. p. 139.*

XXIII. Inter præclare gesta Alexandri VI. recensendum est fovisse eum patrocinio apostolico B. Franciscum Paulanum, atque instituram ab eodem traditamque sodalibus religiosæ vitæ formulam iterum

novo

novo decreto confirmasse, quam primum Pyrrhus archiepiscopus Cusentinus, in cujus diœcesi nova religiosa familia initium duxerat, dein Sixtus IV. & Innocentius VIII. apostolica authoritate corroboraverant. Præcipua vero secundi diplomatis (a) ab Alexandro dati pars hæc est: *Fratres minimorum Minimi, qui vitam & regulam sanctissimi evangelii domini nostri Jesu Christi imitantur viventes sub vota paupertatis, castitatis, obedientiæ, & vitæ quadragesimalis promittunt obedientiam & reverentiam sanctissimo Christi vicario Alexandro Papæ VI. & ejusdem successoribus canonice electis, & ecclesiæ Romanæ, fratrique Francisco de Paula, & ejus pro tempore successoribus, studeant omnes hujus religionis fratres humiliter obedire, nunquam ab hujus vitæ regulæ professione recessuri, quam qui secuti fuerint pax super illos & benedictio Dei, suscipientes vero hanc vitam ac sub hac regula profitentes: Primum divina præcepta cum reliquis eorum saluti congruentibus scire & sedulo observare intendant, Deum ante omnia & super omnia toto corde totisque viribus amantes, & proximos sicut semetipsos, deinde universalia sanctæ Ecclesiæ præcepta custodire curent. Neque iis contenti sint, sed ut fervidi ad reliqua evangelii consilia ascendere libenter & avide contendant, recordenturque cum hæc omnia fecerint, se esse inutiles servos, & meminerint, quod nemo ponens manum ad aratrum & respiciens retro aptus est regno Dei, &c.* Hæc & alia pie instituta confirmata sunt ab Alexandro adjecta hac temporis nota: *Dat. Romæ apud S. Petrum anno MDI. kal. maii pontificatus nostri anno IX.*

(a) L. 74. bull. p. 275.

Amor Dei & proximi ab eodem suis maxime commendatus.

XXIV. Tertiariorum etiam ejusdem ordinis formula religiosa ab Alexandro comprobata est (b). Quin etiam confirmavit novum sanctimonialium ordinem ad B. Virginis gloriam propagandam conditum a Joanna Valesia Ludovici XI. Gallorum Regis filia, Caroli VIII. sorore & matrimonio juncta Ludovico XII. qui regno postea potitus eam ut vidimus, repudiavit, quasi prædecessoris Regis terrore perculsus nunquam conjugio assensisset. Ipsa igitur se divinis rebus addixit. Eximia est religiosa novi illius ordinis disciplina ad imitandas Deiparæ virtutes composita, quam Alexander proximo ineunte anno apostolicis literis (c) inseruit, quæ ob eximia beatissimæ Virginis encomia suavissimamque pietatis fragrantiam repetendæ visæ sunt.

(b) Ibid. Confirmatus tertiariorum minimorum ordo. Joanna Valesia novi ordinis conditrix.

(c) L. 2. secr. p. 69.

*Alexander, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

*Ea, quæ pro divini cultus augmento & religionis propagatione, ac animarum Christifidelium salute provide facta fuisse comperimus, ut firma perpetuo & illibata persistant libenter, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboramus, prout etiam pia personarum præsertim ex regia stirpe descendentium, ac nobis & Apostolicæ sedis devotarum exposcit devotio, & id in Domino conspicimus salubriter expedire. Sane pro parte dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Joannæ de Francia ducissæ Bituricensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipsa, quæ a regio sanguine trahit originem, B. Mariæ virginis, cujus ab ineunte ætate continue devotissima fuit, prout existit, virtutum & suorum præclare gestorum contemplationi toto cordis affectu intendens, cupiens terrena in cœlestia, & transitoria in æterna felici commercio commutare, congregatis in unum omnibus, quæ ex evangelica lectione per eandem B. Mariam virginem, dum in hoc sæculo esset gesta reperiuntur, quandam regulam, secundum quam aliquæ mulieres virtutes ejusdem beatæ Mariæ imitari ac religiose & honeste vivere volentes, in domibus tam per ipsam Joannam ducissam, quam alios Christifideles de bonis eis a Deo collatis ædificandis, in quibus etiam aliqui fratres, in loco tamen separato, existant sub clausura Altissimo famulari possent cum consilio venerabilis fratris nostri Ludovici episcopi Albiensis, ac quampluriam proborum virorum partium illarum in theologia magistrorum sæcularium & religiosorum ordinari, & jam mulieres aliquas ad id sponte se offerentes in quadam domo, quam suis propriis sumptibus prope palatium ejusdem ducissæ in civitate Bituricensi consistens construi facere, ac sufficienter de bonis suis dotare cœpit introduci, & pro regula hujusmodi certas ordinationes decem beneplacita ejusdem B. Mariæ continentes, quæ perpetuis futuris temporibus observari deberent, fieri curavit, volens mulieres, sorores & fratres præfatos secundum virtutes ejusdem B. Mariæ Altissimo famulantes nominari debere, prout in illis, quorum tenores diligenter inspici ac de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, plenius continetur, quare pro parte tam episcopi & Joannæ prædictorum, quam etiam dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Annæ etiam de Francia Borbonii ducissæ, & ipsius Joannæ sororis, quæ ad dictam Virginem similiter singularem gerit devotionis affectum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut regulæ prædictæ pro illius subsistentia firmiori robur apostolicæ confirmationis adjicere, aliaque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.*

Imitandas B. Virginis virtutes sociabus proponit.

*Nos*

Nos igitur, qui religionis propagationem ac divini cultus augmentum & animarum salutem nostris potissime temporibus supremis desideramus affectibus, & ad ipsam B. Virginem etiam semper gessimus & gerimus singularem devotionis affectum, attendentes omnia in dictis ordinationibus contenta per præfatum episcopum Albiensem, prælatum utique bonæ & timoratæ conscientiæ, ac singularis doctrinæ & prudentiæ primo, & deinde ex commissione nostra per dilectum filium Joannem Annium ordinis fratrum Prædicatorum & theologiæ professorem, sacri palatii Apostolici magistrum diligenter & accurate examinata, & per eos tamquam canonica, salubria, & utilia laudata fuisse hujusmodi piis & devotis precibus nobis per dilectum filium Gilbertum Nicolai Guardianum domus Ambasiæ ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum Turonensis diœcesis ejusdem theologiæ professoris, & præfatæ Joannæ confessoris coram nobis personaliter constituti, affirmantis præfatam Joannam, quæ, ut præfertur, ejusdem B. Mariæ semper devotissima fuit, ac bonæ conscientiæ & exemplaris vitæ existit, hæc quæ etiam ipse Gilbertus dudum examinavit & laudavit, porrectis ab intimis ex maxima cordis devotione, plurimaque desiderare supplicationibus inclinati, regulam ac statuta & ordinationes hujusmodi authoritate apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes & singulos tam juris quam facti defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem, volentes & mandantes illa observari debere, & nihilominus tam eidem Joannæ, quam aliis Christifidelibus domos prædictas in aliquibus locis ad hoc convenientibus & honestis cum ecclesia, campanili humili, campana, claustro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis necessariis officinis sine alicujus præjudicio construendi & ædificandi, seu construi & ædificari faciendi dicta authoritate licentiam concedimus, ac prædictis sic jam introductis & aliis de cætero introducendis sororibus & fratribus, illorumque domibus & locis per sedem prædictam sub quacumque forma & expressione verborum in genere concessis hactenus, & in posterum concedendis uti, potiri, & gaudere libere ac licite possint, & debeant præfata authoritate de specialis dono gratiæ indulgemus, jure tamen parochialis ecclesiæ & cujuslibet alterius in omnibus semper salvo. Volumus autem quod sorores præfatæ eidem Gilberto, donec fratres in dictis domibus fuerint introducti, subjectæ sint & esse censeantur, decernentes præfatum Gilbertum interim per superiores suos vel alios quoscumque nullatenus impediri posse quoquo modo, irritum quoque & inane si secus super iis a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac statutis & consuetudinibus dicti ordinis fratrum Minorum juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque. Tenor vero regulæ sequitur, & est talis.

Condendorum monasteriorum illi concessa facultas.

Incipit prologus in regulam sororum secundum virtutes & beneplacita Beatæ Mariæ virginis Altissimo famulari volentium.

XXV. Mariam Dei genitricem & virginem purissimam scribunt evangelistæ decem fecisse dum viveret, quæ vos sorores facere debetis, dum vivitis. Vita etenim vestra & regula est Mariam Christiferam imitari, & vitam vestram vitæ illius conformare, in quo profecto consistit tota perfectio possibilis homini viatori. Imprimis tamen advertere debetis sorores, quod ait sancta Elizabeth ad Virginem: Beata, inquit, quæ credidisti, quoniam perficiuntur omnia, quæ dicta sunt tibi a Domino. In quibus verbis liquet quod credere præcedit perficere, quippe quia nulla potest esse perfectio, ubi vera fides non est posita pro fundamento, teste namque Apostolo: Sine fide impossibile est placere Deo; unde nulla soror inter eas recipi poterit, nisi fidelis & catholica, credens firmiter & approbans quidquid credit & approbat Ecclesia Romana & catholica, nec professionem faciat, nisi per confessionem prius purificata, & in proposito placendi virgini Mariæ fixa par turturum aut duos pullos columbarum, id est dolorem & amorem obtulerit: jacto autem fidei fundamento, & corde a peccatorum sentibus purificato, & in mente prædicto proposito firmato, restat ut soror in hortum perfectionis, sive decem beneplacitorum Virginis introeat. Dicuntur autem illa decem beneplacita decem virtutes virginis, quibus ipsa summe placuit beatissimæ Trinitati, sicut & vos ad instar illius pro eadem eidem placere debetis, secundum autem ista decem est divisa regula Mariæ & vestra in decem capitula, quæ ut vestræ memoriæ facilius commendentur, hic quasi in tabula succincte ponuntur, & loca ex evangelio, unde sumuntur brevissime annotantur eo ordine, quo ab evangelistis scribuntur. Nec ea hic omnia ponuntur, quæ de Virgine ab aliis scripta sunt, aut dicta, sed tantum ea, quæ ab evangelistis Spiritu Sancto dictante tradita sunt. Et iterum solum illa, quæ

Fides omnium virtutum fundamentum.

Vir-

*Virgo cogitavit, dixit, aut fecit, quæ solum decem sunt, ut prædictum est, ut sorores corde & ore & opere sint conformes Virgini Mariæ.*

XXVI. Decem Virginis monilia. *Primum beneplacitum B. Mariæ virginis prudentia:* Cogitabat qualis esset ista salutatio; & : Conservabat omnia conferens in corde suo. *Secundum puritas sive castitas:* Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? *Tertium humilitas:* Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. *Quartum veritas:* Salutavit Elizabeth. *Quintum laudabilitas:* Magnificat anima anima mea Dominum. *Sextum obedientia:* Exiit edictum a Cæsare Augusto, &c. *Septimum paupertas:* Peperit primogenitum, & pannis eum involvit. *Octavum patientia:* Fuge in Ægyptum, & : Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. *Nonum pietas:* Vinum non habent. *Decimum gladius doloris, sive lancea compassionis:* Stabat juxta crucem Jesu mater ejus. *Sed oportet pertranseat gladius per virtutem, scilicet sobrietas ab anima in corpus, ut uterque homo interior & exterior crucifigatur Christo.*

*Capitulum primum de primo beneplacito ejusdem Virginis Mariæ.*

XXVII. De illius prudentia. *Maria virgo, sicut refert evangelista, ubi audivit salutationem Gabrielis, cogitavit qualis erat illa salutatio, & alibi dicitur quod omnia conservabat conferens in corde suo, ubi describit evangelista triplicem Mariæ prudentiam unam in verbo Dei libenter audiendo, & tarde loquendo. quia dicitur:* Ubi audivit: *& quia septies solum narrant evangelistæ quod loquuta fuit. Aliam in deliberando & consulendo, quia sequitur:* Cogitabat, &c. *Tertiam in conferendo & rationem reddendo, quia scribitur:* Conferens in corde suo. *Conformiter ad exemplum & similitudinem Mariæ debent sorores esse promptæ ad verba Dei audiendum, tardæ ad loquendum, & providæ ad vana, & sæculi rumores fugiendum. Secundo oportet ut sorores omnia faciant cum consilio non solum hominum, sed in omnibus jactent cogitatum suum in Mariam, moreque trium Regum quærentium Jesum semper aspiciant stellam Mariam, tanquam suum oraculum habentes illam. Tertio debent singulis diebus vespere conferre in corde suo per devotam meditationem, qualiter diem transierint, & quid in eo egerint, quasi capitulum apud sespsas tenendo.* De examine conscientiæ peragendo. *Ut autem istud beneplacitum sanctius observetur, singulis annis sorores a patre vigilante, si potest, vel ejus vicem gerente, si per se non potest, visitabuntur, quæ visitatio semper tendat ad plenam observantiam prædictorum decem beneplacitorum. Singulis etiam sabbatis mater ancilla, si potest, teneat capitulum sororum, in quo ut in purgatorio humiliter cognoscant & suscipiant pœnitentiam suorum delictorum ante sorores commissorum.*

*Capitulum secundum de secundo beneplacito ejusdem virginis Mariæ.*

*Maria virgo quantum dilexerat puritatem & castitatem, satis liquet ex illo verbo:* Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco. *Profecto inter cætera Mariæ virginis beneplacita istud dignoscitur esse præcipuum, in quo oportet sorores omnes excellere, illarum enim sponsus Dominus zelotes est, unde oportet sorores ad exemplum & similitudinem Mariæ abstinere a munusculis, literis, verbis, gestibus, consortiis, consiliis, tactibus, familiaritatibus, & aliis quibuscumque, quæ occasio esse possent inficiendi, & leniendi corda sororum, & cogitatus, vinculo amoris mundani & turpis. Sicut fugit Virgo in Ægyptum ne perderet Jesum, sic fugiant sorores omnem amatorem mundanum, tanquam alium Herodem crudelissimum. Recordentur sorores cujus sunt sponsæ, & fratres cujus sunt sponsi, & quam fidem ambo promiserunt Virgini purissimæ Mariæ. Erunt sorores pro hoc beneplacito multum observando sub perpetua clausura, ad quas introitus non patebit nisi medico spirituali & corporali, & hoc in infirmitate vel visitatione. Abhorreant sorores otium atque crapulam, quæ novercæ sunt puritatis. In communi dormitorio cum habitu dormiant, & in communi refectorio cum lectione sancta edant. Quæ contra hoc beneplacitum deliquerint, gravissime puniantur. Tentatis tamen sororibus pie & humiliter consilium detur, & quantum fieri poterit adjuventur, ne in laqueum luxuriæ cadant.* XXVIII. De castitatis observantia.

*Capitulum tertium de tertio beneplacito ejusdem virginis Mariæ.*

*Maria virgo humillima, more arboris fructu oneratæ quanto plus habuit de virtute, tanto humilior fuit, & conformiter ad exemplum & similitudinem illius sorores semper se ancillas inutiles & omnium infimas credant, neminem judicantes, nec de vita alterius disputantes, uterque enim hortus, bonæ scilicet sororis & malæ incultus foret, nisi bonus & pius agricola utrumque coluisset. Quid ergo habes soror, quod a Deo Domino non accepisti? Ambitionem fugiant sorores tanquam a facie colubri, officia humilitatis sectantes, etiam quæ inter sorores majores existimantur, in humiliatione & abjectione sua gaudentes, in exaltatione vero tristes* XXIX. De Christiana demissione sectanda.

*& dolentes, quia turbata est Virgo ab angelo laudata. Officiales, mater scilicet ancilla, & pater vigilans triennales erunt, nisi ubi forte judicio sororum non inveniretur æque ad observationem potens verbo & opere, vel nisi talis esset, quod excellentia sanctitatis exigeret, quod in officio diutius continuaret.*

*Capitulum quartum de quarto beneplacito eiusdem virginis Mariæ.*

XXX. *Maria virgo, teste evangelio, salutavit Elizabeth, in qua salutatione sive Deo gratias dixerit, sive Pax tecum ratio fuit, sicut a sanctis traditur, ut per hujusmodi salutationem omne verbum vitiosum vitaret. Ad cujus exemplum & similitudinem sorores sequantur veritatem non solum politicam & moralem, verum etiam heroicam & divinalem, quæ & mendacium fugit, & verbum otiosum nescit, semper enim silentium evangelicum hujusmodi veritas servat. Sorores pro hujusmodi beneplacito melius servando non loquantur in refectorio, choro, claustro & dormitorio, item nec a dicto completorio usque ad primam diei sequentis, nisi ubi charitas urget, oportet enim sorores, sicut in primo capitulo factum est, breviloquas esse, quia breviloqua fuit Maria, cujus vita & actio est sororum regula & instructio.*

De otio & garrulitate fugiendis.

*Capitulum quintum de quinto beneplacito ejusdem virginis Mariæ.*

*Maria virgo plena gratia non ingrata, nec ignara Dei beneficiorum illud canticum canticorum divinæ laudis plenissimum & excellentissimum deprompsit, dicens:* Magnificat anima mea Dominum. *Ad cujus exemplum & similitudinem debent sorores ubique & semper intendere laudi divinæ, discant in terris hanc scientiam divinæ laudis, quæ in sæcula sæculorum perseverabit in cœlis, maxime tamen in tribus studeant Deum laudare & Dei virginem Mariam, in horis scilicet canonicis dicendis, in missis audiendis, & in communione sine exceptione dignissima sacramenti altaris secundum horas persolvant sine nota dicendo officium ejusdem B. Mariæ de compassione & spasmo cum commemoratione festi occurrentis secundum ordinarium Romanum, de quo erit decima lectio si lectiones habuerit, similiter fiat in adventu & quadragesima commemoratio & decima lectio, sed de homilia, quando occurrit, homilia in adventu antedicto & quadragesima, semel in die dicantur psalmi pœnitentiales. A prædictis excipiantur festa Domini Sabaoth, ut festum commemorationis omnium sanctorum, de quibus fiat cum commemoratione B. Mariæ, & in secundis vesperis festi omnium sanctorum dicantur vesperæ mortuorum, & die sequenti officium novem lectionum. Singulis autem diebus dicantur per ordinem decem psalmi quinque post matutinum, & quinque post completorium, completo autem psalterio reincipiantur, ut prius, attamen psalmus:* Beati immaculati, *dicetur in horis diei, sicut consuetum est, cum oratione quinque plagarum Christi. Dicetur autem officium divinum intellectualiter & attente:* Magnificat, *inquit,* anima mea; *& non tantum lingua lætanter & jucunde, quia dicis:* Et exultavit spiritus meus; *reverenter & timorose:* Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. *Quod vero ad missam audiendam attinet, quotidie in loco sororum celebrabitur una, quam audiant sorores, quæ interesse poterunt judicio matris ancillæ. Quando non recurret festum Domini sabaoth, aut festum, quod colitur a clero & populo dicatur missa de uno decem festorum Virginis cum commemoratione festi occurrentis, & si occurrat dicatur missa de festo cum commemoratione Virginis semper. Quod vero ad dignissimum sacramentum pertinet, suscipere id studeant sorores, & toto corde devotionem & reverentiam habere ad tantum sacramentum, & illud recipere reverendissime ad minus de quindena in quindenam, ubi tamen occurreret infra hebdomadam festum Domini sabaoth, aut Virginis gloriosæ, fiat communio in illo die.*

De repetendo divino officio.

*Capitulum scutum de sexto beneplacito ejusdem virginis Mariæ.*

XXXI. *Maria virgo quantum obediens fuerit Deo, satis indicat sua purificatio, & ascensus annuus in Jerusalem. Quam vero obediens fuerit homini propter Deum, satis ostendit sua cum Joseph desponsatio, & ad præceptum Octaviani in Bethleem peregrinatio, ad cujus exemplum & similitudinem sorores obediant primo Deo, decem ejus præcepta servando, & secundo homini propter Deum, decem beneplacita sive consilia Christi & Mariæ implendo scientes quia sicut Virgo Jesum peperit obedientiam & mandatum Imperatoris implendo, sic soror fructum meriti semper parit in obedientia vivendo sororum & fratrum. Obedientia sit secundum modum, qui ortum habuit ex verbis Salvatoris pro nobis in cruce morientis, & dicentis:* Mater ecce filius tuus, deinde dixit discipulo: Ecce mater tua; *ut alter alterius onus & curam gereret.*

De obedientia servanda.

*Capitulum septimum de septimo beneplacito ejusdem virginis Mariæ.*

XXXII. *Maria virgo, teste evangelio, filium suum primogenitum pannis involvit, & certe in*

*filio*

De cultu paupertatis.

filio & matre semper summa paupertas claruit. Ad cujus exemplum & similitudinem debent sorores omnia temporalia contemnere, & habentes victum & vestitum esse contentæ, quanto soror in mundo propter Mariam fuerit pauperior, tanto in cælo erit ditior. Tamen sorores, poterunt in communi habere redditus & pecunias, fratres vero minime, sed Virgini in altissima paupertate placentes de iis, quæ mundi sunt non se intromittentes, & sororibus in spiritualibus deservientes ab eisdem victum & vestitum recipiant. Habitus sororum & fratrum viles & honesti sub triplici colore vestium, quibus Christus in die passionis vestitus fuit, habeantur, poterunt autem fratres sine capucio cum habitu & femoralibus jacere, sit autem habitus ipsorum a zona supra scissus, ut nihil in illis nudum appareat præter vultum & manus.

Capitulum octavum de octavo beneplacito ejusdem virginis Mariæ.

De patientia amplectenda.

XXXIII. Maria virgo fere experta fuit, quod qui pie volunt vivere cum Christo persecutionem patiuntur. Ad cujus exemplum & similitudinem sorores in patientia studeant possidere animas suas, in eodem vultu & æquaminitate mentis perseverantes, quia: Non contristabit justum, ait scriptura, quidquid ei acciderit. Diligant qui illos persequuntur sine murmure & maledictione, non respondentes malum pro malo, sed potius mercede locantes qui illos arguant & corrigant, omnia excusantes & supportantes, totas se divinæ providentiæ & protectioni virginis Mariæ committant, quia sic est voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta.

Capitulum nonum de nono beneplacito ejusdem virginis Mariæ.

XXXIV. Maria virgo merito ab Ecclesia sancta dicitur mater pietatis & misericordiæ, cujus pietas satis fulsit in nuptiis in Chana Galileæ semper sibi parca, & aliis larga fuit. Ad cujus exemplum & similitudinem sorores vendicent sibi rem & nomen pietatis & misericordiæ, dantes eleemosynam spiritualem, & in quibus possint temporalem vivis & defunctis, justis & peccatoribus, illorum peccata & sua deflentes. In hoc beneplacito charitatis & pietatis, sicut & in beneplacito puritatis studeant sorores omnes excedere, soror, quæ plus de charitate habuerit, in majori gloria cum Christo & Virgine erit, sine charitate claustrum carcer est diaboli, sorores nisi inter se charitatem habeant, nec Deum possunt habere nec Mariam, nec meritum acquirere, nec aliquid agere, quod placeat Deo, aut virgini Mariæ. Infælix illa soror nimis, quæ contempsit mundum intravit claustrum, & tamen contra aliquam servat in pectore odium. Sororibus infirmis non minus a sanis serviatur quam vellent, quæ sanæ essent si in tali statu rationabiliter serviri. In sola charitate dignoscitur & puritate quæ sorores sunt peculiares discipulæ & amicæ Christi & virginis Mariæ.

De misericordia exercenda.

Capitulum decimum de decimo beneplacito ejusdem virginis Mariæ.

XXXV. Maria virgo, teste evangelista, stabat juxta crucem Jesu, cujus animam teste Symeone justo pertransivit gladius. Ad cujus exemplum & similitudinem sorores juxta crucem Christi stent, & illam deferant quotidie aliquem articulum passionis meditando, & Christo compatiendo, atque de ejus quinque plagis cum Samaritana aquam vivam hauriendo, immo vinum, mel, lac & oleum sugendo. Advertant tamen sorores quod hujusmodi vinum compassionis non invenitur in terra suaviter viventium, unde sobrias oportet esse sorores ab omni inutili & vana delectatione se abstrahentes. Pertranseat gladius compassionis ab anima in corpus. Jejunabunt sorores feria sexta & sabbato, quia diebus illis luxit Virgo. In qualitate autem & quantitate ciborum sit rationabile obsequium sororum, non enim potest una omnibus dari regula generalis, permittantur tamen sorores, quibus gratiam dedit Dominus ad indicium matris ancillæ, si voluerint, se aliquando in una abstinentiali, aliquando in vita quadragesimali: aliquando in vita innocentiali exercere. In qua innocentiali quantum possibile erit, ad exemplum & ædificationem Ecclesiæ Christi se exerceant fratres, qui officium prædicandi verbum Dei habent, nam cujus Deus venter est, dignus esse non potest seminator verbi divini. Viatoribus usus panis mane & sero est permissus, in cœnobiis vero jejunantibus sororibus & fratribus non viatoribus ubilibet existentibus, sero tantum est concessus.

De jejuniis colendis.

Ecce sorores amantissimæ, vita & regula vestra, quam brevissime in decem beneplacitis virginis Mariæ contenta, in qua oportet vos perseverare ad exemplum virginis Mariæ, de qua scriptum est quod: Erant omnes perseverantes cum Maria matre Jesu; & beata soror, quæ in iis perseveraverit usque in finem, quoniam salva erit. Ubi tamen delinqueret soror aut frater, sciant se ad pœnam obligari taxandam arbitrio matris ancillæ, & patris vigilantis. Ad culpam autem mortalem non sit obligatio, nisi forte in observantia trium essentialium votorum, & hoc modo qui sequitur, ut obedientiam servent in volendo observare decem beneplacita Ma-

*riæ non rebellando in contemptu ad subeundas pœnas taxatas in contravenientes, castitatem in non experiendo actu luxuriæ, paupertatem omnia in communi habendo quoad sorores, & quoad fratres omne dominium abnegando, & tactum pecuniæ ex necessitate excludendo. Hæc omnia det vobis & concedat perficere illa, sine qua nihil potestis facere, per quam sit gloria Trinitati summæ. Ipsam vero benedicant cunctæ creaturæ, nam post Deum super omnia placendum est virgini Mariæ. Amen. Deo gratias & Mariæ.*

Visa & examinata, & est bona & sancta ordinatio, & expedienda. Joannes Annius ordinis Prædicatorum & sacræ theologiæ professor, & sacri palatii apostolici magister manu propria.

Visa & examinata, & est bona & sacra ordinatio, & expedienda. Gilbertus Nicolai ordinis fratrum Minorum, & sacræ theologiæ professor guardianus fratrum Minorum de observantia nuncupatorum, Ambasiæ Turonensis diœcesis, manu propria. *Nulli ergo liceat, &c. nostræ approbationis, confirmationis, communitionis, suppletionis, mandati, concessionis, indulti, voluntatis, & decreti vim infringere. Si quis, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ MDI. pridie idus februarii pontificatus nostri anno x.*

XXXVI. Bibliopolarum avaritia mala graviora parit. (a) To. 4. lit. com p. 322. Alexandri VI. in eos decretum.

Nec defuit Alexender apostolico muneri ad nascentia hæresum semina evertenda, cum enim typographi quæstus illecebra pellecti plures libros erroribus inquinatissimos excuderent, eosdemque distraherent bibliopolæ (a), sanxit gravissimis impositis pœnis, ne sine episcoporum diœcesanorum venia ac potestate ulli libri typis mandarentur, utque hæresibus contaminati ad eos ferrentur, flammisque abolerentur.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Inter multiplices nostræ solicitudinis curas, illam in primis suscipere pro nostro pastorali officio debemus, ut quæ salubria & laudabilia, ac catholicæ fidei consona, & bonis moribus conformia nostro tempore oriuntur, non solum conserventur & augeantur, verum etiam ad posteros propagentur, & quæ perniciosa, damnabilia, & impia sunt, succidantur & radicitus extirpentur, nec pullulare usquam sinantur, & in agro dominico, & vinea Domini sabaoth dumtaxat conseri permittendo, quibus fidelium mentes pasci spiritualiter possint, eradicata zizania & oleastri sterilitate succisa. Attendentes igitur quod, sicut humano generi plurimum conferre dignoscitur, ut ea, quæ ad bonas artes ac probatos mores pertinent divulgentur, & ad lucem & hominum notitiamque tam præsentium quam eorum, qui futuri sunt deducantur, quod maxime fieri solet beneficio literarum, quibus ipsa veritas quasi alligata ad usum absentium pariter & futurorum deducitur, conservatur & propagatur, ita perniciosum, & maxime eidem humano generi inimicum censeri debet, si ea, quæ noxia sunt, & sanis doctrinis, honestisque moribus & in primis orthodoxæ religioni comperiuntur adversa publicentur, & ministerio literarum ad notitiam plurimorum extendantur: quemadmodum enim bonum quanto universalius tanto utilius divinius & majus, ita & malum quanto amplius & copiosius, tanto deterius abhominabiliusque arbitrari debet, maxime quia humanæ fragilitatis cogitationes proniores reperiuntur ad malum, quam ad bonum. Hinc est quod, sicut ars impressoria literarum utilissima habetur ad faciliorem multiplicationem librorum probatorum & utilium, ita plurimum damnosum foret, si illius artifices ea arte perverse uterentur, passim imprimendo quæ perniciosa sunt. Debent igitur impressores ipsi merito compesci opportunis remediis, ut ab eorum impressione desistant, quæ fidei catholicæ contraria fore noscuntur vel adversa, aut in mentibus fidelium possunt verisimiliter scandalum generare: unde nos, qui illius locum tenemus in terris, qui ad illuminandum hominum mentes, & errorum tenebras exterminandum descendit e cælis, cum fideli relatione intellexerimus, artificio dictæ artis plurimos libros atque tractatus in diversis mundi partibus, præsertim Coloniensi, Maguntina, Treverensi, Magdeburgensi provinciis fuisse impressos, in se varios errores ac perniciosa dogmata, etiam sacræ Christianæ religioni inimica continentes, & in dies etiam passim imprimi, hujusmodi detestandæ labi sine ulteriori dilatione occurrere cupientes, ut ex commisso desuper pastorali officio tenemur, omnibus & singulis dictæ artis impressoribus, & illorum obsequiis quomodolibet insistentibus, & se circa eorum imprimendi artem quoquomodo exercentibus in provinciis prædictis degentibus sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam eo ipso, si contra fecerint, incurrisse noscantur, & pœna pecuniaria per venerabiles fratres nostros Coloniensem, Maguntinensem, Treverensem, & Magdeburgensem archiepiscopos, vel eorum vicarios in spiritualibus generales aut officiales quemlibet videlicet eorum in provincia sua pro eorum arbitrio imponenda & exigenda, ac cameræ apostolicæ applicanda authoritate Apostolica præsentium tenore districtius inhibemus, ne de cætero libros, tractatus, aut scripturas quales-*

In arte typographica corruptelæ exortæ.

Plures libri hæretici typis mandati.

Vetiti mandari typis sine episcoporum permissu.

*lescumque imprimere, aut imprimi facere quoquomodo præsumant, nisi consultis prius super hoc archiepiscopis, vel vicariis, aut officialibus præfatis, ac eorum speciali & expressa impetrata licentia gratis concedenda, quorum conscientias oneramus, ut antequam licentiam huiusmodi concedant, imprimenda diligenter examinent, sive a peritis & catholicis examinari faciant & procurent, ac diligenter advertant, ne quid imprimatur, quod orthodoxæ fidei contrarium, impium, & scandalosum existat. Et quia parum esset adversus futuras impressiones providere, nisi quæ jam fere noscuntur erronea, impia, & scandalosa supprimantur, eisdem archiepiscopis, vicariis, vel officialibus mandamus authoritate prædicta, ut videlicet quilibet eorum in dicta provincia sua moneant & requirant authoritate nostra omnes & singulos impressores, ac personas alias cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ existant, ut omnia & singula inventaria librorum & tractatuum quorumcumque impressorum, ac libros & tractatus impressos, in quibus per archiepiscopos sive vicarios, aut officiales prædictos, aut eorum singulos aliqua fidei catholicæ contraria, impia, adversa, scandalosa, aut male sonantia contineri indicatum sive declaratum fuerit, omni fraude & dolo cessantibus, infra terminum eorum arbitrio præfigendum coram eis respective præsentent & consignent sub simili excommunicationis latæ sententiæ & eorum arbitrio exigenda pecuniaria pœna, ut præfertur, incurrenda, studeantque sic impressos etiam alias, prout expedire putaverint, ad eos deferri & delatos comburi facere, & ne quispiam illos legere vel tenere præsumat sub similibus censuris & pœnis authoritate nostra prohibere, nec omittant diligenter inquirere quibus procurantibus tales libri impressi fuerint, quave de causa illud procuraverint in fidei catholicæ, quam profitentur, detrimentum, & an procuratores ipsi de aliqua hæresi suspecti sint, contradictores quoslibet & rebelles etiam, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis, nec non communitates, universitates, & collegia quæcumque per excommunicationis, suspensionis & interdicti aliasque sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas cum illarum aggravatione & reaggravatione, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis, cui ut opem diligentius ferant medietatem dictæ pœnæ pecuniariæ, quam exegerit applicamus non obstantibus, &c.* Abrogantur omnes prærogativæ vel impressoribus vel iis, qui typis cudenda

Libri hæreticales deferri iis jussi.

Flammis delendi.

Intentatur pœnæ tendentibus contra.

hæretica curaverint, quibus se ad eludendum edictum hoc munire se possent, tum subdit Alexander: *Hortamur præterea eosdem archiepiscopos, & vicarios, & officiales, ut zelum fidei & salutem animarum præ oculis habentes, in præmissis ita se diligentes & solertes studeant exhibere, quod eis adeo perennis vitæ præmium, & a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MDI. kal. junii pontificatus nostri anno* IX.

In dirimendis etiam fidei controversiis XXXVII.
divino præsidio instructum fuisse Alexandrum exploratum est, nam in fidei orthodoxæ docendæ studio eum non discrepasse a prædecessoribus sanctissimis ostendunt plura ipsius monumenta, inter quæ insigne hoc afferam, quo Ruthenorum baptisma validum, nec umquam repetendum in iis, qui a schismate ad gremium Romanæ ecclesiæ redirent, definivit.

Licet impurissimus fidem defendit.

*Alexander episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

*Non sine grandi & spirituali mentis nostræ lætitia accepimus quod nonnulli Rutheni in ducatu Lituaniæ, & alii ritu Græco viventes, fidem tamen Christianam alias profitentes, qui Wilnensem ac Chiowiensem, Lutzeronensem & Medimcensem civitates & diœceses ac alia loca ejusdem ducatus inhabitant, sancto Spiritu cooperante, illustrati nonnullos errores, quos hactenus ritu & more Græcorum viventes observarunt, penitus ab eorum mentibus & cordibus abdicare, & unitatem fidei catholicæ & Latinæ Romanæ ecclesiæ amplecti, & secundum ritum ejusdem Latinæ & Romanæ ecclesiæ vivere desiderant, & proponunt. Sed quia more Græcorum scilicet in tertia persona baptizati fuerunt, & nonnulli asserunt eos de novo baptizari debere, prædicti, qui ritu Græco hactenus vixerunt, & adhuc vivunt tanquam antea rite baptizati renuunt & recusant de novo baptisma suscipere; nos qui ex commisso nobis desuper, licet insufficientibus meritis, officio pastorali cupimus singulas oves nobis commissas ad verum ovile Christi perducere, ut fiat ex illis unus pastor & unum ovile, & ne sancta catholica Ecclesia diversa & deformia membra a capite discrepantia, sed conformia habeat, attendentes quod per felicis recordationis Eugenium Papam IV. prædecessorem nostrum in concilio per eum Florentiæ celebrato, & in quo Græci atque Armeni una cum Romana ecclesia sentientes interfuerunt, definitum fuit forma hujus sacramenti baptismatis existere:* Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus

Plures Rutheni ad ecclesiam Rom. traducti.

Controversum an de novo lustrandi forent baptismo.

Soluta lis ex definitione Concilii Florentini.

Sancti

Sancti Amen. *Ac etiam per illa verba:* Baptizetur talis servus Jesu Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, vel Baptizatur manibus meis talis: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; *verum perfici baptisma, quoniam ejus principalis causa, ex qua baptisma virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit euterius sacramentum, sic exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum cum sanctæ Trinitatis invocatione perficitur sacramentum, & propterea hujusmodi sacramenti sic in tertia persona collati reiterationem necessariam non existere, habita etiam super hoc cum fratribus nostris deliberatione matura, authoritate apostolica nobis & aliis Romanis Pontificibus ab ipso Christo Jesu domino nostro per B. Petrum [cui & successoribus ejus apostolatus ministerii dispensationem commisit] tradita tenore præsentium decernimus atque declaramus, omnes & singulos sic in tertia persona baptizatos, volentes a ritu Græco ad ritum & morem latinæ & sanctæ Romanæ ecclesiæ venire, simpliciter & sine alia contradictione, aut etiam obligatione, vel coactione, quod iterum rebaptizentur etiam cum intentione quod alias ritus per orientales ecclesias observari solitos hæreticam pravitatem non concernentes observari possint, facta prius tamen per omnium errorum ritum Græcorum a Latina & Romana ecclesia, & illius ritu ac sanctis institutionibus deviantium abjuratione, admittendos fore: exhortantes etiam per viscera misericordiæ Dei nostri omnes & singulos, qui prædicto modo baptizati sunt, & ritu Græco vivunt, ut abnegata omnium errorum, quæ secundum morem & ritum Græcorum hactenus observarunt, quique ab immaculata & sancta catholica Latina & Romana ecclesia, & illius sanctorum patrum institutionibus approbatis deviant, velint eidem catholicæ Latinæ ecclesiæ, illiusque salubribus documentis pro animarum suarum salute & veri Dei cognitione adhærere. Et ne eorum sanctum propositum quovis modo retardari possit venerabili fratri nostro episcopo Wilnensi in virtute sanctæ obedientiæ committimus & mandamus, quatenus omnes & singulos sic baptizatos, & ad unitatem præfatæ Latinæ ecclesiæ venire, & errores prædictos abiurare volentes, ad præfatæ Latinæ ecclesiæ unitatem & errorum hujusmodi abiurationem, per se vel per alium, seu etiam alios sæculares prælatos ecclesiasticos seu Prædicatores, aut Minorum ordinum regularis observantiæ professores doctos & probos, ac alios idoneos, quibus id duxerit committendum, singulos præfatos sic venientes ab excessibus propter observationem hujusmodi errorum ac hæretica pravitate inde proveniente, nec non excommunicationis sententia, aliisque censuris, & pœnis ecclesiasticis, quas quomodolibet propterea incurrerunt, dicta apostolica authoritate absolvendi, ac eis pro modo culpæ pœnitentiam salutarem injungendi, aliaque in præmissis necessaria faciendi, plenam & liberam licentiam & facultatem concedimus, per præsentes. Verum quia difficile foret præsentes nostras literas ac singula loca, ubi opus fuerit, facere deferre, volumus & eadem apostolica authoritate decernimus, quod earundem literarum transumpto manu alicujus notarii subscripto, & sigillo præfati Wilnensis, seu alicujus alterius episcopi, vel prælati ecclesiastici munito eadem fides prorsus adhibeatur in judicio & extra, ac alias cuilibet ubi fuerit exhibitum vel ostensum recipiat & admittat, ac tam sibi quam illi vel illis, cui vel quibus, quoties expedierit id duxerit committendum, sicut ipsis literis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ, non obstantibus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ MDI. x. kal. septembris pontificatus nostri anno x.*

Recipi jussi Græci etiam servatis eorum ritibus non erroneis.

XXXVIII. Quod ad ritus alios attinet, quibus Rutheni in baptismalibus sacris uti solebant, hæc ex prædicto Sigismundo Herbestenii (a) regulo Moscoviticarum rerum peritissimo decerpere visum est: *Baptizantur hoc modo: nato infante mox accersitus sacerdos ante januam habitationis, in qua est puerpera, certas stando recitat orationes, pueroque nomen imponit, dein quadragesimo communiter die, si forte puer ægrotet, defertur in templum & baptizatur, ac ter in aquam totus immergitur, alioqui baptizatum non crederent. Mox inungitur chrismate, quod consecratum est in hebdomada magna, inungitur denique myrra, ut ipsi dicunt, aqua vero baptismatis singulis infantibus consecratur, & continuo post baptismum extra templi portam effunditur. Semper in templo baptizantur infantes, nisi longinquitas loci nimia, aut frigus puero obesset, neque unquam aqua tepida, nisi pueris infirmis utuntur. Susceptores ex voluntate parentum assumuntur, & quoties præeunt certis verbis sacerdote diabolo renuntiant, toties in terram expuunt, sacerdos etiam infanti capillos abscindit, eosque ceræ etiam intricat, & in templo loco certo reponit, non adhibent sal, neque salivam cum pulvere.*

(a) Sigism. lib. com. rer. Mosc. p. 47.

Ritus Moschor. in conferendo baptismo.

XXXIX. Gessisse Alexandrum ducem Lituaniæ gravissima bella Latini ritus causa cum Joanne Basilio Moscovitarum duce, idem author atque ex eo Cromerus & alii (b) referunt, ac Lituanum ex insidiis victum Dro-

Gravia bella inter Moscum & Lithuanum orta.

(b) Crom. l. 30.

Drohobussum, Toropezum & Bielam arces Russorum defectione amisisse, Severiensium etiam duces a Lituanico imperio ad Moschoviticum descivisse: cum vero Alexander dux excitis sociorum viribus amissa recuperare niteretur, ac nonnulli Russi a schismate revocarentur, exortam superiorem de Ruthenorum baptismo controversiam, quam odiorum acerbitas pepererat, Alexander Papa consultus diremit (a). Præterea misit idem Pontifex in Lituaniam plures sanctorum reliquias ad augendam Christifidelium pietatem, ut illos divinæ opis interpretes ac deprecatores adhiberent, & sacra eorum pignora veneraturis indulgentiarum præmia proposuit (b). Consignatum est id diploma hac temporis nota. *Dat. Rom. apud S. Petrum anno MDI. III. id septembris pontificatus nostri anno X.*

(a) L. 2. ep. secr. p. 53.

(b) L. 2. ep. secr. p. 42.

XL. Florebat tunc in Wilnensi ecclesia cœlestium virtutum gloria B. Casimirus, quas divinum Numen eorum commodo edebat, qui ipsius veluti in cœlesti aula pollentis maxima gratia opem implorabant, quare sacras illius reliquias veneraturis, ac stipem pro Wilnensi ecclesia ornanda augendaque porrecturis Alexander a Wilnensi clero rogatus indulgentias impertitus est (c): *Cupientes ut Capella*, inquit, *B. Mariæ ac sanctorum Andreæ ac Stanislai sita in ecclesia Wilnensi per claræ memoriæ Kasimirum Poloniæ Regem magnifico opere constructa, & dotata, ac pretiosissimis ornamentis pro divino cultu decorata, & ad quam, ut accepimus, dilectus filius nobilis vir Alexander magnus dux Lituaniæ, cujus frater Germanus Kasimirus dux apud illam capellam sepultus multis miraculis clarere perhibetur, singularem gerit devotionis affectum, cupitque ad illam divinum cultum augeri a Christifidelibus frequentetur. Dat. Rom. apud S. Petrum an. MDI. id. maii pontific. nostri anno IX.*

(c) Ib. p. 90.

B. Casimirus divinis prodigiis clarus.

XLI. Cum vero ecclesia Wilnensis Tartarorum excursionibus sæpius vexaretur, & clerus ambigeret, an liceret episcopo arma sumere ad infidelium grassationes coercendas, consultus Alexander controversiam hoc responso apostolico diremit, sanxitque (d) ab episcopo pro tuenda fide, asserendaque libertate ecclesiastica arma expedienda.

(d) Ib. p. 51.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Pro parte venerabilis fratris nostri Alberti episcopi Vuilnensium nobis nuper exhibita petitio continebat, quod diœcesis Wilnensis latissimos fines habet, & tam in ea quam illius confinibus habitant Tartari, & Armeni, & alii sub ritibus Græcorum, & aliis diversis sectis, etiam extra obedientiam Romani Pontificis degentes, & in pluribus a fide catholica dissentientes, & ipse Albertus, & pro tempore existens episcopus Wilnensis tam ab iis seu pluribus ex eis, quam etiam Christifidelibus, & fidem catholicam sectantibus decimas seu certam partem fructuum decimalium ratione ecclesiæ suæ Wilnensis percipere, & exigere consuevit, & exigit ut tam ratione perceptionis decimarum & fructuum decimalium hujusmodi, quam etiam ratione fontium & bonorum ad mensam episcopalem Wilnensem pertinentium, ac etiam Armeni & Tartari, ac alii prædicti secundum alios ritus, quam Romana ecclesia profitetur, viventes, presbyteris & clericis ecclesiasticis civitatis & diœcesis Wilnensis etiam eidem episcopo super eorum bonis & rebus graves injurias inferunt & jacturas, ac etiam quia nonnunquam aliquos ex clericis & presbyteris præfatis mutilant & interficiunt, contentiones & lites exoriuntur, & quamvis ipse Albertus episcopus censuris ecclesiasticis, quantum in eo est, eos coerceat, sive coercere nitatur, nihilominus prædicti censuras hujusmodi contemnunt, & potius schismaticis & hæreticis tam in dicta diœcesi, quam extra illam commorantibus adversus dictum episcopum adhærent, & contra eum cornua erigunt, ex qua authoritas episcopalis contemnitur, & fides catholica pessumdatur, iniqui autem & hæretici, & reprobarum sectarum fautores sublevantur, unde dilectus filius nobilis vir Alexander magnus dux Lituaniæ, in cujus ducatu & civitatate diœcesis Wilnesis existunt, volens hujusmodi malis & scandalis obviare, præfato Alberto, & pro tempore existenti Wilnensi Episcopo, ut gladii potestas sæcularis adversus prædictas injurias & molestias episcopo, clericis, presbyteris & personis ecclesiasticis civitatis & diœcesis prædictarum cum Romana ecclesia sentientibus inferentes, uti & illam exercere possit, concessit tam pro manutentione ecclesiasticæ libertatis, quam dominii sui temporalis. Et quia præfatus Albertus episcopus dubitat, an hujusmodi gladii potestate uti possit absque irregularitatis incursu, pro parte ejusdem Alberti episcopi nobis fuit supplicatum, ut in præmissis, pro confirmatione libertatis ecclesiasticæ opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.*

Vuilnensis ecclesia a Tartaris exagitata.

Controversum an gladio uti deberet episcopus Vuilnensis.

*Nos igitur, qui cupimus ex commisso nobis pastorali officio pravis conatibus ad perniciem tendentibus, ne ulterius invalescant congruis remediis obviare*, & infra, *hujusmodi supplicationibus inclinati eidem Alberto & pro tempore existenti episcopo Wilnensi, sæcularis gladii potestate hujusmodi pro conservatione libertatis ecclesiasticæ contra omnes & singulos illam impugnantes,*

*seu*

*seu injurias vel molestias, tum præfato Alberto & pro tempore existenti episcopo Wilnensi, quam presbyteris, & clericis & personis ecclesiasticis civitatis & diœcesis prædictarum inferentes, quoties opus fuerit, absque alicujus irregularitatis incursu uti, & illam exercere, & transgressores & malefactores, prout eorum excessus & delicta exegerint, coercere & punire libere & licite valeat, constitutionibus & ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, authoritate apostolica licentiam, facultatem, potestatem, & authoritatem concedimus per præsentes. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MDI. IX. kal. julii pontificatus nostri anno IX.*

XLII. *Fascinarii grassantur.*

In Insubria nonnulli impii icto fœdere cum dœmonibus magicas artes exercebant, ac venena miscebant insontibus, tempestatesque ad vastitatem agris inferendam concitabant, ac variis erroribus simplices irretiebant, in quos fidei censores animadvertere Alexander jussit (*a*).

(*a*) *Ext. in append. direct. inter lit. Apost.*

*Dilecto filio Angelo de Verona ordinis Prædicatorum sacræ theologiæ professori in provincia Lombardiæ inquisitori hæreticæ pravitatis.*

In Insubria eorum secta aucta.

*Cum acceperimus in provincia Lombardiæ diversas utriusque sexus personas diversis incantationibus & diabolicis superstitionibus operam dare, suisque veneficiis & variis observationibus multa nefanda scelera procurare, homines & jumenta ac campos destruere, & diversos errores inducere, magnaque inde scandala exoriri, decrevimus pro pastoralis officii nobis ex alto commissi ministerio scelera hujusmodi compescere, ac scandalis & erroribus præmissis, quantum cum Deo possumus, occurrere. Ea propter tam tibi quam etiam successoribus tuis per Lombardiam constitutis, de quibus in his & aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, committimus & mandamus & etiam soli, honesto tamen comitatu per vos eligendo associati contra eosdem utriusque sexus personas diligenter inquiratis, easque justitia mediante puniatis & compescatis & ut melius commissionem hujusmodi exequi possitis contra illas vobis plenam & omnimodam harum serie concedimus facultatem, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris, &c.*

In eos inquiri jussum.

XLIII. Non dissimilem in Bohemia hominum pestem dæmonum societate perniciosissimam hoc tempore vehementer propagatam, qua contaminati nefarios conventus in abditis locis agerent, atque ad omne luxuriæ genus turpissime effunderentur, narrat hisce verbis Joannes Trithemius (*b*): *His temporibus multiplicati fuerunt hæretici in Bohemia, qui vulgo Fossarii nominantur, propterea quod in fossis & occultis speluncis nocte conveniunt, turpitudinem sine differentia personarum more bestiarum exercentes: qui Ecclesiam Dei & ministros ejus contemnunt, sacramenta irridentes, infinitos scaturientes errores. Crescit hoc nefandissimum genus hominum, & mirum in modum quotidie augetur, in tantum quod anno prænotato numerus eorum major novemdecim millibus fuit inventus. Sed & nobiles atque potentes quamplures in regno Bohemiæ ad eos turpissimos hæreticos declinarunt, e quibus unus Christophorus nomine vir nobilis & dives quadraginta florenorum millia inter eosdem hæreticos pro eleemosyna distribuens unus ex eis factus est.* Hos inter divina mysteria clanculum Christianam fidem damnare solitos, ac tum dœmonem muscæ horridæ specie illorum ora subire, atque omnem memoriam mysteriorum Christianæ religionis ex eorum animis Dei permissu delere consuevisse, in impia vero secta adeo pervicaces reddere, ut imperiti quoque argutiis eam tuerentur, vexatique flagitii odio a catholicis, se martyres profiterentur, ut idem author prosequitur: *His temporibus in Bohemia nobilis quidam Laurentius Glatzs de Rotenhausen fide & conversatione bonus Christianus, qui emerat oppidum quoddam Gurricke dictum, in quo reperit oppidanos ferme omnes præfatæ sectæ hæreticos, quibus cum legem proposuisset, ut aut renuntiarent errori, aut bonis omnibus relictis ab oppido discederent, omnes unanimiter in baculis suis exierunt omnibus, quæ habuerant relictis, profecti ad alios erroris sui consocios, a quibus tamquam martyres Christi fuerunt in gaudio & honore suscepti, & in cunctis necessariis copiosissime provisi. Apostolorum se profitentur imitatores homines sine Deo, sine corde, diabolo pleni. Sunt autem homines astutissimi, & in sua secta mirabiliter docendo, disputando, & defendendo periti, in tantum quod non facile a quolibet rationibus disceptando poterunt superari, nullus tam crassi intellectus reperitur, qui tamen usum rationis habeat liberum qui non mox ac sectam fuerit professus in ea defendenda rationibus, ut eis videtur, doctissimus evadat. Sed ne quis rem alicujus miraculi existimet causam tantæ mutationis, dicemus ut omnes non Deum, sed malignum spiritum in ipsis operantem intelligant. Quicumque in illam secretam intromitti prudentiæ sociatatem exoptat, primum aliquo celebrante catholico sacerdote ecclesiam ingreditur, & stans in angulo vel secreto aliquo loco per totam missam verba quædam contumeliosa [ quæ nos propter infirmos exprimere*

non

(*b*) *Trith. chron. Spanhem. hoc ann.*

Fossarii nequissimi. Eorum vagæ libidines.

Libidinum licentia numerum auxit.

Dæmon muscæ specie eorum ora subit.

Pro tuenda impie impietate bonorum jacturam spernunt.

Sacra ab his profanata.

*non decet] contra sacramenta loquitur sub silensio, cum intentione sibi a docente proposita, quibus post finem missæ completis musca magni corporis advolat, & pennarum strepitu significans, se adesse præsentem oris introitum petit; ac vero mon ut ille os suum aperuerit ingreditur illa & homo spiritu diabolico impletur, efficiturque in ea secta doctus & mirabiliter astutus. Verum ipsi muscam illam non dæmonem, sed Spiritum Sanctum esse confirmant, qui in eos, ut veros Apostolorum imitatores, sicut in die pentecostes, in illos quondam descendens eruditos faciat, & constantes, & revera non constantes, sed pertinaces fiunt, nec ullis tormentorum generibus a suis erroribus ad rectam fidem reduci unquam potuerunt. Novimus conversum unum, qui hæreticorum deceptus consilio ea [quæ diximus] sub missa fecit & dixit, sed cum strepitum muscæ caput circumvolantis audisset pavefactus in terram cecidit, & vix muscam ne os ingrederetur, abigere potuit. Verum non omnes, qui eam profitentur sectam erroris, ad hanc secretam maligni spiritus infusionem venire permittuntur ob certas rationes & causas.*

Arrepti a dæmone sectam argutiis tuentur.

Monachus post ejuratam religionem dæmonis præsentia territus.

XLIV. De his dœmonum præstigiis, quibus miseri Pikardi illusi erant, plura habet Henricus Institoris (a) ordinis Prædicatorum creatus a Pontifice in eos fidei censor, utque illi evangelicam fidem damnarent, ut correpti a dæmone evangelicos characteres perlegerent hæc literis prodidit: *Quidam eorum*, nempe Pickardorum, *sectam volens assumere, habuit juxta eorum informationem in quadam domuncula versus orientem orare, & sic per fenestram parvam apertam clausis oculis Spiritum Sanctum junta eorum relata expectare, quod dum ille fecisset, musca quædam cum susurro & sono ante faciem ejus dum volasset, illo se signo crucis non muniendo, os suum intravit, & protinus omnem literam in vulgari & in latino legebat, cum tamen antea nec minimam literam agnovisset. Rediens autem per aliquod tempus ad cor, cogitansque de animæ suæ damnatione propter fidei abnegationem, contritus, dum confessus fuisset, subito omnem scientiam amisit, inscius & ignarus, ut per antea extiterat, & ne lector sub ambiguitate & in suspenso ad veritatem maneat, testor Deum & omnes sanctos ita factum fuisse verissimo plurimorum fidedignorum relatu didici, & qui hoc ipsum ex propria confessione illius, cui accidit perceperunt ipsum etiam addidisse, quod communiter omnes inter eos essent obsessi, eo quod talem scientiam legendi per talem caperent modum narrantur & alia etiam sub præstito juramento ab illo, cui acciderunt, quæ in præsentia plurimorum percepi, qui asseruit ex eorum informatione, quod retro missam dum staret, habuisset ad singula verba & gesta sacerdotis semper dicere: Mentitum est; quod tunc finita missa os suum aperiendo Spiritum Sanctum ad modum muscæ perciperet, quæ singula dum perfecisset etiam omnem literam legere sciebat, & quod dum pœnituisset, ignarus ut prius remansisset, idem recitans ut alter, quod veraciter æstimaret pro majori parte eos fore obsessos quoad inspirationem illius scientiæ, licet non quoad extrinsecas vexationes, ut cæteri reperiuntur, unde certissime verba thematis eis conveniunt, quod doctrinis dæmoniorum attendunt.*

(a) Henr. Instit. 2. q.1. tract.

Pikardi unius historia infessi a dæmone.

Pœnitens post confessionem scientiam amittit.

Sacrilegus ejurandi evangelii modus.

Pikardi infessi a dæmone licet non vexentur.

XLV. Negabant iidem impii veram Christi præsentiam in Eucharistia, quam tamen multis miraculis hisce & aliis temporibus confirmatam memorat (b): *Consideranda sunt*, inquit, *ea quæ a divina clementia jam noviter & continue operatur, non utique alia de causa nisi, ut invisibilia miracula eo solidius, ut dictum est, in præcedentibus credantur, & quia sacramentum altaris inter alia sacramenta præcipuum tenet locum, quoad invisibilia miracula, quæ per visibilia indigent confirmatione, sunt aliqua tangenda de visibilibus miraculis in diversis mundi partibus & regnis perpetratis ad oculum, ut jam novissime in Patavia ex incineratione Judæorum patet, ubi usque in præsens cultet cum vestigio cruoris miraculosi demonstratur, nam perfidi Judæi dum a quodam catholico octo sacramenti particulas quamlibet pro triginta denariis emissent, & per diversas eorum synagogas septem dispersis particulis unam intra eorum synagogam utique cum cultro infinam crudeliter pertractassent, sanguis miraculosus erupit, & cultro usque in hodiernum diem adhæsit Judæis quibusdam conversis, & non minus cum aliis incineratis. Qui etiam & alias terribiles apparitiones se vidisse attestati sunt, videlicet quod dum casu clibanum accensum pro decoctione panum habuissent, & ex terrore miraculi, quod acciderat ex infixione cultri & sanguinis eruptione, duas particulas in ipsum clibanum dum projecissent, duas columbas albissimas evolasse testati sunt, demptis aliis miraculis variis & ibidem scriptis, quæ brevitatis causa omittuntur, quid denique & aliud miraculosum sacramentum testatur, quod in monasterio sanctæ Crucis extra muros civitatis Augustæ jam ab annis trecentis & ultra servatur in specie cruoris ex integro transmutatum, & quasi innumeris decoratum miraculis cæcis visum, mutis loquelam,* sur-

Negata ab his in Eucharistia Christi præsentia.

(b) Henr. Inst. 17.

Miraculum invisibile transubstantiationis visibilibus confirmatum.

Patavii ex Euch. confossa fluit cruor.

Inde nonnulli Judæi conversi.

Augustæ servatæ species in cruorem versæ.

*surdis auditum præstans, utique liber ibidem refertus miraculis testatur. Similiter & in monte sancto circa Monacensem civitatem Bavariæ miraculosum demonstratur sacramentum jam a sexcentis annis, ut fertur, & papales desuper exhibentur bullæ. Per regnum etiam Hungariæ, & per diversa cœnobia undecim habentur hujusmodi sacramenta miraculosa, licet in omnibus unicum existat Christi corpus, quæ solummodo in fidei confirmationem & devotionis augmentum Deus operatur in sancta Romana ecclesia, & nullibi ad extra, ut & ibi vera fides, sine qua nemo salvari potest, esse credatur tacendo de aliis miraculosis operibus, quæ etiam moderno tempore divina clementia in partibus Lombardiæ per miraculosam vitam quarundam sanctarum virginum ad minus undecim in numero adhuc in carne viventibus operatur, de quibus infra dicemus. Quomodo ergo Pickardorum seu Waldensium stabit error nobis in contrarium quasi propter abundantiam peccatorum in Ecclesia Deus a miraculis cessaret? Æstimamus quod per amplius in correctionem & emendam peccatorum Deus operatur, prout & Apostolus dicebat: Signa non fidelibus, sed infidelibus data sunt; scilicet sicut tunc pro infidelium conversione, ita & tunc pro fidelium emendatione & fidei conservatione.*

Alterius miraculi monumentum in Bavaria.

Aliud in Ungaria.

Vera fides Rom. ecclesiæ illustrata miraculis in ea fieri solitis.

XLVI. Quod ad virgines spectat, quæ in Italia hoc tempore cœlestibus editis virtutibus coruscaverant; erant eæ Stephana Placentina & Lucia Viterbiensis, de quibus publica monumenta attulimus suo loco. Addit vero Henricus Institoris (a) de Columba virgine Perusina [1]: *Sunt per Lombardiam inter quamplures virgines devotas Christi in magna vitæ sanctimonia cognitæ, & hoc dumtaxat in una religione, quæ de pœnitentia S. Dominici nuncupatur, demptis aliis religionibus, in quibus plures clarent miraculis, & inter illas habentur tres excellentissimæ sanctitatis, quarum una nomine Columba ætatis circiter viginti quatuor annorum in civitate habetur Perusina Italiæ, jam usque in annum octavum non sumpsisse aliquem cibum corporalem, tantummodo Eucharistiæ sacramento, & ejus quotidiana sumptione sustentata, cilicio ad carnem cum ferrea catena circumcincta, secum habens quamplurimas virgines consodales cælibem vitam ducentes, quam & Romanus Pontifex modernus Alexander VI. visitando rei veritatem experiri voluit, & dum capellam in ecclesia fratrum Prædicatorum intrasset, ipsa jam communicata Christi corpore, eam in extasim raptam, apertisque oculis nihil videntem flexis genibus invenit, faciem & caput dulciter pertractans, eam benedicens abscessit, & consodales interrogans de tam mirabili extasi, ita quod muscas oculos apertos intrantes non perpenderet, responsum fuit talem extasim et post sacram communionem esse quotidianam, & divinas sæpe recipere consolationes & dulcedines mirabiles ex virtute sacramenti, nec defuit populus Perusinus etiam in primo anno suæ tam mirabilis conversationis veritatem volens experiri, an videlicet sine corporali cibo vitam tam austeram duceret, mulieres ad monasterium sororum, & præcipue ad ejus habitationem ordinaverunt per mensem integrum, ut singulis horis tam de die, quam de nocte aliquæ ex eis, cæteris dormientibus, dum opus erat diligenter attenderent, si fortassis ex ejus consodalibus aliqua ei cibum ministraret, & finito mense dum iterum per alias juratas mulieres haberent scrutinium, & similiter tertia vice veritate omnino explorata sufficienter eam salvam dimiserunt, Deum in tam stupendo opere laudantes, qui utique semper mirabilium operum factor existit. Sic perseverans, ut dictum est, usque in præsentem diem.*

(a) *Henr. Instit.*

Columba sanctimonialis sola eucharistia sustentata.

Eadem in extasim rapi solita.

Rei veritas diligentissime excussa.

Cum hæretici plures argutias adversus miracula, quæ in Ecclesia catholica divinitus eduntur effutirent, Henricus Institoris, cum verorum ac falsorum miraculorum discrimina attulisset, hæc demum addidit: *Ultima differentia verorum mi-* XLVII.

Miracula quæ in ecclesia fiunt vera esse demonstratur.

NOTÆ [1] Inter mulieres illas religiosas quæ institutum sororum S. Dominici de pœnitentia sectatæ per hos annos in Italia claruerunt, memoratur hæc soror Columba quam ex Henrico Institoris egisse tunc Perusii Annalista scribit. Verum licet virgo hæc religiosa ante annos aliquot Perusii egisse potuit, per hos tamen annos moram traxisse Ferrariæ constat. Teste enim Anonymo Ferrariensi in diario, anno præcedenti die VII. junii Ferrariam illa pervenit, ubi Hercules Estensis Ferrariæ dux illam cum honore excepit & in hospitio sororis Luciæ agere illam jussit, donec monasterium, quod construendum curabat, absolveretur. Addit vero virginem illam quotidiano Eucharistiæ pabulo Angelo ministrante refectam, eo solo cibo & vitam corporis aluisse. Demum sequenti (idest præsenti 1501.) anno, scribit die tandem V. augusti monasterii ædificio absoluto, Luciam & socias religiosam illam domum ingressas perpetuam hanc sedem elegisse. Verum Columba post priorem illum adventum suum Ferrariam Viterbium concessisse indicat idem historicus ad A. 1502. scribens anno illo die XXIII. Columbam Viterbio Ferrariam accitam deductamque a viris eo missis ab Hercule Ferrariensi Duce, eamque venientem introductam in Monasterium ab eodem principe excitatum. Ex his porro intelligimus Henricum Institoris qui meminit Columbæ Perusii agentis, ante hunc annum commentarium illum suum scripsisse. MANSI

*miraculorum a falsis notatur quoad differentiam vitæ & mortis, quia etsi a malis intra Ecclesiam saltem numero etsi non merito existentibus fiunt miracula vera, hoc tamen in vita eorum potest fieri, nunquam tamen post mortem, prout n sanctis in vita & post mortem clarescunt, unde quia majoris sunt æstimationis miracula post mortem, quoniam illa demonstrant animam in cœlis maxima frui gloria beatitudinis, & hoc ex magnis præcedentibus meritis in terris acquisitis, & talium innumerabiles reperiuntur in Ecclesia, qui post mortem potius, quam in vita maximis claruerunt miraculis, immo in vita nusquam, ut novissime in Bononia frater Jacobus Alamannus, qui sacristanus in eodem conventu S. Dominici longo tempore fuerat, licet in vita regularem vitam duxisset sine omni reprehensione, ejus tamen sanctitas post mortem primo revelata fuit per miraculorum coruscationem, cæcis visum restituendo, leprosos mundando, mortuos suscitando, omne genus infirmitatis expellendo, anni sunt sex a præsenti anno millesimo quadringentesimo nonagesimo nono computando, quibus ab hac luce migravit gloriosus hic sanctus.* Et infra: *Inter alios etiam B. Vincentius confessor noviter canonizatus ab annis paucis en ordine Prædicatorum dono linguarum in suis prædicationibus claruit, sicut & dono prophetiæ, cum ab omnibus nationibus diversarum linguarum in uno suo naturali idiomate intelligebatur.*

Jacobus Alamannus post mortem miraculis clarus. S. Vincentius a pluribus nationibus simul variis linguis loqui visus.

XLVIII. Eodem anno in Moraviæ oppido, cui Giemps nomen est inditum, contigit hoc prodigium, ut narrat Trithemius (*a*), qui rei stupendæ historiam suis circumstantiis exornat: *Eodem anno*, inquit, *post mortem cujusdam tyranni, qui pauperes inique oppesserat in Moravia, cum filius in hereditate paterna succedens quoddam ejus castellum nomine Giemps cum uxore & filia inhabitavit, & ecce quadam die eo ad mensam sedente venerunt duo maligni spiritus in specie humana ad portam castri petentes intromitti, quibus portarius dixit. Qui, vel unde estis? Oportet enim ut hæc domino meo denuntiem; cui illi respondentes dixerunt. Nec ad te pertinet, nec ad dominum tuum qui vel unde simus, sed quantocyus intromitte nos, alioqui videbis, quod nobis patescat introitus. Portarius currens, ut hæc domino suo annuntiaret, cum introisset ubi sedebat vidit illos duos, quos extra portam dimiserat coram domino stantes, & præ timore nil poterat loqui. Illi autem post multa minatoria & terribilia verba horrisonasque visiones [ut sim brevis in narratione] illum cum omni familia sua exire de castro compulerunt. Post quorum discessum multitudo dæmonum conveniens magna castrum illud inhabitare cœpit, ululantes die ac nocte, atque plaudentes mirabilia faciunt.*

(*a*) *Trith. in chron. Spanhei. Balæ. in addition. ad Naucl.*

Pulsus tyranni filius cum familia. Dæmonum grassationes horridæ.

XLIX. Comparuisse in Galliis hoc etiam anno insignem impostorem, qui Apollonii Thyanei vitam æmulabatur, omnisque doctrinæ specimen præ se ferebat, narrat idem author (*b*) hisce verbis: *Apparuit his diebus Lugduni in Gallia homo natione Italus, nomine Joannes, qui se Mercurium maluit appellari propter omnimodam sapientiam, quam profitebatur antiquorum. Uxorem circumduxit & filios omnes lineis indutos, & imitatione Apollonii Thyanensis quondam philosophi, ut Danus est testis, catenam ferream a collo portantes, magna promittebat, & se veterum Hebræorum, Græcorum, & Latinorum omnium perfectissimam gloriabatur habere scientiam, contemptor veterum, se cunctos eruditione excellere putabat, asserens neminem Græcorum vel Latinorum, præter se unicum, fuisse sapiensem, se namque in omni scientia mundi consummatum ostendit, rerum naturalium ac arcanorum omnium interpretem profundissimum esse confirmat. Magnam præse in publico fert gravitatem moribus & incessu severus cum mendicitate vitam docet propheticam, se natum ad res summas testatur & divino Numine plenum. Metallorum transmutationem veram promittit, & nihil ignorare videri appetit: se felicia infelicitare, infeliciaque felicia reddere posse pollicetur artem sequutus magicam naturalem, quam prisci Reges & sapientes in pretio habuisse cognoscuntur. Aliquanto tempore apud Regem Gallorum in pretio fuit, cui duo triumphantissima dona contulisse memoratur, alterum fuit ensis centum & octuaginta gladiolis refertus, alterum vero clypeus mirabili speculo illustratus. Hæc duo miranda sub certa constellatione mirabiliter facta in quodam libello commemorat, & quem sint productura effectum vi naturæ secretum manifestat. Denique Rex volens homines experiri scientiam præcepit medicos convenire omnes gratia disputationis, qui facto examine dixerunt ad Regem, illum supra hominem sapere, & cunctos mortales sapientia superare: aurum, quo illum Rex honoravit, omne pauperibus distribuit, & sua paupertate contentus, sibi ex omnibus penitus nihil reservavit.* Externam sapientiæ speciem auramque captare impostores atque hæreticos consuevisse, ut simplices suis erroribus irretirent, sæpius in annalibus dictum est, nimiumque facile hujusmodi hominibus principum aulæ patent, pascendæ inani novitate curiosæ mentis gratia, ex quo gra-

(*b*) *Id. ib.*

Magus Apollonium Thyanæum simulat.

Vanis se titillat encomiis.

Inanem astrologiam venditat.

Cultus muneribus a Rege qui afficere supplicio debuisset.

gravissima postea mala eruperunt.

L. Quod ad Ludovicum Francorum Regem attinet; multiplici simul cum Neapolitano, cum Hispano, cum Germano se implicare bello veritus, de conciliando sibi Ferdinando superiori anno egit, regnumque cum eo partiri constituit, (a) Alexandrum etiam Pontificem in armorum societatem, atque ad beneficiarium regni Neapolitani, cujus supremum imperium ad sedem Apostolicam pertinet, conferendum jus spe prædæ in Cæsarem Borgiam congerendæ allexit (b).

(a) *Burch. in ms. diar. Alex. VI. Sabel. en. 11. l. 1. Pet. Bemb. Card hist. Ven. l. 6. Guicc. l. 5. Ferro. l. 3. Sur. to. 5. l. 4. c. 39. 40. 41. &c. Marian. l. 27. c. 9.*

LI. Jactabat vero Ludovicus Rex Venetisque (c) pollicitus est parta Neapoli ad Constantinopolim castra admotum iri: bimestri vero ante eæ classes in ferum mare sulcaverant ad expeditionem Neapolitanam ituræ, quo tempore etiam exercitum terrestrem Alegrio & Obignio ducibus Romam pervenisse, narrat Burchardus (d), sic inquiens: *Feria secunda vigesima octava mensis junii omnes gentes ad aquam transversam allogiatæ venerunt per prata ad ordinationem Papæ ad burgum S. Petri per portam viridarii, & in eodem burgo convenerunt cum eis omnes aliæ gentes Regis Franciæ in urbe existentes, & omnibus simul congregatis incesserunt ordinatæ per pontem S. Angeli ituri ad Neapolim pro executione rei sibi commissæ. Papa erat in cameris horti castri prædicti, seu supra illius logiam, ubi cum magna delectatione vidit omnes prætereuntes. Gentium omnium peditum hujusmodi fuerunt duodecim millia, & equitum duo millia vel circa. Gentes hujusmodi secutæ sunt triginta sex carruchæ cum triginta sex bombardis.* Conjunxisse cum Gallis pontificias copias Cæsarem Borgiam tradit idem author, additque fœdus ab Alexandro cum Gallo & Hispano in Fredericum antea initum solemni ritu festo S. Petri promulgatum fuisse: *Martis die sequenti*, inquit, *vigesima nona junii prædicto festo Apostolorum Petri, & Pauli*, & infra, *finita missa reverendus dominus Hieronymus Portius episcopus Adriensis intra portam cancelli accepit pluviale rubeum & mithram simplicem, ascendit ad Papam, & osculatus est ejus genu, petiit indulgentias, non benedictionem, quia huic orationi non conveniebat, & Papa concessit indulgentias plenarias. Episcopus ascendit ad pulpitum, & annunciavit fœdus sive legam inter sanctissimum dominum nostrum Papam ac Francorum ac Hispanorum Reges conclusam & firmatam, de capitulis nihil. Finita oratione ac plenariis indulgentiis per ipsum episcopum pronuntiatis, Papa stans sine mithra in solio incœpit, Te Deum laudamus, quod cantores prosecuti sunt, quo finito Papa dixit, Pater noster, & versiculos ac duas orationes, quas etiam dixerat in die Pentecostes proxime præterito, & dedit benedictionem more solito, & rediit ad palatium.*

(b) *Sur. l. 4. c. 49.*

Exercitus a Gallo Rege in Neap. regnum immissus.

(c) *Sur. to. 5. l. 4. c. 38.*

(d) *Burch. ms. arch. Vat. p. 2. in Alex. VI. p. 196.*

Conjunctæ cum Gallicis pontificiæ copiæ.

Fœdus inter Pont. & Galliæ & Hisp. Reges promulgatum.

LII. Interjectis nonnullis, ut Obignius Gallorum dux Alexandrum omnibus officiis prosecutus, & a Cardinalibus osculo exceptus ad exercitum, qui pridie signa Neapolim versus moverat, se contulerit, subjicit Burchardus (e) judiciaria sententia Fredericum in sacro purpuratorum patrum senatu jure regni Neapolitani fuisse spoliatum. Confirmat Surita (f) inter hos Reges extremo junio divisa Neapolitana jura, nempe Calabriæ & Apuliæ ducatus Ferdinando concessa: Neapolitano autem & Jerosolymitano regiis titulis cum reliquis Ludovicum fuisse apostolica authoritate donatum, damnato læsæ majestatis Friderico, qui exitialia cum Bajazethe Turcarum Imperatore adversus rempublicam Christianam fœdera percussisset, atque ingentia mala Christifidelibus ea proditione intulisset. Exceptum ab eo superiori anno Turcicum oratorem honorificentissime, dictum est, atque adeo aperte Christianum nomen concitato in arma Bajazethe prodidisse, ut refert Surita (g), ut etiam de facinore publice gloriaretur. Illi autem gratias egerat Turca de patefactis Christianorum in hostes fidei consiliis, atque ad comprimendos Gallicos impetus Turcicam potentiam omnem obtulerat (h): verum cum solicitaretur, ut in Italiam transferret arma prius Peloponesiacas urbes Venetis eripere, & Christianorum dissensionem in rem suam vertere maluit. Profitebatur interea Fridericus se desperatione sola coactum confugere ad Turcam, in quem si pax a Gallo & Pontifice ei daretur lubenter primus inter primos gladium stringeret. Sed ars illa politica, qua nutans solium sibi firmare putabat, ipsum evertit, siquidem Ferdinandus Hispaniarum Rex sceleris, quo idem Fridericus se tueri putabat, odio in eum conspiravit, ac Pontifex illum, ut Christiani imperii proditorem execratus, ac detestatus, regio jure hoc diplomate exuit (i).

(e) *Id. ib. ead. p. 196.*

(f) *Sur. to. 5. l. 4. c. 43.*

Fredericus Rex Neap. Christiani imperii proditor.

(g) *Sur. to. 5. l. 4. c. 1.*

(h) *Id. ead. cap.*

Dum fœdere firmare solium putat illud evertit.

(i) *L. 9. bull. ferr. p. 225. & 270. ext. etiam in alio ms. sign. Sicili. & Neap.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

LIII. *Regnans in altissimis & triumphans Ecclesia, cui Pater æternus cæli & terræ dominator dominus præesse dignoscitur, cuique sanctorum & sanctarum ministrant agmina & angelorum laudis gloriam decantant, vicariam sibi in terris constituit ecclesiam militantem unigenito filio Dei vivi domino nostro Jesu Christo ineffabili communione copulatam. Ad hujus namque militantis Ecclesiæ regimen, licet immeritis,*

di-

*divina dispositione vocati circa quarumlibet fidelium nationum felicem statum & animarum salutem, prout ex debito tenemur, summi pontificatus officii nobis, ut præfertur, injuncti cogitatus nostros libenter effundimus, ac partes apostolicæ solicitudinis adhibemus, sed illa nos propensius urget atque compellit, ut nobis & Romanæ ecclesiæ subjecta regna civitates, terras, atque loca omnia & singula per nostræ provisionis ministerium, sublatis ab eis sinistris quibuslibet ac omnibus & singulis, eorum salutem & felicem statum, nec non desolationis evitationem concernentibus mature ac debite compensatis utilissimi ac felicissimi regiminis præsidio fulciantur, pia que tranquillitatis & quietis dulcedine gaudeant, & ex hujusmodi pace & tranquillitate alia nostra & dictæ Romanæ ecclesiæ civitates, terræ ac loca bellorum turbinibus eorumque suspicionibus libera prosperis gratulentur eventibus, ipsaque omnia etiam ad laudem & gloriam Christiani nominis, nostrumque ac dictæ ecclesiæ statum salubrem felicia temporalium & spiritualium suscipiant incrementa.*

Ut regnum beneficentia pontificia acceperit.

*Dudum sperantes quod tunc charissimus in Christo filius noster Fredericus de Aragonia in fidei sinceritate ac obedientia & devotione erga ecclesiam Romanam perseveraret, illamque in veram regni Siciliæ & terræ citra pharum dominam & proprietariam recognosceret, prout etiam se sponte facturum obtulerat, ejusdem Frederici in ea parte supplicationibus inclinati, regnum Siciliæ cum dicta tota terra citra pharum juxta & secundum illum statum, quem claræ memoriæ Ferdinandus I. pater & Alphonsus II. frater præfati Frederici Regis ejusdem regni & terræ illud melius tenebant & possidebant, sive alter eorum tenebat & possidebat, civitate nostra Beneventana & illius territorio ac districtu exceptis, qualitercumque ad eandem ecclesiam legitime reversum & devolutum esset, præfato Frederico pro se suisque liberis recta linea ex suo corpore legitime descendentibus natis, & nascituris cum censu annuo, aliisque conditionibus modis, formis, adjectionibus, promissionibus, cautelis, clausulis, voluntatibus, & ordinationibus tunc expressis, de venerabilium fratrum nostrorum ejusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium consilio pariter & assensu, ac ex certa nostra scientia, & de apostolicæ potestatis plenitudine per alias nostras literas concessimus, & confirmavimus, & de novo largiti fuimus, volentes & intendentes præfatum Fredericum de prædictis regno & terra citra pharum, ut præfertur, per vexillum præfatæ ecclesiæ illius nomine sibi tradendum & assignandum investiri, recepto ab eo fidelitatis debitæ juxta formam inferius annotatam juramento, prout in literis prædecessoris, quarum tenores ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, haberi volumus pro sufficienter expressis & insertis, plenius continetur.*

LIV. Præstiterit fidei sacramentum.

*Cum autem præfatus Fredericus postquam actualem de regno & terra citra pharum hujusmodi investituram per traditionem & assignationem dicti vexilli per tunc nostrum & sedis Apostolicæ legatum ad eum propterea destinatum recepisset, & regiam coronam capiti suo impositam de manibus dicti legati suscepisset, juramento fidelitatis debitæ juxta formam inferius annotatam & homagio, nec non servitio, vassallagio, & ligio per eum in præfati legati manibus præstitis, quæ etiam antea per procuratorem suum legitimum in manibus nostris præstiterat, suæ salutis suique status & honoris immemor, Dei timore postposito, erecta cervice in reprobum sensum datus, contra proximum juramentum veniens, nostris & ejusdem Romanæ ecclesiæ notoriis rebellibus receptum in regno & terra prædictis dare, illisque ac terrarum & locorum ejusdem Romanæ ecclesiæ notoriis occupatoribus favorem & auxilium præstare, provisiones apostolicas etiam in favorem ejusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium factas, illarumque effectum, nec non libertatem ecclesiasticam in nostrum & dictæ sedis contemptum multipliciter impedire, ac ad almam urbem victualia deferentibus nova victualia imponere, & etiam ne deferrentur prohibere, ac [ quod pejus & abhominabilius est, ac Christiano principe omnino indignum ] intelligentiam non parvam cum Turcorum tyranno, apud quem continue suos tenet oratores, habere, illique adhærere, præfatique Turcorum tyranni oratores sæpenumero cum maximo honore recipere, illosque penes se retinere, & cum eis conversari, ipsosque perfidissimos Turcos ad invadendum Christianorum terras atque loca, ac Italiam ingrediendum hortari & inducere non expaverit, ex quo superiori anno maxima & fere irreparabilia damna universæ reipublicæ Christianæ subsecuta fuerunt, de quibus nobis inexcusabili notorio constitit, propter quod eum jure, si quod ei in dicto regno & terra citra pharum competebat, ipso jure privatum censuimus, prout harum literarum serie censemus.*

Deinde infregerit exceperitque rebelles ecclesiæ.

Conjuraverit cum Turcarum tyranno.

Omni jure regio ob flagitium exauctoratus.

LV. De successione Gallus & H[illegible] con[illegible]dum.

*Et propterea charissimi in Christo filii nostri Ludovicus Rex Francorum Christianissimus, & Ferdinandus Rex ac Elizabeth Regina Hispaniarum catholici, quorum quilibet etiam regnum cum terra ci-*

tra

*tra pharum hujusmodi ad se de jure spectare prætendit, ut veri eiusdem fidei catholicæ zelatores & propugnatores considerantes, ac animo secum sæpius revolventes quot & quanta mala, dispendia, & detrimenta, nisi brevi occurratur, eidem reipublicæ Christianæ ob rabiem ipsorum perfidissimorum Turcorum in dies cum majori audacia Christianorum terras invadentium & occupantium, & suæ tyrannidi ac spurcissimæ sectæ subiicientium ex mutua præfati Frederici cum eisdem Turchis intelligentia sint proventura, pro eorundem pia erga ipsam rempublicam Christianam devotione ac regia magnanimitate decreverunt præfato Frederico eisdem Turchis adhærente, & illos in dictum regnum (quod Deus avertat) introducere volente de regno & terra præfatis expulso, præfatisque regno & terra juxta divisionem per nos faciendam in eorum ditionem redactis, contra ipsos Turchos terra marique nostris adhortationibus eis sæpius pro zelo defensionis fidei catholicæ factis irrumpere, & usque ad totale illorum exterminium perseverare more progenitorum suorum, qui diversa regna, provincias, terras, atque loca ab infidelium manibus eripuerunt, pro parte eorundem Franciæ & Hispaniarum Regum & Reginæ affirmantium, se velle hanc contra ipsos Turcos provinciam pro eorum pia & singulari devotione, ac fidei catholicæ exaltatione, reipublicæ Christianæ defensione, habitis regno & terra prædictis, per quæ facilius aditus contra ipsos perfidissimos Turcos eis patebit, & sine quibus nihil eidem sanctæ expeditioni utile facere posse confidunt, omnino suscipere, & susceptum non relinquere, donec, divina favente clementia, felicem & optatum consequantur effectum, ac plane confidere regnum ipsum ab ipsis perfidissimis Turchis, ac aliis quibuscumque defendere, & in pacis amœnitate fideliter regere & gubernare posse, solumque superesse ad hanc sumendam provinciam, resque suas componendas, quietemque perpetuam inter eos fundandam, cum quilibet eorum, ut dictum est, jus in regno & terra prædictis habere prætendant, ut nos pro eadem Romana ecclesia, quam etiam ipsi in veram regni & terræ prædictorum dominam & proprietariam recognoscere, ac jura illi etiam ratione census & investituræ debita exhibere volunt & intendunt, eos de eisdem regno & terra citra pharum respective juxta infrascriptam divisionem, per nos ad evitandum dissensiones & bella, quæ aliter inter eos occasione dicti regni cum maximo totius reipublicæ Christianæ damno periculo & detrimento facile evenire possent, faciendam investiamus, nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum nostri & ejusdem Romanæ ecclesiæ devotissimi filii, & quoad vires suæ se extendere potuerunt, pro nobis & eadem Romana ecclesia pugiles & propugnatores eximii eorum passim ac perpetuo pro eorum pia devotione ac regia magnanimitate sint futuri, & ad præmissa omnia peragenda promptissimi & paratissimi, eos de regno & terra citra pharum hujusmodi respective investire, aliasque eis & eorum statui, totiusque reipublicæ Christianæ paci & quieti in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.*

Icto fœdere Friderico & Turcis bellum indicunt.

Poscunt ut inter eos regnum dividatur.

LVI. *Nos igitur ad immensam devotionem, quam Franciæ & Hispaniarum Reges & Regina præfati ad nos & præfatam semper gesserunt & gerunt Ecclesiam, ac illarum præclara gesta, suaque quamplura grandia merita, quibus personas suas illorum largitor Altissimus insignivit, debitum respectum habentes, sperantes quoque quod ipsi progenitorum suorum prædictorum vestigia imitantes in suæ fidei sinceritate, obedientia, & devotione erga nos & præfatam ecclesiam perseverabunt, ac publicæ utilitati, quæ privatæ præferenda est, consulentes, pro eorum regia magnanimitate atque potentia rempublicam Christianam tot & tantis calamitatibus jamdudum ab ipsis perfidissimis Turchis oppressam & quassatam restituent, & liberabunt, ac rebus in discrimine positis opportune consulent, & deinde in pacis quiete & dulcedine omnia conservabunt, quemadmodum per dilectos filios nobiles viros Rogerium de Agramont dominum loci de Agramont ejusdem Ludovici Francorum, & Franciscum de Royas dominum de villameliori Ferdinandi & Elizabeth Hispaniarum Regum & Reginæ prædictorum consiliarios & oratores ad nos destinatos constanter asseverarunt, volentesque de eisdem regno Siciliæ citra pharum & terra utiliter disponere & ordinare, ac præmissis salubriter providere, hujusmodi supplicationibus inclinati, habitis super iis cum eisdem fratribus nostris deliberatione matura, ad laudem omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti ac gloriosæ semperque Virginis Mariæ, necnon beatorum Petri & Pauli Apostolorum, totiusque curiæ cœlestis triumphantis, ad honorem quoque, pacem, & tranquillum quoque statum nostrum & sedis prædictæ ac ejusdem Romanæ ecclesiæ sponsæ nostræ & regni prædicti, salutem quoque, quietem & conservationem principum, ducum, comitum, procerum, magnatum, & populorum ejus, de fratrum nostrorum eorundem consilio pariter & assensu, ac ex certa nostra scientia, & de simili apostolica*

Mittunt oratores ad Alex.

po-

*potestatis plenitudine authoritate apostolica tenore præsentium, præfatum regnum Siciliæ cum dicta tota terra citra pharum in duas partes dividentes, Neapolitanam & Cajetanam civitates, ac totam terram*

Quæ facta inter Reges divisio.

*Laboris, & provinciam Aprutinam pro eorum justo valore Ludovico Franciæ cum titulo Regis Neapolis & Jerusalem, ducatus vero & omnes provincias Calabriæ & Apuliæ cum tota eorum terra etiam pro eorum justo valore Ferdinando & Elizabeth Hispaniarum Regibus & Reginæ præfatis cum titulo ducis & ducissæ Calabriæ & Apuliæ pro eis insimul dum vixerint, & altero eorumdem Regis & Reginæ Hispaniarum decedente pro illo ex eis, qui superstes remanserit, suisque liberis & successoribus tam masculis quam fœminis ex legitimo matrimonio natis per rectam lineam ex suis corporibus respective legitime descendentibus, natis & nascituris, prout ad unumquemque Regum & Reginæ prædictorum juxta hujusmodi divisionem pertinent qualitercumque regnum terra Laboris, ducatus, & provinciæ hujusmodi ad*

Exceptum Beneventum.

*eandem ecclesiam legitime reversa & devoluta sint, vel alias quovis modo illorum dispositio ad nos pertineat cum omnibus juribus & pertinentiis suis, exceptis tamen civitate nostra Beneventana & illius territorio & districtu prædictis, cum censu annuo, aliisque conditionibus, modis, formis, adjectionibus, provisionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus, & ordinationibus universis, respective annotatis, de similibus consilio, assensu, scientia, potestatis plenitudine, & authoritate in feudum perpetuum, sine tamen præjudicio juris eis alias in regno, terra, ducatibus, & provinciis prædictis, forsan respective competentis, & per præsentes derogare non intendimus, divisione prædicta per nos inter dictos Reges & Reginam facta, salva tamen remanente etiam respective concedimus & elargimur; volentes & intendentes eosdem Franciæ & Hispaniarum Reges & Reginam de ipsis regno & terra, ac ducatibus, provinciis ut præfertur, juxta prædictam divisionem per vexillum ejusdem Romanæ ecclesiæ per nos seu sedem prædictam, aut per aliquem ejusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium vel alium, cui hoc duxerimus committendum, nostro & ejusdem Romanæ ecclesiæ nomine conferendum, & exhibendum de proximo investiri, ac Ludovicum Regem Neapolis & Jerusalem, Ferdinandum vero & Elizabeth præfatos Calabriæ & Apuliæ ducem & ducissam eisque in regno, terra, provinciis, & ducatibus prædictis succedentes ita de cætero nominari, sicque ab omnibus censeri, teneri, & reputari debere, ita tamen, ut ipsi ante præsentium de manibus nostris seu mandatariorum nostrorum*

Imperata sponsio fiduciaria.

*receptionem juxta formam inferius annotatam fidelitatis debitæ juramentum & homagium, nec non servitium, vassallagium, & ligium in nostris per se vel procuratores suos ad hoc ab eis specialiter constitutos, & iterato cum eos de regno, terra, & ducatibus, ac provinciis prædictis contigerit, ut præfertur, actualiter respective investiri tempore traditionis dicti vexilli, & actualis investituræ prædictæ in ipsius commissarii nostri nostro & ejusdem ecclesiæ nostræ nomine recipientis manibus præstent, pro hujusmodi feudo præstari debita, ac etiam consueta, civitatem autem nostram Beneventanam prædictam, cum ejus territorio, districtibus, & pertinentiis per nos seu Romanum Pontificem distinctis vel distinguendis cum eorum incolis, prout illam sibi dudum præfata Romana ecclesia specialiter retinuit & reservavit, harum serie nobis & præfatæ ecclesiæ specialiter reservamus.*

*Et ne ullo unquam tempore inter Franciæ & Hispaniarum Reges & Reginam præfatos eorumque successores occasione dictæ divisionis ac fructuum, redditnum, & proventuum regni, terræ Laboris, ducatuum, & provinciarum prædictorum sic divisorum aliquæ dissensiones possint suboriri, sed inter eos pax, amicitia & concordia ad effectum conservationis status nostri, & ejusdem Romanæ ecclesiæ, ac totius reipublicæ Christianæ perpetuo vigeant & perseverent, de similibus consilio, assensu, scientia, potestatis plenitudine, & authoritate, volumus, statuimus, & ordinamus, quod quilibet Regum & Reginæ prædictorum, suorumque successorum, in parte eum contingente, sicut supra divisa, plenum dominium, ac integram supremam æqualem*

Supremum imperium reservatum sedi Apost.

*& regiam in omnibus & per omnia jurisdictionem habeat, reservata semper nobis & sedi Apostolicæ prædictæ jurisdictione illa, quæ ratione hujusmodi feudi debetur, ac omnes fructus, redditus, proventus, obventiones & emolumenta, quæcumque partis eis contingentis, & sic, ut supra, divisæ, pro eorum justo valore habere debeat, ita tamen quod præfatus Rex Franciæ medietatem dohanæ pecudum dictæ provinciæ Apuliæ ultra omnia præmissa de manibus commissariorum eorumdem Regis & Reginæ Hispaniarum puram, quietam, & absolutam percipiat annuatim, ac per Regem & Reginam Hispaniarum præfatos quolibet anno statuatur una dies, in qua dicta dohana ad firmam concedi debeat, cui concessioni faciendæ præfatus Franciæ Rex si voluerit, suos commissarios poterit destinare, qui prædictæ ad firmam concessioni*

sic

*sic faciendæ interesse & consentire debeant, & si forsan contingeret partem unius ex Regibus & Regina præfatis sic, ut supra, divisam majorem annui redditus parte alterius existere, fiat hinc inde inter eos compensatio, ita ut ipsi Reges & Regina in portionibus redditum & proventuum prædictorum sint æquales, excepta tamen dicta medietate dohanæ, quam præfatus Rex Franciæ puram, quietam, & absolutam ultra omnia, ut præfertur, percipiet supplentes eisdem consilio, assensu, & scientia potestatis plenitudine, & authoritate omnes & singulos tam juris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in præmissis, aut aliquo eorum.*

LVII. Quæ pactiones initæ.

*Conditiones vero, de quibus supradictum fuit, sunt hæ, videlicet, promittent & jurabunt tam Franciæ & Hispaniarum Reges & Regina præfati ex nunc in manibus nostris, qui successive in ipsius commissarii nostri per traditionem vexilli prædicti de regno & terra ac ducatibus, & provinciis prædictis modo præmisso investientis manibus, ut præfertur, quam etiam in singulis investituris eorum seu in dictis regno, terra, ducatibus, & provinciis heredes juxta formam infrascriptam, quod ipsi vel illi nullas unquam conspirationes, colligationes, vel conjurationes cum quibuscumque Regibus, principibus, seu magnatibus, communitatibus, universitatibus, aut personis aliis fidelibus vel infidelibus contra nos vel successores nostros Romanos Pontifices canonice intrantes, aut dictam Romanam ecclesiam, seu in eorum damnum facient, aut fieri consentient, seu permittent quantum in eis erit, nec factas ratas habebunt, & quod nunquam a nostra & dictæ ecclesiæ obedientia & devotione recedant, nec aliquod schisma contra nos vel successores nostros, aut Romanam ecclesiam facient, aut cujuscumque schismatis vel hæresis imitatores erunt, seu fautores, nec hujusmodi conspirationes, colligationes, conjurationes, seu schisma contra nos vel successores nostros aut ecclesiam prædictos facient, aut schismaticos vel hæreticos receptabunt, seu quocumque modo eis favebunt, aut eis, seu eorum alteri aliquod consilium, auxilium, vel favorem præstabunt, nec aliquos nobis & dictæ ecclesiæ rebelles aut nostros seu dictæ ecclesiæ hostes vel inimicos, seu rerum & bonorum dictæ ecclesiæ invasores, aut occupatores in regno, terra, & ducatibus prædictis, aut in aliqua ipsorum parte receptabunt, aut per alios receptari quoquomodo patientur, seu permittent scienter, sed illos efficaciter persequentur. Si vero in eorum & suorum in dictis regno, ducatibus, provinciis, heredum obitu legitimum, prout subsequitur, hæredem & Reginam ac heredes suos præfatos, quod absit, non habere contigerit, regnum & ducatus hujusmodi ad prædictam ecclesiam Romanam & ejus dispositionem libere revertantur: descendentes autem ex ipsis Regibus & Regina, ac suis heredibus dictorum regni & ducatuum & provinciarum respective, Regibus & ducibus mares & fœminæ in illis etiam respective succedant; ita tamen quod masculi fœminis, & majores minoribus in eodem gradu præferantur, & sic exinde ab omnibus successoribus observetur: volumus tamen filium, vel filium filii vel filiæ majoris, etiam in vita patris aut matris præmortui seu præmortuæ in successione prædicta semper patruo vel sorori patris, aut matris, aliisque transversalibus præferri. In regno vero & ducatibus prædictis nullus succedat, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.*

Imperatum obsequium erga sedem Apost.

Successionis ordo præscriptus.

LVIII.

*Ad hæc tam ipsi Reges & Regina, quam sui in dictis regno & ducatibus heredes regnum & ducatus hujusmodi aliter quam, ut supradictum est & nullatenus divident, sed semper unus tantum eorum in parte cum contingente sub hujusmodi conditionibus & divisione immediate & in capite nomine Romanæ ecclesiæ illa respective tenebit, & tam ipsi quam prædicti sui in dictis regno & ducatibus heredes sub propriis nominibus nobis & successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, ac Romanæ ecclesiæ expressis suis & heredum ipsorum nominibus ligium & homagium facient, & dictum juramentum fidelitatis, mensionem expressam de præsentibus literis faciendo, præstabunt, ut præfertur. Hujusmodi autem ligium & homagium ipsi Reges & Regina ac dicti sui heredes facere, & juramentum fidelitatis præstare juxta subscriptam formam, quilibet videlicet ipsorum Regum & Reginæ, per eum vel procuratorem suum intra datam præsentium literarum, quæ eis, vel eidem procuratori fiet in manibus nostris, & cum ipsos de regno & ducatibus prædictis actualiter per traditionem dicti vexilli investiri continget in manibus commissarii nostri ad hoc propterea destinandi investientis. Iidem vero heredes, si Romanus Pontifex in Italia fuerit, infra sex menses, si vero extra Italiam esset infra annum, postquam regni & ducatuum prædictorum dominium adepti respective fuerint, teneantur & singulis successoribus ac eidem Romanæ ecclesiæ renovabunt tam ipsum ligium & homagium, quam etiam hujusmodi juramentum. In optione autem & beneplacito erit Romani Pontificis, seu prædictæ ecclesiæ ipsos Reges & Reginam, ac heredes suos prædictos vocare ad præstan-*

Reges ad obsequium clientelare præstandum adigi possunt.

standum personaliter juramentum fidelitatis ac ligium & homagium hujusmodi Romano Pontifici ac eidem ecclesiæ, dummodo ad hoc illis tutum locum statuat & assignet, vel aliquem Cardinalium ipsius ecclesiæ, aut alium, qui vice Romani Pontificis juramentum juxta eandem formam & homagium hujusmodi recipiat, destinare. Ipsi quoque Reges & Regina in nostris ex nunc, ut præfertur, & deinde in ipsius commissarii nostri destinandi manibus jurabunt, se ad hoc specialiter fore obligatos, & tam ipsi Reges & Regina, quam sui in dictis regno & ducatibus heredes nobis & singulis successoribus prædictis, atque eidem ecclesiæ, quando præstabunt hujusmodi fidelitatis juramentum jurabunt, se ad hoc specialiter obligatos, quod videlicet nunquam ipsi & sui heredes prædicti per se vel alium seu alios quocumque modo procurabunt, ut ipsi vel aliquis eorum eligatur vel nominetur in Regem vel Imperatorem Romanorum, vel in Regem Theutoniæ, vel dominum Lombardiæ vel Tusciæ, & si electionem vel nominationem ad imperium vel regnum Romanorum, seu regnum Theutoniæ, vel dominium Lombardiæ, aut Tusciæ, seu majoris partis hujusmodi de illis celebrari contigerit, nullum hujusmodi denominationi, vel electioni assensum præstabunt, aut se intromittent ullo modo in regimine ipsius imperii vel regni Romanorum, seu Theutoniæ, aut dominii Lombardiæ, seu Tusciæ vel majoris partis eorundem ad quodcumque eorum ipsi nominati fuerint vel electi.

LIX. Imperium cum regno Neapol. conjungi vetitum.

Quod si ipsi Reges & Regina, vel aliquis in dictis regno vel ducatibus heredum studentibus & procurantibus eis ad imperium ipsum sive dictum regnum Romanum, sive regnum Theutoniæ, aut dominium Lombardiæ, sive Tusciæ aut majoris partis eorum electi seu nominati fuerint, aut si post talem electionem in imperii vel regni Romanorum, sive regni Theutoniæ, aut dominii Lombardiæ, seu Tusciæ, aut majoris partis ipsorum regimini ipsi se manifeste intromiserint sine expresso nostro vel successorum nostrorum mandato, eo ipso a jure regni & ducatuum prædictorum respective cadant ex toto, illaque prorsus amittant, & ad Romanam ecclesiam libere revertantur. Si autem ipsi Reges & Regina, vel aliquis ex dictis heredibus electioni vel nominationi pro tempore factæ, non procurantibus ipsis, aut etiam palam vel occulte procurantibus, forsan consenserunt & quod hujusmodi electioni vel nominationi, seu juri omnino renuntient, & quod de imperio, seu aliquo præmissorum, ad quod electus seu electi, nominatus seu nominati fuerit aut fuerint, nullatenus se intromittat seu intromittant moniti, nisi infra quatuor mensium spatium post nominationem hujusmodi, vel tali electioni vel nominationi aut juri renuntiaverit seu renuntiaverint, vel si de ipso imperio vel aliquo præmissorum, ad quod electus seu nominatus electi seu nominati fuerit seu fuerint, se intromiserit vel intromiserint quoquo modo, ex hoc sit vel sint eisdem regno & ducatibus, & omni prorsus jure eorum respective privatus ac privati, & ut dictum est, ad ecclesiam libere devolvantur. Si vero ad eos vel suos in eisdem regno & ducatibus heredes non possit talis monitio pervenire, super quo utroque impedimento videlicet, quod moneri commode nequeant, credetur & stabitur assertioni dumtaxat Romani Pontificis, sufficiat monitio publica & solemnis, ita quod si infra seu menses eorum quilibet, prout eum concernit, non renuntiaverit, vel heredes non renuntiaverint, aut de imperio seu aliquo alio prædictorum, ad quod ipsi vel heredes sui electi vel nominati fuerint, quomodolibet se intromiserint, ex hoc cadant ab omni jure regni & ducatuum prædictorum, ac illa ad ipsam Romanam ecclesiam libere devolvantur.

Si junguntur regnum ad ecclesiam devolvatur.

LX.

Cæterum si contigerit aliquem de prædictis heredibus, qui deberet in prædictis regno & ducatibus Lombardiæ, aut Tusciæ, vel majoris partis eorum nominari, seu eligi vel assumi, nullatenus eorum regni & terræ possessionem nanciscatur, vel habeat, nec se de illorum cura seu dominio aut regimine per se vel alios aliquatenus intromittat, nisi imperio seu regno Romanorum, seu regno Theutoniæ, aut dominio Lombardiæ, seu Tusciæ, seu majoris partis eorum, ad quodcumque eorum electus seu nominatus fuerit, vel assumptus & omni juri sibi de illis competenti omnino renuntiet, & si illorum aliquod, sive de jure sive de facto, tenere voluerit regnum & ducatus hujusmodi, omnino dimittat ipsa nullo unquam tempore reassumpturus cadatque, atque ab omni successione & jure, quod in regno & ducatibus hujusmodi sibi competerent, ipso facto, ita quod illa ad Romanam ecclesiam, ejusque dispositionem plenarie & libere devolvantur. Quod si non extantibus masculis fœmina in eisdem regno & ducatibus prædictis successerit, illa Regi vel Imperatori Romano, seu in Regem vel Imperatorem Romanum electo, aut Regi seu electo in Regem Theutoniæ, seu dominum Lombardiæ, aut Tusciæ, vel majoris partis eorum dominum nunquam matrimonialiter copuletur, & si contrarium fecerit, eo ipso cadat a regno & ducatibus prædictis, & prorsus ipsorum

Si fœmina regno vel ducatui Calabriæ succedat non possit nubere Roman. Regi.

*jure privata sit, illis ad eandem ecclesiam devolutis. Si autem Reges & Regina præfati, vel aliquis suorum in regno vel ducatibus prædictis heredum contra hoc venerit vel venerint, eo ipso excommunicati, & insuper labe & perjurii reatu respersi & notati euistant. In hujusmodi quoque juramente etiam per dictes Reges de prouimo faciendo ipsi & sui in dictis regno & ducatibus heredes, quoties illud præstiterint, addent eupresse, quod nullo unquam tempore regnum, seu imperium Romanum, aut regnum Theutoniæ, vel dominium Lombardiæ, seu Tuseiæ, aut eorum majoris partis, seu Lombardiam, vel Tusciam, vel majorem partem earum per se vel alium seu alios occupabunt, eapient, vel acquirent, aut sibi alias quomodolibet vendicabunt, vel dicti heredes per se, vel alium seu alios occupabunt, capient, vel acquirent, aut sibi alias quomodolibet vendicabunt sine nostra ac successorum nostrorum expressa voluntate & assensu, & si secus fecerit seu fecerint secundum prædictam formam pœnas similes incurrat & incurrant.*

LXI. *Quod autem dicitur de majori parte Lombardiæ seu Tusciæ intelligatur scienter & præter quam de ducatu & dominio Mediolanensi, ac aliis terris & dominiis, quæ præfatus Ludovicus Reu ibi tenet & possidet, ac ad eum ratione ducatus & dominii prædictorum pertinent. Si vero ignoranter eadem ad mandatum Ecclesiæ dimittere teneatur, & ipsi heredes teneantur, & si ea ad mandatum ecclesiæ dimittat seu dimittant non incidat nec ipsi incidant in pœnam in isto articulo & similibus constitutam, si vero monitus aut moniti non dimittat seu dimittant, incurrat & incurrant pœnam, prout est in hoc articulo & in aliis constitutam. Quod si forte in posterum Regem & duces præfatos contingat in Imperatorem eligi, postquam regni & ducatuum prædictorum fuerint possessionem adepti, non transeant ad imperium, alioquin in pœnas incidant in hoc articulo & aliis similibus comprehensas.*

Filius vocatus ad imperium emancipandus.

*Quod si regni & ducatuum prædictorum possessione nondum habita vel obtenta in Imperatorem electi transire voluerint ad imperium, in manibus ipsius Romani Pontificis, vel illius, quem ad hoc idem Pontifeu duxerit destinandum, filium successurum in regno & ducatibus prædictis, cujuscumque fuerint ætatis emancipent, ac regno & ducatibus præfatis renuntient, nihil juris in eis retinentes clam vel palam, nec etiam cujuslibet patriæ vel alterius potestatis occasione, nec ipsum filium ad subsidium vel aliquod servitium faciendum juramento vel voto, stipulatione vel facto sibi vel successoribus suis astringant, sicque factus filius sui juris ab eodem Romano Pontifice vel alio destinato ab ipso protinus investiatur de regno & ducatibus prædictis, ad quorum successionem, si forte decederet sine liberis, nullo umquam tempore pater veniat Imperator existens, sed si imperio & omnibus, quæ ad ipsum imperium pertinent, idem pater renuntiare voluerit, & ipsis regno & ducatibus tantum esse contentus, post renuntiationem hujusmodi ad illorum successionem libere admittatur, & tunc ab ipso Romano Pontifice vel alio destinato ab eo investituram recipiat regni & ducatuum prædictorum, idem vero filius sic assumptus si major decem & octo annis fuerit, libere administret, sed quandiu minor eutiterit, tam ipse, quam regnum & ducatus hujusmodi in custodiam Romanæ ecclesiæ remaneant, donec Reu vel dun ipse ætatem compleverit antedictam: fructibus nihilominus & obventionibus ipsorum regni & ducatuum, eu quibus sumptus necessarii faciendi pro eorundem regnis & ducatuum custodia deducentur Regi vel duci conservandis eidem, & lucro alteri ratione ipsius custodiæ non cessuris. Quæ vero de filio dicuntur, ut & videlicet regnum & ducatus hujusmodi possint sub observatione præmissa a patre ad imperium transeunte dimitti.*

*De filia etiam duuimus statuendum salvis aliis conditionibus supradictis, & si* LXII. *Reu vel duu non habens filios in Imperatorem electus ad imperium transire voluerit, de personis, quas supra diximus, liberis non extantibus, in regno & ducatibus prædictis succedere possint alii, qui superstites fuerint, quæ de filio & de filia præordinavimus observentur in illis, excepto emancipationis articulo, qui in solis illis procedere poterit, qui eapaces emancipationis euistant ratione patriæ potestatis. Declaramus etiam quod si Regi vel duci sive filio decedenti superstes sit filia vel mulier alia, quæ juuta præfatam formam debeat ad hujusmodi successionem admitti, & quæ Imperatori, dum Reu ipse viveret, fuerat desponsata vel nupta, illa non succedat, ut præmittitur, & si regno & ducatibus prædictis sibi delatis Imperatori nupserit, cadat protinus & ab eisdem, nisi vice ejus imperio prorsus renuntiatis ipsis regno vel ducatibus solummodo sit contentus. In primo autem casu, repulsis filia & aliis prædictis, ad personas alias servatis gradibus regnum & ducatus prædicti perveniant, quæ prænotatæ sunt, quod in eisdem regno & ducatibus possunt succedere, si Regi vel duci præmortuo liberi non supersint. In secundo autem casu regnum*

*gnum & ducatus ipsi ad Romanam ecclesiam libere devolvantur, regnumque & ducatus prædicti imperio nullo modo subdantur, seu sibi ullo unquam tempore in eadem persona quomodolibet uniantur, & præcise super hoc articulo tam per pœnas spirituales, quam alias cautiones cavebitur juxta Ecclesiæ voluntatem quomodocumque Romanus Pontifex hoc duxerit requirendum cum prorsus sit intentionis Romanæ ecclesiæ, ut regnum & ducatus hujusmodi nullo unquam tempore uniantur, ut scilicet unus Romanorum Imperator & Neapolis Rex, aut Calabriæ & Apuliæ dux existat. Quod autem circa unionem hujusmodi cum imperio dicimus, hoc ipsum circa unionem cum regno Romanorum & regno Theutonico, seu cum Lombardia, vel Tuscia; sive cum majore parte ipsorum Lombardiæ & Tusciæ, exceptis super expressis, intelligimus & volumus esse dictum.*

LXIII. Quodnam vectigal nummarium indictum.

*Pro toto vero generali censu regni Neapolis quatuor, ac pro censu ducatuum Calabriæ & Apuliæ prædictorum etiam quatuor millia unciarum auri ad pondus ipsorum regni & ducatuum in festo B. Petri Apostoli de mense junii, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, ipsi Romano Pontifici & Romanæ ecclesiæ per dictos Reges & regnum ac suos in dicto regno & ducatibus heredes annis singulis persolventur. Si vero ipsi Reges & Regina, vel idem sui in dictis regno & ducatibus heredes quocumque termino non solverint integre censum ipsum, & expectati per duos menses terminum ipsum immediate sequentes de illo ad plenum non satisfecerint, eo ipso erunt excommunicationis vinculis innodati. Quod si secundo termino infra alios duos subsequentes menses sine diminutione qualibet non persolverint, totum regnum & ducatus hujusmodi ecclesiastico erunt interdicto supposita. Si vero nec in tertio termino, nec infra alios duos menses proximos per plenam satisfactionem illius ejusdem census eis duxerint consulendum, ita quod transactis eodem tertio termino, ac duobus proximis sequentibus mensibus non sit de hujusmodi censibus primi termini ipsi Romanæ ecclesiæ satisfactum integre, ab eisdem regno & ducatibus ipsorumque jure cadant ex toto, regnumque & ducatus hujusmodi ex tunc ad eandem Romanam ecclesiam integre & libere revertantur. Si autem de censibus hujusmodi primi termini infra dictum tertium terminum, & duos subsequentes menses plenarie satisfecerunt, nihilominus semper pro dictis censibus singulorum terminorum simili modo si dictorum solutione cessaverint, vel illos non solverint similes pœnas incurrant, salvis aliis pœnis & processibus, quæ vel qui de jure inferri vel haberi poterunt per Romanum Pontificem in hoc casu.*

LXIV. Singulis triennus equus albus a Rege & Duce offerendus.

*In quolibet etiam triennio ipsi Reges & Regina, suique in dictis regno & ducatibus heredes dabunt nobis & successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus quilibet unum palafredum album pulchrum & bonum in recognitionem veri dominii eorumdem regni & ducatuum. Ad hæc, cum regnum & ducatus hujusmodi possideant, & in eis plenam obedientiam habeant, ac Neapolis & Jerusalem verus Rex & ducatuum prædictorum verus dux & vera ducissa cum omnibus regiis & supremis præeminentiis respective censeantur, ut præfertur, pro investitura hujusmodi ex nunc sub infrascriptis terminis solvant nobis & præfatæ ecclesiæ Romanæ quinquaginta millia marcharum sterlingorum æquis portionibus inter vos dividendos, videlicet infra sex menses proxime venturos decem millia, & infra alios sex menses post eosdem primos sex menses successive computandos sex alia decem millia marcharum usque ad totam summam quinquaginta millium marcharum sterlingorum hujusmodi, donec tota ipsa summa per ipsos Reges & regnum aut nomine suo nobis & eidem ecclesiæ fuerint persoluta. Quod si in eisdem terminis illas non persolverint, liberum erit nobis vel eidem Romano Pontifici contra eos pro singulis terminis ad pœnas spirituales & temporales procedere, prout nobis vel ipsi videbitur expedire. Quandocumque autem Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, asseruerit vel dixerit Romanam ecclesiam indigere, ita quod super indigentia hujusmodi Romani Pontificis simplici verbo stetur, ipsi Reges & Regina, vel sui in dicto regno & ducatibus heredes requisiti ab eo in urbem, in Campaniam, in patrimonium B. Petri, in Tusciam, in ducatum Spoletanum, in marchiam Anconitanam ad præmissam civitatem Beneventanam, & ejus territorium ac pertinentias, quæ ut præfertur, eidem remanebunt ecclesiæ, ac in civitates nostras Perusinam, civitatem Castelli, Bononiensem, Ferrariensem, Avinionensem, & comitatum Venaysini, & in omnes alias terras, ipsius ecclesiæ ubicumque existentes trecentos milites equis & armis decenter munitos & paratos, ita quod unusquisque ipsorum habeat quatuor equitaturas, vel tres ad minus, quilibet videlicet eorum medietatem in ecclesiæ prælibatæ obsequium & subsidium transmittet & transmittent per tres menses integros ipsorum & suorum prædictorum in dictis regno & ducatibus heredum sumptibus & stipendiis semel tunc in anno in servitiis ejusdem ecclesiæ moraturos mensibus*

Vectigal militare impositum.

*nihilominus ille, qui tunc eorumdem regni vel ducatuum gubernaculo præsidebit Romano Pontifici potenter assistere teneatur. Si vero dictorum Regum & Reginæ in ipsis regno & ducatibus heredes prædictam civitatem Beneventanam, territorium, & pertinentias ejus, quæ remanebunt ecclesiæ, vel aliquam partem eorum, aut Campaniam, seu Maritimam, vel urbem, vel ducatum Spoletanum, aut marchiam Anconitanam, seu patrimonium B. Petri in Tuscia, aut civitates Perusinam, civitatem Castelli, Bononiensem, Ferrariensem, vel Avinionensem, aut comitatus Venaysini, vel alias quascumque terras Romanæ ecclesiæ ubilibet constitutas, vel ipsarum aliquam partem occupaverint, seu occupari fecerint, seu super iis offenderint vel molestaverint ecclesiam, seu fecerint molestari, etiam postquam desuper a Romano Pontifice moniti & requisiti fuerint, vel commode moneri aut requiri nequiverint, juxta ipsius Romani Pontificis assertionem vel dictum, postquam ad hoc publice & solemniter ipsos Reges & Reginam vel dictos heredes monuerint infra tres menses non restituerint integre omnia occupata, eo ipso ab ipsorum regni & ducatuum jure cadant totaliter, ipsaque regnum & ducatus prorsus amittant, & ad Romanam ecclesiam libere devolvantur. Quod si etiam restituerint occupata, nihilominus ad plenum de universis injuriis & damnis illatis ad mandatum ejusdem Romani Pontificis satisfacere teneantur. Alii quoque heredes dictorum Regum & Reginæ, videlicet qui eis non succedent in regno & ducatibus prædictis, occupare vel occupari facere super illis eandem ecclesiam non attentent, illi vero qui secus fecerint, præmissas pœnas incurrant, ut videlicet eo ipso sint excommunicati, & tam ipsi, quam eorum posteritas in perpetuum ad successionem regni & ducatuum prædictorum, si in aliquo casu forte eadem successio devolveretur ad illos, nullatenus admittantur, & Rex Neapolis vel dux Calabriæ & Apuliæ, qui tunc erit, teneatur assistere Romano Pontifici contra ipsos, ut superius est expressum.*

Vel occupantibus jura pontificia.

LXVII. Jura pristina ecclesiis restitui jussa.

*Sane omnibus ecclesiis tam cathedralibus, metropolitanis, quam aliis regularibus & sæcularibus, necnon omnibus prælatis & clericis, ac universis personis ecclesiasticis sæcularibus, vel regularibus, & quibuscumque religiosis locis regni & ducatuum prædictorum plenarie dimittantur, & restituantur integre omnia bona eorum immobilia, a quibuscumque ablata vel occupata sint, & per quoslibet detineantur mobilia, quæ extant, & poterunt inveniri, simili modo restituantur eisdem: hæc autem restitutio fiat absque contradictione vel difficultate qualibet sicut nancifcentur prædictorum regni & ducatuum possessionem, hoc modo scilicet, quod statim illa parte ipsorum regni & ducatuum, quæ eisdem Regibus, & Reginæ, vel ipsis heredibus obediat, restitutio ipsa fiat, ipsaque postmodum successive conservabitur, sicut regnum & ducatus hujusmodi habebuntur. Ne autem super iis rebus restituendis oriri possit aliqua difficultas, deputabuntur a Romanis Pontificibus aliqui viri discreti, ad quorum mandatum & arbitrium bonorum & rerum mobilium & immobilium, quæ extant, restitutio plena fiet ita quod earum, de quorum dominio vel potestate seu possessione notorium fuerit, ad eorum arbitrium & mandatum mon reddentur. In dubiis vero per ipsos de plano, absque judicii strepitu, diligentius veritas inquiretur, sufficiat autem vocari camerarium, vel procuratorem, vel balivum in cujus jurisdictione vel bailivatu bona, de quibus agetur, consistent ad videndum jurare testes, qui in hujusmodi depositione deponent.*

LXVIII. *Omnes insuper ecclesiæ tam metropolitanæ & cathedrales, quam aliæ sæculares & regulares necnon omnes prælati & clerici, ac universæ personæ ecclesiasticæ sæculares & religiosæ, & quæcumque religionis loca in regno & ducatibus prædictis consistentia cum omnibus bonis suis in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus, quas salvis reservationibus apostolicis fieri contigerit, & omnibus aliis plena libertate gaudebunt, nec ante electionem, sive in electione, vel post Regis aut ducis vel ducissæ assensus ac consilium aliquatenus requiretur, quam utique libertatem ipsi Reges, & Reginæ, & sui in ipsius regno & ducatibus heredes semper manutenebunt & conservabunt, ac manuteneri & conservari facient ab omnibus subditis suis, dictæque ecclesiæ & personæ utantur libere bonis & juribus suis omnibus salvo eisdem Regibus ac Reginæ, ac suis in hujusmodi regno & ducatibus heredibus jure patronatus in ecclesiis tantum, quantum in hac parte patronis ecclesiarum canonica instituta concedunt, ubi antiqui Reges Siciliæ in dictis regno & ducatibus respective, ac etiam eorumdem ducatuum Calabriæ & Apuliæ duces hujusmodi jus patronatus in ipsis ecclesiis habebant. Omnes etiam causæ ad forum ecclesiasticum in regno & ducatibus prædictis & pertinentiis libere & absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur, & ventilabuntur coram ordinariis & aliis ecclesiasticis judicibus & terminabuntur per eos. Et si ad sedem Apostolicam pro hujusmo-*

Causæ ecclesiast. ad forum prophanum non trahantur.

di

*di causis appellari contigerit, tam appellantes quam appellati ad eamdem venire sedem pro appellationum prosecutionibus libere, & absque inhibitione aliqua permittentur. Sacramenta vero fidelitatis præstabuntur secundum antiquam & rationabilem consuetudinem, prout canonica instituta permittunt, ab illis ecclesiarum prælatis, quorum prædecessores antiqui illa Siciliæ Regi præstiterunt respective secundum divisionem prædictam. Ab illis autem prælatis & ecclesiis, qui regalia sive temporalia bona tenent, si tamen sint, qui hujusmodi bona teneant a dominis regni & ducatuum, & aliis dominis temporalibus, & qui ratione bonorum temporalium hujusmodi ab antiquo consueverunt Regibus & ipsis dominis temporalibus servitia exhibere hujusmodi honesta & antiqua servitia secundum rationabilem & antiquam consuetudinem, & sicut instituta patiuntur canonica, impendentur, salva tamen Romani Pontificis & Apostolicæ sedis authoritate & jurisdictione plenaria, & libera potestate.*

LXIX. Diplomata pontificia tradentur operi.

*Circa ecclesiasticas & alias regulares & seculares personas, & loca ecclesiastica prædicta tam in faciendis provisionibus & electionibus confirmandis, quam quibuscumque aliis concessionibus & gratiis, ac super eis conficiendis literis apostolicis, quas cessante omni impedimento per eos seu officiales & subditos suos præstando permittent libere & absolute executioni debitæ demandari, quinimmo præstantes impedimentum aut retinentes & inobedientes compriment & punient, & ad obedientiam & reverentiam literis apostolicis exhibendam compellent & constringent, & requisiti manu militari, prout ipsarum literarum apostolicarum executori judici seu nuntio videbitur, assistent remediis opportunis. Revocabunt etiam Reges & Regina, & sui in dictis regno & ducatibus heredes omnes constitutiones & leges per dictum Fredericum Regem Siciliæ, sive per Conradum ipsius Frederici filium, aut Manfredum quondam principem Tarentinensem, seu per dictam quondam Joannam Reginam, vel alios Reges, aut Reginas regni & ducatuum præfatorum, seu alios quoscumque editas contra ecclesiasticam libertatem, nec statuta edent aut consuetudines introducent, seu etiam promulgabunt, per quæ juri & libertati ecclesiasticæ in aliquo derogatur. Promittent etiam quod nullus clericus, aut persona ecclesiastica eorumdem regni & ducatuum in civili vel criminali causa ad faciendum fidem de titulo vel possessione clericatus convenietur coram judice sæculari, nisi super feudis judicio petitorio conveniatur, civiliter, sed omnes ecclesiæ & monasteria, hospitalia, & alia pia & religiosa loca, & beneficia, ac personæ ecclesiasticæ regni & ducatuum prædictorum omnimode erunt liberæ & libera, & in nullo Regi aut duci subjacebunt.*

*Nullas insuper tallias seu collectas imponent ecclesiis, monasteriis, locis vel beneficiis prædictis, aut clericis & personis ecclesiasticis, seu rebus eorum: & in ecclesiis in dictis regno & ducatibus vacantibus ipsi Reges & Regina, vel prædicti sui in dictis regno & ducatibus heredes nulla habebunt regalia, nullosque fructus, redditus, & proventus, nullasque etiam obventiones & nulla prorsus alia recipient ab eisdem, custodia ecclesiarum earundem interim libera remanente penes personas ecclesiasticas juxta canonicas sanctiones: comites vero, barones, milites, & universi homines totius regni & ducatuum prædictorum vivent in eadem libertate, & habebunt illas immunitates illaque privilegia & eis gaudebunt, quas & quæ tempore claræ memoriæ Guillelmi secundi Siciliæ Regis, & aliis antiquis temporibus habuerunt.* LXX.

Immunitates populi veteres restitutæ.

LXXI. Exules revocari jussi.

*Omnes exules regni Siciliæ & terræ ducatuum prædictorum, cujuscumque conditionis existant, ad mandatum Romanæ ecclesiæ reducentur ad regnum & ducatus hujusmodi, ipsisque de bonis & juribus eis debitis restitutio plena fiet: in hujusmodi autem bonis ecclesiarum restituendis, contentum, tam in notoriis quam in dubiis procedatur, omnesque captivos & obsides, qui tenentur in regno & ducatibus prædictis Romanos & regnicolas & alios de terris ecclesiæ, seu Turcos, vel Lombardos, & alios quoscumque Romanæ ecclesiæ fideles in comitatibus, civitatibus, terris, & castris, villis, seu locis a sede apostolica, sive a Regibus & principibus sibi concessum obtinent, nec non jus, quod privati a jure vel per processus apostolicos olim habebant, si eos ad illud apostolica authoritate, legitime restitui contingat, etiam penitus salvum erit, nec per præsentem regni & ducatuum concessionem, comitatuum, seu aliorum concessorum hujusmodi cuiquam eorum, quæ ad proprietatem & possessionem præjudicium aliquod generetur, Regis jure respective eisdem Regibus & Reginæ in iis omnibus semper salvo. Nullam etiam confœderationem seu pactionem, vel societatem cum aliquo Imperatore vel Rege, seu principe vel barone Christiano, Græco, vel Saraceno, nec cum aliqua provincia seu civitate, aut communitate sive aliquo loco scienter contra Romanam ecclesiam vel in eis damnum facient, & si secus fieret, quod factum fuerit sit ipso jure nullum, & si eam fecerint ignoranter, nihilominus quatenus de*

facto

facto fecerunt indilate teneantur ad mandatum Ecclesiæ revocare. Denique omnes præmissas conditiones, quæ in persona ipsorum Regum & Reginæ apponuntur circa suos etiam in dictis regno & ducatibus heredes & successores intelligimus & volumus esse dictas salvis omnibus, quæ circa alios suos heredes ordinata sunt, prout superius est expressum.

Cæterum quia in quibusdam articulis seu capitulis prædictarum conditionum continetur expresse, quod in certis casibus ipsi Reges & Regina & sui prædicti heredes excommunicationis sententiam incurrant, & regnum & ducatus hujusmodi, ac suæ & suorum heredum terræ sint ecclesiastico supposita interdicto, & ad Romanam ecclesiam libere devolvantur, nos etiam hujusmodi sententias, videlicet excommunicationem in ipsos Regem & Reginam, ac eosdem heredes, ac interdictum in regnum, provincias & ducatus hujusmodi, si sua vel eorum culpa hujusmodi casus evenerit, de prædictorum fratrum consilio ex nunc authoritate apostolica tenore præsentium promulgamus. Forma autem juramenti prædicti per ipsos Reges & Reginam & suos in dictis regno & ducatibus hæredes ac successores, ut præfertur, respective, prout unumquemque eorum concernit, præstandi talis est.

Sacramenti forma Regibus Neap. & duci Eccl. data.

LXXII. Ego Ludovicus Dei gratia Rex Neapolis Jerusalem, & ego Ferdinandus, & ego Elizabesh etiam Dei gratia dux & ducissa Calabriæ & Apuliæ plenum homagium, ligium, vassallagium facientes vobis domino nostro domino Alexandro Papæ VI. & ecclesiæ Romanæ pro regno Neapolis, & ducatibus atque provinciis Calabriæ & Apuliæ prædictis, ac tota terra, quæ est citra pharum usque ad confinia terrarum ipsius ecclesiæ excepta civitate Beneventana ac toto territorio, & omnibus districtibus & pertinentiis secundum antiquos fines territorii pertinentiarum, & districtus civitatis ejusdem per Romanum Pontificem distinctos, & in posterum distinguendos, ab hac hora in antea fideles & obedientes erimus B. Petro & vobis domino Alexandro Papæ VI. vestrisque successoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus, sanctæque apostolicæ Romanæ ecclesiæ. Non erimus in consilio vel consensu seu facto, ut vitam perdatis seu perdant aut membrum, seu capiamini aut capiantur mala captione. Consilium, quod nobis credituri estis per vos aut nuntios vestros, vel per literas, ad vestrum vel eorum damnum scienter nemini pandemus, & si sciverimus fieri vel procurari seu tractari aliquid, quod sit in vestrum, vel ipsorum damnum cedat, illud expresse impediemus, & si hoc impedire non possemus, illud vobis vel eis significare curabimus. Papatum Romanum & regalia S. Petri tam in regno & ducatibus prædictis, quam alibi consistentia adjutores vobis & eis erimus ad retinendum & defendendum & recuperandum, ac recuperata manutenendum contra omnem hominem universas & singulas conditiones suprascriptas & contentas in præsentibus literis apostolicis super ipsorum regni & ducatuum ac terra concessione confectis, ac omnia & singula, quæ in eisdem continentur literis, plenarie adimplebimus, & inviolabiliter observabimus, ac nullo unquam tempore veniemus contra ea. Nec procurabimus per nos, seu alium, vel alios quoquo modo, ut eligamur vel nominemur in Regem vel Imperatorem Romanum, seu in Regem Theutoniæ, aut dominum Lombardiæ, vel Tusciæ, & si electionem vel nominationem ad imperium, vel regnum Romanum, vel regnum Theutoniæ, aut dominium Lombardiæ, vel Tusciæ, seu majoris partis eorundem, præter quam supra expressorum, de nobis celebrari contigerit, nullum hujusmodi electioni seu nominationi assensum præstabimus, nec intromittemus nos modo aliquo de eorum vel alicujus ipsorum regimine, nec de civitate Beneventana & suis territorio districtibus & pertinentiis, seu Campania, nec de Maritima, ducatu Spoletano, marchia Anconitana, patrimonio B. Petri in Tuscia, massa Trabaria, Romandiola, alma urbe, in civitatibus Perusiensi, civitate Castelli, Bononiensi, Ferrariensi, Avinionensi, aut comitatu Venaysini, seu aliis terris, quibuscumque vestris, & demaniis seu feudis ipsius ecclesiæ ubilibet constitutis ex successione vel legato, seu donatione, aut venditione, vel alio quovis titulo seu contractu nihil unquam nobis acquiremus, vel vendicabimus, seu poterimus acquirere, vel quomodolibet vendicare, & nihil unquam recipiemus, vel habebimus seu retinebimus, vel poterimus recipere, habere, vel etiam retinere in illis, neque ullam potestariam, capitaniam, vel rectoriam, nullum aliud officium recipiemus, seu recipere poterimus in eisdem, seu ipsorum aliquo, neque etiam occupabimus, vel occupari pemittemus, seu faciemus præmissa, vel partem aliquam eorundem, nec illam offendemus vel molestabimus, neque etiam Romanam ecclesiam quoquo modo sub censuris spiritualibus & temporalibus pœnis in supradictis conditionibus & infeudatione contentis, quas hic haberi volumus in singulis suis partibus, alias pro specifico repetitis & expressis. Schismatico, aut hæretico cuicumque, vel a fide devio, & ab ipsa Ecclesia præciso, ejusque sequacibus non dabimus eis, quovis modo per nos, vel ali-

De servanda fide Pontifici.

Non affectando imperio.

Non invadenda ditione eccl.

Damnata cum schismaticis vel hæreticis fœdera.

*alium, seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte auxilium, consilium, vel favorem nec ab aliis, quantum in nobis fuerit, si impedire poterimus, dari permittemus, sed eos juuta posse nostrum, donec convertentur, persequemur & invademus. Sic nos Deus adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia.*

*Ipsi etiam Reges & Reginæ, ac dicti sui in eisdem regno & ducatibus heredes dabunt privilegium eorum nobis & dictæ Romanæ ecclesiæ aurea bulla bullatum, in quo proprio juramento fatebuntur & recognoscent expresse regnum Neapolis, ducatus prædictos, & totam terram eorum, quæ est citra pharum usque ad confinia ejusdem Romanæ ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum territorio & pertinentiis suis, quæ ecclesiæ remanebit eidem, ex sola gratia, mera liberalitate sedis Apostolicæ ac nostra sibi suisque heredibus fuisse concessa, ipsique fatebuntur recepisse & tenere regnum, ducatus & terram hujusmodi a nobis & dicta Romana ecclesia sub pactis, modis & conditionibus supradictis. Nolumus autem per præsentes in ceteris quam in supra expressis quomodolibet competunt in aliquo ullatenus derogari: Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ divisionis, concessionis, elargitionis, intentionis, restitutionis, voluntatis, statuti, ordinationis, suppletionis, declarationis, promulgationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Cunctis vero præmissa servantibus sit pax domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ MDI. VII. kal. julii pontificatus nostri anno IX.*

*Hadrianus.*

In circulo sigilli hæc verba jacent: *In te Domine speravi, non confundar in æternum.*

Assentientium Alexandro Card. nomina.

*Ego Alexander catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.*

*Ego Oliverius episcopus Sabinensis S. R. E. Cardinalis Neapolitanus manu propria subscripsi.*

*Ego Georgius episcopus Tusculanus S. R. E. Cardinalis Portugalensis manu propria subscripsi.*

*Ego Hieronymus episcopus Prænestinus Cardinalis Recanatensis manu propria subscripsi.*

*Ego Laurentius episcopus Albanensis S. R. E. Cardinalis Beneventanus manu propria subscripsi.*

*Ego Antonius S. R. E. presbyter Cardinalis tit. S. Praxedis manu propria subscripsi.*

*Ego Joannes Cardinalis Montisregalis manu propria subscripsi.*

*Ego Baptista Cardinalis de Ursinis manu propria subscripsi.*

*Ego Joannes Antonius Cardinalis Alexandrinus manu propria subscripsi.*

*Ego Bernardinus Cardinalis S. Crucis in Jerusalem manu propria subscripsi.*

*Ego Dominicus Cardinalis Grimanus manu propria subscripsi.*

*Ego Jacobus tit. S. Clementis presbyter Cardinalis Arborensis manu propria subscripsi.*

*Ego Franciscus tit. S. Cæciliæ presbyter Cardinalis Cusentinus manu propria subscripsi.*

*Ego Joannes tit. S. Balbynæ presbyter Cardinalis Salernitanus manu propria subscripsi.*

*Ego Ludovicus tit. S. Agathæ presbyter Cardinalis Caputaquensis manu propria subscripsi.*

*Ego Franciscus S. Eustachii diaconus Cardinalis Senensis manu propria subscripsi.*

*Ego Joannes S. Mariæ in dominica diaconus Cardinalis de Medicis manu propria subscripsi.*

*Ego Julianus diaconus Cardinalis de Cesarinis manu propria subscripsi.*

*Ego Alexander SS. Cosmæ & Damiani diaconus Cardinalis manu propria subscripsi.*

Ferebatur fama (*a*) Fredericum Gallicis & Hispanicis armis petitum transmissurum obsidem ducem Calabriæ ad Bajazethem, ut auxiliarem exercitum Genizarorum in Italiam accerseret, & hoc periculum Gallus, Hispanus, ac Lusitanus Reges immissis classibus validissimis ad prohibenda Turcica auxilia occupaverant (*b*), atque ita Turcica Hispanaque spe deceptus Fridericus indoluit (*c*) a Gallo se pacem non redemisse, professus cum Turca egisse non illius adducendi voluntate, sed ut rebus suis ea ostentatione pararet præsidium; quod quam infirmum esset repentina Neapolitanorum defectio, extremaque Friderici clades, quas describit Burchardus (*d*) in diariis ostendit: *Circa horam*, ait, *quintam noctis præteritæ*, nempe vigesima sexta julii die, *Papa habuit nova de Capua capta per ducem Valentinum, & plures, videlicet decem vel circa dies ante habuerat nova de Aversa, Nola, & quasi omnibus aliis locis bonis a Gallis occupatis, & quod in Calabria & Apulia essent erecta vexilla Regis Hispaniarum, qui ambos illos ducatus possideret.* Ca-

LXXIII.

(*a*) *Sur. l.5. l.4. c.35.*

(*b*) *Ib. c. 37.*

(*c*) *Cap. 44. Sa. bell. enn. 11.*

(*d*) *Burch. l.1. par.2. in Alex. VI. p.201.*

Exuitur regno.

*Captura autem civitatis Capuanæ fuit ex proditione cujusdam Fabritii civis Capuani, qui gentes ducis clam intromisit, a quibus ipse Fabritius fuit primus interfectus, & post eum tria millia vel circa peditum, & ducenti armigeri equites vel circa, & cives, presbyteri, religiosi utriusque sexus, etiam in ecclesiis & monasteriis, & mulieres quotquot fuerunt repertæ sine misericordia, puellæ captæ & datæ in prædam magna crudelitate. Omnium interfectorum numerus extimatus fuit ad sex millia vel circa.* Fabritium Columnam ab hoste Jordano Ursino servatum egregio clementiæ exemplo observat Sabellicus (a), & Columnensium oppida primo belli impetu capta Borgianis tradita fuisse, atque Ursinos Taliacotii ditionem veterem recuperasse: pronis vero in exitium rebus Fridericum Regem trigesima julii die principem Bisiniani auro accepto vinculis absolvisse tradit Burchardus (b), ac Gallos paucis post diebus Neapoli militari pactione potitos.

Capua vastata.

(a) Sabel. enn. 11. l. 1.

(b) Burch. ubi sup. p. 203.

LXXIV. *Feria*, inquit, *quarta, quarta augusti dominus de Ubigni capitaneus gentium Regis Francorum cum gentibus suis intravit civitatem Neapolitanam ex concordia cum Rege Frederico, & idem capitaneus ex concordia hujusmodi habuit omnia castra Neapoli existentia, hac conditione, quod Rex Fredericus debeat residere in Ischia ad sex menses, & si interim habeat subsidium alicujus, quod liceat tunc & vi & armis se defendere, & quod possit interim exportare omnia bona bona sua quæcumque sint [demptis artiliaria & victualibus] de Neapoli ac ducere Ischiam, vel quo magis sibi placuerit, & si elapsis dictis sex mensibus non habuerit subsidium opportunum, quod ex tunc ipse Rex teneatur etiam consignare libere Ischiam & Salernum prædicto capitaneo, ipse autem abire quo magis velit absque impedimento alicujus.* His consentanea Petrus Cardinalis Bembus (c), Sabellicus, aliique Itali, Galli, & Hispani scriptores (d) tradunt, adduntque Fridericum ad Ludovicum Francorum Regem veterem Aragoniæ domus hostem conferre se maluisse, quam ad Ferdinandum, quod sanguinis jura violasset, neque ipsum admonuisset de impendenti discrimine, dum de concordia inter ipsum & Gallum confirmanda agebatur, iis nimirum legibus, ut Fridericus ipse Ludovico pendendo vectigali nummario & militari ad defendendam Insubriam, tum Jerosolymitano titulo illi cedendo; denique ostensi præsidii specie evertisset, Gonsalvus enim Hispanæ classis præfectus occupatis aliquot arcibus, tanquam opem laturus socio Regi, quo momento Galli irruperant, Calabriam Apuliamque invaserat. Porro Friderico in Gallorum Regis, a quo locupletissimo comitatu stipendiisque liberaliter donatus est, partes concedente, ipsius filius diversa secutus studia, cum Tarenti obsidione premeretur, Hispanis eam dedere, quam Gallis maluit.

Neapolis Gallo dedita.

Fredericus ad Gallum perfugit.

(c) Card. Bemb. hist. Ven. l. 6.

(d) Sabell. enn. 11. l. 1. Ferro. l. 3. Guic. l. 5. Sur. to. 5. l. 4. c. 40. & c. Marian. l. 27. c. 12. Fazell. poster. dec. l. 9. & aliis.

Confecto eo bello Alexander Gallum Regem, qui Turcicum bellum meditabatur, ob sumptus factos præstandi annui vectigalis auri onere liberavit (e), ut illum arctiori nexu sedi Apostolicæ devinciret. LXXV.

(e) L. 5. bull. secr. p. 344.

*Ludovico Francorum & Neapolis Regi illustri.*

*Sperantes quod tu more progenitorum suorum in tuæ fidei sinceritate & devotione erga nos & Romanam ecclesiam perseverabis, & quoad vires tuæ se extendere poterunt, pro nobis & ipsa Romana ecclesia adversus quoscumque, nec non pro fidei catholicæ exaltatione, reipublicæ Christianæ adversus perfidos Turcos defensione, illorumque depressione & expugnatione, pugil & propugnator eximius, quandiu vitam duxeris in humanis esse, ac omnia & singula, quæ ad decus, statum, & honorem nostrum successorumque nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, & ecclesiæ prædictæ omni tempore & loco cedent, facere, tractare & efficaciter adimplere curabis, prout etiam retroactis temporibus ipsi progenitores tui viriliter nullis laboribus, nullis impensis, nullisve parcendo periculis arma sumendo effecerunt, tuque etiam in præsentiarum contra ipsos perfidos Turcos facere cœpisti*, & infra, *censum quatuor millium unciarum auri tibi tuisque liberis & successoribus tam masculis quam fœminis recta linea ex tuo corpore legitime descendentibus nascituris in nostra & successorum prædictorum obedientia & devotione, persistentibus, ac omnem & quamcumque pecuniarum summam, ad quam nobis & ecclesiæ prædictæ, qui dictum regnum hactenus tenuerunt, vosque in præsentem diem occasione dicti census, vel quavis alia causa forsan obligati essent, nec non integram summam XXV. millium marcharum hujusmodi pro jure dictæ investituræ sic nobis debitum de fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio pariter & assensu authoritate apostolica tenore præsentium liberaliter & gratiose remittimus*: Et infra: *Volumus autem quod singulis annis proxime futuris tu ac tui liberi & successores tam masculi, quam fœminæ prædicti sic descendentes in festo prædicto unum palafredum album, pulchrum & bonum ac decenter ornatum pro ipsorum regni Neapolis, & terræ Laboris, ac provinciæ Aprutinæ recognitione dominii*

Remissum Ludovico Galliæ & Neapolis Regi vectigal.

*nobis & successoribus nostris prædictis mittere & assignare omnino teneamini, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MDI. VI. kal. septembris pontificatus nostri anno X.*

LXXVI. Inter has regni Neapolitani conversiones casus memorabilis, nimirum filii in parentem amoris insigne exemplum contigisse fertur (a), Gilberti enim Montispenserii filius, cum paternum sepulchrum inviseret, dum illud lachrymis rigat, repente interclusa nimio dolore anima extinctus concidit.

(a) *Guicc. l. 5.*

Filius ducis Montispenserii dum patrem deflet repente extinctus.

Cæterum Galli & Hispani inter se Neapolitanum regnum partiti, cum ex confectis pactionibus arma vertere adversus Bajazethem Turcarum Imperatorem debuissent, bello omisso Turcico inter sese dimicare cœperunt, ut proximo anno videbimus. Antequam autem eorum dissensiones in apertum bellum erumperent, classis Gallica tuendæ reipublicæ Venetæ specie, ut refert Cardinalis Bembus, in Turcas vela intendir (b), sed nihil memoria dignum gestum est. Junctis porro in Turcam fœdere Pontifice, Franco, Hispano, Lusitano, Hungaro, Veneto, Rhodio, concitaro in arma Anglo, spondente crucesignatas ductare se copias Cæsare, depluentibus cælo in vestes crucibus in Germania, ingentium de hostibus eruendis referendarum victoriarum spes conceptæ erant; eæ tamen ad irritum ceciderunt, cum pars maxima privata commoda, non Christiani nominis amplificationem consectaretur.

(b) *Petr. Bemb. hist. l. 6.*

Ingentes in Turcam apparatus redacti in nihilum. Bellum male gestum.

LXXVII. Ineunte quidem anno Gonsalvus a Ferdinando Rege Hispanæ classi præfectus, eum post expugnatam Cephaleniam insulam rogaretur a Venetis, ut vires ad Methonem recuperandam conjungeret, justis precibus non assensit (c), siquidem a Turcis in Neapolitanos arma vertere jussum refert Surita: regia vero imperia occuluit, pollicitus (d) apperente vere, cum exercitum in Sicilia refecisset, rediturum ad Græciæ littora: verum promissis non stetit, Veneto vero solo Turcicæ potentiæ impare Camalis Bajazethis præfectus Juncum arcem munitissimam in Peloponeso antea a Venetis captam vi expugnavit, tum etiam Dyrrachium (e) in ora Macedoniæ aliæ Turcicæ copiæ occupavere.

(c) *Sur. to. 5. l. 4. c. 33.*

Gonsalvus deserit Venetos.

(d) *Petr. Card. Bemb. hist. Ven. l. 5.*

Juncus a Turcis eripitur Venetis. Et Dyrrachium.

(e) *Id. ib. Sabell. enn. 11. l. 1. & alii.*

LXXVIII. Hujus cladis fama cum ad Pontificem pervenisset, is Christianos Reges ad vires in communem hostem conjungendas solicitavit, exposuit quæ Turcarum in Venetos impetus, Methonem & Coronem vi expugnaras, ac recenter captum Dyrrachium: tum frequentes in Hungariam, in Poloniam, in Illyricum factas excursiones, fideles ad Christum deserendum suppliciis adactos: ne vero sumptus ad sacrum bellum deessent, triennales sacerdotiorum decumas Lusitano Regi, qui sacræ expeditionis suscipiendæ studium præ se ferebat, attribuit (f).

(f) *L. 2. ep. secr. p. 119.*

*Ad futuram rei memoriam.*

*Cum perfidissimi Turchi Christi nominis hostes Christianum sanguinem sitientes, ac omni conatu Christianorum terras atque dominia suæ tyrannidi & spurcissimæ sectæ subjicere quærentes non cessent continue: validissimam classem maritimam, maximumque terrestrem exercitum ad expugnandum statum, terras, atque dominia dilectorum filiorum nobilium virorum Augustini Barbadico ducis & dominii Venetiarum instruxerint, diversaque civitatum incendia effecerint, & multa millia animarum abduxerint, ac in miserabilem servitutem redegerint, villasque & loca plurima igne ferroque vastaverint, ac tandem Neopactum & Methonen & Coronen, & nuper Dyrrachium civitates, aliaque oppida & loca maritima circumvicina munitissima vi & armis multitudine vincentes ceperint, Christianis omnibus etiam ecclesiasticis & religiosis utriusque sexus, etiam pontificali dignitate præditis, ac prægnantibus crudelissime cæsis & interfectis, & aliis in durissimam servitutem redactis, templis Salvatoris nostri pollutis, ac dirutis, ac suum malum & iniquum propositum continue serventius prosequentes, & nihil aliud omni tempore quærentes & excogitantes, quam omnia Christianorum dominia suæ tyrannidi & damnatæ sectæ subjicere, & legem Christianam subvertere, ac omnia maritima loca atque portus Christianorum occupare, ut eis deinde facilius ad ejusdem Romanæ ecclesiæ terras, & præsertim ad hanc almam urbem nostram, in qua Petri sedes est collocata, & qua [ quod Deus avertat ] expugnata totius orbis imperium facile obtinere posse non dubitant, pateat accessus, & nisi celeriter occurratur, prout res expostulat, formidandum sit ne ipsi perfidissimi Turchi victoriæ superbia elati irreparabilia damna inferant Christianis, prout jam superioribus annis in diversis terris atque locis Germaniæ, Hungariæ, Poloniæ, Croatiæ, & aliis finitimis, ac charissimo in Christo filio nostro Maximiliano Romanorum Regi illustri subjectis inferre non cessarunt in maximam divinæ majestatis offensam, nostram & catholicorum Regum & principum, aliorumque Christifidelium ignominiam, dedecus, & jacturam: nos illius vices gerentes in terris, qui pro mundi salute de summo cælorum solio ad ima descendens carnem humanam assumere, & mortem*

Urbes captæ a Turcis.

Ingentes eorum grassationes.

subi-

*subire non abhorruit, repetentes animo non sine magna cordis amaritudine quot sacratissimæ patriarchales, metropolitanæ, cathedrales, aliæque insignes ecclesiæ pene innumeræ, ac utriusque sexus regularium personarum monasteria, cœnobia, & pia loca profanata & deformi ruinæ subiecta, quodque ornamenta, cruces, & calices, aliaque divinis deputata mysteriis conflata & destructa, ac [ quod lamentabilius est ] sanctorum veneranda corpora, & ipsorum sacræ reliquiæ conculcata, ac quot innumeri sexus utriusque Christifideles ad damnatam Mahometanam sectam sub dira servitute recipiendam compulsi fuerunt, & nisi per catholicos Reges & principes tantæ insamiæ, tantoque furori celeriter occurratur, majora in dies detrimenta verisimiliter proventura, ac cupientes pro ejusdem fidei defensione, & Christianorum salute, non solum nostræ & sedis Apostolicæ facultates nostræ dispositioni commissas exponere, sed si opus fuerit, proprium sanguinem effundere. Et quoniam ad tantam rei molem perferendam nostræ & ejusdem Romanæ ecclesiæ non suppetunt facultates, volentes pro viribus huic sanctissimo operi, quantum nobis ex alto permittitur intendere, matura deliberatione præhabita de venerabilium fratrum nostrorum archiepiscoporum, episcoporum, & dilectorum electorum, administratorum, abbatum, priorum, præpositorum, prælatorum, capitulorum, conventuum, & cleri civitatum, diœcesum, & terrarum, ac castrorum, & locorum omnium charissimo in Christo filio nostro Emmanueli Portugalliæ & Algarbiorum Regi illustri mediate vel immediate subjectorum, & sub ipsius dominio & ditione consistentium assensu, sumentes in Domino fiduciam specialem, tres decimas omnium & singulorum fructuum,* & infra, *in præmissum fidei tam commune tam sanctum, tamque pernecessarium opus, videlicet contra ipsos perfidissimos Turcos, & non in alios usus, omnino convertendos apostolica authoritate, & ex certa scientia nostra tenore præsentium per triennium a data præsentium computandum, imponimus, &c. Ne vero sacrum illud aurum in alios usus, quam in sacræ contra Turcos militiæ sumptus averteretur, nonnullæ leges additæ sunt, ne qua fraus & avara manus irreperet. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MDI. x. Kal. novembris pontificatus nostri anno x.*

Fideles ad apostasiam vi coacti.

Decumæ tres Lusitano Regi pro sumptibus attributæ.

LXXIX. Instruxit quidem Lusitanus Rex classem, sed eam non in Turcas, sed in Afros immittere statuit, cujus consilia promovere Alexander enisus (a) est. Ferdinandus vero & Elisabeth Castellæ Reges cum subacto Granatensi regno magnam Maurorum multitudinem ad Christi cultum pellexissent, alii in perfidia obfirmati in munitiora natura vel opere loca se recepere, ut rebellionem facerent: quorum nefarios conatus mox Ferdinandus infregit, propagandæque fidei eximiam operam dedit. Cum vero antea Mauri suo Regi vel aliis regulis decumas pendere solerent, Pontifex sanxit (b), ut Christianis sacris initiati tertiam ecclesiasticarum decumarum partem tantum solverent.

(a) L. 2. secr. p. 117.

(b) L. 5. bull. secr. p. 3.

*Alexander, &c. Ferdinando Catholico & Elizabethæ Hispaniarum Regibus.*

*Alexander, &c. Cum post regni Granatæ recuperationem opera, studio, & diligentia vestris multa millia ipsorum infidelium etiam divino quodam miraculo ad fidem catholicam conversa fuissent, & deinde cum plura alia millia infidelium eorundem, qui forsan conversionem ipsam ægre ferebant, a fide & devotione nostra defecissent, seque ad loca munitissima dicti regni Granatæ recepissent, volentes, quantum in eis erat, pro viribus in sua rebellione perseverare, vos sine prorsus intermissione, ne res ulterius progrederetur, maximo parato exercitu, illos denuo cum manu armata subjugaveritis, & ut animarum salus eo amplius procuraretur intendebatis, omnem operam, omne studium, ac omnem diligentiam more catholicorum Regum, & principum adhibere, quo reliqui dicti regni Granatæ infideles ad ipsam catholicam fidem converterentur, & de cætero in ipso regno Granatæ, nomine Mahometi abjecto, solum coleretur, ac veneraretur Altissimus, ac fides ipsa catholica exaltaretur: & quia decima pars omnium, quæ a Mauris, dum in sua perfida secta permanerent, colligebatur, locorum dominis persolvebatur, & tam vobis ac successoribus vestris quam aliis in dicto regno Granatæ dominium a vobis temporale habentibus valde dispendiosum foret, si ipsis infidelibus ad fidem reductis tam vos & successores, quam alii domini temporales præfati decima prædicta in totum carere debeatis, quod si fieret non sine maximo damno & incommodo vestro, impensas pro conservatione & manutentione dicti regni Granatæ continue de necessitate faciendas perferre possetis, desiderabatis tam vos & successores vestros, quam alios inibi dominos temporales præfatos, saltem duas partes decimarum hujusmodi illorum, qui ex tunc de cætero ad ipsam catholicam fidem converterentur, in dicto regno Granatæ percipere posse, reliqua tertia parte dictarum decimarum ecclesiis inibi construendis & ædificandis, vel jam constructis & ædificatis, quibus*

Pia Regum Hisp. studia pro restituendo Granatæ Christi cultu.

Duæ partes decumarum iis attributæ.

*bur decimæ de jure deberentur, pro illarum dote salva remanente, &c.* Subdit Alexander se Regis postulatis annuisse: verum postea novas subortas lites de illa tertia decumarum parte, ad quas abscindendas eam Regi & toparchis ita attribuit, ut ecclesias construant, & vectigalibus ad sacerdotes sustentandos donent. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno MDI. id. julii pontificatus nostri anno* IX.

LXXX. Propositum deinde Alexandro fuit inter neophytos & veteres Christianos graves offensiones concitari, quod ob decumarum solutionem neophytis obiiceretur, eos ex Maurica stirpe genus ducere: ad quas dissensiones sedandas Ferdinandi & Elisabeth gratia sanxit (a) Alexander, ut universi in regno Granatensi decumas Hispaniæ Regibus pro regno a barbaricis irruptionibus tuendo penderent.

*(a) Ib. p.* 247.

Sublata inter Neophytus & veteres Christianos controversia.

Furebant ira plerique Mauri perfidi Christianam religionem fœliciter propagari, seque ad Babylonis & Ægypti sultanum contulere, ut illum ad inferendum Hispaniæ & Africæ bellum incitarent, cum Ferdinandus Rex Petrum Martyrem pattia Mediolanensem, qui ipsi a secretis erat, gerendarum rerum peritia & ingenio clarum, ut barbari apostatæ iras demulceret, atque Ægyptias res exploraret misit. Qui de gesta a se legatione commentarios edidit, ac de Mameluchis fidei Christianæ desertoribus, qui Saracenis imperabant, hæc proximo anno scripsit (b): *Mameluchi ex Christianis deliguntur. Hi Mahometi sectam, abnegato Christo, divitiarum & imperii cupiditate pellecti, amplectuntur. Ex alia gente ulla censent neminem, a Judæis namque fieri quenquam Mameluchum vetant, quoniam dolosos esse & capiendis armis minime aptos Judæos putant, ex Mahometicæ quoque legis viro aut fœmina genitos in Mameluchos conscribere præ timore recusant, atque id apud ipsos suis decretis & consuetudine tantum invaluit, ut neque proprios filios, quoniam ab ipsis postquam Mahometici effecti, aut ex Mahometica muliere orti sunt, armis instruere, vel ad honores & magistratus evocare liceat, fas est tamen pecunias, domos, supellectilia quæque, aut prædia natis legare. Ex Mameluchis proceres, ex proceribus soldani creantur: quare quonam pacto a Christianis hoc genus hominum originem trahat, quantave cum nostræ religionis ignominia, opprobrio, & dedecore hi barbari dominentur, catholici principes jam colligere potestis. Expergiscimini aliquando, & rem Christianam capessite, non deerit sibi Christus, &c. Ex urbe Alexandria Ægyptia* IV. *non. aprilis MDII.*

Mameluchi qui fuerint.

*(b) Petr. Mar. l. 3. legat. Babylon.*

Ex iis proceres Regesque creari soliti.

His difficultatibus impliciti Veneti Petrum Paschalicum in Lusitaniam ac Franciscum Capellum in Angliam legarunt, ut eos Reges ad mittendas subsidiarias classes inducerent: tum Pisaurius Venetæ classis præfectus in Apuliam venit, ut socias Gallorum & Hispanorum classes ad Turcas obterendos adhortaretur. Cæterum Anglus se non movit, Lusitanus classem viginti novem navium tormentis bellicis egregie munitam misit, cujus præfectus cum ad recuperandum Dyrrachium, oppugnandamve S. Mauram rogaretur, negavit missum se ad obsidendas arces, sed ad ineunda prælia cum Turcica classe, atque ita nulla re gesta Lusitaniam repetiit (c): pontificia non comparuit, jactataque ab Alexandro spes quindecim triremes instructas evanuit, Ferdinandi vero Regis Hispaniarum classis in Apuliæ & Calabriæ arcibus occupandis muniendisve districta assidue fuit: Gallica denique pars, octo nempe triremium, cui Philippus Ravenstenii regulus præerat, affecto anno Mitylenem oppugnavit, sed irrito labore. Cæterum malæ gestæ rei culpam Veneti (d) in Gallos, & ii (e) in Venetos coniiciunt. Facti porro seorsim ab utrisque in mœnia impetus fracti fuere, qui conjuncti victuri existimabantur. Ab oppugnatione itaque cessavere, ac Philippus Ravenstenii Gallicæ classis præfectus frustra rogantibus Venetis (f) discessit, cum Rhodia classis Petro Aubusson Cardinale duce & sedis Apostolicæ legato optime munita adventaret, ac jam præmissa Liburnica certissimum ejus rei nuntium attulisset. Agit pluribus de his Bosius, affertque Philippi Ravenstenii, de quo paulo ante memoravi, literas ex Mytilenæis castris XXVI. octobris ad Rhodium principem datas, quibus significat tentatam frustra impetu urbem, & Christianam classem ex triginta octo longis navibus scilicet Venetis triginta, & octo Gallicis conflatam: inanes autem ab Alexandro de classe pontificia ostensas spes, comparatasque ab eo duas tantum naves majoris alvei, quas notho filio ad Plumbinum oppugnandum concesserit: Denique urget, ut Rhodiam classem quamprimum Lesbo insulæ admoveat. LXXXI.

*(c) Bemb. hist. Ven. l.6.*

Hispana classis in Apuliæ & Calabriæ arcibus expugnandis occupata.

*(d) Id. ib. & Sabell. ennead.* 11.

*(e) Ferron. l.3. in Lud. XII.*

Mytilene frustra a Gallis tentata.

*(f) Bosius hist. equit. Hier. p.2. l.16.*

Adveniente legato discedunt Galli.

Affert etiam author (g) alias Pisaurii Venetæ classis præfecti ex portu Mitylenæo die decima tertia novembris datas ad Petrum Aubussonium legatum Cardinalem literas, quibus certiorem eum facit Philippum Ravenstenium in Mitylenæum portum non collato militari consilio invectum esse; cumque eum in ea expeditione esset secutus, inconsultis Venetis bis obsidionem solvisse, jamque redi- LXXXII.

*(g) Id. Bos. l.16.*

Classis Christiana vires non conjungit.

ditum adornare : se vero in Smyrnæum sinum adversus Camalim Turcarum præfectum vela facturum, indeque insulam Chio repetiturum, eumque admonoit ut classes conjungi possent. Quod ad promissas ab Alexandro Pontifice qoindecim ttiremes attineret, nollas ab eo instructas fuisse, cujus rei causa illnm lateat : Hispanam classem circa Tarentum stare in anchoris, Lusitaoam, postquam exeonte sepeembri ad Corcyram Venetæ se adjunxisset, contendisse, non posse amplius in oriente versari, ac discessisse.

Promissæ ab Alex. ttiremes non instructæ.

LXXXIII. Interea Rhodiorum equitom princeps Cardinalis, ac legatus apostolicus, qui parandæ classi eo majorem, quo deerat pontificia, operam navarat, triginta sex navibus instructis e Rhodio portu solvit (a) vigesima novembris die Mytilenem petiturus, ac Philippum Gallicæ classis præfectom hortatus est, ne tantum Gallico nomini dedecus abitione illa turpi ae repentina inureret : sed is antequam accipere mandata posset in altum vela fecerat, cujus prætoria navis cum duabus aliis naufragio (b) ac octingentis fortibos viris periit. Ipse cum quadraginta aliis præter spem evasit. Ad Parum vero insulam Rhodia & Veneta classes ubi occurrere, legatus apostolicus plutima de instaurando bello proximo vere cum Pisaurio consilia militaria agitavit. Ita nulla re gesta magna cum turpitudinis nota, magnoque damno dissoluta hujus anni expeditio, quam adulta æstare cœptam parum profututam legatus in literis (c) ad Pontificem missis conjecerat, eundemque ac fœderatos Reges hortatus fuerat, ut ipsorum classes in oriente hyemare juberent, ac stipendia aliaque necessaria statis temporibus solvenda curarent, ne proximo anno in cogenda classe frustra tempus tereretur, reique egregiæ gerendæ occasio amitteretur, quæ monita incassum ivere. Præterea illos solicitarat (d), ut Wladislaum Hungariæ Regem ad irruptiones in Turcicum imperiom faciendas concitarent, ut simol Bajazethes terrestri maritimoque bello distractus in altera vel utraque parte succumberet, qood consilium Pontifex Venetique laudaverant, ad illumque annua stipendia submiserant.

(a) Id. Bos. sup. l.15.

Quanta classis a legato comparata.

Gallica turpiter discedit. Passa naufragium.

(b) Sabel. enn.11. l. 1. Petr. Bemb. Card. l.6.

Nulla re gesta expeditio dissoluta.

(c) Ext. apud Bos. l.15.

(d) Id. ib.

Solicitatus Ungaros ut in Bajazethem moveat.

LXXXIV. Quod ad Hungarorum in Turcas expeditionem attinet; perculsus illius rerrore Bajazethes maritimum bellum intermisit, viresque in Hungatos convertit, quippe non expectata eotum in imperium Turcicum irruptione Pannoniam trajecto Danubio invasit (e): quem Hungari fortiter exceperunt suderuntque, duobos equitum millibus confosshs [1]. Itaque ad fluvium traiiciendum resiliere Turcæ, sed iterum ab Hungaris in ripa fluminis magna strage accepta deleti fuerunt, cæsusque inter alios eorum dux ducisque filius. Meditatum etiam Joannem Albertum Poloniæ Regem cum Hungaris arma conjungere in Turcas, misisseque oratorem, ut Alexandrum Pontificem in communem hostem Christiani nominis accenderet, sociasque Sarmaticas vires ei polliceretur, refert Sabellicus (f), acceptam enim in Walachia triennio ante ignominiam ipsum eluere voluisse : verum pia illa consilia (si vera tamen extitere, nam inducias cum Bajazethe pepigisse refert Cromerus) (g) mors repentina oppressit (h), siquidem apoplexia eum periisse refert Ctomerus (i). Certatum mox est de successote designando in poblicis comitiis, atque a pluribus maxime minoris ordinis Wladislaus Hungariæ & Bohemiæ Rex ad solium Polonicum vocabatur, ut conjunctis tribus regnis auctior viribus, Turcas Tartarosqoe contunderet : at deinde aliotum hortatu suffragia ad Alexandrum Lituaniæ ducem conversa, ot iterum Lituania cum Polonia coalesceret. Itaque Alexander duodecima decembris die a fratre Friderico Cardinale in Cracoviensi ecclesia solemni ritu oleo sacro inunctus & corona redimitus est, quod æquo animo tulit Wladislaus, delatumque fratri sceptrum gratulatus est.

Turca Hungaros occupat.

(e) Petr. Bemb. hist. Ven. l.6.

Propulsatur fortiter.

Polonus vires jungere in Turcas pollicitus.

(f) Sabell. enn. 11. l 1.

Alberti Regis obitus.

(g) Crom. l.30.

(h) Mich. l.4. c. 79.

(i) Crom. eod.l.30.

Alex. Lithuaniæ dux ad sceptrum Polon. vocatus.

Hoc anno mense majo Emmanuel Lusitaniæ Rex trium navium classem præfecto Americo (k) Vesputio Florentino misit ad lustrandum novum orbem, cum anno superiori a Petro Alnaro Caprali Brasilia inventa esset. Qui vero tam præclarum arduumque laborem suscepit edidit de sua navigatione libellum inscriptione novi orbis insignitum, quem ex Hispano idiomate Archangelus Madtignanus monachus Claravallensis in Latinum traduxit. Is consutata vetetum sententia, qui LXXXV.

Missa classis a Lusitano ad lustrandum novum orbem.

(k) Franc. Poch. in elogus Flor. insign. ex lit. Americ. ad Petrum Soderin.

NOTÆ [1] Præter hos belli casus adversos quos res Christiana hoc anno Turcas pertulit, aliam pariter Turcarum de Christianis victoriam celebrant annales Turcici Hagi Halife Mustafa quos Rainaldus Carli Justinopolitanus Italice vertit; in illis enim ad annum egiræ 906. qui hoc anno die XVII. junii absolvitur adnotatur cœpisse apud Turcas vectigal, quod *Avaris* appellant; iniunctumque singulis pagis tributi loco tantum militum solvere, quantum sat esset militaribus ordinibus augendis, ut obsessæ armis Christianis Mitilinensi urbi provideri posset. Tum vero additur ibidem eo ipso anno Turcas arcem Loza in Bosnensi provincia deditione cœpisse. Mansi

qui nullas ultra æquatorem terras patere, vel incultas eſſe arbitrabantur, addit (*a*): *Ultra æquatorem nactus ſum ego cultiores, eaſdemque habitatoribus frequentiores, quam alibi gentium uſquam comperi, ſi Aſiam, ſi Europam, ſi Africamve ſpectaveris*. Quantos vero labores in vaſtiſſimo mari ſulcando tolerarit, deſcribit ipſe, tribuendumque omnino eſt divinæ providentiæ tantas fuiſſe difficultates ſuperatas, quo evangelica doctrina ad barbaros toto ſubmotos Oceano penetraret:

(a) Itiner. c. 115. Ultra æquatorem cultiſſimæ populis repertæ terræ.

Iter Luſitanorum in orbem novum.

*Ab Uliſbona*, inquit, *XIII. maii MDI. ſolvimus juſſu Regis tribus liburnicis expeditis profecti ſumus quæſitum novum orbem, & verſus Auſtrum iter agentes viginti menſibus adnavigavimus; cujus quidem navigationis ſeriem primo explicabimus. Hunc igitur ordinem navigando ſervavimus, nam per inſulas Fortunatas iter egimus, quæ nunc magnæ Canariæ appellantur, hæ enim ſunt in climate tertio in parte extrema habitati occidentis. Inde ſulcantes Oceanum littora Africæ, Nigritarumque gradu citato percurrimus uſque ad id promontorium, quod Ptolemæus appellat Æthiopum, noſtri vero Caput viride, Æthiopes autem Biſecherem, & accolæ Mandangam, & ea regio eſt intra zonam exuſtam gradibus quatuordecim verſus Aquilonem, quam Nigritæ incolunt. Ibi reſumptis viribus, & communita omni genere annonæ claſſe, ſublatis anchoris, ventis vela dedimus iter noſtrum dirigentes verſus polum antarthicum, nonnihil tamen ad occidentalem declinantes euro flante, nec prius tellus conſpecta eſt, quam jugi navigatione tribus menſibus ac diebus totidem vaſtiſſima æquora ſulcaverimus. In qua navigatione, quæ diſcrimina ſubierimus, quæ vitæ pericula, quas animi anxietates, interturbationes, naufragia, quotieſve vitam pertæſi fuerimus noſtram, id multarum rerum ſciis judicandum relinquo, & eis in primis, qui optime norunt quam ſit arduum incomperta quærere, & adire inacceſſa, qui vero hæc neſciunt rerum expertes, hujus rei judices eſſe minime volo, & ut paucis multa comprehendam, id ſciant nos adnavigaſſe ſexaginta ſeptem diebus, quibus fortuna pertinax atrox ſæviebat, nam quadraginta quatuor diebus reboante cælo nihil niſi tonitrua, fulgura, ac coruſcationes, imbres graviſſimos paſſi ſumus, adeoque tenebricoſa nebula cælum inumbraverat, ut interdiu noctuque non aliter videremus, quam cum minime luna pernox eſt, non atris tenebris obfuſcatur, propterea adeo nos timor mortis inceſſerat, ut vitam prope deſpondiſſe videremur.*

Inita horrenda pericula in ea navigatione.

*Poſt hæc vero tam ſæva tamque atrocia complacitum aliquando Deo fuit vitæ compati noſtræ [quæ ſua fuit clementia] mox tellus apparuit; qua viſa animi, qui ceciderant elanguerantque, condicto rediere ad ſe, ut uſu venit ſuperantibus calamitates maximas, & præcipue ereptis de fortunæ reſtantis faucibus. Igitur ſeptimo auguſti MDI. in littore ejus regionis jecimus anchoram, dantes Deo gratias, quas poteramus, maximas, ritu ſolemni & Chriſtiano more ſolemnia miſſarum celebrari juſſimus, tellus reperta viſa eſt non inſula, ſed continens, quandoquidem in vaſtum protendebatur, nec finis apparebat quiſpiam, cultaque erat admodum ac habitatore multiplici per quam frequens, inibique animalia fere omne genus ſilveſtria, quæ huic orbi noſtro ſunt prorſus incognita. Nacti ſumus etiam ibi alia pleraque, quorum de induſtria non meminimus, ne ſurgat opus in iliada magnam. Id ſolum haud prætereundum puto, quod Dei clementia adjuti opportune tellus viſa eſt a nobis, nam diutius ferre nequibamus deficientibus commeatibus omnibus, lignis videlicet & aqua, nautico pane, ſalitis carnibus, caſeo, vino, oleo, & quod plus eſt vigore animi. Igitur Deo quod vivimus referimus acceptum, cui honos eſt & gloria & gratiarum actio.*

Celebrata Chriſti ſacra in continenti Americæ.

LXXXVI. Diſtare eum continentem ſeptingentis leucis ait author, tellurisque ſitum ita deſignat (*b*): *Is continens auſpicatur ultra æquinoctialem lineam gradibus octo verſus polum antarthicum, & tamdiu ſecus hoc littus navigavimus, donec ſuperato tropico hyemali prope polum antarcticum gradibus XVII. & medio applicuimus, ubi elevatum orizontem habent gradibus quinquaginta*. Fieri pluries cœpere cum accolis commercia, quorum mores deſcribens plura allatis anno ſuperiori conſentanea affert: *Frequentior eſt*, inquit (*c*), *hæc regio cunctis, quas unquam viderim, regionibus, nam videtur innumera*. Et infra: *Id genus hominum cicuratum eſt admodum & manſuefactum, & nemini noxium. Nudi prorſus incedunt uti eos parens natura peperit, nudi naſcuntur, nudi rurſus moriuntur. Corpora habent habiliſſima, utpote facta ad ſymmetriam, ſymmetrica dici jure poſſunt, colore ad rubedinem inclinante, id efficit candens ſydus, quod non difficulter torret nudos homines, capillos habent nigros, ſed promiſſos, inceſſu & ludis agiles ſunt quam maxime, facie ſunt perquam liberali ac venuſta niſi ipſi eam deformarent dehoneſtamento fere incredibili, nam terebratam perforatamque faciem circumferunt, videlicet genas, maxillas, nares, labra, aures, neque foramine mediocri aut uno, ſed ma-*

Quantum diſtet continens Americæ.

(b) Id. c. 116.

(c) Cap. 117.

Americanorum ultra Æquatorem forma.

gnis

Deformata arte ab iis facies.

*gnis compluribusque, nam vidi quandoque quempiam septem foramina in facie habentem, quæ singula capacia erant pruni unius damasceni, dempta itaque carne hæc opplent lapillis quibusdam cæruleis, marmoreis, aut christallinis, vel ex alabastro pulcherrimis, aut ebore vel ossibus candidissimis more suo arte non inepta fabrefactis elaboratisque, quæ res adeo est insolens & turpis, ut monstrum prima facie præ se ferat, homo videlicet, qui gemmatam faciem circumfert terebratus foramine multiplici: &, si credere dignum est, lapides septem in facie habens, qui singuli medii palmi magnitudinem superant, nemo est profecto, qui non admiretur, cum præsertim anima attentiore apud se hæc tam prodigiosa expenderis, vera tamen sunt, nam ego aliquando observavi dictos septem lapides pondo fere unciarum sexdecim. Inaures & ipsi ferunt pretiosiores, videlicet annulos appensos aut baccas pensiles more Ægyptiorum Indorumque: hunc morem viri tantum servant, at mulieres solum ferunt inaures*. Et infra.

LXXXVII. Omnia apud eos communia.

*Apud eos nulla sunt peculia, communia sunt omnia, Regem non habent, nec imperium, unusquisque sibi ipsi Rex est. Tot ducunt uxores, quot libuerit, in promiscuum coeunt nulla sanguinis ratione habita, cum matre filius, & frater cum sorore coeunt, libidinem passim exercent instar brutorum animalium, nam ubique & cum quavis muliere etiam sibi forte obvia rem peragunt veneream.* Sine lege, sine Deo vivunt. *Dirimunt etiam pro arbitratu conjugia, quoniam exleges sunt, & ab jure sunt extorres. Templa non habent nec legem, minusque idola colunt. Quid plura? perniciosam habent quandam vivendi libertatem, quæ epicureis potius, quam stoicis quadrat. Commercia non exercent, pecuniam nesciunt, invicem tamen diffident, prælianturque atrociter, sed ordine nullo. Juvenes senes concione flectunt, trahuntque in eorum sententiam, & quocumque libuerit accenduntque ad bella, quibus hostes conficiunt, quos subegerint profligaverintve hostes in cibatu habent gratissimos.* Vescuntur humana carne. *Carne vescuntur humana adeo, ut pater filios epuletur, & vicissim nati parentem, prout sors tulerit & eventus. Vidi ego quemdam perditissimum hominem, qui pro gloria non mediocri jactabat se edidisse supra trecentos viros. Vi etiam urbem quandam, ubi immoratus sum diebus fere viginti septem, & ibi contignationibus humanas carnes, easdemque salitas pensiles vidi, uti nos carnes aprugnas sale vel fumo siccatas appendimus in culinæ trabibus, & in primis insitia & id genus alia, immo mirabantur plurimum quod nos non vesceremur hostibus*. Et infra: *Hos nixi sumus pluries velle trahere in nostram sententiam, persuadebant usque identidem, ut tandem aliquando ab his improbatis moribus veluti ab re abbominanda temperarent, quin nobis sæpenumero polliciti sunt se temperaturos ab hac sævitia*. Et infra: *Annis vivunt centum & quinquaginta: raro ægrotant, quod si forte in morbos inciderint, sibi herbarum succo medentur protinus. Hæc sunt quæ apud eos comperi non obscura, videlicet aeris temperiem, cæli clementiam, solum ferax, longam ætatem*.

LXXXVIII. (a) Eod. cap. 117. 118. 120. Visa in polo antarctico incognita sydera.

Addit author (*a*) regionem esse amœnam adeo, ut paradisum terrestrem adumbret, intercisam fluminibus, fontibus scatentibus colliculis variegatam, piscium, avium, animalium, frugiferarum arborum, herbarumque saluberrimarum, omni genere affluentem, feracem auri, margaritarumque; euro salubri perflatam, incognitis nobis syderibus, quorum viginti nostrates stellas, quibus jovis venerisque nomina veteres indidere, nitore & magnitudine æquant, collustratam, tum narrationem concludit: *Hæc sunt quæ in hac ultima navigatione scitu digna censui, quæ etiam oculis subjeci, nec abs re opus nuncupavi diem tertium, quandoquidem prius edidi libros alios duos ejus navigationis, quam ex præcepto Regis perfeci occidentem versus, inque eis complura scitu non indigna consignantissime sunt enarata, & ea in primis quæ spectant ad gloriam nostri Servatoris, qui hanc orbis machinam miro extruxit artificio, quis enim satis pro meritis digne Deum laudare possit, cujus mirabilia commemoravi in opere prædicto?*

LXXXIX. Insula Conceptionis inventa.

Dum novus orbis, qui interjecto mari ad occidentem patet versus polum antarcticum Emmanuelis Regis Lusitaniæ auspiciis lustrabatur ab Americo, Rex ipse de Petri Alvari Capralis mora anxius classem quatuor navium præfecto Joanne Novio in Indiam misit ineunte martio, a quo insula in medio Oceano inventa (*b*) est, cui Conceptionis Virginis nomen impositum, intentoque in Indos cursu de Zamorini insidiis Caprali comparis certior est factus, utque illo ab hostili classe petitus, vela in Lusitaniam tendisset, paulo post in Cananoris portu a Malabarum Imperatoris classe octuaginta navium circumfusus est; sed divina fretus ope, displosisque tormentis bellicis barbaricam classem disjecit, paronibus novem, onerariisque decem depressis, nec non quadringentis Mauris vel Malabaribus cæsis, adeo ut Calecutium cognita ea clade luctu completum fuerit, Christianique nominis gloria late in oriente personuerit.

(*b*) *Jo. Barrof. l. 5. c. 10. Osor. l. 2. Maff. l. 2.*

Parta a Lusit. de Zamorino victoria.

Re-

Insula S. Helenæ inventa ad æquationem accommoda.

Redeunti Olisſiponem Bonæque ſpei promontorium tranſvecto inſula apparuit, cui S. Helenæ, cujus tum dies natalis agebatur, nomen dedit, ea vero modico eſt circuitu, ſed ſaluberrimo cœlo, aquarum, frugum, lignorum, carniumque abundantia affluens, locoque ita opportuno, ut a divina providentia tanquam navigantium e Luſitania in Indiam hoſpitium conſtituta cœleſti munere videatur.

XC.

Reperti in Indiis Chriſtiani qui doctrinam S. Thomæ retinuerant.

(a) Id. Barr. l. 5. c. 8.

(b) Itinerar. Portugall. c. 129.

Statua trifrons culta ab Indis.

Quod vero ad Petrum Alvarum Capralem, de quo memoratum eſt attinet; cum ille ineunte anno Cocimi aromatibus naves oneraret, ad eum ex urbe Cranganoris non procul diſſita Chriſtiani plures, qui doctrinam cœleſtem Apoſtoli Thomæ etiam tum retinuerant, confluxere (a): Ex quibus duo in occidente cum Luſitanis trajicere peroptarunt, ut Apoſtolorum Petri & Pauli limina, nec non dominicum ſepulchrum religioſe luſtrarent; ii vero de Indorum gentilium inſana ſuperſtitione hæc narrarunt (b): *Priva habent delubra, mulieres vero alia templa habent, quæ non adeunt viri: dant Deo bonorum ſuorum loco primitiarum fruges multi juges: adorant Deum cæli, eumque Trinum credunt, propterea trifrontem pingunt in ſtatuis complicatis manibus: Tambram nuncupant. Ante eorum ſtatuas trahuntur plagæ, nos cortinas appellamus, ex lino candidiſſimo, hæ referantur dum ſacrificant, ſicuti latius in ſequentibus referemus. Habent etiamnum ſtatuas animalium varias, verum eas minime colunt. Quando delubra adeunt, alii frontem terra cooperiunt, aqua alii aſpergunt, ter in die viſunt templa, mane, meridie & veſpere. Sacrificant hoc modo, convocant plebem buccinatores, cornicines, & choraulæ, nonnulli, ut nos, campano ære, & tantiſper concentum efficiunt, donec magnus eorum ſacerdos adventaverit, qui indutus veſte neſcio qua ſacerdotali aſtat altari, & canere quædam incipit: ad cultum divinum pertinentia: orationes nos appellamus, mox ſubſequitur alius ſacerdos cantans & ipſe nonnulla, his populus reſpondet omnis, uſque tertio hæc fiunt. Demum peractis his egreditur ſacerdos quadam porta nudus totus, habens pro corona ſertum roſarum in capite, duoque magna lumina, totidemque cornua fictitia, in manibus gerit enſes duos denudatos, & gradu citato veluti limphatus quiſpiam verſus eorum Deum currit, cortinamque mox reſerat, & enſem alterum magno ſacerdoti porrigit, altero vero ſeipſum compluſculis conſauciat vulneribus, & ubi ſe prope confecit plagis innumeris, illic proſilit in rogum ardentiſſimum, ibi excompoſito paratum, in eoque ſaltat more tripudiantium & chorizantium. Evadit tandem rogum, torviſſimiſque oculis dicit ſe eſſe locutum cum Deo ſuo, taliaque mandaviſſe, & tunc quaſi a Deo accepta perſona incipit docere populum. Sunt & alia complura ſacrificia.* Et infra: *Rex* (c) *gentilium colit idola, & complures habet conjuges, quibus nullus eſt pudor*. Et infra: *Ubi functi ſunt vita, concremantur, at eorum mulieres per octiduum tantum ſupervivunt, demum ut in memoriam virorum & ipſæ concremantur vivæ*. Hæc de ethnicorum moribus: at de Chriſtianis, qui in India verſabantur & Armenicum ritum ſervant, ſubdit.

Gentilium Indor. ſuperſtitio ſanguine dæmonem placantium.

(c) Cap. 132.

Mulieres cum Rege defuncto concremantur.

XCI.

*Chriſtiani ibi delubra habent noſtris non abſimilia, verum ſolas cruces inibi videbis, nullas habent ſanctorum imagines, concamerata ſunt, ut noſtra, inque eorum crepidine crux viſitur pergrandis, ut eſt videre apud nos. Tintinnabula habent nulla, quando vocant populum ad divina, ſervant morem Græcorum: hi populi habent magnum antiſtitem, cui adſtant Cardinales duodecim, patriarchæ duo, archiepiſcopi vero & epiſcopi complures. Referebat propterea dictus Joſeph cum quodam epiſcopo ſolviſſe ab urbe Caranganora, & conſcenſis ratibus iviſſe ad inſulam Ornum, quæ abeſt ab Caranganora milliaribus fere mille & quingentis & inde petiit mediterranea itinere trium menſium una cum epiſcopo memorato pervenit in Armeniam majorem, ut conſalutarent reverentiſſime ſuum magnum pontificem, a quo epiſcopus dictus initiatus ſacris, Joſephque memoratus ad ſacerdotis gradum promotus itidem agunt Chriſtiani omnes Indi & regni Cataiis, eorum pontifex catholicos dicitur, fertque tonſuram inſtar crucis, præficit patriarchas ſuos, ut dictum eſt, alterum in India, in Catajo alterum, alios vero epiſcopos alio mittit, prout expedire viſum fuerit.*

Catholicos in majore Armenia degit.

I. Disceptatum an Indica res abiicienda foret. (a) Jo. Bar. l.6. c.1.

ANno excurrentis sæculi secundo quinta indictione Emmanuel Lusitaniæ Rex (a) infragili animo, quamvis quatuor navium in mari mersarum jactura plures terrerentur, censerentque longinquas Indicas oras non adeundas, Indiarum tamen imperium ornata validissima classe sibi comparare constituit ut Christi evangelium in iis vastissimis regnis disseminaretur, Joannisque Regis, qui Lusitano dominatui Guineæ titulos adjunxerat, laudabili æmulatione incitatus splendida nomina domini navigationis, conquisitionis, & commercii Æthiopiæ, Arabiæ, Persidis, & Indiæ capessivit: quo vero jure disceptat pluribus Joannes Barrosius, nimirum Romanos Pontifices Christi, cui in cœlo & terris omnis potestas data est, vicarios Regibus Lusitaniæ apostolicis diplomatibus tradidisse omnium terrarum, quæ a promontorio Bojardo in orientem paterent, imperium, modo in eas ab ullo Christiano principe jus partum non esset: repertos vero in iis vastissimis oris Mahometanos, qui tanquam Christiani nominis hostes publici, atque iniqui oppressores domandi essent, vel idololatras, qui nefariis ritibus ad rationis usum cultumque veri numinis adducendi essent: atque hoc jure suscepti in infideles authoritate pontificia belli plura regna annis sequentibus, nimirum Sofalam, Quiloam, Mombazam, Oromusium, Goam, Malacam, Moluccas, Dium, & Basajum Lusitanæ coronæ adjectas fuisse.

Decretum est quærendum illum imperium.

Jure propagandæ fidei partum est.

Lusitanum auctum.

II. Accessit nova ad Indiarum imperium juris ratio, nempe Christianos Indos ab infidelibus inique fuisse oppressos, qui in Lusitaniæ Regis, ut Christianæ fidei assertoris clientelam se commendaverint, ut paulo post videbitur. Ad ineundam vero apostolicæ donationis, acceptique tituli possessionem viginti validas naves instruxit (b) præfecto illi Vasco Gamma, qui Indias patefecerat, rituque solemni dato crucis vexillo Oceani Arabici, Persici, & Indici dominatorem creavit, deditque mandata, ut Mahometanos bello contunderet, & eorum naves in Indiam navigantes interciperet; in spem enim maximam adductus erat, prohibito Arabibus Indiarum commercio ingentes sultani Ægyptii opes ad Christianum imperium avectum iri, atque ideo debilitandum viribus: quo argumento superiori anno a Petro Pasqualico Veneto in Lusitania oratore datæ ad Venetos extant literæ (c), ut aromata, quæ ab Ægyptiis petebant, a Lusitanis acciperent. Solutis anchoris Vascus Gamma ex itinere Quiloæ tyrannum Saracenum Lusitani nominis stipendiarium se profiteri coegit (d), traiiciensque in Malabares venientem Calecuto navim onerariam expugnavit, cæsis propugnatoribus, peregrinantesque ad Mahometis profanum sepulchrum Epibatas cepit, e quibus pueros ad Christi cultum traduxit, cum Rege Cananoris fœdus firmavit (e), a Calecutiensi seditionis in Lusitanos authores repetivit (f), detrectantemque bello vexavit: cumque Cochimensem portum adiisset, cum eo Rege fœdera instauraturus, Cranganorenses (g) Christiani Lusitanæ potentiæ fama excitati, erectique ad spem libertatis adversus infidelium vim afferendæ, communi decreto in Emmanuelis Regis patrocinium se coniicere statuerunt, miseruntque oratorem, qui Gammæ Indici imperii sceptrum deferret. De qua insigni legatione Indicarum rerum scriptores meminere, interque alios accuratissime Masseus, qui plura de B. Apostolo Thoma, a quo illorum majores fidem hauserant, memoratu digna enarrataque ab iisdem Indis conscripsit culto & eleganti stylo, cujus verba repetenda visa sunt.

(b) Jo. Barr. eod. lib. c.2.

Mahometanis indictum bellum.

(c) Ext. in itiner. Portug. c. 126.

Quiloæ tyrannus in clientelem acceptus.

(d) Barr. c.3. Osor. l.2. Maff. l.2.

Cananoris Rex fœdere obstrictus

(e) Barros. c.4.

(f) Id. c. 5.

(g) Cap. 6.

Cranganorenses Christiani Indiæ sceptrum Regis Lusitano dant.

III. *Legati*, inquit, *affuere a Christi cultoribus iis, qui non longe a Cocino Cranganorem habent urbem, e vetustissima illorum stirpe, quos beatus quondam Apostolus Thomas ad sanam religionem ac fidem a Brachmanarum fabulis & impura superstitione traduxit. Is Indiam provinciam in orbis terrarum distributione sortitus, Socotoram insulam Arabici maris fertur adiisse primum, dein multis ibi factis Christianis traiecisse Cranganorem, in ea civitate cum multos item Christo filios peperisset, Colanum petiit, neque ibi frustra disseminato evangelio trans juga montium ad oram orientalem ingenti labore contendit, multisque locis ac præsertim in Coromandelis regno Christiana re bene gesta perrexit in Sinas, quorum ea tempestate celeberrimum erat nomen, ac divini verbi sementem in eo quoque novari facere instituit, atque haud pœnitenda collecta fruge, templisque ad Christi cultum ædificatis, in Coromandelem ad retinendos & confirmandos in fide neophytos rediit. Coromandelis caput ac regia tum erat urbs Meliapor, quam vetustate bellisque dirutam nuper Lusitani deducta eo militum emeritorum colonia frequentarunt, ac mutata appellatione honoris Apostoli causa ab S. Thoma denominarunt. In ea urbe sacram*

Edocti a D. Thoma eorum majores.

Sinenses olim ab eodem sacris exculti.

Meliapur in D. Thomæ honorem instaurata.

*ædem eutruere aggressus Apostolus, cum a dæmonum sacrificulis, & ab Sagamo Rege prohiberetur, res interim insignis accidisse perhibetur ad Christi virtutem & fidem evangelii comprobandam, inusitatæ magnitudinis truncum, ut fit, in littus ejecerat mare, quod eo tempore leucas fere decem ab urbe distabat, eam Rex materiam cum in usum ædificii cujusdam vehementer expeteret, robusti primum homines incassum funibus ergatisque amovere conati, dein adhibiti complures elephanti cum toto connixu impetu nihil omnino proficerent, Apostolus Regi conditionem tulisse fertur, si truncum illum sibi ad templum vero Deo ædificandum daret nullis machinis, nullo mortalium adjutore sese protinus eum ad urbem attracturum. Cum Rex, insanire videlicet hominem ratus, per ludibrium annuisset, tum divus Thomas zona, qua erat præcinctus ad prominentem e caudice ramusculum annexa, signo tantum facto crucis, immanem stipitem facili ductu sequentem universa ad spectaculum effusa civitate in ipso pomærio statuit, ibidemque defixa lapidea cruce vaticinatus est, cum ad eum lapidem usque pertingeret pelagus, tum divino jussu e remotissimis terris candidos homines ad eadem, quæ ipse invulisset sacra instauranda venturos. Neque fefellit prædictio, si quidem sub Lusitanorum appulsum occultis tot annorum accessibus locus Oceano demum allui cœpit. Verum ab eo signo cæterisque virtutibus cum Thomæ verbis major in dies accresceret fides, Brachamanas autem fuco & fallaciis parta jam authoritas, jam sagina deficeret, accensus rabie quidam ex iis fœdum ac ferum facinus mali dæmonis instinctu conscivit, filio admodum puero ipsemet necem intulit, ut haberet unde peregrino & inviso capiti crimen exitiumque conflaret. Citatus ad Regem Thomas, cum accusator ab eo per summam indignationem & querimoniam pœnas filii extincti repeteret, contra Thomæ discipuli affinem, aut omnino conscium ejus culpæ magistrum negarent, nihil opus esse conjecturis & certaminibus ait Apostolus ab ipsomet, qui occisus dicatur omnium optime cognosci rem posse. Petit ut ejus publice interrogandi potestas fiat, nihil recusatum ab adversario & cunctis. Tam inauditæ rei expectatione suspensis cadaver in medium affertur, cum ad exanimem puerum Thomas placido & sereno vultu conversus: Agedum, inquit, per Christum, quem ego Deum prædico, palam & sine ambagibus puer prome quisnam hujusce tanti sceleris author extiterit. Mirum dictu! ad Christi nomen frigido & exsangui corpusculo vitales confestim rediere spiritus, & clara voce ut omnes exaudirent Thomam certum summi Dei legatum, & ipsius odio ad struendam illi calumniam nefarias a parente sibi manus allatas esse confirmat. Hac tam illustri tamque admiranda testificatione fractus calumniator, obmutuit. Sagamus, propenso jam ante ad credendum animo, Christianam deinde fidem ac religionem sine ulla dubitatione complexus est, Regem ex amicis & popularibus imitati complures.*

Ecclesia divino prodigio condita a D. Thoma. Prædictus ab eo in Indiam Lusitanorum adventus.

Calumnia D. Thomæ aspersa miraculo diluta.

IV.
Brachmanum sæva in eum conspiratio.

*Brachmanis quanquam detecta divinitus fraude, & pulso in exilium parricida, pertinax tamen & cæca mansit improbitas, cum lætos Christianæ rei progressus & neglecta deorum simulachra ferre non possent, facta conspiratione præconem evangelii e medio tollere omnino constituunt. Tumulus erat non procul ab urbe, quo Thomas identidem e Christi disciplina secedere propitiandi æterni Regis & sui recolligendi gratia consueverat, in eum locum tempore captato Brachmanæ armati cum sui similibus impetum dant. Ibi Apostolus, dum ad crucem abalienato ab sensibus animo Deum pro salute hominum, & ejus præsertim populi deprecatur, telis primum ac lapidibus appetitus, dein ab uno e Brachmanis lancea transfossus occubuit. Venerandum corpus inde sublatum a discipulis, & in templo novo ædificato conditum est. Accessit martyrii nomine & memoriæ causa fragmentum hastæ, quæ inhæserat costis, & baculus præferratus, quo ille ad peregrinationes utebatur & urna fictilis cespite inserta, nempe qui manantem e sacris vulneribus cruorem ebiberat. Exinde locus multis miraculis claruit, ac magnus eodem ex omni parte concursus voti & religionis ergo fieri cœptus. Hæc ferme. Inde sciscitantibus Lusitanis non e fama solum, sed etiam e veterum annalibus edidere, quin egregias Thomæ laudes ac mortem pro Christi nomine fortiter obitam pueris Malabaribus patrio carmine decantare mos est.*

Ut martyrio affectus sit.

Servata martyrii monumenta.

V.
Ad ea visenda concursus populorum fieri soliti.

*Satis constat Apostolum in Coromandelio tractu Gangetici sinus palmam tulisse martyrii, nec dubium est, quin ex divini viri præceptis atque institutis ingens hominum multitudo variis Indiæ dispersa regionibus in hæc usque tempora Christi nomen fidemque tenuerit, quamquam ex Armenii patriarchæ Nestoriani placitis, a quo episcopos paulo ante hanc memoriam accipere consueverant, multis vitiis & erroribus inquinatas alioquin apostolicas cæremonias magna ex parte obeunt altaris mysteria religiose venerantur, eoque viatico decedentes e vita se muniunt, adventus Domini & quadraginta dierum solemne jejunium diligenter observant, quotidianæ psalmodiæ & sacris insistunt, & cum alia Christi domini sanctorumque festa rite concelebrant,*

Ab Armenio patriarcha Indi jura petunt.

*tum*

*tum vero præcipue paschalium feriarum octavam, quam dominicam in Albis vocamus, quod eo demum die incredulus S. Thomas indito in Christi latus ac vulnera digito dominum suum ac Deum suum præclara testificatione confessus est. Alia præterea multa ex majorum traditione diligenter observant, eo majore fidei & constantiæ laude, quod ob id ipsum non modo a Mahumetanis hominibus acerbe vexantur, sed etiam ab regulis ethnicis in servitutem redacti, cum alias indignitates & contumelias perferunt, tum vero sedem ac domicilia iniquis pensionibus redimere subinde coguntur: Iis adventu Lusitanorum nova divinitus affulsisse lux visa, consilio inter se habito, qui Cranganoris incolunt fines, ad Gammam in propinquo versantem legatos eorum destinarunt, quorum summa orationis fuit, se & vetustissimos Christi famulos esse, & hoc ipso Lusitanici nominis cupidissimos, multa se a barbaris indigna quotidie, pati, petere & orare, ut Emmanuelis Regis nomine se suaque omnia in patrocinium fidemque recipiat, sub hæc deditionis insigne sceptrum argento decoratum Gammæ supplices detulere, quos ille benigno vultu, comiter & amice complexus bono animo esse jubet, vel in primis mandatum sibi ab Rege Lusitaniæ affirmans, ut Christifideles quotquot in ea regione supersint omni ope atque auxilio sublevet.*

Servatæ ab his veteres traditiones. Ab Ethnicis indigna servitute pressi.

Accepti a Gamma in Lusitani Regis clientelam.

VI. Interea Malabarum Imperator fictæ pacis illecebra pellicere in insidias Vascum Gammam tentavit, quæ virtute superatæ, multis hostium interemptis, fuerunt. Spe sua frustsatus barbarus Cochimensem Regem Lusitanis fœdere junctum ad defectionem trahere annisus est (*a*): cumque Vascus Lusitaniam auris felicibus repeteret, illum bello adortus est. Antecedebant barbaricam classem duæ Arabum naves onerariæ, quæ primo impetu expugnatæ fuere, Mauris in mare præcipites se coniicientibus, quorum trecenti in undis interempti: reliqua Malabarica classis fuga sibi consuluit. In iis vero navibus Maurorum idolum turpissimum inventum, quod Osorius ita describit (*b*): *Nostri cum naves spoliavere signum ex auro factum in speciem monstri cujusdam simile figuratum invenerunt, pondus erat librarum quadraginta, pro oculis habebat in fronte duos ingentis pretii smaragdos, similiter pyropum miræ magnitudinis instar prunæ incensæ collucentem in pectus inclusum gestabat, & pallio aureo amiciebatur.* Applicuit Olissiponem proximo anno kal. septembris Gamma, cujus reditu lætus Emmanuel parti imperii Asiatici primitias Indicorumque vectigalium vigesimam sacro Mariæ Bethlemitanæ templo consecravit (*c*).

Malabarum proditio in Lusitanos.

(*a*) *Barr. l. 7. c. 1. Osor. & Maff. ubi sup.*

Idolum Maurorum deprehensum.

(*b*) *Osor. ibid.*

(*c*) *Barros. l. 6. c. ult. in fine.*

VII. His opportune conjungenda videntur quæ de rebus in orbe novo gestis hoc anno refert Petrus Martyr (*d*), in commentariis, quæ Ignatio Lopezio Mendozio Tendillæ comiti, Granatæ proregi inscripsit ipsius rogatu ea prosecutus, quæ ab anno millesimo quingentesimo ad decimum usque contigerunt: *Ad novas*, inquit, *terras redeamus, innumeræ sunt variæ Fortunatæ non Saturno, non Herculi, non cuiquam veterum, qui novas oras quæritarunt, ad cultumque redegerunt nostri juniores cedent Hispani: Proh quam late distentam posteri Christianam videbunt religionem, quam late jam pervagari hominibus licebit! Quid de hisce rebus sentiam nequeo lingua vel calamo ullo pacto promere.* Et infra: *Colonus idem Almirantus cum quatuor navigiis & hominibus centum septuaginta a Regibus præbitis percurrit anno MDII. terram, quæ occidentem Cubæ ultimum spectat angulum ad leucas centum triginta circiter, quo medio spatio jacet insula frugibus arboreis fortunatissima, nomine Guanassa, uterque se inde ad orientem contulit per ejus littoris oras versis vestigiis putans se littus Pariæ reperturum, sed minime cessit. Percurrisse quoque feruntur ea littora occidentalia Vincentius Agnes, de quo supra, & Joannes quidam Diaz Solisius Nebrissensis.*

(*d*) *Petr. Martyr. dec. 1. c. 10.*

Maxima Hispan. in lustrando orbe novo gloria.

Lustrata Cuba a Colono.

VIII. De eadem Coloni sive Columbi navigatione fusius postea scripsit (*e*) Petrus Martyr ad Leonem X. harum rerum cupidum: *Is*, inquit, *a salute nostra* MDII. *supra idus maii cum classicula navium quatuor cuparum in singulas quinquaginta & sexaginta, cumque hominibus centum septuaginta solvit a Gadibus, & felici cursu Canarias prehendit in diem quintum, inde appulsus est ad insulam Dominicam, quæ Caribium est patria die sexto decimo capta vi te Dominica Hispaniolam. Sexto igitur & vigesimo die ventis lapsuque Oceani ab oriente in occidentem fluentis adjuvantibus ab Hispania navigavit ad Hispaniolam, qui cursu mille ac ducentarum leucarum a nautis esse perhibetur. In Hispaniola sive libens, sive monente prorege parum moratus, occidentem recta secutus Cubæ Jamaicæque insulis a septentrione in dextram relictis in insulam se incidisse meridionalem Jamaico scribit nomine, incolarum Guanassam virentem universam, uberemque supra quam credibile cuiquam sit.* Addit carpsisse iter ad occidentem, ac decimo milliari vastam tellurem Quiriquetanam nomine reperisse, inque littore divina celebrari jussisse.

(*e*) *Id. decad. 3. c. 4.*

Ab Oriente in Occidentem oceanus currit.

Guanassa insula patefacta.

IX. Decurrentem more torrentis in occidentem Oceanum conspicatus Colonus,

ad orientem proras obvertit, ac XIII. kal. septembris Quiriquetana sive Ciamba solvit ob Oceani rapidos cursus parum progressus, varia flumina littoraque emensus ad Cariarenses, ubi maris æstus non ita sæviunt, cum littora arboribus inumbrata sint, pervenit, indeque varias legentes insulas opimas Ceraboam attigit: *Viri*, inquit (a), *Ceraboroæ provinciæ nudi sunt penitus, sed variis depicti modis sertis floridis & coronis ex leonum & tigridum unguibus consertis oblectantur, fœminæ angusta gossampina vitta pudenda tantum contegunt*. Cum arcere nostros littore niterentur barbari, displosis in altum, ad terrorem tantum illis injiciendum, tormentis, perculsi pacem oraverunt, habitoque commercio monilia aurea in aquilas vel leones efficta cum vitro permutarunt, provectus in Xaguagaum Colonus tellure nudis refertam populis reperit: quæ vero ipsi successerint proximo anno dicetur. Nunc ad orbis nostri res quæ ob adversantes sibi mutuo principum cupiditates perturbatissimæ fuerunt, narrationem traducimus.

(a) Petr. Mar. dec. 3. p. 4.

Tormentorum displosione barbari ad pacem adacti.

X. Serviebat in primis Alexander Pontifex Cæsaris Borgiæ filii sui ducis Valentini ambitioni tanto apostolicæ majestatis dedecore, ut non modo ejus facinora publicis satyris (b) ad conflandas in eum conjurationes fuerint irrisa, sed etiam notæ fidei & authoritatis scriptoribus damnata. Potitus jam erat Cæsar Borgia, Francorum Regis beneficio, Valentino ducatu, tum armis ecclesiasticis Forocornelio, Forolivio, Faventia, Arimino, & Pisauro, pulsis (c) veteribus principibus: adjecerat illi Alexander Cæsenam, Fortunæ Fanum, & Britenorium: Columnensium castra Plumbinumque in ejus ditionem concesserant, tenebatque plures alias urbes ecclesiasticas præsidio militari. Sed his non contentus reliquos ipsorum ditionibus ac bonis principes spoliare meditatus est, de quo hæ querelæ vulgo effusæ (d): in literis, quæ extant apud Burchardum. *Majora moliens bellum Camertibus atque Urbinatibus machinatur, ut his depressis omni Piceno, concedente Pontifice, solus potiatur, & demum afflictis omnibus cætera omnia ecclesiæ Romanæ jura atque imperia ad se trahat: nam arces omnes ecclesiæ validiores & firmiores in ejus jam esse dicuntur potestate, Spoletum, Urbemveterem, Vejos, Nepesum, Terracinam, molem Hadriani illius præsidio teneri; & demum eo ventum esse, ut ejus arbitrio ad libitum omnia gubernentur, qui non tanquam hujus imperii protector aut dux, sed velut hostis apertissimus omnia dilapidat*.

Conflata Alexandro ob nimium studium in spurium invidia.

(b) Ext. apud Burch. in ms. diar.

Magnis ille præter fas principatibus auctus.

(c) Petr. Bemb. Card. hist. l. 6. Guicc. l. 5.

(d) Sabel. enn. 11. l. 1. Pet. Bemb. hist. Ven. l. 6. Guicc. l. 5. & aliis.

Ecclesiasticum imperium sibi vendicat.

XI. Perduxisse ipsum ad exitum iniqua consilia, ac Guidonem Ubaldum Urbinatium principem amicitia conjunctissimum proditione, pepulisse principatu Burchardus (e) in diario enarrat: cum enim Urbinas mense junio rogatus a duce ipso Valentino, ut tormenta bellica commodaret Vitellio in Florentinos progressuro, atque etiam copias illi conjunxisset, tum Valentinus, qui in Camertes signa attollere fingebat, exercitum Urbino admovit, atque Urbinatem ad se accedere jussit, qui hac rerum conversione territus Mantuam fuga se subduxit, atque ita Urbinates ducis Valentini jugum subiere. Structæ etiam fuere insidiæ Juliano Cardinali Ostiensi in Galliam profugienti a Trochia, qui erat Alexandro ab arcanis consiliis, & proditione eum intercipere annitebatur, sed eæ a divina providentia discussæ fuere, cum solium pontificale conscensurus esset. Pulsum vero a Juliano partis per tot flagitia omnibus principatibus Cæsarem Borgiam inferius visuri sumus: nunc inanes crudelis hominis successus ex Burchardo (f) prosequamur.

Vim dolis armat.

(e) Burch. in ms. diar. in Alex. VI. p. 270.

Ab eo postea evertus Borgia.

(f) Id. ib. p. 272.

*Feria*, inquit, *sexta*, nempe julii die octava, *nuntiatum est Papæ Vitellotium Vitellium de civitate Castelli Burgum sancti sepulchri, quod oppidum erat Florentinorum, nomine ducis Valentinensis, occupasse & acquisivisse*. De injectis Etruriæ a Cæsare Borgia Petri Medicei principatui Florentino restituendi specie tumultibus plura referunt scriptores (g), ex qnibus Surita (h) ait, Ferdinandum Regem Hispaniarum, dum Maximilianum, Venetos, ac Pontificem in Gallum concitare nitebatur, ex arcano sevisse colloquia de Insubria subiicienda Maximiliano, Etruriaque in Cæsaris Borgiæ imperium adjuncto ei regali nomine redigenda, Aretium occuparat Petrus Mediceus, pronisque ad exitium Florentinorum rebus, Ludovicus Francorum Rex auxiliaria illis arma submisit (i), verius scilicet, ne ex Etruria in Insubriam ejus belli contagio serperet. Subdit Burchardus vigesima tertia julii die, Alexandrum certiorem factum Camertes pactione militari se duci Valentinensi dedidisse, sed cum urbem ingressus esset, ducem atque omnes ejus filios proditione cepisse, & in vincula conjecisse. XII.

(g) Sabel. enn. 11. l. 1. Pet. Bemb. l. 6. Guicc. l. 5.

(h) Sur. to. 5. l. 4. c. 68.

De Etruria subiicienda Borgiæ proposita ab Hispano consilia.

(i) Guicc. l. 5.

Fractam Juliam Varanam, ac duos filios strangulatos fuisse, refert Guicclardinus (k), quorum, nec non aliorum toparcharum clades superius recensitæ crudelis exitii metum cæteris ecclesiasticæ ditionis principibus intulere, adeo ut armorum fœdus adversus Alexandrum ac Cæsarem Borgiam iniverint, Urbinum restituerint Ubaldo veteri regulo, Imo- XIIII.

Procerum facta in Alex. conjuratio.

(k) Guicc. l. 5.

lam

lam circumsederint, majoraque moliti essent, nisi Alexander Francorum Regis ope eam procellam obruisset, ut narrat Burchardus (a): *Superioribus*, inquit, *diebus*, nempe ineuntis novembris vel octobris exeuntis, *Carolus & Paulus & cæteri omnes Ursini, quorum primus Cardinalis Ursinus & Vitellotius Vitelli de civitate Castelli, ac Joannes Paulus Balionus de Perusia, Liberottus de Firmo, & Pandulphus Petrutius de Senis & quidam alii conspirati confœderati, & colligati contra ducem Valentinensem tunc in Imola existentem congregatis circiter.... equitum & ... peditum restituerunt civitatem Urbinatensem, & omnes alias civitates, terras, loca, & fortelitia sub ducatu Urbinatensi constituta, illustrissimo domino Guidoni vero duci Urbinatensi nuper expulso per ducem Valentinensem, ac Imolam circumdantes duci Valentinensi magnum timorem incusserunt, similiter & Papæ Alexandro, qui sine mora auxilium Regis Franciæ & nihilominus mediatores delegit, quorum opera concordia & pax inter sanctitatem suam & ducem Valentinensem & omnes supradictos haberetur. Venerunt propterea versus Imolam omnes gentes Regis Franciæ in ducatu Mediolanensi existentes.*

(a) *Burch. ubi sup. Sabell. enn. 11. l. 1. Raph. Vol. l. 22. & alii.*

Urbinum Guidoni duci restitutum. Imolæ obsessus Cæsar Borgia. Ludovici Regis Galliæ ope liberatur.

XIV. Involuta pax cum proceribus inita ab Alex.

*Interim tractata est & obtenta ac de mense præsenti conclusa reconciliatio & concordia inter supradictos, quam Papa quæsivit & finxit in hunc solum finem, ut possit se & ducem filium suum contra eosdem supradictos vindicare, & eos omnino extirpare, quod illis imprudenter non formidantibus tandem evenit, licet Cardinalis Ursinus fuerit ab innumerabilibus personis, etiam pueris commonitus, ne de Papa confideret, noluit tamen aliquem audire, & sæpe subridens dixit, numquam habuisse cum Papa discordiam, quin per concordiam commodum & utilitatem reportaverit.*

Card. Ursinus illusus.

*Audio Papam, ut prædictum Cardinalem attraheret, confessum esse sine favore Ursinorum Romæ vel in terris Ecclesiæ permanere tute, nec ducem Valentinensem dominia sua retinere, aut illis frui: propterea proposuisse resignare papatum in favorem ipsius Cardinalis Ursini, dummodo perpetuam protectionem & defensionem ducis prædicti polliceretur & promittat, & sub hujusmodi spe Cardinalem Ursinum ad omnia conduxisse & per illum cæteros omnes supradictos, quod cessit in eorum destructionem. Concordia supradicta conclusa & firmata, prædictus Cardinalis Ursinus rediit ad urbem de mense novembris supradicti.* At ipsum proditione captum extinctumque in carcere fuisse proximo anno videbimus, similiterque paulo ante, hoc nimirum exeunte anno conjurationis præcipui socii, eum officiis injuriam se delevisse putassent, oppressi ex insidiis fuerunt a Cæsare Borgia (b), qui prius collectis viribus Bentivolos ac Bononienses ad pendendum militare & nummarium vectigal adegit, recuperavit Urbinum, aufugiente Venetias Guidone principe, de quo Romæ plura lætitiæ publicæ signa nona decembris edita refert Burchardus (c): Camerinum pactione recepit (d), Senogalliam, ducis Urbinatis sorore ad Venetos impositis navibus suis opibus confugiente, in suam potestatem redegit, ob quos Borgiarum successus Romani impurissima bacchanalia in contemptum cardinalitii ordinis celebrarunt pomeridianis horis ipsius natalitii Salvatoris nostri Jesu Christi permittente spectanteque Alexandro turpissimam scenam, qui divinis mysteriis solemni ritu peractis non interfuerat, ut refert Burchardus.

Pacis specie fœderati proceres oppressi.

(b) *Sabel. enn. 11. l. 1. Pet. Bemb. l. 6. Guicc. l. 5.*

(c) *Burch. ubi sup.*

(d) *Id. & alii ubi sup.*

Impura bacchanalia pervigilio natalitii Domini celebrata.

XV. Ob limites accurate non designatos oritur Gallos inter & Hispanos bellum.

Inter hæc Regnum Neapolitanum cruentabatur sanguine Gallorum Hispanorumque, qui potius Constantinopolitanum imperium, omissis levibus controversiis, communibus armis invadere debuissent. Manasse autem inde discordiam referunt, cum fines Gallicæ Hispanæque ditionis accurate non fuissent designati, & quisque Capitanatam sui juris esse affectaret. Nascentem litem æquitate componere nisi sunt Neapolitani regni proceres (e), Consalvumque Hispanorum & Ludovicum Armeniacum Gallorum duces ad colloquium faciendum induxere, in quo conventum est, ut decreta Regum ad hujusmodi dirimendam litem præstolarentur, atque interea communia essent oppida controversa, in quibus utriusque Regis signa defigerentur: sed antequam responsa reddi potuissent ex fastu, livore, & rapiendi cupidine ad arma venere, atque ita atrox bellum inter utrosque accensum: Galli (f) Hispanis, Hispani (g) Gallis culpam dissensionis attribuunt, accusantque ambos Reges dominatui totius regni inhiasse: ait enim Surita (h), Ludovicum Francorum Regem oratorem legasse ad Ferdinandum Hispaniarum, qui exposita discordia inter utrosque præfectos concitata, addiderit illum pacis consilia amplexurum, constituendosque communes arbitros, cum imperii Christiani necessitas exposceret, ut conjunctis armis Turcicos progressus reprimerent: hæc vero ad occupandam Apuliam jactata fuisse, cum Ferdinandus ad Pontificem, cujus liberalitate utrique regnum distributum fuerat, veluti ad supremum dominum

(e) *Guic. l. 2.*

Pacis colloquia temere a ducibus violata. Culpa belli ab alio in alium derivata.

(f) *Ferron. l. 3.*

(g) *Sur. to. 5. l. 4. c. 61. 64. & l. 5. c. 2.*

(h) *Id. l. 4. c. 58.*

num ac judicem, nec non ad Cardinales causam referret, acceptamque regni partem cum alia, quæ Gallo cesserat, commutaturum diceret. Parte alia Ferronius Ferdinandum carpit, qui cum externa specie alendi fœderis cupidum se præbuerit, ex arcano Consalvum literis admonuerit, ut belli occasiones fereret, a quo Capitanatam violata pace receptam queritur, eamque contumeliam non ferentem ducem Armeniacum Gallicas copias in Hispanos eduxisse, eosque maxima Apuliæ & Calabriæ parte depulisse. Prospere ac feliciter evenisse initio Gallis quæ tentarunt, referunt scriptores (a), cum Ludovicus Rex in Italiam accessisset, ac supplementa misisset suis, ac varia prælia pluribus describunt. At ubi repetiit Gallias, cum inclinare illius res admodum cœpere, quas deinde penitus collapsas visuri sumus.

(a) Guicc. l. 5. Sur. to. 5. l. 5. c. 5.

XVI. Cum porro Ferdinandus Rex ob acceptum pontificia beneficeotia Calabriæ docatum ad clientelarem sponsionem faciendam Pontifici obstrictus esset, neque sedem Apostolicam adire facile posset, ab Alexandro eo labore ob regias curas, quibus in Hispania implicitus erat, levatus est (b).

(b) L. 5. bull. secr. p. 244.

*Charissimo in Christo filio Ferdinando Regi, & charissimæ in Christo filiæ Elizabeth Reginæ Hispaniarum & Siciliæ catholicis salutem, &c.*

Neapolit. regnum inter & Galliæ & Hisp. Reges divisum.

*Cum nos nuper regnum Siciliæ cum tota terra citra pharum juxta & secundum illum statum, quem Reges ejusdem regni, qui eatenus fuerant, melius tenebant & possidebant usque ad confinia terrarum Romanæ ecclesiæ, civitate nostra Beneventana illiusque territorio & districtu exceptis, inter vos & charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum Regem Christianissimum certo modo dividentes, ducatus ac omnes provincias Calabriæ & Apuliæ cum tota eorum terra, ac omnibus juribus & pertinentiis suis cum titulo ducis & ducissæ Calabriæ & Apuliæ, ac omni pleno dominio integra, suprema, & regia in omnibus & per omnia jurisdictione, reservata semper nobis & sedi Apostolicæ jurisdictione illa, quæ ratione feudi nobis & dictæ sedi debetur pro vobis, quamdiu vitam duxeritis in humanis, simul & post vitam alterius vestrum pro eo, qui superstes remanserit, liberisque & successoribus vestris tam masculis, quam fœminis recta linea ex corporibus vestris ex legitimo matrimonio descendentibus natis & nascituris, de venerabilium fratrum nostrorum ejusdem Romanæ ecclesiæ Cardinalium consilio pariter & assensu, ac ex certa nostra scientia, elargiti fuerimus volentes inter cætera, quod in optione & beneplacito esset Romani Pontificis, seu prædictæ ecclesiæ, vos heredesque vestros vocare ad præstandum personaliter juramentum fidelitatis ad ligium homagium Romano Pontifici, seu ecclesiæ prædictis, ac sententias excommunicationis & interdicti in literis nostris desuper confectis contentas si vestri vel heredum prædictorum culpa casus in eisdem literis contenti evenirent, ex tunc promulgaverimus, prout in eisdem literis plenius continetur. Et sicut nobis nuper exponi fecistis vobis heredibusque præfatis difficile admodum foret ad sedem eandem pro præstando hujusmodi juramento, ligio, & homagio personaliter accedere, deberetisque propter promulgationem hujusmodi sententiarum aliquando ex inadvertentia, vel alias in conscientia lædi posse, licet vestra sit intentio literas prædictas & conditiones illas appositas, quantum fieri poterit, observare, nos vestrarum heredumque prædictorum conscientiarum paci & quieti, vestrisque ac heredum prædictorum commoditatibus paterna charitate consulere volentes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis heredibusque præfatis, ut ad veniendum personaliter ad sedem prædictam pro præstando juramento ligio & homagio hujusmodi non teneamini, dummodo illud in manibus a nobis vel sede prædicta per vos heredesque præfatos alias in omnibus & per omnia juxta literarum prædictarum tenorem præstetur, quodque ad declarationem & publicationem sententiarum prædictarum contra vos ac heredes præfatos, nisi vobis heredibusque præfatis ad hoc prius vocatis, deveniri non possit, auctoritate apostolica tenore præsentium de specialis dono gratiæ indulgemus, &c. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ MDII. idib. maii pontificatus nostri anno* X. Hæc de Neapolitanis turbis sufficiant: nunc res ab Hungaris & Venetis Turcico implicitis bello gestas percurramus.

Ferd. Rex onere veniendi ad sedem Ap. pro sacramento fidei nuncupando levatus.

Obvenerat ampla commodaque occasio deturbandi Constantinopoli Bajazethis, excindendique Turcici imperii, quippe in Perside pseudopropheta Sophi consurrexerat (c) Mahumeticæ superstitionis vanus interpres, novæque sectæ conditor qui religionis specie maximos in oriente motus excitaverat, maximumque terrorem Turcis intulerat. Ipsum recensuisse octuaginta militum millia sob signis narrat Benedictus Pisaurus Venetæ classis præfectus in literis (d) ad Rhodium principem datis, atque Armeniæ eam partem, quæ Turcis parebat, subegisse, cæsis viginti Turcarum præsidiariorum millibus adeo, ut Bajazethes provincias nudare mi- XVII.

(c) Sabell. ennead. 11. l. 1. Petr. Bemb. hist. l. 6. Bosius p. 2. l. 16.

Sophi Persa orientem turbat.

(d) Ext. apud Bos. eod. l. 16.

(a) *Volat. l.7.* Turca magnis cladibus affectus a Persa. Religionis specie Saraceni delusi.

milite cogeretur, de quo hæc tradit Raphael Volaterranus (a): *Nuper anno MDII. excitatus est in Perside vir bubulcus & idiota nomine Sophi, qui se prophetam Dei nominat, responsaque dat, opertaque facie more Moseos populos audit, magnoque cum exercitu ingressus vicinas nationes subegit. Othomannis maxime adversus, quibus multa jam abstulit, eaque antiquis possessoribus, & dominis Asambeci nepotibus tradidit. Armenos Christianos ultro obviam ob metum procedentes bona spe jussit esse*. De Ismaele Sophi, [1] deque ejus superstitione plura Bizarrus (b) & Barrosius referunt: ob ejus vero progressus perculsus Bajazethes, dum ad Persici imperii limites suos exercitus amandat, vacare bello in Christianos non potuit, neque Christiani tam idoneam occasionem, uti par erat, amplexi sunt, quamvis ab Alexandro Christi in terris vicario ad eximium triumphi genus urgerentur, ut ex sequenti diplomate (c) constat, in quo gravissimas in Venetum imperium Turcarum excursiones, fusum ab iis Christianum sanguinem, comparatos ingentes maritimos ac terrestres exercitus exposuit, atque Hispanos, qui pio ardore ad profitendam in Turcas sacram militiam inflammari videbantur, ad divinum crucis symbolum inducendum incitavit, ac pro sumptibus belli sacri faciendis decumas imperavit clero.

(b) *Bizar. hist. rer. Pers. l. 10. p. 206. Barros. dec. 2. Asiæ l. 11. c. 6.*

(c) *L. 5. bull. secr. p. 253.*

*Ad futuram rei memoriam.*

XVIII. *Universo pene orbi notissimos Turcarum conatus nefarios atque multiplices, & quantas ii nefandissimi catholicæ fidei hostes Christianis populis strages & cruentissimas crudelitates & jacturas, ac damna intulerunt retroactis temporibus, & novissime annis superioribus diversas civitates munitissimas, dilectorum filiorum nobilium virorum ducis & dominii Venetiarum vi & armis ceperunt diversasque incursiones etiam usque ad portas nonnullarum aliarum ducis & dominii prædictorum, civitatum, atque locorum fecerunt, atque multa millia animarum abduxerunt, & in miserabilem servitutem redegerunt, villasque & loca plurima igne ferroque vastaverunt, non sine gemitu & cordis amaritudine sæpenumero animo recolentes, & attente non minus considerantes, quod ipsorum Turcorum nefanda crudelitas pluribus elata victoriis tantis stragibus & calamitatum generibus, quibus latissima regna, provincias, civitates, & loca plurima Christianorum a longo tempore citra affecit hactenus non contenta, nec sparsi sanguinis fidelium multitudine satiata, copiosam in dies classem instruit & auget, ac maximum parat exercitum terrestrem, ut Christianorum regiones terra marique in miserabilem redigat servitutem, ipsumque salutiferæ crucis vexillum, ac Christi nomen sanctissimum una cum illius cultoribus toto orbe deleat, templa vero Dei sacratissima & sanctorum venerandas reliquias, figuras, & imagines, nisi quantocyus ejus occurratur furori, exterminare penitus moliatur in maximam divinæ majestatis offensam, & cunctorum catholicorum Regum & principum ac fidelium ignominiam, dedecus, & jacturam, vices salvatoris domini nostri Jesu Christi, qui pro redemptione humani generis a miserabili sathanæ servitute se præsertim immolare non abnuit, ut nos sui regni cœlestis efficere possessores, licet immeriti, gerentes in terris vigilis more pastoris, quibus possumus mediis,*

Gravissimæ Turcarum in Venetum imperium excursiones.

Fusus ab iis Christianus cruor. Comparatus novus exercitus.

NOTÆ [1] Ismahil Sophinus, de quo sibi metuisse Bajazetem Annalista hic ex historicis coævis adnotat, vir fuit novæ cujusdam superstitionis apud Persas non quidem author, ut male hic, sed promotor ac propagator. Vir quidam ex inani titulo Scheich seu Imani (quæ duo nomina sunt dignitatis, illo quidem religiosum virum, hoc vero doctorem significante) notus, quartum alium Mahometi socium præter Ebubekrum, Omarem, & Osmanem audiendum auscultandumque utile ac plane ad salutem necessarium fore docebat; cui tanta vis fuit ad persuadendum, ut novi dogmatis sectatorem sibi Haldarum quendam inter Persas illustrem & potentem, adsciverit. Ab illo pro viribus superstitio promota; cui cum filia fuerit Martha quæ Usum Cassano Persarum imperatori uxor accessit, ex eo conjugio natus est Ismahil Sophinus. Juvenis is est qui cultam ab avo superstitionem amplexus, ejus obtentu Persarum sibi favorem conciliavit adeo, ut ingenti comparato exercitu invadere Persarum imperium, quod sibi deberi jure paternæ successionis asserebat, aggressus sit. Nec frustra ille, nam commisso prælio cum imperatore, quem Saran Sal appellat Mustafa Hazi in historia chronologica, ingentem victoriam, & cum victoria imperium, retulerit. Hæc omnia desumpta ex Leunclavio in Pandectis historiæ Turcicæ pag. 355. edit. Vener. cui ex chronologia Mustafa Hazi addit, prælium illud, quod imperium Ismaheli peperit, commissum fuisse anno hegiræ 905. id est Christi 1499. vel 1500. Addit pariter idem Hazi, anno hegiræ 908. qui anno isto die VI. julii cœpit, Ismaelem cum Sultano Marad Bainderi in viciniis Hamedan congressum hostes insigni prælio fudisse. Secundum hæc adnotat, eodem anno Ismahelem regno ac vita privasse Miri Hassan Armeniæ majoris principem supremum. Ex quo intelligimus hanc quidem Armeniacam victoriam, nonnisi exeunte hoc anno vel cœpto jam sequenti, quo annus hegiræ 908. usque diem 26. junii perseverabat, Ismaheli obtigisse. Errat igitur Annalista ratus Alexandrum ex concepta de victoria hac Armenica optima spe diploma illud dedisse ad Christianos principes, ut segnes illos in Turcas animaret. Diploma enim illud datum est die VII. id. maii quo Ismahel nullam adhuc de Turcis victoriam retulerat. MANSI

*diis cunctorum infidelium mentes pro instantis temporis necessitate ad eiusdem catholicæ fidei defensionem inducere, & omnia nobis possibilia remedia ad resistendum eisdem Turchis parare continuo non cessamus ne Christianæ fidei dignitas, peccatis id facientibus, ad miserabilem deveniat servitutem, parati pro defensione hujusmodi, si opus fuerit, illius exemplo, cujus vicarii sumus, proprium effundere sanguinem, & incommoda quæque subire præsertim cum charissimus in Christo filius noster Ferdinandus Rex & charissima in Christo filia nostra Elizabeth Regina Hispaniarum & Siciliæ catholici inter alios catholicos Reges & principes huic nostro desiderio spontanei adjutores & cooperatores accedant, cum etsi tantæ expeditionis molem in se suscipere, & hostis ejusdem infestissimi atroces injurias cum suo catholico exercitu ulcisci tota mente affectent, tamen propter temporis conditiones & varietates, ubi unanimes cuncti Christicolæ adversus crucis æmulos deberent arma convertere, ne quid ipse catholicus Rex in propria persona, quam multarum rerum retrahit magnitudo, hoc intimum suæ mentis desiderium adimplere, ac cum ipsius adjutorio, cujus causa agitur, & iis atque aliis aliorum catholicorum Regum, principum, & populorum fidelium freti præsidiis opus defensionis hujusmodi fidei continuare non cessabimus, expeditque propterea, ut nos, quorum intentio ad implenda ecclesiarum omnium commoda, & universorum Christifidelium, quos præcipue clericalis ordo includit, profectus semper aspirat contra morem & propositum nostrum subditos & filios nostros, quos ab oneribus hactenus relevare, quorumque utilitatem & commoda procurare studemus, cogente necessitate & calamitosi temporis necessitate gravare oporteat, &c.* Indicit biennales decumas vectigalium ecclesiasticorum in Ferdinandi regnis, in sacri belli sumptus convertendas. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno MDII.* VII. *id. maii pontificatus nostri anno* X.

Imperata a Pont. sacra in hostes fidei militia.

Profitendæ illius pius ardor ostensus a Ferdin. Rege.

Indictæ clero decumæ.

XIX. Præfectus est pontificiæ classi episcopus Paphensis, dataque ei mandata fuere (a), ut egregie milite & bellico apparatu instructam ad Petrum Aubussonium S. R. E. Cardinalem, ac Rhodiorum equitum magistrum, sacrique exercitus imperatorem educeret.

(a) L. 2. In. secr. p.66.

*Alexander, &c. venerabili fratri Jacobo episcopo Paphensi nuntio & commissario nostro.*

*Cum pro imminenti reipublicæ Christianæ necessitate, illiusque adversos Turcos Christi nominis acerrimos hostes defensione classem nostram contra ipsos Turcos transmittendam armare decreverimus, sitque necesse habere personam, quæ ad illam armandum, ac dein armatam ad dilectum filium nostrum Petrum S. Hadriani diaconum Cardinalem magnum hospitalis S. Joannis Jerosolymitani magistrum, quem super hoc nostrum & dictæ sedis legatum de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio dudum constituimus & deputavimus, dirigendum & conducendam, & in dicta classe permanendum apta sit & idonea, nos sperantes indubie, quod ea, quæ tibi duxerimus committenda, pro tua prudentia, dexteritate, & solicitudine bene, fideliter, diligenter, & laudabiliter exequeris, te ad classem prædictam armandum ac regendum & gubernandum, nec non illam ad præfatum legatum conducendum, illique eam nostro & sedis prædictæ nomine pro hujusmodi contra præfatos Turcos expeditione præsentandum, in ipsaque classe permanendum, & eam gubernandum, officialesque ponendum & amovendum, malos puniendum, omniaque & singula in præmissis & circa ea necessaria quomodolibet opportuna, & quæ pro nostro & dictæ sedis honore, ac ipsius classis directione & bono regimine cognoveris expedire faciendum, gerendum, exercendum, & exequendum nuntium & commissarium nostrum apostolica authoritate tenore præsentium facimus, constituimus, & deputamus, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno MDII.* XII. *kal. maii pontificatus nostri anno* X.

Instrui jussa ab Alex. classis in Turc.

Paphensis episc. illi præfectus.

XX. Decreverat (b) idem Petrus Aubussonius Cardinalis Rhodiorum magister ac legatus apostolicus non remotiora Turcici imperii membra, sed ipsum caput ac regiam sedem Constantinopolim bello petere, si Pontifex atque Francorum & Hispanorum Regum maritimus exercitus Venetæ & Rhodiæ classi conjunxissent, obtrito enim serpentis capite, dum parte alia Ungarus irruebat, vanos reliqui exanimati corporis conatus futuros putabat. Verum nulli sociorum apparatus tam arduo digni consilio confecti, quare decretam expeditionem intermisit. Missis tamen navibus Rhodiis plures Turcarum naves ducum opera intercepit, grassationesque hostiles compescuit: adulta æstate pontificia classis fidelium sacro auro conducta Jacobo episcopo Paphensi præfecto tredecim tantum navium (cum viginti Alexander per apostolicas literas (c) esset pollicitus, quibus etiam excusavit anno superiori ob mortem Venusini episcopi promissam classem missam non fuisse) Venetis se conjunxit, Hispanus nulla submisit auxilia, Ludovicus Francorum Rex quatuor tantum naves duce Præianne subsidio misit,

(b) Bos. sup. lib.

Agitata consilia de expugnanda Constantinopoli.

Interceptæ plures Turcarum naves.

(c) Ext. apud eund.

Segniter a principibus suscepta belli moles.

Hac

XXI. *Neritos insula capta a Venetis.*

Hac autem virium accessione fultus Benedictus Pisaurus Venetæ classis præfectus, cum late prius Turcica littora vexasset, egregium aliquod facinus meditatus Neritum insulam, quæ vulgo S. Maura vocabatur, die vigesima tertia augusti adortus, sex dierum flexu ea potitus est, arcemque magnis operibus munivit. Extant de expeditione illa Paphensis episcopi ad Rhodium principem litteræ (*c*), in quibus additur, paucis post diebus discessisse Gallum ducem ob Hispanorum in Neapolitano regno cum Gallis bella, quem ab Hispana classe cui Villamarinus præerat, circumventum. Ut vero Veneti a sociis Regibus destituti a Bajazethe pacem redimere, illique Neritum insulam restituere coacti sint, dicetur inferius.

(*a*) *Ext. apud eund. Bos. Sabell. enn.* 11. *l.* 1. *Pet. Bemb. l.* 6.

XXII. *Ungari in Turcicum imperium incurrunt.*

Quod ad Hungarum, quem Venetis stipendiis sustentatum in Turcam vidimus attinet; illum exercitum in Bosnam Petro Transilvano & Joanne Matthiæ olim Regis notho filio ducibus ad vindicandas excursiones superiori anno apud Jaizam factas immisisse, lateque ad Bodonense emporium nobile in Istri ripa vastitatem ingentem fecisse Michovias (*b*) & Cromerus (*c*) referunt.

(*b*) *Mich. l.* 4. *c.* 83.
(*c*) *Crom. l.* 30.

*Germaniam pestis depascit.*

In Germania hoc anno pestilentia grassata est, cum id mirum contigit, ut maxime ii tollerentur, quibus aeris vis crucem impresserat: *Anno Domini* MDII. inquit Nicolaus Baselius (*d*), *magna ubique per totam Germaniam pestilentia grassabatur, & multa millia hominum consumpsit, præsignata, quemadmodum multorum opinio fuit, per cruces, quas in lineis hominum vestibus, etiam in abditis & cistis inclusis ante biennium apparuisse narravimus, quarum casus sive lapsus in annum tertium non simul & semel omnibus in locis duravit, videbantur enim nonnulli cruces habuisse in suis corporibus nudis impressas, qui ut plurimum eodem anno peste sunt consumpti.*

(*d*) *Basel. in addit. ad Naucl. VI.*

XXIII. *Pereunt qui cruces cælo lapsas corporibus exceperant. Libertatis specie rebellant populi.*

Subdit author factos eodem anno ingentes populorum affectatæ libertatis, ac religionis specie politicum statum evertere molientium tumultus authoribus duobus rusticis, qui in Spirensis diœcesis oppido, cui Undergrunbach nomen est, variis artibus simplices irretierunt, auctique numero callidos viros submisere in vicina oppida, qui de principum acerbiore imperio quererentur hortarenturque ad servitutis jugum armis excutiendum; jamque vexilla binis coloribus distincta paraverant, diemque ad cogendas copias statuerant, cum nefaria conjuratio erupit, atque in ipso sceleris conatu ope divina oppressa est, & ex præcipuis seditionis architectis, qui supplicio affecti fuere; universa eorum consilia patuere, quæ Nicolaus Baselius describit (*e*) hisce verbis.

(*e*) *Id. ib.*

XXIV. *Præcipua ad rebellandum capita exposita.*

*Capti hujus conjurationis primi authores quæstionibus expositi arcanum impietatis suæ ac initæ conjurationis denudant, atque in tredecim aut quatuordecim articulos, quæ conceperant mala dinumerant, duos breviter & succinctim hic complectemur. Primus ut aucti numero jugum omne servitutis abjicerent, & omnimodam libertatem more Helvetiorum armis vendicarent. Secundus ut quisquis in hanc voluntariam ligam assumptus fuisset singulis diebus quinquies dominicam orationem cum angelica salutatione in memoriam quinque vulnerum Christi principalium flexis genibus oraret pro obtinenda victoria. Tertius symbolum sibi constituerunt Deiparam virginem Mariam & divum Joannem evangelistam, signum vero mutuæ inter se cognitionis erat dum aliquis eu conjuratione interrogatus fuisset alteri interroganti respondere potuisset.* Et infra: *Quartus conabantur omnem principatum & dominium extinguere, atque contra omnes turmatim cum vexillo in bellum procedere, omnesque sibi resistentes miserabili clade trucidare. Quintus confessi sunt primum Bruchsal oppidum se invasuros, atque id quidem facile, quod dimidiam virorum in eodem oppido partem sibi conjuratam habere gloriabantur, quo facile, ut præsumebant, obtento ulterius contra marchionatum Badensem armati procederent. Sextus constituerunt inter se bona monasteriorum, ecclesiarum, & clericorum, in circuitu direpta dividere atque ministros Ecclesiæ humiliare, ac quantum possent eorumdem numerum imminuere. Septimus ut ad sufficientem numerum congregati amplius viginti quatuor horis in uno loco haud quaquam moras traherent, sed ad ulteriora semper procederent, donec omnia suæ conjurationi subjicerent. Octavus tantum sibi præstabant, ut dum semel conglobatim ad bellum procederent, apertum omnes sibi adhærere cives & rusticos libertatis amore etiam non compulsos. Nonus intendebant extinctis monasteriis & ecclesiis, atque in nihilum ecclesiastica libertate redacta, neque decimas, neque census dare velle, neque Monachis, neque clericis, neque principibus, neque nobilibus. Decimus conjurarunt ad diem S. Georgii ejusdem anni convenire & armata manu, ut diximus, oppidum Bruchsal mane diluculo invadere. Undecimus libertatem sibi armis vendicare invicem conjurarunt omnimodam, nec deinceps alicujus pati dominium velle, nec census dare, nec decimas non precarias principibus, non vecti-*

*Immunitas vectigalium ad pelliciendos in rebellionem Germanos ostentata.*

*gal, aut quidquam tale, sed ab omni tributorum genere se liberos esse atque penitus euemptos. Duodecimus proposuerant venationes, piscationes, pascua, nemora, & omnia, qaæ principam consueverunt usibus deservire privatis, in communitatem revocare, ut cuique liceret venari atque piscari quando, ubi, & quo modo vellet, sine cujusque prohibitione & impedimento. Turtiusdecimas decreverunt manu valida suorum procedere primo contra marchionem Badensem, deinde contra episcopum Spirensem, & demum contra monachos & clericos, & quicumque contradiaisset sine misericordia interficeretur tanquam justitiæ Dei contrarius, inobediens, & rebellis.* Fuisse hæc Lutheri sponsalia refert Pontius Heuterus (*a*), nam postea ingentes rusticanorum hominum tumultus tuendi evangelii specie ab eo & sectatoribus excitatos visuri sumus, quamobtem Germania late rusticano cruore immaduit, nec enim minus hos religionis, æquitatis & officii specie pessundare omnia molitos ait.

Fuere hæc Lutheranæ hæreseos rudimenta.

(*a*) *Heuter. l. 6. hist. Belg.*

XXV. Editio exemplorum a Card. Ximen. facta.

Hoc anno Franciscus Ximenius ac Toletanus archiepiscopus, cœlesti divinæ providentiæ munere adversus imminentium hæreseon venena paraturus antidotum, sacra biblia Hebraico, Græco, Latino, Chaldaico sermone una cum versionibus suis instar exemplorum Origenis edere cœpit, de cujus egregio labore, quem reliquo vitæ fluxu ursit, hæc refert Gomesius (*b*): *Divinabat vir prudentissimus in tanta hominum nostrorum inertia diutina, literas negligentium impios homines quamprimum eaorituros, qui earum lectione armati, & ad suos affectus detorquentes, Christi Ecclesiam ausu quidem nefario & immani, & nostra tamen imperitia profecto, impugnare & evertere tentarent, quin antiquissima quæque Christianæ religionis tempora secum reputans, divina providentia ita esse factum videbat, ut quemadmodam a prudentibus Imperatoribus eu hostiam, cum quibus dimicant, pugnandi natura, ratio, & consilia sumuntur, ita quoque adversus dæmonum artes, qui ingeniis humanis percallide abutuntur, remedia quoque ea eodem fonte petenda esse, Christus enim optimus maximus, unde omnis sapientia ad homines emanat, sanctos Ecclesiæ Christianæ patres per quasdam doctrinarum vicissitudines adversus emergentes hostes convenientibus armis prudentia sua instruuit Ximenius, qui ea publica morum corruptela, ipsorumque adeo religionis principum immoderantia vulpecalas aliquas in occulto natriri conjectabat, quæ vineam mysticam, cum minus expectaretur, demoliri tentarent, neque ad id aliunde comparato præsidio, quam ea sacrorum voluminum perperam intellectorum promptuario, non abs re timere cœpit, ne nostri imparati, & in utriusque testamenti libris peregrini & hospites deprehenderentur, &c.*

(*b*) *Gomes. de reb. gest. Card. Ximen. l. 2.*

Divino instinctu id egisse creditum ne corrumpi ab impiis possent.

Paratum adversus hæreticos præsidium.

XXVI.

Ingravescente in dies improborum hominum audacia adeo, ut actores causarum apud sedem Apostolicam variis injuriis afficerentur a sicariis, nec jus libere redderetur, edita est ab Alexandro hæc sanctio (*c*).

(*c*) *Lib. bull. 80. p. 180. ext. etiam in bull. in Alex. VI. const. 11.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Sane tam dilectorum filiorum causarum palatii apostolici auditorum, eorumque locatenentium, & aliorum fidedigna relatione, quam multorum causas suas in dicta curia prosequentium gravissimis querelis non sine maaima mentis nostræ perturbatione sæpe numero accepimus, quod licet nos, felicis recordationis Innocentio Papa VIII. prædecessore nostro, sicut Domino placuit, sublato de medio ad summum apostolatus apicem divina favente clementia assumpti tam eiusdem Innocentii, quam aliorum Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, singulis annis in die cœnæ Domini per literas nostras inter cætera omnes illos, qui per se vel alium, seu alios quascumque personas ecclesiasticas vel seculares ad eandem curiam super causis & negotiis suis recurrentes, illaque in eadem prosequentes, aut procurantes, negotiorum gestores, advocatos, vel procuratores ipsoram, aut etiam auditores seu judices super dictis causis seu negotiis deputatos occasione causarum aut negotiorum hujusmodi verberarent, matilarent, vel occiderent, aut bonis spoliarent, & qui per se vel alium, seu alios directe vel indirecte prædicta exequi, vel procurare, aut in eisdem consilium, auailium, vel favorem præstare non verebantur, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aat status forent, etiam si pontificali, regali, reginali, vel quavis alia præfulgerent dignitate publice excommunicare, anathematizare consueverimus, prout alii prædecessores præfati etiam per eorum literas quotannis dicta die facere consueverant, a quibus quidem sententiis nullus per alium quam Romanum Pontificem, nisi dumtaaat in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi sub certis modo & forma expressis, absolvi potest; tamen in dies dierum erescente malitia quamplures iniquitatis filii & perditionis alumni eacommunicationis & anathematis hujusmodi sententias parvipendentes horrenda inhumanitate, detestandaque sævitia, mortem sitientes aliorum, videntes forsan se in causis per eos vel contra*

Constitutio in eos qui negotia in Rom. curia agentes lædunt.

*tra ipsos in dicta curia pro tempore motis justitiam non fovere, suorum salutis, status & honoris immemores, humani generis hoste procurante, Deique timore postposito eorum in dictis causis adversarios, aut illas pro eis in eadem curia prosequentes, aut procurantes, advocatos, vel procuratores eorum, testes & causarum prædictarum notarios multoties diversis & excogitatis minis afficere, invadere, verberare, mutilare, & occidere, seu per alios etiam assassinos talia procurare & exequi, proh dolor! ausu temeraria non erubescunt, adeo ut plerumque jus suum in ipsa curia prosequentes metu, & quadam desperatione ducti causas suas deserere, aut non sine magno ipsorum præjudicio & detrimento ad concordiam, seu alias transactiones inhonestas, pactionesque illicitas contra consuetam dictæ curiæ libertatem devenire, & ab ipsa curia discedere cogantur in divinæ majestatis offensam, jurisdictionis & authoritatis apostolicæ læsionem, animarum periculum, perniciosum quoque exemplum, & scandalum plurimorum. Nos igitur, qui eandem Romanam curiam veluti supremum justitiæ tribunal, & saluberrimum oppressorum omnium refugium, liberam immunem & securam omnibus conservare debemus, considerantes attentius, quod plures pœnarum gravitas, quam Dei timor arcere solet à voluntate peccandi, & propterea tanto periculo volentes occurrere animarum, ac tam nefarios præsumptores & facinorosos homines ecclesiasticæ animadversionis mucrone ferire, ut metus pœnæ meta hujusmodi præsumptionis existat, hujus perpetuæ & irrefragabilis constitutionis edicto de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio prædictas excommunicationis & anathematis omnes & singulas alias sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas in talia præsumentes per canonicas sanctiones, ac alias apostolicas constitutiones quomodolibet latas & promulgatas authoritate apostolica approbantes & innovantes, ac ad omnes & singulos supradictos, qui forsan sub illis comprehensi non essent, extendentes & ampliantes statuimus & ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus omnes singulæ ecclesiasticæ sæcularesve personæ, cujuscumque qualitatis, dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ fuerint, quæ tam in causis beneficialibus, quam profanis ac criminalibus sive mixtis in dicta curia nunc & pro tempore pendentibus, etiam super his, quibus literæ executoriales jam decreta suum debitum consecutæ non fuissent effectum, adversarios vel illas pro eis prosequentes & procurantes; sive advocatos, aut procuratores ipsorum, aut auditores, & alios judices, quicumque testes & notarios præfatos minis afficere, invadere, verberare, mutilare & occidere, seu per alios talia procurare & exequi quomodolibet præsumpserint,* & paulo infra, *si ex colligantibus causam ipsam & omne jus tam in petitorio quam in possessorio; ac in re vel ad rem causa, vel occasione hujusmodi quomodolibet competens ex ipso perdant penitus & amittant, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum an. Incarnationis dominicæ MDII. idib. aprilis pontificatus nostri anno x.*

Pœnæ iis intentatæ.

I. ANno a Virgineo partu millesimo quingentesimo tertio indictione sexta extincto Alexandro VI. in Petri solium evectus Pius III. cum maximas spes restituendæ in antiqnum ac florentem statum rei Christianæ diffudisset, dignissimum se pontificatu in eo tantum ostendere, non illum gerere potuit: in cujus vita functi locum Julius II. subrogarus est, quorum successiones, temporum circumstantiis Paris de Grassis (a) accurate consignat hisce verbis: *Anno MDIII. die veneris* XVIII. *augusti hora* XIX. *mortuus est Papa Alexander VI. Eodem anno die veneris* XXII. *septembris creatus est Pius III. & die mercurii in solemnitate S. Lucæ* XVIII. *octobris sequenti, circa horam noctis decimam mortuus est*. Et infra: *Dominus Julius creatus fuit Pontifex die prima novembris MDIII.* De singulis acturo, gestorumque seriem ordine temporum distinguenti primus se offert Alexander VI. qui cum rerum caducarum occæcatus amore spurio in Flaminia Etruriaque nnvum regnum condere putaretur, inter medios prosperos successus velut umbra evanuit, ejusque inutiles labores uti leves araneæ casses dissipati fuerunt: felix si concepta interdum sanctiora consilia de ecclesiastica disciplina in suum adducenda splendorem, ac Divini Numinis causa contra impios defendenda, uti promulgarat, ursisset; sed consueto humanæ mentis vitio ea, ut consenescerent pati visus est, neglectaque ejus exemplo a Regibus religiosa in Turcas expeditione: cum Veneti Bajazethis potentiæ se impares reputarent una cum Wladislao Hungariæ Rege fœderato iniquis legibus pacem redemerunt.

(a) *Paris. de Gras. ms. arch. Vat.*

Sublatus e vivis cum spurio in Æmilia & Hetruria regnum conderet.

II. *Pax*, inquit Sabellicus (b), *per hunc modum confecta est, ut Venetus Neritum relinqueret, Bajazethes res Venetis negotiatoribus ab initio belli ademptas restitueret: ut Pontica navigatio, ut antea pateret, essetque Veneti nominis magistratus, qui antea fuit suis hominibus jus dicturus; ut res Venetæ ditionis certis finibus a Turcorum rebus discernerentur; & hæc diserte in conditionibus pacis posita atque edita*. Ita Neritus insula, vulgo S. Maura nuncupata, exigno a Morea abscissa freto, atque a Nicolan Pisaurin superiori anno parta, magnisque molibus munita Turcis dedita est, qui Methonem, Coronem, Naupactum, aliasque arces Christianis ereptas retinuerunt; Francorum nimirum atque Hispanorum in Neapolitann regno dissensiones, conficiendæ in Turcas feliciter expeditionis, cum jam sumptibus viribusque exhausti essent, spem Venetis ademerant.

(b) *Sabell. enn. 11. l. 2. Bosius par. 2. l. 16.*

Empta pax iniquis legibus a Venetis.

Neritos dedita Turcis.

III. Agunt pluribus de illorum præliis scriptores, ac varias rerum vicissitudines, quæ in Neapolitano regno contigere, describunt. Cum porro ineunte anno inclinatæ admodum Hispanorum in Apulia res viderentur, Ferdinandus & Elizabeth Hispaniarum Reges instaurata de pace cum Ludovico Francorum Rege actione ab eo bello vehementer abhorrere præferulere, atque (c) unice percupere, ut Christiana arma in fidei hostes verterentur, amplissimis mandatis Philippum archiducem Austriæ Belgiique principem, qui in soceri aula Castellani & Aragonii sceptrorum una cum uxore heres salutatus fuerat, ac per Gallias in Flandriam iter erat habiturus instruxere, ut pacem quibus ei liberet legibus, cum Franco soceri & socrus nomine conficeret. Is itaque Lugduni magnificentissime exceptus indignum ratus inter principes, qui præcipui fidei oppugnatores esse deberent, cruenta bella geri, maxime cum arctissima parta affinitate conjuncti essent, & Claudiam Ludovici filiam nurum suam futuram speraret, pacem pepigit ingentes rei Christianæ utilitates, si solida extitisset, parituram; de qua hæc Nicolaus Baselius (d): *Eodem anno Philippus archidux ab Hispania regressus in Franciam composuit pacem apud Lugdunum vigesima tertia martii inter Hispanos, Gallos & Germanos, quæ publicitus edita fuit illic quarta aprilis*. Præcipuæ illius leges hæ fuere (e) ut controversia Capitanatæ provinciæ, Philippi fidei committeretur, & Carolus Ferdinandi ex Joanna Philippi uxore nepos, & Claudia Ludovici Francorum Regis filia Neapolis Reges & Apuliæ duces dicerentur, iisque connubio juncti fruerentur. Solicitatus etiam est Maximilianus Cæsar, ut in Burgundiam ad congressionem familiarem cum Gallo descenderet, sed Ferdinandus (f) & Elizabeth Hispaniarum Reges licet evangelii & Christi e cruce pendentis effigie contactis discessurum generum interpretem pacis constituissent, pacem tamen etsi perhonorificam, & rei Christianæ necessariam respuerunt: pariterque Consalvus (g) monitus a Philippo, ut armis temperaret, parere abnuit, quamvis Galli pacis mandata amplecterentur: mutata quippe jam erat rerum facies, cum quibus religio fidesque Ferdinandi commutari visa est, quem Surita pluribus ab ea labe & turpitudine vindicare nititur (h).

Hispanorum res in Apulia inclinatæ.

(c) *Guicc. l. 5.*

Philippus archidux pacis interpres.

(d) *Basel. in addition. ad Naucl.*

Sancita pax Lugduni inter Germanos Galliæ & Hispanos.

(e) *Guicc. l. 5. Surit. 5. l. 5. c. 26. Marian. l. 27. c. 19.*

(f) *Guicc. ubi sup.*

Violata mox ab Hispanis pax.

(g) *Sur. l. 5. c. 26. Mar. l. 27. c. 19.*

(h) *Sur. l. 5. c. 23. 29.*

IV. Refert vero Sabellicus (i) collapsas supe-

(i) *Sabell. enn. 11. l. 2.*

periori anno in Apulia Hispanorum res submissis a Maximiliano Cæsare per mare Germanicis delectibus ex Istria in Apuliam restitutas fuisse: *Hispani*, inquit, *in Italia multo Gallis inferiores per quam pauca numero loca obtinebant, unde sæpius in Apuliæ pecuaria, quæ in Gallorum fide erant hostiliter invecti bis centum millia jumentorum capta duabus excursionibus in prædam avertere. Tenebat se Consalis Hispanus dux Baroli obsesso similis, Gallis late omnia obtinentibus: sed posteaquam sub vernum tempus auxilia affuerunt, & in his mille & quingenti Germanici nominis [ bina millia & amplius fuisse quidam dicunt ] qui ex Germania ad Istros progressi, ex Istria in Apuliam transmisere, horum præsidio firmior jam inde esse cœpit res Hispana ac liberius evagari.*

Germanicis auxiliis restituta res Hispana in Apulia.

V. Subdit varios Gallorum adversos casus ac primum mari interceptum in Hydruntino portu Venetæ tum ditionis ab Hispana classe Petrum Joannem, quem a Turcis in Hispanos vertisse vires superiori anno vidimus: quique cum quatuor tantum triremes & celoces totidem haberet, atque in alto experiri pugnam a Veneto cogeretur, classem exurere ac tormenta undis obruere maluit, ne hostis iis potiretur. Auxere hanc jacturam quam medio februario contigisse ait Surita (a) insignes Gallis clades illatæ ad Rubos, ubi Palliciæ regulus victus est, & ad Seminariam ubi Obinius dux a Consalvo vigesima prima aprilis die prælio fusus est. Paraverat Francorum Rex Genuæ auxiliarem exercitum sed pacis expectatione delusus eum revocarat (b): cum Hispani majori impetu in Gallos irruerent, ita Præjannis classe Hydrunti exusta classe alia Neapolitana ob sævientem inter classiarios & remiges epidemiam stante in anchoris plurium maritimorum locorum defectiones ob Hispanicas grassationes sunt secutæ. Deinde inito apud Ceriniolam certamine Galli obtriti sunt, duce Nemorosi Neapolitano prorege inter alios cæso, in quem cladis culpa derivata est, ut qui auxiliares e Galliis turmas præstolari in munitioribus locis noluisset; de quo prælio hæc Sabellicus (c): *Pugna sub occasum solis inita per horam tenuit & dimidiam. Affuerunt eo die Gallorum ducibus mille & quingenti equites levis armaturæ quaterna millia peditum cataphracti equites quingenti cum suo equitatu. Ceciderunt ex Gallis in pugna tria millia: sunt qui ex hoc numero aliquid detrahant, augent alii. Occubuere cum his plerique viri illustres Nemensis dux, qui summæ rei præerat, gerebatque vicarium Regis nomen: potitus est hostium castris victor Hispanus impedimentis, commeatu & omnifariam belli apparatu, refertis & ad Ciriniolam in Apulia hoc maxime eventu est dimicatum anno, qui tertius fuit a millesimo humanæ salutis ac quingentesimo ad quartum kal. majas.*

(a) *Sur. ibid. c.* 15.

Gallus Rex pacis spe illusus.

(b) *Guicc. l.* 5.

Cruentissimo prælio cæsi Galli.

(c) *Sabellic. enne.* 11. *l.* 2.

VI. Prona deinde omnia ad victorem Hispanum fuere, quem ipsa Neapolis, cum a Gallis commeatu instrui non potuisset pactione recepit (d) decimaquarta (e) maii Gallis militibus in arces se recipientibus, ac mox Capua quoque & Aversa Hispano se dedidere. Tam auctus ea victoria Consalvus duodecima junii die Castrum novum actis cuniculis expugnavit (f), cum die sequenti Gallica classis serius auxilia attulisset. Supererat castrum, cui Ovi nomen est, quod pariter expugnatum: ac tum Aquila & Aprutium omne Salernumque in Hispanorum potestatem concessere (g): Cajetam, quæ arx munitissima Gallis supererat, capere Consalvus Petri Navarri opera nitebatur; cum novæ suppetiæ a Gallo missæ obsidionem solvere coegerunt: *Et hæc*, inquit Sabellicus, *æstate illa gesta, quæ tertii a jubeleo fuit anni, quo sane tempore circa Pyrenæum*, & infra, *magni utriusque gentis conatus extitere. Ludovicus & Ferdinandus Reges non contenti eo bello, quod in Italia de Neapolitano regno ortum magnis opibus alebant, ad ostentandam regni utrerque sui potentiam vel ad victoriam potius id pertinere rati majori aliquanto armorum apparatu, nunc suo, nunc alieno ductu inter se confluere.*

Hispanus victor.

(d) *Ib. ubi sup.*

(e) *Guicciar. l* 5.

Castrum novum expugnatum.

(f) *Guicc. l.* 5.

Aquila & Aprutium deditum Gonsalvo.

(g) *Ib. Sur. c.* 37.

VII. Gravem in iram ex adversis accensus erat Francorum Rex fallaci pacis actione delusum se ab Hispano fuisse causatus (h), ac tres ipsum exercitus ac fortissimos, quorum duo per Navarram & Russinonem in Hispanias irrumperent, tertius in Neapolitanum regnum contenderet, conflasse referunt Galli, Hispani, Italique scriptores, deque magnificentissimo illius bellico apparatu plura tradunt. At ejus conatus omnes ubique compressi: *Fuerunt*, inquit Sabellicus, *ea prælia*, nempe facta circa Pyrenæos montes, *fere secunda Hispanis*. Describit Mariana Salsulam obsessam a Gallo, ab Hispano autem liberatam.

Ingens Gallorum expeditio in Hisp.

(h) *Guicc. l.* 6. *Ferron. l.* 3. *Sur. to.* 5. *l.* 5. *c.* 34. 45. *Marian. l.* 28. *c.* 3.

VIII. Quod vero ad Italicum exercitum pertinet; processerat (i) Gonzagæ ductu in Etruriam Alexander dum perniciali morbo tentari cœpit. Sed antequam de his agamus, quæ ab ipso & Cæsare Borgia ejus filio gesta fuerint percurremus. Vindicatum ab his in Ursinos & alios conjuratos, quos anno superiori ad ducem Urbinatem & alios principes, qui in dies obterebantur, defendendos, arma sumpsis-

(i) *Sabel. enn.* 11. *l.* 2.

psis-

psisse, atque Urbinate in pristinum statum restituto ad pacem allectos conquievisse vidimus, referunt, perlato nimirum nuntio kal. januarii ad Pontificem, captam Senogalliam, necnon Liberottum Firmi, Vitellotium Tiferni regulos dolo necatos; Ursinum vero equitem & Paulum ducem Gravinæ ejusdem familiæ principes amicitiæ specie captos a Cæsare teneri, mox ab Alexandro Cardinalem Ursinum venientem, ut de parta in Senogalliæ expugnatione victoria gratularetur, die secunda januarii cum aliquot præsulibus cinctum militibus in palatio fuisse, atque in custodiam traditum: *Pontifex interea Romæ*, inquit Raphael Volaterranus, *ubi per nuntium celerem noctu captos hos esse accepit, Cardinalem Ursinum, quem multa prius blanditia speque securum reddiderat, mane hortatur ad palatium venire: fingit Columnenses prope urbem adesse, pontesque cepisse. Ille credulus ubi obtemperavit, capitur, & in molem Hadriani conjicitur cum abbate Alviano Ursinarum partium: præsul vero Florentinus & Jacobus Sanctacrucius eadem hora capti in palatio sunt custoditi. Sanctacrucius postera die dimissus, vadibus datis consentiente Cardinale ad oppida Ursinorum Pontifici adsignanda. Ipse vero Cardinalis paucis post diebus est elatus causa mortis, omnibus facile judicata.* Existimatum vulgo fuisse illum veneno sublatum tradit Burchardus (a). Neque Cardinales a Pontifice precibus salutem ei impetrare potuerunt: *Quinta*, inquit, *dicti mensis januarii*, & infra, *omnes Cardinales iverunt ad Pontificem commendantes ei Cardinalem Ursinum: Papa dixit eis de conspiratione Vitellotii, Ursinorum, Balioni, Pandulphi, & eorum complicum, ut ducem occiderent, qui se voluit contra eos vindicare, & non obtinuerunt a Pontifice gratiam.*

Firmi & Tipherni reguli necati.

Cardinalis Ursinus captus dolo ab Alexandro.

Veneno sublatus.

(a) Burch. ubi sup.

Objecta Ursinis conjuratio in Borgiam.

IX. Pluribus interjectis author subjicit, paucis ante Cardinalis obitum diebus, nimirum die vigesima quarta januarii, equitem Ursinum & Paulum Ursinum a Cæsare Borgia præfocatos fuisse, adversus reliquos etiam Ursinæ gentis proceres versa arma, ac Jordanum Ursinum a viribus imparem deditionem fecisse, ac plurima oppida ita Ursinis erepta: verum Brachianum ob Francorum Regis clientelam fremente Alexandro & conquerente in Cardinalium senatu expugnari non potuisse: plures autem aliæ urbes captæ sunt ab eodem Cæsare, cum Senogallia primum stipatus quindecim militum millium exercitu ad reliquias veterum hostium obterendas provolasset Tifernum, quod diu Vitelliorum tyrannidem pertulerat, in illius potestatem venit. Timore perterritus ejus adventu Joannes Paulus Balionus, qui apud Perusinos principatum sibi pepererat, fuga Senas se subduxit. Quinetiam Pandulpho Petrucio Senarum regulo animus defuit ad excipiendos propulsandosve Cæsaris Borgiæ impetus, ac ne Senas in discrimen adduceret, Lucam se proripuit: sævo namque effrænique impetu quacumque pergebat in adversarios incurrebat, Clusium, Fientiam, Sertanum, Castrum plebis, S. Quirici oppidum vastaverat, ubi in senes quoque & anus infelices crudelissime sævitum est a (b) diro & avaro milite.

Cæsaris Borgiæ sævitia in Ursinos.

Brachianum a Gallo Rege defensum.

Recuperatum Perusium.

(b) Burch. in ms. diar.

X. Ferini & impii hominis hosce successus, novæ spes ex Neapolitanarum rerum conversione inflabant: quandoquidem Ludovicus Francorum & Ferdinandus Hispaniarum Reges Alexandri amicitiam ad confirmandas res suas augendasve magnis pollicitationibus prensabant (c): Pisani a Florentinis bello petiti Cæsaris Borgiæ patrocinium exambierunt, atque Consalvus Hispanorum dux illi insusurrabat, ut Etruriam opprimeret, atque ex ea ad Inbriam Gallis eripiendam magnumque conflandum principatum consurgeret. Verum hæc Borgianæ felicitatis ostenta momento dissipata fuerunt extincto decima octava augusti die Alexandro, de quo hæc tradit Raphael Volaterranus (d): *Cum animo adhuc majora de filio conciperet, diuturnioremque vitam sibi polliceretur, subito in morbum incidit, ex quo paucis diebus absumptus est xv. kal. septembris anno pontificatus xi. salutis MDIII. causam in cœnam venenatam incerto authore vulgo constans opinio jactat, cum præsertim & Cæsar ipse, & Hadrianus Cardinalis, qui una accubuerant, eadem pene valetudine afficerentur, quam ætatis robore evasissent.* Qua in re ultorem adfuisse Deum affirmat Petrus Cardinalis Bembus, traditque a Cæsare Borgia vinum toxico mistum paratum fuisse ad Hadrianum Cornetanum Cardinalem Pontifici summa familiaritate conjunctum e medio tollendum, ut ejus amplissimas opes invaderet; sed pocillatoris errore atque ultrice divini Numinis vi sitienti Pontifici & Cæsari Borgiæ propinatum. Hisque consentanea plurimi scriptores tradunt: adeo ut etiam Alexandrum repente extinctum, & eodem die ejus cadaver ex Vaticano rure in palatium relatum scribat Guicciardinus (e); addatque etiam Panvinus (f) illum mirabili Dei providentia extinctum, ne consilia nefaria de opulentissimis Cardinalibus veneno interimendis ad inexplebilem filii cupiditatem eorum opibus explendam ad exitum perduceret.

Illius patrocinium expetitum a Pisanis.

(c) Guicc. l. 5.

Borgianæ felicitatis ostenta dissipata momento.

(d) Volat. l. 22.

Venenum sumpsisse imprudentia pocillatoris creditus Alexander. Parato alteri dolo divinitus illusus.

Vulgaris opinio falsa demonstratur.

(e) Guicc. l. 5.

(f) Panvin. in Alex. VI.

Ve-

XI. Maximæ calumniæ ab invidis Alexandro aspersæ. Quo morbi genere extinctus.

Verum ob gravem invidiam, quam in se concitaverat, pluribus calumniis illius memoriam oneratam facile putaverim: nam in primis repentina eum morte non sublatum, sed ex continua periodica, ac dein hemitritæa febri ob aeris impuritatem contracta ad septimum diem porrecta ipsum obiisse, quo tempore omnibus sacramentis rite procuratus est, ex fidedignissimis manuscriptis diariis constat; ex quibus (a) hæc ad refellendam vulgarem famam contrariam delibanda visa sunt, quibus etiam omnes morbi circumstantiæ accuratissime describuntur: *Sabbato die* XII. *augusti in mane Papa sensit se male habere: post horam vesperorum* XXI. *vel* XXII. *venit febris, quæ mansit continua. Die* XV. *augusti extractæ fuerunt ei* XIII. *unciæ sanguinis vel circa, & supervenit febris tertiana. Die jovis* XVII. *hora* XII. *accepit medicinam. Die veneris* XVIII. *augusti circa horam duodecimam vel decimamtertiam confessus est domino Petro episcopo Culmensi, qui deinde dixit coram eo missam, & post communionem suam dedit Papæ sedenti in lecto sacramentum Eucharistiæ, quo facto complevit missam. Interfuerunt quinque Cardinales videlicet Arborensis, Cusentinus, Montis regalis, Casanova, & Constantinopolitanus, quibus deinde Papa dixit se male sentire. Hora vesperorum data sibi extrema unctione per episcopum Culmensem expiravit præsentibus datario & episcopo.* [1]

(a) *MS. diar. arch. Vat. sig. lit. L.*

Sacramentis rite munitur.

XII. Thesaurus ecclesiasticus expilatus a Cæsare Borgia. Nititur intrudere Pontificem, qui ipsi serviat.

Addit author Cæsarem Borgiam tunc morbo implicitum fuisse, utpote qui communem putridum aerem in suburbano agro hausisset, quod sæpe Romæ accidit; submisisse tamen Michaelitium scelerum omnium satellitem, qui educto pugione Cardinalem Casamnovam pontificii ærarii præfectum ad claves tradendas adegisset, thesaurumque omnem expilasset. Moliebatur etiam Cæsar in pontificatum intrudere suis cupiditatibus obsequentem, ac validam ideo manum contraxerat: sed cum Galli copias in Neapolitanum regnum profecturas urbi admoverent, ut suarum partium assertorem pontificem nanciscerentur, pluresque etiam ab aliis milites collecti fuissent, & Cardinales libertatem magnis animis tuerentur; nefario voto excidit. Quos tumultus ita describit Raphael Volaterranus (b); *Post ejus mortem [Alexandri nimirum] Cæsar ante omnia thesaurum omnem corripuit, Vaticanum quod armatorum duodecim millibus tenebat, simul & Hadriani molem operibus munit eo animo, ut patres in eodem loco de more cogendos ad novum successorem in sua vota compelleret. At illi ad evitandum periculum in ædem Minervæ congregati subito a Borgianis, quos Michelettus Cæsaris ægrotantis emissarios ducebat, circumdantur. Fama pervagante captos esse Cardinales, direptiones ac cædes tota urbe fieri*

(b) *Volat. ubi sup.*

Cardinales armis cingit.

NOTÆ [1] ANnus hic est Alexandri VI. emortualis, de quo Pontifice facilius siletur, quam moderati aliquid dicitur. In illo vitia omnia extrema, virtutes moderatæ, nisi melius dixeris, nullæ. Pontificiam dignitatem quam malis artibus peperit nihilo melioribus retinuit. Qui hunc laudet neminem huc usque scriptorem offendi, non æqualem eorum temporum, non recentiorem. Ita de illo scribit Gaspar Veronensis in Commentario de gestis tempore Pauli Secundi: *Formosus est, lætissimo vultu, aspectuque jucundo, lingua ornata, atque melliflua, qui mulieres egregias visas ad se amandum gratior allicit, & mirum in modum concitat, plusquam magnes ferrum; quas tamen intactas dimittere sane variatur.* Huc usque Gaspar, qui tamen de Alexandro, qualis erat ætate sua non vero qualis posthac fuerit, locutus censeri potest; nam viri licentiam his circumclusam se continuisse terminis convi plures scriptores plane negant. Scientias sin minus in aliis favit, ipse tamen non nihil coluit; nam in ipso fortunarum suarum exordio inter abbreviatores pontificios meruit. Scripsit pariter teste Ludovico Jacobo a S. Carolo *clypeum defensionis fidei Romanæ Ecclesiæ*, editum Argentorati 1497. tum & tractatum *de Cardinalium excellentia, & de officio Vicecancellarii; glossam in regulas Cancellariæ*, præter multas, variasque epistolas partim hic in Annalibus, partim inter Philelphianas legendas. Hæc de Alexandro dicenda succurrerunt. Nunc de Pio III. hoc ipso anno die & mense in Annalibus indicatis ad sacram dignitatem evecto pauca.

Pius III. antehac Franciscus Cardinalis Senensis vir fuit jam inde ab ipso ejus exordio supremo illo honore dignissimus; hoc enim elogio virum adhoc jovenem & in ipsis purpuræ acceptæ exordiis mactat Gaspar Veronensis in Opusculo mox laudato. *Cardinalis Senensis ætate juvenis, moribus senex, omnibus Cardinalibus acceptissimus semper extitit. Cum Pius II. ab Urbe abesset legatus remansit, & cunctis gratissimus semper extitit, atque adeo acceptus, ut nihil supra. Ea fuit viri prudentia, ea justitia, ea mansuetudo, ut nemo ab ea non contentus abierit. In sententiis ferendis non solum gravis, sed etiam mitis habebatur, neminem perterrefaciens ullo vultus terrore, quo penitus caruit simul & caret, aut ulla sermonis sævitia, quæ profecto ab ejus ingenio semota cognoscitur. Ædificio vehementer est oblectatus adeo quidem ut palatium suum prope campum Floræ magno impendio exhauserit nulli parcens pecuniæ & ab omni avaritia prorsus amotus. Complura de hujus Principis a Paulo II. dilecti gratitudine scribi possent in familiam, & in benemerentes, quæ brevitatis gratia reticentur.* Hæc Gaspar de virtutibus Francisci Piccolominei, quas cum ille diuturna exercitatione auxisset, secum transtulit in solium, ex quibus afflictæ Ecclesiæ solatium sperandum erat ingens, nisi vix exortas spes mors immatura succidisset, qua de re in Annalibus. MANSI

*fieri omnes illico pavor invasit: tabernæ clauduntur, arma corripiuntur, transtris, trabibus, catenisque ferreis viarum exitus obstruuntur, haud aliter quam si rursus Annibal mœnia tenuisset. Ille autem, quod duram forte provinciam adsumpsisse sibi videretur, paulo postquam venerat discedens, Ursinorum tantum ædium partem apud montem Jordanum incendit. Patres post hæc ad urbis custodiam peditum quatuor millia scribunt, proceres Romanos adcersunt, Cardinales transalpinos & undecumque vocatos præter consuetudinem expectant. Fabius Ursinus, qui cum octingentis venerat armatis, Pauli patris ulturus necem, quando in authorem non valebat, in proximas ædibus suis pauperum Hispanorum tabernas puerili nimium ardore impetum facit, aliquos ex eis necat, bona subvertit: verum nocte sequente Cæsarianorum irruptionem formidans, simulque a senatu jussus in proxima sua castra discessit. Interim Prosper Columnensis, qui quod Hispanis militaret amicissimus esset, ad Cæsarem a patribus mittitur, rogatum ut a pertinacia desistat, eo tandem simulque rursus Galliæ Hispaniæque oratoribus instantibus, Nepe cum omnibus copiis se deferri lectica jussit: arx vero adhuc a suis tenebatur quamquam custos Bernardini Carvajalis Cardinalis opera sese patribus obtemperaturum polliceretur. Vaticanum igitur recipitur: ubi de more Pontifici peractis exequiis, tantisper supersederunt, donec Gallorum exercitus, qui tunc illac contra Hispanos in Campaniam iter habebat, jubente Cardinale Rothomagensi, qui summam apud eum authoritatem habuerat, mœnibus egrederetur, ne qua vis aut tumultus oriretur.* Cardinalem Rothomagensem detinuisse nimium circa Romam Gallicas copias, quibus ad reprimendos adversarios, si pontificatus illi deferretur, uti meditabatur, dicetur inferius.

Consurgunt ad eos defendendos Romani.

Propulsatus Jordanas ædes incendit. Cardinales contrahunt in eum exercitum.

Misso interprete adigunt, ut cum suis exeat.

Gallicus etiam exercitus exire jussus.

## PIUS III.

XIII. Remotis qui vim inferre poterant, Cardinales conclave ingressi, cum disciplinam ecclesiasticam labefactatam admodum perpenderent, vexatumque assiduis infidelium excursionibus Christianum imperium, nonnulla pactionum capita, quibus novum Pontificem obstringerent, designarunt, quorum præcipuum id fuit (a), ut excurrente proximo biennio solemnes episcoporum totius orbis cœtus celebrarentur, ac recurrente exinde quoque triennio instaurarentur. Hæc polliciti patres singuli si ad pontificatum evehi contingeret, Franciscum Cardinalem diaconum S. Eustachii variis legationibus, ac præsertim Germanica clarum ob egregias virtutes Pontificem renuntiarunt; de quo hæc Raphael Volaterranus (b): *Die xxx. vacantis sedis triginta seu Cardinales, quorum decurio Neapolitanus erat, conclave ingressi octavo post die Franciscum Picolomineum diaconum Cardinalem Senensem Pii II. ex sorore nepotem Pontificem creant Pium III. appellatum, cujus fama bonitatis animi omnium ad bene jam de re religione, deque rebus humanis sperandum excitati fuere.* Æmulatum illum virtutes Pii II. ac religione maxime conspicuum fuisse, scribit Petrus Delphinus (c) Camaldulensis ordinis summus præfectus amicitia illi conjunctissimus, qui hisce literis de parto summo pontificatu ei mox gratulatus est.

(a) *Sur. to. 5. l. 5. c. 47.*

Lata lex in conclavi de celebrando Concilio singulis triennis.

(b) *Raphael. Volat. l. 22.*

Picolomineus Cardinalis creatus Pontifex.

(c) *Petr. Delph. l. 7. ep. 63.*

*Pio III. Pontifici maximo.*

*Beatissime pater, post pedum oscula beatorum. Quanto repletus fuerim gaudio ob promotionem optatissimam ad summum sacerdotium sanctitatis tuæ, quantopere exultaverit cor meum in Domino, nec literis exprimere certe possem, nec si possem necesse foret, ut id facerem: imaginari plenissime, ac sibi persuadere non dubito beatitudinem tuam, quæ per tres & viginti annos experta est meam erga se observantiam, pietatem, fidem. An ullus mihi gratior atque optatior nuntius afferri potuerit, quam ut audierim quod gloria & honore coronaverit te Dominus, & constituerit te super opera manuum suarum, subjeceritque omnia sub pedibus suis? Nova nimirum lux oriri nobis omnibus hesterna die visa est, exhilarata sunt nostrorum omnium corda, manantibus præ gaudio lacrymis, quod tandem aliquando Deus de cælo in terram prospexerit dato Christianæ plebi Pontifice sancto, innocente, impolluto, segregato a peccatoribus. Lætus dies ex admodum tristi factus est. Cum paulo ante alius ad nos perlatus fuisset rumor. Circumfusi domestici gratulabantur mecum, quod hujus solis ortus lucem caliganti reddiderit mundo, tantamque tempestatem ac tenebras, in quibus diu versati sumus, subita serenitate discusserit, omnisque ætatis ac memoriæ clarissimum nobis antistitem dederit Deus; per quem repentina effulserit spes reconciliandæ ac firmandæ inter dissentientes pacis atque concordiæ, cum sit tibi & ingenium & consilium & animus par tantæ potestati. Quocirca, pater beatissime, solemnem hodie pro tua incolumitate hostiam obtulimus in odorem suavitatis Domino, precati suppliciter, ut hoc populi Christiani columen, hoc splendidum sydus diuturnum futurum sit. In manima est, ut audio, expectatione omnium sanctitas tua, quibus nota est virtus, inte-*

Petri Delphini ad eum literæ.

gri-

*gritas, religio, continentia, probitas ipsius, ut majora in dies eademque præclara editurus sis opera, neque ulla in re degeneraturus a felicis recordationis Pio II. avunculo tuo. Velit Dominus, ut omnium etiam superes vota, ut Christiana religio plurimum deformata in pristinam ac veram tuæ pietatis opera curaque formam restituantur, & gentes, quæ bella volunt, tua authoritate & gladio spiritus dissipentur, ut sub tutela tuæ mansuetudinis ac moderationis perpetuo conquiescamus, &c. Ex Fonte bono die* XXIV *septembris MDIII.*

XIV. Creatum Pontificem vigesima secunda septembris die, referunt manuscripta diaria (*a*), ac postridie ejus diei Cardinalium senatum convocasse addit Surita, quamvis ante acceptas solemni ritu papales infulas haberi non consuevisset, atque in eo de concilianda inter Galliarum & Hispaniarum Reges pace egisse, edixisseque se omnes conatus in ea provehenda, restituendaque in pristinum statum ac splendorem collapsa disciplina ecclesiastica collocaturum, constituisseque celebrare œcumenicam synodum ad hæc perficienda, nec biennale intervallum, quemadmodum in conclavi sancitum fuerat, expectare velle, sed quantum citius fieri posset operam navaturum; de quibus Christianos principes omnes fecerat certiores, ut locus ac dies celebrandi concilii designarentur. Ut vero id felicius perageretur, componendam actutum ad normam rationis curiam Romanam, & castiganda quæ censura egere viderentur, sive Pontificem, sive Cardinales, sive eorum administros contingerent. Hæc piis & ingentibus studiis cum se prosecuturum ostendisset, liberavit Romanum agrum externo exercitu, quo tamdiu vexatum fuerat: traduntque vetera diaria Vaticana (*b*) illum vigesima sexta septembris permisisse, ut septem millia Gallorum, & mille quingenti cataphracti milites per pontem Milvium Tyberium traiicerent, perque vicina urbis mœnibus loca Neapolitanum regnum peterent; abacta autem a Gallis nonnulla armenta in agro Romano fuisse, concitataque propterea a Romanis in urbe seditione Gallos aliquos cæsos fuisse.

(*a*) *MS. diar. arch. Vat. sign. lit. L. Panvin. in Sur. sup. c.47.*

Promissa concilii celebratio biennali flexu.

De instauranda disciplina ecclesiastica actum.

(*b*) *Ibid.*

Gallorum in regnum Neapolitanum discessus.

XV. Auxit hos tumultus Cæsar Borgia (*c*), qui cum parte copiarum, publica fide a novo Pontifice accepta, in urbem venerat, ut Cardinalibus gratias ageret, quod quem maxime cupiebat Pontificem delegissent: tum vero Ursini superstites ulturi suæ familiæ fusum cruorem impetum in eum fecere, adeo ut edita aliqua strage perculsus Borgia cum adversarii viribus augerentur, Pontificis clientelæ una cum Squillacii principe & aliquot Hispanis Cardinalibus sese commendarit, inque Hadrianam arcem receptus sit. Ita ille totius paulo ante Italiæ terror justæ necis metu honesto carcere se tutatus est, non prius emittendus, ut videbimus, quam partos vi principatus, collatosque a patre restituere Romanæ ecclesiæ paciscetetur; ejus vero exercitus mox dissolutus est. Ita qui partam tot sceleribus dignitatem facile tueri potuerat, si copias Gallis in Neapolitanum regnum abituris conjunxisset, vel in Romaniolam, quam tenebat, se recepisset, cœco impetu Romam reversus in carcerem, ut dicebamus, ultro se conjecit, omniaque impii tyranni consilia divino nutu eversa conciderunt, ne amplius ecclesiam divexaret. Restituta hoc modo, præter hominum expectationem, urbi & ecclesiasticæ ditioni pax est, ac pontificalium sacrorum solemnis pompa tranquille celebrata trigesima septembris die S. Hieronymo sacra Pium sacerdotium suscepisse referunt manuscripta diaria, ac die insequenti, quæ dominica fuit, prima octobris, episcopalibus sacris initiatum: tum octava ejusdem mensis die pontificali thiara ritu veteri redimitum. At paucis diebus eam dignitatem retinuit, cum maximas spes instaurandæ collapsæ disciplinæ ecclesiasticæ, tuendique contra Turcicam tyranoidem imperii Christiani ostendisset; quod inter alios refert prædictus Raphael Volaterranus (*d*): *Pius*, inquit, *ex ulcere cruris, ex quo diu laboraverat, trigesimo post creationem die decessit nihilo rerum abs se gesto, quas maximo animo conceperat, nam & ecclesiam Romanam renormare, concilium celebrare, ac in Turcas proficisci avunculi imitatione statuerat.* Fuisse autem sacramentis rite communitum refertur in Vaticani tabularii manuscripto codice (*e*) hisce verbis: *Die Martis* XVII. *octobris Papa* (nimirum Pius III.) *in mane fuit communicatus a confessore suo, & in nocte sequenti data sibi extrema unctione per eumdem, & circa decimam horam noctis emisit spiritum.*

(*c*) *Raph. Volat. l. 22. Guicc. l.5.*

Reditus Borgiæ in urbem.

In eum Ursini assiliunt.

Passus suorum stragem carcerem ingreditur, ut mortem evadat.

Coactus postea ad restituendos partos principatus.

Divino nutu eversa momento ejus consilia.

Pius sacris episcopalibus initiatus.

(*d*) *Volat. l. 22.*

Ejus obitus intempestivus. Ostensæ ab eo maximæ spes.

(*e*) *MS. arch. Vat. sign. n. 112.*

XVI. Deflevere pii omnes ejus obitum intempestivum, inter quos Petrus Delphinus (*f*) in literis ad Petrum priorem castri Cari sacra hæc pia suspiria in has voces rupit: *Erit mihi ejus*, nempe Pii III. *memoria semper quidem in benedictione, sed mœrore admixta, nec nisi longo temporis intervallo sine gemitu & suspiriis succurrere mihi poterit tantæ in me tantillum pietatis, charitatis & mansuetudinis recordatio. Non tamen propterea repugno voluntati Dei, nec contradico sermo-*

(*f*) *Petr. Delph. l. 7. ep. 81.*

Petri Delphini de eo flebiles literæ.

*nibus Sancti, qui optime novit, quo consilio Pium nobis abstulerit. Transtulit eum ad meliorem vitam, qui diu sibi, diu ecclesiæ commodis vixerat. Conjunxit eum angelicis choris, qui vitam angelicam duxerat, & gloria & honore sicut paulo ante in terris, ita modo in cælis felicius coronavit. Ex eo loco, ubi nunc cibo regio & ambrosia vescitur, ubi non jam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem divinam illam contemplatur majestatem, si revocare mihi ipsum liceat, nunquam facerem; nam aut invidera tanti antistitis gloriæ ac beatitudini crederer, aut nimium affectibus ac meis commodis indulgere: non mœrere tamen, non tristari qui possum?* Et infra: *Benedicam tamen Dominum in omni tempore, qui Pio reddidit mercedem laborum suorum, & me adhuc in laboribus & fatigationibus hujus sæculi dereliquit, ipse Pii precibus me custodiat, protegat, tueatur ne succumbam oneri, ne sub fasce ruam, &c. Ex Musolea die* XXIV. *novembris MDIII.*

XVII. Eo fuit bonis acerbior Pii mors, quo sperabant omnes clerum in pristinum disciplinæ ecclesiasticæ nitorem restitutum iri, corruptelasque omnes veteres, ac simoniacas fraudes abolendas, de quo laudatus Petrus Delphinus (*a*) Barrotio Patavino episcopo mœrenti hæc rescripsit: *Ut scripsisti, quoniam indigni illo fuimus, ostenderunt tantum terris hunc fata, si hoc uti vocabulo liceat. Nam quo animo inierit pontificatum, qua significatione reformandæ Ecclesiæ, ut alia defuerint testimonia, quæ plurima & firmissima & sanctissima produci queunt, nonne vel directæ illæ sanctitatis ejus ad te literæ sub annulo piscatoris obsignatæ zelum ipsius ac mentem sanctam apertius præseferunt? Cogitabat Rex pacificas cogitationes pacis, & jam omnes quietem temporum & annum placabilem Pii ductu & auspicio futurum sibi pollicebantur: jam nullus erat futurus simoniæ locus, ea labe ultra glacialem oceanum ablegata: jam luxus omnis frugalitate & continentia, suoque id potissimum exemplo, quemadmodum ex ejus coronatione conjectari licuit, cœperat moderari, multaque alia pia opera, ut audio, paucis diebus sua authoritate & sapientia confecit: sed heu dum adhuc ordiretur succisus est, translatus ad gloriam sempiternam, &c. Ex Musolea die* XV. *decembris MDIII.*

(*a*) *Petr. Delph. l. 7. ep. 84.* Disciplinam ecclesiasticam instaurare decreverat.

XVIII. Justis funebribus de more illi persolutis, ejus corpus in basilicæ S. Petri sacello S. Andreæ marmoreo sepulchro prope avunculi Pii II. mausoleum conditum est: deinde ab Alexandro Perretto Cardinale de Montealto translatum fuit in ecclesiam S. Andreæ, cui de valle nomen inditum est, magnificentissime constructam, atque epitaphium hoc eleganti mausoleo incisum fuit, quo ipsius præcipuæ res gestæ breviter describuntur: *Pius III. Pontifex maximus a Pio II. avunculo duos & viginti annos natus in Cardinalium collegium accitus, urbis ac Piceni legatione integerrime functus, a Paulo II. ad Fridericum III. missus, ut Germanorum arma in Turcos concitaret, conventum frequentissimum Pontificis morte dissolutum habuit. Sub Innocentio VIII. Umbros dissidentes pacavit, Carolo Gallorum Regi in Italiam irrumpenti ab Alexandro VI. sero admodum obviam missus. Eo mortuo duodequadraginta patrum suffragiis Pontifex creatus, dum de restituenda in pristinum majestate Christianæ reipublicæ in urbe agit,* XXVI. *die in tanta expectatione rerum publico omnium luctu decessit, eloquio, prudentia, religione innocentia, & gravitate domi forisque insignis; in dicendis in senatu sententiis liber & gravissimus. Vixit annos LXIV. menses v. dies x. obiit anno salutis Christi MDIII.* XV. *kal. novembris.*

Præcipua illius gesta ante Pontificatum.

Sedis tempus.

XIX. Consentit his Petrus Delphinus, qui tum scribebat, dum hæc ad Marianum Camaldulensem insignem ecclesiastem ac Pio olim charum scribit (*b*). *Obiisse in nocte S. Lucæ Pium III. Pontificem maximum, sicut & tu mihi scripsisti, ego quidem idcirco arbitror, ut agnosceret universus orbis extinctum fuisse ejusmodi lumen, quod suæ lucis splendore noctis nostræ tenebras facile fuerat discussurus: raptus est Pius in cœlum, ubi reposita erat ei corona justitiæ, & morte prohibitus est diutius permanere quoniam sempiternum non habebat sacerdotium: reliquit multos mœrore opletos, qui fuerunt suæ sanctitatis innocentiæque cultores. Sunt istæ mundanæ vicissitudines, quibus admonemur nihil esse stabile sub sole: assumptum vero fuisse kal. novembris ad summum apostolatus apicem reverendissimum Cardinalem S. Petri ad vincula, atque ex Juliano Julium secundum appellatum: sperare licet talem fore Pontificem, qui religione, prudentia, magnitudine animi nostros soluturus sit nexus ac vincula, quibus astringimur confracturus & jugum potentium a nobis projecturus. Impleat Dominus votum nostrum &c. ex Musolea die* XV. *novembris MDIII.*

(*b*) *Petr. Delph. l. 7. ep. 79.* Obiit nocte diei sacræ S. Lucæ.

Succedit illi Julius II.

Vacuum itaque mansit sacrosanctum solium diebus quatuordecim, numerata decima octava octobris die, qua inchoata Pius obiit; siquidem prima novembris die, ut idem author testatur, & publica monumenta sequenti anno afferenda confirmant, Julius II. Pio suffectus est: de quo nos tomo insequenti.

Vi-

I. Vigesimum annalium tomum divina ope confirmari aggredimur, in quo schismata ac varias hæreses instaurari ab impiis, evangeliumque apud Americæ barbaros Indosque propagari, dum plures Christiani populi terrenis irretiti cupiditatibus a veritatis luce oculos infeliciter avertunt, ac nequissimorum hominum firmam inconcussamque Ecclesiæ petram evertere molientium elisos conatus; catholicum vero dogma plurium martyrum cruore illustratum, & cœlestibus prodigiis constabilitum in consequenti historiæ serie visuri sumus.

*Hic incipit tom. VIII. edit. Romanæ.*

II. Justis funebribus ex majestate pontificia Pio III. persolutis (a), Cardinales conclave ingressi kalendis novembris anni a virgineo partu millesimi quingentesimi tertii indictione sexta evexere in sacrosanctum solium Julianum Robureum Raphaelis filium, Sixti IV. ex fratre nepotem, ut ipse testatur in suis sanctionibus (b), quem Felix Contelorius in Cardinalium elencho scribit fuisse Cardinalem S. Petri ad vincula nuncupatum, eundemque episcopum Ostiensem summumque pœnitentiarium, qui contracto Juliani nomine Julius II. appellari voluit. Porro Cardinales paulo ante ejus electionem nonnullas tulere leges, quibus jurejurando novum Pontificem devincirent, ut Christianam rempublicam contra Turcas tueretur, ecclesiasticam disciplinam in suum pristinum splendorem revocaret, propterea que concilium œcumenicum biennali flexu congregaret, ne temere bellis se implicaret, atque ideo nulli principi, nisi ex duarum sacri senatus partium consilio, arma inferret: quæ ac nonnulla alia ad Cardinalium dignitatem spectantia unusquisque se servaturum, si ad pontificatum evehi contingeret, divino Numini juratus spopondit, quibus de rebus hæ publicæ tabulæ sunt confectæ (c).

(a) *Paris e Grass. in diar. ms. arch. Vat. sign. lit. L. Bonacurs. in diariis. Guicc. l. 5.* (b) *Jul. lib. bull. 22 p. 97. & alibi.*

*Julianus Card. creatus Pontifex.*

*In nomine Domini. Amen. Universis præsens publicum instrumentum inspecturis notum & evidens sit, quod anno a nativitate Domini MDIII. indictione VI. die mercurii 1. mensis novembris, qua celebratur festivitas omnium sanctorum in mane, sede Apostolica per obitum felicis recordationis Pii Papæ III. vacante, Romæ apud S. Petrum in palatio apostolico in notariorum testiumque infrascriptorum præsentia, reverendissimi in Christo patres ac domini domini episcopi presbyteri & diaconi S. R. E. Cardinales infrascripti existentes in conclavi pro celebranda electione futuri Pontificis, induti croceis, & jam in unum congregati in capella S. Nicolai, volentes procedere ad hujusmodi electionem omnes in locis suis consederunt; ipsorum autem reverendissimorum dominorum Cardinalium nomina seu appellationes sunt hæc.*

(c) *Ext. apud acta concilíabuli Pis. p. 10.*

*Oliverius episcopus Sabinensis Cardinalis Neapolitanus.*

*Nomina Cardd. qui in conclavi fuere.*

*Julianus episcopus Ostiensis Cardinalis S. Petri ad vincula.*

*Georgius episcopus Portuensis Cardinalis Portugalensis.*

*Hieronymus episcopus Prænestinus Cardinalis Rachanatensis.*

*Ludovicus episcopus Albanensis Cardinalis Beneventanus.*

*Antonius episcopus Tusculanus Cardinalis S. Praxedis.*

*Joannes Antonius SS. Nerei & Achillei presbyter Cardinalis Alexandrinus.*

*Bernardinus tit. S. Crucis in Jerusalem presbyter Cardinalis Saguntinus.*

*Joannes tit. S. Priscæ presbyter Cardinalis Agrigentinus.*

*Dominicus tit. S. Nicolai inter imagines presbyter Cardinalis Grimanus.*

*Georgius tit. S. Xysti presbyter Cardinalis Rothomagensis.*

*Jacobus tit. S. Clementis presbyter Cardinalis Arborensis.*

*Petrus tit. S. Cyriaci presbyter Cardinalis Rheginus.*

*Franciscus tit. S. Cæciliæ presbyter Cardinalis Cusentinus.*

*Joannes tit. S. Balbinæ presbyter Cardinalis Salernitanus.*

*Ludovicus tit. S. Agathæ presbyter Cardinalis Caputaquensis.*

*Antonius S. Anastasiæ presbyter Cardinalis Comensis.*

*Joannes tit. S. Vitalis presbyter Cardinalis Bononiensis.*

*Joannes tit. S. Mariæ transtyberim presbyter Cardinalis Montisregalis.*

*Franciscus tit. SS. Joannis & Pauli presbyter Cardinalis Surrentinus.*

*Franciscus tit. S. Susannæ presbyter Cardinalis Volaterranus.*

*Nicolaus tit. S. Luciæ in septem soliis presbyter Cardinalis de Flisco.*

*Franciscus tit. SS. Sergii & Bacchi presbyter Cardinalis Legionensis.*

*Adrianus tit. S. Chrisogoni presbyter Cardinalis Batoviensis.*

*Jacobus tit. S. Stephani in Cœlio monte presbyter Cardinalis de Casa nova.*

*Raphael S. Georgii ad velum aureum diaconus Cardinalis S. R. E. camerarius.*

*Joannes S. Mariæ in Aquiro diaconus Cardinalis de Columna.*

*Ascanius Maria Sfortia Vicecomes S. Viti in macello martyrum diaconus Cardinalis S. R. E. vicecancellarius.*

*Joannes S. Mariæ in dominica diaconus Cardinalis de Medicis.*

*Federicus S. Theodori diaconus Cardinalis de S. Severino.*

*Hippolytus S. Luciæ in Silice diaconus Cardinalis Estensis.*

*Julianus S. Angeli diaconus Cardinalis Cæsarinus.*

*Aleuander S. Eustachii diaconus Cardinalis Farnesius.*

*Ludovicus S. Mariæ in Cosmedin diaconus Cardinalis de Aragonia.*

*Amanæus S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus Cardinalis de Albreto.*

*Ludovicus S. Mariæ in via lata diaconus Cardinalis Borgia.*

*Marcus S. Mariæ in porticu diaconus Cardinalis Cornelius.*

*Franciscus S. Sabinæ diaconus Cardinalis Elnensis.*

III. *Quibus reverendissimis dominis Cardinalibus sedentibus, ego Joannes Burchardus decanus Basiliensis, dictæ sedis protonotarius & magister ceremoniarum capellæ apostolicæ, tenens in manibus meis duos quinterniones alta & intelligibili voce diui in hanc sententiam. Reverendissimi domini hæc sunt capitula publica & privata, quæ paulo ante ordinata fuerunt per reverendissimas ordinationes vestras super regimine & administratione futuri Pontificis, propterea si places iurare de observando continentiam hujusmodi capitulorum, reverendissimæ dominationes vestræ iurent. Et pro parte eorumdem reverendissimorum Cardinalium responsum fuit, auod parati erant iurare, volebantque ut aliqui notarii essent de tali juramento rogati, & nominati fuimus & rogati a præfatis reverendissimis dominis Cardinalibus, venerabiles viri domini Hadrianus de Caprinis Viterbiensis, Garsias Fernandi de Bobadilla Salamanticensis diœcesis, & Raymundus de Raymundis Cremonensis diœcesis clerici, & ego ut de dicto juramento uuum vel plura conficerem, & quilibet nostrum conficeret instrumentum & instrumenta. Tum ego accepi librum evangeliorum & incipiens a reverendissimo domino Cardinale Neapolitauo decano sacri collegii, & gradatim vadens ad quemlibet de prænominatis reverendissimis dominis, recepi a singulis ipsorum juramentum de servandis dictis capitulis juuta eorum continentiam & tenorem, & omnes & singuli eu præfatis reverendissimis dominis Cardinalibus corporaliter tangentes sacram Scripturam sic juraverunt nobis quatuor notariis & testibus infrascriptis videntibus, audientibus, & intellivenribus. Quo iuramento per singulos præfatos reverendissimos dominos Cardinales præstito, de mandato eorundem reverendissimorum dominorum Cardinalium recessimus de dicta capella, & modico intervallo, videlicet unius horæ vel circa, intermissa, fuimus rursus ad dictam capellam vocati, in qua reperimus reverendissimum dominum Julianum olim episcopum Ostiensem Cardinalem S. Petri ad vincula, qui paulo ante sederat in ordine Cardinalium secundus, sedere ad quandam tabulam tanquam Papam, jam enim fuerat electus Papa nobis absentibus, & elegerat seu assumpserat sibi nomen Julius Papa II. cui ego porrexi dictos duos quaterniones publica & privata capitula continentes, quos sanctitas sua manu propria subscripsit & signavit, & dum ipse Ponsifex dicta capitula subscriberet, reverendissimus dominus Raphael S. Georgii ad velum aureum diaconus Cardinalis S. R. E. camerarius præfatus ibi astans alta & intelligibili voce diuit. Et ego tanquam camerarius S. R. E. requiro vos notarios, & quemlibet vestrum, ac testes rogatos, quod sanctissimus dominus nofter dominus Julius Papa II. subscribat tanquam Papa prædicta capitula publica & privata, quæ paulo ante inter nos omnes Cardinales primo fuerunt ordinata, deinde jurata.*

Leges propositæ designando Pontifici.

Singuli sacramento obstricti ad eas servandas.

Confirmatæ a Julio II. Pont.

IV. *Tenor vero omnium & singulorum capitulorum publicorum, de quibus supra fit mentio, sequitur & est talis. Nos omnes & singuli S. R. E. Cardinales infrascripti pro bono & felici regimine atque conservatione status universalis Ecclesiæ, juramus & vovemus Deo omnipotenti, & SS. Apostolis Petro & Paulo, atque omnibus sanctis Ecclesiæ suæ sanctæ promittimus quod, si aliquis eu nobis electus fuerit in Papam, statim post electionem de se celebratam jurabit & vovebit pure & simpliciter & bona fide servare, & servari facere & adimplere cum effectu omnia & singula infrascripta capitula, nernon facere rogari tres notarios, de eisdemque capitulis dare cedulas eorum & publicas bullas, prout in capitulis privatis est eupressum. In primis jurabit & promittet quod adveniente casu necessitatis subveniendi fidelibus Christianis, &c.* sequuntur multa capitula, quæ cum ad præsentem materiam non attineant, brevitatis causa omittuntur, deinde subditur.

Præcipua eorum capita.

V. *Item quod nulli Regi, principi, aut domino, aut communitati non subditæ movebit guerras, aut cum eis ligam faciet ad inferendum alicui guerram sine consensu eupresso duarum eu tribus partium dominorum Cardinalium præstando per calculos albos & atros. Item promittet & jurabit servare quod causas consistoriales absque voto majoris partis præfatorum dominorum Cardinalium non expediet, & quod in causis majoribus signanter in creatione Car-*

De non movendo ulli principi temere bello.

di-

De Cardinalium consensu expectando in negotiis majoris momenti.

*dinalium & processu faciendo contra eos, in privationibus vel translationibus episcoporum, ipsis invitis, & in constitutione legatorum de latere & capitanei generalis ac confalonerii Romanæ ecclesiæ, & reductione censuum ejusdem in liga, pace & bello extra terras Ecclesiæ & novorum officiorum institutione, generali quoque impositione decimarum, suffragia & vota Cardinalium dari debeant per calculos albos & nigros, aliter facta in contrarium ipso jure sint nulla & habeantur pro infectis, liceat tamen cuilibet Cardinali persuadere seu perorare quod sibi melius videbitur, votum tamen nonnisi per calculos datum intelligatur. Item promittet & jurabit, quod Cardinalibus per eum creandis, existente numero viginti Cardinalium antiquorum, non aperiet os in tribus causis, videlicet in creatione aliorum Cardinalium, alienatione seu infeudatione terrarum Ecclesiæ, & in non observatione horum capitulorum. Si vero infra numerum viginti Cardinales antiquiores existant, tunc Cardinales per eum creandi usque ad impletionem dicti numeri secundum tempus suæ creationis inter cæteros antiquos Cardinales ad dicta suffragia admittantur, in quibus tunc eis os apertum esse declarabit.*

VI. De congregando œcumenico Concilio.

*Item quia ad pacem Christianorum & Ecclesiæ reformationem ac reductionem multarum exactionum, expeditionem quoque contra infideles plurimum convenit generale concilium celerius congregari, promittet, jurabit, & vovebit intra biennium a creatione sua illud indicere & cum effectu incipere in loco libero & tuto determinando per eum, & duas partes reverendissimorum dominorum Cardinalium per calculos, nisi evidentissimum impedimentum obstiterit, quod a duabus partibus dominorum Cardinalium per suffragia calculorum judicetur. Item quod Cardinales per eum creandi præsentes in curia teneantur jurare hujusmodi capitula, alias non admittantur ad participia capelli, nec ad alios honores & privilegia Cardinalium.*

VII. Concepti a Julio Pont. Sacramenti formula.

*Item quod omnia & singula ratificabit & approbabit ante publicationem electionis suæ mediante promissione, voto & juramento suo & subscriptione sua in hanc formam scilicet. Ego N.... electus in summum Pontificem promissa omnia & singula promitto, voveo, & juro observare, adimplere in omnibus & per omnia pure, simpliciter & bona fide realiter & cum effectu perjurii & anathematis, a quibus nec meipsum absolvam, nec absolutionem alicui committam. Ita me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia; & similiter etiam jurabit aliis modis & formis infrascriptis.*

*Votum & juramentum facta a Cardinalibus super præmissis.*

VIII. Alia nuncupati a Cardinalibus.

*Nos omnes & singuli S. R. E. Cardinales congregati Romæ in palatio apostolico pro electione Romani Pontificis futuri in conclavi, ante altare in quo missa communis celebrari consuevit, supradicta capitula inter nos unanimiter & concorditer ordinata pro defensione catholicæ fidei & conservatione ecclesiasticæ libertatis, pro reformatione Ecclesiæ in capite & in membris, ac vinculo charitatis & pacis inter summum Pontificem & fratres ejus S. R. E. Cardinales confirmando, vovemus Deo & ejus matri Mariæ virgini gloriosæ, & beatis Apostolis Petro & Paulo totique cœlesti curiæ, jurantes ad sancta Dei evangelia corporaliter per nos tacta, & alter alteri ac etiam notariis publicis infrascriptis tanquam personis legitimis nomine sanctæ Romanæ ecclesiæ ac sacri collegii nostri, ac omnium, quorum interest stipulantibus, quod quicumque nostrum, qui fuerit assumptus ad apicem apostolatus, omni dolo, fraude, & machinatione cessantibus, & omni prorsus exceptione semota servabit & adimplebit omnia & singula in dictis capitulis contenta, nec illis aut eorum alicui contraveniet directe vel indirecte, publice vel occulte, quodque post electionem, aut ante publicationem omnia & singula prædicta confirmabit & approbabit authentico modo, & de novo puram promissionem faciet etiam per viam contractus in omnibus & per omnia coram omnibus nobis & notariis ac testibus cum subscriptione manus propriæ, simili voto, juramento, obligatione, & stipulatione promittet ipse, qui ex nobis electus fuerit, a prædictis promissione, voto, & obligatione, & juramenti præstatione, & ejus observatione, ac omnibus & singulis in dictis capitulis contentis absolutionem non petere, ner sibi concedi facere, aut concessa uti, nec ipsa potestate per ipsum eligendum alteri data se faciet absolvi, seu etiam secum in aliquo dispensari, quod si forsan [ quod absit ] aliquis nostrum ad pontificatum electus, ut præfertur, prædictis aut prædictorum alicui contraveniat, tanquam transgressor voti ac fidei præstitæ ac perjurus, tanquam etiam perturbator & scandalizator Ecclesiæ & totius Christianitatis habeatur & reputetur, & eo nunc dat & concedit facultatem & potestatem duabus partibus collegii congregandi concilium generale, cujus sententiæ [ in concursu pœnarum supradictarum & aliarum de jure ] propter prædictorum publicam & libertatem sacri collegii respirentium*

*tium transgressionem infligendarum se subiicit & submittit.*

IX. *Et insuper nos omnes Cardinales promittimus & juramus ac vovemus, si in aliquibus eu supradictis publicam utilitatem tangentibus, & libertatem sacri collegii consenserimus futuro Pontifici volenti in aliquo illis contravenire, nisi de consensu spontaneo & libero duarum partium ex nobis per calculos determinando, fructibus & emolumentis capelli & aliorum fructuum ecclesiarum, monasteriorum, & beneficiorum nostrorum privati censeamur, non expectata alia sententia, qui fructus capelli retineantur per camerarium sacri collegii, & accrescant aliis Cardinalibus observantibus jure ipso. Item quod de omnibus rogetur notarius, qui stipulet omnia & singula capitula nomine S. R. E. & sacri collegii Cardinalium, & de eis instrumentum facere & publicare teneatur, schedulaque præsens vel schedulæ similes fiendæ subscriptione & sigillo annulari futuri Pontificis muniendæ habeant vim bullæ in casu, quo ad triduum post coronationem suam non dederit sacro collegio seu bullas secundum tenorem subscriptorum capitulorum, prout in capitulo primo continetur. Quæ quidem capitula, omissis hic subscriptionibus reverendissimorum dominorum Cardinalium, qui in dicto conclavi interfuerunt, & illa subscripserunt, per sanctissimum in Christo patrem & dominum nostrum dominum Julium II. electum in summum Pontificem manu propria subscripta fuerunt sub his verbis: Ego Julius II. electus in summum Pontificem præmissa omnia & singula promitto, juro, & voveo observare & adimplere in omnibus & per omnia pure & simpliciter & bona fide realiter & cum effectu, & sub pœna perjurii & anathematis, a quibus nec me ipsum absolvam, nec alicui absolutionem committam. Ita me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia. Acta fuerunt hæc Romæ in palatio & capella anno, indictione, mense, die, & hora suprascriptis, &c.*

X. Tanto omnium consensu pontificiæ dignitatis apicem illi delatum referunt, ut conclavi nondum obserato, summus Pontifex renuntiatus sit. Cum vero postea conceptum sacramentum ad exitum perducere cunctaretur, inde conflatum schisma, secutaque mala ingentia visuri sumus. Quod ad res ab eo ante pontificatum gestas attinet; nonnulla ex iis suis locis jam ante in annales intulimus, quibus nunc addendum videtur elogium, quo illum Platina (*a*) jam ante Sixto Pontifice extinctus in manuscriptis commentariis ornaverat: *Julianus*, inquit, *insigni moderatione usus familiares, quoad fieri potuit, modestos sibi delegit, raram supellectilem & dignitati suæ convenientem sibi comparat, apparatu modico in victu & vestitu utens, nisi suscipere quempiam hospitio, vel convivio oporteret.* Et infra: *Ædificatione vero templorum ita delectatus est, profanas ædes ad tempus omittens, ut ecclesiam S. Petri ad vincula quemadmodum cernimus brevi & magnifice restituerit, inchoavit & porticum mire fastigiatam ante vestibulum Apostolorum.* His consentanea tradunt alii, adduntque ipsum toto Alexandri VI. qui ab eo abalienatus erat animo, pontificatu quasi voluntarium exilium delegisse, moratumque in Galliis cultum a Carolo VIII. & Ludovico XII. Regibus, eidemque S. Franciscum Paulanum religiosi sodalitii Minimorum conditorem divino collustratum lumine prædixisse, ipsum summum totius Ecclesiæ pastorem futurum.

*(a) Barthol. Plat. MS. arch. Vat.*

Commendatus ob modestiam. Sacras ædes ornavit.

Prædictus illi pontificatus a S. Francisco e Paula.

XI. Adoranda porro divina providentia, quæ diffidentes Cardinalium voluntates in eo concordibus suffragiis renuntiando Pontifice conciliarit, cum tot inter eos Hispani essent, quibus nimii in Francorum Reges studii suspectus merito videri potuisset, quibusque edixerat Alexander, caverent omnino, ne summum unquam deferrent pontificatum Juliano, viro ceteroqui, ut testantur plerique, largo, benefico, & liberali, & immunitatis ecclesiasticæ & pontificiæ dignitatis defendendæ studiosissimo. Non desunt qui malevolentia suffusi jactarint, illum profusis largitionibus amplissimisque promissis potitum pontificatu: quorum dicteriis addit incaute non contemnendus scriptor (*b*) quendam Cardinalem etiamsi Cardinali S. Petri ad vincula, existimatione, & divitiis præcelleret, a Juliano superatum; ipse enim Julianus, licet esset episcopus Ostiensis, pristino tamen Cardinalis S. Petri ad vincula nomine appellabatur: indicare autem videtur æmulum eum fuisse Guillelmum Cardinalem Rothomagensem, a quo pontificatum exambitum tradunt (*c*), quamvis amicis, existimatione, & divitiis præstaret a Juliano superatum. Renuntiatus igitur Pontifex apostolicis infulis VI. kal. decembris solemni ritu est decoratus, hocque symbolo uti voluit: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.*

Vetuerat Alexander ne illi deferretur.

*(b) Masson. in Jul. II.*

*(c) Bonacurs. in diariis & alii.*

Julii II. sententia.

XII. Certiores fecit de suscepto pontificatu encyclicis literis (*d*) Reges, quæ hisce verbis ad Poloniæ Regem datæ reperiuntur.

*(d) Reg. Vat. & ex eo Contelor. in Jul. II.*

*Alexandro Poloniæ Regi illustri.*

*Cum felicis recordationis Pius III. prædecessor noster XV. kal. novembris, sicut Domino placuit, ex hac mortali vita ad im-*

Quando Pii III. obitus contigerit.

*immortalitatem migrasset, post funeris ipsius ac solemnium exequiarum, ut moris est, celebrationem venerabiles fratres nostri sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales, de quorum numero tunc eramus, Romæ in palatio apostolico apud basilicam B. Petri Apostolorum principis, in quo idem prædecessor dum viveret habitabat, & cursum præsentis vitæ finiret, in conclavi pro electione futuri Pontificis celebranda modo & tempore congruis in virtute Altissimi convenirent, ubi variis consiliis & maturis deliberationibus præhabitis, facta celebratione missæ in honorem Spiritus Sancti, post diligentem tractatum, prout tantæ rei, qua nulla major in terris agitur, gravitas exigebat, tandem ejus, qui invocatus fuit gratia cordibus eorum infusa, licet in alios majoribus meritis insignes convenire potuissent, certo tamen Dei judicio, cujus consilia inscrutabilia sunt, nos tunc episcopum Ostiensem S. R. E. Cardinalem in sponsum pastoremque Ecclesiæ suæ sanctæ die prima novembris MDIII. unanimi voluntate & concordia elegerunt. Quoniam vero sicut Domino placuit ita factum est, quamvis nos habere humeros imbecilles ad tantum perferendum onus, quantum est universalis Ecclesiæ sarcina sentiremus, ne tamen reluctari Dei voluntati videremur, colla subjecimus jugo apostolicæ servitutis sperantes in eo, qui infirma eligit mundi, ut confundat fortia, cum Romanus Pontifex, licet per ministerium hominum eligatur, ex cœlesti tamen inspiratione procedat, quod fragilitati nostræ robur suæ gratiæ inspirabit, & vires contra hostes fidei suggeret, ut perfidi Turci non solum a suis ausibus retrahantur, sed ope divini auxilii & præsidio nostro, ac catholicorum Regum & principum penitus conculcentur. Hanc autem assumptionem nostram ad tuam consolationem tibi significandam duximus, quem ut nostrum & Ecclesiæ filium singulari charitate complectimur, hortantes majestatem tuam in Domino, ut porrigi facias preces solemnes ad dominum Deum nostrum, ut nobis sua gratia assistat, & nostræ humilitati gratiam tribuat, ut Ecclesiam suam sanctam ad gloriam & honorem ejus, ac exaltationem fidei, extirpationem hæresum, pacem & quietem populi Christiani feliciter in Domino gubernare valeamus. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MDIII. VI. kal. decembris pontificatus nostri anno 1.*

Quo die electus Julius.

Datæ ab eo spes de armis Regum in Turcas vertendis.

XIII. Susceptis pii illius consilii in ipso pontificatus exordio plura alia signa explicuit, cum enim vehementius angeretur Gallos & Hispanos in mutua viscera stringere arma in Neapolitano regno, quæ in Turcas avertenda erant, Ferdinandum & Elizabetham Hispaniæ Reges superiores bello flectere precibus ad pacem nisus est (a).

Pacem inter Reges instaurare nititur.

(a) Lib. 1. brev. p. 4.

*Ferdinando Regi & Elizabeth Reginæ Hispaniarum Catholicis.*

*Charissime fili, & charissima filia. Cum omnis cura & cogitatio nostra versetur in pace inter Christianos principes facienda, & conservanda, cum nihil æque ad officium pastoralis nostræ dignitatis pertinere noscamus, cum nullam rem Deo magis acceptam, aut magis hoc tempore necessariam nos facere posse intelligamus, non debent majestates vestræ mirari, si de ipsa pace toties scribimus, præsertim cum vestra singularis prudentia, & pietas nobis spem afferat, ipsas vestras majestates, quæ propagandæ reipublicæ Christianæ studiosissimæ semper fuerunt, libenter ea arma deposituras, quibus Christiani cum Christianis in mutuam animarum corporumque perniciem certant, redituras quoque in pristinam amicitiam & concordiam cum charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Rege Christianissimo, vobis in fide & charitate Christi germano, nulla unquam fuit tanta discordia, quæ in concordiam non possit converti, curantibus iis qui nulla privata cupiditate adducti sola & vera charitate utriusque partis moventur; quare cum pietas, & sapientia vestra & Christianæ reipublicæ ratio exposcat, ut finem huic bello faciatis, cum nos æquissimum patrem ac judicem vestri honoris & status studiosissimum habeatis, rogamus vos per viscera salvatoris nostri Jesu Christi, cujus pretiosissimo sanguine estis redempti, cujus vices, licet immeriti, nos in terris gerimus, ut pacem hanc amplecti velitis, atque nobis, ut alias scripsimus, significare, quibus modis & mediis ea & celerius & facilius confici possit. Quot commoda respublica Christiana ex hac pace sit susceptura, majestates vestræ, quæ illam adversus impios Sarracenos & Turcos defendendam & propagandam sibi sumpserunt, possunt facile judicare, cum ad vires vestras, quæ Dei benignitate maximæ sunt, ipsius & Regis Franciæ vires sint accessuræ, sed & sacrosancta Romana ecclesia, pientissima mater vestra, quæ nunc contra Deum & justitiam per summam injuriam civitatibus & oppidis multis in provincia nostra Romandiolæ spoliatur, opem vestram desiderat, cui hac pace facta auxilium, quod majestates vestras desiderare non dubitamus, opportuno tempore ferre poteritis, priusquam occupatores & usurpatores rerum suarum majoribus eam damnis injuriisque afficiant, cum quibus nec fœdus nec societatem ullam habere vos cre-*

Hispaniæ Reges ad pacem cum Gallo solicitati.

Memine[illegible] ambas partes Christi redemptas sanguine.

Expetita eorum auxilia contra invasores Insubriæ.

*credimus in præjudicium ipsius S. R. E. sed hostes illius pro hostibus habituros*. Dat. apud S. Petrum die xxi. decembris MDIII. anno 1.

XIV. Gallicus exercitus ob dissolutam militarem disciplinam profligatus.

Conciliatam postea fuisse pacem dicetur anno sequenti. Interea extremo hoc anno inclinatæ jam ante in Neapolitano regno Gallorum res contumacia militum in duces, maleque servato castrensi ordine potius, quam Hispanis viribus prostratæ sunt. Hæsisse eos diutius quam par erat, in agro ecclesiastico, ut interpontificii tempore Rothomagensi ad ineundum pontificatum faverent, accusat Buonaccursius (a), ac licentiæ laxasse fræna adeo, ut marchio Mantuanus ab iis indecore habitus discesserit: tum stativa in distantibus adeo locis delegisse, ut imminente hoste vires conjungere nec instruere ordines potuerint; unde cum post tentato frustra per Fanum S. Germani aditu ad maritimam oram signa flexissent, in Minturnensibus paludibus sive Gariliani, quem ponte junxerant, superandis conatu tumultuariis variis præliis fusi dissipatique fuerunt, quæ inter alios Sabellicus accurate describit ita (b).

(a) *Buonacc. in diariis Guicc. l. 6. Jo. Marian. l. 28. c. 5.*

Tumultuariis præliis attritus.

(b) *Sabell. enn. 11. l. 2. & alii.*

XV. *Repente in Hispana castra affertur hostem fluvium superare, edicit Consalis, ut Fabritius Columna eo mature occurrat obiiciatque se hostium conatibus, facessit ille intrepide duris imperium, cumque ala una equitum ad Lirim progressus ubi citeriorem ripam à Gallis teneri intuitus est [ jam sexcenti pedites fere pontem superaverant ] suos ad pugnam hortatus ferociter in confertissimum hostium globum invehitur, primoque impulsu turbat, turbatum fundit fugatque, Galli partim cæsi sunt, partim in proximum amnem præcipitati, ceciderunt etiam ex Hispanis quidam colubrinarum ictibus ex ulteriore ripa petiti, & pons ab hoste valide defensus est, quem cum præsidio firmassent Galli sæpe equites levis armaturæ Hispanorum castra tumultuose adequitarunt, estque per hæc nonnumquam ex occasione alterius partis ut fit circa pontem dimicatum.*

Gallorum clades.

XVI. *Imposuit pontem occulte fabrefactum flumini circa Sugum Albianus, estque ipse in primis hostem transgressus cum suo equitatu & paucis militum cohortibus, sequutus est inde Consalis dux & cum eo omne robur copiarum: Albianus Sugium ex hoste adortus subita vi cepit, aberant inde Gallorum stativa ad duo millia passuum, qui bombardarum sonitu commoti ducentos expeditos equites miserunt, qui omnia sollicite explorarent, hi ad locum progressi subito Albianorum impetu funduntur, Galli cognito hostium accessu, jam enim non aderat, quam maxima queunt celeritate æneas machinas partim Cajetam versus præmittunt, partim in proximum amnem devolvunt, postridie sub lucem modico negotio funduntur conatusque est Gallus uno aut altero loco prælium instaurare, sed res semel inclinata sisti non potuit, fuga ingens facta est, victi victoresque simul Cajetam pervenere, præsidiumque quod Galli circa montem habebant primo impetu capitur, captus est eodem impetu & mons qui urbi imminet, qui pro arce illi est, multi media trepidatione ubi rem perditam viderunt ad navem, quæ forte in proximo fuit, fuga delati aliis super alios sese ingerentibus adeo depresserunt, ut mare paulo fluctuosius circa Liris ostium nacti, cum tota navi sint fluctibus absorpti; periit in his Petrus Mediceus patria extorris qui Gallorum partes sequebatur, nec multi inde dies intercessere quibus Galli, qui Cajetæ erant, quia nulla spes supererat amplius urbis retinendæ, hostibus montem tenentibus certis conditionibus Cajeta cesserunt. Per hunc*, inquit, *modum Neapolitanum regnum partim fœdere inter Reges icto, partim vi & armis, Consalis ducis fortissimi ductu Ferdinando Hispaniarum Regi cessit*. Et infra: *inciderunt hæc in januarium mensem ejus anni qui primus fuit Julii II. Pontificis maximi, quartus ab eo quem Alexander sextus sacrum fecit Christiano nomini, nec ita multo postquam Galli regni finibus cessere, Ludovicus & Ferdinandus Reges in tres annos inter se inducias pepigere* (c), *ac tum demum Italia, Gallia, & Hispania bellicis curis solutæ quieverunt*. His verbis finem imponit historiæ suæ Sabellicus, qui mense januario cladem Gallicam consignat, cum illam die trigesima decembris consignet Guicciardinus, sequentibus vero diebus novis præliis & Cajetæ deditione aucta fuerit. Quod ad inducias vero spectat, de his iterum proximo anno sermo recurret.

Fuga Cajetam se proripiunt. Mons Cajetæ imminens occupatus.

Cajetæ deditio facta Hispanis.

Induciæ triennales inter Gallos & Hisp. pactæ.

(c) *Id. ib. & Marian. l. 28. c. 7.*

XVII. Coactis ita ad deditionem faciendam Gallis, qui Cajetam ex superioribus cladibus se receperant, Ludovicus Francorum Rex repetendi Neapolitani regni consilia dimisit. Captam porro Cajetam extremo hoc anno indicat Stephanus Infissura (d), qui quarta januarii die expugnatæ illius famam Romæ percrebuisse ait, cujus belli historiam recenset Raphael Volaterranus (e). Nuncupatæ porro deditionis a Gallis leges Arnoldus Ferronius (f) ita percenset.

(d) *Infiss. ms. arch. Vat.*

(e) *Volat. l. 3. Marian. l. 28. c. 6. & alii.*

(f) *Arnold. Ferron. in Lud. II.*

XVIII. Quibus legibus discesserint Neapolitano regno.

*His*, inquit, *legibus urbs dedita est, ut Galli omnes, Itali, Helvetii, qua visum fuisset vel terra vel mari cum omnibus equis impedimentisque libere in Galliam redirent, Cajetanorum res omnes salvæ essent,*

*sent, reliquisque urbibus quæ Gallicas partes fovissent fraudi ne esset, Aubignius Fermantius & reliqui captivi qui Neapolim abducti essent liberarentur. Non potuit impetrari a Consalvo ut Matthæus Aquævianus & Sanseverini liberarentur, diserte tamen additum est integra eorum causa Ferdinando servaretur, da bis neque Ferdinandus neque Consalvus supplicium sumere possent, donec per legatos Gallicos cum Ferdinando Reu egisset, ei peragendæ octo menses statuti sunt, hique postea pace inter Reges conciliata liberati sunt.* Et infra : *Incidit bellum hoc Neapolitanum II. in annum MDII, &* III.

XIX. De eadem Gallorum extra clade hæc referunt diaria eerimonialia Julio II. Pontifice : *Die Mercurii* III. *januarii in mane nuntiatum fuit Papæ, quadringentos pedites per eapitaneos Hispaniarum emissos invasisse Gallos extra Gajetam, Gallos aufugisse in Gajetam, & illos quadringentos Alemanos eos fuisse insequutos, & eepisse Gajetam, inde facta esse eapitula concordiæ quod infra biduum quod est per totum hodie Galli consignent Hispanis civitatem & castrum, & ipsi Galli permittantur pertransire libere per mare & cum eis omnes Galli in regno existentes, ita quod non possint descendere in terram usque Genuam, Itali autem qui cum Gallis fuerant possint transire per terram, quibus Cardinalis Columna promisit salvum conductum.* Ex partæ vero ab Hispanis victoriæ gloria magnam partem Columnenses decerpsisse tradit Volaterranus de Gundisalvi felicitate loquutus : *Gundisalvus igitur viu toto triennio elapso Siciliæ totius regno potitus Neapolim se recepit, ubi rebus in pace constitutis pro Rege præsidet, juraque populis dicit, in quo factum periculum, nunquam Hispanum ducem feliciorem, quam Romano milite fuisse; nam Prosper ac Fabritius Columnenses maximum victoriæ pondus accessere.*

XX. Auctum ab eo Cardinalium senatus. Auctum hoc anno Cardinalium senatum testatur Paris de Graffis (a) : *Quatuor Cardinales creati fuerunt in primo consistorio a sanctissimo domino nostro, videlicet die* XXII. *novembris MDIII. dominus Franciscus Guillelmus Gallus Narbonensis, dominus Joannes Hispanus creatus est Cardinalis Hispalensis, dominus Clemens de Ruvere Savonensis nepos Papæ Cardinalis Mimatensis, dominus Galeotius de Frangottis nepos Papæ Cardinalis S. Petri ad vincula.*

(a) *Paris e Graff. ms. arch. Vat. pag.* 346.

Gravissimis Julius initio pontificatus sui affectus afflictusque est difficultatibus. Obortæ in primis in sacro senatu suspiciones, captaque ab aliquibus Cardinalibus Hispanæ factionis fuga, quasi Julius Gallicis partibus addictus Hispanis infensus esset. Sumpsit res initium ex patefactis sceleribus, quæ Alexandro VI. Pontifice ab iis, qui plurima apud eum florebant gratia, patrata fuerant, Cæsar Borgia in primis illius filius pontificiarum opum expilator, qui nonnullas Romanæ ecclesiæ arces contra fas præsidiis munitas tenebat, & ab Ursinis quos valde læserat poscebatur ad necem, in Hadriana mole custodia inclusus est (b). Captus etiam veneficus, qui Cardinali Portuensi toxicum miscuerat, in cujus sceleris odium adductus Cardinalis Surrentinus mox in regnum Neapolitanum fuga præcipiti avolavit, secumque Ludovicum Valentinum Cardinalem abduxit vigesima (c) die decembris, quos a fuga retrahere contempsit Julius. Die autem proximo Ferdinandum & Elisabetham Hispaniarum Reges contra improborum susurros præmunivit eos effugisse, non quod male essent habiti, sed quod mala ipsos conscientia exterruisset.

Cæsar Borgia carceri traditus.

(b) *Jul. lib. brev. p.* 4.

Cardinales Surrentinus & Valentinus fugiunt ex urbe.

(c) *Infiss. in diar. ms. arch. Vat. sign. n.* 111.

*Ferdinando Regi & Elizabeth Reginæ Hispaniarum Catholicis.*

Sublatus veneno Card. Portuensis.

*Cum nuper da genere mortis bonæ memoriæ Joannis episcopi Portuensis Cardinalis S. Angeli, quem tempore felicis recordationis Aleuandri VI. nostri prædecessoris veneno extinctum esse fama ferebat, inquireretur, divina justitia, quæ tantum scelus nec occultum nec impunitum permisit, cooperante, est factum, ut quidam magister domus ejusdem Joannis Cardinalis, qui eidem venenum porrexerat, fuerit captus, qua re audita Franciscus Cardinalis Surrentinus, qui in obitu ejusdem Cardinalis S. Angeli almæ urbis gubernator erat, magnaque infamia hujus veneni tunc laboraverat, sibi conscius noctu ex urbe in regnum Neapolitanum profugit insciis & insalutatis nobis, & ut socium turpis fugæ videretur habere, dilectum filium nostrum Ludovicum tit. S. Marcelli presbyterum Cardinalem Valentinum vanis suspicionibus territum, ut secum ex dicta urbe profugeret magno astu seduxit, nulla habita ratione cardineæ dignitatis, & inclytæ nationis Hispanæ, cui hac fuga non parvam maculam inurebat. A nobis quidem humanissime & liberalissime tractabatur, & quæcumque petierat fuerat consecutus, sed sua illum conscientia etiam aliorum scelerum terret atque euagitat. Potuissemus eum in ipso fugæ itinere capi facere, si a nostra solita mansuetudine voluissemus discedere. Hæc qualiacumque sunt majestatibus vestris significanda duximus, ut ex literis nostris rei veritatem intelligant, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum die* XXI. *decembris MDIII. pontifi-*

Surrentinus sceleris infamia aspersus.

Julii Pont. de eo querelæ.

*catus nostri anno* I. Vitavit justam severitatem Surrentinus Hispanorum Regum clientela tectus.

XXI. (a Jul. II. to. I. lit. commun. p. 297.) Hoc anno confirmata sunt a Julio II. (a) plura beneficia, quibus Hispaniarum Reges ab Alexandro VI. ornati fuerant, sive immunitates & donationes iis factas continerent, sive pro animarum salute promovenda, aut pro ecclesiarum tuenda dignitate, vel religiosa disciplina asserenda, aut incorrupta fidei puritate ab hæreticorum corruptelis vindicanda emanassent. Consignatum apostolicum est diploma hac loci & temporis nota. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCIII.* VI. *kal. decembris pontificatus nostri anno* I.

XXII. Accessisse hoc anno oratores Anglorum Regis ad obedientiam Pio III. præstandam, eamque ritu solemni Julio in illius locum subrogato detulisse, referunt diaria (b) cerimonialia; præterea ipsos impetrasse ab eodem Pontifice, ut apostolica authoritate leges canonicas solveret, quo Henricus Regis filius Catharinam Ferdinandi & Elisabethæ Hispaniæ Regum filiam antea Arturo fratri majori natu nuptam eo jam defuncto, sibi matrimonio jungeret: nam ex ea affinitate Hispanus & Anglus maxima commoda, tum præcipue ad deprimendos Gallos, confirmandasque adversum eos vires communes se consecuturos sperabant, hoc diploma ostendit (c) [1].

(b) MS. arch. Vat. sig. num. 111. p. 354.

(c) Jul. II. bulla. secr. lit. 99. sign. n. 918. p. 39. ext. etiam apud Tom. Cajet. to. 3. tract. 14. c. 2.

Diploma Julii de legibus canonicis solvendis pro glore vidua ducenda in uxorem.

*Julius, &c. dilecto filio Henrico charissimi in Christo filii nostri Henrici Angliæ Regis illustris nato, & dilectæ in Christo filiæ Catherinæ, charissimæ in Christo filii nostri Ferdinandi Regis, & charissimæ in Christo filiæ nostræ Elizabeth Reginæ Hispaniarum & Siciliæ Catholicorum natæ illustribus salutem, &c.*

*Oblata nobis pro parte vestra petitionis series continebat, quod cum alias tu filia Catherina, & tunc in humanis agens quondam Arturus charissimi in Christo filii nostri Henrici Angliæ Regis illustris primogenitus, pro conservandis pacis & amicitiæ nexibus & fœderis inter charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum & charissimam in Christo filiam nostram Elizabeth Hispaniarum & Siciliæ Reginam Catholicos, ac præfatum Angliæ Reges & Reginam, matrimonium legitime per verba de præsenti contraxisseris, illudque carnali copula forsan consummavissetis, dictus Arturus prole ex hujusmodi matrimonio non suscepta decessit, cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, ad hoc, ut hujusmodi vinculum pacis & amicitiæ inter præfatos Reges & Reginam diutius permaneat, cupiatis matrimonium inter vos per verba legitime de præsenti contrahere, supplicari nobis fecistis, ut vobis in præmissis de opportunæ dispensationis gratia providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui inter singulos Christi fideles, & præsertim catholicos Reges & principes pacis & concordiæ amœnitatem vigere intentis desideriis affectamus, vos & quemlibet vestrum a quibuscumque excommunicationis suspensionis, & interdicti aliisque, &c. & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobisque, ut impedimento affinitatis hujusmodi præmissis proveniente, ac constitutionibus & ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, matrimonium per verba legitime de præsenti inter vos contrahere, & in eo, postquam contractum fuerit, & si jam forsan hactenus de facto publice vel clandestine contraxeritis, ac illud carnali copula consummaveritis, licite remanere valeatis authoritate apostolica tenore præsentium de speciali dono gratiæ dispensamus, ac vos & quemlibet vestrum si contraxeritis, ut præfertur, ab excessu hujusmodi ac excommunicationis sententia, quam propterea incurristis, eadem authoritate absolvimus, prolem ex hujusmodi matrimonio sive contracto sive contrahendo susceptam forsan, vel suscipiendam legitimam decernendo, proviso quod tu filia Catherina propter hoc rapta non fueris. Volumus autem quod si hujusmodi matrimonium de facto contraxistis, confessor per vos & quemlibet vestrum eligendus pœnitentiam salutarem propterea vobis injungat, quam adimplere teneamini, Nulli ergo, &c. nostræ absolutionis. Datum Romæ apud S. Petrum anno MDIII.* VII. *kal. januarii pontificatus*

NOTÆ [1] QUamquam hoc anno missi ex Anglia ad Pium III. legati eo defuncto obsequium Julio II. præstiterunt; alios tamen sequenti anno ad Julium ipsum missos venisse adnotatum, est in excerptis diarii Burchardi ab Eccardo inter historicos medii ævi to. II. col. 2159. vulgatis. Ibi enim ingressus in urbem *novorum oratorum* regis Angliæ diei XX. aprilis assignatur. Ex quo intelligimus quanta olim veneratione Henricus VIII. Angliæ Rex Romanos Pontifices prosequeretur, cum præstito a legatis suis Pio destinatis obsequio non contentus alios data opera ad Julium destinarit atque direxerit. Ex iisdem pariter excerptis discimus ducem Valentinum illo quidem anno custodiæ traditum fuisse a Julio, sed pro carcere non quidem molem Hadrianam, ut scribit Annalista n. 20. *at superiorem cameram turris novæ* obtinuisse. Legimus ibi pariter cardinales Surrentinum & Borgiam intellecta ducis Valentini detentione noctis silentio *iter Marinum versus* arripuisse. MANSI

*tus nostri anno* 1. Nullo modo tunc in dubitationem res hæc adducta est, nimirum an vidua relicta a fratre duci ex indulgentia apostolica in uxorem posset: at postea, cum Henricus sceptro Anglo potitus nullam prolem masculam e Catharina susciperet, veluti naturæ Conditori indignatus, conjugium contra leges Christianas tempore contractum causatus, ipsemet illud pontificia authoritate contempta rescidit, atque Angliam exitiabili schismate ab ecclesia Romana divulsit, ut suo loco lugebunt annales nostri.

XXIII. Cum vero plura in Galliis nata essent inter Venusini comitatus accolas clientes Pontificis & circumpositos populos Gallico sceptro subditos dissidia, ad ea tollenda Julius Georgium tit. S. Sixti presbyterum Cardinalem, cui Avenionensem legationem dederat, incumbere jussit (*a*).

(*a*) *Lib. bull. secr. 99. p. 185.*

*Dilecto filio Georgio tit. S. Sixti presbytero Cardinali Rothomagensi in nostris civitate Avinionensi & comitatu Venaysini, ac terris adjacentibus Delphinatui & provinciæ Provinciæ nostro & Apostolicæ sedis legato salutem & Apostolicam benedictionem.*

Georgium Card. Rothom. creat legatum in Gallia.

*Cum nos te hodie ad regnum Franciæ pro sedandis & demoliendis guerris, differentiis & dissensionibus inter Reges & principes Christianæ religionis, & permaxime nobis charissimos in Christo filios nostros Lodovicum Francorum, & Ferdinandum Castellæ & Legionis Reges illustres, aliosque hinc inde adhærentes, procurante humani generis hoste vigentibus, & nonnullis aliis nostris & Romanæ ecclesiæ negotiis legatum de latere de fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio præsentialiter duxerimus destinandum, nos attendentes & debita præmeditatione pensantes, prout experimento didicimus quod inter præfatum Regem & regnicolas hominesque & habitatores Delphinatus provinciæ Provinciæ, nec non subditos nostros comitatus Avinionensis & comitatus Venaysini, quamplures lites & controversiæ super confinibus, juribus, jurisdictionibus & aliis rebus, ex quibus strages, homicidia, devastationes bonorum, & personarum captivationes & detentiones, aliaque quamplurima & enormia non sine magna locorum, personarum & habitatorum eorumdem, ac Romanæ ecclesiæ damno & jactura successerunt, majoraque & graviora, nisi desuper remedio provideatur opportuno, succedere formidantur, multo tempore exortæ fuerunt, & pro quibus sedandis nos tunc in minoribus constituti & cardinalatus honore & pleno legationis officio a latere nobis desuper ab Apostolica sede commisso fulgentes, pluribus annis insudavimus, & in dies insudare intendebamus, sed quia felicis recordationis Pio Papa III. prædecessore nostro, prout Altissimo placuit ab humanis exempto, ad summi apostolatus apicem divina favente clementia fuimus assumpti, curis altioribus nobis incumbentibus,* & infra, *te de fratrum nostrorum consilio in nostris civitate Avinionensi & comitatu Venaysino & terris illis adjacentibus, nec non Delphinatu ac provinciæ Provinciæ, illorumque singulis diœcesibus, etiam si extra limites illorum se protendant & extendant, tanquam pacis Angelum nostrum & Romanæ ecclesiæ nominibus nostrum & Apostolicæ sedis legatum facimus, creamus, constituimus & deputamus,* & infra, *circumspectioni prædictæ quod eisdem aut saltem paribus ac penitus & omnino consimilibus facultatibus, potestatibus, concessionibus, authoritatibus, privilegiis gratiis decretis declarationibus indultis literis formis clausulis & tenoribus, quibus in minoribus tunc tit. S. Petri ad vincula presbyteri primo, & successive Sabinensis & deinde Ostiensis episcopus Cardinalis officio in nostris civitate Avinionensi & comitatu Venaysini, & aliis in legatione ipsa Avinionensi comprehensis specificatis & designatis provinciis & dominiis, terris & locis utebamur & fungebamur, nobis a sede Apostolica concessis, ita quod per hanc præsentem legationem legationi prædictæ tunc universali & facultatibus prædictis illius occasione concessis in aliquo non derogetur, uti potiri & gaudere possis & valeas,* & infra, *motu proprio & ex certa scientia non ad tuam vel alterius nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate & Apostolicæ sedis potestate plenitudine concedimus, &c. Datum. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MDIII. pridie nonas decemb. pontific. nostri an. 1.*

Inter clientes Galliæ Regis & Pontificis ortæ lites in Provincia.

Earum sedandarum cura legato commissa.

XXIV. Celebrati sunt affecto jam anno solemnes ordinum imperii conventus (*b*), quibus Raymundus S. Mariæ novæ presbyter Cardinalis, idemque episcopus Gurcensis interfuit pontificio oomine, quorum causa licet vulgus latuisse dicatur, tamen in iis de tuenda augendaque re Christiana tum adversus novatores Bohemos, tum adversus Turcas actum constat. Idem etiam legatus, cum in Constantiensi agro certissimis argumentis comperisset tres sanctas virgines pluribus miraculis a Deo illustrari, sacra indulgentiarum præmia earum reliquias veneraturis proposuit, ut refert Nicolaus Baselius (*c*): *Eodem*, ioquit, *anno circa festum Simonis & Judæ Apostolorum factus est in oppido regali Francofordensi conventus principum quorumdam, in quo convenerunt* Ber-

(*b*) *Trith. chron. Spanh.*

(*c*) *Nic. Bas. in addit. ad Naucl.*

*Bertholdus Moguntinensis, Hermannus Coloniensis, & Jacobus Trevirensis archiepiscopi, Philippus quoque comes palatinus Rheni, & Joachimus marchio Brandeburgensis quinque dignitatis electoriæ principes. Porro ex parte ducis Saxoniæ Friderici aderat eques auratus Henricus de Bina, doctissimus: causas vero conventus paucis volebant esse manifestat. Aderant Maximiliani Regis Germanorum legati & Raymundus Cardinalis Gurcensis Apostolicæ sedis legatus de latere, de Colonia navigio iter per Rhenum & Mogum faciens, atque in eo conventu suæ finem legationis constituens; nam Moguntiacum divertendo per Vangiones & Nenietes, ad Rauracos usque pervenit. Apud Basilienses itaque subsistens miraculorum frequentiam trium sanctarum virginum Kunegundis, Viberadis, & Mechtildis in ecclesia parochiali villæ cujusdam Eichsel dictæ Constantiensis diœcesis non procul ab oppido Rynfelden, quod est Basiliensis diœcesis, quiescentium audiens, unum a secretis Jacobum Merbolt Bambergensis diœcesis clericum pro inquisitione veritatis, quam fama sparserat, misit; qui ad locum veniens vidit mulierem monoculam per annos ferme sendecim ad memoriam & tumbas prædictarum virginum illuminari, & defectum oculi penitus auferri; sic quod veteris in ea morbi nullum deinceps apparuit vestigium: alteram quoque mulierem biennio peralysi membrorum contractam ad memoratarum virginum invocationem pristinæ sanitati restitutam convaluisse, ita ut surgens de grabato, in quo jacebat pedibus sana, votum a se promissum adimpleret: adolescentem quoque annorum octodecim, cum adhuc puer esset, ac tertio suæ ætatis anno, eum jam verba loqui semiplena cœpisset, ictu fulguris & tonitru tactus loquelam amisisset, ad memoriam virginum oblatum a parentibus perfecte restitutum loquelæ didicit, ita ut sine impedimento verba perfecta loqueretur. Referens vero hæc eadem a secretis missus Cardinali Raymundo, quæ ab ecclesia Romana canonizatæ non fuerant virgines, jussit, ut celebri honore ab omnibus venerarentur, indulgentias ad earumdem natalitios dies juxta sibi traditam facultatem distribuendo.*

Francofurti insignes conventus celebrati.

Miracula ad reliquias trium virginum edita.

Natalitius earum dies coli jussus.

XXV. Luxit (*a*) eodem anno oriens Christianus extinctum propugnatorem suum fortissimum Petrum Aubussonium S. R. E. diaconum Cardinalem, ac supremum Jerosolymitanorum equitum magistrum, cujus præclaros de Torcis actos triumphos nulla ætas conticescet, cui si principes occidentis assensissent, non amissa modo recuperare, sed religionis etiam imperiique sui fines latius proferre potuissent; idemque egregio facinore extremum anteactæ illustris vitæ annum ornavit: cum enim animadvertisset ex Judæorum Rhodi commorantium colluvie tanquam ex fœdissima sentina omnia pene vitia, quibus Rhodii cives inficerentur dimanare, eos mulctavit exilio, jussitque Niciam Provinciæ deportari; ne, si hærerent in oriente, barbari ipsis tanquam exploratoribus uterentur; eos vero, qui superstitionem veterem exuere, cælestique lavacro expiari mallent, Christianorum numero ascriptos manere Rhodi permisit. De Judæorum pueris rogatis plurium doctorum sententiis, statuit de iis tanquam de servorum filiis, prout domino visum esset pro eorum bono consulendum. Sanxit itaque e parentum damnatorum exilio sinu avellendos, atque in Christiana religione educandos. Curatum est magnificentissime illius funus, communique equitum decreto sepulchrum æneum eleganti arte illi positum, in quo deportati ab eo triumphi, gestaque insculperentur. Successit ei in equestri præfectura Aymericus Ambasianus Rothomagensis Cardinalis frater, quem Ludovicus Francorum Rex dominicæ crucis particula & gladio, quo S. Ludovicus in Syriaca expeditione accinctus fuerat, donavit; quæ sacra munera in Rhodio ærario reposita fuerunt.

(*a*) *Bosius 2. p. hist. eq. Hierosol. l. 16.*

Petri Aubussonii Card. obitus.

Proscripti ab eo Judæi & cur.

Christianam fidem amplexos fovit.

Proscriptorum utpote servorum filios in fide Christi educandos servavit.

Aymericus Ambasianus successit Aubussonio.

XXVI. In India hoc anno Christianam rem auctam narrant (*b*) Indicarum rerum scriptores, susceptum Cocini principis adversus Zamorinum Calecuti & Brachmanarum Regem patrocinium a Francisco Albuquerquio, arcem a Lusitanis Cocini primum extructam, tum ædem ligneam veluti alterius magnificentioris exemplar consecratam Christo (*c*), in eamque signum pendentis e cruce Domini sub umbraculo pretioso ingenti apparatu summaque lætitia illatum, quod illo primum die Romana ecclesia divinis in rebus, Lusitana gens in humanis in Indiæ possessionem quodammodo venire viderentur. Repressa deinde variis excursionibus Zamorini ferocia est, paxque amplissimis conditionibus extorta: qua fama Christiani nominis excitati tutores Colani (*d*) Regis nostrorum fœdus exambivere, eoque missus (*e*) Rodericus Dominicani sodalitii sacerdos ad disseminandum evangelium, multos ab stipendiis dæmonum ad Christi signa traduxit, labantesque alios in recta fide confirmavit. Addunt Barrosius (*f*) & Maffens (*g*) eodem anno, quo hæc gerebantur, nimirum millesimo quingentesimo tertio, navarchos aliquot Olissippone profectos ad disturbanda Arabum cum Indis commercia, Zanzibaris Regem ad implorandam Emma-

(*b*) *Jo. Barros. dec. 1. Asiæ l. 7. c. 1. 2. 3. Osor. l. 3. & Maff. hist. Indic. l. 2.*

Templum primum a Lusitanis Christo positum in India.

(*c*) *Jo. Barrosius ib. c. 2. Maffe. ubi sup.*

Zamorinus repressus.

(*d*) *Barr. sup. c. 3.*

(*e*) *Maffejus ubi sup.*

Roderic. Dominican. Christi fidem latius profert.

(*f*) *Barr. sup. l. c. 4.*

(*g*) *Maff. l. 2. ubi sup.*

manuelis Regis fidem variis cladibus adegisse, Bravæ etiam opulentæ urbi annuum vectigal imposuisse: tum Melindensi Regi socio adversus Mombazæ tyrannum, a quo valde premebatur, opportunas suppetias tulisse, hostemque ad peragendam pacem compulisse: patefactos ita aditus evangelio in eas omnes oras, ut tenebricosus oriens illius luce frueretur.

XXVII. Interea Christophorus Colonus perlustratis superiore anno variis alterius orbis provinciis, hoc ineunte varias regiones, quas Beragun, Hiebra, & Duraba flumina interluunt, obivit (a), cumque in Duraba strigmenta aurea arenis immista Hispani comperissent, ibi ædes figere decreverunt; sed barbari, qui hospites benigne exceperant, id passi non sunt, ac post varia inita prælia ægerrime in Jamaicam insulam alveis navium a vermibus pertusis applicuere. Quantos vero labores exantlarint qui posteris novum orbem aperiebant, exposuit postea Leoni X. Petrus Martyr (b) hisce verbis: *Evaserunt tandem & ad Jamaicam*, inquit, *semianimes appulsi sunt, obrutis ibi navigiis omnibus intercepti vitam egere mensibus decem Virgiliani Achemenidis vita in nudorum barbarorum potestate calamitosiorem, ejus terræ cibis contenti, si quando barbaris placebat impartiri. Profuit nostris odium capitale quo sese invicem barbari reguli prosecuntur; ut enim nostros fautores haberent, si quando cum finitimis hostibus bella ingruerent, pane aliquando patrio famelicos recreabant. Sed quam miserum & ærumnosum, pater beatissime, sit mendicato panem adipisci, conjectet tua sanctitas, ubi præsertim cætera desint, vinum puta carnesque vel omne pressi lactis genus, quibus Europæorum hominum stomachi a cunis solent enutriri*. Addit eos virtute & ingenio calamitatem vicisse, cymbula enim unilignea Didacum Mendes acceptis duobus Jamaicensibus portuum peritis ad Hispaniolam quadraginta submotam leucis tumido mari pervenisse, adiisseque urbem regiam S. Dominico sacram, moxque duabus comparatis navibus Europæis nostros egestate confectos revectos esse. De earum terrarum, quas sub torrida zona incultas sibi persuasit antiquitas, amœnitate subdit: *Universos tractus illos, quos percurrisse Colonum diximus*, ipse scribit, *idemque fatentur omnes laborum socii, toto anno esse frondosos, virentes, amœnos, & quod majus est, salubres, in quibus eu universo comitatu nullus umquam ægrotaverit, neque horrenti frigore umquam aut æstu fervido quinquaginta leucarum intercapedine a Cerabaro magno portu ad usque Hiebram & Beraguam venatum se fuisse jactat*.

(a) Petr. Mar. dec. 3. c. 4.

Perlustrata Americæ plura loca a Christoph. Colono.

(b) Id. ib.

Maximi labores suscepti a primis Americæ Hispanis cultoribus.

Veterum Europæorum gravissimus error de zona torrida. Tractus sub zona torrida in America amœnus.

XXVIII. De infelicium autem populorum aurum quærentium institutis subjungit: *Cerabaroi populi, quique jacent medii ad Hiebram usque Beraguam nonnisi certis anni temporibus auro intendunt quæritando, suntque negotiationis ejus opifices exerciti, uti apud nos argenti ferrique fodinatores, quæ loca magis auro fortunentur a specie defluxi torrentis, a terræ colore, aut hujuscemodi argumentis longo hi callent experimento. Credunt inesse auro numen; quandoquidem ad id negotii minime tendunt incupiati ex priscorum religione, puta qui a coitu & omni oblectamento abstinent, cibisque ac potu parcissime utantur. Universo legendi auri tempore vivere tantum ac mori datum, hominibus, ut cæteris animantibus, arbitrantur, propterea nihil colunt aliud; solem tamen venerantur, & surgentem ab orizonte reverenter excipiunt*.

Americanorum in auro quæritando superstitio. Misera eorum sors pares bestiis se reputantium.

XXIX. Subiicit mira de montibus vastis, qui a meridie sublati, atque ex oriente in occidentem excurrentes angustias eas terrarum velut repagula validissima firmant, ne adversa duo vastissima concurrant maria: hos vero montes Dabaibam appellant; ex quibus & flumini ex eisdem mananti nomen inditum. Qua porro superstitione Dabaibam colant, ut vetustas montes etiam coluit, enarrat Petrus Martyr (c): *Dabaibam ferunt fuisse fœminam apud majores eorum magni animi & providentiæ, quam viventem antiquitas observabat, mortuam inquiunt reverenter coli ab universis regionum illarum incolis: ab ea regiones nomen sumpsisse aiunt & mitti fulgura tonitruaque, ac segetum stragem, si quando irascatur; irasci namque pueriliter sentiunt Dabaibam, si negligenter sacris ejus intendatur. Eam miseris inculcat superstitionem genus hominum fallax sub nomine religionis, quo frequentia dona portent ad Dabaibæ sacra, quibus ipsi fruantur*.

Divina providentia in Montibus firmandis ne adversa concurrant maria.

(c) Id. ib.

Stultæ Americanorum fabellæ.

Sacra montibus ab insanis facta.

XXX. Quod ad dæmonum ludibria attinet; hoc ineunte anno in Etruria spectris horridis infestatam fuisse quandam domum narrat Petrus Delphinus in literis ad Petrum Barrocium episcopum Patavinum, a quo consilium in re ancipiti expetit, sic inquiens (d): *Audi aliquid novi, ut consulas quid agendum, ne in continua trepidatione & pavore versentur, qui domestica vexatione impugnati non sinuntur quiescere. Habet nostra sacra eremus ædes quasdam in medio socii, quod oppidum a Musoleæ hujus nostræ secessu quingentos circiter passus distat. In iis habitat familia bene morata ac boni testimonii, vir scilicet*

(d) Petr. Delph. l. 7. ep. 56.

Mira dæmonum ludibria & vexationes.

*licet cum uxore, filiis, ac nepotibus. Quintus hic agitur mensis, quod in eo domo audiri ac videri cœpta sunt nescio quæ portenta, strepitus vocum, motus atque impulsus capsarum, dum super iis domestici insiderent, ictus parietum, ictus lapidum ac fragmentorum ad magnitudinem dimidii fere lateris, quæ ex contignatione in pavimentum dejecta sonitum ruinæ similem excitant. Novissime diebus istis etiam gemitus quasi lamentantium exaudisi sunt, & lapides haud exigui in familiam conjecti, adeo tamen levi emissione atque ictu, ut percussi viu sentiant. Visa quoque fuisse ibidem simulacra nescio quæ, & noctium phantasmata affirmant; quamvis interdiu etiam memoroto omnia eveniant, ut territi qui inhabitant domum, ac ingenti formidine ac stupore perculsi, præsertim parvuli ac mulieres viu permittontur præ metu somnum capere, ac officinas ædium cubiculoque trepidi ac trementes ingrediantur. Quid sibi velle ista putes, ac si quod tibi succurrit remedium non gravaberis rescribere. Oratum est a sacerdotibus multis, missorum concelebrata solemnia ipsius patris familias nomine, atque ab eodem eleemosynæ hujus rei gratia erogatæ, nec sibi videtur aliquid profecisse, &c. Musolea die* XXVI. *januari MDIII.* Similia sunt hæc iis, quæ S. Gregorius narrat, dum de S. Dacio episcopo Mediolanensi in orientem profecto loquitur in dialogis: quæ permittit interdum Deus, ut increduli sciant alia esse quam quæ videntur sensibus corporeis: plures enim in eam lapsos hæresim, ut omnia tantum sensibus metirentur indicat Joannes Picus Franciscus Mirandulanus in libro de Christiana fide, quem Julii II. nomine inscripsit.

Cur numen dæmonum incursiones permittat.

XXXI. *Jam millesimus supra quingentesimum annus evolvitur, ex quo persequente Herode, adversantibus Romanis rerum dominis, reclamantibus Judæis, obstantibus diabolis, sensu demum & carne repugnantibus, sanctissima hæc religio, quæ prius sub mysticis prophetarum velaminibus & umbra legis Mosoicæ multis annorum millibus quasi in magistri ita dixerim utero delituerat, & nata & aucta & propagata est; vixque ullus tam semotus orbis angulus reperitur in quo aut in Christi honorem extructæ ecclesiæ non fuerint, aut ejus saltem nominis famo non personuerit. Quod regnum igitur huic vel magnitudine vel victoria vel gloria conferendum est, quando non solum ab oriente sole ad occidentem propagatum est [extremos enim utriusque oræ Reges & populos, ut medios taceam, Christi legi subjectos esse perspicuum est] sed ad terras etiam tam Romanis olim gentium victoribus, quam Alexandro illi orbis terrori, & novos orbes perquirenti prorsus incognitas prolatum: ut eos omittam quos Christianorum Hispaniæ Regum classis nostra ætate per antarcticum polum, huic ipsi quem cernimus oppositum adnavigavit; hæc adeo nota, compertaque, ut veritatis hostes tametsi frontem perfricuerint, negare vereantur. Libet autem primum ex adversariis sciscitari, quænam vis illa tam potens fuerit ut malignos dæmones ex mundo debellato subactoque tam celeriter expulerit.* Multisque interjectis addit: *Adde quod non potest quidquam esse casu factum, quod omnes habet in se numeros varietatis, ut in libro de divinatione a Cicerone confirmatur: quid igitur restat quod celebre hoc miraculum toto orbe conspicuum credi possis effecisse? An dæmon forsasse quispiam, qui aut alios dæmones aut se ipsum expulerit? Sed rogo, quisnam se aut sua regna demolitur? Rursus respondeant; cujusnam rei gratia hoc operatus est, bonane an malæ? si illud respondebunt, refellentur statim; nam qui pessimus est dæmon bonum sibi non præstituis finem, & tam patens, tam universale & diuturnum, quale orbi terrarum attulit Christiana religio, alioquin jam non pessimus sed optimus censeretur: si secundum dicent urgebuntur acrius, cum non modo a bono ad malum, sed a malo ad optimum vivendi genus facta translatio nobis extra controversiam declaret, dæmones nequaquam sibi pro bono duxisse, ut a mundi hujus principatu dejicerentur, Christo ubique terrarum culto & adorato. Colligamus igitur oportet, hujusce rei quam quærimus causam aut Deo ipsi aut Christo homini divina virtute operanti necessario tribuendam esse: illud si concedatur, colligitur subinde veram esse hanc fidem, quæ Deum ipsum habeat authorem, si hoc dixerimus tantumdem in adversarios obtinebimus: operante namque Deo per Christum hominem, indicatur nobis eum ejusmodi fuisse [etiam qua homo] ut ad tam præclara munia peragenda divina selectione dignus haberetur, sitasque in eo virtutes illas fuisse, cujus fulgore obcœcatæ hominum mentes illustrarentur. At cum se Dei filium dici credique voluerit, Deus dubio procul est, alioquin & arrogantissimus ipse omnium censendus esset, pessimoque superbiæ vitio maculatus, qui falso divinitatem sibi attribuisset, nec non divinæ providentiæ leu incusaretur, utpote cum cum sectatoribus non puniens, sed magnifaciens, sed exaltans, sed signis atque portentis glorificans, quem constaret majestatis reum mille & quingentis & eo amplius annis terræ, cæli angelorumque dominium sibi contra jus & fas usurpavisse.*

Christiani imperii mira amplitudo.

NonGræcum, non Romanum imperia illi comparanda.

Divina vi constabilitum probatur.

Nisi Christus verus esset Deus divina edi prodigia non potuerunt.

Ad-

XXXII. Adductis multis argumentis, tum miraculis quibus Christi fides confirmata est pluribus sæculis ubique gentium de recentioribus hæc subiicit: *Sed & nostris quoque temporibus eadem vestigia conspiciuntur, nam & expelli dæmones ab obsessis corporibus Christi virtute palam est: a sanctissimis item viris & fœminis visibilia contemni, atque per eadem quæ diximus Christianæ vitæ purgatissima opera de terrenis cælestes reddi: miracula quoque ob sanctorum virorum merita Dei virtute fieri. Allocutus ipse sum multos fidedignos homines, qui in proprio corpore vera miracula experti sunt, & jurejurando etiam interrogati idem affirmarunt: alios qui etiam suis oculis viderunt: ego quoque vidissa & sensisse miracula sine mendacio affirmare potuerim. Illud autem quod non uni tantum aut pluribus, sed fere in propatulo est non reticuerim. Adservantur Neapoli in Campania Januarii martyris reliquiæ, adservatur & in vase sanguis post ejus trucidationem pie collectus, qui e regione membrorum positus ebullire quodammodo incipit & liquefieri, atque ad pristinam veri sanguinis speciem redire; semotus autem & alio collocatus in densum cruorem coit coagulaturque, eam retinens formam quæ cruori multis sæculis effuso conveniat, donec iterum reliquiis ipsis argentea theca recondisis au adverso opponatur: nec id quoque semper evenit: nam dum regionibus illis aliquod imminet malum vel turbatio impendet minime liquefis, sua illa quiete venationem portendens: ita incolæ longa experientia didicere. Ego meis oculis cruorem illum qui concretus teter sua natura manet objectu capitis rubescere liquere & ceu ebullire vidi, perinde ac si e venis tum fuisset emissus; vidi inquam meis oculis, & ratione comprehendi opera naturæ fieri id minime posse; testatissimum enim apud philosophos a formæ privatione quod aiunt, ad habitum ejusdem reditum non dari; & qui non credunt experiri possunt si cruorem, ubi coierit & post menses aliquot, ne annos dicam, in terream pulveream que massam redactus fuerit, ad sanguinis formam, & ne de verbis calumniam faciant, si non ad formam, ad sola tamen accidentia formam sequentia, ruborem scilicet, liquorem, fluxum & reliqua reducere possit.*

Miracula in ecclesia semper edita.

Perpetuum Neapoli miraculum inspicitur.

Illud vidit author.

*Audivi quoque ab iis qui viderunt, spinam esse Rhodi qua sacratissimum Christi caput pupugerunt impii, dum coronam spineam vertici imposuerunt, quæ singulo anno, in die, quo Christi passionis memoria in catholica nostra ecclesia celebratur, vidente populo floreat. Monstratur ea in vase translucido ex vitro, ut admittatur aspectus nec oculorum acies possit obtundi, ante horam illam qua Christus crucifixus creditur, nullam spina ipsa motionem præfert, non coloris mutatio, non ulla adjectio in ea visitur: proximante tempore rubere incipit, & oculis omnium circumfusis atque cernentibus, albus quidam flosculus in verticem paulatim exurgit, qui hora elapsa desinit & evanescit. Aliqua quoque & paria & etiam forse majora sparsa & disseminata mundo sunt, quibus & incredulis ad conversionem excitatio, credentibus vero ad perseverantiam confirmatio jugiter oriatur; quæ qui non videt cæcus, qui non audit surdus, qui audita non credit insanus, qui majora aut crebriora desiderat ut credat insolens & prophanus, ubique terrarum decantata, ubique nota compertaque sunt creditaque, nisi ab eis quorum ob potentissimam malitiam justo divinoque judicio oculi mentis obcæcati sunt, ut juxta divina eloquia videntes non videant & audientes non intelligant, &c.* XXXIII.

Aliud Rhodi conspici solitum.

I. *Indictum Venetis a Julio bellum.*

ANno a virgineo partu quarto supra mille quingentos septima indictione, Julius Pontifex capta superiori anno de restituendis Romanæ ecclesiæ pristinis juribus, & pacis inter Hispanos Gallosque redintegrandi consilia provexit, ac primum antequam erepta a Venetis armis repeteret, lenitate eos ad æquitatem flectere studuit, ac Leonardo Lauredano ediait (a), firmiter se constituisse Faventiam, Ariminum, omniaque alia oppida, quæ ab Alexandri VI. obitu occupata fuissent recuperare, ne injuncto sibi a Deo pastorali officio deesset; neque a suscepta tuendi juris ecclesiastici sententia ulla ratione, ullove terrore dimotum iri.

(a) *L. 1. brev. p. 7.*

*Leonardo Lauredano duci Venetiarum.*

*Cum per venerabilem fratrem nostrum Angelum episcopum Tyburtinum, & per plures literas declaraverimus nobilitati tuæ, nostræ fixæ voluntatis esse repetere & recuperare civitates nostras Faventinam & Ariminensem, earumque arces, omniaque alia loca & oppida, quæ tua nobilitas ab obitu felicis recordationis Alexandri VI. nostri prædecessoris occupavit, & hoc idem semper dixerimus oratori apud nos tuo; mirari satis non possumus, quod adhuc nullum liquidum responsum nobis sit datum; sed, ut ab eodem episcopo oratore nostro accipimus, iterum res ad senatum suum togatorum delata sit, cum tua nobilitas & inclytus iste senatus pro singulari sua sapientia perspicere possit, non licere vobis res S. R. E. cum tanta Dei injuria & offensa diutius occupatas tenere, & nos pro pastoralis officii ministerio non posse omittere omnia remedia, quæ pro recuperatione hujusmodi sunt necessaria. In hoc recuperandi proposito ab initio constantissimi fuimus, sumus, & erimus semper: & si orator ipse tuus vel alius quispiam secus forsasse scripsit, aut spem desuper alicujus compositionis dederit, aliena a vero scripsit: non debemus enim tantam Dei offensam & S. R. E. ac existimationis nostræ jacturam dissimulare, aut negligere. Semper te & inclytam istam rempublicam tuam unice dileximus, & plurimi fecimus, sperantes quod defensores jurium S. R. E. non usurpatores, nostro præsertim pontificatu, esse deberetis: quare cum a proposito dictas civitates & arces recuperandi nullus terror, nulla pactio, nulla conditio dimovere nos possit, cum Deus & salvator noster Jesus Christus, qui ecclesiam suam nobis regendam commisit, hoc a nobis expostulet, & pastorale officium exigat, qui secus scribunt aut sentiunt a veritate aberrant. Nobilitatem tuam rursus paterne hortamur, monemus, requirimusque in Domino, ut quod jure facere debes, sponte & cito facere velis; quo restitutis nobis integre urbibus, civitatibus, arcibus & locis prædictis, nostra & hujus sanctæ sedis, cujus semper observantissimus fuisti, benignitate perfrui possis. Datum Romæ apud S. Petrum anno MDIV. x. januarii pontificatus nostri anno III.*

*Admonitus dux Venetus ut erepta ecclesiæ Romanæ restituat.*

*Defendat non usurpet illius jura.*

II. Repetitæ eædem querelæ aliis ad ipsum Venetæ reipublicæ principem datis literis (b) a Julio fuerunt, cujus mens animique constantia in tuendis juribus ecclesiasticis respondit sanctissimorum antecessorum ac præsulum aliorum exemplis, qui defendendi juris imperiique pontificii studio extremos labores tolerarunt, non adhortationibus modo ac minis, sed armis quoque hostes legum oracula spernentes obtrivere; quorum egregia facinora meritis laudibus multis in locis effert Cardinalis Baronius. Proinde perperam nonnulli authores Julium expeditiones contra ditionis ecclesiasticæ invasores conficientem, magnoque urgentem ardore temere carpunt; quos refert Hieroymus Rubeus (c), eorumque accusationes jure hisce verbis refellit: *Tanto Romanæ majestatis amore flagravit, ut nihil totos dies noctesque cogitaret, quam pontificiam ditionem in suam pristinam dignitatem restituere: hinc illud, quod vitio plerique illi vertunt, summa laude dignum est, proprias cum amicitias & commoda ob communem Christiani & pontificii nominis utilitatem posthabuisse; cujus nominis cum majestatem fere collapsam, ditionem imminutam, urbes atque oppida undique occupata distractaque intueretur, & omnia reposcere constituisset*, & infra, *a Venetis Ariminum primo & Faventiam petiit, mox Ravennam repetiturus, quas urbes paucis ante annis ab Ecclesiæ vicariis administrari solitas occuparant.*

(b) *Ib. p. 22.*

*Commendandus Julius ob ea defensa.*

(c) *Hieron. Rub. hist. Raven. l. 8. hoc ann.*

*Prætulit Christi & ecclesiæ decus privato commodo.*

III. Reficiebantur interea a Venetis Faventiæ mœnia, arxque necessariis omnibus ad confringendos hostiles conatus muniebatur, qua de re certior factus Julius Angelo episcopo Tiburtino mandata (d) dedit, ut pontificia in eam urbem jura denuntiaret, vetaretque propugnacula ibi ab illis excitari. Tum Gallorum Regis oratori gratias agi jussit (e), quod Ludovici XII. nomine Venetæ reipublicæ principes viros hortatibus urgeret, ut erepta Romanæ ecclesiæ restituerent: Cardinalem vero Rothomagensem (f) Carolum

*Denuntiatum Venetis ne Faventiam propugnaculis muniant.*

(d) *Lib. 1. brev. p. 5. & 11.*

(e) *Ib. p. 16.*

(f) *Ead. pag.*

(a) Ib. p. 17. (b) Ibid. p. 18. (c) Ead. pag.

lum Carrettam (a), ac designatum (b) episcopum Thebanum incitare jussit (c) Ludovicum ad sectanda gloriosissima majorum vestigia, suscipiendumque Romanæ ecclesiæ patrocinium adversus eos, qui ditionem sacram Regum Gallorum liberalitate omnium sæculorum laude celebranda collatam invasissent. Cumque jactaretur (d) ab adversariis, regias literas rogatu pontificio exaratas clandestina arte fuisse emendicatas, Julio instandum visum est, ut Gallus ad inductam ejusmodi ambiguitatis dolique caliginem discutiendam, oratorem novum amplissimis fretum mandatis ad Venetum principem ac senatum legaret; de quo hæc ad Carolum Carretanum scripsit (e).

(d) Ibid.

(e) Ib. p. 17.

IV. Solicitatur Gallus ut Venetos ad restituenda ecclesiæ jura urgeat.

*Julius, &c. Eramus in expectatione contra restitutionis civitatum, terrarum, arcium, & locorum provinciæ nostræ Romandiolæ, quas Veneti cum tanta Dei offensa & ignominia nostra, quod tibi notum est, occuparunt: sed longe nos nostra fefellit opinio; Veneti enim ipsi in dies sunt duriores, & non solum non restituunt occupata, sed reliquos quoque populos & arcium præfectos dictæ provinciæ pecunia tentant corrumpere; quare opus est, ut charissimus filius noster Ludovicus Francorum Rex non solum verbis, sed etiam rebus & effectu defensionem S. R. E. matris suæ suscipiat, & nunc unum oratorem pro hac re tantum ad Venetos ipsos mittat, qui eis denuntiet & declaret, se nisi dictas civitates, loca, & arces restituant, nobis & dictæ ecclesiæ contra eos omni opportuno auxilio affuturum; prout decet Christianissimum Regem, cujus clarissimi progenitores ipsam ecclesiam & Romanum Pontificem contra omnium impetus & injuriam semper tutati sunt. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MDIV.* VII. *februarii pontificatus nostri anno* 1. Extant (f) eodem argumento aliæ ad Carolum ipsum prosapia marchionum Carreti satum Julii literæ, quibus grates agere jubet Gallorum Regi, qui Venetos ad officium flectere studuerit.

Exornet verba operibus.

(f) Jul. Arch. brev. p. 20.

V. Incitavit (g) Julius Maximilianum Regem Romanorum, ut Venetos ad reddenda erepta sedi Apostolicæ adigeret, aliisque literis (h) addidit, turpe futurum Cæsari Ecclesiæ patrocinium in ea re abiicere. Misit propterea Marianum Bartholinum internuntium in Germaniam, qui exponeret sedatis intestinis Christianorum bellis, arma adversus Turcas vertenda: certatum diu inter Gallos & Hispanos de regno Neapolitano, summaque studia a Pontifice pro dirimenda ea controversia adhibita. Interea Ariminensem & Faventinam ditionis ecclesiasticæ urbes occupatas a Venetis, atque ideo auxiliares Germanorum copias expetiit; qua de re hæ datæ ad internuntium ipsum literæ (i).

(g) L. 1. p. 55. Maximilianus I. ad tuenda ecclesiæ jura excitatus. (h) Ib. p. 249.

(i) L. 1. lit. comm. p. 635.

VI. *Maximilianum Regem, cæterosque ejusdem Germaniæ principes nostros, & ejusdem sanctissimæ sedis filios devotissimos nostro & ecclesiæ nominibus horteris ut nostrum desiderium pacis inter dictos Reges Franciæ, & Hispaniarum componendæ, authoritate & consilio, quibus plurimum pollent, fovere velint, hortarique utrumque ipsorum per oratores & literas ad amplectendam pacem atque concordiam, ut reconciliati invicem sanctissimæ expeditioni in Turcas, quam pacatis ipsis Regibus authore Domino meditamur, una cum aliis Christianis principibus possint intendere nunc, & in tanta necessitate sanctæ Romanæ ecclesiæ, quæ a Venetis contra Deum & justitiam peculiaribus civitatibus, locis, & arcibus est spoliata, defensionem suscipere velint tanquam illius præcipui advocati & defensores, destinando proprium nuntium ad Venetos ipsos, denuntiandoque eis, quod nisi ipsi Veneti civitates, loca, & arces prædictas tam injuste ab eis occupatas nobis integre & libere restituerint, ipsi Rex Maximilianus & principes utpote semper catholici, & propugnatores sanctæ Romanæ ecclesiæ, omni opportuno auxilio nobis aderunt contra eosdem Venetos ad ipsas civitates, arces, & loca recuperanda; ut & nos his curis & molestiis expediti ad generalem contra ipsos perfidos Turchos expeditionem devenire possimus, in qua nedum nostras & ejusdem Romanæ ecclesiæ facultates, sed personam propriam offerimus, & etiam ubi opus fuerit, exponemus etiam proprium sanguinem effundendo, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno, &c. MDIV. kal. martii pontificatus nostri anno* 1.

Pacato eo bello Turcicam aggressurum Julius spondet.

VII. Conciliare etiam sibi adversus Venetorum conatus Pannoniæ Regis gratiam viresque enisus est Pontifex, eique exposuit, ut licet fœdere illis conjunctus esset, ad illud tamen colendum non esset obstrictus, nisi a juribus ecclesiæ occupandis sibi temperarent (k).

(k) Brev. p. 124.

*Wladislao Hungariæ Bohemiæque Regi illustri.*

*Oratorem Venetias pro restitutione civitatum, arcium, & locorum sanctæ Romanæ ecclesiæ te missurum ostendis, & postremo invictum tuum tuorumque animum pro tuitione reipublicæ Christianæ, quamvis vires attritæ sint, declaras: supra quam dici possit, jucundæ nobis fuerunt literæ ipsæ tuæ; recognovimus enim ex illis tuam singularem in nos sedemque Apostolicam pietatem, & solitam animi magnitudinem,*

Actæ Ungaro Bohemiæ Regi gratiæ, quod Venetos urgerit ad officium.

*nem. Itaque primum de oratore gratias tuæ serenitati agimus, quod tamen nequaquam potuissemus, cum sis fœdere cum Venetis junctus, nisi nullum cujusvis amicitiæ ac fœderis vinculum in præjudicium Ecclesiæ, & adversus Apostolicam sedem valere, & servari debere sciremus, ac ab eadem restitutione potissimum pacis Italiæ, & totius Christianitatis defensio ac tutela penderet: donec Veneti ipsi in occupatione illarum persistent, nec nos ita commode, ut optamus, pacem catholicorum principum inter se diffidentium stabilire, nec eos ad sanctam expeditionem, quam omni studio quærimus, inducere sic de facili poterimus. Cum pro patrimonio B. Petri quod Veneti tam impie, injuste, & crudeliter lacerant, nobis arma & temporalia & spiritualia prius sint exercenda; optamus, ut Veneti resipiscant, consilia in melius vertant, tuique oratoris verbis ac suasionibus magis permoveantur, quam moti sunt aliorum Regum & principum catholicorum, qui omnes ferme nuntiis & literis eos ad restitutionem hujusmodi sunt adhortati. Et sane quanto magis magisque cogitamus, tanto magis miramur, Venetos ipsos, qui propugnatores catholicæ fidei dici volunt, in eam cupiditatem esse prolapsos, ut per ambitionem Italiæ dominio inhiantes, cum Deo & B. Petro, quem tam insigni injuria affecerunt, bellum gerere velint. Nos quidem eos omni tempore magnifecimus, & in pontificatu nostro etiam post acceptam talem injuriam, arciumque, & locorum hujusmodi occupationem, multis gratiis prosecuti fuimus, sperantes in bono vincere malum posse; sed ipsi quotidie duriores videntur, nec considerant quanto in periculo famæ, conscientiæ, & rerum suarum versentur: qui ea de causa pacem cum Turcis iniisse videntur, ut statim Romanæ ecclesiæ bellum inferre liberius possent, &c. Datum Romæ apud S. Petrum die XXVI. julii anno MDIV. pontificatus nostri anno 1.*

Expositum ipsos inhiare Imperio Italiæ.

VIII. Solicitavit eundem aliis literis (*a*) Julius, ut preces regias potentiæ suæ intentato terrore armaret, nisi sua Romanæ ecclesiæ jura permitterent, vehementerque extimuit, ne Veneti amplitudinis suæ commodo intenti, Regum preces spernerent, ac eos non modo parta retinere, sed latius circumferre vim, arciumque pontificiarum præfectos auro ad earum deditionem pertentare accusavit; de quo apud eorum principem hasce querelas fudit (*b*).

(*a*) *Ib. p.* 227.

Veneti suis commodis delinuti temnunt monita.

(*b*) *Ib. p.* 25.

*Duci Venetorum.*

*Postquam nobilitati tuæ Christianissimi Francorum Regis literæ redditæ fuerunt, arcem nostram Forlivii, simul & reliquas arces ac urbes dictæ provinciæ, pecunia & artibus ipsi sanctæ Romanæ ecclesiæ subtrahere tentas; quo fit, ut merito in dies gravius & justius doleamus. Habes quidem exercitum magnamque potentiam, sed tamen spes nostra in Deo est, in cujus ditione cuncta sunt posita, qui Ecclesiam suam sanctam semper tutatus est, & tuebitur, cæterosque Christianos principes ad suscipiendum curam & protectionem matris eorum inspirabit. Optamus tamen, ut nobilitas tua diligentius pro sua sapientia considerans, quantum onus conscientiæ ex hac occupatione subierit, quantaque infamia apud omnes principes Christianos laboret, integram, liberam & spontaneam civitatum, locorum & arcium prædictorum faciat restitutionem, & ut Dei iram effugiat infamiam evitet, & Italicæ pacis conservatæ causa videatur. Dat. VII. februarii MDIIII.*

Præmoniti ut conscientiæ respectum habeant.

IX. Comparare potuerunt Veneti auro Foroliviensem arcem ab illius præfecto, sed sibi temperarunt; quod ubi præfectus sensit; Venetarum opum recipiendarum spe deturbatus, nonnulla de restituenda pontifici ea arce inivit colloquia: verum nova oborta sunt obstacula, Franciscus enim Raugonius ad occupandam eam artes dolosque instruxit, ac Ludovico Ordelaffo veterum tyrannorum stirpe procreato, qui plurima apud tribules gratia pollebat; decem aureorum millia obtulit, ut nefaria illius consilia ad exitum perduceret. Versa autem fuit ejusmodi conjurationis invidia in Herculem Ferrariæ ducem, quem Julius duodecima martii hujus anni die admonuit (*c*), ut eam suspicionem a se amoveret. Divulserat jam ante ab ecclesiastico imperio Æmiliam Alexander, eamque contra fas Cæsari Borgiæ duci Valentino filio suo notho tradiderat; quem Julius cum in arce Hadriana inclusum teneret, negavit (*d*) emittendum e custodia, nisi Cæsenam, Britenorium & Forumlivium ecclesiæ restitueret: qui timore perculsus, ut scelerum justam ultionem hostiumque gladios defugeret, in eas pactiones cum Pontifice venit (*e*), ut pontificiis triremibus in Gallias aveheretur, ac Flaminiæ arces a suis præfectis restituerentur. Julius itaque Joannem archiepiscopum Ragusinum Æmiliæ præsidem jussit (*f*) Cæsenam, Britinoriumque ab Hispanis præsidiariis recipere. Redactæ (*g*) in pontificiam potestatem eæ urbes fuere magno Cæsenatum gaudio; qui servitutis jugum a Cæsare Borgia ipsis impositum ægre ferebant, adjutique auxilio pontificio illud excusserunt: ob quorum in ecclesiam studium sanxit Julius, eos nunquam alterius principis imperio

De Foroliviensi arce recipienda varia consilia agitata.

(*c*) *Lib. brev. p.* 31.

Æmilia contra fas spurio tradita.

(*d*) *Mar. l.* 28. *c.* 8.

(*e*) *Eod. lib. brev. p.* 37.

Ab eo tremente restituta Julio.

(*f*) *Id. p.* 32.

(*g*) *Guicc. l.* 6.

perio

perio, sed soli Romanæ ecclesiæ subjectum iri.

X. *Attendentes*, inquit, *quod vos in tot perturbationibus, quæ proximis temporibus in provincia nostra Romandiolæ, in illius civitatibus & terris nobis & Romanæ ecclesiæ subjectis evenerunt, semper in fidei devotione & constantia erga nos & eandem Romanam ecclesiam perseverastis, & nulli alteri quam eidem Romanæ ecclesiæ subiici voluistis, & a subjectione, qua felicis recordationis Alexander VI. prædecessor noster vos dilecto filio nobili viro Cæsari duci Valentinensi contra voluntatem vestram submiserat, quantum potuistis reclamastis, & nunc eisdem nostris devotione & fide coadiuvantibus ab hujusmodi subjectione præfati domini liberati in eadem nostra & Romanæ ecclesiæ fide, & devotione, ac protectione, nec non immediata subjectione perseverare totis desideratis affectibus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MDIV. VIII. kal. julii pontificatus nostri anno I.*

Cæsenates in ecclesiæ Rom. obsequio constantes.

XI. Editum est eadem pene verborum formula conceptum diploma pro Foroliviensibus (*a*) Foropompiliensibus (*b*) Britenorianis (*c*), iique non modo a sacramento Cæsari Borgiæ, verum etiam Antonio & Ludovico Ordelaffis præstito liberati. At de Forolivio major facta est contentio: urbis quidem cives sponte jugum Borgiæ a suis cervicibus dejecerant (*d*), venerantque in Ecclesiæ potestatem, indeque Antonium ac Ludovicum Ordelaffos majorum tyrannidem exambientes deturbarant; sed arx Cæsaris Borgiæ astu adhuc tenebatur, is enim præfecto clandestine successerat, ne ullis imperiis suis, quæ simulata tantum atque extorta forent, ad arcem dedendam adduci se pateretur. Tum Cardinalis S. Crucis, qui Hispanam factionem Ecclesiæ dignitati præferebat, concordiæque interpretem esse præseferebat, adversus Apostolicæ sedis majestatem conspiravit; creditum enim suæ custodiæ Borgiam ex Ostiensi arce, antequam arx Forliviensis restituta esset dimisit, nec pontificiis triremibus deportandum in Gallias imposuit, sed terrestri itinere Neapolim petere permisit (*e*): qui dimissus mox auro ad Forliviensis arcis præfectum transmisso illum in perduellione adversus Romanam ecclesiam confirmavit, ut tormenta bellica in Forolivienses ex arce contorqueret. Delusus ita Pontifex, qui Æmiliam a Borgia juste petiverat, cum indigna penitus res esset ecclesiasticam provinciam traditam filio antecessoris spurio adeo etiam inviso finitimis populis, ut Veneti justitiæ speciem ad Flaminiam invadendam ex ejusdem Cæsaris Borgiæ, quem hostem pronuntiarant, improbitate prætexerent, Ferdinandum & Elisabetham Hispaniarum & utriusque Siciliæ Reges, quorum ille se clientelæ commendarat, admonuit (*f*), ne ab eo ecclesiæ fraudem fieri paterentur.

(*a*) *Ib. p.* 25.
(*b*) *Pag.* 642.
(*c*) *Pag.* 644.
(*d*) *Rubeus l.* 8.
(*e*) *Jul. ibid. Buonac. in diar. Guicc. l.* 5. *& alii.*
Dimissus Borgia Foroliviensem arcem retinere annititur.
(*f*) *Jul. sup. ep. p.* 52.

*Regi & Reginæ Hispaniarum.*

XII. *Cum in principio nostri pontificatus Venetorum dux & dominium civitates nostras Faventiæ & Arimini, nonnullaque alia loca in provincia nostra Romandiolæ occupassent, ac nobis injuriam illam expostulantibus, civitatesque & loca ipsa repetentibus, respondissent, se id odio Cæsaris Borgiæ ducis Valentinensis, quem pro hoste habebant, fecisse; nos civitates ipsas & totam illam provinciam, cui apertissime ipsi Veneti inhiabant, sanctæ Romanæ ecclesiæ servare cupientes, matura deliberatione habita, nullam viam nec faciliorem, nec magis expeditam invenimus, quam ut ipse Cæsar dux Valentinensis Forliviensem, Cæsenatem, & Briteuoriensem dictæ nostræ provinciæ arces, quæ in ejus potestate erant, nobis redderet; quo facilius civitatem Faventinam recuperare, & a reliquis urbibus provinciæ antedictæ Venetorum impetum propulsare possemus: magno enim nobis dedecori ac conscientiæ oneri erat, si pateremur sanctam Romanam ecclesiam nobis divina dispositione commissam, tot præclaris urbibus nostro tempore spoliari. Exercitum equidem nullum habebamus nec pecunias, quibus illum comparare ea celeritate, qua opus erat possemus. Itaque de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ad has conditiones cum ipso duce devenimus, quas & exemplo bullæ præsentibus intercluso majestates vestræ intelligent. Delegimus autem Cardinalem S. Crucis, cui ducem ipsum, qui ei plurimum confidebat, committeremus præ cæteris etiam pro majestatis vestræ honore, quarum negotiis idem Cardinalis multum se semper ingessit: cujus suasu etiam postquam ipse ad arcem nostram Ostiensem, quam sibi in potestatem libere dederamus, hac de causa, cum duce ipso profectus est, multa concessimus, quæ nunc in dedecus nostrum & grave præjudicium Apostolicæ sedis redundant.* Pluribus interjectis, ut dux Borgia finxerit, uti paulo ante indicavimus, præfectum arcis Foroliviensis abire illius imperio detrectare, cum tamen eum præmonuerit ne arcem ipsam dederet, quo perspecto dolo Cardinalis S. Crucis jussus sit Borgiam ipsum ex custodia non educere, etiam si Cæsenæ & Britinorii arces restitutæ essent, ne Foroliviensis præfectus ecclesiæ illuderet, tum subdit:

De pactionibus cum eo initis certiores facti Hispaniæ Reges.

Bernardinus Cardinalis S. Crucis infidus Julio.

*Cardinalis tamen ipse monitis nostris neglectis, ex ipsa hora, qua nuntium de restitutione arcium Cæsenæ & Brisonorii accepit, licet intempesta nox esset, insciis nobis dimisit; qui non mari in triremibus nostris ad hoc oidem Cardinali concessis, & ab ipso duce petitis, ut constitutum erat, discessit, sed terra Neapolim est profectus, ibique a dilecto filio nobili viro Gundisalvo Fernandi vestrarum majestatum locumtenente generali, prout inter eos convenerat, sub illius salvo conductu receptus est: ubi nunc non cessat moliri & agere quæ nobis & S. R. E. sint contraria; nam ipsi castellano Forlivii, quem antea monueras, ne arcem nobis redderet, nuper, ut compertum habemus, multas pecunias misit, effecitque ut Castellanus ipse, prout timuimus, civitatem nostram Forliviensem tormentis bellicis verberare incœperit, & se nobis hostem quodammodo profiteatur.* Et infra: *Quæ omnia majestatibus vestris, quarum respectu multa ipsi duci indulsimus, significare voluimus, ut qui sanctæ Romanæ ecclesiæ devotissimi filii & constantissimi defensores semper fuistis, non permittatis ab homine in fidem vestram recepto statum ejusdem ecclesiæ perturbari, &c. Datum Romæ apud S. Petrum die* XI. *maii MDIII. pontificatus nostri anno* 5.

Contra Pontificis imperium Borgiam dimittit.

Forliviensis arx rebellat a Pontifice.

XIII. Monuit etiam Pontifex (a) Gundisalvum ducem Terræ novæ Neapolitanum proregem, ut Borgiam, quem in patrocinium suum admiserat, ad pacta Romæ firmata servanda adigeret. Exceptum a Gundisalvo Borgiam honorificentissime ferunt (b), deque eo copiis ad novas res Pisis moliendas, Hispanasque partes in Etruria efferendas instruendo agitasse, sed inter hæc accepisse a Regibus catholicis imperia, ut Borgiam ipsum, qui variis calamitatibus Italiam affecerat, atque ad novas excitandas turbas pronior erat, vinctum in Hispaniam mitteret (c): paruit Gundisalvus (d) negans datam fidem publicam contra principis mandata valere; atque ita Julius Forliviensem arcem recuperavit (e), & Borgia Hispano carcere triennio maceratus est, quo laxatus, cum in Navarram se contulisset, brevi in regiis castris occisus misere periit (f). De cujus dotibus hæc tradit Raphael Volaterranus (g): *Ea fuit indole, ut si ab initio in bonos incidisset viæ monstratores, perpetuam sibi, reique Romanæ gloriam peperisset, nam & in ea adolescentia, quantum perspicere potuimus, nec deliberanti consilium, nec ductanti exercitum majorum disciplina, neque sermonem habenti facundia defuere, eaque demum a natura liberalitate, ut patris avaritiam sæpe palam detestaretur; a justitia quoque, uti videbatur, minime abhorrens.* Et infra: *Verum ut sterile solum & intemperies cœli bona frugum semina præcipitant, sic & hunc prava instructio ac pronimorum libido a recta virtutis semita detorserunt: ex quo seque ac omnem Italiam variis calamitatibus involvit.* Hactenus de Cæsare Borgia, a quo occupatam pravis Alexandri studiis Æmiliam repetivit Pontifex.

(a) Ib. p. 51.
(b) Bonacurr. in diar. & Guicc. l. 6.
(c) Bonaccur. in diariis.
Jussus Borgia deportari in Hispaniam.
(d) Guic. l 6.
(e) Bonac. in diar. an. 1507. Guicc. l. 7.
Forliviensis arx recuperata.
(f) Id. ib.
(g) Volat. l. 22.

Infelix illius mors.

Dotes illius.

XIV. Exegit etiam a Venetis ut Faventiam Ariminumque & alia oppida Romanæ ecclesiæ restituerent; sed cum ipsos ad æquitatem flectere non posset, Cosmam Aretinum episcopum ad Ferdinandum, & Elisabetham Hispaniæ Reges internuntium misit, ut inducias inter eos & Gallorum Regem conciliaret, opemque adversus Venetos flagitaret.

*Julius, &c. venerabili fratri Cosmæ episcopo Aretino ad charissimos in Christo filios nostros Ferdinandum Regem & Elizabeth Reginam Hispaniarum Catholicos, ac universa & singula provincias, terras & loca, ac regna eis subjecta, nostro & Apostolicæ sedis cum potestate legati de latere nuntio & oratori, salutem & apostolicam benedictionem.*

*Cum inter charissimos in Christo filios nostros Ludovicum Francorum Regem Christianissimum, & Ferdinandum Regem & Elisabeth Hispaniarum Reginam catholicos, humani generis hoste diabolo instigante, tanta discordia & contentio sit suborta, ut de regno Neapolitano quod ad nostram & sanctam Romanam ecclesiam spectat, magnis exercitibus dimicaverint, ac sæpe cruentissimum prælium conseruerint cum magna Christiani sanguinis effusione, & fidelium animarum jactura, nos considerantes quod periculosa reipublicæ Christianæ sit tantorum Regum discordia & contentio, a principio nostri pontificatus eorum paci & reconciliationi studuimus, ejusque rei curam cunctis aliis curis anteponendam duximus, & Reges ipsos ac Reginam præfatos, & eorum quemlibet per literas & nuntios nostros, ut finem discordiis facerent, pacemque amplecterentur, hortati fuimus, eis operam omnem & auctoritatem nostram, omniaque paterna officia & æquum judicium offerentes: desideramus enim ex intimo cordis affectu Reges ipsos ad pacem unionemque reducere, ut reconciliati inter se, opem & auxilium Christianæ reipublicæ adversus impios Turcos una cum aliis Regibus, principibusque catholicis expeditius ferre possint, & in præsentiarum sanctam Romanam ecclesiam protegere & defendere contra impetus Venetorum; qui Dei timore postposito Faven-*

Orta de regno Neap. inter Galliæ & Hisp. Reges contentio.

Solicitati ut pace composita vertant arma in Turcas.

Faventia & Ariminum a Venetis occupata.

*veniinam Ariminensemque civitates provinciæ nostræ Romandiolæ, earumque arces, compluraque alia loca sanctæ Romanæ ecclesiæ particularia per summam injuriam in dicta provincia occuparunt & occupant, nec ullis monitis nostris adduci possunt, ut saltem aliquam bonam spem restitutionis ostendant; sed dominandi libidine ducti reliquos populos & præfectos arcium dictæ provinciæ pecunia corrumpere, & ad se trahere student; adeo, ut nisi catholici principes & præsertim ipsi charissimi in Christo filii nostri Ferdinandus Rex, & Elizabeth Regina præfati defensionem sanctæ Romanæ ecclesiæ, cujus sunt defensores, suscipiant, merito sit verendum, ne brevi tempore tota illa provincia sanctam Romanam ecclesiam spolient, eamque suæ ditioni subiiciant, utpote quam opportunissimam putent ad reliquam Italiam vexandam & occupandam. Atqui spes nostra & omnium erat, Venetos ipsos, qui pacem cum Turchis Christi nominis hostibus, inconsulta licet sede Apostolica, fecerant, sanctæ Romanæ ecclesiæ defensores futuros; sed tanta in eis est dominandi cupiditas, ut ipsa sede per obitum felicis recordationis Alexandri VI. prædecessoris nostri vacante illius urbes invadere cœperint, nec sanctæ memoriæ Pium III. nec nos, qui illi disponente Domino in pontificatu successimus, reveriti sunt; sed omni pudore reverentiaque neglectis, neque justitiæ neque timoris Dei ullam habent rationem.*

Ad Italiæ imperium aspirant.

XV. *Nos igitur volentes pro debito pastoralis officii tantis malis periculisque occurrere, desiderantesque composita pace inter Reges prædictos, & urbibus & civitatibus, arcibus ac locis sanctæ Romanæ ecclesiæ recuperatis & redditis, ad generalem expeditionem contra perfidos Turcos devenire; quodque Christiani principes non inter se ipsos, sed adversus infideles eorum arma convertant: & cum ad hujusmodi necessitates explicandas, ipsosque Ferdinandum Regem, & Elizabeth Reginam hortandos & requirendos, oratorem nostrum mittere decreverimus, ad te, quem doctrina, integritate, probata fidelitate, ac præcipua prudentia comprobatum habemus, mentem nostram potissimum convertentes, sumentesque in Domino fiduciam specialem, quod ea, quæ fraternitati tuæ duxerimus committenda, gratia tibi assistente divina, circumspecte, juste & fideliter tua pervigili & exactissima diligentia adimplere curabis; te ad præfatos Regem & Reginam, ac universa & singula provincias, terras, atque loca, ac regna eis subjecta, tanquam pacis angelum, & virtutis ministrum, ad Dei laudem ac præfatæ ecclesiæ statum, & honorem nostrum ejusdem sedis nuntium & oratorem in præsentiarum provide duximus destinandum; ut inter cætera præfatos Ferdinandum Regem & Elisabeth Reginam nostros & ejusdem sanctissimæ sedis filios devotissimos nostro, & ejusdem ecclesiæ nominibus horteris, ut nostrum desiderium pacis inter dictos Reges Franciæ, & Hispaniarum componendæ, ex cujus triennalibus induciis magnam spem ipsius perficiendæ concepimus, authoritate & consilio, quibus plurimum pollent, fovere velint, hortarique quemlibet ipsorum per oratores & literas ad amplectandam pacem atque concordiam juxta instructiones tibi desuper a nobis datas; ut reconciliati invicem, sanctissimæ expeditioni in Turchos, quam pacatis ipsis Regibus authore Domino meditamur, una cum aliis Christianis principibus possint intendere: nunc etiam in tanta necessitate sanctæ Romanæ ecclesiæ, quæ a Venetis contra Deum & justitiam peculiaribus civitatibus, locis, & arcibus est spoliata, defensionem suscipere velint, tanquam illius præcipui defensores, destinando proprium nuntium ad Venetos ipsos, denuntiandoque eis, quod nisi ipsi Veneti civitates, loca, & arces prædictas tam injuste ab eis occupatas nobis integre & libere restituerint, ipsi Rex & Regina, utpote vere catholici & propugnatores sanctæ Romanæ ecclesiæ, omni opportuno auxilio nobis aderunt contra eosdem Venetos, ad ipsas civitates, arces, & loca recuperanda; ut & nos iis curis & molestiis expediti ad generalem contra ipsos perfidos Turcas expeditionem devenire possimus, &c.* Internuntium amplissimis mandatis ad rem strenue gerendam instruit. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MDIII. kal. martii pontificatus nostri anno 1.* [1]

Hispanus Gallusque de triennalibus induciis postulati.

De bello Venetis denuntiando ni patria restituant.

Accusabat etiam Venetos Julius apud septemviros Germaniæ (*a*), querens ipsos pacem cum Turcis pepigisse, ut impetus omnes ad ditionem ecclesiasticam opprimendam effunderent. Nec modo ab illis Ariminum, sed Ravennam etiam, ac Perusium a Balionibus, Bononiam a Ben- XVI.

(*a*) *Lib. brev. pag. 201.*

Repetita a Julio jura pontificia.

NOTÆ [1] Nisi mendom irrepserit in notis chronologicas epistolæ hujus Julii II. hoc documento probari posset pontificem hunc eodem quo prædecessores cæteri exemplo annum justa veterem novumque stylum indiscriminatim usurpasse. Ac de novo stilo res plane explorata est ex multis quæ hic in Annalibus sese offerunt. De veteri pariter constat, hic enim annus primus pontificatus cum Kalendis martii & anno 1503. illigatur, quæ omnia nonnisi stili veteris ratione inita conciliare.

Bentivolis repetivit: quæ ut assequeretur, tum Christianorum arma in barbaros verteret, pacem inter Ferdinandum Hispaniarum & Ludovicum Francorum Reges conciliare studuit (*a*); cumque ad ipsum uti supremum regni Neapolitani dominum controversia omnis referenda esset, Carolo Carretano marchioni Finarii, deinde archiepiscopo Thebano designato, demumque sequenti anno cardinalitia purpura donato præcepit (*b*) dare operam ut in eo sanciendo fœdere ratio dignitatis sedis Apostolicæ haberetur.

(*a*) *Ib. p.* 17.

(*b*) *Ibid.*

*Carolo de Carretto.*

Postulat Julius ut lis de regno Neapol. ad ipsum referatur.

*Quæ de spe pacis scripsisti gratissima nobis fuere; nihil enim æque desideramus atque optamus, quam inter istos potentissimos & pientissimos Reges, quorum alter Christianissimus, alter catholicus dicitur, pacem efficere posse; in qua procuranda nihil studii diligentiæque omittes, & inprimis curabis cum consilio & favore Cardinalis istius Rothomagensis, ut conclusio pacis ad nos tanquam ad communem patrem & dominum feudi de quo agitur, deferatur; vel si id minus impetrari poterit, saltem ut in capitulis & conditionibus ejus, digna ratio honoris, dignitatis, & authoritatis sedis Apostolicæ habeatur, & quod Veneti non includantur in ea, nisi civitates, arces, & alia loca nobis, & dictæ ecclesiæ restituerint, ne quasi etiam de subditis nostris agatur, quod nobis sit præjudicare: sed recipiantur cum capitulis ad honorem, dignitatem & securitatem nostram pertinentibus, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno MDIV.* VII. *februarii pontificatus nostri anno* 1.

XVII. Intererat maximi ad asserenda Romanæ ecclesiæ in regnum Neapolitanum jura, ut concitata de eo lis ad Pontificem uti supremum utriusque Siciliæ principem deferretur, deque beneficiario principatu ineundæ pacis leges statueret: cumque Maximilianus concordiæ Gallum inter Hispanumque proveheret consilia, dedit mandata Julius internuntio suo in Germanica aula agenti, ut omni studio apud Cæsarem in id incumberet, ut controversiæ decisio sedi Apostolicæ permitteretur.

Urget Cæsarem ut justæ rei consentiat.

XVIII. Curavit pariter Pontifex (*c*), ut Gallorum Rex, qui ab sede Apostolica beneficiaria Neapolitani regni jura acceperat impelleret, ut in ea conficienda pace dirimendæ controversiæ decretoriam sententiam sedi Apostolicæ reservaret; ita enim non modo ecclesiasticæ, sed etiam regiæ dignitatis rationem habitum iri. *Omni*, inquit, *studio in hanc pacem & nos incumbimus, & majestas tua incumbere debet. Sane si, ut decet, differentiæ & controversiæ super regno Siciliæ in nos remittantur, æquissimos nos patres judicesque præstabimus, firmamque concordiam Domino authore stabilire curabimus cum tuæ majestatis honore, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum die* VIII. *junii* MDIV. *pontificatus nostri anno* 1.

(*c*) *Ib. brev. p.* 76.

Admonitus Lud. Rex Gallici juris rationem habitum iri.

XIX. Non paruit pontificiis monitis Ludovicus Francorum Rex ingenti rerum suarum jactura: Julius enim postea inter alias vectigalis regni juribus illius exuendi caussas hanc attulit (*d*), ipsum beneficiarii sedis Apostolicæ regni jure non postulato decreto ejus cessisse: qui vero ad Mediolanensem principatum sibi asserendum non sine suo & ecclesiæ dedecore Neapolitano jure se abdicarat, ea potissimum de causa Mediolanensi principatu eversus est, uti dicetur suis locis. Interea confectæ sunt hoc anno Gallum inter & Hispanum induciæ, tum inter eumdem Gallum & Maximilianum sancitum fœdus; in primisque quod ad Gallorum Hispanorumque sequestram pacem attinet, Julius summo contendit studio, ne quid in ea decerneretur, quod ecclesiasticæ rei detrimentum afferret, nec Veneti, qui partem ditionis ecclesiasticæ tenebant, hujusmodi pacis beneficio potirentur. Carolum itaque Carretanum apud Gallum jussit (*e*) insistere, ut idem etiam ab Hispano eblandiretur; decrevitque ad eum in-

Contempto Pontifice male paciscitur cum Hispanis.

(*d*) *Julius in Decreto an.* 1515. *edit.*

Excludendos pacis publicæ beneficio Venetos urget Julius.

(*e*) *Lib. brev. p.* 17.

NOTÆ rentur. Stilum etiam veterem referunt literæ recitatæ hic in Annalibus num. 38. quæ datæ leguntur *anno MDIII. III. kal. Februarii pontificatus* (Julii) *anno I.* cui annus est novo stilo 1504. Id ipsum confirmant literæ in Annalibus anno sequenti 1505. 17. insertæ, & aliæ num. 20. aliæ pariter anno 1506. num. 45. tum aliæ anno 1508. 6. sicut & aliæ ibidem num. 21. in quibus omnibus stili veteris rationem habitam animadvertas. Quæ sane epistolæ cum permultæ sint in unam rationem convenientes, suspicionem amovent de mendo, quod forte in regestum literarum hujus pontificis irrepsisse censeretur. Vix enim fieri potuisset ut adeo sæpe codex mendosus esset. Cæterum menda quædam in subscriptionem literarum Julii excidisse amanuensibus Vaticanis, qui in manuscriptos codices illas retulerunt, plane demonstrant excerpta earum literarum ab Annalista hoc & sequentibus annis relata. Ita epistola recitata hic num. 12. annum MDIII. cum anno 1. pontificatus & die XI. maii mendose illigat; sicut & mendosa est adscriptio literarum hic num I. expressa annum MDIV. diem X. januarii & pontificatus annum 3. referens. Quam epistolam hoc vere anno pontificatus Julii primo datam fuisse non dubito, cum hoc anno Angelus Tiburtinus episcopus legationem illam apud Venetos egerit, cujus in eadem epistola fit mentio. MANSI

internuntium apostolicum episcopum Aretinum, deque initis triennalibus induciis gratulatus solicitavit, ut armorum impetus vel in Turcas vel in Mauros converteret, ac Romanæ ecclesiæ adversus illius jurium invasores patrocinium susciperet datis hisce literis (*a*).

(*a*) *Id. p.* 25.

XXI. *Majestates vestras rogandas & requirendas duximus, diligenter advertere velint, ne quis includatur in illis, qui sanctæ Romanæ ecclesiæ sit inimicus, præsertim dominium Venetorum, qui ut alias scripsimus, tot civitates, arces, & loca sanctæ Romanæ ecclesiæ in provincia nostra Romandiolæ contra Deum & justitiam de facto nuper occuparunt, & detinent: nam nisi a vobis, qui more clarissimorum progenitorum vestrorum ipsam ecclesiam semper defendere consuevistis, digna ratio honoris & dignitatis ejus habita fuerit, prædæ & ludibrio ipsis Venetis relinquetur: quod absit a vestra catholica majestate, ut permittere & tolerare velitis, præsertim cum nullum amicitiæ studium vel fœderis vinculum in præjudicium Ecclesiæ matris omnium pientissimæ a catholicis principibus prætendi possit, aut debeat; prout venerabilis frater Cosmus episcopus Aretinus prælatus noster domesticus, quem ad vos in oratorem mittimus, latius majestatibus vestris exponet. Dat. XXV. februarii MDIV. pontificatus nostri anno* I.

XXI. Ferdinandus in Pontificem arroganter se gerit.

Non urbane, ut par erat, se gessit in Pontificem Ferdinandus: qui enim Maurorum & barbararum gentium vilissimos oratores humaniter excipere consueverat, internuntium apostolicum in suum conspectum venire vetuit, prætexuitque, illum Florentinum esse patria, quæ Gallicam factionem in Italia propugnaret; de qua indignissima repulsa datis ad Ferdinandum & Elizabetham literis Julius est conquestus (*b*): *Non possumus*, inquit, *non mirari quod majestates vestræ catholicæ, quæ etiam hostium & infidelium legatos admittere & audire solent, oratorem nostrum pro tam sancta & necessaria causa venientem recusent admittere; nam licet ipse episcopus*, nempe Cosmus Aretinus, *Florentiæ ortus sit, noster tamen domesticus est*. Et infra: *Admittere benigneque audire velint sine ulteriori mora, ne vos soli oratorem apostolicum, quod nulli adhuc Reges principesque Christiani fecerunt, repudiasse dicamini, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno MDIIII. pontificatus nostri anno* I. Latebat altior repellendi internuntii ratio, cur Hispanus pontificia postulata omnino respueret, devinctosque sibi Venetos cuperet, ut nimirum Julium eorum armis terreret, ne sedis Apostolicæ vectigale regnum vi ereptum repeteret. Cum itaque sancitum esset, ut quælibet adversa pars suos fœderatos designaret, Ferdinandus & Elisabetha Hispaniarum Reges nulla dignitatis ecclesiasticæ habita ratione, sed suæ tantum amplitudinis lenocinio deliniti, Venetos socios appellarunt, hicque oborta contentio est, cum Gallus eos studii in pontificem causa fœdere comprehendi nollet: demumque admisit adjecta lege, modo jus ecclesiasticum non labefactarent, quam ob causam Julius ipsum valde commendavit (*c*) hisce verbis: *In quibus*, nimirum Venetis, *inter nominatos confœderatos recipiendis, quando instantibus Hispanis Regibus excludi, sicut æquum fuerat, non potuere, pie atque prudenter fecit majestas tua, quæ sine præjudicio jurium & rerum sanctæ Romanæ ecclesiæ eos recepit, &c. Datum* VIII. *junii anno MDIV.*

(*b*) *Jul. l. brev.* 1. *p.*162. Justissimæ Julii querelæ.

Veneti ab Hisp. comprehensi fœdere odio Pontificis.

(*c*) *Ib. p.* 76.

XXII. Describit Guicciardinus (*d*) pacis illius sequestræ leges, nimirum quemque partis contentum esse jussum, liberamque ultro citroque commeandi contrahendique datam facultatem: verum a Gundisalvo reliquias Gallorum, qui adhuc nonnullas arces in Apulia, in Hydruntino agro, in Calabria, in Aprutio milite præsidiario instructas tenebant, astu evulsas (*e*); illum enim eorum locorum accolas interdixisse commercio cum Hispaniæ factionis populis, totque eos incommodis attrivisse, ut cum illi defectionis ad Gundisalvum inirent consilia, ut liberi commeatus beneficio potirentur: demum Galli, eorumque socii sponte solum vertere coacti fuerint. Hispani vero recentem dominatum confirmarint, nunc de alio Gallum inter & Austriacum fœdere agitato, & in annum sequentem extracto (*f*), de quo antea mentionem feci, agendum est.

(*d*) *Maron. l.*28. *c.*7. *Guicc. l.*6. *Ferron. in Lud. XII.*

(*e*) *Id. ib.* Fallaces Hispanorum induciæ.

(*f*) *Jul. lib brev. p.*362.

Latuisse initio illius pactiones ac deinde in lucem emanasse refert Blasius Bonaccursius (*g*), ac primum inter Ludovici filiam Claudiam & Carolum Maximiliani ex Philippo filio nepotem conjugii sponsionem pactam: principatum Mediolanensem Cæsarea beneficentia Ludovico & posteris non modo masculini, sed etiam fœminini sexus, imposita centum millium aureorum tum semel facienda solutione, ac deinde in annos singulos calcarium aureorum vectigali imperato: Mediolanensis etiam principatus in partis dotem Ludovici filiæ attributus. Pollicebatur etiam Gallus Germano, cum ad suscipiendum Romæ insigne imperiale in Italiam venisset, se muniturum aditus, ac Venetos ad Cæsarea restituenda jura, urbesque Mediolanensis ducatus, nimirum

(*g*) *Bonaccur. in diariis Guicc. l.* 6. Contracta inter Gallum & Austriacum affinitas.

Quæ leges fœderis sancitæ.

Cre-

Cremonam, Bergomum, Veronam, ac Brixiam in pristinum statum revocandas, adacturum. De Pisis autem conventum, Florentinos earum imperium, numerato Cæsari vectigali retenturos. At concitata deinde discordia hujus fœderis leges confudit, ac denique conjunctis Hispania, Germania & utraque Sicilia, Gallus Insubria exturbatus est.

XXIII. Interea ex illius fœderis legibus Gallus, qui comitem Palatinum adversus Cæsarem subsidiario exercitu fulciebat, (a) ejus partes deseruit; cujus patrocinio exutus mox magno bello attritus succubuit (b). Adhibuit (c) porro in extinguendis illius belli facibus, quod post Georgii palatini obitum intet Bavariæ stirpis principes accensum fuerat, curas apostolicas Julius, ac Romanorum Regem ad id sponte inclinatum incitari jussit ab internuntio, quem amplissimis instruxit mandatis, ut sedandæ controversiæ operam daret.

*(a) Guicc. eod. l. 6.*
*(b) Thrith. chron. Span. hoc ann. Nic. Basel. in addit. ad Naucl. Appen. ad Sabell. hoc ann.*
*(c) L. 1. brev. p. 49.*

XXIV. Adhortatus est etiam aliis literis (d) Julius Cæsarem ipsum, ut Bavaros principes ad concordiam redigeret: quo Italicam profectionem ad insigne imperiale solemni ritu accipiendum parare posset, plurimaque paterni in eum amoris signa hisce literis explicuit (e): *Magno desiderio tenemur adventus tui in Italiam, ut non solum ex literis, sed ex vultu quoque & rebus ipsis animum nostrum in te optimum possis perspicere: quem adventum, quoniam rebus agendis maxime necessarium & accommodum existimamus, ne discordiæ dilectorum filiorum nobilium virorum Philippi comitis Palatini Rheni, & Alberti ducis Bavariæ diutius retardare possint. Datum Romæ apud S. Petrum die* XXVI. *aprilis MDIV. pontificatus nostri anno* 1.

*(d) Ib. p. 46.*
Pacis inter Bavaros interpretem agit Julius.
*(e) Ib. p. 46.*
Hortatoriæ ad Maximil. de pace literæ.

XXV. Emerserant hujus belli causæ ex Georgii ducis defuncti inconstantia: cum enim jam ante obsignatis publicis tabulis cum Alberto Monachii principe pactus esset, superstitem alterius sine mascula prole decedentis e vita successurum in principatum, idemque masculo carens Palatinatum in Robertum generum, qui ex filia liberos susceperat, transfudisset testamento, illumque etiam in possessionem induxisset, Albertus dux Cæsaream fidem imploravit, cumque Maximilianus inter eos rem ad concordiam adducere studuisset, nec senatus consulto imperiali Robertus obtemperaret, in eum sociosque arma expedivit; quo bello plures Palatinatus urbes captas, hostilique furore evastatas describunt authores (f). Involvit se illius belli calamitatibus Philippus Roberti pater; quem diu variæ hinc inde curæ distraxere (g), hinc enim acerbum & anceps erat Cæsarea in se arma concitare; inde filio ad amplissimum principatum assequendum deesse non poterat, quem Pontifex ad dirimendam non ferro, sed legibus, non vi bellica sed insita in consanguineum benevolentia controversiam hisce literis (h) inducere visus est.

Belli Bavarici causæ.
*(f) Trith. in chron Spanheim. & ex eo auctor append. ad Sabell. Baselius in addit. ad Naucler.*
*(g) Id. ib.*
*(h) L. 1. brev. p. 50.*

XXVI. *Nobilitatem tuam hortamur, obsecramus, & obtestamur in domino, & per viscera Salvatoris domini nostri rogamus; ut animum tuum ad concordiam cum Alberto ipso consanguineo tuo faciendam, quam etiam a charissimo in Christo filio nostro Maximiliano Romanorum Rege illustri quæri summo studio scimus, inducere velis, & nuntio ipso nostro cooperante, cui authorizandi concordiam ipsam & facultatem dedimus, ad eas conditiones venire, per quas finis omnibus vestris dissensionibus imponatur, charitasque fraterna sanguinisque necessitudo, quæ in tot discordiis vires suas habere non potuit, redeat inter vos atque vigeat. Sane si id feceritis, ut confidimus, magnam ab hominibus laudem, magnumque a Deo præmium consequemini, & cum propheta poteritis dicere; quam bonum quamque jucundum fratres habitare in unum.*

Cum Alberto lites componat.
Sanciendæ pacis authoritatem legato datam.

*Debes etiam pro tua prudentia & probitate considerare quantum periculum Christianæ reipublicæ a perfidis Turcis immineat, contra quos sancta & necessaria expeditio decerni non poterit discordiis vestris vigentibus, ita ut per vos videatur stetisse, nisi invicem reconciliati fueritis, quominus ipsa expeditio fieret: nam neque ipse charissimus in Christo filius noster Romanorum Rex pium desiderium suum consequi, neque reliqua Germania convenire posset ad expeditionem tam sanctam. Dat. Romæ apud S. Petrum die* XXVI. *aprilis MDIV. pontificatus nostri anno* 1. Respuit Philippus ingenti suo damno pontificia monita; Palatinatum enim cædibus, rapinis, incendiis vastatum, tum cumulata accersitaque ante tempus ex bellicis calamitatibus filii nurusque funera luxit, ac per menses quinque bello atrocissimo vexatus a victore Cæsare pacem orare coactus est, quæ in solemnibus imperii ordinum comitiis proximo anno firmata est.

Ob Germanicum bellum expeditionem Turcicam intermitti.
Repudiata pax a Philippo. A Cæsare victore pacem exorare cogitur.

XXVII. In Bohemia varios tumultus miscebant hæretici, ad quos comprimendos Julius tum Cæsaris, tum Wladislai Regis Bohemiæ & Hungariæ authoritatem imploravit (i), eosque rogavit, ut Philippum episcopum Sidoniensem, qui in Bohemiam ad hæreticos sacris sacerdotalibus initiandos contendebat, coercerent. Infectam hoc tempore Pickardorum & Calixti-

In Bohemia tumultus ab hæreticis excitati.
*(i) L. 1. brev. pag. 90.*

(a) *Dubr. l. 32.*

Calixtini qui fuerint. Pikardi qui.

(b) *Æn. Silv. hist. Bohem. c. 4.*

(c) *Baselius in addit. ad Naucl.*

Atrox hæretici facinus.

lixtinorum sectis Bohemiam refert Dubravius (a), acresque adversus catholicos turbas excitasse: & Calixtini quidem proxime accedebant ad catholicos, a quibus solo calicis usu, Petri Dresdensis & Jacobelli argutiis subornati discrepabant: Pickardi vero, qui infame illud nomen a Belga Adamitarum sectæ authore (b) sibi adsciverant, transubstantiationem in Eucharistia negabant; cujus sectæ hominem refert Baselius (c) anno superiori atrox facinus patrasse Parisiis, sacram nimirum hostiam in sacello sacrosancto e manu sacerdotis avulsam confregisse, abjecisseque in terram, eumque criminis veniam poscere noluisset, flammis absumptum; cæterum e Bohemia erupisse in Germaniam superiorem, hæreticorum exercitum, atque magnas clades templis, sacerdotibus, aliisque catholicis intulisse questus est, missis ad Pontificem oratoribus, Maximilianus Cæsar; qui coacto exercitu Bohemorum hæreticorum insolentiam contudit: in quos etiam eorumque studiosos Julius anathematis ecclesiastici sententiam tulit, atque arma in eos sumpturis, vel collaturis stipem, indulgentiarum præmia hoc diplomate impartitus est (d).

(d) *Lib. bull. p. 171.*

*Ad futuram rei memoriam.*

*Sicut charissimus in Christo filius noster Maximilianus Romanorum Rex illustris, nobis per dilectos filios nobilem virum Constantinum Comiatum ducem Achajæ, & Macedoniæ principem, & Lucam de Renaldis præpositum ecclesia in Strazburg apud nos & sedem Apostolicam oratores destinatos nuper exponi fecit, quod etiam non sine maxima mentis nostræ perturbatione percepimus: nuper nonnulli iniquitatis filii & perditionis alumni, omni Dei timore postposito, in laqueum mortis sese ipsos dantes, & cum humani generis inimico portionem accipientes, magnam multitudinem Bohemorum armatorum, hæreticorum ex regno & partibus regni Bohemiæ contra Christifideles superioris Germaniæ incitarunt, eisque commeatus, victualia, & alia possibilia suffragia impartiti sunt, & ipsi Bohemi hæretici, Christiani nominis acerrimi hostes & persecutores cuncta loca ejusdem superioris Germaniæ, ad quæ se contulerunt, ferro & igne devastarunt, villas & oppida ac alia loca depopularunt, ecclesias, templa Dei, & alia sacra loca violarunt, Virgines deflorarunt, aliasque mulieres stuprarunt, ac omnia etiam cum hominum interfectione suis sævis incursationibus fœdarunt, & [ quod referre perhorrescimus ] sacratissimi corporis Domini nostri & sanctorum reliquias, non solum irreverenter tractarunt, sed etiam contemptibiliter conculcarunt: contra quos talia perpetrantes & majora aggressuros & facturos, nisi idem Maximilianus Rex & sanctæ Romanæ ecclesiæ præcipuus advocatus manu forti & valido exercitu insurrexisset: quamplurima aliorum Christianorum cædes, comitatuum & locorum depopulationes & in prædam abductiones, dominiorumque & provinciarum incendia evenissent, cum præfati hæretici nonnisi quodammodo sanguinem humanum sitientes, in eo potissimum lætentur cum malefecerint, & eisdem Christianis damna intulerint.*

Bohemi hæretici in catholicos arma corripiunt. Plures strages editæ ab iis & vastitas illata.

Conculcata ab iisdem sacra.

Conflatum in eos a Maximiliano bellum.

XXVIII.

*Nos igitur cupientes, ut ex debito pastoralis officii tenemur, gregem dominicum a tam nefandorum oppressionibus præservari, volentesque etiam, quantum cum Deo possumus, auxilium brachii sæcularis præfati Romanorum Regis, etiam auxilio & suffragio potestatis nobis cælitus commissæ confovere & adjuvare, habita super hoc cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, & de illorum consilio, omnes & singulos Christiani nominis professores, cujuscumque dignitatis, conditionis, qualitatis & præeminentiæ existentes, etiamsi abbatiali, episcopali, archiepiscopali, regali, reginali, ducali vel quavis alia ecclesiastica vel mundana dignitate præfulgeant, authoritate apostolica nobis desuper commissa, & per viscera misericordiæ Dei nostri, de cujus causa agitur, & ex parte ejusdem omnipotentis Dei requirimus, monemus & hortamur in Domino, districte præcipimus & mandamus; quatenus eisdem hæreticis Bohemis, seu illorum complicibus ac adhærentibus, seu eos inducentibus, & receptantibus, commeatus, victualia, arma offensibilia seu defensibilia nullatenus ministrent, neque ut terras aut aliqua loca quæcumque Christianorum occupent, seu aliqua damna vel injurias eis irrogent, auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet impendant, alioquin decretum felicis recordationis Innocentii III. in concilio generali, ac Bonifacii VIII. & Benedicti XII. prædecessorum nostrorum, ac etiam tenorem monitionis & literarum, quæ singulis annis in cœna Domini authoritate apostolica per prædecessores nostros & nos publicari consueverunt, observando, quoscumque etiamsi regali, reginali, pontificali, vel alia quacumque dignitate præditi fuerint, ut præfertur, qui contra monitionem & mandatum nostrum hujusmodi, eisdem Bohemis hæreticis, eorumque complicibus, sequacibus & adhærentibus, vel inducentibus, aut receptantibus adhæserint, eisque victualia, commeatus, seu quodcumque aliud genus subsidii mini-*

Vetiti fideles ullam opem Bohemis præstare:

Devincti anathemate si perstiterint.

straverint, excommunicatos & anathematizatos declaramus, ac pro majori eorum confusione de novo tenore præsentium excommunicationis sententia, quam in his scriptis proferimus, ex nunc, prout ex tunc, innodamus, eosque anathematis mucrone percutimus: a quibus excommunicatione & anathemate ab alio quam a nobis seu successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, præterquam in mortis articulo constituti, absolutionis beneficium nequeant obtinere: & nihilominus omnia & singula loca, ad quæ ipsos sic excommunicatos & anathematizatos declinare contigerit, si in eis voluntarie admissi vel retenti fuerint, ecclesiastico interdicto subiicimus, decernentes etiam illud post triduum post eorum inde recessum firmiter observandum.

XXIX. Hortamur insuper omnes & singulos duces, marchiones, principes, comites, barones, aliosque dominos temporales, & etiam ecclesiasticos jurisdictionem temporalem exercentes, cæterosque Christifideles; ut pro catholicæ fidei tutela & defensione adversus præfatos perfidissimos & crudeles hæreticos, & eos inducentes, vel receptantes, si præmissis monitionibus nostris non paruerint, armis, aliisque subsidiis & auxiliis, quibus possunt, insurgant, præfatoque Maximiliano Regi eiusque capitaneis & militibus contra Bohemos hæreticos prædictos, eorumque fautores & receptatores adhæreant, faveant, ac intendant, non dubitantes pro laboribus & impensis, quos & quas propterea subibunt, & faciunt, ab ipso summo Deo, a quo nullum bonum remanet irremuneratum, condignam compensationem & mercedem se suscepturos: & ut duces, marchiones, comites, principes & alii Christifideles eo ardentiori animo in præmissis pro eiusdem fidei catholicæ defensione, divinique nominis exaltatione, se accingant, de eiusdem omnipotentis Dei misericordia, nec non præfati Petri Apostolorum principis authoritate confisi, omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui adversus dictos Bohemos hæreticos, ac eos inducentes vel receptantes, eorumque complices & adhærentes arma assument, & in auxilium Christianorum accedent, seu non valentes aut etiam non volentes personaliter accedere, commeatus, victualia, stipendia pro militibus & exercitu contra dictos Bohemos hæreticos, vel alios inducentes, aut alia suffragia & subventiones pro hujusmodi expeditione contra præfatos Bohemos hæreticos, eorumque complices, fautores, & adhærentes de eorum bonis erogaverint, seu miserint, aut etiam militibus & stipendiariis ministraverint, seu serviverint, eandem omnium peccatorum suorum remissionem & veniam, quæ concessa est proficiscentibus in subsidium Terræ sanctæ, plenariam videlicet, concedimus. Et insuper omnibus & singulis Christifidelibus, qui in subsidium dicti Regis contra præfatos Bohemos hæreticos insurrexerint, seu victualia obsequia & alia subsidia minstraverint, & impenderint, quod confessor sæcularis vel regularis alias idoneus, quem quilibet eorum duxerit eligendum, eorum confessione diligenter audita, ipsos in singulis casibus etiam sedi Apostolicæ reservatis, ad effectum consecutionis plenariæ cum peccatorum remissione hujusmodi, exceptis casibus in literis prædictis, quæ in cœna Domini leguntur, comprehensis, absolvere possit, eadem apostolica authoritate tenore præsentium indulgemus.

Sacris muneribus solicitati ut ad eos debellandos vires jungant.

Quocirca dilecto filio magistro Mariano de Bartholinis capellano nostro, & in partibus Germaniæ nostro, & dictæ sedis nuntio, ac venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Moguntino & episcopo Augustano per apostolica scripta committimus & mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios præsentes literas & in illis contenta quæcumque quoties super hoc pro parte præfati Romanorum Regis requisiti fuerint, seu alias expedire cognoverint, in ecclesiis, dum major inibi populi multitudo ad divina convenerit, publicent, & per alios, quibus hoc commiserint, publicari mandent, & faciant, etiam ecclesiasticas personas quascumque, tam sæculares quam regulares, censuris ecclesiasticis & aliis juris remediis ad hoc cogendo & compellendo; ac etiam quos hujusmodi excommunicationis & anathematis sententias incurrisse, seu incurrere contigerit tam in genere, quam etiam in specie, & nominatim, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, excommunicatos & anathematizatos, ac loca, ad quæ eosdem excommunicatos & anathematizatos declinare contigerit, ecclesiastico interdicto supposita denuntient & denuntiari mandent, & faciant, legitimis super his etiam summarie, simpliciter, & de plano, sola facti veritate inspecta, habendis, servatis processibus; nec non illos, quos censuras hujusmodi incurrisse constiterit, iteratis vicibus aggravare procurent, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, donec sic interdicti & anathematizati, & aliis censuris innodati compuncti corde, satisfactione prævia, meruerint absolutionis beneficium obtinere. Nos enim eidem Mariano archiepiscopo & episcopo citationes & monitionas, quaslibet in præmissis necessarias seu opportunas per edicta publi- XXX.

Edicta in hæreticorum fautores jussa promulgari.

*ea locis publicis affigenda, de quibus sit verisimilis conjectura, quod ad ipsorum citandorum notionem valeant pervenire, faciendi, plenam & liberam facultatem & potestatem concedimus per præsentes: ac volumus & apostolica authoritate decernimus, hujusmodi citationes & monitiones post triduum, vel aliud tempus prolixius, seu brevius juxta qualitatem locorum & personarum, per Marianum archiepiscopum & episcopum præfatos, vel aliquem eu eis juxta eorum & cujuslibet illorum arbitrium statuendum, & limitandum, eosdem monitos ligare provide, ac si hujusmodi monitiones & citationes eis personaliter & præsentialiter intimatæ & insinuatæ forent & insinuarentur. Non obstantibus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MDIV. pridie id. octobris pontificatus nostri anno 1.*

XXXI. Calixtini & Pikardi inter se diffident. (a) Dubr. l.32.

XXXI. Abolitam porro in Bohemia Pickardorum sectam, Calixtinorum vero toleratam fuisse ab Wladislao Rege narrat Dubravius (*a*): *Molesti*, inquit, *sacerdotes erant more suo inter se rixantes civiumque concordiam distrahentes, dum alii Calixtinorum, alii Pickardorum factionem magna contentione præferunt foventque. Continuæ ad Regem literæ, frequentes item legationes missæ, orantes ut adventum suum in Bohemiam celeraret vix alias unquam magis necessarium; aut si adhuc negotiis regni Hungariæ impediretur quo minus ipse statim venire posset, legatos cum plena potestate ad componendos præsentes motus præmitteret, qui simul viam quoque commodam domino suo præpararent, quam sine animi molestia libenter paulo post obiret. Delecti ad hoc duo episcopi partibus minime suspecti, quia a studio illarum contentioneque alieni, Stanislaus Olomucensis & Joannes Varadiensis.* Hic erat vir ille insignis qui Matthia Hungariæ Rege gerendarum rerum peritia in ipsius aula effloruerat, opibusque & sacerdotiis clarus omnia terrena abjecerat, ut in Franciscano sodalitio divinis se totum addiceret; quem maxima animi constantia religionis catholicæ splendorem ab impiorum Pickardorum infamia vindicasse, & contrarias sectas conpescuisse narrat Dubravius (*b*): cum enim in frequentissimo ordinum regni Bohemici conventu jussisset literas exhiberi, quibus factiosi quique nomen suum fidemque novo fœdere obstrinxissent, eas coram omnibus mox cultro discerpsit, confregit signa, ac dispersit, ut recolligi non possent, sublatisque ita publicis factionum monumentis, universos ad mutuam cohortatus concordiam, ad discissas regni partes conglutinandas studia contulit, ac

Delecti episcopi ad tumultus Bohem. pacandos.

(*b*) *Bonfin. dec.4. l.10.* Factiosorum tabulæ discerptæ a Joanne Varadiensi.

Pickardicam pestem promulgata lege extinxit (*c*): *Ab iisdem*, inquit, *legatis mandato Regis peculiari hoc quoque de Pickardis actum fuit, ut ne in cœtus publice aut privatim coirent, synagogas suas omnes occluderent, a concionibus scriptisque de sua secta plane abstinerent, & intra certum tempus ut ad alterutram partem Romanam aut Calixtinam discederent. Convenit inter omnes ordines, ut mandatum istud ad publicas tabulas cum mulcta transgressoribus imposita referretur, ejusque exequendi potestatem arcis præfectus cum judicibus haberet.* Oppressa ita est ab Wladislao Pickardorum factio, cujus reliquas favillas Lutherus Calvinusque postea ad nova excitanda incendia ventilarunt.

(*c*) *Dubr. l.32.* Latæ in Pickardos leges.

Reliquiæ Pikardorum a Luthero & Calvino collectæ.

XXXII. Pontificium auxilium ab Ungaris in Turcas postulatum. Responsum Julij.

XXXII. Hoc anno Hungarici regni ordines misso ad Julium oratore eum rogarunt, ut studia pontificia ad propulsandos ab eo regno Turcas converteret: quibus respondit Pontifex, nil sibi magis curæ esso, quam ut Christianis principibus conjunctis fœdere expeditionem florentissimam in Mahometanos conficeret: *Laudamus in Domino plurimum ac plurimum vestram pietatem & animi magnitudinem, bonoque vos animo esse volumus: nos enim omnes curas & cogitationes nostras in decernenda contra perfidos Turcas perpetuo Christiani nominis hostes necessaria expeditione duximus collocandos; quam primum enim Domino disponente ad apicem summi apostolatus assumpti fuimus, oratores nostros ad excitandos Christianos principes & Reges inter se dissidentes conciliandos illico misimus, & si Deus pro studio & desiderio nostro annuerit, & nos talia vobis subsidia comparabimus, ut non solum vestra tueri cum dignitate, sed ultro Turcis ipsis bellum inferre possitis, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum die XXVI. julii anno MDIIII. pontificatus nostri anno 1.* Imperatæ propterea in sacri illius belli apparatum decimæ fuerant, quas cum Maximilianus in suos usus avertere ad ornandum Italicam profectionem meditaretur, negavit (*d*) Julius id sine crimine tentari posse. Extruxerat sacellum Henricus VII. Anglorum Rex Westmonasterii veluti nobile pietatis ac religionis monumentum: cujus rogatu Julius omnibus, qui in eodem sacello preces pro Henrico VII. Rege, dum superstes erat, vel pro levanda ejus anima, eripiendaque expiatoriis flammis post obitum funderent, indulgentias proposuit (*e*).

(*d*) *Jul. ib. p.54.*

(*e*) *Bull. l.99. p.51.* Sacellum Vvestmonasterii conditum ab Henr. VII.

*Universis Christi fidelibus, &c.*

*Cum sicut accepimus charissimus in Christo filius noster Henricus Angliæ Rex illustris unam capellam sub invocatione B.*

*Mariæ Virginis, ad quam singularem geris devotionis affectum, infra septa monasterii S. Petri Westmonasteriensis ordinis S. Benedicti Londoniensis diœcesis fundare & dotare, & suam sepulturam inibi eligere intendat, eandemque capellam jam fundare & ædificare incœperis, nos cupientes, ut dicta capella congruis frequentetur honoribus, ac Christifideles eo libentius devotionis causa ad dictam capellam confluant, ac pro illius manutentione manus adjutrices nec non præfati Henrici Regis felici statu, & dum ab hac luce subtractus fuerit, pro ejus animæ salute preces promptius ad Deum porrigant, quo en hoc ibidem dono cœlestis gratiæ uberius conspexerint se refectos; de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus authoritate confisi, omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui capellam prædictam in vigilia in festo ascensionis ejusdem domini nostri Jesu Christi a primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive devote visitaverint, ac pro prospero & felici statu ipsius Henrici Regis, dum in humanis ageret quinquies orationem dominicam & toties salutationem Angelicam & pro anima ejusdem Regis, postquam ab hac luce migraverit, psalmum, de profundis, seu, ut præmittitur quinquies orationem dominicam & toties salutationem angelicam inibi devote dixerint & de bonis eis a Deo collatis ad majorem decorem & ornamentum capellæ prædictæ manus porrexerint adjutrices, annuatim plenariam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, indulgentiam & remissionem authoritate Apostolica tenore præsentium elargimur, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno* MDIV. XIII. *kal. julii pontificatus nostri anno* 1.

Illud adituris & oraturis numen pro Rege indulgentiæ proposita.

XXXIII. Henr. VI. miraculis claret.

Exponente Pontifici eodem Henrico Rege, Henricum VI. miraculorum gloria inclarescere, atque illius corpus primum ab invidis non fuisse vetustis Anglorum Regum sepulchris Westmonasterii illatum, sed in loco ignobili Wintoniensis diœcesis repositum: cumque ejus sanctitatis fama cœlestibus illustrata prodigiis per orbem celebraretur, ab hostibus tantæ gloriæ luce perstrictis ad eam subducendam iterum ad Windesorensem ecclesiam translatum fuisse, Pontifex Regis Henrici VII. & cleri Westmonasteriensis precibus annuens, ad vetusta Regum Angliæ sepulchra illud referendum sanxit (*a*).

(*a*) *Lib. bull. secr.* 99. *p.* 53.

*Charissimo in Christo filio nostro Henrico Angliæ Regi illustri.*

*Accepimus quod cum olim claræ memoriæ Henricus VI. Angliæ Rex patruus & prædecessor tuus æmulorum suorum opera regno primum spoliatus, ac diris carceribus in quibus ante diem facto, ut creditur, æmulorum eorumdem debitum naturæ persolvit, mancipatus fuisset, quamvis etiam claræ memoriæ Henricus V. Rex, & Catherina primogenita Franciæ ejus conjunx Regina Angliæ dicti Henrici VI. Regis parentes, ac plerique alii sui memores Reges Angliæ, in monasterio Westmonasterii ordinis S. Benedicti Londoniensis diœcesis sepeliri consuevissent, ipseque Henricus VI. dum viveret monasterium ipsum quandoque ingressus, se in eo sepulturam habere optare, ut aliqui ferunt, pluribus aperuisset; tamen dicti æmuli ad ipsius Henrici VI. Regis memoriam, ut verisimiliter creditur, extinguendam, illius corpus in monasterio de Chertres & ordinis S. Benedicti Wintoniensis diœcesis, loco quidem abdito, & a concursu hominum remoto, & Regum sepulturæ minus decenti sepeliri fecerunt; ubi cum nonnulla miracula intercessione, ut pie creditur, dicti Henrici VI. Regis dominus operaretur, & ad illius sepulchrum frequentia populi confluere cœpisset, dicti æmuli corpus ipsum, qua mente ducti ignoratur, ex ipso monasterio de Chertres propria authoritate & absque sedis Apostolicæ licentia exhumatum ad ecclesiam castri Windesore, ubi in præsentiarum requiescit transferri fecerunt. Nos igitur attendentes indecens fore, tam celebris famæ Regem regiæ sepulturæ honore non sine injuria & læsione præfati monasterii Westmonasterii fraudari, tuis in hac parte supplicationibus utpote honestis & convenientibus inclinati, tibi præfatum corpus ex eadem ecclesia cum ad hoc dilectorum filiorum decani & capituli ipsius ecclesiæ prout per eorum patentes literas suo sigillo munitas, ut asseris expressus accesserit assensus exhumari, & ad dictum monasterium Westmonasterii transferri, inque cum cærimoniis & honoribus more aliorum Regum debitis, & consuetis sepeliri faciendi authoritate Apostolica tenore præsentium licentiam & facultatem concedimus. Datum Romæ apud S. Petrum anno MDIV.* XIII. *kal. junii pontificatus nostri anno* 1. Maxima ab Henrico VI. Rege edita fuisse miracula Pontifici relatum est, adeo ut is etiam rogatus fuerit, ut ipsum in sanctorum numero collocaret: quod etiam precibus antea petitum fuerat ab Innocentio VIII. & Alexandro VI. Ut vero maturitas consilii debita adhiberetur in arduo opere, datæ sunt partes a Julio (*b*) Cantuariensi archiepiscopo, & tribus episcopis, ut de virtutibus & miraculis Henrici VI. testes rite in-

Henricus VI. extinctus in carcere Regii sepulchri honore privatus ab invidis. Miraculis inclarescit.

Ad obruendam ejus gloriam translatum inde illius corpus.

Jussum a Pont. referri ad Regum sepulchra.

(*b*) *Bull. secr.* l. 49.

interrogarent, ac publicas tabulas singulis instructas circumstantiis conficiendas curarent.

*Julius, &c. venerabilibus fratribus archiepiscopo Cantuariensi, & Wintoniensi, Dunelmensi, & Londoniensi episcopis salutem & apostolicam benedictionem.*

Ingentia virtutum decora ostensa ab Henr. VI.

*Ex literis charissimi in Christo filii nostri Henrici VII. Angliæ Regis illustris, ac etiam fama quadam non vulgari intelleximus, claræ memoriæ Henricum VI. Angliæ Regem, dum in hoc mundo ageret, vitæ sanctimonia, moribus probatis, fervente in proximos charitate, & omni virtutis & sanctitatis genere claruisse, & jejuniis, vigiliis, orationibus, & misericordiæ operibus assidue vacavisse, & duo magna & insignia collegia pro sustentatione pauperum scholarium ad honorem omnipotentis Dei, & ejus gloriosissimæ genitricis B. Mariæ virginis in dicto regno erexisse, fundasse, & dotasse, & tam eo vivente, quam post ejus mortem, Dominum illius meritis & intercessionibus multa & evidentissima miracula demonstrasse, & quotidie demonstrare: nam cum ad ejus sepulchrum debita cum devotione accedunt cæci videre, surdi audire, claudi ambulare, & quocumque infirmitatis genere oppressi ipso Henrico VI. quondam Rege intercedente, & altissimo operante, sanitatem recipere dicuntur, cujus rei fama non solum per totum dictum regnum, sed etiam per alia loca vicina mirifice divulgata, diversarum regionum populi ad illum frequens concursus, & singularis devotio habetur, & continue magis augetur, adeo ut totius populi illarum partium firma sit opinio, ut dictus quondam Henricus Rex catalogo sanctorum mereatur ascribi. Quare præfatus Henricus Rex modernus nobis humiliter supplicari fecit, ut aliquibus prælatis illarum partium, qui de vita & meritis ac miraculis, aliisque supradictis diligenter & prudenter inquirant, & nobis per suas literas super iis, quæ invenerint, relationem fidelem facerent, committere ac alias ad effectum canonizationis dicti quondam Henrici Regis in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.*

Cælestes virtutes ad ejus sepulchrum editæ.

Postulatus Julius ut illum Sanctorum catalogo ascribat.

*Nos igitur, etsi dicti Henrici moderni Regis desideriis annuere cupiamus, attendentes tamen hujus rei divinum judicium potius quam humanum existere, & propterea pro tanti negotii magnitudine in illo mature, graviter, & accurate procedere intendentes, ipsius Henrici moderni Regis in hac parte supplicationibus inclinati, vestigiis etiam felicis recordationis Innocentii VIII. & Alexandri VI. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, qui similem fecerunt commissionem, inhærentes, fraternitati vestræ, de qua in his & aliis, etiam magnis & arduis, fiduciam gerimus in Domino specialem, per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vos, vel tres, aut duo vestrum de vita, moribus, sanctimonia, charitate, devotione erga Deum, & piis operibus dicti quondam Henrici Regis; nec non miraculis tam in vita, quam post mortem, aliisque consimilibus, quæ circa pondus tanti negotii requiruntur, diligenter, solerter, prudenter, accurate, caute & mature in quocumque seu quibuscumque loco aut locis, de quo seu quibus vobis magis expediens visum fuerit, ad præmissa cognoscenda authoritate nostra inquiratis, testes legitimos recipiatis, & præstito prius per eos juramento diligenter examinare curetis de loco, tempore, mense, die, nominibus, cognominibus, causa scientiæ, aliisque circumstantiis in talibus necessariis & requisitis fideliter inquirentes, instrumenta etiam publica & alias scripturas, universaque alia probationum genera, ad hujusmodi negotium faventia, videatis & diligenter examinetis, & personas, apud quas fuerunt, ad illa vobis exhibenda, per censuram ecclesiasticam & alia juris remedia appellatione remota compellatis; & quidquid in præmissis inveneritis, sub testimonio literarum vestrarum clausarum, & vestris sigillis munitarum per fidelem nuntium ad nos & sedem Apostolicam transmittere curetis: ut nos illis visis & diligenter examinatis, & cum venerabilibus fratribus nostris communicatis, in hujusmodi negotio, prout illius magnitudo requirit, concedente Domino, ad ejus laudem & gloriam, ac orthodoxæ fidei exaltationem, ad ulteriora & magis particularia, si nobis & eisdem fratribus visum fuerit, procedere valeamus. Datum Romæ apud S. Petrum anno MDIV. XIII. kalend. julii pontificatus nostri anno 1.*

Data a tribus pontificibus mandata ut de miraculorum veritate inquiratur.

Quo ritu testes interrogandi sint.

Meminit Harpsfeldius (a) de miraculis Henrici VI. ope implorata divinitus editis atque inter alia hæc refert (b): *Hoc loco adjecero, quod bona fide traditum, nos veteratoris diaboli fraudulentas versutias doceat vitare, & summam Dei & divorum in nos beati præsertim illius Regis Henrici, curam atque benignitatem ostendat. Est itaque pagus quidam Stratton dictus prope oppidum Lecestriæ in quo versatus est sacerdos quidam, cui versutus dæmon, non se quidem videndum obtrudens, sed nefariis suggestionibus voce sane clara & sonora dormienti, idque per tres noctes immissis, sceleratum se laqueo suffocandi consilium dedit. Et ut suas sathanicas fraudes splendido aliquo quique simplicem hominem facilius in præcipitium* XXXIV.

tru-

(a) *Harpsfel. hist. Angl. 15. sæc. 60.*

(b) *Harpsfel. hist. Angl. 15. sæculo c. 24.*

Dæmonis fraus insignis.

*truderet, prætextu tegeret, & sub æternæ vitæ falsa umbra in certam corporis animæque perniciem præcipitaret, simulabat se tenebricosus sathan lucis angelum, missumque a Deo, quo illi significaret hac tantilla pœna recta eum cælos petiturum, miserumque tandem hominem inani illa atque pestifera sollicitatione eo pertraxit, ut noctu scalam pararit, qua ascensu laqueum altæ cuidam trabi innectebat, quo se proximo mane suffocaret. At ea interim nocte vocem per somnum audit clare insonantem: Vah miser, cur ita in certum tuam perniciem ruis? resipisce, & nefarias istas cogitationes depone, & te quamprimum ad B. Regis Henrici sepulchrum confer, quod si feceris, nefariæ istæ dæmonis fraudes nihil tibi deinceps molestiæ facessent. Tanta autem mox tam sceleratæ cogitationis susceptæ pœnitudo hominem incessit, ut summo mane post scalam cum laqueo remotam templum petieris, Deo atque beato Regi gratias propter excussas, & explosas tam nefarii consilii cogitationes accurate agens, hac voti præterea accessione, se nihil vel carnium vel piscium gustaturum antequam B. Regis sepulchrum invisisset. Post octo deinde dies voto se liberavit.*

Divina vi superata.

XXXV. Cum vero in Anglia floreret religio, & ecclesiis summus honos haberetur, latrones & sicarii immunitate ecclesiarum ad patranda impune scelera abusi sunt adeo, ut Julius eos asyli beneficio mulctandos decreverit (a): *Authoritate*, inquit, *apostolica tenore præsentium statuimus & ordinamus, quod deinceps quoties contigerit in dicto regno*, nimirum Angliæ, *hujusmodi crimine læsæ majestatis reos vel suspectos ad dicta loca*, nempe ecclesiastica, *etiam quovis exemptionis privilegio munita confugere, quamvis de criminibus hujusmodi, aut eorum aliquo convicti non fuerint, custodes ad custodiendum illos in dictis locis, ne inde aufugiant deputari debeant, & si dicti criminis læsæ majestatis rei vel suspecti, aut homicidæ, latrones, vel itinerum & publicarum viarum effractoras seu insidiatores in dictis locis moram trahentes, vel inde exeuntes de novo prædicta crimina, vel eorum aliqua, aut deteriora, vel alia similia committere præsumpserint, vel inde recedentes ad prædicta, vel alia quacumque loca etiam quacumque immunitate gaudentia confugerint, ab illis licite extrahi & justitiæ committi possint, non obstantibus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno* MDIV. XIII. *kal. junii pontificatus nostri anno* 1.

(a) L. 99. bull. secr. p. 52.

Latrones abusi ecclesiarum immunitate.

Asyli beneficio mulctati.

XXXVI. Hoc anno Julius consanguineorum indulgens affectibus, cum ducatus Urbini ad Romanam ecclesiam post Guidonis Baldi carentis prole obitum, redigendus foret, dedit operam, ut Franciscus Maria Robureus urbis præfectus in filium a Guidone Baldo adoptaretur, quam adoptionem mox confirmavit collato in principatus successionem jure. Cumque legibus sancitum esset, ut Cardinalium consensus posceretur, illique abalienanda ecclesiæ jura negarent, Julius contrarias leges convulsit (b); vectigal vero annuum mille trecentorum & quadraginta aureorum imperavit.

Franciscus Maria Ruveres in successionem ducatus Urbini cooptatus.

(b) L. 2. bull. secr. p. 263.

*Te*, Franciscum Mariam alloquitur, *tuosque filios & nepotes legitimos & naturales, & ex legitimo matrimonio procreandos, usque in tertiam generationem dumtaxat, in civitatibus, comitatu, terris, castris, territoriis, & districtibus prædictis*, nempe Urbinate, Eugubino, Calliensi, & Forosemproniano, *cum eisdem jurisdictione, jure ac mero & mixto imperio, & omnimoda gladii potestate, ac alias, juxta tenorem literarum Sixti prædecessoris hujusmodi de nominatione ducis Urbini, ac delatione insignium ducalium, cum eodem censu* MCCCXL. *florenorum auri de camera in recognitionem directi dominii civitatum, terrarum, castrorum, & locorum prædictorum, in dicto festo beatorum Petri & Pauli Apostolorum in dicta Romana curia nostro & successorum nostrorum Romanorum Pontificum, thesaurario pro tempore existenti annis singulis persolvendo per vicarios in temporalibus generales, dummodo tu, & filii ac nepotes tui prædicti in nostra & successorum prædictorum fide & devotione permanseritis, facimus, constituimus, & deputamus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno, &c.* MDIV. VI. *id. maii pontificatus nostri anno* 1. Adjecta sunt nomina Julii II. & Cardinalium, qui tum scribendo adfuere. Passa erat Romana ecclesia gravissima bella, cum Pontifices principatus ecclesiæ in suam stirpem transferre niterentur; ex hac vero Julii in Franciscum Mariam indulgentia magna & periculosa bella prodiisse videbimus. XXXVII.

Quis imperatus census.

Interea intulere Africæ bellum ad eam Christo subiiciendam Ferdinandus & Elisabeth Hispaniæ Reges: eumque barbari excursiones in Christianorum terras facere non desinerent, Julius patrui sui Sixti IV. qui Granatensis expeditionis Ferdinando author extiterat, exemplum imitatus, Hispaniæ Reges ad Africanam expeditionem conficiendam cohortatus, decimas Hispani imperii clero ad sumptus in rem militarem suppeditandos imposuit. XXXVIII.

*Julius, &c. Ad futuram rei memoriam.*

*Cum charissimus in Christo filius noster Fer-*

*Ferdinandus Rex, & charissima in Christo filia nostra Elisabeth Regina Hispaniarum & Siciliæ, qui tempore felicis recordationis Sixti Papæ IV. prædecessoris nostri tam dignam ac laudabilem, & immortali Deo acceptam provinciam, quam iidem Rex & Regina, ut veri catholici principes adversus Agarenos regni Granatæ cum tanto animi fervore, ex innata eorum erga religionem & fidem Christianam devotione, ipso etiam Sixto prædecessore id plurimum suadente cœperint, ac tandem prosecuti fuerint, quod eosdem Agarenos, qui tam longo tempore in faucibus Castellæ & Legionis regnorum, non sine magna Christianæ reipublicæ ignominia, ac regnorum eorundem jactura & detrimento occupatum detinuerant, non absque maximis laboribus, periculis, & expensis, ac Christiani sanguinis effusione, sine ulla intermissione pugnando, tandem divina favente gratia regnum ipsum Granatæ ab ipsorum Agarenorum manibus & tyrannide cum maxima Christiani nominis gloria, & catholicæ fidei exaltatione, ac regnorum eorumdem quiete recuperaverunt, ac ex eorum majori in Christianam religionem devotione etiam adversus Africanos Saracenos bello suscepto, nonnullisque oppidis, terris, & locis per eosdem Regem & Reginam ad religionem Christianam redactis ad ampliorem expeditionem se disponentes, contra eosdem perfidos Saracenos magna bellatorum classe, non absque magnis expensis & laboribus Regis & Reginæ prædictorum, armata muniti expugnare non cessant, firma spe fiduciaque ducti, quod nobis pro ejusdem fidei exaltatione id eis suadentibus, & ad novam expeditionem ipsam majori robore prosequentur, & auxiliante Altissimo, exinde optatam victoriam & expugnationem consequentur, cum infidelium partium illarum saltem pro aliqua parte ad fidem catholicam conversione, &c.* Dat provinciam archiepiscopo Toletano, & Palentino atque Abulensi episcopis, ut quæstores constituant; qui tamen ex Viennensis concilii decreto calices & sacrum ornatum non capiant distrahantve: eos vero, qui sacram pecuniam, in alios quam sacræ militiæ usus averterint, anathemate percellit. *Datum Romæ apud S. Petrum anno MDIII. III. kal. februarii pontificatus nostri anno* I.

Authore Sixto IV. Saraceni Granata pulsi.

Illatum Africæ bellum a Ferd. Rege & Isabel.

XXXIX. Navasse etiam Hispaniæ Reges operam proferendæ in America Christianæ religionis, narrant scriptores (a), atque ideo Christophorum Columbum novi orbis inventorem maximis ornasse honoribus, necnon colonias Hispanorum ad insulas Americæ deducendas curasse, a quibus urbes & templa conderentur: *Rex & Regina Hispaniarum nihil magis gerebant in votis, immo supra vota, quam ut almam Christi fidem in dies augerent, auctamque colerent, & cultam summopere venerarentur; propterea id eximie observabant, ut hæ gentes, quæ hactenus nomen Christianum ignoraverant, tandem aliquando ope & industria sua scirent, unam esse Christi fidem, extra quam nulla est salus, nec redemptio: inque hujus rei specimen decrevere summis honoribus Columbum prosequi; nihilque prætermiserunt, quod ad cultum & decus ejus spectaret. Igitur vultu sereno eum excipiunt, condecorantque innumeris titulis, & qui apud Hispanos eximius ducitur honos, in consessum ipsum recipiunt, voluereque, ut deinceps non Columbus, sed Admirans oceani appellaretur, & ut licuit colligere ex Admirantis sermonibus, sperabat prope diem fidem nostram magna incrementa habituram, si hæ insulæ ad fidem reducerentur: in commerciis vero & aliis mortalium emolumentis, quibus plerumque omnes inhiant, nullam prope spem collocaverat. Itaque serenissimi Reges jubent, ut protinus liburniæ septemdecim expediantur, quæ arcem in prora habeant, id est speculam, unde eminus speculantur, celoces vero duodecim absque specula, inque eis hominum mille ducentum, qui omni genere armorum communirentur, fabrosque lignarios, artificesque fere omnium generum ære annuo conduxit. Qui classem sequerentur equites etiam quosdam centuriavit, ut nihil classi deesset, quod ad validam expeditionem spectaret.* Et infra: *Instituit etiam noster Columbus secum ferre instrumenta omnis generis ferrea, quæ conducerent urbi condendæ, ut in nova regione novas urbes conderent, quæ forent suorum tutissima receptacula; multique insuper Regis clienter contubernalesque ultronei se obtulerunt hujus navigationis socios desiderio comparandæ gloriæ, provocati gestis Columbi præclaris.*

(a) Itin. Lusit. pag. 54.

Hispaniæ Reges Christi fidem proferre in America ambiunt. Christophorus Columbus magnis ornatus honoribus.

Missæ in Americam coloniæ.

XL. Exeunte eodem anno e vita discessit (b) Elisabeth Castellæ Regina; cujus mira in tuenda augendaque re Christiana facinora posteri omnes celebrabunt: de qua hæc Orosius (c): *Fuit illa mulier tam excelso animo & tam singulari prudentia, tantisque laudibus probitatis & religionis ornata, ut merito videatur nomen illius sempiternæ memoriæ consecrandum.* Consignat illius obitus tempus Mariana his verbis (d): *Decessit ad sextum kal. decembris magno atque incredibili totius provinciæ luctu, principem amisisse dolentium ea animi magnitudine & prudentia, iis virtutibus, ut inter laudes ejus minima sit, superasse longo intervallo Reginas alias quascumque Hispania vidit ab omni me-*

Elizabethæ Reginæ Castellæ mors.

(b) Buonaccur. in diar. Osor. l. 3.

(c) Osor. ubi sup.

Elisabethæ elogium.

Joanna Castellæ Legionis & Gran. regnorum hæres relicta.

(d) Marian. l. 28. c. 11.

*memoria, immo vero totius orbis a multis profecto sæculis, Granatam sepulchro delegit*. Instituit testamento Castellæ heredem Joannam filiam nuptam Philippo Maximiliani Cæsaris filio, eidemque regni procurationem reliquit: ad quem Pontifex de morte socrus consolatorias proximo anno literas dedit (*a*): tum, de Castellæ, Legionis, & Granatæ regnis adeptis gratulatus, hortatus est, ut dissensionum inter Ludovicum Gallorum & Ferdinandum Aragonum Reges reliquias restingueret; cum utrique affinitate conjunctissimus esset, alteri nimirum gener, alterius filiæ socer designatus.

Elizabethæ Reginæ elogium.

(*a*) *Lib. brev. pag.* 259.

*Charissimo in Christo filio Philippo Castellæ, Legionis & Granatæ Regi catholico, Aragonum & Siciliæ principi, Austriæque ac Burgundiæ archiduci, &c.*

Philippus Austriacus dotali jure Hispaniæ regna corripit.

*Charissime in Christo fili salutem & apostolicam benedictionem. Reddidit nobis literas tuas scriptas* XXII. *decembris dilectus filius noster Bernardinus Cardinalis S. Crucis patriarcha Hierosolymitanus, nobis & sedi Apostolicæ, nec non personæ & coronæ tuæ regiæ plurimum deditus & fidelis, quibus, quod obitum claræ memoriæ Elizabeth Hispaniarum Reginæ catholicæ, tuamque & charissimæ in Christo filiæ consortis tuæ Joannæ Reginæ in regno Legionis & Castellæ successionem significabas, affecit nos alterum summo dolore, altero valde lætati sumus, sicut ex nostris literis, quas ad te antea dedimus jam videre potuisti. Deum omnipotentem oramus, ut in hac tanta regnorum successione ad rectam & bonam illorum directionem ac fidei catholicæ propugnationem, & Apostolicæ sedis tutelam & honorem te dirigat: quod nulla alia ratione posse fieri facilius ac melius existimamus, quam si summotis Christianorum principum differentiis, odiisque sublatis, bona & optata firmaque universalis pacis fundamenta inter eos jacta viderimus, quam omni voto & tota mente exoptamus; ad eamque personam tuam velut lapidem angularem utraque facturam unum esse judicamus. Hortamur itaque majestatem tuam plurimum, ut bonis omnibus, quibus poteris mediis adniteris, parentes tuos charissimos filios nostros Romanorum & Aragonum Reges, si in aliquo sunt cum Francorum Rege dissidentes, in unitate componas, ut junctis simul animis ac viribus, tyrannos Ecclesiæ & infideles diebus nostris comprimere & humiliare possimus, personam autem tuam regiamque coronam, quam paterno affectu prosequimur, & in dies magis ac magis prosecuturi sumus, ex literis præfati filii nostri Cardinalis S. Crucis, cum quo plura locuti sumus majestas tua plenius intelliget.*

Rogatus ut inter Arag. & Franc. Reges pacis interpretem agat.

*Dat. Romæ apud S. Petrum die* 11. *februarii MDV. pont. nostri anno* 1.

Defunctus est eodem anno in Gallico exilio Fredericus Neapolitano regno jam ante depulsus, cujus viduam ac filios Pontifex Gallo Regi, ut eos regia liberalitate sustentaret, commendavit.

*Regi Franciæ.*

*Præter spem nobis nuper est nuntiatum, claræ memoriæ Federicum de Aragonia Regem ab hac luce migrasse, ob quod non possumus secundum carnem non commoveri, amabamus enim eum paterne propter egregias ejus virtutes præsertim cum nostri observantissimus esset, & deditissimus majestatis tuæ, qui morte præventus æquiore ut accepimus animo excessit e vita, quod uxori & filiis ejus præsidium majestatis tuæ de qua semper benemereri studuit non defuturum intelligabat: soles enim pro singulari sapientia tua & magnanimitate iis, qui in tuam fidem se conjecerunt, non solum viventibus, sed defunctis gratum te & memorem exhibere. Itaque & si non dubitamus quin tua sponte conjugem & filios antedictos liberalitate & favore opportunis prosequuturus sis, ex abundantia tamen charitatis eos tuæ majestati duximus commendandos, &c. Dat. Rom. die* XV. *decembris MDIV. pontificatus nostri anno* II.

Ejus uxor & filii a Pont. Galloe. Regi commendati.

Hoc anno Emmanuel Lusitaniæ Rex, cum in regno Congensi Christi fidem virtute Alfonsi Regis, qui divina ope paucis instructus copiis fratrem innumerabilium militum idololatrarum exercitu succinctum profligarat, florere accepisset, plurimos sacerdotes ad barbaros Christiana pietate imbuendos transmittendos curavit (*b*), a quibus evangelicam legem late diffusam testatur etiam novator his verbis: *Regnum Manicongo Regi Lusitaniæ fœderatum fidem Christi suscipit*. Describunt eos felices fidei progressus Indicarum rerum scriptores (*c*), ex quibus Orosius (*d*) accurate tempus ita designant: *Emmanuel cum tanto ardore religionis studium in illis partibus excitari conspiceret, cum esset ipse natura, & studio, & disciplina cupiditate religionis incensus, id quod fuerat a Joanne Rege feliciter institutum, ut perfectum & absolutum cerneret, elaboravit. Itaque anno a Christo nato MDIV. homines sanctissimis literis eruditos & religionis laude præstantes in illas partes misit: multos præterea ludorum magistros, qui scholas aperirent, & pueros literis instruerent, & artifices etiam multarum artium eo similiter mittendos existimavit. Multas præterea sacras vestes partim aureas, partim sericas, multos libros Christianam disciplinam, & sacrorum omnium rationem,*

XLI. Plures sacerdotes ad regnum Congense missi.

(*b*) *Gaspar. Hedion. in append. ad Sabell. an.* 1505.

(*c*) *Orosius l.* 3. *Maff. l.* 3.

(*d*) *Oros. eod. l.* 3.

Præclarum Emmanuelis Regis in ea re studium.

Gymnasia literarum & artium Congitanis aperta.

*& Chri-*

Sacer ornatus ad eos transmissus.

*& Christi vitam, & hominum sanctorum exempla continentes, argenteos præterea calices sacrificiis dedicatos, & cruces argenteas & thuribula & omnia denique, quæ tam ad Christi disciplinam tradendam, quam ad sacra rite procuranda pertinebant, in naves imponi jussit, ut facilius gentem in fide suscepta confirmaret. Ad hæc sacerdotibus & reliquis omnibus, quibus onus lustrandæ illius regionis imposuit, stipendium & commeatum large atque munifice suppeditari præcepit. Cum autem in his rebus omnibus maximos sumptus faceret, nullum tamen sibi fructum & emolumentum, quibus regiæ opes amplificari possent, sed divinum tantum atque sempiternum inflammato studio proponebat. Cum autem homines religiosi cum muneribus sacris a Rege missi in eas oras pervenirent, magna repente hominum multitudo confluxit, ut eos humeris suis tolleret: omnes, qui conveneraut homines religiosos venerabundi suspiciebant, & quasi cœlo delapsos intuebantur. Rex eos valde amanter excepit, Emmanuelique pro tanta benignitate felicitatem sempiternam precatus est. Multi vero certatim ad illos undique conveniebant, ut Christo nomen darent, & sacro fonte abluti in novum vitæ genus ingrederentur.*

Sacerdotes a barbaris culti magnis honoribus.

Rex Congi in divina lege exponenda interpretem agit.

*Et quia neque sacerdotes linguam eorum noverant, neque plebs Portugalensem linguam intelligebat, Rex interpretis officio fungebatur, & quod ab illis acceperat, jam enim nostram linguam probe tenebat, habita concione suis enuntiabat. Egit Emmanuel præterea cum illo per literas, ut filios suos in Lusitaniam mitteret, se namque daturum operam, ut non latinis tantum literis, sed etiam maximarum artium disciplinis erudirentur. Ita factum est, ut non solum Regis filii, sed multi pueri nobiles Olysipponem venirent, & Emmanuelis sumptibus alerentur, & omnes artes homine libero dignas acciperent, e quibus aliqui, qui sese sanctis literis impense dediderant, in Æthiopiam reversi multos mortales ad Christi Ecclesiam, & concionibus & virtutis exemplis aggregarunt.*

Congitani nobiles educati Olysippone propagandæ fidei egregiam dant operam.

XLII. Calecutii Rex victus a Lusitanis.

(a) Barros. dec. 1. Asia l. 7. c. 5. 6. 7. 8.

XLII. In India (a) Lusitani accepto in fidem suam Triumpara Cochimi Rege adversus Zamorinum Calecutii Regem, qui in nostros ac fœderatos bellum acre instauraverat, sumpta ex Alfonsi & Francisci Albuquerquiorum discessu audacia, secumque Tanoris, Bipuris, Cucurrani & Cotogami Reges vectigales traxerat, Christiani nominis famam auxerunt Eduardo Pacieco duce, qui cum paucissimis copiis sacra exomologesi & Eucharistia communitis, quæ in India hæserant, dum nova classis ex Lusitania veniebat, innumerabiles barbarorum, quos duo perditissimi homines Mediolanenses transfugæ tormenta bellica conflare & torquere docuerant, multitudines Christi ope fudit pluribus gravibus certaminibus: in quorum ultimo, eoque atrocissimo magna barbarorum strages edita, nemo tamen e nostris quamvis hastis, jaculis, & infinita pilarum multitudine peterentur, cecidit: *Ex quo facile constat*, inquit Osorius (b), *totum hoc bellum fuisse numine illius confectum, qui nutu potest sui nominis hostes evertere, neque suos umquam præsenti ope destituit. Quod si alicui incredibile visum fuerit, is non hominibus, sed Deo gloriam detrahit, atque demonstrat se quantas vires vera religio habeat ignorare; ii vero, qui minime sunt veræ pietatis ignari, & experti sunt in se præsentissimi numinis beneficia, intelligent plane multo majora facinora posse ab illis fieri, qui firmam spem in Christi præsidio reposuerint; maxime vero cum pro illius gloria certamen initum fuerit: id autem eo præsertim tempore fieri conveniebat, quo nondum Christi nomen a gentibus illis celebratum extiterat, neque imperium constitutum fuerat, ut illis signis facilius homines ad Dei notitiam pervenirent & Lusitani confirmatis viribus fundamenta jacerent imperii, cujus opera possent gentes, quæ ad orientem solem pertinent, radiis disciplinæ cælestis illustrari; quod factum postea fuit, ut cernimus, & clarius in dies futurum speramus. Paciecus autem cum se tanto periculo liberatum & hostes fusos animadverteret, ingentes Deo gratias egit.*

(b) Osor. l. 3.

Parta divino miraculo victoria.

XLIII. Calecutiensis Rex delusus ab auguribus.

XLIII. Tentati dein vero veneno, insidiis, vique aperta Lusitani fuerunt a Calecutiensi Rege, cujus omnes conatus elusi a nostris. Denique barbarus augurum suorum, qui dæmonum inanibus vaticiniis illum in firmissimam spem victoriæ adduxerant, fallaciam execratus, diro confusus pudore regno se abdicavit, idolorumque ædes ingressus est, ut in funesta superstitione reliquam vitam absumeret. Tum increpitus, quod ignaviam religione tegeret, regiam repetiit: cumque bellum redintegrare moliretur, desertus a finitimis, quorum multi pacem cum Lusitanis pepigerunt, rursum stultæ Brachmanarum solitudini vitam mandavit. Amisit in eo bello quod menses quinque tenuit, undeviginti millia hominum magnumque navium numerum, Paciecus vero gloriam Christi late circumtulit, & Colanenses, qui a Saracenis subornati conjurarant in Lusitanos, in Christianorum potestatem redire compulit. Tum Indicam oram cum navibus instructis tamquam victor pervagatus est: *Tan-*

Quanta in eo bello peremta multitudo infidelium.

Pacieci ducis Lusit. eximia facinora.

*ta erat*, ait Osorius, *virtutis illius opinio tantusque ab eo metus & Regibus & dynastis, & piratis etiam incussus, ut nemo auderet armis illis illius obsistere. Hæc autem ab eo gesta sunt usque ad septembris mensis initium ejusdem anni, qui fuit a Christo nato* MDIV. Refert idem author egregiam ejusdem ducis vocem, atque in prælio, cum periculis circumfusum aliquando a Calecutiensi se intueretur, exclamasse: *O summe cæli rector, ajo me commisisse flagitia maximo supplicio digna, te tamen suppliciter oro, ut in aliud tempus vindictam differas, in quo non decus & gloria tui sanctissimi nominis agatur*; mox globo ferreo cum plurima flamma contorto castellum ligneum hostium exturbasse (*a*); Christique nomen a nostris manus in cælum tendentibus celebratum.

Egregia ejusdem vox in periculo.

(*a*) *Jo. Barros. dec.* 1. *l.* 7. *c.* 8. & *Osor. sup. l.* 3.

XLIV. Inter hæc Emmanuel Lusitaniæ Rex de Cranganoris Christianis, qui ejus se clientelæ commendarant, deque nuva accepti anno superiori Indici imperii possessione lætus (*b*), ad illud tuendum augendumque contra Mahometanorum vim, insitumque Christiani nominis odium, majorem quam antea classem subsidia laborantibus suis in India comparabat, cui Lupum Soarinm præfecit. Conflata (*c*) ea erat ex tredecim navibus, quæ XXII. aprilis die Olissipone solvit, ac decimaquarta septembris Cochimum appulit: cujus adventu Reges fœderati in fide confirmati (*d*), hostes vero excursionibus variis fuere attriti. Calecutiensis pacem oravit (*e*); sed quia duos nominis Christiani proditores, de quibus memoravimus dedere ad supplicium nollet, repulsam accepit, quamvis censerent alii pluris esse, vinctos cives receptos in libertatem asserere, quam de transfugis supplicium sumere. Confecta deinde in Calecutiensem expeditio & Cranganor Indiæ urbs opulenta, quam mixti Idololatræ Malabares, Arabes, Judæi, & Christiani incolebant, partim incensa direptaque; Christiani tamen qui Vasco Gammæ jam ante sceptrum tradiderant (*f*), amanter excepti, cultique cum e latebris ad nostros accurrissent. Qui autem horum mores ritusque essent, ex Osorio repetere visum, cum sæpe alias de Indis Christianis in annalibus facta fuerit mentio, atque etiam jam ante decretam legationem ad Sixtum IV. Pontificem viderimus, ut episcopos ad eos pietate informandos consecrandosque sacerdotes mitteret.

(*b*) *Barr. sup. l. c.* 8.

Submissa in Indiam classis auxiliaris.

(*c*) *Osor. l.* 3.

(*d*) *Barr. dec.* 1. *Asiæ l.* 7. *c.* 10.

(*e*) *Osor. l.* 3.

Cranganor urbs capta a Lusit.

(*f*) *Barr. sup. c.* 10. *Osor. ubi sup.*

Christianorum in India reliquiæ in clientelam acceptæ.

XLV. *Distat*, inquit (*g*), *Cranganor Cochimo ad septentriones decem & sex millibus passuum fluminis, quod propter illam in mare influit variis flexibus alluitur. Erat urbs sane magna, & a multis nationibus propter admodum celebre emporium frequentata*. Et infra: *Indigenæ, qui simulachris dediti sunt, eisdem moribus, quibus reliqui Malabares utuntur, Christiani templa habent non satis eleganter ædificata, sunt enim eorum opes valde tenues. Septimo quoque die, quem dominicum appellamus, in templum conveniunt, ut sacris intersint & conciones audiant: summus eorum antistes in montibus, qui ad septentriones spectant a mari disjunctissimi, quam illi regionem Chaldæam nominant, sedem habet*. Disjunctæ adeo sunt eæ oræ, ut raro cum Latinis habeant commercia: nonnulli tamen interdum ex iis Indiarum patriarchis decretis internuntiis primatum Romanæ ecclesiæ agnoverunt, ac suæ fidei formulam orthodoxam transmisere, cujusmodi est ea, quam patriarcha totius orientis ad Benedictum XI. ex Maraca Indiæ urbe, atque in adepta se confirmari dignitate ab eo petiit (*h*). Pergit Osorius.

(*g*) *Osor. ubi sup.*

Cranganoris descriptio.

Indorum Christ. ritus.

(*h*) *Annal. to.* 14. *ann.* 1304. *n.* 22.

XLVI. *Sacerdotes in capite ita sunt attonsi, ut crucis imaginem in vertice summo contineant; vino ex passis uvis confecto in sacrificiis utuntur omnibus sine discrimine. Cum ad Eucharistiam accedunt non solum Christi corpus in panis specie, verum & in calicis consecrati potione porrigitur, nemo tamen epulum illud divinum sumit antequam flagitiorum confessione animorum sordes eluat. Pueri infantes nullo modo ante quadragesimum diem, nisi periculum aliquod impendere eorum vitæ perspectum fuerit, sacris aquis expiantur. Cum aliquis periculoso morbo premitur, sacerdos illum invisit, ægroti sacerdotis precatione animum allevari confidunt. In ingressu templi lustralibus aquis, perinde atque nos facimus, asperguntur: eodem etiam ritu mortuos & eadem religione sepeliunt, deinde cognati & affines epulum dant, & octo dies in conviviis mortuorum gratia instructis accumbunt, & illorum memoriam celebrant, & pro eorum sempiterna salute Christum venerantur. Viduæ, quæ ante annum post virorum obitum nubunt, dotem amittunt. Sanctas literas Syrio sermone, quem Chaldæum nominant, scriptas studiosissime colunt, earumque interpretes in locis publicis omnes, qui conveniunt, ad earum intelligentiam diligenter erudiunt. Jejunia temporibus, quæ adventum & quadragesimam appellamus, diligenter observant; sacra solemnia, quibus utimur, summa cum religione & celebritate procurant. Eandem anni computationem cum die intercalari, qui quarto quoque anno inseri solet, quam observamus diligentissime retinent. Kalendis julii non Christiani tantum, sed indigenæ a sacris*

Tonsuram in crucis formam ferunt sacerdotes.

Confessionis apud eos usus.

Chri-

Festus dies Thomæ agi solitus etiam ab infidelibus.

*Christianæ nationis abhorrentes in Thomæ honorem diem festum agunt. Sunt apud illos & monachorum sodalitia, & virginum sacrarum cœtus ædibus semotis inclusi, ab omnibus illis pudicitia cum summo probitatis & abstinentiæ & religionis studio conservatur. Sacerdotes uxores ducunt, prima tamen uxore mortua, est illis in posterum nuptiis omnibus interdictum. Matrimonium nisi aut viri aut uxoris morte dirimi nulla conditione licet. Hanc autem morum institutionem a tempore Apostoli Thomæ, qui primus eas nationes ad Christi notitiam instruxit, ad hæc nostra tempora continuatam summo semper studio non solum in Cranganoris regione, sed in multis aliis, Christiani qui in India sedes habent, summa semper religione & studio tenuerunt: corpus illius in urbe, quam Malipur appellant, quæ ad regnum Narsinguæ pertinet, sepultum est multis miraculis celebratum.* Nonnulla ex his author affert, aliaque etiam addit Maffejus (a). Nunc ad Calecutiensem redeamus, non modo illius superbia in Cranganoris expugnatione obtrita (b) est, verum principes Malabarico imperio obnoxii ab eo desciverunt, ex quibus Tanoris Rex Lusitanis fœdere jungi expetiit. Illata præterea Calecutiensi Regi nova clades a Lupo Soario, qui Lusitaniam repetiturus, in Pananem urbem Malabaricam invectus, septemdecim in illius portu infidelium naves ultima decembris exussit.

Virginitas culta inter Indos.

Reliquiæ D. Thomæ celebratæ miraculis.

(a) *Maff. in hist. Indic.*

Plures principes a Calecutiensi ad Lusit. deficiunt.

(b) *Id. ib.*

I. ANno a partu Virginis millesimo quingentesimo quinto indictione VIII. cum Pontifex restituendi in pristinam amplitudinem ecclesiastici imperii cupidus, Maximilianum Romanorum, ac Ludovicum Gallorum Reges mutuo junctos fœdere acrioribus studiis hortari pergeret, ut secum in Venetos ad repetenda Romanæ ecclesiæ, imperii, & Mediolanensis ducatus jura expeditionem conficerent, Veneti utrique Regi significarunt (a), eas urbes se non Romanis pontificibus, sed latroni perditissimo, in quem Pontifex universusque Cardinalium senatus omnino jura transfuderant, eripuisse; eas consuevisse Pontifices vicariis administrandas tradere: quamobrem postulare, ut eodem modo sibi de re Christiana optime meritis permittantur: tum ad mitigandum officiis, atque obsequiis Julium, a quo jam ante Foroliviensem arcem, quam auro occupare potuerant, recipi erant passi, plures illi urbes S. Angeli oppidum, portum Cæsenatensem, Meldulam, & nonnulla alia oppida post Alexandri obitum erepta restituerunt (b), honorificentissimamque legationem quantam unquam antea, octo nimirum illustrium virorum, qui principis, senatus, ac populi nomine obedientiam ei rite deferrent decreverunt, rati pontificem de pristina in Arimino & Faventia repetendis acerbitate remissurum.

(a) Hieron. Rub. l. 8.

Veneti nonnulla restituunt Julio, alia retinent.

(b) Bonaccur. in diariis Guicc. l. 6.

Legatos decernunt ad Julium.

II. Nec Veneti modo, verum cæteri quoque Christiani principes publica officia summo Pontifici præstitere, reliquosque omnes transalpinos principes officiorum promptitudine atque alacritate vicit Henricus VII. Angliæ Rex, qui præstantissimis oratoribus Romam legatis, se Julii pariturum imperiis spopondit (c), opesque suas omnes ac vires Anglicas humanissime Pontifici devovit: cujus eximia studia idem Pontifex magnis laudibus extulit (d).

(c) Lib. brev. pag. 256.

(d) Id. ib.

*Regi Angliæ.*

III. *Nullius hominis querela aut detractio animum nostrum optimum in te immutare posset, nec illa, non modo dubitatio, sed ne minima quidem suspicio devotionis, observantiæ, & obedientiæ filialis imminutæ majestatis tuæ erga nos & dictam sedem in mentem nostram caderet. Tu enim primus omnium catholicorum Regum & principum extra Italiam incolentium, quamvis in remotissimis agis, legationem solemnem cum plena obedientia & oblatione omnium rerum, virium, opum & facultatum tuarum, tuique regni inclyti ad nos misisti. Tu deinde omnibus in rebus mandatis nostris & sedis prædictæ obedientissimum te filium exhibuisti. Tu postremo, quod maximam laude dignum ducimus, Christianæ reipublicæ cura suscepta post affinitatem cum plerisque Regibus & principibus Christianis, ea de causa contractam, nos quoque hortatus es ad excitandum ipsos principes Christianos ad mutuam pacem atque concordiam, ut illis, qui adhuc inter se diffident, conciliatis atque pacatis, valida expeditio in perfidos Turcas, aliosque salutiferæ crucis hostes decerni possit. Datum, &c.* Affectus est sacro munere, nimirum ense sacra prece lustrato præterita natalitiorum Domini festa die, ut in fidei hostes forti manu illum distringeret; & Palæologus Constantini ducis frater a Turcis ejectus illi commendatus (e) est, eadem officia ab Alexandro Rege Poloniæ delata Pontifici ex literis inferius afferendis constat (f) [1].

(e) Ib. p. 326.

(f) Ib. p. 308.

IV. Emmanuel quoque Lusitaniæ Rex amplificatæ apud incognitas antea nationes fidei gloria præclarus in urbem misit, ut refert Osorius (g), Jacobum Sousam Portugalensem episcopum, & Jacobum Paciecum virum juris civilis scientia & dicendi facultate non vulgari præditum, qui regio nomine Julio II. fidem obstringerent, peterentque, ut ad sustentandos maximos sumptus, qui in gerendo sacro in Mauritanos bello faciendi erant, ferret opem, muneraque ex divino Ecclesiæ thesauro depromeret. Quibus postulatis assensit Julius; extat namque pontificium diploma (h) de instauratis Emmanuelis rogatu sacris indulgentiarum præmiis, quibus jam ante Innocentius VIII. affecerat erogaturos stipem subsidiariam in bellum, quod Africæ Joannes Lusitaniæ Rex adversus barbaros inferre decreverat. Producendum illud e Vaticano regesto

(g) Osor. l. 4.

(h) Lib. brev. per Sigism. secr.

NOTÆ [1] HAs pontificis literas ad Henricum Angliæ regem in codice Vaticano absque temporis adscriptione relatas & huc ab Annalista translatas ad superiorem annum pertinere suspicor. Missum enim ad Julium pontificem legatum Anglicum die XIX. aprilis anni superioris ad pontificem admissum in excerptis Burchardi ab Eccardo vulgatis legimus. Quæ ergo causa succurreret ut literæ pontificis ad regem Angliæ, in quibus legationem a se exceptam significat, integro ferme anno differrentur? Nonne aptius eodem anno quo obita legatio eodem & datas literas censeremus? MANSI

(a) Lib. bull. p. 283. V.

gesto (*a*) visum est, atque annalibus inferendum.

*Ad futuram rei memoriam.*

*Sicut facti evidentia demonstrat, & jam toti Christiano orbi notissimum est; claræ memoriæ Portugalliæ Reges, qui pro tempore fuerunt, ex innata eorum erga Christianam religionem devotione, toto cordis affectu desiderantes, ut vere catholicos principes decet, fidem nostram augere, ac barbaras nationes & infideles ad fidem ipsam reducere, a magno tempore citra continue, non sine maximis laboribus, periculis, & impensis, ac etiam magnam subditorum suorum sanguinis effusione, in partibus Africæ adversus ipsius Africæ infideles bellum gesserunt, & jam, faciente Altissimo, quamplura civitates, terras, castra, ac loca munitissima in dicta Africa expugnarunt, & suæ ditioni subjecerunt, cum non parva gloria nominis eorum, & totius reipublicæ Christianæ. Quæ omnia devotissime considerans charissimus in Christo filius noster Emmanuel ejusdem Portugalliæ, ac Algarbiorum modernus Rex illustris aliorum Regum prædictorum successor, eorum vestigia volans imitari, nec minus ipsius Christianæ religionis studiosus defensor & zelator, quam ipsi progenitores fuerunt, cum maximo animi fervore omnino decrevit, gratia sibi assistente divina, provinciam per ipsos progenitores jam cœptam prosequi, nec desistere, donec rem ad optatum finem perduxerit; etiam proprium sanguinem suum effundendo, & se personaliter in ipsam Africam transferendo: quod jam facere tentasset, nisi seditiones aut dissensiones, aliaque plura discrimina, quæ humani generis hoste procurante in diversis mundi partibus post susceptum per eum dominium viguerunt, id prohibuissent. Unde nos attendentes quam sit dignum & quam laudabile, ac immortali Deo acceptum, ac omnibus Christifidelibus proficuum, hujusmodi sanctissimum opus; quodque ad ipsius Africæ expugnationem, & tantam fidei præfatæ exaltationem dicti Regis non suppetunt facultates, sed sit necesse tam ab ipsa Portugalia, quæ fortissima & devotissima existit, quam ab aliis fidelium nationibus propugnatores & bellatores, aliaque auxilia exquirere, ut Rex præfatus, faciente Altissimo suum pium & laudabile propositum hujusmodi ad effectum perducere valeat; Christifidelium eorundem invocato auxilio, quantum in nobis est operari volentes, authoritate omnipotentis Dei, cujus vices, quamvis immeriti, gerimus in terris, universos Christifideles, præsertim nationis ejusdem regni Portugaliæ, hortamur, requirimus, ac monemus, ut eidem Regi ad expugnationem ipsius Africæ & illius conquisitionem, & fidei præfatæ exaltationem cum bonis & personis suis, pro earum possibilitate viriliter & indesinenter assistant; ut illius exemplo, qui pro salute gregis dominici mortem non abnuit, tollant in cordibus suis crucem suam, ut illi ex eisdem fidelibus, qui ad hoc idonei sunt, eundem Regem, immo verius Salvatorem nostrum præfatum sequantur, & pro illius nominis gloria, & infidelium prædictorum fidei hostium propugnatione, mortis periculo se exponere non formident, memores verbi ejus, qui dixit,* qui vult venire post me abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me, *pariter & confidentes in eo, qui dicit:* Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi; *& qui in una nocte per angelum suum centum octoginta quinque millia hominum (b) ex exercitu Sennacherib interemit, & qui alias ecclesiam suam in magnis periculis non dereliquit, nec permisit inimicos ejus de eorum impetu gloriari, receptura ipsa præmia felicitatis æternæ. Et ut fideles ipsi eidem Regi in prosecutione tam sancti operis propitius assistere, & sibi possibilia auxilia exhibere studeant, quo exinde majora animarum suarum commoda cognoverint adipisci, & eis pro tam salubri bono portas paradisi ad perennem gloriam cum sanctis Apostolis & gloriosis martyribus reserari: universis fidelibus eisdem, qui ad bellandum contra eosdem infideles pro consecutione dictæ Africæ in ejusdem Regis Africæ exercitum in personis propriis se contulerint, & per tempus, quod thesaurarii proventuum hujus sanctæ expeditionis, qui pro tempore fuerint deputati, ordinaverint, in illo permanserint, confisi de ipsius omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus authoritate, & verbi ejus, qui est via, veritas, & vita, ac nobis, qui in persona ejusdem beati Petri, cujus pares authoritate, meritis licet imparibus, successores sumus, dixit:* Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis; *& etiam de potestatis plenitudine, nobis cælitus tradita, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem & indulgentiam, quales per prædecessores nostros Romanos Pontifices dari consueverunt proficiscentibus in subsidium terræ sanctæ, & quales in anno jubilæi per eosdem prædecessores concessa fuit, concedimus pariter & donamus; ac eorundem omnium quos in hac sancta expeditione proficisci contigerit, animas in sanctorum angelorum consortio in cælestibus regnis &*

Gesta a Regibus Lusitanis in Africa bella ingentia.

Redintegrata ab Emanuele Rege expeditio.

Lusitani ad capessenda sacra arma solicitati.

(b) 4. Reg. c. 19.

Sacra præmia iis proposita.

*æterna felicitate permansuras perpetuo decernimus collocandas; ita ut, si forsan designato tempore, non excepto ipsorum aliquo, postquam iter pro prosecutione tam sancti operis arripiunt, eu hac luce migrare contingat, indulgentiam hujusmodi omnino consequatur, &c.* Afficit Pontifex pluribus sacris beneficiis illos, qui in ea expeditione vel arma stringerent, vel militibus opem & operam præberent; episcopis vero promulgandæ sacræ militiæ provinciam dedit, vetuitque erogatam a piis stipem, quæ pro opum affluentia temperata est, in alios asus averti, sed tantum in Africano bello impendi jussit. *Dat. Romæ apud S. Petrum MDV.* IV. *id. julii pontificatus nostri anno* II.

VI. Transtulit idem Rex Emmanuel militiam Jesu Christi e castro Marini ad castrum Thomar, ut ex eo in Saracenorum fines facilius excurrere posset, & latius Christi imperium proferre: tum plures sanctiones ad honestandam eandem militiam, & provehendum divinum cultum edidit, quæ a Julio II. authoritate apostolica confirmatæ fuere (a).

(a) *L.* II. *bull. pag.* 196.

*Julius, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

Decreta a Pont. internuntio edita.

*Ordinavit*, nimirum Emmanuel Lusitaniæ Rex, *quod milites & præceptores dictæ militiæ Jesu Christi, recitarent & dicerent officium B. Mariæ virginis gloriosæ juxta morem, quo melius scirent legere; & milites non scientes legere dicerent sexaginta vicibus orationem dominicam, & toties angelicam salutationem, decem videlicet pro matutinis & decem pro vesperis: pro singulis autem aliis horis, octo vicibus, & si possent, præmissas orationes horis debitis dicerent; & correctio malæ recitationis dictarum orationum seu officii ejusdem B. Mariæ virginis relinqueretur eorum confessoribus.*

VII. Edita etiam ab eodem plura alia decreta de expiandis sacra exomologesi noxis apud sacerdotem, & Eucharistia pie diebus solemnibus excipienda, de nuncupando militiæ magistro fidei sacramento, de ciborum delectu & usu carnium tribus diebus in hebdomada permisso; ita tamen, ut iis diebus quinquies orationem dominicam & angelicam salutationem in honorem Jesu Christi ultra alia precum imperia repeterent; de magistro deligendo, tyronibus cooptandis; tum etiam prærogarivis, quibus olim Templarii tum Calatravæ, Alcantaræ, & Avis ordinis potirentur, militiam Jesu Christi decoravit: nec non de vectigalibus militi cuique attribuendis & templis reficiendis leges tulit. Circa sacram vero disciplinam; cum nonnulla noxæ læthalis adjecta religione imperata reperisset, eam acerbitatem temperavit, ne pietas peccati irritamentum & occasio fieret, peccati læthalis, nisi natura tale foret, religionem sustulit. His recensitis Julius alias Emmanuelis Regis ejusdemque militiæ principis sanctiones adiicit his verbis.

*Nuper dictus Emmanuel Rex & administrator in prædicto conventu de Thomar, in capitulo generali super hoc celebrato, attendens quod sanctæ & devotæ orationes ad Deum illi sunt plurimum gratæ & acceptæ, authoritate administrationis hujusmodi sibi commissæ diffinivit & ordinavit, quod die ac nocte divinum officium in dicto conventu per omnes & singulas personas regulares dicti conventus diceretur, & omnia fierent cum cura & magna & integra devotione, observando tam in dicenda hujusmodi officio, quam in alio obsequio, seu servitio domus dicti conventus antiquas constitutiones dicti ordinis seu militiæ Jesu Christi, & in ipsa sua difinitione seu constitutione contentas; districte præcipientes & mandantes tunc & pro tempore existenti priori dicti conventus, ne in divinis officiis celebrandis & eorum cerimoniis, ac consuetudinibus aliquid augeant aut minuant quocumque tempore exceptis illis diebus seu festis antiquo tempore in dicto conventu factis & fieri consuetis; sed in illis omnibus observarent usus & consuetudines antiquas conventus & ordinis prædictorum: & quod ultra præmissa sacerdotes non hebdomadarii, nec obligati ad missas conventuales semel in hebdomada celebrarent missam sub pœna privationis vini, & fratres non presbyteri in nativitatis domini nostri Jesu Christi & primæ dominicæ quadragesimæ & resurrectionis ejusdem domini nostri Jesu Christi, ac pentecostes, nec non assumptionis B. Mariæ virginis, & omnium sanctorum festivitatibus, eorum peccata confitentes, communionem devote suscipiant, dum missa conventualis celebretur, & jejunia ac silentium & omnes alias canonicas omnino observent, secundum consuetudines antiquas, & prout in regula disponitur & transgressares prædictorum puniantur aspere per priorem dicti conventus; & ut divina officia cum debita solemnitate celebrarentur. Etiam statuit & ordinavit & definivit, quod candelæ, quæ in altari ponerentur, essent longitudine trium palmorum, & illarum quælibet pondere duarum librarum; & existentes juxta altare in candelabris essent palmorum quatuor, & illarum quælibet librarum duarum cum dimidia, ac quod in candelabris magnis non existentibus apud altare essent torchiæ quatuor librarum cum dimidia; & quod*

VIII. Divinum officium repetendum a regularequitibus.

Statuta alia pia Regis Emmanuelis.

*quod tam candelæ quam torchiæ essent de cera alba, & de eis curam haberet dictus prior. Et quia præfatus Rex administrator non reperit in definitionibus seu statutis dictæ regulæ sive militiæ Jesu Christi quam obligationem habeat dictus prior circa celebrationem missarum, licet repereris ipsum in certis solemnitatibus missam celebrare consuevisse, idem Emmanuel Rex & administrator declarando statuit & ordinavit sive definivit, quod dictus prior teneret seu haberet suam hebdomadam pro celebratione missarum, sicut quilibet alius frater dicti conventus.* Adduntur aliæ sanctiones ejusdem Regis, quæ miram illius pietatem religionemque redolent; quas Julius una cum superioribus apostolica authoritate communivit. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ MDV. id. julii pontificatus nostri anno* 11.

IX. In Galliis Luvovicus Francorum Rex in lethalem morbum delapsus, mense martio sanitati restitutus est postquam, dimissa vitæ spe Eucharistia recreatus fuisset, ut refert Bonaccursius (*a*). Meminit de his Ferronius (*b*), additque, medicos de regia salute adeo desperasse, ut Anna Regina mundum muliebrem, quem habebat pretiosissimum, in Britanniam mittere decreverit, qui tamen fuit interceptus. Tum addit: *Recreatus Rex paulisper flevit animum ad religionem, cujus maxime nos res adversæ admonent; sacrique divini corporis mysteria sacrificiaque iterum jubente Pontifice, supplicationibus passim in tota Gallia decretis instaurari jussit.*

(*a*) *Bonacc. in diariis.* (*b*) *Ferro. l.4.*

Ludovicus XII. divinitus sanatus.

X. Extant ea de re Julii literæ, (*c*), quibus confirmatur ipsum nuncupato divino numini voto, vi sanctissimæ Eucharistiæ convaluisse, & solemnes supplicationes instructo agmine religioso fieri jussæ sunt, in quibus sacra circumferretur Eucharistia, indulgentiæque preces pro regia salute fundentibus propositæ fuerunt: consignatum est his verbis id diploma. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno* MDV. XIV. *kal. junii pontificatus nostri anno* 11.

(*c*) *L.99. bull. secr. p.219.*

XI. Cum emollitus religione Ludovici Regis animus videretur, illum Julius ad instauraudum Turcicum bellum adhortari enisus est, ac Georgium S. Sixti Cardinalem Rothomagensem, qui regiæ Gallicæ procurationem gerebat, legatum apostolicum in Galliis creavit, ut sacram in impios Christianorum hostes expeditionem conficiendam curaret, hoc ad ipsum dato diplomate (*d*).

(*d*) *L. 99. bull. secr. p.182.*

*Dilecto filio Georgio tit. S. Sixti presbytero Cardinali Rothomagensi in regno Franciæ nostro & Apostolicæ sedis legato.*

*Dudum cum immanissimus Turcarum tyrannus adversus dominicam crucem, in qua redempti sumus, sathanæ vexillum temere erigens, & effundendi sanguinis Christigni ardore æstuans, validissimam classem maritimam, & maximum exercitum terrestrem ad expugnandum terras & dominia dilecti filii ducis Venetiarum instruxisset, diversasque invasiones fecisset, & multa animarum millia abduxisset, & in miserabilem servitutem reduxisset, villasque & loca plurima igne ferroque vastasset, ac tandem Neopacensem, Motonensem, & Coronensem civitates, aliaque oppida & loca maritima circumvicina violenter cepisset, validioremque denuo classem, majoremque exercitum terrestrem instrueret, ut omnes Christianorum portus & maritima loca occuparet, & formidandum esset, ne præfatus tyrannus victoriæ superbia elatus, vidensque catholicos Reges & principes inter se diffidentes, & privatis commodis intensos, commune bonum negligere, majora & incomparabilia damna Christianis ipsis inferret, felicis recordationis Alexander Papa VI. prædecessor noster ad hujusmodi necessitates explicandas ac Reges, principes, & potentes hujusmodi hortandos, requirendos, & monendos, ut semotis quibusvis diffidiis tanto furori & temeritati occurrerent, ac se ad reprimendum ipsorum perfidissimorum rabiem & elatos conatus accingerent, personaliter progredi non valens; & de circumspectione tua eximia, singularique probitate & prudentia confisus quod charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum Regem illustrem scires, velles, & posses jam satis pro sua regia magnanimitate, ac erga catholicam fidem devotione, more progenitorum suorum Franciæ Regum promptum & ardentem ad tam sanctum opus inducere, & reipublicæ Christianæ rebus opportune consulere, de venerabilium fratrum suorum ejusdem S. R. E. Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, consilio, te in dicto regno per unum annum tanquam pacis angelum suo, & Romanæ ecclesiæ hujusmodi nominibus legatum de latere per quasdam literas duxit creandum & constituendum: & deinde cum tu a dicto regno te absentasses, annum prædictum ad quatuor menses a fine illius computandos per alias suas literas prorogavit, & successive literas, & annum ac quatuor menses hujusmodi cum omnibus & singulis facultatibus, indultis, & concessionibus tibi per eumdem Alexandrum ratione hujusmodi legationis, & pro illius exercitio concessas, ac quibuscumque clausulis in eisdem literis contentis ad alios duos annos a fine dictorum quatuor mensium* com-

Plures urbes in Peloponeso receptæ a Venetis.

Solicitati ab Alex. VI. Reges ut arma stringerent in Turcas.

Georgius Card. creatus legatus in Galliis.

computandos, quorum duorum annorum tempus nondum est elapsum, per alias suas literas etiam prorogavit, extendit, & ampliavit, prout in singulis ejusdem Alexandri, quarum tenores, clausulas, formas etiam præsentibus pro sufficienter insertis & expressis haberi volumus, plenius continetur.

XII. Confirmatus a Pio III. pro sacra expeditione promovenda.

Cum autem, sicut accepimus, dicto Alexandro prædecessore vita functo, felicis recordationis Pius Papa III. etiam prædecessor noster immediatus, eo in summi apostolatus apice succedente, & cura pervigili præmissa omnia considerante, te, si supervixisset, in legatum prædictum in animo suo creare [ quod morte veniente adimplere nequivit ] decrevisset: nos qui dicto Pio prædecessore, prout Altissimo placuit, ab humanis exempto ad hujusmodi apostolatus apicem divina favente clementia fuimus assumpti, & non absque animi nostri displicentia & magna mentis amaritudine intelleximus, quod causantibus guerris, diffidentiis, & dissensionibus prædictis inter Reges & principes Christianæ religionis, procurante humani generis hoste, & permaxime inter præfatum Ludovicum Franciæ Christianissimum, ac in Christo filium nostrum Ferdinandum Castellæ & Legionis Reges, aliosque hinc inde adhærentes urgentibus, dira guerrarum commotio quamplures civitates & provincias afflixerit; ex quo agrorum depopulationes, incendia, strages, devastationes, aliaque quamplurima & innumerabilia damna successerunt; divisiones etiam, factiones, simulationes, atque rancores, & alia enormia, interque plurimos principes, barones, milites, vassallos, subditos, & incolas excreverunt, & majora, & graviora pericula, scandala, & damna ex earumdem guerrarum ulteriori prosecutione proculdubio secuturarum non immerito oriri formidantur; per quæ viribus eorumdem principum attenuatis debiliores Christianorum manus ad prædictorum Turcarum immanissimorum impetus reprimendos & coercendos indubitanter assumuntur; ad præmissa affectione cordiali intendentes, & prout pastorali tenemur officia, super his opportune providere cupientes, habita super hoc cum venerabilibus fratribus nostris ejusdem S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione, ad te, ( pluribus interjectis verbis, ) literarum scientia præditum, potentem opere pariter & sermone in magnis expertem & arduis negotiis longa experientia comprobatum, ac eximia probitate & fideli-

Et a Julio II.

tate consiliique maturitate & singulari doctrina eminentem, aliisque grandium virtutum donis quibus personam tuam illarum largitor Altissimus insignivit direximus oculos nostræ mentis, specialem in Domino fiduciam sumentes, quod ea, quæ circumspectioni tuæ duxerimus committenda, ad omnipotentis Dei laudem nostrumque & Apostolicæ sedis honorem, dignitatem & amplitudinem cura pervigili & exactissima diligentia adimplere curabis: de eorumdem fratrum nostrorum consilio legationem & facultates ac singulas literas per eumdem Alexandrum super eisdem tibi concessas, usque ad complementum dictorum duorum annorum innovamus; necnon omnia & singula illarum vigore per te seu de mandato tuo gesta, facta, & concessa, & inde sequuta quæcumque, quatenus jus alicui quæsitum non tollant vel lædant, perpetuo approbamus & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere debere decernimus; & quoscumque etiam juris & facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem supplemus, & nihilominus te in dicto regno Franciæ tanquam pacis Angelum, nostro & ipsius Romanæ ecclesiæ nominibus de eorumdem fratrum nostrorum post finitum terminum dictorum duorum annorum ad beneplacitum nostrum legatum a latere authoritate apostolica præfata cum eisdem facultatibus, potestate, extensionibus & concessionibus, in omnibus & per omnia, quas præfatus Alexander prædecessor noster in prædictis suis literis & legatione tua præfata tibi concessit, tenore præsentium creamus, & infra. Et ut fructus optati quos speramus succedant, eidem circumspectioni tuæ præfatum Ludovicum Regem omnesque alios & singulos principes, comites, barones & populos & communitates regni prædicti, ut quieti, saluti, & tranquillitati suæ, totiusque reipublicæ Christianæ intendant & adversus eumdem nefandissimum Turcarum tyrannum pro defensione fidei orthodoxæ ac pro salute patriæ ac propria & aliorum Christianorum tuitione, proque tam communi & pernecessario bono se ardenter exponant, arma sumant, tyranni reprobos conatus reprimere studeant, etiam per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi, ejusque sanctissimam passionem, ac sancti lavacri susceptionem excitandi, monendi & requirendi, & infra: nec non omnes & singulas dissensiones & differentias, quæ expeditioni hujusmodi legationis tuæ impedimentum afferre possent forsan subortas, & quæ suboriri possent, audiendi, illasque decidendi, necnon contra omnes & singulos tam salutaris ordinis, conditionis & excellentiæ, & quavis ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate summarie sumpti, & de plano sine strepitu & figura judicii solo facti veritate inspecta, etiam per sententias, censuras & pœnas tam spirituales quam temporales procedendi, necnon om-

Jussus ut Gallorum arma in Turcas vertenda curet.

*omnia & singula ad præmissum & salutare negotium necessaria seu quomodolibet opportuna, etiamsi talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale & in generali commissione non caderent, gerendi, disponendi, exercendi, faciendi, ordinandi, mandandi & exequendi; nec non contradictores quoslibet & rebelles etiam per easdem sententias, censuras & pœnas, ac alia opportuna juris remedia exceptione postposita compescendi, & si opus fuerit auxilium brachii sæcularis invocandi, plenam & liberam, ac omnimodam tenore præsentium licentiam, authoritatem & facultatem elargimur, &c.* Data illi imperia, ut Gallorum Regem ac proceres ad sacram expeditionem in Turcas conficiendam impellat. *Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MDV. pridie non. decembris pontificatus nostri anno 3.*

XIII. Male gestam Gallicanam legationem a Georgio Cardinale, atque omnes obventiones, quæ ex sacerdotiis pontificiæ curiæ inferendæ erant, ad ipsum aversas fuisse queritur Burchardus (*a*): immo accusatus (*b*) est post mortem a Julio, quod Gallicana legatione non contentus, ad deturbandum ipsum Julium pontificatu, ut illum invaderet, aspirasset. Consenuere ita sensim belli sacri consilia, cum Gallorum Rex restincto pio ardore ad priores curas rediret. Antequam vero implicaretur morbo Ludovicus, arsisse ipsum studio recipiendæ Neapolis, augendique ultra alpes imperii, refert Ferronius; induciasque anno superiori pactas violatas indicat: infestasse nimirum Ferdinandum Narbonensem Galliam, sed misso a Gallo Rege Tremolio duce cessisse; Gonsalvum præterea submisisse subsidiarias copias Pisanis, atque de Gallis Mediolanensi principatu pellendis plura agitasse consilia narrat Bonaccursius (*c*). Interea pontifex apostolicas curas intendit (*d*), ut pax inter eos Reges redintegraretur, quæ tandem feliciter affinitate confirmata est iis præcipuis legibus (*e*), ut Ferdinandus Ludovici sororis filiam eamque Fuxensis comitis sororem secum in matrimonio conjungeret; in quam regni Neapolitani jura controversa Francus transfudit, hac addita pactione, ut si Ludovicus nullis susceptis liberis obiret, Ferdinandus dotalitiis juribus potiretur: sin ipse prior nulla suscepta prole ex nova conjuge decederet, Neapolis ad Gallicam coronam revocaretur. Præterea conventum, ut Fuxensis comes pulso Alebretensi in Navarræ regnum Gallicis & Hispanis armis induceretur: tum auxiliarium armorum mutuum fœdus initum, quo Pontifex consentientibus Regum votis comprehensus est.

(*a*) *Burch. in diariis.* (*b*) *Jul. l. 19. bull. secr. p. 137.*

Pax inter Hisp. & Gall. sancita.

(*c*) *Bonaccur. in diariis.* (*d*) *L. 3. brev. p. 250.* (*e*) *Bonaccur. in diariis. Guicc. l. 6. Marian. l. 28. c. 14.*

Quæ leges constitutæ.

XIV. Asseruit sibi ex eo fœdere Neapolitanum regnum Ferdinandus Rex; ac licet nullam prolem e conjuge susceperit, regnum ad Gallos non devenit. De persoluto autem a Ferdinando censu Pontifici pro Neapolitano regno meminit Paris de Grassis in diariis, qui hanc orationem ab Hispano habitam affert (*f*).

*Oratio habita per oratorem Regis Neapolitani super oblationo annui census.*

*Beatissime pater & sanctissime domine. Serenissimus, potentissimus, atque invictissimus princeps & dominus dominus Ferdinandus Dei gratia Aragoniæ, utriusque Siciliæ citra ultraque pharum ac Jerusalem Rex catholicus, sanctitatis vestræ & sanctæ Romanæ ecclesiæ & devotissimus filius & dominus meus, dictique regni Siciliæ citra pharum verus & legitimus Rex & pacificus possessor, cupiens reddere quæ sunt Dei Deo, mittit sanctitati vestræ hunc equum album decenter ornatum, & censum eidem sanctitati vestræ & sanctæ Romanæ ecclesiæ pro dicto regno Siciliæ citra pharum hoc anno debitum; & supplicat, ut quemadmodum prædecessores sanctitatis vestræ a suis in eodem regno prædecessoribus & ab ipso receperunt, & eadem sanctitas vestra a sua catholica majestate alios pro annis singulis transactis recepit; ita hunc quoque læto paternoque animo admittere & recipere dignetur. Ego vero Franciscus de Rojas orator & procurator prædictæ catholicæ majestatis, ejus nomine, summa cum recognitionis observantia sanctitati vestræ illum reddo, ejusdem etiam regiam potentiam omnem, sicut per Dei gratiam amplissima est, ipsaque regna & dominia, & præsertim prædictum Siciliæ citra pharum, quod ab eisdem sanctitate vestra & sancta Romana ecclesia recognoscit, earumdem conservationi, ampliationi, & commodis libentissime offert. Denique vos omnes & singulos reverendos protonotarios & circumspectos notarios pro notariis, cæteros viros reverendos patres dominos oratores, archiepiscopos, episcopos, & alios venerandos viros, qui hic circumstatis, pro testibus cum bona gratia sanctissimi domini nostri rogo; ut de præsentatione equi & census solutione his, quibus interfuistis, ad prædictæ catholicæ majestatis meamque cautelam, unum vel plura, publicum vel publica instrumentum seu instrumenta, ad consilium sapientum plenam fidem facientia, non mutata veritatis substantia, mihi roganti ad perpetuam rei memoriam faciatis.*

(*f*) *Paris. Graf. diarior. crim. to. 1. p. 407.*

Census a Ferd. pro regno Neap. Pontifici persolutus.

XV. De inita concordia inter Reges certior factus Julius hisce literis Ferdinando gratu-

tulatus, eumque adhortatus est, ut non modo Philippum generum, sed etiam illius patrem Maximilianum Cæsarem, qua par esset benevolentia complecteretur; ad quem alendum amorem; tum ad Africanam expeditionem feliciter conficiendam apostolica studia se interpositurum spopondit (a).

(a) L. 1. brev. p. 437. & l. 6. p. 5.

*Charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Regi Catholico.*

*Charissime in Christo fili noster salutem, &c. Literas tuæ catholicæ majestatis, quas nobis nuper dilectus filius nobilis vir Franciscus de Rojas miles orator tuus reddidit, avidissime legimus, & sæpe in manus resumptas in concistorio nostro fecimus recitari: rem enim nobis optatissimam & jucundissimam nuntiabant, majestatem scilicet tuam cum charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Rege Christianissimo perpetuam pacem fecisse affinitatis vinculo glutinatam: quid enim nobis aut gratius aut jucundius potuit nuntiari, quam pax ea, a qua non solum Christianissimorum catholicorumque regnorum securitas & tranquillitas, sed & sanctæ Romanæ ecclesiæ & totius reipublicæ Christianæ incolumitas, dignitas, & salus dependent? vobis enim bene consentientibus, & mutua indissolubilique pace ligatis, nec vestra inclyta regna jacturam, nec ipsa sancta Romana ecclesia dolorem, nec populus Christianus vim ullam ab hostibus fidei orthodoxæ timere poterit: quæ omnia tua majestas pientissime & sapientissime cogitans, paterna verba nostra ad hanc pacem te exhortantia non accepit in vanum, sed in aures corque demisit, planeque declaravit, se & hujus sanctæ sedis observantissimum filium, & publicæ utilitatis propagandique nominis Christiani studiosissimum esse. Auxit etiam gaudium nostrum, quod postmodum ab oratore ipso accepimus; quod eadem tua majestas natam Joannam & Philippum generum suum Reginam & Regem catholicos charissimos in Christo filios nostros ita sibi reconciliavit, ita paterna benignitate complexa est, ut illi te amantissimo & indulgentissimo patre, tu illis obsequentissimis filiis sis usurus: ac proinde omnis dissidii suspicione extincta, & ab omni perturbatione securus, tota mente totisque viribus bello contra infideles Afros nuper a te fidelissime cœpto incumbere possis. Complectendus etiam erit in hac parte charissimus in Christo filius noster Maximilianus Rex Romanorum illustris, qui & ipse necessitudine tibi devinctus est, proque authoritate & viribus suis magnis in communem utilitatem conferre plurimum poterit, & de republica Christiana bene mereri cupit, prout nobis sæpe per oratores & literas declaravit. Itaque sapientiam & pietatem tuam in hac re plurimum laudantes, pacis & reconciliationis tam sanctæ ac necessariæ nos custodes conservatoresque pollicemur, & in prosequendo conficiendoque bello Africano tuæ majestati omnibus rebus, quæ per nos & hanc sanctam sedem fieri poterunt, affuturos spondemus. Super his latius ad majestatem tuam scribet idem orator, qui de pace prædicta vigore literarum tuarum multa nobiscum locutus est. Dat. Romæ apud S. Petrum die 11. decembris pontificatus nostri anno III.*

Gratulatur Pont. Ferdinando de pace inita.

Deque sopitis discordiis cum Regibus Castellæ.

Promissa pro Africano bello auxilia.

XVI. Domesticarum dissensionum metu solutus Ferdinandus arma, hortatu Ximenii archiepiscopi Toletani amplificandæ religionis cupidissimi, adversus Afros vertit; qua expeditione Mazalquivirum, sive Portus magnus in Africa Saracenis ereptus, ad circumferenda latius Christiana signa maxime opportunus; de quo tradit hæc Joannes Mariana (b): *Non discedebat a catholici Regis latere Toletanus antistes, ejus dignitatis in omnibus controversiis acerrimus fautor*, & infra: *Regi crebris sermonibus, etiam tum superstite Regina, suadere institit, ut confecto Neapolitano bello, in Africam arma verteret majori gloria, minori invidia, neque contemnendo fructu.* Et infra: *Placuit classe Mazalquivirum invadere [ ea voce Arabice portus magnus significatur ] quo nomine a Ptolomeo olim quoque vocatus est, Orano urbi vicinus ex adverso Almeriæ, aliquanta tamen ad orientem inclinatione instructa classe, in qua sex triremes: majora alia minoraque navigia multo plura numerabantur: quinque militum millia. Diegus Fernandus Corduba regiæ aulicorum cohorti præfectus delectusque ejus expeditionis dux, ad quem summa imperii rediret Raymundo Cardonio rei maritimæ cura demandata. Rebus omnibus comparatis e Malacensi littore solvit ad IV. kal. septembris dubio cœlo. Profectos adversæ tempestates coegerunt ad Almeriam subsistere aliquot dies, ita ex eo portu sublatis denuo velis idoneis tempestatibus, classem incolumem ad tertium idus ejus mensis Mazalquivirum intulerunt, tametsi in aditu portus propugnaculum erat ex disciplina militari prudenter ædificatum multis horridum tormentis. Exponere in terram milites difficile erat ad vada cæca & mæandros, quibus littus impeditur: tempus adversum accedebat: marini fluctus inflati: ad hæc centum & quinquaginta Mauri equites, pedites tria millia prohibere descensum parati: virtuti impedimenta cesserunt. Alacres nostri mutua adhortatione in terram desilierunt primus Petrus Lu-*

(b) Marian. l. 28. c. 15.

Immissa classis in Africam.

Mazalquivirum expugnatum.

*Lupus Zagalius præcipua audacia miles: secuti ejus exemplo cæteri. Conserta pugna hostes Oranum reiicere; quadringenti milites præsidiarii in Mazalquiviri arce relicti, occiso tormenti ictu præfecto & plerisque arcis tormentis nostrorum globis disturbatis, atque diffractis, die tertio pro mœnibus supinas manus tendentes veniam orarunt, iram in contumaces verterent, supplicibus & se dedentibus parcerent. In quo duo commodissime accidisse notabant; nostrorum enim a Madaca discessu cognito ingens Maurorum multitudo in armis ad littus concurrerat exscensionem prohibituri, sed exiguo commeatu, & quoniam ex mora suspicabantur alio hostes divertisse, post octo dies diversi domos rediere; sic navigationis tarditas commode accidit. Neque minus salutaris deditionis factæ celeritas extitit, alioqui Mauri ingenti numero accurrentes auxilio, seque in armis per vicina montium juga ostentantes multo difficiliorem expugnationem reddidissent, nisi ipso die arcem præsidiarii dedidissent. Enimvero quibus Deus favet, hos sublevat, excæcat adversarios; sed ad Orani tamen copias ii Mauri adjuncti in aciem prodierunt, quasi pugnandi voluntate, nostris tamen obviam progressis totius certaminis sortem subire detrectarunt.*

Contractæ Maurorum copiæ in Christianos. Detrectatum a Mauris certamen.

XVII. Proximo autem anno certior factus Pontifex de Mazalquiviri expugnatione Ferdinando partam victoriam gratulatus est, atque ad eam persequendam, Africamque Christo subiiciendam hortatus est; pro sustentandis vero bellicis sumptibus clero decumas imperavit (a).

(a) L.22. bull. p.97.

*Ad futuram rei memoriam.*

*Cum Ferdinandus & charissimus in Christo filius noster Philippus, ac charissima in Christo filia nostra Joanna Castellæ, Legionis, Siciliæ, & Granatæ Reges & principes illustres, qui & si nunc in summa pace nullo metu pellente quiescere possent, tamen quia non solum sibi, sed in primis redemptori nostro Jesu Christo, cujus auxilium in iis omnibus implorant, & implorare non cessant, & ad quem accepta bona sapientissime referunt, Christianæ reipublicæ defensioni & augmento se natos putant Africam Christiano nomini & cultui sua sponte, & nostro hortatu, reddere parant, jamque faciente, cujus caussa agitur, Deo, portum Manalquiviri & oppidum munitissimum, cujus commoditate perfidi Agareni cum piraticis Myoparonibus littora etiam Italiæ infestare, & Christi cultores vel vexare, vel in servitutem ducere soliti erant, ipsis Agarenis, quantum in eis erat, prohibentibus ceperunt, & nunc magnam classem instruant, maximumque numerum peditum atque equitum armem, ut belli justissimi reliquias prosequantur, nulli labori, dispendio, seu periculo parcentes: nos eisdem Ferdinandum, cui sanctæ memoriæ Sixtus IV. noster secundum carnem patruus primo, & deinde piæ memoriæ Innocentius VIII. ac postmodum Alexander VI. Romani Pontifices prædecessores nostri, & pro bello Granatæ & provincia Africanos & Agarenos expugnandi jam cœpta minime abiicienda decumas concesserunt, ac Philippum & Joannam Reges omnibus laudibus dignos auxiliis opportunis prosequi cupientes, ne defectu temporalium facultatum aut a tam sancta expeditione desistere, aut [ quod absit ] hostes superare non possint, sed potius bellum cœptum facilius cum exaltatione fidei orthodoxæ conficiant, totamque Africam, in quam etiam sanctorum Apostolorum sonus exivit, ad veram religionem Deo favente reducant. Videntes aperte etiam, quam sit dignum, & quam laudabile ac Deo immortali acceptum & omnibus Christifidelibus commune bonum hujusmodi sanctissimum opus, ac propterea volentes præfatos Reges, & Joannem Reginam, quoad possumus, prout semper ab intimis desideravimus, in ipso sancto proposito & hujusmodi communi bono omnibus viis atque remediis opportunis confovere, & nedum de nostris & sanctæ Romanæ ecclesiæ facultatibus, sed etiam proprium, si necessa fuerit, sanguinem effundendo, juvare, exemplo illius, qui pro salute gregis dominici mortem subire non abnuit, & cujus auxilio non dubitamus, provinciam hujusmodi felicissimum exitum, prout jam optima principia indicant, consecuturos, & tandem præfatos Reges & Joannam Reginam & Christi cultores de hujusmodi spurcissimis Saracenis, qui tot opprobria fidei nostræ & Christianæ religioni continue inferre non cessant, triumphaturos, &c.* Imperat decumas sacerdotibus Hispanis, quæ in sumptus sacri in Afros belli tantummodo convertantur. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MDV. IX. kalend. aprilis pontificatus nostri anno III.*

Suscepta a Ferdin. expeditio Africana.

Portus munitissimus Afris ereptus.

Dum ea gerebantur, concussa est Germania civilibus bellis, avitumque principatum Bavariæ duces evastarunt: cumque Albertus & Wolfgangus adversus Ruperti vim cæsaream opem legesque implorassent, & ejusmodi bella aspera, æquitate dirimere Maximilianus moliretur, armisque perduellem Rupertum leges & jura aspernantem frangeret, ille odio itaque efferatus e Bohemia auxiliarem exercitum excivit, in quem magna hæreticorum colluvies confluxit; adeo ut superiori Germaniæ ea hostili irruptione XVIII.

sevæ ac miserandæ clades illatæ sint, & sacra profanata ab hostibus religionis fuerint: cumque Cæsar apostolicam opem imploraret, Julius censurarum pœnas perduellibus arma in eum ferentibus intentavit. (a)

(b) Lib. bull. 80. p. 193.

*Dilecto filio Mariano de Bartholinis capellano nostro, & in partibus Germaniæ pro nobis & Apostolica sede nuntio.*

XIX. *Sicut charissimus in Christo filius noster Maximilianus Romanorum Rex illustris, nobis per venerabilem fratrem nostrum Ludovicum episcopum Aquensem, suum apud nos & sedem Apostolicam oratorem destinatum, exponi fecit: cum post obitum quondam Georgii Bavariæ ducis inter dilectos filios nobiles viros Albertum & Wolfgangum fratres comites palatinos Rheni, Bavariæ duces, ipsius Maximiliani Regis cognatos & consanguineos ex una, & quondam Rupertum dum viveret, dilecti filii nobilis viri Philippi senioris etiam comitis Palatini Rheni sacri Romani imperii electoris natum, & præfati Georgii ducis generum ex altera partibus, super principatibus, dominiis, terris, hereditate, & bonis per ipsum Georgium, qui sine filiis masculis legitimis decessit, controversia exorta fuisset, Alberto & Wolfgango fratribus prædictos principatus, dominia, terras, hereditatem & bona hujusmodi ad se tamquam proximiores agnatos & heredes collaterales dicti Georgii, Ruperto vero præfato se ex persona quondam Elisabeth tam uxoris suæ, & dicti Georgii ducis natæ, heredem proximiorem in principatibus, dominiis, terris, hæreditate, & bonis prædictis existere, & illa ad se pertinere asserentibus: ipse Maximilianus Rex perpendens hujusmodi controversiam graves dissensiones inter principatus Germaniæ parituram esse, nisi illi obviaretur, omnia media & remedia, quæ potuit, adhibuit, ut pax & concordia inter dictas partes componeretur. Quibus mediis cum dictus Rupertus non acquiesceret, immo illa contempsisset, ipse Maximilianus Rex, sibi & suis adhærentibus sub pœnis gravissimis mandavit, ne aliquid per violentiam attentarent, sed prout juris esset experirentur; & quamvis ipse Rupertus ad hoc per ejus literas suo sigillo munitas provincialibus, & subditis ducatus Bavariæ se obligasset, ipse Maximilianus Rex pro majori rerum tranquillitate dominia & subditos præfati quondam Georgii ducis sub sua & ejusdem Romani imperii salva guardia, tutela, & protectione suscepisset, donec res medio justitiæ finem acciperet, ac nonnullos gubernatores ex omnibus statibus prædictis, & alios providos & circumspectos viros deputari concessisset,*

Ingentia orta bella inter Bavaros & Palatinos.

Maximiliani conatus pro iis sedandis.

*adjunxissetque illis nonnullos milites & stipendiarios suos, suo & ejusdem Romani imperii nomine usque ad decisionem litis, & postmodum utramque partem etiam quoad ipsam Elizabeth judicialiter in civitate Augustensi citari fecit, & convocatis judicibus regiis sui consistorii, & nonnullis aliis principibus, comitibus, & baronibus ex omni parte prudentibus & expertis; cum præfatus Rupertus contumaciter parere contemnens violenta & armata manu contra ejus promissionem & obligationem, salvamguardiam, & tutelam hujusmodi, ac fidem datam nequiter frangendo, nonnulla oppida in quibus gubernatores & stipendiarii inde expellendo, & aliquos ex eis graviter offendendo: dictus Maximilianus Rex iterum adhibito consilio principum, judicum, & virorum peritorum, juxta imperiales constitutiones contra præfatum Rupertum in causa possessorii procedens, ejusdem Ruperti, contumacia illius præsentiam repræsentante, definitivam, per quam Albertum & Wolfgangum prædictos in corporalem possessionem statuum, principatuum, dominiorum, terrarum, & bonorum prædictorum induci mandavit, pro eisdem Alberto & Wolfgango, & contra præfatum Rupertum sententiam, quæ in rem transivit judicatam, promulgavit, literis executorialibus desuper decretis & concessis.*

Rupertus dux Maximiliano obsistit.

In eundem pro Alberto & Volfango lata sententia.

*Et cum dictus Rupertus non solum dictæ sententiæ non acquiesceret, sed etiam continuis incursionibus, & multorum cæde omnia perturbare attentaret, & niteretur, præfatus Maximilianus Rex legitimo etiam super hoc habito processu, & maturo consilio cum principibus & aliis consistorii sui judicibus & probis viris, eundem Rupertum illiusque complices, auxiliatores, & adhærentes, imperiali & ejusdem Romani imperii banno subjecit; concedendo eorum bona illa occupantibus, ita ut in persona & rebus impune offendi possent: & deinde, cum dictus Robertus adhuc ab hujusmodi perturbationibus non cessaret, ipse Maximilianus Rex cum principibus, & militibus, ac fidelibus suis coadunato exercitu adversus dictum Rupertum & ejus complices, ne etiam aliquid deterius contra præfatum Romanum imperium moliretur, seu attentaretur, insurrexit. Sed adhuc tunc pertinaciter idem Rupertus contra præfatum Regem resistens, Bohemos in magna multitudine, inter quos plures hæretici esse dicebantur, ac etiam nonnullos alios contra præfatum sacrum Romanum imperium concitavit, a quibus ipsum Romanum imperium gravia damna & perturbationes sustinuit. Quo sicut Domino placuit, ac paulo post eum dicta Elizabeth*

XX.

Immissus in eundem exercitus.

Bohemi a Ruperto concitati in Cæsarem.

ejus

*ejus uxore defunctis, nonnulli capitanei & alii adhærentes post obitum tam præfati Ruperti, quam ejus uxoris curam belli & adhæsionis hujusmodi, nec non rebellionis contra præfatum Romanum imperium sustinere non formidarunt, & impediunt quominus sententia prædicta contra præfatum Rupertum & ejus complices & adhærentes respective debitæ executioni demandetur; ac etiam hujusmodi rebellionem contra dictum Romanum imperium nomine, ut asserunt, dictæ quondam Elizabeth ac dicti Ruperti filiorum pupillorum relictorum temeritate propria dictorum Bohemorum, & aliorum eorum adhærentium auxilio adiuti continuare, ac eidem Romano imperio multa & gravia damna inferre, & omnia, quæ possunt, igne & ferro devastare non cessant: quapropter præfatus Ludovicus episcopus nomine præfati Maximiliani Regis in nostro sacro consistorio secreto a nobis petiit, ut sibi auxilio brachii spiritualis pro executione dictæ sententiæ de benignitate apostolica, & pro justitia debito adesse dignaremur.*

Graviora ab his mala illata.

Postulatum a Cæsare auxilium spirituale.

*Nos igitur habita super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, volentes, quantum cum Deo possumus, pro quiete & tranquillitate ejusdem Romani imperii provisiones adhibere; consideratione etiam præfati Maximiliani Regis, propter sinceram ejus fidei constantiam, quam erga nos & hanc sanctam sedem Apostolicam gerere comprobatur, de eorumdem fratrum consilio, discretioni tuæ per præsentes committimus & mandamus, quatenus deputato prius per te loco tuto, in quo pro præsentium & tibi commissorum adimpletione te constituas, in executionem sententiæ prædictæ per præfatum Maximilianum Regem, ut præfertur, a te, si eam juxta constitutiones & consuetudines regales & imperiales juste latam esse inveneris, omnes & singulos capitaneos, qui post obitum Ruperti, & ejus uxoris prædictorum, onus belli per Rupertum inchoati & etiam per ejus uxorem continuati susceperint, omnesque alios & singulos eis in præmissis adhærentes cujuscumque dignitatis, excellentiæ, seu præeminentiæ existentes, quacumque dignitate etiam ducali præfulgeant, ex parte nostra, etiam per edicta publica locis publicis affigenda, de quibus sit verisimilis conjectura, quod hujusmodi monitio ad ipsorum notitiam possit pervenire, authoritate nostra moneas, eisque districte præcipiendo mandes, quatenus infra aliquem competentem terminum, quem eis & cuilibet eorum tam in genere quam in specie, & nominatim duxeris præfigendum, dictæ sententiæ per dictum Maximilianum Regem super præmissis contra præfatos Rupertum & illius uxorem & filios illatæ & promulgatæ, prout ad eos & eorum quemlibet pertinet, cum effectu pareant, & illius executionem juxta illius tenorem fieri permittant, & ab hujusmodi pertinacia & rebellione & obstinatione, dictique belli ulteriori prosecutione, ac præfatorum Bohemorum & aliorum ejusdem Romani imperii rebellium conductione & adhæsione, sub excommunicationis & anathematis latæ sententiæ, ac privationis omnium principatuum, dominiorum, feudorum, quæ ab ipso Romano imperio, aut alias a quocumque alio obtinenda, pœnis, quas eo ipso, si monitioni & mandato tuis hujusmodi faciendis cum effectu non paruerint, incurrant. Et si [ quod absit ] præfati sic moniti, hujusmodi monitioni & mandato contumaciter parere contempserint, lapso termino hujusmodi præfatas sic monitos, & quemlibet eorum sic excommunicatos & anathematizatos, privatos & inhabiles per te, vel alium, seu alios tam in genere, quam prout tibi visum videbitur & visum fuerit, in specie & nominatim publice denunties, & facias ab aliis publice denuntiari; ac loca, ad quæ eos sic excommunicatos & anathematizatos declinare contigerit, & in quibus scienter recepti, & illis stare permissi fuerint, ecclesiastico interdicto subjicias, faciasque illud, quandiu ibidem steterint, etiam per triduum post eorum inde recessum firmiter observari, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno MDIV. IV. id. januarii pontificatus nostri anno II.*

Data a Pont. imperia contra perduelles.

Intentatæ iisdem censuræ.

XXI. In Treverensi archiepiscopatu cum exortæ essent graviores lites inter Jacobum archiepiscopum, & canonicorum Treverensium collegium, quod vetere instituto spreto nova sacramenta a designato archiepiscopo extorquerentur, consultus de his Pontifex nuncupata præter morem sacramenta rescidit, formamque jurisjurandi ab archiepiscopis præstandi hisce conceptam verbis tradidit (a).

Treveris inter episcop. & canonicos nata dissidia.

(a) *L. 9. bull. 9. p. 29.*

XXII. *Julius, &c.* Forma juramenti præstandi sequitur & est talis: *Ego N... & archiepiscopus Treverensis, seu in archiepiscopum Treverensem electus, juro, quod ab hac hora in antea fidelis ero ecclesiæ Treverensi: libertates, consuetudines, ordinationes, & statuta ejusdem ecclesiæ & capituli servabo pro posse & defendam bona fide, quatenus sint honesta & juri consona. Non privabo ipsum capitulum curtibus, decimis, bonis, & rebus pensionibus nuncupatis, ac bonis, quas & quæ tenent hactenus, & tenebunt in futurum, ac eorum fructus, obventiones, & emolumenta non attraham, etiam per modum arrenda-*

Sacramenti formula concepta a Treverensi archiepiscopo.

tion

*tionis vel conditionis emphiteoticæ, per me aut officiales meos quocumque colore vel ingenio, nisi de expresso consensu capituli supradicti. Non privabo prælatos aut personas capitulares ecclesiæ prædictæ dignitatibus, præbendis, beneficiis, & pensionibus quos, quas, & quæ in ecclesia Treverensi obtinent de præsenti, vel obtinebunt in futurum, quocumque quæsito colore; nisi excessus per aliquem commissus per me & capitulum prædictum in loco capitulari congregatos declaravetur talis, qui ipso jure induceret pœnam privationis. Prælatos & canonicos capitulares dictæ ecclesiæ in suis dignitatibus & præbendis, eorum emolumentis & fructibus, pensionibus, curtibus, villis, juribus, privilegiis, & libertatibus, & consuetudinibus, quæ habent & tenent, seu habituri sunt in quibuscumque locis in eorundem & earundem possessione, seu juris retentione & pacifica fruitione manutenebo, & defendam pro posse contra omnem hominem cujuscumque status, aut conditionis existat, eos molestare & impedire, aut eis illa subtrahere & detinere volentem. Et eandem defensionem faciam contra quoscumque rapientes & deprædantes homines, villas, res & bona capituli supradicti; ita quod quam cito requisitus fuero per capitulum ipsum, aut majorem illius partem, causam mihi assumam & defendam omnibus viribus pro posse meo. Non faciam aliquam mutationem, aut infractionem de antiquis consuetudinibus ecclesiæ & capituli prædictorum, de residentia personarum capituli, & de pensionibus capitulariter aliter distribuendis, & de licentia danda ad ordines sacros recipiendos canonicis non capitularibus, nisi prout hactenus est observatum; sed defendam bona fide quatenus dictæ consuetudines juri consonæ sint & honestæ. Faciam quod omnes burgravii, cellerarii, aut officiati ecclesiæ prædictæ jurabunt legaliter & bene officia sua & custodias exercere, ac clericos & ecclesiasticas personas civitatis & diœcesis Treverensis, & maxime præfatos & canonicos ecclesiæ Treverensis cum eorum bonis & rebus & præsertim in districtu sui officii, defendere, protegere, & manutenere, ut ipsos in suis juribus & privilegiis ac immunitatibus fovere & conservare: quodque post obitum meum, & si [ quod absit ] aut capi aut incarcerari contigerit, quod ex tunc decano & capitulo ipsius ecclesiæ Treverensis parebunt, & obedient in omnibus & per omnia, & non alteri personæ, & quamprimum tunc requisiti fuerunt, prædictum capitulum, vel ejus majorem partem castra, oppida, & terras libere resignabunt, ad manus ejusdem capituli usque ad liberationem nostram, vel novi archiepiscopi per capitulum vel majorem partem ejusdem, electionem seu receptionem: super quibus ipsi officiati pro tempore recepti in præstatione dicti juramenti literas suis sigillis sigillatas ipsi capitulo & archiepiscopo duplicatas dare tenebuntur in meliori forma. Defendam & protegam collegia & monasteria, ecclesias & clerum civitatis & diœcesis mearum cum omnibus villis, rebus & bonis suis quibuscumque, &c.* Additæ sunt plures aliæ leges, quas brevitatis gratia prætermittimus. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno MDV.* IV. *non. augusti pontificatus nostri anno* II.

Delata etiam controversia apud sedem Apostolicam de reliquiis S. Annæ B. Virginis matris, cujus sacrum caput ex ecclesia S. Stephani Moguntinæ diœceseos furtim sublatum fuerat, atque in oppidum Durense translatum; ubi maxima beneficia cœlestibus illustrata prodigiis, civibus illam religionis causa magna frequentia adeuntibus concessa fuerant: secutus divinam sententiam Julius sacrum pignus oppido Durensi adjudicavit, in quo ejusdem S. Annæ gloria, ut dicebamus, ingentibus miraculis efflorescebat (a) edito diplomate, cujus potiorem partem afferimus. XXIII.

(a) *Lib. bull. secr. p.* 154.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Attendentes quod corpora & reliquiæ sanctorum juxta dispositionem divinam sæpissime de locis ad loca transportata fuerunt, & Romanus Pontifex pro ejus arbitrio illa de loco ad locum transferre & collocare, seu transferri facere potest, prout pro fidei devotione, ac populorum pia affectione & frequentia de majori Christianæ religionis cultu expedire conspiciat; ac fidedignorum & multorum habet relatio, caput prædictum,* ( nimirum S. Annæ, ) *licet in dicta ecclesia S. Stephani multis annis conservatum fuisset, tamen miraculis non claruit, quia forsan inibi minus honorifice, & ea, qua decuit devotione non habebatur; ac quam primum ad dictam parochialem ecclesiam delatum fuit, magnus populi concursus non sine divina inspiratione, ut pie creditur, fuit & est ad illud venerandum; quodque propter magnam devotionem populi, non sine scandalo ab eadem parrochiali ecclesia, in qua divinitus postremo collocatum fuisse censendum est, amoveri non possit, ac cupientes quantum possumus, scandalis ne eveniant obviare, devotionemque populi conservare & augere; considerantes quoque, quod ipsæ reliquiæ ex sui natura in nullius bonis existunt: motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, &*

Ob miraculorum multitudinem sancitum, ut in Durensi ecclesia servetur.

*ex*

*ex certa scientia, nec non consideratione charissimi in Christo filii nostri Maximiliani Romanorum Regis illustris; sub cujus imperio dictum oppidum Durensa situm est, & qui alias nobis super hoc instanter scripsit*, & infra : *statuimus, decernimus, & declaramus, ac volumus dictum caput S. Annæ in præfata parrochiali ecclesia dicti oppidi Durensis de cætero, ut incœptum est, honorifice perpetuo conservari, & nullatenus inde amoveri debere, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ MDV. xv. kal. aprilis pontificatus nostri anno II.*

XXIV. *Composita pax inter Danum & Lubecenses.*

In Dania sedatum est exitiabile bellum inter Joannem Daniæ Regem ac Lubecenses Cardinalis Gurcensis legati apostolici opera; Danus enim licet numero ac robore militum terra marique longe præstaret, ejusdem tamen Cardinalis monitis atque hortatibus flexus, pro singulari sua in sacrosanctam potestatem observantia pacis consilia amplexus est: de qua factus certior Julius Regem ipsum meritis ornavit laudibus (*a*), utque illibatam firmamque concordiam servaret, est adhortatus (*b*).

(*a*) *Lib. 3. brev. pag. 603.*
(*b*) *L. 3. brev. p. 603.*

*Charissimo in Christo filio nostro Regi Daciæ illustri.*

*Charissime in Christo fili noster salutem & apostolicam benedictionem. Retulit nobis dilectus filius noster Raymundus tit. S. Mariæ Novæ presbyter Cardinalis Gurcensis, quod cum inter serenitatem tuam & dilectos filios Lubicenses grave bellum vigeret, serenitasque ipsa tua numero & robore militum omnibusque aliis rebus terra marique superior videretur; pro sua tamen ad hanc sanctam sedem Apostolicam pietate, devotioneque singulari, monitis & suasionibus Cardinalis ipsius, qui tunc legationis ejusdem sanctæ sedis in tota Germania & regnis tuis munere fungebatur, facile flexa est, & deposita injuriarum & damnatorum memoria, pacem cum ipsis Lubicensibus fecit: ob quod non possumus non plurimum laudare ipsam tuam serenitatem, quæ publicam utilitatem privato commodo antepofuit, ut finitimo bello deposito, opem Christianæ reipublicæ cujus potissima pars es, contra perfidos Turcas Christiani nominis hostes & auxilium ferre posses. Itaque ipsi tuæ serenitati ex parte Dei omnipotentis benedicentes, illique & soboli suæ in cælis & in terra prospera quæque optantes, hortamur eam, ut eamdem pacem sancte inviolateque conserves, prout eam pro sua in omnibus rebus constantia facturam non dubitamus. Sane ob id a nobis & eadem sancta sede uberem gratiam & commendationem consequeris; secus autem [ quod absit ] censuras pro observatione dictæ pacis ab eodem legato appositas contra pacis ipsius violentiam publicari, aggravari, declararique faciemus. Cæterum, charissime fili, cum Deo authore in animo habeamus pecuniam, quam Cardinalis ipse pro sancta cruciata in eisdem tuis inclytis regnis colligi fecit, in expeditionem contra ipsos perfidos Turcos evidenter utiliterque convertere; hortamur eandem serenitatem tuam, ut pecuniam diligenter faciat conservari, donec aliud mandaverimus. Dat. Romæ xv. junii MDV. pontificatus nostri anno II.*

*Commendata a Pont. Regis clementia.*

*Censuræ a legato fœdifragis intentatæ.*

XXV. *Succi rebellant in Joannem Regem.*

Meminit Albertus Krantzius (*c*), qui hoc tempore scribebat, de gesto a Joanne Rege Christierni filio cum Lubecensibus bello, sedatoque a Raymundo tit. S. Mariæ novæ presbytero Cardinale legato, ac pluribus narrat Joannem Daniæ, Sueciæ, & Norvegiæ conjuncta sceptra tenuisse, ipsumque cum in Sueciam venisset, enatis suspicionibus e Suecorum potestate se subduxisse, ac deinde rebellionem fecisse; ac Reginam Christinam arce Stokolmensi expugnata a Stenone (*d*) hostium principe traditam (*e*) in custodiam in monasterio Wastenensi S. Brigittæ, demumque Raymundi Apostolicæ sedis legati, de quo paulo antea memoravi, authoritate in libertatem vindicatam, inque Daniam revocatam: bellum autem in Lubecenses exortum, cum illi Suecis studere viderentur, jacturaque ob id accepta, efferati Danicas naves in portu intercepissent, denique arbitro concordiæ legato Magno Magnopolensi & Friderico Slesuvici ac Holsatiæ ducibus fidejussoribus contrversiam omnem diremptam. Quibus enarratis Krantzius Danicarum rerum historiæ finem imponit; eademque in Suedicis (*f*) & Wandalicis (*g*) commentariis repetiit: nonnulla de gestis a legato ante & post Lubicensium pacem confectam, digna memoria monumentis consignat; quæ annalibus inserenda visa sunt: *Is*, inquit, nimirum legatus, *nihil duxit antiquius, quam arma, quæ inter Regem Daniæ & potentem urbem acuerentur, manibus excutere properavit, quantum valetudo permisit adversa; erat enim podagera & statim ante paschalia magno honore excipitur a civibus in urbem. Peractis sacris ex more per diem festum, ut a summo Deo ordiatur, instituit & in ea urbe & in omni circum regione apparatissimis stationibus invocare pacis authorem Deum, ut inspiret consilia pacis. Evocat vicinos principes, dominum Magnum principem & ducem Magnopolensem, & dominum Fridericum Slevvici & Holsatiæ ducem, quos treugis sanciendis, & deinde rebus componendis habuit adjutores. Excivit præterea ecclesiae-*

(*c*) *Krantz. Dan. l. 8. c. 31. & 9.*
(*d*) *Suec. l. 6. Vvandal. l. 14. c. 20.*
(*e*) *Magnus hist. Goth. & Suev. l. 23. c. 15.*
*Regina legati Apost. studio restituta a Suecis libertati.*
(*f*) *Krantz. l. 14.*
(*g*) *Vvandal. c. 30.*

*Solemnis supplicatio instructa.*

*clesiasticos viros industrios, gerendis rebus idoneos, & ingenti sacrorum apparatu venerabile Christi sacramentum effertur manibus episcopi Lubicensis per urbem: præcedit clerus in vestibus sacris, sequitur & circumfunditur populus, Christo ubique laudes personant. Impleto per urbem circuitu reditur ad majorem ecclesiam; ibi sub dio in area cœmeterii ad latus pontificalis curiæ suggestum fecere multorum capax, aram instruunt, aulæis a latere & a tergo pendentibus. Ipse legatus sacra peregit pontificaliter magna circumstante populi corona, ac plurima devotione divina mysteria fulciente. Habebat in ministerio & in familia comitem de Kirberg, officio sacerdotem, ducem verbi ad populum, qui Cardinalis ipsius sensa latino sermone proposita alternans populo interpretaretur. Alii quoque ad populum, qui multus erat, nec unum posset exaudire, in parte diversa loquebantur.*

Cardinalis interprete usus populum alloquutus.

XXVI. *Proximis vero diebus agi cœpta est causa, & per dies vix ad placita temperamenta producitur. Aderat pro parte Regis episcopus Ottoniensis de regia mente plenissime instructus; jungitur illi honoris gratia vir primarius ex Holsatia. Deteguntur querimoniæ, fiunt hinc atque inde responsa, crescunt partium indignationes, augescunt iræ. Dum hæc agerentur, visum Cardinali ex re, ut augusto & brevi consilio res agantur, sic enim promptius mandata exponuntur, syncerius partes loquuntur: delecti numero tres ex mediatoribus ecclesiasticus vir & duo sæculares. Caput erat omnium rerum: Lubicenses Suecia abstineant, donec perduelles ad juga cogantur: id difficile visum mercatoribus magnam rerum suarum partem tenentibus in Sueciæ regno. Demum in has leges utrinque consentiunt, ut nave ornata in Sueciam mittant Lubicenses ex suis consulares oratores, qui Reginam e manibus eorum extrahant, persuadeantque regni proceribus, ut ad pacis tractatum occurrant in diem Laurentii in urbe Sundensi. Mittit quoque reverendissimus dominus Cardinalis nuntium specialem ad liberandam Reginam. Deinde*, inquit Krantzius (a), *super irrogatis damnis ea capita sunt a partibus approbata, ut designatæ naves cum rebus restituantur: de aliis proxime conveniant utriusque partis oratores in Holsatiam, atque obscura dilucident: mercatores in regnis fruantur immunitatibus pristinis: æs alienum Lubicensibus debitum exolvatur: in eam rem novissimam fiunt fidejussores dominus Fridericus Regis Germanus, episcopi Ottonensis, Lubicensis, & Sleckuikcensis, milites alii, ac militares Holsatiæ.* Confirmant hæc pontificiæ ad Fredericum principem Holsatiæ datæ literæ; quibus colligitur perlatam ad sedem Apostolicam hanc pactionum formulam: legatus apostolicus objecta fœdifragis censurarum religione sanxerat eas habitas ratas; ac Fredericum Pontifex (b) hortatus est; ut omni studio ad dissensionum amputandas occasiones incumberet, ne Lubicensis belli facibus Germaniam succenderent (erat enim Lubeca urbs cæsarea Sueciæ juncta fœdere) atque ita meditata in Turcas expeditio turbaretur.

(a) *Krantz. Vvandal. l. 14. c. 30.*

Lubeca urbs Cæsarea.

(b) *Jul. l. 6. brev. per Sigis. secretar.*

*Duci Holsatiæ.*

XXVII. *Dilecte fili nobilis vir salutem, &c. Ex dilecto filio nostro Raymundo tit. S. Mariæ novæ presbytero Cardinale accepimus, quod cum inter charissimum in Christo filium nostrum Joannem Regem Daciæ fratrem tuum & dilectos filios cives Lubicenses gravissima & perniciosa bella vigerent, Cardinalis ipse, qui tunc in tota Germania & Dacia legationis apostolicæ munere fungebatur, pie provideque considerans, quot & quanta mala ex hujusmodi bello nisi concordia sopirentur subsequi possint, obsecrando & monendo tam Regem quam cives prædictos, ut arma deponerent & pacem concordiamque amplecterentur effecit: sed cum pax ipsi sine fidejussore idoneo nec fieri posset nec videretur inausum, nobilitas tua pro tua erga sanctam sedem Apostolicam & legatum ipsum devotione præcipua, proque desiderio hujusmodi pacis, se pro parte dicti Regis libentissime obligavit: ob quod ipsam tuam nobilitatem plurimum & plurimum in Domino commendamus, pium enim opus, Deo acceptum, & Christianæ reipublicæ fecit necessarium; vigentibus enim inter ipsos Regem & cives discordiis nec sancta expeditio in perfidos Turcos facile decerni, nec inclyta Germanica natio sine dissidio esse poterit. Quamvis autem eandem nobilitatem tuam, cujus propter fidejussum hujusmodi maximum interest esse præsentem, ut hujusmodi pax inviolata permaneat; quia tamen in re tam sancta & necessaria nulla diligentia superflua potest videri, eandem nobilitatem tuam hortandam duximus, ut si quid pullulare perspexeris, quod hujusmodi pacem diminuere posset, pro solita prudentia tua occurras, censurasque pro observatione dictæ pacis ab eodem legato appositas eis commemores; quas nos contra violatores ejusdem pacis aggravari declararique faciemus pro reipublicæ Christianæ utilitate, prout ad nostrum pastorale officium pertinet. Dat. &c.* Eodem argumento scriptis literis Joannem Regem Holsatiæ principis fratrem rogavit (c) Pontifex, ut firmatas concordiæ leges foveret & servandas curaret.

Dux Holsatiæ fidejussor pro pace Lubecensi.

Rogatus a Pont. ut eam violari non sinat.

(c) *Reg. post eand. ep.*

Quæ

XXVIII. Quæ vero poſt hanc ſequeſtram pacem confectam geſta ſint a Raymundo ſedis Apoſtolicæ legato, docet hiſce verbis Krantzius (*a*), de quo paulo ante memoravi: *Cardinalis legatus treugis peractis, ac ubi in literas a ſe ſigillatas forma compoſitionis conjecta eſt, divinum officium in gratiarum actionem fecit iterari ſolemni ritu. Viſæ ſunt multorum lachrymæ gaudioſæ. Tum vero per Hamburgum iter faciens, ubi ex dignitate ſuſceptus eſt egreſſo foras omni clero in albis, cum primores populi, ſenatus, ac cives majores ordine ſuo ſtarent ad portas medium eucipientes venientem, cum longo ordine ſtantes plateam plene implerent. Ducitur in eccleſiam primam, ibique orans procumbit: leguntur ad hoc conſtitutæ preces: habenda fuit oratio latina, ſed eam differri fatigatus itinere jubebat: ingreſſuſque hoſpitium curiam domini cantoris ad montem, ſalutatur a ſenatu cum muneribus primum commeatuum. Inde cum jam ad proximam dominicam ſolemnem proceſſionem & ſacra pontificalia luſtrata civitate peragere diſponeret, ordinatum eſt ſublime ſuggeſtum in cœmeterio majoris eccleſiæ ad vicinam curiam lectoralem, ibique poſt luſtrationem ſacra ipſe peregit legatus, ſolemni ſemper benedictione ſubjuncta, in qua erat plenaria remiſſio. Comes illi miniſtrabat pro diacono, dux Brunſukikenſis Chriſtophorus adjutor Bremenſis, & jam poſtulatus & confirmatus Verdenſis, ſubdiaconi fungebatur miniſterio adoleſcens quindecim circiter annorum. Verbum Cardinalis Latine prolatum ad populum comes facundus interpretatur populo: quotidianæ tamen erant aliis quoque in eccleſiæ horis ad populum exhortationes per quæſtores [cogebant illi ſacram ad bellum Turcicum conficiendum pecuniam.] En cauſis majoribus eo in loco tractabat inter ducem Luneburgenſem & civitates Lubicam atque Hamburgum ſuper jure aggeris in Gamme, ſed nihil potuit perficere. Magnum ducem inferioris Saxoniæ clero Lubicenſi reconciliavit, cum multi redditus ex agris ejus eſſent a clero coempti, & on multo tempore non ſoluti aderant Magnus & Joannes duces fratres filii Joannis, & conſtitutis pactionibus res conveniſſe videbatur, clerum Hamburgenſem cum laborare intelligeret ſub dura manu laicorum perfecit, ut cauſa in compromiſſum devolveretur; qua etiam via non diu poſt tolerabiliter ſedata eſt per diligentiam duorum eu Luneburgo proconſulum. Religioſos idem legatus viſitavit verbo exhortationis uſus, ut diſciplinam regularem amarent, repararent, obſervarent.* Et paulo poſt infra: *cum etiam prædicatores reformationis verbum prætenderent, clerum hujus loci adhortatur, ut in ſanctitate & juſtitia Domino ſerviat, præcipiens nihilominus concubinariis, ut intra menſem domus ſuas purgent concubinis ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna.* Hæc de legati Cardinalis in Dania & Germania geſtis ex Krantzio, qui ſuorum temporum ſcribebat hiſtoriam, excerpere viſum eſt, ut pateat omnibus, quanta obſervantia Germani, Dani, Norvegii, Suecique ſedem Apoſtolicam colerent paucis ante annis, quam Lutherus cacodæmone magiſtro uſus, ut ipſemet ſcriptis prodere (*b*) non erubuit, venenatis dogmatibus ea regna inficeret.

(*a*) *Krantz. Vandal. l. 14. c. 31.*

Compoſitis induciis ſacra ſolemni pompa peracta.

Coacta ſacra pecunia pro Turcico bello.

Cleri Hamburgenſis defenſa libertas.

Concubinarii ſacerdotes defixi anathemate.

Septentrionalia regna ante Lutherum obſequentiſſima eccleſiæ.

(*b*) *Luther. lib. de miſſa angulari.*

XXIX. Ob eximium vero in eandem ſanctam ſedem ſtudium Joannes Daniæ, Suetiæ, Norvegiæ, & Gothiæ Rex una cum Chriſtina Regina & epiſcopo Ottonienſi, qui gerendarum rerum peritia in Danica aula florebat, pluribus ſacris beneficiis a Julio (*c*) ornari meruit.

(*c*) *Jul. lib. brev. p. 313.*

*Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Joanni Daciæ, Suetiæ, Norvegiæ, & Gothorum Regi: ac chariſſimæ in Chriſto filiæ Chriſtinæ Reginæ & conſorti Regis conthorali illuſtribus; nec non venerabili fratri noſtro Joanni Andreæ epiſcopo Ottonienſi.*

*Chariſſime in Chriſto fili noſter, & chariſſima in Chriſto filia noſtra, ac venerabilis frater ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Eximiæ devotionis ſinceritas & integra fides, quibus nos & Romanam reveremini eccleſiam, promerentur, ut votis veſtris, illis præſertim, per quæ conſcientiæ pacem & animarum veſtrarum ſalutem Deo propitio conſequi valeatis, quantum cum Deo poſſumus annuamus. Hinc eſt quod nos veſtris devotis ſupplicationibus inclinati, ut aliquem idoneum presbyterum ſæcularem vel cujuſvis ordinis regularem in veſtrum poſſitis, & quilibet veſtrum poſſit eligere confeſſorem, qui vita vobis comite in caſibus ſedi Apoſtolicæ reſervatis iis dumtaxat exceptis, videlicet criminum hæreſis, rebellionis, ac conſpirationis in perſonam vel ſtatum Romani Pontificis aut Apoſtolicæ ſedis, & offenſæ perſonalis in aliquem S. R. E. Cardinalem, & aliis contentis in bulla cœnæ Domini, quibus vos nec illaqueatos, nec illaqueari debere credimus, confeſſionibus veſtris diligenter auditis, omnium peccatorum veſtrorum, de quibus corde contriti & ore confeſſi fueritis, ſemel quolibet anno & in mortis articulo, vel quoties de morte hujuſmodi dubitabitur, plenariam remiſſionem vobis, & in ſinceritate fidei, unitate ejuſdem Romanæ eccleſiæ, & obedientia ac devotione noſtra vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perſiſtentibus authoritate apoſto-*

Privilegium in reſervatis caſibus pro Rege Daniæ & Sueciæ.

*lica impendere, ac vota quæcumque per vos forsan emissa vel in posterum emittenda, ultramarinæ, visitationis liminum Apostolorum Petri & Pauli, atque Jacobi in Compostella, ac religionis, & castitatis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare valeatis. Et insuper liceat vobis habere altare portatile cum debitis reverentia & honore, super quo locis ad hoc congruentibus & honestis etiam non sacris & interdicto ecclesiastico quavis authoritate supposito sine juris alicuius præjudicio, & cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, antequam elucescet dies, circa tamen diurnam lucem, ita quod id nec vobis nec Sacerdoti celebranti ad culpam valeat imputari; & si ad loca Ecclesiastico hujusmodi interdicto supposita vos contigeris declinare in illis clausis januis, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, sed submissa voce possitis, & quilibet vestrum possit per proprium vel alium Sacerdotem idoneum missas & alia divina officia in vestra familiariumque vestrorum domesticorum præsentia celebrari facere, ac etiam ibidem vel alibi ubicumque illa audire & interesse, ac a quocumque presbytero sæculari vel cujusvis ordinis regulari Eucharistiam & alia Sacramenta ecclesiastica quæcumque recipere, etiam in die paschatis: & si contingeret vos aut aliquem vestrum naturæ debitum persolvere, sive rebus humanis eximi dicto tempore, quod possitis, & quilibet vestrum possit cum solita & decente pompa ac aliis solemnitatibus requisitis ecclesiasticæ tradi sepulturæ, dummodo vos vel illi causam non dederitis interdicto hujusmodi, nec id vobis nec illis contingat specialiter interdici; quodque vos & quilibet vestrum ac discumbentes una vobiscum & familiares vobis in mensa servientes, illi videlicet dumtaxat, qui cibaria vestra pro securitate personarum vestrarum gustant, antequam vobis exhibeant, quadragesimalibus & aliis diebus & temporibus, quibus esus butyri, lacticiniorum, ovorum, ac carnium ab Ecclesia est prohibitus, butyro, lacticiniis, ovis, & carnibus de consilio utriusque medici uti, frui, & vesci: & nihilominus vobis & cuilibet vestrum cum sex personis per vos eligendis, & pro tempore nominandis, ut unam vel duas ecclesias, seu duo aut tria altaria per vos pro tempore eligenda in loco, in quo moram pro tempore traxeritis, singulis diebus quadragesimalibus cujuslibet anni devote visitando, tot & similes indulgentias, & peccatorum remissiones consequi possitis, quas consequeremini, si singulis diebus easdem omnes & singulas stationum Romanæ urbis etiam B. Mariæ de populo, & septem ejusdem urbis ecclesias personaliter visitaretis, & quilibet vestrum visitaret; liceatque vobis Regi & Reginæ filios vestros proprios cum omni solemnitate & cærimoniis ecclesiasticis honorifice baptizari facere. Præterea ut tu Christina Regina cum sex sive octo tuis domicellis quæcumque monasteria monialium etiam S. Claræ, & inclusarum, quater in anno ingredi & salutare, colloquium cum eis habere, dummodo inibi non pernoctes, libere & licite valeatis, authoritate apostolica tenore præsentium elargimur, non obstantibus constitutionibus, &c. proviso quod concessione altaris portatilis, & ante diem celebrari faciendi parce utamini, quia cum in altaris officio immoletur dominus noster Jesus Christus, qui candor est lucis æternæ, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce. Dat. Romæ apud S. Petrum die XVIII. maii MDV. pontificatus nostri anno II.*

Pro sacro ante lucem peragendo.

Aliæ interdicti tempore prærogativæ.

Et pro lucrandis indulgentiis quadragesimali tempore.

Ornavit quoque sacris prærogativis Pontifex tum Alexandrum Poloniæ Regem, ex cujus animo evulsit nonnullos religionis aculeos, quibus pungebatur, quod Helenam ducis Moscoviæ filiam Ruthenici schismatis imbutam perfidia uxorem duxisset. Adegerat ipsum ad jungendam eam affinitatem Moscovita, qui asperrimo bello Lituaniam concusserat, atque inter concordiæ pactiones eam addiderat, ne Helenam vi ad ritum Romanæ ecclesiæ compelleret: quam Alexander VI. rescidit, religiosaque mandata Polono dedit, ut omni studio & contentione Elenam ad Romanæ ecclesiæ gremium ritumque traduceret. Cum vero ipsa in suscepto errore pertinacissima esset, neque ab eo nisi vi dimoveri posset, ingentiaque exinde a Moscovita bella instauratum iri Polonus pertimesceret, consuluit Julium; qui illum incussa ab Alexandro religione liberavit, eique ut uxorem in Ruthenico ritu toleraret permisit (a), donec opportunior revocandæ illius a schismate occasio daretur; ne si vis illi ad Ruthenicum schisma deferendum inferretur, graviora mala pullulare possent. XXX.

Helena Moscovitica Poloniæ Regina schismatica.

(a) L. 1. brev. p. 308.

*Charissimo in Christo filio nostro Alexandro Poloniæ Regi illustri. Charissime in Christo fili noster salutem & apostolicam benedictionem.*

*Dilecti filii tuæ serenitatis oratores ad nos & Apostolicam sedem pro obedientia nobis præstanda destinati nuper exposuerunt nobis, quod cum Joannes Moscoviæ dux potentatuum tuorum Lituaniæ & Russiæ fines & populos acri bello infestaret, tuque illi viribus omnino par non esses, & consulere rebus tuis periclitantibus velles,* XXXI.

Ducta ab Alex. Rege ad sedandum bellum Moschoviticum.

*ideo-*

*ideoque prætextu affinitatis cum eodem pacem fecisses, filiamque ejus Elenam in matrimonium accepisses, præstito prius per oratores tuos tuo nomine eidem Joanni duci juramento, quod nisi dicta Helena uxor tua Romanæ ecclesiæ ritus sua sponte suscipere vellet, tu ipsam ad illos suscipiendos nunquam cogeres; alias felicis recordationis Alexander Papa VI. prædecessor noster per literas suas in forma brevis scriptas juramentum hujusmodi tibi relaxavit, teque ad illius observationem minime teneri voluit, ac declaravit, conscientiam nihilominus tuam onerando, ut tentare & conari omnia deberes, quæ præfatam Helenam uxorem tuam impellere possent, ut ipsa Ruthenorum secta omnino rejecta catholicam fidem rite cognosceret, & complecteretur: tuque propterea considerans quod si Helenam uxorem tuam prædictam aut dimitteres, aut ad ritus Romanæ ecclesiæ suscipiendos cogeres, illius pater Moscoviæ dux præfatus, qui tibi finitimus ditionis amplitudine & viribus est potentior, iniquo id animo ferens, facile rursus bella & damna intolerabilia tibi ac terris, regnisque tuis inferre posset; humiliter nobis per eosdem oratores supplicasti, ut benignitate apostolica dignaremur tibi licentiam concedere Helenam uxorem tuam præfatam sub hujusmodi suis ritibus tolerandi, donec vel per obitum dicti Moscoviæ ducis, qui jam ætate decrepitus est, vel per aliquam aliam occasionem dispensante Altissimo opportunitas afferatur aliter in hac parte providendi.*

Decretum a Pont. non cogendam ad latinum ritum.

*Nos igitur considerantes, quod juxta doctrinam Apostoli, si fidelis infidelem habet uxorem & illa habitare cum illo consentit, eam dimittere non debet, quodque per temporis successum Spiritu Dei, qui ubi vult spirat, eadem Helena posset ad veram Christianæ fidei agnitionem reduci, reputantesque magis expedire Helenam ipsam oculis nostris sic conniventibus tolerari, quam novum aliquod & grave scandalum ex coactione illius excitari: his atque aliis rationabilibus causis per oratores tuos prædictos nobis nuper expositis & animum nostrum moventibus inducti, serenitati tuæ regiæ, ut præfatam Helenam uxorem tuam velut hactenus tolerare & habitare cum eadem libere & licite valeas, nec ad ipsam dimittendam tenearis, donec aliqua opportuna occasio aliter in hac parte deliberandi, ut præmittitur, offeratur, prædictis Alexandri prædecessoris literis aliisque præmissis, nec non constitutionibus & ordinationibus apostolicis cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, ex authoritate apostolica præsentium tenore concedimus & indulgemus. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XVIII. maii MDV. pontificatus nostri anno II.*

Nec dimittendam nisi occasio nova affulserit.

Contractas affinitates cum infidelibus XXXII.
vel schismaticis graviora mala attulisse sæpius est ostensum: Regem vero Poloniæ maximam cladem a Basilio Moscovita socero contractæ illius affinitatis causa accepisse narrat Sigismundus Liber (a) Herbenstenii regulus in Moscoviticis commentariis; *Erat*, inquit, *Joanni magno duci ex Sophia filia Elena, quam collocavit Alexandro magno duci Lituaniæ, qui postea Rex Poloniæ declaratus est. Sperabant Lituani jam gravissimas utriusque principis discordias eo matrimonio sopitas fore, at longe graviores inde exortæ sunt in sponsalibus; namque conclusum erat, ut templum Ruthenico ritu in castro Wilnensi destinato loco exædificaretur, eique certæ matronæ ac virgines ejusdem ritus jungerentur: quæ cum aliquanto tempore fieri negligerentur, sumit socer causam belli contra Alexandrum, & triplici exercitu instructo contra eum progeditur, primum versus provinciam Seuveram in meridiem, secundum vero in occidentem contra Toropecz & Biela instituit, tertium in medio versus Drogobusch & Smolenczko collocat, ab iis exercitum in subsidiis retinet, quo ei maxime contra quem Lituanos pugnaturos animadverteret succurrere posset.* Subdit author Moscovitas struxisse Lituanis insidias, eosque capto eorum ductore Constantino Ostroskio delevisse: deinde veloci victoria Drogobusch, Toropecz, & Biela ad deditionem coegisse: a meridie autem Machmetemin Tartarum Regem Brensko potitum: duos vero Basilii patrueles Lituanici ducatus clientes, qui magnæ Seuveræ provinciæ parti imperabant, ad Moscovitam descivisse; atque ita uno conflictu amissa, quæ Witoldus magnus dux Lituaniæ tot annis ac bellis pepererat; abductam præterea in servitutem magnam Lituanorum multitudinem, quos Alexander Rex Poloniæ instaurata cum socero pace, relictisque victori provinciis & castris, quæ Moscoviæ adjuncta fuerant, liberavit.

(a) *Sigis. rer. Moscov. comment. p. 10.*

Iniqua lex pacis admissa a Polono.

Ingens clades a Moschis illata Lituanis.

Seuveræ pars ad Moschum deficit.

Quod ad Ruthenicam sectam attinet; XXXIII.
ea iisdem ferme erroribus, quibus Græcanica factio irretita est, ut ex literis Joannis Russiæ metropolitæ ad Pontificem Romanum datis (b) constat: ipse enim ad redintegrandam veterem ecclesiarum conjunctionem provocatus, accusavit Romanam ecclesiam, quod Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere profiteatur in symbolo; quod in azymis Eucharistiam conficiat; quod confirmationis sacramenti conferendi potestatem solis episcopis reservet; quod ma-

(b) *Ext. in comment. rer. Muscov. p. 30.*

Ruthenorum errores a Græcis recepti.

trimonio junctos ad sacerdotium non admittat; quod hebdomadam quadragesimali jejunio non addat, quod sabbati jejunium observet. Is metropolita, ut inquit Sigismundus, Ruthenorum nunc in Moscovia degit, cum antea in Chiovia, deinde in Wolodimeria sedem haberet, suamque authoritatem & jura sacra a patriarcha Constantinopolitano accipit: divina autem non Græco, sed Moscovitico idiomate peragit. Purgatorium negant Rutheni, quamquam pro defunctis orant: in sacramentorum numero, missæ sacrificio, cultu sanctorum, sacrarum imaginum & crucis veneratione, jejuniorum festorumque observatione cum nostris consentiunt.

Consentiunt in pluribus cum latinis.

Communis illorum oratio est: *Jesu Christe fili Dei miserere nostri*. *Libros evangelii*, inquit Herbenstenius, Moscoviticarum rerum peritissimus, *nonnisi in locis honestis tanquam rem sacram reponunt, neque manibus tangunt, nisi prius cruce se muniverint, & capite aperto inclinatoque honorem exhibuerint, post summa cum veneratione in manus sumunt*. Et infra: *doctores, quos sequuntur sunt, Basilius Magnus, Gregorius & Joannes Chrysostomus, quem dicunt Slatusta, idest aureum os.*

Concionatoribus carent & cur.

*Concionatoribus carent, satis esse putant interfuisse sacris, ut evangelii, epistolarum, aliorumque doctorum verba, quæ vernacula lingua recitat sacrificus, audivisse, ad hoc quod varias opiniones ac hæreses, quæ ex concionibus plerumque oriuntur sese effugere credunt.*

Eorum monachi austerum vitæ genus ducunt.

Eorum monachos austerum vitæ genus ducere, & propagandi evangelii avidos esse, tradit idem author, sic inquiens: *Monachi eremitæ bonam jam olim idololatrarum partem diu multumque apud illos verbum Dei seminantes ad fidem Christi pertraxerunt: proficiscuntur etiamnum ad varias regiones septentrionem versus & orientem sitas, quo non nisi maximis laboribus, fame ac vitæ periculo perveniunt; neque inde aliquid commodi sperant nec petunt: quin hoc unicum spectant, ut rem gratam Deo facere, & animas multorum devio errore abductas, morte aliquando doctrinam Christi confirmantes, in viam rectam revocare, ac eos Christo lucrifacere queant.*

Septentrionalibus & orientalibus convertendis dant operam.

XXXIV.

(a) Idem p. 7.

A S. Andrea Apostol. Evangelium accepisse tradunt.

Suscepisse Christi fidem & Græcum ritum Moscos tradunt (a) Wolodimeri principis auspiciis anno mundi *6469*. Christi nimirum *961*. eumque ut apostolum xv. julii venerantur. [1] In annalibus tamen suis Rutheni ante Wolodimerum & Olbam, ab Andrea Christi Apostolo evangelium Moscoviæ illatum gloriantur (b). Patet porro latissime Moscovia; cujus fines Joannes Basilius, quem pontifex in superioribus literis tum decrepitum extitisse affirmat, amplificavit, atque ad orientem Jugros, ex quibus Hungari genus traxere, subegit: ad occidentem vero in Livoniam usque penetravit; in quam cum irruptiones crebras faceret, Fridericus dux Saxoniæ crucesignata signa adversus Moscovitas extulit; propositaque a Pontifice xxvi. julii indulgentiarum præmia iis fuere (c), qui Saxonem pro tuenda Livonia sequerentur.

(b) *Id. p. 7.*

Moscoviæ fines a Joanne Basilio amplificati.

Livonia ab eodem vexata.

(c) *Jul. lib. brev. 1. p. 346.*

Indicta in eum sacra expeditio.

Porro de Joannis Basilii cujus potentia, finitimis omnibus Livonibus, Suecis, Polonis, Lituanis, Tartaris, Turcisque terrori erat, morte proximo anno dicetur, neque exinde Helena Regina ad fidem orthodoxam traduci potuit; ac postea ab ejus fratre Demetrio querente Helenam ex dignitate non habitam atrocissimum bellum in Polonos conflatum, quo Smolensko ipsis ereptum fuit, ut suo loco dicemus. Ita schismaticæ feminæ nuptiæ Polonico imperio exitiales fuerunt.

XXXV.

(d) *Mich. l. 4. c. 81. & Crom. l. 30.*

Tartari civili bello distracti.

Inivit (d) plura hoc anno Alexander Poloniæ Rex de inferendo Præcopensi Tartaro bello consilia, & Szachmet Zavolhensium Tartarorum Imperatorem, qui a Mendlingero Chersoneso Tauricæ imperitante exutus copiis fuerat, in Polonia honorifice excepit, ac Radomii celeberrimos ordinum conventus coegit; in quibus idem Zavolhensis Imperator Polonum ferociter accusavit, quod ipsum in Præcopensem concitasset, nec fœderis leges coluisset: cujus dicta refregit Alexander, illum plura contra fœdus in Lituania circa Kioviam egisse; exitiumque sua ignavia sibi creasse; denique ad recuperandum imperium poposcit auxiliares copias, decretusque est ad Tartaros Nohayskie sultanus Kosack illius frater, ut earum regionum ad jungenda arma concitaret: promissas interea copias instructum iri. Postulavit autem barbarus, cum magnam hominum multitudinem coactam videret, cur non illi bello se accingerent: cui responsum, non ita Christianos omnes, ut Tartaros bellica munera obire. Ex quo patet mirum non videri, si numerosissimos adeo Tartari colligunt exercitus. Dum hanc Tartaricam expeditionem conficere meditabatur Polonus a Pontifice auxilia, ut Christiani

Cur numerosissimi sint exercitus Tartarorum.

NOTÆ [1] QUo potissimum anno & authore Russi Christianam fidem receperint, multis hic disquirere non vacat, cum ea de re in hoc opere suo loco quæ fuerit Pagii sententia discere liceat. Vide igitur Pagium ad A. 877. 4. & ad A. 987. 6. MANSI.

ni imperii proferret limites, expetiit; quæ concessit Julius, ac Danos, Suecos, Norwegos, propositis indulgentiarum præmiis excitavit (a) ut adversus Turcas & Tartaros Polono suppetias ferrent.

(a) L.18. bull. p.97.

XXXVI. *Quamvis*, inquit, *præfatus Alexander Rex suique prædecessores Reges & principes Poloniæ & duces Lituaniæ cum ejus principibus & sequentibus non cessaverint, neque ipse Alexander Rex cesset juxta eorum facultatem tanto furori Turcarum Tartarorum & aliorum infidelium prædictorum pro viribus resistere; tamen cum eius facultates propterea longa assiduitate supportationis tam gravissimi oneris admodum diminutæ sint, non potest ex ejus facultatibus tantæ rei molem & pondus ac periculum sustinere; sed sunt aliorum Regum, principum, & Christifidelium suffragia ad hoc sibi plurimum opportuna, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ* MDV. III. *kal. septembris pontificatus nostri anno* II.

XXXVII. Ursit etiam hortatibus suis Pontifex Venetorum ducem (b) ut arma cum Polono adversus Turcas & alios fidei hostes conjungeret, illique in justissimo & gloriosissimo bello subsidia mitteret.

(b) L. 1. brev. p. 550.

*Duci Venetiarum.*

*Dilecte fili salutem, &c. Nobilitatem tuam minime latere existimamus, quam bene illustres progenitores charissimi in Christo filii nostri Alexandri Poloniæ Regis illustris, ac ipse, de sede Apostolica, totaque Christiana republica meriti sint. Tartaros schismaticos ac alios catholicæ fidei hostes continuo aut oppugnando, aut eorundem incursionibus acriter resistendo, ita ut Alexander Rex præfatus suis in hac parte meritis & opera, quam continuo Christiano nomini fortiter navat, ab universa republica Christiana singulisque Christianis principibus non solum firma præsidia, verum etiam condigna præmia expectare merito debeat. Ea propter nos inclinati humilibus ejusdem Regis supplicationibus, quas dilecti filii ipsius oratores ad nos & sedem Apostolicam ad obedientiam nobis præstandam nuper missi nobis in hac parte illius nomine fecerunt, ea subsidia & adjumenta serenitati suæ regiæ præstitimus, quæ ipsi Regi regnisque suis non parvo adjumento fore speramus, prout nobilitas tua plenius intelligere poterit ab omnibus prædictis præsentes nostras tibi reddentibus. Eandem igitur nobilitatem tuam, quæ infidelium rabiem comprimere consuevit, & cupit, plurimum in Domino hortamur, ut ipsa quoque talia subsidia Regi præfato subministret, quæ ipsi adversus Christiani nominis hostes continuo pugnanti vires & animum augere possint, & te ac tua republica digna videretur; in quo eadem tua nobilitas rem Deo acceptissimam, nobis & huic sanctæ sedi gratissimam, sibi vero ipsi gloriosam præstabit. Dat. Romæ die* IX. *julii MDV. pontificatus nostri anno* II.

Poloni Regis oratores obsequium Julio II. deferunt.

Rogati Veneti ut subsidia Polono in Tartaros præbeant.

XXXVIII. Mutata deinde fuere a Polono consilia (c), cum Mendlingerus Præcopensis ejus gratiam missa legatione ambiret, exponeretque suam amicitiam Zavolhensis tanto terrarum tractu dissiti amicitiæ anteferendam: ita Szachmet Tartarorum Cæsar, qui ad Polonum confugerat traditus custodiæ fuit, nec propterea Præcopensis a Polonia infestanda variis irruptionibus revocatus est: de quo inferius. Interea Alexandrum regia benevolentia & liberalitate prosecutum fuisse ecclesiasticos viros, Michovias refert (d): *Anno*, inquit, *MDV. feria secunda in vigilia S. Matthiæ Apostoli in conventione generali Lublinensi Rex Alexander accipiens e narratione Joannis de Lasko decani Wdalinensis regni Poloniæ cancellarii, quod fructus, reditus, & proventus vicariorum ecclesiæ cathedralis Wdalislaviensis sicut pauci & exiles, ut devotius diligentiusque in dicta ecclesia domino Deo inservirent, jus patronatus ecclesiæ parochialis in Gostinyn diœcesis Plocensis, quæ de jurepatronatus Regis Poloniæ extitit, de consilio & consensu consiliariorum regni præfatis vicariis & collegio ipsorum pure, libere, ac donatione perpetua & irrevocabili contulit.* Locupletatos etiam vectigalibus ejusdem Regis auspiciis archiepiscopatum Leopoliensem & episcopatus Russiæ, atque Chelmensem addit idem author.

(c) Mich. & Cromer. ubi sup.

(d) Mich. c.85. eique ult.

Alexandri Regis in ecclesias liberalitas.

XXXIX. Idem etiam pius Rex episcopos ad justitiam administrandam adhibere voluit, ut sacerdotalis ordinis assereret dignitatem; non enim deerant sacrilegi, qui in sacerdotes tyrannidem exercerent, quorum licentia eo magis crescebat, quod in judiciis ferendis ecclesiastici se e medio senatu subducerent, dum fuso sanguine adversus sacrilegos animadvertendum erat. Itaque de his consultus Julius, ne sacerdotali clementia abuterentur impii, ecclesiasticis exercendæ in eos judiciariæ severitatis potestatem contulit.

Alexandri etiam Regis, atque Elisabeth Reginæ Poloniæ rogatu, permisit summus Pontifex (e), ut sacerdotes doctorali laurea in arte medica insigniti sine ullo conscientiæ stimulo medicam artem in regia Polonica exercere possent. Cum vero is pius mos apud Polonos vigeret, ut carnibus abstinerent quarta feria causa recolendæ memoriæ Christi, de quo necando Judæi consilia eadem feria quarta iniverant; ac deinde controversiæ obortæ essent, an Poloni sub noxæ pœna

(e) L.99. bull. secr. p.101.

ad

ad servandum eum morem obstricti essent, Pontifex consultus respondit, eos sine ulla criminis nota posse carnibus vesci.

XL. In Hungaria cum immunitas ecclesiastica labefactaretur, ac laici ecclesiasticis decumas pendere abnuerent, immo & nobiles bona ecclesiarum raperent, atque a majorum pietate turpiter deficerent, ea de re certior factus Julius Wladislaum Hungariæ & Bohemiæ Regem excitavit (*a*), ut ecclesiasticarum opum direptores comprimendos curaret.

(*a*) *L. 1. brev. p.* 356.

*Julius, &c. Quantum cum Deo possumus teipsum hortamur in Domino, ut, sicut fidei & prudentiæ tuæ regiæ convenit, non Hungarici tantum cleri, sed Christi Redemptoris nostri & sanctæ matris Ecclesiæ causam toto corde, & animi affectu complectaris, atque omni studio, cura, solicitudine, tam imminentibus periculis obviam eas, omnique conatu exoriens incendium extinguere studeas, clerum & statum ecclesiasticum, sicut decet, omni tuo regio favore protegendo, compescendoque eos, qui illum oppugnant; ita ut opera tua regia ecclesiasticus status in isto tuo regno solitam quietem & authoritatem suam, & dignitatem antiquam retineat, & regnicolæ ipsi in optimis majorum suorum vestigiis consistentes rejectæ a se religionis labe coinquinentur: quod faciendo Deo omnipotenti holocaustum offerre acceptius non poteris, de nobis & Apostolica sede totaque republica Christiana optime mereberis, & tibi non parvam & occultam, sed maximam publicamque gloriam pepereris. Datum Romæ apud S. Petrum die* XXIII. *augusti MDV. pontificatus nostri anno* II. Quo pariter die Thomam (*b*) tit. S. Martini in montibus presbyterum Cardinalem eundemque episcopum Strigoniensem, tum Georgium (*c*) episcopum Waradiensem, qui inter eos, qui Regi a secretis erant, principem locum tenebat, solicitavit, ut Regem ad suscipiendum ecclesiastici ordinis patrocinium accenderent.

(*b*) *L. 3. brev. pag.* 386.

(*c*) *Id. p.* 514.

XLI. Auctum Cardd. collegium.

Auctus est hoc anno sacer senatus novem purpuratorum numero, de quorum ut regiæ amplitudini studiosorum nominibus Julius Gallum Regem eodem die fecit certiorem (*d*).

(*d*) *L. 1. brev. p.* 408.

*Charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.*

*Charissime in Christo fili noster salutem &c. Hodie in consistorio nostro secreto creavimus & assumpsimus in S. R. E. Cardinales novem prælatos partim de nobis optime meritos, partim propriis virtutibus & nobilitate pollentes, omnes tamen honoris & amplitudinis tuæ celsitudinis studiosissimos, dilectos videlicet filios Carolum de Carreto electum Thebanum Marchionem Finali, Marcum episcopum Senogalliensem, Leonardum episcopum Agenensem nostrum secundum carnem nepotem, Robertum episcopum Redonensem oratorem apud nos tuum, Antonium episcopum Eugubinum, Franciscum episcopum Papiensem, Gabrielem episcopum Urbinatem, Fatium episcopum Cæsenatem, domesticos nostros, ac Sigismundum de Gonzaga nostrum & Apostolicæ sedis notarium; sperantes quod ipsi sanctæ Romanæ ecclesiæ utilitati erunt & commodo: quod majestati tuæ gaudio esse non dubitamus: ad honorem certe & commodum regni tui, propter ipsum oratorem tuum præcipue non mediocriter pertinet, & idcirco propriis literis celsitudini ipsi tuæ significare voluimus. Dat. Romæ apud S. Petrum die* I. *decembris MDV. pontificatus nostri anno* III. Recensent horum titulos Paris de Grassis, Alfonsus Ciacconius, & Felix Contelorius (*e*), quorum primus addit Carolum Carretanum & Sigismundum Mantuanum creatos diaconos, reliquos presbyteros renuntiatos fuisse.

Novorum Cardd. nomina.

(*e*) *Fel. Cont. in elench. Cardd.*

XLII. Describit idem author (*f*) sacros ritus, quibus cardinalitiæ dignitatis ipsis data possessio fuit, quos repetere ex eo non piget: *Die*, inquit, *lunæ primo decembris MDV. sanctissimus dominus noster Julius secundam Cardinalium creationem fecit, quæ meo tempore est prima, in qua quidem novem Cardinales creavit; tametsi, ut dicitur, plerisque Cardinalibus antiquis contra novos creandos repugnantibus, ut communiter fit. Tandem factum est in consistorio hodierno quod ab hora* XVI. *usque ad* XXIV. *duravit, ut de consensu collegii Papa in proxime futuris quatuor temporibus, & inde ad beneplacitum suum ex decem, quos proposuit, novem tantum ex nunc, prout ex tunc creare possit. Unus ex eis, qui erat decimus exclusus. Nomina designatorum sive creandorum sunt, Carolus de Carreto ex marchionibus Finalis, qui etiam est titularis archiepiscopus Thebanus: Marcus episcopus Senogalliensis ordinis Minorum, tunc castellanus S. Angeli natione Saonensis: Robertus episcopus Redonensis natione Brito, tunc Regis sive Reginæ Franciæ orator: Leonardus episcopus Agennensis natione Saonensis affinis Papæ: Antonius Ferrerius episcopus Eugubinus natione Saonensis, tunc magister domus Papæ: Franciscus de Castello de Ricco natione Imolensis Romandiolus episcopus Papiensis, tunc Papæ thesaurarius: Gabriel de Fano episcopus Urbinas, alter ex duobus secretariis Papæ: Fatius episcopus Cæsenatensis Viterbiensis, tunc Papæ datarius: Ultimus Sigismundus de Gonzaga*

(*f*) *Paris. de Grass. to. 1. pag.* 246.

Cardinalium novorum creatio.

Eorum nomina.

*zaga Germanus marchionis Manthæ, tunc protonotarius apostolicus. Sed decimus, qui propositus a Papa fuit, per Cardinales exclusus, erat Bandinellus Saulus natione Januensis protonotarius apostolicus.*

*Interea dicti nominati, videlicet octo tantum, qui erant in urbe præsentes, & omnes in palatio Papæ habitantes præter castellanum, qui moratur in castello, & præter Redonensem, qui est in propria domo, nonus vero, videlicet de Gonzaga est Mantuæ, nullum actum seu demonstrationem publicam fecerunt, nisi private: immo nos magistri, qui ad eos visitandos accessimus, monuimus ut sic facerent, & in nullo actu se demonstrarent tanquam Cardinales usque ad tempus creationis; quia possent, ut in proverbio dicitur, inter os & offam aliquid accidere: sed nec etiam quatuor ex eis, qui sunt assistentes Papæ venerunt iterum ad assistentiam.*

XLIII. Quo ritu vocati ad consistorium.

*Die veneris XII. decembris, videlicet in vigilia S. Luciæ creati & pronuntiati fuerunt Cardinales novem supradicti hoc modo. Papa iturus in consistorium audivit ab episcopo Ortano, erat is Joannes Burchardus sacris cæremoniis præfectus præcipuus, quod Cardinales novi non debent finito consistorio ingredi consistorium ad osculum pedis Papæ, nec etiam postea associari ab antiquis Cardinalibus ad cameras eorum; sed ab antiquis Cardinalibus intelligens contrarium, mandavit novitiis seu creandis, ut omnes simul se in aula Pontificum sustinerent, donec essent intra vocati, si vocari deberent; quam rem volebat in consistorio consultare. Ipsi vestiti fuerunt in habitu eorum consueto quotidiano cum suis biretis pavonatiis aut nigris, & cum suis mortellis communibus, sine tamen capucio, & sine chirothecis & annulis quos fecimus extrahi antequam consistorium ingrederentur.*

*Nos magistri cæremoniarum cum eis expectantes ibidem mansuri usquequo fuerunt vocati, quod fuit hora vigesima. Et interim instruximus eos quomodo deberent se habere in ingressu, & quis esset iturus primus, & quis secundus, & sic de reliquis. Tandem vocati fuerunt per reverendissimum dominum Cardinalem de Columna, qui erat prior diaconorum, ad quem non spectabat vocatio; sed quia erat proximus januæ per quam ingrediendum erat, & quia forte Papa se expedire volebat, ut nos solicitaret, surgens nos vocavit alte dicens. Soli Cardinales novi ingrediantur ad osculum pedis Papæ. Et sic domino Bernardino & me solis præcedentibus ingressi sunt hoc ordine. Primo erat reverendissimus dominus Carolus archiepiscopus Thebanus, qui ex quo presbyter non erat, sed futurus diaconus, ideo alte Papa contra nos clamavit, ut eum faceremus ultimum. Item quia reverendissimus dominus Redonensis erat orator regius, propterea ut orator regius noluit præcedere alios: sed Papa sciens reverendissimum dominum Senogalliensem fuisse a Sixto IV. pronuntiatum episcopum, & ideo debere tamquam antiquiorem præcedere ipsum Redonensem, & sic fecit quod ipse Senogalliensis esset primus ante omnes: qui ad solium Papæ non per viam rectam ante Papam, sed per latus ab ostio, idest inter parietem & primum diaconum vadens ad pedes Papæ, ubi genuflexus nihil penitus dicens primo pedem, me fimbrias levante, deinde in scabello genuflexus manum nudam, ultimo stans melius elevatus, quam potuit, faciem Papæ osculatus est. Quo facto ivit, & firmavit se rectum detecto capite stantem ad dextrum latus, ibi prope Papam adhærens parieti quasi a facie ante primum episcopum Cardinalem. Similiter secundus, qui fuit Redonensis, fecit, & se post primum firmavit: & sic eodem ordine reliqui; ita ut senior ex ipsis novis esset apud Papam, & junior apud caminum. Tertius fuit Agenensis. Quartus Eugubinus. Quintus Papiensis. Sextus Urbinatensis. Septimus Cæsenatensis. Octavus & ultimus Thebanus.*

XLIV. Quo ritu excepti osculis novi Cardinales.

*Interim antiqui Cardinales sedebant in locis suis, & cum finitis osculationibus Papæ, vidissent novos versus se ipsos venire, surrexerunt omnes simul e scabellis eorum; & ipsi novem ordine quisque suo ad singulos Cardinales factis reverentiis, euntes & in paucis verbis gratias agentes humiliter osculati sunt ab utroque latere vultus omnes episcopos & presbyteros. Deinde, quoniam ultimus diaconus proximus est ultimo presbytero, ideo dimissis ultimis diaconis transierunt ad primum diaconum, & sic eodem modo omnes osculati sunt. Senior ex novitiis postquam absolutus fuit a priore episcoporum, ivit ad secundum, & mox secundus ex novitiis ivit ad priorem episcopum prædictum: & sic omnes cum omnibus successive & ordinate, ac modeste fecerunt. Et cum primus ex novitiis finivit osculare & omnes diaconos, firmavit se in eodem loco, idest apud dextram Papæ, apud sinistram, & secundus sub eo, & similiter tertius sub secundo: sicque eodem ordine usque ad ultimum factum est. Itaque primus fuit * ad Papam, & ultimus apud januam.* Porro hosce novos Cardinales a veteranis fuisse deductos in aulam pontificiam describit idem Paris, quem ritum indicasse sufFecerit.

* *apud*

XLV. Obiisse vero hoc anno magnum sacri senatus decus & ornamentum Raymundum episcopum Gurcensem; a quo Lube-

becense bellum, quo Germania, Suecia, Daniaque conflagraturæ erant, sedatum vidimus, refert hisce verbis Chronicon Spanheimense (*a*): *VII. die mensis septembris obiit Raymundus presbyter Cardinalis S. Mariæ novæ Gurcensis episcopus, Viterbii sepultus: qui per triennium continue sedis Apostolicæ fuit legatus de latere per universam nationem Germanicam, vir moribus & vita sanctissimus, & omni integritate conspicuus, magnus Trithemii abbatis nostri amicus & fautor singularis, justitiæ cultor magnus, & bonorum simul ac divitiarum mundi contemptor omnium constantissimus; cui similem non habebat ætas nostra.*

(*a*) *Trith. chro. Spanhei.*

Raym. Gurcen. Card. obitus. Ejus elogium.

XLVI. Margarita virgo sanctitate illustris.

Migravit eodem anno ex hac vita Ravennæ Margarita virgo sanctitatis fama conspicua, quæ cum cœcitate percussa esset, illius tamen facies cœlesti luce radiare visa est, atque animorum arcana penetrabat, futuraque præcognovit, præcipueque Ravennæ depopulationem a Gallis illatam insequentibus annis vaticinata est, de cujus insigni patientia in adversis, editisque prodigiis cœlestibus plura affert Hieronymus Rubeus (*b*), ex quo nos hæc pauca repetimus.

(*b*) *Rubeus hist. Raven. l.8.*

XLVII. Licet cœca radios vultu jaculatur.

*Facie quandoque a socia Gentili ite fulgere visa est, ut eam intueri adversam non posset, tanto sensus stupore prædita, ut multorum annorum spatio suavitatem cibi non sentiens, ingenti molestia tantum ne moreretur cibo usa sit: cacodæmone agitatos, quos decem viri homines retinere & compescere poterant, ipsa manu apprehensos, & nequaquam obsistentes, divina virtute abire cacodæmone jusso, liberavit: hydrope laborantem puerum solo manus contactu, cum Deum esset pro sanitate illius precata, incolumem remisit: Leonem gentilis filium pedibus contortis sic, ut ambulare nequiret, natum sanavit. Sed talia si narrare velim, nimium longa traheretur oratio, ipsorum enim relatu latius patent, qui testes jussu Pauli III. Pontificis maximi, postulante Friderico Gonzaga duce Mantuano, Ravenna his de rebus ab Joanne Francisco Petitto urbis moderatore quæstione habita, hæcquæ modo memoravimus multaque præterea anno* MDXXXVII. *jurati narraverunt*. De pia ejus morte addit author.

Plures morbis liberat.

XLVIII. *Mortem præsentiens plurimum de rebus divinis locuta est, cumque ad extremum esset assurgens animam exhalavit. Ferunt Gentilem testari solitam, tunc se cælites vidisse, qui ad magistræ migrantem ex corpore animam accipiendam accesserant, ob idque in extremo ipsam venerabundam assurrexisse. Fuit is annus ab ortu Christi quintus supra millesimum quingentesimum decimo kal. februarii. Per duos dies cadaver sanctum insepultum servatum est, quo tempore cum sudore facies tamquam rore madesceret, Gentilis assidua magistræ comes linteolo, quo ad emungendas nares utimur, detersisset, linteolum ad ignem exsiccatum violarum suavissimum odorem afflavit, qui multis etiam deinde annis in eodem linteolo permansit*. Hactenus de Europæis rebus: nunc ad Indicas orationem convertamus.

Extinctum corpus suavissimo odore fragrat.

Dum in Indiis Christiani nominis fama, & Lusitanorum armorum terror longe lateque inferebatur, Indique, Arabesque & alii Mahometani commercio Indico prohibiti tundebantur, suggestum fuerat Regi Calecutiensi, illum non paribus armis cum nostris decertare, atque ideo poscendam a Campsone Ægypti, Syriæ, Arabiæque sultano auxiliarem classem, quæ nostros ab Indiæ commercio imperioque arceret. Mahometanus itaque orator ad Ægyptium missus facile ab eo querelis Arabum asperato auxiliorum sponsionem elicuit: sed conficiendæ in sinu Arabico classis lignorum inopia potestas deerat. Arte itaque usus Minoritam sacræ ædis Jerosolymitanæ in monte Sion præfectum cum literis minacibus ad Pontificem misit, questusque est graviter se ab Regibus Hispanis læsum, Ferdinandum enim Granatense regnum excidisse, ac Saracenos partim necasse, partim in exilium pepulisse, alios coegisse ut Christi religionem susciperent: Emmanuelem Lusitaniæ Regem classibus suis Indias infestas reddere, maritimisque grassationibus Ægyptios & Arabas in Indiam navigantes maximis damnis affecisse. Querelas has crudelibus minis armavit, ni Lusitanus abstineret India, se Christianorum multitudines maximas in suo imperio contrucidaturum, eorum templa Christique sepulchrum eversurum, tum instructa classe Europam populaturum. Proinde exposuit Julio dandam ab eo operam, ut Hispani Reges cœptis desisterent. XLIX.

Calecutiensis Rex ab Ægyptio poscit auxilia in Lusitanos.

Ægyptii Sultani ad Pont. legatio.

Atroces ejusdem minæ.

His acceptis Pontifex literarum exemplum ad utrumque Regem misit, rogavitque quidnam sultano respondendum censerent. Contemptæ autem tum diræ barbari minæ fuerunt ab iisdem Hispanis Regibus, atque in hanc sententiam ita rescripsisse Lusitanum refert Osorius (*c*): *Vidi pater sanctissime, literas tuas, quas mihi Maurus attulit, & simul exemplum literarum quas tibi sultanus misit accepi, in quibus de injuriis quas Mauris Granatæ regnum incolentibus intulit Fernandus Rex, quem in loco patris amantissimi colo & observo conqueritur, & simul de damnis,* L.

L. Consulti de responso Hispani Reges a Pont.

(*c*) *Osor. ubi sup. ex Barros. c.2.*

*quæ*

quæ Saraceni a Lusitanis in India accepere gravissimis verbis expostulat. In quo quidem invitus nomen nostrum illustrat, dum ostendit quam sit uterque nostrum Saracenis infestus: quid enim fieri potest a Christianis principibus ad gloriam sempiternam aptius & elegantius, quam omnes suos conatus ad Mahometis diram nefariamque superstitionem tollendam, & nomen perditissimi latronis extinguendum comparare? Minas deinde jactat, & terrores barbara quadam superbia & immanitate proponit, existimans fieri posse, ut qui pro Christi religione pugnant, aliqua verborum atrocitate perterriti ab instituto facinore & a suscepta religionis sanctissimæ causa continuo desistant. Socer meus Fernandus Rex invictissimus dignum rebus a se clarissime gestis, dignumque virtute & sapientia sua responsum dabit; hoc tamen scio nunquam fore, ut ille sic hostis barbari minas extimescat, ut gloriæ sempiternæ, quam ex Hispania Arabum tyrannide liberata adeptus est, eum aliquando pœniteat. De me vero hoc tibi, pater sanctissime, affirmare possum, mihi maxime molestum esse, non multo graviorem querimoniæ causam tyranno isti subesse, qua stimulatus multo ferocius verbis accepta detrimenta vindicaret, & quos virtute frangere non posset, oratione minaciter exterrere frustra conaretur: nobis enim, cum iter in Indiam classibus nostris aperire & regiones majoribus nostris incognitas explorare decrevimus, hoc propositum fuit, ut ipsum Mahometanæ sectæ caput, unde tam multa mala in orbem terrarum opera dæmonis infestissimi redundarunt, extingueremus, & Mecha Arabiæ civitas, in qua Mahumetis sepulchrum est, Lusitanorum armis excisa funditus interiret: quod autem hoc non fit, ut cupiebamus, effectum indignissime patimur: spem tamen habemus fore, ut Christi præsidio id opus aliquando perficiatur, cujus jam nunc fundamenta Lusitanorum virtute & industria jaciuntur. Tunc igitur cum Mahumetis monimenta eversa atque disjecta fuerint; cum tellurem, quæ tantum monstrum aluit, & quæ reliquias illius gremio suo complectitur excindi & vastari perspexerit, fremat immanis & importunus hostis, & istas minas inanes proponat, & non modo cum est tam levibus damnis affectus.

Lusitani Regis generosum responsum.

Spretæ Ægyptii minæ.

LI.

De eversione sanctissimi sepulchri non extimescendum.

In quo vero nomini Christiano cædem, Christi sepulchro eversionem, Europæ ferro atque flamma minitatur, non est cur quisquam merito possit inania verborum portenta metuere; nec enim hostis avarus vectigalia sua, quæ Christianorum religione amplificari cernit, excisione sanctissimi sepulchri & aliorum locorum, quæ frequentari a Christianis cum magno illius commodo videt, imminui patietur; nec adeo mentis expers est, ut velit ea injuria universæ reipublicæ Christianæ facta omnium animos irritare, & a mutuis dissensionibus ad illius pestem atque perniciem traducere; communis enim offensio & contumelia solet animos dissidentes conjungere, & stimulis incitare ad pœnas de hoste superbissimo repetendas. Non est autem gens Christiana usque eo vel sanctissimæ religionis, vel antiqui decoris oblita, ut tantum hostis facinus inultum & impunitum relinquat. Non dubito igitur quin, si hanc stragem sultanus ediderit, omnes Christiani tam juvenes quam senes undique certatim confluant, ut tantum scelus animis conjunctissimis ulciscantur: quod cum ille plane percipiat, non erit adeo amens; ut tantum sibi atque suis opibus periculum struere velit. Valde tamen doleo, tantos ex Christianorum principum discordiis animos tyrannum istum assumpsisse, ut atrociter etiam illis minari audeat, per quos potuisset facillime imperium illius atque nomen extingui. Quare, pater sanctissime, te non modo hortor & moneo, verum etiam suppliciter oro, ut actionem istam dignam virtute tua, dignam religione & sapientia, dignam istius loci, in quo Christi vicem geris, amplitudine & sanctitate suscipias; ut Christianos principes inter se nefarie dissidentes in concordiam authoritate tua sacrosancta reducas, ut summa animorum conspiratione signa in Africam & Asiam inferant; quibus hostem non virtute sua, sed Christianorum negligentia ferocem de statu deiiciant, Mahometisque nomen ex hominum memoria penitus evellendum curent: quod si feceris præclare viam in cælum munies, nomenque tuum memoriæ sempiternæ consecrabis.

Ann. Eccl. Tom. XXX.

Si scelus audeat decernendam omnium Christianorum expeditionem.

LII.

Agitata hæc ab Alexandro consilia sed perficiendorum gloriam Julio reservatam.

Hoc quidem jam ab Alexandro Pontifice, in cujus locum successistis, aliquot principes Christiani mecum simul magna contentione postularunt; sed idcirco fortasse tunc effectum minime fuit, quod Deus hanc uni tibi immortalis laudis & gloriæ materiam reservabat. In quo vero nos admones, ut quod responsum te sultano dare velimus tibi per literas significemus, animum istum in nos humanitatis & clementiæ plenissimum libenter agnoscimus, quem perpetuo vitæ studio & debita pietate & veneratione prosequimur. Nostrum tamen non est vel sapientiæ tuæ, vel gravissimo Cardinalium senatui præscribere quid hosti respondendum sit, sed tantum, quæ nostra mens sit, & quid animis agitemus aperire. Ut igitur quid habeam in animo tibi demonstrem; is plane sum, quem nullæ minæ, nulli terrores, nullæ difficultates im-

Præscribat cum consilio Cardinalium quæ agenda sint.

Ooo pe-

*pediant, quo minus exequar id quod semel institui, & eo omnes animi nervos intendam, ut pro mea parte, quanta maxima belli contentione possim, contundam & frangam hostis feri & immanis audaciam. Christum optimum maximum precor, ut spiritus sui numine mentem tuam confirmet, ut perpetuo possis, quemadmodum facis, illius Ecclesiam cum magna sanctitatis tuæ gloria gubernare.*

LIII. Acceptis hisce a Lusitano, & aliis a Ferdinando Aragone literis Minorita Ægyptii sultani orator, Romam rediit, atque inde cum Pontificis maximi responso reversus est ad sultanum ipsum, qui ex his intellexit non verbis confligendum. Emmanuel vero Lusitaniæ Rex minis lacessitus duplo majorem hoc anno classem ex viginti nimirum & duabus navibus conflatam præfecto Francisco Almeida VIII. kal. aprilis, qui dies cœlesti ad sanctissimam Virginem nuntio erat sacer, in Indiam misit (*a*) adjunctis pluribus Minoritis & clericis, ut religionem Christianam amplificarent, arcesque ad maritimæ regionis tenendum imperium extrui jussit. Peregitque studiose mandata regia Almeida, primumque Guiloæ tyrannum Abrahemum dispulit (*b*), ac Mahemedem Anconium Lusitani nominis amicum Regem aurea donatum corona vectigalem Emmanuelis constituit a die S. Jacobo sacro, arcemque ad continendos in officio Mauros condidit. Inde in Mombazæ principem Lusitano Regi fidem addicere detrectantem converso impetu eum fugavit, Mauricamque urbem diripuit (*c*) incenditque, quatuor vel quinque Lusitanorum necem mille & quingentorum Saracenorum cæde, duorumque millium ac ducentorum servitute ultus. Tum intento in Indiam cursu Almeida in Anchedinæ portu munitissimum propugnaculum excitavit (*d*), ut in ea tuta statione Lusitanæ naves hyemarent: famaque Christiani nominis commoti finitimi barbari, necnon Onoris Rex amicitiam Lusitanam exambivere: sed cum Almeida de Mechæ, Oromusii, Cambajæ, Calecutiique navibus expugnandis mandata accepisset, eas in Onoris portu succendit (*e*). Facto cum Regibus Cananoris & Cochimi colloquio fœdera cum iis sancivit (*f*); quæ fuse Joannes Barrosius, atque ex eo Osorius (*g*) & Maffeus describunt (*h*).

(*a*) *Barr. l. 8. c. 23. Ja. Maff. l. 30.*

Vexati Mahometani a Rege Lusitano.

(*b*) *Barros. l. 8. c. 5. & 6.*

(*c*) *Id. c. 8.*

In Anchedinæ portu excitata arx.

(*d*) *Id. c. 9.*

Ab Almeida multa præclare gesta.

(*e*) *Cap. 10.*

(*f*) *L. 9. c. 4. 5.*

(*g*) *Osor. l. 4.*

(*h*) *Maff. l. 3.*

LIV. Inter cæteros etiam barbaros Lusitanorum amicitiam expetiit Narsinguæ Rex. Est id regnum in ea Indiæ parte citra Gangem, quæ spectat ad orientem solem multis urbibus cultum, perfusum fluminibus, atque omnium rerum copia affluens; de cujus gentis religione hæc narrat idem Barrosius (*i*): *Homines superstitione dirissima conflictantur, unum tamen summum Deum esse confitentur, penes quem ajunt esse summam rerum omnium, templa profusis sumptibus ædificant, quæ tamen ut alia Indiæ templa, monstrorum atque prodigiorum simulacra contegunt, quibus divinos honores habent. Brachmanæ tam viri quam mulieres sacris præsunt, & in summo apud illos honore sunt. Est aliud genus hominum, quod valde sanctum habetur, hi Baneanes appellantur; lapidem ovi magnitudine pertusum, e cujus foramine tria fila prodeunt e collo appensum gestant: hujus lapidis significatione summum eorum numen contineri prædicant, & ea de causa proximo honore ab omnibus afficiuntur; lapis tanta religione cultus Tambarane nominatur.* Adumbratum est ea re Trinitatis mysterium. *A carnibus & piscibus abstinent: Regis pellices cum illius cadavere vivæ sepeliuntur, reliquæ quæ aliis hominibus nubunt, post virorum mortem vivæ in rogum cum magno suorum comitatu, & multis cantibus atque laudibus inferuntur. Septimo quoque die ferias agitant, hic dies est, qui veneris apud nos appellari solet. Præter hunc diem multos anno vertente dies cantibus, & sacris, & statis cærimoniis insita gentis religione celebrant. Credunt animum immortalem esse, & post hanc vitam præmia bonis, improbis autem supplicia esse judicio divino constituta.* Addit author viguisse apud eos corruptissimum morem ineundæ pro amoribus monomachiæ, constitui a Rege campum, victoremque catenula aurea donari consuevisse: licuisse autem cuilibet ad eam adipiscendam cum eo certare ferro: artifices etiam de artis præstantia digladiari, seque mutuo confodere: funestissimam denique eorum conditionem esse, qui Regi famulantur; una enim cum illius cadavere concremabantur: *Cum*, inquit, *Rex moritur, pyra e lignis odoratissimis incenditur, in quam regium cadaver infertur: ibi concubinæ omnes, & omnes illius familiares, & quicumque illi ministraverant, aut magnum apud illum nomen obtinuerant, in rogum similiter inferuntur; tanto autem studio, ut crementur ad rogum accelerant, ut appareat eos in ea mortis, qua Regem suum prosequuntur societate suum decus arbitrari.* His erroribus involuta erat misera India, cum Lusitani in eas oras appulere, virique evangelici Christianæ pietatis splendorem illi intulerunt.

(*i*) *Barros. Osor. & Maffejus ibid.*

Brachmanæ conditorem orbis fatentur. Sed dæmones in simulacris adorant. Trinitatis imago expressa apud ipsos.

Funesta uxorum desperatio viro extincto. Præmia bonis, improbis supplicia post mortem constituta credunt.

Extincto Rege amici una immortaliter concremari se sinunt.

Illatum miseris Christi evangelium.

Eodem anno Emmanuel Rex ad redigendas in suam potestatem Sofalæ, quam nonnulli vetus Ophir putarunt, aurifodinas LV.

nas

nas apud Afros celebratissimas, Petrum Najam classi præfectum mense majo immisit (*a*); ut arcem in eo portu construeret, omnisque Zanguebaris oræ imperium a Lusitanis teneretur; nec Sofalæ princeps abnuit, ut Lusitanorum armis a Cafrorum vi & immanitate vindicaretur. Describit fuse Joannes Barrosius (*b*) Sofalæ situm, utque in iisdem oris oberrent elephantorum greges, ex quibus quatuor vel quinque millia annis singulis occidantur ad mittendum in Indiam ebur: tum alia divinæ providentiæ munera refert: earum gentium, quæ late patent, Mahumeticaque superstitione infectæ non erant, Imperatorem Benomotapam sive Monomotapam dici ait, moresque non longe a Christianis abhorrere; siquidem unum Deum colunt; magos, quorum ingens vis Africam contaminat, plectunt; in adulteros severe animadvertunt: furtum acerbe vindicant, adeoque ejus criminis labe sunt immunes, ut domus popularium non claudantur, cum non nisi ob latrocinia claudi debeant, exceptis principum ædibus, quæ honoris ergo observantur: virgines nuptui non locant, nisi idoneæ gignendo fuerint: nonnullos dies colendo numini consecratos habent: defunctorum manibus inepte mensam apponunt, precesque fundunt. Ut vero evangelici præcones Christi fidem iis in locis disseminarint, Cafrosque Ecclesiæ adjunxerint, suo loco dicetur.

Sofalæ aurifodinæ occupatæ a Lusitanis

Monopotani a Christianis legibus non alieni.

(*a*) Barros. l. 9. c. 6.

(*d*) Id. l. 10. c. 1.

I. Sedi Apostolicæ a simoniaca fraude vindicandæ data a Julio opera.

ANno excurrentis sæculi sexto indictione nona Julius urbe egressus Perusium Bononiamque depulsis novo crudelique dominatu tyrannis in libertatem vindicatas ecclesiastico imperio restituit : sed antequam hæc aggrederetur studia sua summa animi contentione ad sedem Apostolicam a detestandis ambitiosorum hominum conatibus & corruptelis vindicandam adhibuit ; adepti enim simoniaco crimine ab Alexandro VI. summi pontificatus memor, parum referre ratus est ecclesiasticas urbes liberari, si interim celsissimam religionis Christianæ arcem simoniaci invaderent, & contaminati vitiis homines impiis largitionibus ad sacrosanctum solium irreperent, quod cæteris ecclesiasticis exemplo foret : severo itaque edicto (*a*) simoniacas pontificum electiones convulsit, etiam si apostolico insigni solemni ritu redimiti cultique a populis fuissent; eosdemque ut hæresiarchas defixosque anathematis sententia damnatos haberi, omniumque dignitatum gradu deturbari jussit : tum sceleris conscios sive Cardinales, sive alios gravissimis pœnis affecit. Denique concilium œcumenicum ab aliis, qui flagitio non assensissent celebrari imperavit : cujus sanctionis potiorem partem subiicio.

(*a*) *Ext. in bullar. in Jul. II. const. 3.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*De fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio & unanimi consensu hac nostra perpetuo valitura constitutione apostolica authoritate, & de potestatis nostræ plenitudine statuimus, ordinamus, decernimus, & definimus, quod si [quod Deus pro sua clementia, & ineffabili bonitate avertat] contigerit, postquam nos, vel successores nostros successive ipse Deus ab hujusmodi universalis Ecclesiæ regimine absolverit, humani generis inimico procurante, & ambitione vel cupiditate ad hoc inclinante seu impellente, electionem Romani Pontificis ab eo, quem eligi contigerit, vel ab aliquo, seu aliquibus de cœtu Cardinalium quomodolibet votum dantibus, per simoniacam hæresim in dando, promittendo, vel recipiendo pecunias, bona cujusque generis, castra, officia, vel beneficia, seu promissiones & obligationes, commissam per se, vel alium, seu alios quomodocumque & qualitercumque, etiam in duarum partium, vel omnium Cardinalium unanimi concordia, quomodolibet etiam per viam assumptionis unanimiter nemine discrepante, etiam sine scrutinio factæ, celebrari vel fieri, non solum hujusmodi electio vel assumptio eo ipso nulla existat, & nullam*

Decretum Pontificis electionem simoniacam non valere.

*eidem sic electo vel assumpto administrandi in spiritualibus & temporalibus facultatem tribuat; sed etiam contra dictum sic electum vel assumptum de simoniaca labe a quocumque Cardinali, qui eidem electioni interfuerit, opponi & excipi possit, sicut de vera & indubitata hæresi; ita quod a nullo pro Romano Pontifice habeatur : quinimmo ipse sic electus a priori suo cardinalatus & alio quocumque honore, ecclesiis cathedralibus etiam metropolitanis & patriarchalibus, monasteriis, dignitatibus, & aliis quibuscumque beneficiis & pensionibus, quæ tunc obtinebat in titulum, vel in commendam, aut alias quomodocumque, eo ipso absque alia declaratione privatus existat; & idem electus non apostolicus, sed apostaticus, & tanquam simoniacus & hæresiarcha, & ad prædicta omnia & singula perpetuo inhabilis habeatur, & sit : nec hujusmodi simoniaca electio per subsequentem ipsius inthronizationem, seu temporis cursum, aut etiam omnium Cardinalium adorationem, seu obedientiam ullo unquam tempore convalescat; liceatque omnibus & singulis Cardinalibus, etiam illis, qui huic simoniacæ electioni seu assumptioni consenserint, etiam post inthronizationem & adorationem, seu obedientiam, ac etiam universo clero, populo Romano, nec non subditis, & S. Angeli de urbe & quarumvis aliarum Romanæ ecclesiæ arcium præfectis, castellanis, capitaneis, & aliis officialibus, quocumque homagio, seu juramento, vel cautione præstitis, non obstantibus, a talis electi etiam inthronizati obedientia & devotione impune, & quomodocumque discedere, ipsis fidei Romanæ ecclesiæ & obedientiæ futuri Romani Pontificis canonice intrantis nihilominus astrictis permanentibus, & eum ut magum, ethnicum, publicanum & hæresiarcham evitare.*

Jussi Romani ab illius obsequio discedere.

II. *Ad cujus quoque confusionem possint Cardinales, qui præfatæ electioni se opponere voluerint, si præsumpserit se regimini universalis Ecclesiæ prætextu talis electionis ingerere, auxilium brachii sæcularis contra eum implorare, nec tales ab ejus obedientia discedentes tanquam tunicæ Domini scissores aliquarum proper dictum discessum pœnarum, seu censurarum, ultioni subjaceant: Cardinales vero, qui eum sic simoniace elegerint, a suis ordinibus, & etiam cardinalatus titulis & honore, ac quibuscumque patriarchalibus, archiepiscopalibus, episcopalibus, & aliis prælaturis ac dignitatibus, & beneficiis, quæ in titulum vel commendam tunc obtinebant, vel*

Electores dignitatibus & sacerdotiis mulctati.

in

*in quibus, seu ad quæ jus tunc habebant, absque alia declaratione privati existant, nisi ab illo penitus & cum effectu discesserint, & reliquis Cardinalibus, qui hujusmodi simoniæ non consenserint, infra terminum octo dierum, postquam fuerint ab eis requisiti personaliter, si fieri poterit, alias per edictum publicum se absque fictione vel fraude univerint & conjunxerint; & tunc, si præfatis aliis Cardinalibus se univerint & conjunxerint, in pristinum statum & ad pristinos honores & dignitates etiam cardinalatus ac ecclesias & beneficia, quibus præerant, & quæ obtinebant, reintegrati, rehabilitati, ac restituti & repositi, ab hujusmodi simoniæ labe & censuris & pœnis ecclesiasticis quibuscumque absoluti eo ipso existant.*

III. *In proxenetas & conciliatores fraudis constitutæ pœnæ.*

*Mediatores vero, proxenetæ, trapenitæ tam clerici quam laici quibuscumque dignitatis, qualitatis, & ordinis fuerint, etiam patriarchali, archiepiscopali, sive episcopali, vel alia sæculari, mundana, sive ecclesiastica dignitate præditi, etiam quorumcumque Regum & principum oratores vel nuntii hujus simoniacæ electionis participes sint, omnibus suis ecclesiis, beneficiis, prælaturis & feudis, ac aliis quibuscumque honoribus & bonis eo ipso privati, & ad similia inhabiles, ac etiam active & passive intestabiles, & eorum bona ipso facto ad instar reorum criminum læsæ majestatis fisco Apostolicæ sedis applicentur & devolvantur, si prædicti delinquentes ecclesiastici fuerint, vel alias Romanæ ecclesiæ subditi; bona vero & feuda taliter delinquentium non subditorum sæcularium in partibus existentia, fisco sæcularis principis, in cujus territorio bona sita fuerint, ipso facto similiter applicentur; ita tamen quod si infra tres menses a die, quo notum fuerit illos simoniam commisisse, vel participasse, principes dicta bona fisco suo actualiter non applicaverint, ex tunc illa fisco ecclesiæ Romanæ applicata censeantur, & sint eo ipso absque aliqua similiter declaratione.*

IV. *Sponsiones quæcumque rescissæ.*

*Promissiones quoque & obligationes, sive sponsiones propterea quandocumque, etiam ante tempus dictæ electionis, etiam extra personas Cardinalium, per quoscumque alios quomodocumque factæ cum quavis inexcogitabili solemnitate & forma, etiam juratæ, conditionales sive eventuales, & in forma excommissarum ex quacumque causa, etiam depositi, mutui, cambii, confessionis de receptis, donationis, arrendamenti, vel venditionis, permutationis, vel alterius cujuscumque contractus, etiam in ampliori forma cameræ apostolicæ factæ, sint nullæ & invalidæ, & ad agendum inefficaces, nullusque illarum vigore cogi vel constringi possit in judicio, vel extra; liceatque omnibus ab illis impune absque aliquo metu sive perjurii nota recedere.*

V.

*Et insuper liceat Cardinalibus, qui electioni prædictæ simoniacæ interfuerint, & a præfato sic electo discesserint, adhibitis secum aliis Cardinalibus, qui hujusmodi simoniacæ electioni consenserunt, & postea eisdem Cardinalibus in dicta simonia non complicibus se univerint, si se cum eisdem unire voluerint, alioquin sine eis ad alterius nihilominus Pontificis electionem, non expectata alia sententia declaratoria simoniacæ electionis hujusmodi, eadem tamen præsente nostra constitutione semper in suo robore permanente, libere, alias tamen canonice devenire, & concilium etiam generale indicere & convocare in loco idoneo, prout eis videbitur expedire, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, & præcipue felicis recordationis Alexandri Papæ III. quæ incipit:* Licet de vitanda discordia; *& aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum etiam in conciliis generalibus editis cæterisque contrariis quibuscumque; inhibentes postremo omnibus & singulis S. R. E. Cardinalibus, qui pro tempore erunt, & eorum sacro collegio, ne Apostolica sede vacante prædictis contravenire, vel contra præmissa vel aliquod præmissorum statuere, disponere, & ordinare, vel aliquo modo facere seu attentare præsumant quocumque exquisito colore vel causa sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam ipso facto incurrant & a qua non nisi per Romanum Pontificem canonice electum absolvi possint, nisi in mortis articulo; decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super his vel aliquo præmissorum a quoquam scienter vel ignoranter, etiam per nos, contigerit attentari, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ* MDV. XIX. *kal. februarii pontificatus nostri anno* II. [1].

*Pronuntiatum a non simoniacis creandum Pontificem & concilium indicendum.*

Instauratum est hoc decretum (*a*) a Julio proximis annis in Lateranensi concilio, ut cæteris ecclesiis puritatis exemplo Romana præluceret, dæmonumque sedem Apostolicam evertere meditantium insidiæ dissiparentur.

*(a) Bull. ib. Const. 4.*

Præterea idem Pontifex, ut Turcarum ne- VI.

NOTÆ [1] CUr literas pontificias in simoniacos hic Annalista collocaverit haud satis intelligere me fateor. Datæ enim sunt die XIX. Kal. februarii anni 1505. pontificatus anno II, quæ omnia reipsa cum anno 1505. congruunt. Cur ergo ad annum 1506. promoveantur? MANSI

nefaria conſilia in Chriſtianam rempublicam capta confringeret, de comparata a Bajazethe claſſe factus certior, Rhodios equites edicto publico Rhodum ad eam defendendam convolare juſſit, eorumque principi ſtimulos ad æmulandam Petri Aubuſſonii, qui Mahometis II. impetus fregerat gloriam admovit (a).

Confirmatum in Lateranenſi concilio idem decretum.

(a) *L. 1. brev. pag. 484.*

Inſtructa claſſis a Bajazethe in Chriſtianos.

*Dilecto filio Hemerico de Amboſia magno Rhodi magiſtro.*

*Dilecte fili ſalutem, &c. Binis en literis tuæ devotionis percipimus Bajazetum Turcorum tyrannum Conſtantinopoli & Galliopoli magnam claſſem inſtruere, tibique ab exploratoribus nuntiari, claſſem ipſam obſidendæ inclytæ civitatis Rhodi cauſa parari; quæ res, quamvis aliunde nil tale nuntietur, non levem nobis curam injecit, ſolicitis ſemper de totius reipublicæ Chriſtianæ defenſione, & præcipue de Rhodia civitate iſta præclara, quæ in orientis partibus tanquam frænum quoddam inimicis fidei orthodoxæ oppoſita eos in interiora Chriſtianitatis prorumpere non permittit, ſeu aſſidue reprimit & fatigat. Nihil tamen eſt quod terrearis, dilectiſſime fili; nam vel Deus omnipotens, cujus cauſa agitur, Turcorum vires & conſilia diſſipabit, & a tali cogitatione divertet; aut ſi ad nos venient ingenti cum dedecore & jactura reiiciet: nam nec civitas ipſa nunc minus munita eſt, quam tempore damnatæ memoriæ Mahometis patris hujus Bajazetis fuit, nec tu animi magnitudine aut ulla alia virtute bonæ memoriæ Petro Daubaſſon prædeceſſore tuo inferior es, ſub quo Mahometus ipſe ad eam diem invictus maxima ſuorum clade a mœnibus iſtis repulſus fuit. Nos certe non minori alacritate & charitate vobis opem feremus, quam ſanctæ memoriæ Sixtus IV. prædeceſſor noſter & ſecundum carnem patruus tulit. Fratres & milites ordinis tui graviſſimis edictis monuimus, Rhodum ut veniant, communi theſauro debita jura perſolvant; quos, ut omnis tergiverſationis adimatur occaſio, ad tuum judicium arbitriumque rejecimus etiam in cauſis in auditorio palatii apoſtolici agitari jam cœptis. De fratre etiam Leonardo Januenſi familiæ obſervantiæ verbi Dei prædicatore, cujus ſanis monitis & hortationibus ſocietatem corporis Chriſti, montemque pietatis, & alia quamplura opera ſancta divini cultus augmento Rhodi inſtituta fuiſſe, quem vicarii ciſmontani dictæ familiæ illum in Italiam revocantis mandatis parere volentem ab ipſo itinere retraxiſſe te ſcribis, benigne annuentes, tibi concedimus, ut illum apud te abſque ullo conſcientiæ onere retinere quamdiu tibi placuerit poſſis; quandoquidem talem virum opere & ſermone potentem non minus populo iſti profuturum cauſa obſidionis [ quem tamen Deus avertat ] ſperas, quam illos, qui arma induunt, & telis atque tormentis hoſtem propulſant; multum enim valet deprecatio juſti aſſidua, & bonus concionator alacritatem pugnantium animis addit, reddens eos de ſalute animæ certiores, &c. Dat. Romæ 1. aprilis MDVI. pontificatus noſtri anno III.*

Rhodii ad conſtantiam excitati.

Equites ad tuendum Rhodum concurrere juſſi.

Leonardus Minorita vir celebris.

Permiſſus Rhodi ſubſiſtere.

VII. Ad parandâ vero in Turcas ſubſidia bellica eccleſiaſticis fuerunt decumæ ab eodem Pontifice imperatæ, rogatique principes, ne eas in alios uſus averterent, utque religionis reſtituendo ſplendori operam darent: quo argumento extant literæ ad Joannem Daniæ Regem, Bigslavum ducem Pomeraniæ (b), & alios (c) miſſæ (d).

Decumæ pro ſumptibus belli ſacri indictæ.

(b) *Ib. p. 493.*
(c) *Id. ib.*
(d) *Id. ib.*

Pio etiam circumferendi per Æthiopas occiduos, Indos, orientaliſque Oceani inſulanos evangelii ardore flagrans, cum certior eſſet factus de navato ab Emmanuele Rege Luſitaniæ in tam præclaro opere ſtudio, utque ab eo complures ſacerdotes tum ſæculares, tum religioſorum ordinum alumni ad Chriſtiana pietate erudiendos barbaros annuis claſſibus inſtructis ſubmitterentur, ſacros indulgentiarum theſauros in eos profudit, qui ad Indos ſe conferrent.

Evangelio apud Æthiopas & Indos propagando navata opera.

VIII. Increbreſcebat late in Indiis & Africa Chriſti nomen Luſitanorum opera, atque hoc anno ab aliquot navarchis, qui ex India Oliſſiponem a Franciſco Almeida miſſi erant, inſula olim appellata Madagaſcar, nunc S. Laurentii dicta objacens Ægeſimbæ Africæ kal. februarii hujus anni inventa eſt. In ea vero Æthiopiæ parte, quam Zoſalam nomioant, facta eſt in Chriſtianos conjuratio ſæviſſima authoribus Arabibus: ſed de hoſtibus glorioſiſſima relata victoria fuit, ac barbarorum Rex in ipſa regia cæſus, Acotes Æthiops fœderatus genti cum regia poteſtate præfectus: explotatum etiam finitimum Benomotapæ regnum ampliſſimum; atque ditiſſimum auro; de cujus gentis inſtitutis hæc traduntur ab Oſnrio (e): *Gens ſimulachra minime colit: unum Deum cœli & terræ conditorem confitetur: cultus & veſtitus non eſt cultui quo reliqui Æthiopes utuntur abſimilis: Regem incredibili ſuperſtitione venerantur: Rex duo regiæ majeſtatis inſignia geſtat, unum eſt parvus quidam ligo cum eburneo manubrio, alterum jaculis duobus haud ita magnis continetur: ligone ſubditos ad terræ culturam adhortatur, ne propter ignaviam atque deſidiam terram deſerant, & fame coacti latrocinentur: uno vero ex jaculis ſignificat ſe ſcelerum vindicem futurum, altero vim externam ab hoſtibus, armis,* at-

Inſula Madagaſcar objacens Africæ inventa a Luſitan.

Exploratum Benomotapæ regnum.

(e) *Oſor. l. 4.*

Divinitas culta a Benomotapanis.

Regis inſignia duo.

*atque virtute repressurum*. Ut vero evangelii lux eidem regno illata sit, dicetur inferius: nunc reliquas res Indicas prosequimur.

IX. Hoc anno (*a*) mense martio Emmanuel Olissipone quatuordecim navium classem in Indiam præfecto Tristano Acunio misit, quam pestilentia Lusitania evecta afflixit, donec æquatorem prætervecta est. Cum autem ad flectendum Caput bonæ spei in polum antarcticum cursum intenderet, nonnullas insulas comperit, quibus Tristani Acunii nomen fuit inditum. At Ruizius Pereria in insulam S. Laurentii invectus est: quam cum incolerent Mauri, eos Lusitani bello petiere, ac Regis Melindis fiduciarii rogatu nonnullas Mauricas urbes, nimirum Ojam, Lamum, & Bravam cepere. At eam victoriam fœdarunt immanitate nonnulli obscuri generis Lusitani avaritia ardentes; siquidem Bravæ brachia Mauricarum mulierum amputarunt, quibus argentea monilia detrahere non poterant. Neque efferum facinus impune tulere, quippe qui medio in mari submersi una cum execrabili præda perierunt. Perculsus Bravæ calamitate Lami regulus in Emmanuelis Regis clientelam concessit. Data erant porro ab Emmanuele ipso mandata (*b*) Acunio & Alfonso Albuquerquio, ut insulam Socotoram in faucibus maris Arabici Adeno objacentem cultam a Christianis, Fartacum vero Maurorum, qui in continente dominabantur servitute pressam ex barbaricis manibus vindicarent, ac si Maurorum arcem expugnare non possent, novam in ea construerent communirentque: ut vero summa fide & audacia regia ea mandata confecerint proximo anno dicetur.

(*a*) *Jo. Barros. dec. 2. l. 1. c. 1.*

Insulæ nonnullæ a Lusitanis inventæ.

Captæ de Mauris nonnullæ urbes.

Exercita a milite Lusitano crudelitas.

(*b*) *Sup. c. 1. & 3.*

De Socotora Mauris eripienda actum.

X. Inter hæc misit (*c*) Franciscus Almeida prorex Indiarum filium Laurentium ad explorandas Maldivas insulas: nec non Zeilanum, cum itaque delatus esset in insulam Zeilandam non longe a promontorio Comorino disjunctam, quam multi Taprobanam veterem esse suspicantur, pateique in longitudinem a septentrione in meridiem ducenta circiter & quinquaginta millia passuum: cujus insulæ Rex concitatus terrore Lusitanicorum armorum mox Emmanuelis Regis vectigalem se constituit (*d*), docenta quinquaginta millia pondo cinnamomi tributi nomine annua pollicitus. At Rex Calecutiensis instructa octoginta majoris alvei navium, & centum viginti quatuor paronum classe Lusitanos adortus (*e*) est: cujus impetus a Laurentio Almeidæ filio, qui undecim navibus præerat fracti, decimo octavo martii, ac Virgini victrici ædificandæ ædis ab eo conceptum votum perfectumque est (*f*).

(*c*) *Barros. dec. 1. Asia l. 2.*

Lusitani Zailanum Regem vectigalem constituunt.

(*d*) *Osor. l. 4.*

Illatum a Calecutiensi Lusitanis bellum.

(*e*) *Barros. c. 4. Osor. ubi sup.*

(*f*) *Maff. l. 3.*

XI. Dum hæc in Indiis geruntur, Emmanuel Rex Lusitaniæ delendæ superstitionis Mahometicæ pio incitatus studio, Pontificem, legatis ad eum oratoribus suis, precibus omnibus oravit obtestatusque est, ut Christianos principes ad pacem inter sese sanciendam, ac vertenda adversus Turcas arma inducere totis viribus niteretur: *Hoc eodem tempore*, inquit Osorius (*g*), *suscepit Emmanuel actionem memoria sempiterna dignissimam, quamvis in eo, quod effectum cupiebat, frustra contenderet; videbat enim principes Christianos odiis acerbissimis stimulatos inter se cum magno rerum omnium discrimine decertare, rempublicam Christianam dilacerari, vires frangi, & debilitari, hostium opes interim Christianorum furore & amentia in dies augeri: verebatur autem, ne malum illud serperet, & in Christiani nominis perniciem, si non esset opportuno remedio provisum, erumperet. Cum autem hæc secum agitaret, tum id in primis eum vehementer angebat, quod Christi sepulchrum esset a Saracenis occupatum, & a Christianis principibus turpissime neglectum; omnia vero mala, quæ tunc rebus Christianis accidebant interpretabatur propter hanc negligentiam pietatis incidere, & religionem socordia & desidia violatam arbitrabatur esse magnitudine roboris atque virtutis expiandam. His curis anxius legationem ad Julium Pontificem maximum decrevit: legatus fuit Odoardus Galvanus Regis ipsius consiliarius. Summa legationis hac fuit; principes Christianos inter se de propria dominatione cum periculo universæ Christianæ reipublicæ dimicare: opes interim principis Turcarum & sultani etiam vires vehementer amplificari, & rebus Christianis imminere; neminem vero eorum principum, quorum officium erat hostium impetum a Christianis proposita etiam morte reprimere, tanto periculo commoveri: si gloriæ cupiditas principes ad arma solicitabat, quod decus tantum esse poterat, quod esset cum Christi sepulchro armis vindicato comparandum? si multa possidendi cupiditas stimulos illis adhibebat, cur non animum ad Asiæ & Ægypti regiones optimat maximisque opibus opulentas adjiciebant? Per Christum igitur optimum maximum, ipsum Julium obtestabatur, ut omne studium suum, omnem virtutem & industriam, omnes curas & cogitationes in discordiis tollendis & pace constituenda consumeret, & principes Christianos ad interitum Mahometani nominis exhortaretur, ut ita sempiternam gloriam, qua nullis unquam sæculis esset interitura, compararent:*

Fracti ejus impetus.

(*g*) *Osor. l. 4.*

Lusitanus Rex sollicitat Pontificem de sepulchro dominico recuperando.

Quæ sint pie & sapienter proposita.

Dissidiis se mutuo dilacerant Reges.

*se*

Lusitani eximia sponsio.

*se vero ad eam regni sui opes universas polliceri, libentissimeque per se in tam præclaro certamine quodvis discrimen capitis aditurum.*

XII. Hæc ab Emmanuele sine ullo fructu per literas & oratores acta ob frigida principum aliorum in Christiana pietate amplificanda studia. Cæterum Pontifex perspecta illius in augenda re Christiana sollicitudine atque opera, mystico ipsum munere rosa nimirum aurea quadragesimali tempore consecrata donavit, atque ad Turcarum ac Saracenorum delendum nomen hisce literis est adhortatus. (a)

(a) *L. 6. brev. pag. 249.*

*Charissimo in Christo filio nostro Emmanueli Portugaliæ & Algarbiorum Regi illustri.*

*Charissime in Christo fili noster salutem & Apostolicam benedictionem. Vetus consuetudo mosque sanctissimus est, ut Romanus Pontifex peracta sacrorum celebratione die, qui quartus est dominicus in quadragesima, rosam auream chrismate sancto delibutam, & odorifero musco inspersam cum apostolica benedictione illustri cuipiam principi dono det. Magnum profecto & dignum divina laude mysterium, in quo non muneris æstimanda est quantitas, sed altioris significationis qualitas interpretanda. Nos igitur, qui divina dispositione, meritis licet insufficientibus, pastorale culmen S. R. E. obtinemus, cum vellemus præclarum hoc munus quadragesima proxime præterita adimplere, mentem ad tuam potissimum serenitatem convertimus; quam hoc dono dignissimam judicamus. Ad generis splendorem progenitorumque tuorum gloriam & decorem, multas proprias ac maximas adiecisti virtutes, & ad reipublicæ Christianæ defensionem ac propagationem egregium animum geris, sanctamque hanc Apostolicam sedem singulari hac devotione reverentiaque prosequeris. Suscipe ego rosam hanc lætissimo corde monumentum & pignus nostræ in tuam serenitatem peculiaris benevolentiæ; quam ei per dilectum filium Alvarum de Costa camerarium tuum mittimus. Non te auri fulgor, sed contemplatio divinæ significationis teneat; sancta enim Ecclesia hoc donum per manus Pontificis ordinavit ad declarandam lætitiam & gaudium ex humani generis liberatione susceptum; quod omnipotens Deus miseratus illius servitutem pretiosissimo suo sanguine redemit, sicut etiam in veteri testamento pro liberatione Israelitici populi antea erat figuratum: recreat enim nos pretiosissimum corpus Jesu Christi, fovet, sublevat & in mediis laboribus consolatur, cui non injuria rosa ipsa comparata est; nullus quippe flos omnium, quos alma mater terra protulit, aut aspectu jucundior, aut odoris suavitate fragrantior est. Penetret igitur in tuos sensus, fili charissime, divinus odor, ut eo repletus generositatem & magnanimitatem tuam magis in dies explices, atque hoc divinum opus orthodoxæ fidei defendendæ & propagandæ, sicuti facis totis viribus complectare, & exterminato genere Turcorum & Saracenorum, domino Deo nostro auxiliante, in cujus manu potestas & omne imperium est, jucundissima & optatissima securitas reipublicæ Christianæ cum tua summa gloria reddatur; sicut speramus nunc etiam his temporum difficultatibus ex liberatione fidelis populi gaudium magnum. Dat. Romæ XVIII. junii MDVI. pontificatus nostri anno III.*

Rosa aurea donatus a Julio Lusitanus.

Mystica muneris significatio.

Præterea ejusdem Regis precibus permotus Pontifex confirmavit (b) propositas ab Innocentio VIII. indulgentias iis, qui ad urgendum in Africa adversus Saracenos sacrum bellum stipem conferrent. Erexisse autem Emmanuelem in Mauritania extra fretum Gaditanum in ea ora, quæ ad Austrum pertinet, arcem munitissimam hoc anno, ut ex ea ad edomandos barbaros excursiones fierent, narrat Osorius (c) frementibus iisdem barbaris, quorum vis armis ac virtute nostrorum fracta fuit.

(b) *Lib. brev. per Sigism. secret.*

Structa arx extra Gades in Africa a Lusitano.

(c) *Osor. l. 4.*

XIII. Agitasse etiam Emmanuelem una cum Ferdinando Aragonum ac utriusque Siciliæ, & Henrico Angliæ Regibus consilia authore Francisco Ximenio Toletano archiepiscopo de expeditione sacra ad restituendum Jerosolymis Christi cultum, sanctissimumque ejus sepulchrum e Saracenorum tyrannide liberandum, refert Gomesius (d) his verbis, quæ ad majorem historiæ fidem conciliandam repetenda visa sunt: *Commodum videtur de Jerosolymitana expeditione, ad quam sub hoc tempus Ximenius Ferdinandum & Emmanuelem Lusitaniæ Regem assiduis sermonibus non cessabat adhortari, nonnihil posteritati tradere: nam ut ex literis Emmanuelis, quæ in academiæ Complutensis scriniis regio signo ceraque propendenti Lusitano sermone scriptæ servantur, intelligere licet; anno sexto, qui hunc antecessit,* nimirum MDVI. *paulo antequam Hispaniam Philippus e Belgis appelleret, suadente & curante Ximenio de fœdere inter Ferdinandum Hispanum, & Emmanuelem Lusitanum, & Henricum Britannum feriendo agebatur; ut mutuis animis & exercitibus adversus Saracenos proficiscerentur dominicum sepulchrum recuperaturi.*

(d) *Gom. l. 3. de reb. gest. Ximenii Card.*

De sacra in Syriam expeditione agitata consilia.

Card. Ximenius eorum promotor.

XIV. *Quanta in eam rem animi consentione Ximenius intenderet abunde Emmanuelis verba declarant, quæ suis ferme verbis, quantum potui, fideliter & circumscripte*

appo-

apponam ; quoniam nihil potuit honorificentius aut præstantius in alicujus commendationem scribi a Rege rerum gestarum gloria inclyto. Ferdinandi, inquit, soceri prudentia cum excellenti animi magnitudine conjuncta, nosterque item & Henrici levìri ad hanc rem ardor & propensio concorsque animorum affectus divino in primis favore adjuvante, sine quo nunquam aliquid in terris præclare geritur, facile me in spem ingentem erigunt, vota tua suum finem habitura, quæ quantum ex literis tuis intelleximus semper eo tendunt, ut Mahometana secta deleatur, & omnes, qui extra cœtum Christianorum sunt, dominico gregi tandem conjungantur, fiatque unum ovile & unus pastor : id autem fausta hac & felici expeditione ita cumulate eventurum speramus, ut propediem victoriis exultantes sanctissimum Christi corpus, te ad sepulchrum dominicum sacra faciente, tuis manibus socer & duo generi magna lætitia & voluptate perfusi genibus flexis sumpturi simus. Crede enim mihi, quod post Ferdinandi Regis ad hanc rem paratam voluntatem, cujus auspiciis mirifice confidimus, nihil meum animum magis confirmavit, nec confirmavit modo, sed altero tanto etiam adauxit, quam tuum ad hanc rem fervorem, diligentiam, curamque intueri, sine quibus nihil eorum, quæ a te prudenter singulis in rebus animadvertuntur, potuissent ad me perscribi ; quæ mihi maximo argumento sunt, Deo annuente, provinciam hanc assumi. Quare id tibi unum persuadeas velim, multo magis mihi pretiosum & charum esse te nobiscum hujus expeditionis participem venire, quam si Rex quispiam potentissimus sese nobis socium adjungeret ; neque enim solum opibus tuis, & authoritate, quæ neutiquam contemnenda sunt, præsidio nobis & usui eris, sed augurii fortunatissimi spem præsentia tua semper suggeret, nam id ex tua pietate, & quam perpetuo colis morum sanctimonia pro certo habemus, nihil unquam adversum aut triste eis quibuscum verseris accidere posse, siquidem a viris sapientissimis accepimus, idque oraculis nostris testatum retinemus, Deum immortalem benevolentiorem in eos esse, a quibus pure & religiose, quemadmodum tu facis, colitur. Sæpe etiam ob unius viri dignitatem & merita universorum noxas condonari ; quemadmodum e diverso ob unius flagitium & scelus totam aliquando rempublicam everti. In iis vero, quæ ex longa consideratione, quam in legendis historiis adhibuisti, ubi de simili expeditione agitur, prudentissime differis, permulta sane exempla recensentur, quæ parum alioqui animatos deterrerent, & promptos & paratos commonefaciunt, & cautiores reddunt. Ea etsi nos quoque jam prospexeramus, abs te tamen admoneri grato & lubenti animo suscepimus ; nam & sententia nostra tuo calculo confirmata fuit, & ampliorem de ea re cogitandi materiam nobis obtulisti ; ut quando coram de eis agendum sit, ea, quæ nobis usui sunt futura accurate expendere valeamus : esset enim omni culpa dignus, qui ex aliorum periculis non saperes.

Qui principes de mutuo fœdere sacro pepigerint.

De Ximenio conceptæ ingentes spes.

Editi ab eo commentarii de Mahometanis excindendis.

XV. At tu, antistes optime, plano curam non vulgarem præfers, ingentisque tuæ solicitudinis non mediocre mihi testimonium præstas, cum eorum omnium, quæ ad hanc rem efficiendam conducunt, tanta sis cognitione instructus : nec enim oræ maritimæ sinus, navium stationes, & abditos in ipso pelago scopulos, quisquam est in oriente nauclerus, qui distinctius posset explicare : jam quæ de belli gerendi forma a te dicuntur, ita apte & convenienter, ita fortiter & robuste disponuntur, ut nihil aliud tractasse videaris : idcirco quamvis hoc ultimum esse videamus, neque de eo prius disputandum, quam cæteris omnibus, ut oportet, compositis, quid nos quoque de eo sentiamus a te tam luculenter provocati brevi sermone aperuimus. Hæc ex Emmanuelis literis decerpta satis demonstrant, solicitum in primis Ximenii animum de Mahumetana gente extirpanda ; qui tanta diligentia & sedulitate trium potentissimorum Regum concordiam ad eam rem perficiendam curaret. In hoc quidem negotio Emmanuelis pietas mirifice enituit, magnam voluntatem, insignem fortitudinem, ingentem in Christo fiduciam præseferentis. Meminit de iisdem Emmanuelis Lusitani Regis literis ad Franciscum Ximenium datis Wadingus, quas in scrinio Complutensi servari ait, atque e Lusitano sermone in latinum versas publici juris fecit (a).

(a) Ext. apud Vuad. to. 8. Ann. 1506. n. 73. ex scrutinio Compluten. Lusitano sermone transumpta.

XVI. At præclara ea consilia ob bellum a Pontifice ac Regibus in Venetos susceptum, tum ejusdem Pontificis cum Gallo dissidia consenuere. Inter quæ cum Philippus Austriacus Castellæ, Legionis, & Granatæ regnorum possessionem initurus Belgico portu solvens, jactatusque tempestate ad Angliæ portum applicuit : exceptusque honorificentissime, de Margareta sorore Philiberti ducis Sabaudiæ vidua Anglo Regi connubio jungenda pactus est ; cujus pactiones ac fœderis initi cum Anglo capita Pontifex authoritate apostolica confirmavit (b) pontificio diplomate ita consignato : Dat. Rom. apud S. Petrum anno MDVI. XVIII. kal. julii pontificatus nostri anno III.

(b) Lib. bull. secr. 99 pag. 242.

XVII. Obstrinxerat fidem etiam ex ejus fœ-

deris legibus Philippus Rex Henrico Angliæ Regi ad certam auri vim pendendam, ac ni promissa faceret, censuræ apostolicæ se subjecerat: ut itaque fidem ab eo liberandam curaret Julius Legionensi & Salmanticensi episcopis, tum præposito Trajectensis ecclesiæ, qui postea in pontificatu Adriani VI. nomen sumpsit, munus demandavit, ut Philippum ad præstandam fidem adigerent: *Ad solvendum*, inquit, *Henrico Regi Angliæ aut ejus executoribus, aut deputato vel deputatis tam trecenta millia, quam triginta millia ac octingentas, & quinquaginta coronas Franciæ boni, auri & justi, ac legalis ponderis in locis & terminis ac modo & forma in tractatu prædicto matrimoniali expressis. Dat. ut supra.*

Quæ vis auri Anglo promissa.

XVIII. Judæorum Neophytorum editæ strages.

Olissipone hoc anno repentina magnaque neophytorum Judæorum strages fuit edita hortatoribus nonnullis ex iis, qui Deo sese religiosam in servitutem dicarant; quos temeraria pietatis species ad fundendum sine judiciorum ordine cruorem efferarat. Rem hoc modo gestam tradit Osorius (*a*). In æde S. Dominici sacellum erat mira religione celebratum, in quo Christi e cruce pendentis effigies erat, cujus latus operculum christallinum tegebat: visus est ex eo a multis in vulnere illo mentem oculosque defigentibus emicare splendor, conclamatumque ab iis, ingens patratum miraculum. Neophytus Judaicæ stirpis negavit temere miraculum esse, & a ligno arido splendorem edi posse. Re non excussa an divinitus, an ex reflexa luce is fulgor fieret, oppressus miser ille a plebe, ac laniatus, rogoque impositus est: in quo tumultu monachus inconsulte furentem multitudinem magis concitavit, neophytosque in odium admissorum plurium in Christum facinorum adduxit: moxque aucto furore plures crudeliter trucidati, passimque accensi ignes, in quos semivivi conjecti ex Hebræorum genere ad quingentos sine ullo discrimine jurisve ordine, virgines etiam aliæque mulieres jugulatæ, pueri allisi ad parietes vulneribus concisi, vivi tamen adhuc ad pyram pedibus raptati; nec perfractæ tantum domus, sed etiam qui ad sacras ædes confugerant, ex altaribus, imaginumque sacrarum complexu avulsi. Tribus diebus eo furore sævitum, ac duo millia circiter ex Hebræa gente occisa: cum demum regii duces copiis succincti fœdatam cruore urbem ingressi, Emmanuelis jussu seditionis authores suppliciis affecerunt, ac monachos, qui elata cruce cædis hortatores extiterant, sacerdotali dignitate rite exutos præfocatosque laqueo exussere. Meminit de his Baselius (*b*), ac narrat Judæos obtruncatos, quod sacra Christiana profanassent, susceptoque baptismo veteris superstitionis ritibus se contaminarent; quod flagitium si admissum ab iis erat non per seditionem, sed judiciario ordine, ut factum antea in Castella vidimus, sumi pœna debuisset, cum plures insontes ea calamitate involuti fuerint, nonnullique etiam non neophyti calumniis circumventi oppressique.

(*a*) *Osor. l.4. & Marian. l.28. c.17.*

Ex qua causa exortus tumultus.

Plura immanissime patrata.

In seditionis authores sævitum a Rege.

(*b*) *Basel. in append. ad Naucl.*

XIX. Expeditio Julii contra Bentivolos & Balionos.

Hoc anno Julius redintegrandi ecclesiastici imperii, quod Balionii & Bentivoli oppressis Perusio ac Bononia laniarant, cupidus, decretam in eos in sacro purpuratorum senatu profectionem instituit, ut præsentia sua magis quam vi eam expeditionem conficeret, nec victoriam cruore pollueret. Ut vero urbanis rebus consuleret; præfecit iis Antonium episcopum Tusculanum amplissima legati apostolici authoritate fultum, de quo hæc Paris de Grassis (*c*) cæremoniarum magister: *Die veneris*, XXI. *augusti fuit secretum consistorium, in quo*, & infra, *creavit legatum urbis reverendissimum dominum Joannem Antonium episcopum Tusculanum Cardinalem Alexandrinum; qui finito consistorio non fuit a Cardinalium collegio associatus ad ejus domum, nec ad cameram quam in palatio habitabat, ut alii legati de latere associari solent: quod fuit bene factum, quoniam Cardinales legati remansuri in loco ubi creantur non associantur a collegio. Item quæsitum fuit an ipse legatus in urbe Roma existens possit crucem ante se deferri facere; & conclusum fuit, quod nequaquam ob reverentiam sedis Apostolicæ, & etiam quia crux non esset ex urbe translata ad alium locum, sed bene posset cum manu benedicere populo.* Addit (*d*) author, Julium quinto post die præeunte sanctissima Eucharistia urbe egressum Cardinalium comitatu cinctum: *Die mercurii* XXVI. *augusti anno MDVI. sanctissimus dominus noster Julius Papa II. ex urbe recessit versus Bononiam ante ortum solis circa undecimam horam, & prius audita parva missa camerali solo rochetto cum capucino quotidiano indutus descendit ad parvam capellam S. Nicolai, ubi erat corpus Christi super altari in capsa more solito compositum & paratum; & ibi facta oratione super faldistorio retrocessit ad partem evangelii, ubi locus paratus erat cum pannis & sede camerali: assumptaque stola sine alba legit sine cantu, voce tamen intelligibili antiphonam, videlicet. In viam pacis, &c. cum omnibus versibus, & orationibus, prout in libro: quo facto clerici capellæ superpelliciis indui, acceptam capsam cum sanctissimo Sacramento præceden-*

(*c*) *Paris. in itiner. Jul. II. ms. arch. Vat. p.18.*

(*d*) *Id. ib. p.19.*

Ex urbe profectio.

*dentibus seu intortitiis accensis portaverunt ad equum in plano scalarum subsequente Papa cum Cardinalibus.*

XX. Pergit author itinera Julii describere; tum singula, quæ in iis occurrere, vel gesta sunt fusa oratione prosequitur, necnon rituum formulas, qui servari consuevere dum Pontifices excipi in urbibus solent, hisce verbis concepit (a): *Ut omnibus de clero cujuscumque ordinis & religionis, exceptis monialibus, convocatis, & singulis sub excommunicationis & pecuniaria pœna mandet; quod in die ingressus Papæ sonent campanas ecclesiarum suarum, quantum festiviter possint, indesinenter & incessanter usque ad noctem. Item quod ipsi omnes eadem die induti quantum honestius possint, cum superpelliciis & pluvialibus, & crucibus, & reliquiis sanctis in manibus conveniant ad sonum campanæ ecclesiæ cathedralis in ipsa ecclesia cathedrali, & inde simul omnes procedant hora designata usque ad portam civitatis, per quam debet Papa ingredi: & si qua esset inter religiosos contentio, ut esse solet plerumque super superioritate & antecedentia, fiat tunc eo casu inter discordantes compositio, ut pro ea die sine præjudicio alterius, qui per sortem tunc pro eo casu & die habendam, præcedat ad honorandum Papam. Item quod ecclesiæ collegiatæ, sive parochiales ante vel apud quas Papa equitavit ingrediens faciant suum altare in via cum ornatu convenienti, &c. Item ordinetur, quod episcopus loci sit cum pluviali & mithra in porta civitatis ad dextram Papæ ingredientis, & habeat crucem aliquam in manu longitudinis duorum vel trium palmorum sine manubrio ligneo sed cum velo pulchro alligato, cum quo prius quam crucem Papa osculandam offerat, tangat, & ipsum velum osculetur ipse episcopus prius quam Papa crucem osculetur; in quo actu omnes de clero, qui ibi præsentes erunt, & proximi genuflexi erunt, excepto episcopo seu eo, qui præsentabit crucem, qui se humiliabit ad terram veniente Papa, ibidem ipse episcopus accipit crucem in manu, & non facta reverentia Papæ, sed tantum reverentia cum velo osculato, porriget crucem osculandam Papæ, qui detecto capite eam osculabitur, nisi haberet mithram: quoniam eo casu, cum non possit commode mithram deponere, eam tenet, & cum ea crucem osculatur: qua osculata episcopus eam reddit ministro, & tum ipse episcopus genuflexus cantat alte antiphonam. Ecce sacerdos; & sic omnes tunc surgunt respondentes & prosequentes antiphonam: & si episcopus loci non esset præsens, tunc ejus vicarius, vel alius primam dignitatem habens in ecclesia principali civitatis vel oppidi, in quo Papa solemniter ingredi volet, ut etiam si episcopus loci Cardinalis præsentialiter illud faciat, non tamen pluviali sed cappa rubea indutus, & osculata per Papam crucem illico ille sive episcopus sit, sive Cardinalis si volet intonabit deposita prius cruce in manibus alterius, & genuflexus ipse versa facie ad Papam antiphonam. Ecce sacerdos magnus; vel aliquam aliam antiphonam, aut hymnum convenientem; & tum omnes procedent.* Et infra (b).

(a) Id. ib. p. 9.

Lis de gradu honoris sorte dirimenda.

XXI. Quo ritu excipiendos Pont. ab episcopo loci.

*Item quod eo casu canonici simul cum episcopo suo procederent ad portam ecclesiæ, ubi parati sint intra ecclesiam ad dexteram Papæ intrantis, videlicet duo in dignitate constituti, aut seniores & digniores canonici induti pluvialibus, unus aspersorium habens cum aqua benedicta, non quidem aliquos aspergens, sed expectans, ut solus Papa se cum propriis manibus, & alios astantes aspergat; & similiter alius cum thuribulo & carbonibus accensis & navicula cum incenso & cochleari, neminem similiter incensans, sed expectans, ut vel episcopus loci, si sit Cardinalis & non aliter, vel diaconus a dextris Papæ incenset, & eo qualitercumque incensato illico vel episcopus vel alius in dignitate constitutus intonet alta voce videlicet.* Te Deum laudamus; *quod cantores ordinati vel ipsi canonici & omnes de clero prosequantur.* Et infra: *Interim (c) autem episcopus loci cum pluviali paratus, ut fuit in porta civitatis, vel si Cardinalis est cum sua rubea cappa cardinalari, aptet se ad cantandum versus & orationem convenienter in cornu epistolæ altaris, id est extra ipsum cornu semiversa facie ad Papam, & tenens librum non nimis ante suos oculos elevatum, ut & ipse Papam, & Papa ipsum videre commode possit. Item ipsi canonici ecclesiæ cathedralis, ad quam Papa est iturus, ipsam ecclesiam, quantum possint ornent cum omnibus ornamentis possibilibus tam in porta ecclesiæ cum aliquo tapete prostrato, super quo Papa possit ex mula descendere, quam apud altare cum faldistorio & duobus pulvinis amovibilibus, & ipsum altare festivissime adornent. Item quod apud altare majus sit aliud altare pro repositione sanctissimi Sacramenti papalis versus latus dextrum altaris, id est in parte evangelii, si fieri potest; sin autem, ut licet pro commoditate loci ita ut Papa genuflexus in suo faldistorio commode possit primo sanctissimum Sacramentum adorare, demum recta facie ante altare facere orationem.* Et infra: *Item (d) episcopus loci vicarius habeat præparatos tot presbyteros cum superpelliciis, sive etiam pluvialibus indutos,* qui

(b) Ib. p. 11.

(c) Pag. 12.

(d) Pag. 13.

*qui portent baldachinum supra sanctissimum Sacramentum, quot sunt perticæ baldachini; nam ad presbyteros non canonicos, sed beneficiatos vel mansionarios, vel capellanos id onus sive iste honor pertinet; & casu quo communitas non præpararit luminaria deferenda ante sanctissimum Sacramentum, episcopus debet supplere in parte vel in toto pro honore sanctissimi Sacramenti. Item* (a) *sciatur quod ex antiqua consuetudine & jure cærimoniarum communitas & populus debet præparare baldachina duo, videlicet, unum pro sanctissimo Sacramento & unum pro Papa: si tamen omnino communitas repugnaret, tunc clerus debet supplere, &c.*

(a) *Pag.* 14.

XXII. Quid præstandum a civibus.

Præscripsit idem author quid ab oppidanis civibusque agendum foret, ut itinera æquarentur, ut pueri candido cultu induti palmas vel oleæ ramos præferentes oppidum, vicumve subituro Pontifici occurrant, ejusque nomen festis vocibus ingeminent: urbem vero ingressuro juvenes centum decoris vestibus induti obviam se effunderent: ut umbracula duo elegantissima sanctissimæ Eucharistiæ & Pontifici prætendantur: ut servilium operum justitium indicatur: ut æra campana vi summa pulsentur imminente pontificio adventu. Tum addit: *Item priores* (b) *omnes vestibus hilaribus & non mœstis aut nigris Papæ obvient usque ad extra portam associati a primoribus civitatis eorum, & ipsi antequam Papa ingrediatur in bacili argenteo claves simul in una nova serica chordula ligatas offerant Papæ, id est prior ancianorum, qui sit civis, non potestas vel gubernator, aut officialis Papæ, sed civis: & iste civis prior antianorum vel priorum primus genuflexus cum aliis genuflexis ad dextram manum Papæ offerat claves Papæ dictis aliquibus paucissimis verbis prius, & tunc exosculata chordula pro credentia offerat eas; quibus per Papam tactis, & ipsis prioribus benedictis, ipsi priores omnes simul clament nomen Papæ & Ecclesiæ: & sic restituto bacili cum clavibus uni ex servitoribus eorum ipsi omnes pedites detecto capite incedant ante Papam, sive ipse in mula vehatur, vel in gestatorio portetur. Item ut fiant arcus per trivia, & cooperiant vias cum pannis & sclopettos sive bombos bombardarum resonent, & omne genus festi agant per totam diem ingressus Papalis & sequenti si Papæ placet. Et si aliquis dominus, ut dux Ferrariæ, præfectus vel alius princeps erit in civitate vel loco, in quem Papa ingredietur, tunc valvæ portarum de cardinibus extrahentur, & ad terram demittentur, & nunc nullæ claves per ipsum ducem offerentur, & ipse pedester ibit ante mulam vel sedem Papæ usque ad hospitium, & si Papæ placebit subibit sellam sive sedem gestatoriam.*

(b) *Pag.* 16.

Cultum hac honoris pompa Pontificem in urbibus, per quas perrexit, fuse memorat author; enumeransque ejus itinera, Roma digressum ait Formelum, deinde Nepe, postea Civitatem castellanam properasse, in eaque arce Florentinorum auxilia ad Bononiam recuperandam promittentium nuntio recreatum, erectumque Regis Gallorum pollicitationibus: tum oratorem Joannis Bentivoli audivisse, concordiæque leges, quibus Bentivolo vitæ rerumque incolumitas spondebatur, respuentem altiori hac voce increpuisse (c): *Ergo in primo statu sumus? ergo ipse non vult leges a nobis acceptare, sed imponere, & nobis mandare?* Pervenit postea Viterbium, cujus magistratus obviam progressi, cum ex equis desiliissent, equitantis Pontificis pedem deosculati sunt ingentique celebritate in urbem induxere; Montemflasconem inde petiit (d), arcemque semirutam instaurari jussit: excepit illum septima septembris die Urbs vetus, cujus author anno MCCCCXCIV. præfecturam se gessisse addit; in qua urbe Pontifici redditæ fuere literæ marchionis Mantuani, quibus significabat (e) bellicos se in Joannem Bentivolum labores subiturum ac Perusii XII. ejus mensis die affuturum. Presserat diu Perusinos tyrannide Paulus Balionus, qui Pontificis adventu adeo fuit perterritus, ut duce Urbini interprete concordiæ in Pontificis fidem, restituto illi Perusio, reversus (f) sit.

XXIII. Joannis Bentivoli ad Julium legatio.

(c) *Pag.* 25.

(d) *Ib. p.* 29.

(e) *Pag.* 33.

Restitutum Julio Perusium.

(f) *Bonacurs. in diariis.*

XXIV.

Ingressus est eam urbem Julius XII. septembris solemni pompa, quam ita describit breviter Paris de Grassis (g): *Priores octo vestiti noviter de rosato obviarunt cum clavibus Papæ usque portam, quæ est apud & ultra ecclesiam S. Petri, eos associarunt LXX. vel circa camerarii, sic appellati, omnes etiam vestiti de rosato: item multi alii doctores cum bavaris pelliceis circa collum, cui omnes pedites associarunt abinde Papam usque ad ecclesiam cathedralem in ecclesia S. Petri. Papa accepit paramenta, id est pluviale rubrum & mithram papalem, & ibi vestitus in sede sua sedit usque ad episcopatum ad latus per paraphrenarios suos; licet dicti priores & nobiles per vices adhærerent sedi, quasi portantes.* Et infra: *Ipse legatus*, is erat Cardinalis S. Vitalis, *ut episcopus Perusinus in porta, id est inter duas portas, sic enim ille locus appellatur, obtulit pedester crucem Papæ osculandam cum cappa sua, & Papa non deposuit mithram.* Tum narrat Paris nonnulla, quo in-

(g) *Paris. p.* 36.

instructo ordine pontificius exercitus ingressus sit. Præerat illi cum imperio Urbinas, qui auxiliares copias adduxerat; de quibus Hadrianus Cardinalis S. Crysogoni cecinit (a) in Julii itinerario.

(a) Adrianus Card. in Itiner. Jul. II.

*His circumsepti legionibus ordine longo*
*Ingredimur Perusinam urbem civilibus actam,*
*Eversamque odiis. Hanc tu, pater optime Juli,*
*In placida tandem composita pace relinquis.*

Dum in hac urbe agebat (b) Julius, XIV. septembris Insubriæ proregem literis sollicitavit, ut Gallorum copias ex Insubria in Bononiensem agrum educeret, fecitque certiorem Cæsarem hoc anno Italiæ signa non illaturum. Seruerant autem antea falso rumusculos adversarii (c), Cæsarem jam in Venetos fines penetrasse, ut Gallos in Insubria eo terrore distraherent, Pontificemque a conficienda expeditione revocarent. Decima septima ejusdem mensis die marchio Mantuanus (d) castrenses labores in Bononiensi bello subiturus Pontificem Perusii convenit; de quo hæc hæc addit idem Paris (e): *In conspectu Papæ marchio ter genuflexit, & Cardinales non prius de sedibus suis surrexerunt, quam marchio Papam in pede, manu & ore fuerit osculatus.* Die vigesima Julius in æde S. Francisci rem divinam solemni ritu peragi jussit ad solvendas numini grates quod ex humili statu, in quo versatus in ea urbe literis operam dederat, ipsum ad augustissimum rerum humanatum verticem extulisset.

(b) L. 6. brev. pag. 441.
(c) Paris. p. 25.
(d) Ib. p. 40.
(e) Id. ib.

XXV. Insequenti die acceptis adversæ utriusque factionis obsidibus Eugubium profectus, inde pervenit Urbinum (f) vigesima quinta, in cujus ingressu portæ urbis honoris ergo dimotæ sunt cardinibus suis, ut testatur author his verbis: *In porta civitatis præfectus claves Papæ obtulit & dux Urbini valvas portarum prosterni ad terram jussit, quas ego Papæ manu & verbo indicavi. Dux ipse*, nempe Urbini, *ob podagram equo non descendit*, inquit Parisius: Et infra: *Præfectus autem clavibus præsentatis non equum ascendit, ut credidit, sed me sic ordinante pedester ante equum Papæ cum omnibus aliis baronibus usque ad palatium pervenit; inter quos erant, qui noviter ibi supervenerant dominus Joannes Sfortia, dominus Pisauri, & filius domini de Camerino admodum adolescentulus. Cardinalis Urbinas in rubea cappa vestitus crucem in porta obtulit Papæ, ascensoque equo in ordine suo equitavit usque ad ecclesiam, ubi etiam aspersorium & incensum obtulit, ac orationem in eodem habitu dixit more solito, & Papa benedixit: Cardinalis autem de Columna indulgentiam publicavit annorum decem.* Paucorum dierum flexu Pontifex, cum Gallorum copias, quæ ad decem millia peditum & mille equitum hastatorum ascendere dicebantur, Bononiam versus signa attollere accepisset (g), cubicularium suum dimisit, qui septingentos tantum hastatos & peditum quinque millia auxiliaria admitteret: vigesima octava die Maceratam, indeque Pennas S. Marini trigesima ejusdem mensis adiit; (h) in quo loco ex literis Gallorum Regis cognovit (i) se ab eo Bononiæ proxima quadragesima, si in ea urbe hæreret, conventum iri; cui rescripsit Julius, ipsum se Bononiæ præstolaturum. Cæsenam die secunda octobris attigit (k) ubi Philippi Castellæ, Legionis, & Granatæ Regis obitus ipsi nuntiatus est (l) ab Antonio de Cugna oratore; octava Forumpompilium lustravit: nona Forumlivium ingressus substitit (m), ac minax severumque edictum die decima in Bononienses promulgari jussit, quo post enumerata Joannis Bentivoli scelera fortunarum omnium eversionem necemque, tum censurarum ecclesiasticarum acerbitatem iis intentavit (n), nisi novem dierum spatio ejecto eodem Joanne, vel oppresso in Apostolicæ sedis potestatem redirent: idque diplomate apostolico promulgatum est (o).

(f) Id. ib. p. 62.
Urbinum ingressuro Pontifici portæ urbis prostratæ.
Missæ a Gallis auxiliares copiæ.
(g) Ib. p. 48.
(h) Ib. p. 48.
(i) Pag. 49.
(k) Pag. 50.
(l) Pag. 52.
(m) Pag. 53.
Decretum in Bentivolos editum.
(n) Ib. p. 55.
(o) Lib. bull. 48. p. 6.

*Ad futuram rei memoriam.*

*Cum Bononia civitas ampla, & doctorum virorum alumna, non solum pastoralis curæ, verum etiam pleno jure temporalis dominii ad ecclesiam Romanam spectet, nostræ diligentiæ incumbit de illius salute tam in spiritualibus, quam in temporalibus, utpote de peculio beati Petri & nostro solertem curam & specialem habere. Quantis calamitatibus retroactis temporibus dicta civitas tum propter seditiones & simultates in ea exortas, tum propter aliquorum principum violentiam, tum propter nonnullorum civium tyrannidem afflicta fuerit, nemo est, qui nesciat, & illius non misereatur: verum cum jam ad summæ Apostolicæ sedis per felicis recordationis Nicolaum Papam V. prædecessorem nostrum recepta esset, videreturque in pace illam debere quiescere, potentia optimatum de Bentivolis, qui favoribus Romanorum Pontificum creverunt, & amplificati sunt, facies tranquillitatis in illa immutata est, omniaque bona spei fundamenta eversa sunt, Bentivolis per tyrannidem faventibus sibi nonnullis Italiæ principibus, administrationem in ea civitate*

Bononia juris pontificii est.
Occupata a Bentivolis.

*tate in hanc usque diem occupantibus, & cuncta pro arbitrio disponentibus. In tantam sane Bentivoli se erexere tyrannidem, ut contra Romanam ecclesiam aliorumque principum confœderationes sequentes bella gesserunt; nobilissimas illius civitatis familias per cædes, proscriptiones, & persecutiones extinxerunt, liberi animi cives oppresserunt; doctos & nobiles, ac claros viros non solum sæculares, sed etiam ecclesiasticos trucidaverunt, & in dies trucidant: honestas civium congregationes tamquam sibi suspectas exterminaverunt: matrimonia & commercia libera esse ibidem non permiserunt: exploratores & scutarios apud se nutriverunt, ac facinorosos homines plusquam bonos cives dilexerunt, & honoribus ac stipendiis super alios elevaverunt: publicos redditus civitatis occupaverunt, & in proprios usus converterunt: novas gabellas imposuerunt: armatis equitum & peditum copiis impensa publica civitatis conductis ac etiam externis ad terrorem civium eandem repletam tenuerunt, dilectusque filius Joannes Bentivolus pridem primatum per omne nefas jam diu ibidem usurpans legati apostolici & nostri, aliorumque officialium Romanæ ecclesiæ authoritatem & potestatem, nec non ad se imperii summam traxit adeo, ut solum dominii nomen nobis & Apostolicæ sedi relictum fuerit, & Bentivolorum nomen, quod coram cognovimus, est in ore illius populi magis, quam nostrum & Romanæ ecclesiæ, personet, venerabiliusque habeatur. Denique ad regium fastigium aspirans sub quæsito colore imperialis licentiæ, monetam nomine suo cudi fecit, Joannem secundum morem legitimorum principum in monetis se inscribendo. Et demum [quod non minus abominabile est] ipsius Joannis & filiorum ac satellitum suorum petulantia effectum est, ut mores illius optimæ civitatis mirum in modum corrupti sint, non tuta muliebris pudicitia: non tuta mercatura: non firma fides: nulla censurarum ecclesiasticarum & sedis Apostolicæ reverentia. Nos, qui dum in minoribus essemus, ecclesiæ Bononiensis viginti annis in eadem civitate legationis munere functi fuimus, prædicta non sine magno cordis nostri dolore audivimus, & aliqua ex parte vidimus, atque palpavimus, illaque miseratione atque apostolica ultione digna semper judicavimus, postmodum divina gratia ad apostolatus apicem assumpti, cum omnino nostro semper inhæsisset velle, si facultas daretur, eidem civitati oppressæ, ac in servitutem redactæ opportune consulere, oratoribus ad nos Bononiensium nomine pro obedientia præstanda destinatis duximus exponendum, ut sexdecim de regimine & ipsum Joannem nostro nomine monerent, quatenus curarent, ut in dicta civitate justitia & æqualitas, non autem usurpatio & vis potentum locum haberent, beneque in ea & libere vivere liceret: sed dum emendationem aliquam in eis expectamus, omnia in deterius labi per diversas civium illorum querelas ad nos defertur: quibus excitati per oratores & nuntios ejusdem civitatis ad nos venientes, ab eis petivimus, ut idem Joannes cum quatuor ex sexdecim dicti regiminis, aut ejus filii cum aliquibus ex sexdecim prædictis ad nos venirent, ut possemus de reformatione civitatis & status illius aliqua tractare; in quo petitioni nostræ obtemperare noluerunt. Quare adducti fuimus, ut consilium caperemus de adeundis per nos ipsos, & visitandis ac reformandis aliquibus Romanæ ecclesiæ civitatibus, & præcipue ipsa Bononia & illius statu: sicque assumptis nobiscum aliquibus copiis, ut contumaces compescere possemus, iter, re mature deliberata cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, ipsis nos comitantibus arripuimus; & dum Viterbii pro componendis rebus illius civitatis immoraremur, venerabilem fratrem Antonium archiepiscopum Sipontinum cameræ nostræ auditorem Bononiam præmisimus, qui paternum erga civitatem illam affectum nostrum, & adventus nostri causas intimaret, eosque adhortaretur ad ea constituenda & præparanda, per quæ cum securitate & dignitate nostra absque eorum incommodo & damno, quieti & bono regimini dictæ civitatis consulere valeremus; eidemque per nostras in forma brevis literas plenam facultatem & potestatem concessimus, omnibus & singulis tam magistratibus, quam privatis personis civitatis ejusdem, quibus ipsi archiepiscopo videretur, sub rebellionis, confiscationis omnium bonorum suorum, privationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, nec non excommunicationis latæ sententiæ & interdicti pœnis mandandi, ut præmissa omnia, sicut bonos & fideles sanctæ Romanæ ecclesiæ filios decet, efficaciter adimplerent: quique commissæ sibi fideliter executionis desiderium & voluntatem nostram confalonerio, regimini, antianis, dictoque Joanni Bentivolo & aliis populi magistratibus dictæ civitatis, cum ea, qua decuit efficacia & instantia exposuit, eosque sub pœnis in dicto banno contentis monuit, ut ad executionem contentorum in illo, & requisitionis per eum factæ cum effectu procedere, sicut tenebantur, deberent, dicti brevis continentia, & mandato in authentica forma per unum ex cursoribus nostris, prout ei a nobis injunctum fuerat, intima-*

tis

Joannes Bentivolus 10 vitio succedens jus pontificium opprimit.

Monetam inscripta sua effigie cudere ausus.

Inspecta a Julio alia flagitia.

Justitiam in Bononia restituere Julius annititur.

Lustrat statum ecclesiasticum.

Monet officii Joannem Bentivolum.

tis: qui vero in illo regimine ad unius Joannis Bentivoli nutum sedent, in majorem arrogantiam & contumaciam prorumpentes, a mandato dicti archiepiscopi auditoris nomine nostro eisdem facto, comminatione censurarum & pœnarum, ad futurum concilium & successores nostros, manifestam hæresim incurrendo, contra omnem juris formam, ac dispositionem, apostolicasque constitutiones, & præcipue sanctæ memoriæ Pii Papæ II. prædecessoris nostri, appellarunt, civitatem militum & equitum copiis compleverunt, atque aditum ad civitatem nostram nobis, nisi certis legibus & conditionibus pro arbitrio eorum præfixis, denegare præsumunt: & ad resistendum nobis arma paraverunt, ac in eo magis se judices confirmant adversus pastorem & dominum suum, atque eorum matrem Romanam ecclesiam rebellando.

Illius ad Concilium futurum provocantis contumacia.

His compulsi temerariis conatibus & excessibus ecclesiasticæ correctionis & acrimoniæ flagella apponere cogimur; ut quod paternæ monitiones nostræ efficere non potuerunt, hoc severitas disciplinæ, nervusque ecclesiasticarum censurarum efficaciter nobis obtineant.

Mota ab eodem rebellio.

XXVI. Volentes igitur in tranquillitatis amœnitatem civitatem ipsam restituere, & pacificum nobis ejusdem ingressum præparare, habita super iis cum prædictis fratribus nostris deliberatione matura, de eorum consilio præsidentes regimini civitatis ejusdem, qui sexdecim vulgariter nominantur, antianos, vexilliferum justitiæ, confalonerios populi, massarios artium, & eorum quemlibet, omnesque & singulos cives, incolas, & habitatores dictæ civitatis, cujuscumque status, gradus, ordinis, & præeminentiæ existant, tam clericos quam laicos, quacumque dignitate ecclesiastica vel mundana præfulgeant, quorum nomina & cognomina, ac speciales expressiones habere volumus pro expressis, in Domino requirimus, & authoritate apostolica monemus, ipsis & cuilibet eorum per hæc apostolica scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus sub excommunicationis, a qua non possint ab alio quam a Romano Pontifice, etiam per quascumque speciales facultates, præterquam in mortis articulo, absolvi; ac etiam crimine læsæ majestatis & rebellionis pœnis, quas ipso facto, si mandatis hujusmodi nostris non paruerint, incurrant, infra novem dies post affixionem præsentium in locis pro publicatione earundem infra designandis immediate sequentes; quorum tres pro primo, tres pro secundo, tres pro ultimo & peremptorio termino canonica monitione præmissa eis & cuilibet eorum assignamus. Sexdecim ac eorum quemlibet, communitas, universique cives ipsius civitatis & alii prædicti omni mora & excusatione postposita, armatos equites, & levis armaturæ seu armigeros quoscumque, quos vel ex publico stipendio, vel privatim conduxerunt, ac in eadem civitate suburbiis & vicinis locis & terris tenent, extra illa expellant. Et insuper omnibus & singulis domicellis, armorum ductoribus, armigeris, stipendiariisque tam equestribus quam pedestribus, etiam temporali dominio Romanæ ecclesiæ non subjectis, sub dictis censuris, pœnis & terminis præcipimus similiter & mandamus, ne ad stipendia dictorum sexdecim, seu prætensi regiminis eorum, aut alicujus ex Bentivolis, vel officialium, vel communitatis, aut civium prædictorum se collocent; neque sub eisdem, etiam sub prætextu accepti stipendii, firmatæ, conductæ, aut obligationis, etiam juratæ, a quibus vinculis nos eosdem absolvimus per præsentes, militare perseverent, aut illis cum armis, favere, vel defensione quocumque modo assistant; sed ab eisdem omnino, & extra civitatem & loca prædicta recedant. Necnon etiam sub eisdem censuris, pœnis, & terminis pari modo monemus sexdecim officiales, communitatem, & quemlibet eorum, ac alios omnes & singulos prædictos; ne ultra numerum familiæ & servitorum, ante tres menses in pacifico statu civitatis tenere & teneri conjuctum, alias personas tam equestres quam pedestres comitatenses, civitatis incolas & inhabitatores, seu etiam forenses in palatiis tam legati, quam communis, & potestatis Bononiæ, ecclesiis, capitulis, conventibus, monasteriis, hospitalibus, aliisve locis civitatis prædictæ, suburbiorum & vicinarum illi terrarum, seu habitationum publicis, tam ecclesiasticis quam sæcularibus, nec in domibus privatis ipsorum tenere præsumant; sed dictas personas a se dimittant, & excludere, ac ad recedendum de civitate & suburbiis ac locis civitati vicinis cogere debeant. Et ut peccandi occasio magis tollatur; sexdecim & aliis prædictis inhibemus sub eisdem censuris & pœnis, ne aliqua arma offensibilia, vel ad pugnandum apta, cujuscumque generis existant, nec non machinas, & quas vulgus artigliarias vocat, in prædictis locis & domibus tam privatis quam publicis sub aliquo magistratus, vel officii, seu alio quovis colore habere præsumant, nisi de licentia locumtenentis in civitate illa dilecti filii nostri, & secundum carnem nepotis Galeotti tit. S. Petri ad vincula presbyteri Cardinalis legati, ibidem per nos & Apostolicam sedem deputati, vel alterius ad id a nobis deputandi; sed illa omnia & singula in-

Data Bononiensibus imperia ut abstineant bello.

Ne tormenta bellica compareant.

Ne propugnacula extruant.

*integra ad eundem locum tenendum, vel, ut præfertur, deputandum deferant, seu deferri faciant, & in ejusdem libera potestate tradant & assignent: ac quæ belli potius, quam pacis judicia & hostilia præparamenta esse solent, incastellationes, repagula, & propugnacula ecclesiarum, monasteriorum, palatiorum, portarum urbis, aliorumque locorum publicorum vel privatorum, tam ecclesiasticorum quam sæcularium, in dicta civitate, suburbiis, & locis illi adjacentibus vel vicinis consistentium nullo pacto faciant, ædificent, vel facta corroborent; quinimmo quæcumque talia, a tribus mensibus citra corroborata vel facta destruant, & solo æquent.*

XXVII. *Et quoniam morbi radice extirpata, quælibet pars corporis facilius curari poterit; Joannem prædictum & ejus filios omnes sub censuris, & pœnis, & terminis suprascriptis monemus, ne dicto regimine aut gubernatione dictæ civitatis directe vel indirecte quocumque quæsito colore se impediant, neve publica palatia dictæ civitatis ingredi audeant, donec aliter per nos ordinatum fuerit; sed ad præsentiam nostram ubicumque cum curia nostra nos esse contigerit, personaliter se conferant, super præmissis deliberationem nostram audituri, ac mandatum nostrum suscepturi, &c.* Intentatæ sunt non parituris graviores pœnæ. *Datum Forlivii anno Incarnationis dominicæ MDVI.* VI. *id. octobris pontificatus nostri anno* III.

XXVIII. Proximis diebus cum pontificius exercitus in Bononiensem agrum incurrisset, castrum S. Petri, nonnullaque oppida Pontifici deditionem fecerunt: itaque Julius decima septima excurrentis octobris Imolam contendit per castrum Charum & Mudianum, ac deinde per abrupta montium (noluisse enim eum per Faventiam iter habere, quod Venetis armis teneretur observat Bonaccursius (*a*) ideoque ad lævam in Apennini montes flexisse non sine maximis difficultatibus, adeo ut duo & ultra milliaria pedibus conficere coactus (*b*) fuerit de quo asperrimo per confraga saxa itinere cecinit Hadrianus Cardinalis (*c*).

*Imus præcipites per mille pericula rerum,*
*Turrigerasque arces, rupes, & inhospita saxa:*
*Apenninicolæ accurrunt, visoque senatu*
*Reptantes genibus per humum, nova numina adorant.*

(*a*) *Bonaccur. in diariis.*
(*b*) *Paris. e Grass. p. 59.*
(*c*) *Hadrian. itinerar. Jul. II.*

Ingressum Imolam Pontificem adiit (*d*) Ferrariæ dux: cumque interim Joannes

(*d*) *Paris. p. 63.*

Ferrariæ dux Julium adit.

Bentivolus eludere Pontificem simulatis de pace colloquiis niteretur interprete principe Mantuano affine suo, Pontifex Gallorum, qui prædæ spe illecti victoriam de Bononiensibus sibi pollicebantur, viribus & animis auctus repulsam dedit: quam inique ferens Mantuanus discessit, in cujus locum subrogatus fuit in castrensi magistratu Marcus Antonius Columna (*e*), qui subsidiariam equitum Florentinorum alam adduxerat. Interea Bononienses inducias a Pontifice flagitasse, ut lapsu temporis bellum consenesceret expetiisse; sed spretas eorum preces a Julio refert Paris de Grassis (*f*); ait enim: *Oratores Bononiensium a Pontifice petunt, ut terminum interdicti jam quasi finitum prorogaret; ut interim populus super modo concordiæ cogitaret: quam petitionem Papa non acceptavit solum, sed cum irrisu detestatus est, sciens Bentivoli fraudem, ut sic tempus, quod placidissimum, ac serenissimum imminebat, perturbaretur, & sic Gallorum exercitus, qui Mutinæ jam erat, tardaretur; ac etiam aliis ex causis. Itaque Papa Bononiensibus omnibus, qui in curia sua aderant expresse mandavit, ut ad consanguineos & amicos, qui Bononiæ erant scriberent, exhortantes eos, ut quantum in bulla interdicti continetur exequerentur, id est Bentivolum vel captum ad Papam ducerent, vel expellerent ex Bononia, aut aliomodo ipsum tanquam hostem Papæ, & tyrannum Bononiæ proderent: quod si non facerent, infra quatuor dies, quibus Galli ad mœnia Bononiæ approximarent, civitatem diripiendam Gallis, ac foco & flamma, tam civitatem quam cives in prædam & servitium daret; quod etiam oratoribus ipsis nunciandum regimini mandavit: quod illi exequi simularunt, sed ut creditur non fecerunt; nam cum Bononienses curiales efficaciter exequi, ac literas nuntio oratorum dare curassent dedissentque, ipsi oratores simulato nuntii sui recessu, literas ad curiales remiserunt: quod Papa audiens vocato ex castris tubicine literas perferendas ad Bononiam dari jussit: & quia jam dies ultima, quæ nona erat interdicto expressa advenerat, quo cavebatur, ut Bononiensium omnium, qui intra Bononiam vivebant, beneficia ecclesiastica vacare censerentur; propterea curiosi ac soliciti omnes curiales erant super impetrationibus hujusmodi beneficiorum; quibus Papa promptissime omnibus offerebat.*

(*e*) *Ib. p. 61.*
(*f*) *Ib. p. 62.*

Bentivoli simulatis officiis frustra placare Julium nituntur.

Bononiensibus intentatum exitium ni pareant.

Pontificiis minis exterriti Bononienses Bentivoli jugum excutere decreverunt: isque cum Gallo duce rerum suarum incolumitatem pactus, se suaque Gallorum Regi permisit, inque ejus clientelam se XXIX.

rece-

Bentivoli ad bellum sustinendum se comparant.

(a) Pag. 65.

receptit : tum a Pontifice petiit, ut eas pactiones confirmaret ; cui Julius nec non sociis, quorum nomina exprimeret, vitam resque quas juste tenerent, salvas pollicitus (a) est : cumque Bononiam ingredi pararet, obortæ sunt novæ rerum conversiones, ac Bentivoli ad tolerandam obsidionem se compararunt : *Quo audito*, inquit author, *Papa Gallos, quibus prius, ut ab offensionibus abstinerent mandaverat, rursus contra Bononienses excitavit, ut non parcerent viventi ; quin omnia ferro, flammisque & suspendiis perderent. Quo nuntio audito Galli, qui die veneris in castro S. Joannis in Persiceto constiterant, ad muros Bononiæ applicantes Joanni Bentivolo & Bononiensibus exterminium insinuarunt. Sed hodie, quæ est vigilia omnium sanctorum, cum in vesperis essemus solemnibus in cathedrali ecclesia Imolensi habitis, Cardinalis Narbonensis Gallus pro Rege apud Papam de hoc bello agens mihi ad se tunc vocato dixit, ut Papæ caute nuntiarem, qualiter tunc ipse literas a magno capitaneo exercitus receperat, quomodo erant omnes in armis belligerantes contra Bononienses, quibus etiam scripserat & araldum miserat nuntiantem, ut si diutius in sua pertinacia persisterent, eos omnes igne & ferro dispersurum ; sin autem magis pacem vellent, quod ad Papam pro pace mitterent, vel Bentivoli supplices irent ; quod sic sperabat eos facturos antequam dimidia dies crastina esset.* Ad irritum ea non cecidere ; Bentivolus enim armatis Gallorum minis exterritus ad Gallorum castra noctu cum filiis se recepit, ac Bononienses se suaque Pontificis obsequio addixere, decretos ex sexdecim patritiis quatuor oratores Imolæ secunda novembris die Pontificem supplices (b) adiisse ait author : *Hi erant*, inquit, *Joannes Franciscus Aldrovandus, comes Hercules Bentivolus, Angelus de Ramitiis, & Annibal de Saffuno ; qui ante Papam se excusarunt, quod contra Papam peccarunt quidem, sed vi & tyrannide Bentivolorum coacti fuerint : civitatem tradiderunt, & commendarunt populum ; petierunt liberationem interdicti, & quod Gallorum exercitus civitatem non ingrederetur. Papa ad propositum eis super omnibus respondit : inde & tertius nuntius superveniens a magno capitaneo Gallorum missus indicavit, Bentivolum cum filiis ad se aufugisse, quibus fidem dedit secure manendi ; sed omnes tamen custodiendos militibus suis tradidit.*

Galli ferrum flammasque iis intentant.

Bentivoli in castra Gallorum se recipiunt.

(b) Pag. 74.

XXX.

(c) Pag. 78.

Julius Bononiam victor ingreditur.

Addit (c), Pontificem die martis decima novembris S. Martini sacræ pervigilio Bononiam ingressum : *Ingressus*, inquit *est, quamquam astrologi & nonnulli mathematici in contrarium dissuadere conarentur ; quorum tamen scientiam & levitatem sprevit atque detestatus est, illud Christianum eloquium præfatus videlicet : In nomine Domini procedamus & ingrediamur.* Divertit tum in equitum Jerosolymitanorum domum mœnibus proximam : sequenti vero die triumphalem pompam per Bononiam duxit ; cujus ordinem idem author composuit, atque arcus triumphales tredecim tantum erectos : cum populos ob frementes circum mœnia Gallorum copias terrore suspensus opum magnificentiam explicare non auderet, tum subdit (d) : *Unusquisque arcus in fronte suum titulum habuit, unus :* JULIO II. TYRANNORUM EXPULSORI. Alius : TRANQUILLITATIS LARGITORI. Alius : LIBERATORI PATRIÆ, &c. Alius : BONONIA A TYRANNIDE LIBERATA ; *& hujusmodi*. Et infra : *Et sic usque ad ecclesiam per arcus hujusmodi triumphalis via disposita fuit. Adde quod ab omni parte viæ prædictæ surgebant pulpita sive subsedilia, quæ pegmata dicuntur ; in quibus erant viri seniores, & nobiles matronæ, puerique & puellæ, ac reliqua mollior ætas spectantes & mirantes pompam : & mirum dictu creditque fuit, ut populus ille æstimatus fuerit ad septuaginta hominum millia, præter equestros, qui etiam decem aut duodecim millia erant tam Bononiensium, quam curialium. Viæ omnes a sursum pannis & aulæis tegebantur ; pendebant utrinque tapetia, arma, & signa picturata, arbores floresque, ac etiam rosæ viventes Pontifici præsentatæ ; quod propter regionis frigidissimæ situm & cœli acrimoniam, & temporis asperitatem mirum & novum in illa urbe fuit.* Nonnullisque interjectis verbis. *Præterea ordinavi duo umbracula sive baldachina, videlicet unum pro sanctissimo Sacramento ex serico albo auro variegato, satis conveniens, & quadraginta funalia albæ ceræ auro elaborata ante ipsum sanctissimum Sacramentum deferenda : & ex canonicis basilicæ cathedralis ordinavi quod sex videlicet per vices semper umbraculum supra sanctissimum Sacramentum a mansione ad ipsam ecclesiam, & hi quidem sacris vestibus aureis, quas paludamenta, sive pluvialia vocant induti deferrent. Item ordinavi aliud umbraculum pro Pontifice partim ex brocato panno aureo, & partim ex serico rubeo, purpureo sive cremesino satis etiam amplum cum perticis auratis sex. Item feci quod centum nobilissimi juvenes & adolescentes ex patritiis & primatibus Bononiensibus uno habitu induti obviarunt Pontifici ex mansione recedenti auratos baculos singuli manibus ferentes, in quorum cuspide glans erat sin-*

(d) Pag. 81.

Bononienses illi applaudunt se a tyranno liberatos.

Qua pompa exceptus :

*gulis; quæ glans signum est familiæ Ruveræ*. Et infra.

XXXI. *Ordinavi quod omnes Cardinales, qui numero erant viginti duo, in cappis eu camellotto rosato induti essent. Ordinavi quod pilea, sive galera pontificalia eu purpura & auro tria, quæ capella honoris vocantur anteferrentur, ut in coronatione consuetum est fieri. Ordinavi etiam quod venilla omnia populi, quæ sunt numero sexdecim, & alia nobiliora quatuor videlicet libertatis, Pontificis, Ecclesiæ, & cruciatæ; & sic in totum viginti anteferrentur ordinatim ante Papam*. Et post alia: *Ordinavi quod carceres omnes publici aperirentur, liberatis omnibus, qui ibidem detinebantur; & quod tales cum titulo scripto ante pectus pendente in plateam ante portas palatii manerent, & potestas sive prætor ibi esset eos ostendens ac petens, ut pacis vitam donaret, prout fecit, & sic omnes liberati fuerunt. Quod autem ad processiones tam cleri quam populi obviantis solemniter Pontifici sic ordinavi; ut tot altaria per eam processionaliter viam erigerentur quam magnificentissime ornata cum canticis, modulis, sonis, vaporibus, & sanctorum reliquiis, ac imaginibus ornata, quot in tota civitate collegiatæ & parrochiales ecclesiæ essent*. Aliisque interjectis: *Ut omnes in statione eis assignata juxta ordinem superioritatis singulorum ad ecclesiam matricem manerent indesinenter firmi & immobiles, nunquam Pontificem præcedentes, nec minus sequentes; quin omnino expectantes donec omnes, qui Pontificem & triumphum comitabantur recessissent; & interim pontifice in triumpho transeunte omnes quam festivissime sonis & modulis, hymnisque applauderent. Post clerum etiam in omnibus & per omnia manserunt, & steterunt societates ac confraternitates & collegia omnia ac etiam doctorum & scholarium cujusque professionis de civitate*. Et infra.

Liberati qui carceribus detinebantur.

In vicis positæ aræ ornatissimæ.

XXXII. *Igitur omnibus ordinatis Pontifex hora circiter xx. ex mansione recedens, in sede gestatoria delatus cum mithra & paludamento sive pluvio aureo, præcedentibus viginti duobus Cardinalibus in cappis rubeis, venit ad ecclesiam S. Petri sub baldachino; quod prima vice oratores, qui tunc curiam sequebantur, detulerunt, videlicet tres oratores imperiales, unus Regis Franciæ, alius Hispaniæ, & unus Venetiarum: qui seu simul prima vice tulerunt baldachinum; & secunda vice orator Florentinus, duo rectores universitatis, prætor de Bononia & duo alii principes de curia; demum nobiles Bononienses sex vicissim continue detulerunt*. Postque nonnulla alia addita: *Priusquam Pontifex domo mansionis exiret, cives viginti a populo, qui etiam electi vocabantur, obviarunt, & claves Pontifici obtulerunt in area ejus domus, ubi adhuc Pontifex erat reversus de ecclesia parvula mansionis: in porta autem mansionis ejusdem erat Cardinalis episcopus Bononiensis cappatus; qui Pontifici crucem more solito osculandam dedit: & sic Pontifex cum omni comitatu, qui ingentissimus fuit ad ecclesiam S. Petri pervenit, cum pene non esset; ubi cum solitis cerimoniis receptus fuit ad aspersorium, incensum, versiculos & orationem, quam præfatus Cardinalis episcopus Bononiensis cantavit similiter, ut prius cappatus: & demum Pontifex obtulit super altari certum quid, & benedixit, & indulgentiam plenariam concessit, quam Cardinales de Columna prior diaconorum, ut solitus erat, publicavit, &c.*

Regum oratores illi umbracula prætendunt.

Bononiensis populus signo crucis lustratus a Julio.

Ejusdem pompæ celebritatem descripsit culto versu Hadrianus Cardinalis (*a*); quibus addit Guicciardinus (*b*), Julium his secundis successibus erectum fuisse ad Flaminiæ urbes ecclesiastici imperii a Venetis tentas repetendas; defuisse autem illi Gallorum Regis arma, cum Genuæ populares homines seditiones in nobiles commovissent, instruendisque in seditiosos maritimis & terrestribus exercitibus Rex intentus esset: consuluisse autem illi Pontificem ajunt, ut non ferro, sed clementia litem componeret: a quo consilio cum Gallum revocare non potuisset, abalienatum animo ab eo fuisse, proximoque anno Bononia Romam repetiisse; at de his inferius. XXXIII.

(*a*) *Hadrian. Card. in itinerar. Julii II.*
(*b*) *Guicciard. l. 7.*

De Flaminiæ urbibus a Venetis repetendis agit. Gallus in Genuensium seditionibus compescendis occupatus.

Ante hos Liguriæ motus Genuenses inter ac Saonenses gravis fuerat concitata discordia, affectique pluribus damnis Saonenses ad Julium eadem patria oriundum perfugerant; qui lata pro ipsis sententia Ludovicum Regem rogavit (*c*), ut Genuenses compesceret.

Saonenses affecti damnis a Genuensibus.

(*c*) *L. 1. brev. p. 465.*

*Charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.*

*Charissime in Christo fili noster salutem, &c. Cum dilecti filii antiani & commune civitatis Saonæ patriæ nostræ dilectissimæ, & majestati tuæ fidelissimæ, a Genuensibus vexarentur, nec ullis nostris aut tuis monitis Genuenses ipsi ab hujusmodi vexatione cessarent, necessitate coacti ad opem justitiæ confugerunt; a nobisque, qui pro pastoralis officii ministerio nemini possumus justitiam denegare, causam super vexationibus hujusmodi contra Genuenses in auditorio palatii nostri apostolici committi obtinuerunt: causamque ipsam juris ordine prosequuti sententiam pro se contra Genuenses reportarunt; sed omnis spes eorum*

Gallus sollicitatus ut Saonenses tueatur.

*est*

*est in majestatis tuæ præsidio, quæ tanto justius Saonenses hujusmodi vexationibus liberare, quanto minus de eorum bono jure post hanc sententiam poterit dubitare: id autem etiamsi celsitudinem tuam facturam non dubitamus, tamen pro debita in patriotas charitate hortamur, ut nostro intuitu celerius & cumulatius favere velit. Dat. Romæ die ultimo februarii MDVI. pontificatus nostri anno* III.

XXXIV. Gallici ordines sponsalia Claudiæ cum Carolo V. abrumpunt.

Percusserat antea Ludovicus fœdus cum Maximiliano Cæsare, atque filiam Claudiam attributo dotali principatu Mediolanensi Carolo V. illius ex Philippo filio nepoti desponderat: sed Gallici regni ordines intercessere; eo enim fœdere principatum præclarissimum divelli a Gallica corona ægre ferebant, verebanturque ne Carolus ad conjungendas etiam Germaniæ, Belgio, Hispaniis, Italiæque Gallias, uxorio jure aliquando aspiraturus foret: cum ea de causa tot antea cum Eduardo III. exitiosa bella gesta essent. Solemni itaque legatione decreta Ludovicum ipsos orasse refert Buonaccursius (*a*), ut Claudiam filiam non Carolo Austriaco, sed Francisco duci Engolismensi salica lege sceptri Gallici futuro heredi conjugem traderet: nec populi Gallici justis precibus Ludovicus repugnare potuit; ejusque factum Pontifex, cum bellorum ingentia pericula propulsata visa essent, hisce literis commendavit (*b*).

(*a*) *Bonacc. in diariis Marion. l.29. c.4.*

(*b*) *L. 6. brev. pag.* 338.

*Ludovico Francorum Regi Christianissimo, salutem, &c.*

Assentitur Gallis Lud. ad bella civilia tollenda. Laudat Ludovicum Pontifex.

*Recte & sapientissime, fili charissime, fecisse videris; qui populorum tuorum vota pro conservanda unione & dignitate Christianissimi regni, & aliorum subditorum tuorum non sis aspernatus: nobis quidem nihil gratius aut optatius potuit nunciari. Gratulamur igitur majestati tuæ ex animo; sponso vero,* nempe Francisco duci Engolismensi *& sponsæ* scilicet Claudiæ Regis Francorum unigenitæ, *ex parte Dei omnipotentis benedicimus, Deumque ipsum oramus, ut quos sanctissimo matrimonii vinculo conjungere est dignatus, de virtute in virtutem deducat, optima prole fœcundet, & ad optatam senectutem perducat; ut tuæ majestati tuoque inclyto regno, atque adeo sanctæ Apostolicæ sedi præsidio esse possint ad laudem & gloriam divinæ majestatis, & exaltationis catholicæ fidei, quæ a Christianissimis progenitoribus tuis sæpe defensa & aucta fuit. Dat. Romæ apud S. Petrum* XXIX. *julii MDVI. pontificatus nostri anno* III.

Queritur Maximilianus violatum a Gallo fœdus.

Exorta gravis fuit inde inter Maximilianum, qui Gallo Mediolanensem principatum jure fiduciario contulerat ea lege, ut Claudiam dicto Carolo nepoti conjugem daret cum dotali principatu, questusque est violatas a Ludovico fœderis sacramento antea firmati leges, de quo hæc scribit Baselius (*c*): *Eodem anno Ludovicus Gallorum Rex ruptis pacis & initi fœderis cum Rege Maximiliano capitulis, nuper in oppido Hagenoæ conscriptis, & evangelio atque sacra communione corporis & sanguinis Christi firmatis, ab eodem recessit, morem secutus avitum; siquidem recepto Mediolano ab ipso Rege Maximiliano in feudum, Ludovicus parum de capitulis icti fœderis curando, Regem inimicum & adversarium habere maluit, quam fidem servare & Mediolanum quandoque amittere.* Hæc fuit exorti postea belli origo; at de his suo loco.

(*c*) *Nic. Basel. in add. ad chron. Naucl. & alii.*

Origo Mediol. belli inter Germ. & Gallos.

XXXV. Monuit eundem Regem Julius Pontifex, ne in regni Neapolitani controversia, quæ ipsi erat cum Ferdinando Aragonio, a quo jure a sede apostolica accepto armis exutus fuerat, aliquid inconsulta eadem sede statueret: quod cum ipsi sponderet Ludovicus illum Julius in ea mente confirmare nisus est hisce verbis (*d*): *Scripsit ad nos venerabilis frater Cistariensis episcopus orator noster, serenitatem tuam nolle de rebus Neapolitanis deliberare absque authoritate & consilio nostro, in quo solitam tuam erga nos & sanctam sedem Apostolicam singularem devotionem & observantiam recognovimus, & provide ipsam tuam majestatem plurimum in Domino commendamus, &c.* Verum postea idem Ludovicus jura non consulta sede Apostolica transmisit in Ferdinandum, quem venisse hoc anno Neapolim memorant: hac vero de causa in Italiam accessisse.

(*d*) *Lib. brev. per Sigism. secr.*

Monitus Gallus ne inscio Pont. de juribus regni Neap. statuat cum Hispano. Pollicetur id non facturum.

XXXVI. Violata temere a Gallo promissa.

Philippus Austriacus regnum Castellæ ab eo recipit dotali jure. Fœdus instaurat cum Anglo.

Tradita illi testamento ab Elisabeth Regina uxore fuerat Castellani regni administratio; Philippus vero Austriacus genere, Belgii & Burgundiæ princeps, illud ut iniquum improbandum contendit, cum jure hereditario ad Joannam uxorem suam Castella pertineret; conflataque validissima classe ad possessionem ineundam Belgio solvit principio anni a Castellanis expetitus (*e*) tempestatis autem vi in Anglicum littus ejectus est, exceptusque honorifice ab Henrico VII. Rege: fœdus cum eo instauravit, coactus tamen illi dedere Edmundum Polum Suffolciæ ducem, cujus ambigua in sceptrum Anglicum jura erant, quique metu Henrici in Belgium perfugerat. Quamvis autem illius incolumitatem Philippus pactus esset, tamen Henricus VII. securi eum percuti jussit, ut solium firmaret. Permissus autem Austriacus ventis dare vela idibus aprilis ad Hispaniæ oram applicuit, ac mense junio varia cum Ferdinando socero

(*e*) *Lucius Marian. Sicul. l 21. Marian. l.28. c.17. Buonaccur. in diariis Guicc. l. 7. Ofor. l.4.*

Suffolciæ ducem occidendum tradit.

(a) *Marian. c.* 20. & 21.

Pacis inter Philip. & Ferdinandum leges.

ro fecit (*a*) colloquia; demumque ad eas pactiones venere, ut Philippus Castellæ, Legionis, & Granatæ gubernacula teneret; Ferdinandus vero præter avita regna, Neapolitanum etiam quod superstite Isabella partum fuerat possideret. Atque ita Ferdinandus ad regna Aragoniæ se contulit: deinde instructa Barcinone quinquaginta navium classe Neapolim contendit cupidissime ab omnibus exceptus, ubi Consalvum, cujus virtute regnum Gallis ereptum fuerat, statu dejecit (*b*), quod in suspicionem regni appetendi incidisset.

(b) *Marian. l.* 28. *c. ult.*

XXXVII. Consalvus a Ferdinando dejectus.

Rebus omnibus recte constituris, sequenti anno ad Castellæ regna moderanda a filia Joanna Regina excitus est; paucis enim mensibus Castellano regno potitus est Philippus, utque fallaces sunt humanæ spes, cum tot alia soceri patrisque solia conscensurus crederetur, peracuta febri correptus in sepulchrum corruit (*c*), relictis Carolo & Ferdinando filiis postea Cæsaribus: *Erat autem*, inquit Marinæus (*d*), *Philippus juvenis corpore validus, facie pulchra, aspectu jucundo, animo liberali, ingenio claro, & literis adornatus, qui regnavit menses fere quatuor, & in urbe Burgensi adversa valetudine correptus paucis diebus e vita decessit die* XXV. *septembris anni prænominati*. Cui consentanea Mariana scribit sic inquiens: *Ad septimum kalend. octobris*, & infra: *vitam clausit Philippus Rex vix regni inchoati primis fructibus delibatis. Ætatis brevitas effecit, ne diu talem principem præstaret, qualem eximia indoles polliceri videbatur. Quid nobilitas profuit? quid ætatis flos? quid eximia totius corporis orisque dignitas? quid opes & potentia, quibus cæteros principes Christianos facile superavit? quid regia & splendidus aulicorum numerus? cuncta pervertit mors importuna præcepsque, tantum sibi in rebus humanis sumit; sola virtus non interit cujus certa merces est*. Nonnullisque aliis interjectis subdit: *Mense augusto crinitum astrum extitit octo diebus cauda flammata, porrectaque occasum inter & austrum. Post fata creditum est hujus principis capiti minari, ejusque obitu magnam rerum mutationem fore, motusque graves*. Fluctuantes post ejus obitum Hispanicas res sustentavit Franciscus Ximenius archiepiscopus Toletanus cum aliis prudentissimis senatoribus, donec Ferdinandus omnium votis in Castellam vocatus excitatos motus compressit.

(c) *Marinæus l.* 21. *Marian. l.* 28. *c.* 23. *Surit.*

(d) *Marin. ubi sup.*

Relicti a Philippo duo filii. B. Ximenius Castellam regit.

XXXVIII. (e) *Mich. l.* 4. *c.* 82. *Crom. l.* 30.

Alexandri Regis Poloniæ mors.

Obiit etiam hoc anno Alexander Poloniæ Rex (*e*) cum Podolia, Russia Lituaniaque liberatis victoriam de Tartaris Præcopensibus retulisset [1]. Pepigerat anno superiori eorum Rex Meglingerus fœdus, quod mox, ut illius æmulus Sacmathczar prænuntiaverat, fregit; quinque enim millia expeditorum Tartarorum equitum concitatis excursionibus circa paschale festum Podoliam, Russiam, Lituaniamque emensi, cum vastitatem late effecissent, frumenta domosque exussissent, homines imbelles ac pecora, quæ avehere non poterant secuissent; tum centum millia hominum & eo amplius abduxissent in servitutem, socios ad conficiendam majorem expeditionem, Lituaniamque obterendam spe prædæ pellexerunt. Duobus itaque sultanis ductoribus ad triginta circiter millia equitum Tartarorum eodem anno Taurica Chersoneso egressi augusto mense infesta signa Lituaniæ intulere: in quos indictum bellum ab Alexandro Rege; cui cum Lituani in hostem nisi eo præsente ituros negarent, illeque adversa valetudine implicitus esset, ac medici contenderent eum labore itineris non hostibus, sed sibi mortem allaturum, certum vitæ subire periculum, quam in extremo halitu suis deesse maluit: cum vero late fusi palantesque Tartari vagarentur, morbo ingravescente Alexander dolens quod in equo hærere non posset, Eucharistiæ sacramento procuratus, Vilnam delatus est. Michael vero Glynschius regium exercitum in Tartaros duxit, ac primam eorum aciem decem millium adversariorum in paludem cœnosam impulit, quæ partim hausta voragine partim ferro concisa. Ægre, deinde ad stativa Tartarica se contulit militaris eorum moris peritus, ipsorumque agmina casus ignara, ut primum ex populatione reversa erant, fortiter excepit, delevitque ingenti strage; adeo, ut quatuor dierum fluxu viginti mil-

Tartarorum fera grassatio.

Tartari ingenti prælio cæsi.

NOTÆ [1] ALexander Poloniæ rex inclytus, cujus virtutes late hic prosequitur Annalista ex Cromero, hoc anno abiit ad superos. Diem & mensem obitus ex Polonis scriptoribus indicat Spondanus ad hunc annum scribens num. VI. e vita migrasse die XIV. kal. septembris. In ejus locum Senatus habitis Petrikoviæ comitiis Sigismundum Casimiri V. filium assumpsit, ut scribit Gaspar Hedio in Synopsi historica adiecta Enneadibus Sabellici. Diem electionis hujus profert Augustinus Liber Baro de Mayerberg in Itinere Moschovito habito anno 1661. pag. 75 electum tradens die XIII. Kal. novembris. Coronæ vero acceptæ titum in sequentem annum extractum scribit idem Gaspar Hedio, qui peractum illum Cracoviæ ab Andrea Roza archiepiscopo Gnesnensi affirmat. MANSI

millia barbarorum cæsa, totidem equi capti memorentur, ut refert Cromerus (a), qui victoriæ nuntium Alexandro Regi cum morte luctanti perlatum addit: *Jam*, inquit, *Alexander Rex desperata salute & testamento condito, sumptisque ritu Christiano sacris mysteriis animam agebat; cum ei de victoria suorum nunciatum est. Sublatis igitur in cœlum manibus & oculis lachrymas stillantibus, tacitus, amisso jam usu linguæ, gratias agere Deo visus est, nec mora animam exhalavit die decima-nona mensis augusti quadragesimum sextum annum agens, cum non totos quinque annos regnasset in Polonia: cujus obitum cometes paucis ante diebus ad septentriones conspectus portendit; quin & globus igneus clarissimus quadam nocte super turrim curiæ senatoriæ Cracoviæ decidisse visus est.*

[(a) Crom. ubi sup.]

[Victoria nuntius morienti Alexandro allatus.]

XXXIX. Ascriptam eam de Tartaris, qui ad delendos Christianos irruperant, victoriam divinæ providentiæ fuisse, refert Michovias (b); ex quo hoc Alexandri elogium annectimus: *In bellis fortunæ non omninò expers, primum quidem per expeditionem contra Moschos ductore suorum Lituanorum fidelium existente Bohemo Czyernyn Moscos tunc viribus & multitudine superantes cum paucis Lituanis & stipendiariis devicit. Item in auxilium fraternum Alberti Regis contra Turcas per Valachiam expeditionem facientis veniens, dum in campis Podoliæ cum Tartaris secum confligere declinantibus consisteret, castrum Braczlaw erexit, & perennem suorum magnorum operum memoriam constituit, tam regno Poloniæ quam magno ducatui Lituaniæ in eo ipso castro tutamen & singulare contra Tartaros propugnaculum. In ultimo vero mortis articulo, sicut supra scripseram, moriens hostes victoriose profligavit. Sub principatu ejus crebræ incursiones, sed non inultæ fuerunt; adeo tamen pius, liberalis, & æris aurique parum cupidus erat, ut quidquid peteretur libens tribuebat, & non prius esset solicitus nummorum habendorum, nisi prius se offerret indigens aut supplicans, cui subveniendum foret, aut ipsa necessitas urgeret.* Cum nullos ex Helena ducis Moscoviæ filia schismatica suscepisset liberos, Sigismundus Oppaviæ & Glogoviæ dux illius frater ad Poloniæ & Lituaniæ sceptra excitus est: & his Matthias, Michovias & Martinus Cromerus Polonicarum rerum historiæ finem imponunt.

[(b) Mich. l.4. c.82. Alexandri elogium.]

[Sigismundus sceptris succedit.]

[(c) Mich. Crom. ubi sup. Sigism. lib. in comm. rer. Moscovit. & Cromer. ubi sup.]

XL. Tradunt iidem (c) Alexandri socerum Joannem Basilium magnum Moscoviæ ducem, a quo sæpius Tartari ac Turcæ felicissime fusi fugatique fuere, quemque a Romanis Pontificibus vidimus provocatum, ut schisma damnaret, remque Christianam tueretur, hoc anno e vivis abiisse: cujus gesta insignia Cromerus paucis hisce verbis est complexus: *Felicissimus fuerat Joannes, Tartarorum jugum excusserat: complures & magnos principatus parvo vel nullo negotio imperio suo adjunxerat: cum Stephano illo magno Valachorum palatino affinitatem & amicitiam contraxerat: Casanenses, Permios, Sibiros, Lapos, Ingros Hungarorum progenitores, Bulgaros Asiaticos, partim subjugarat, partim tributarios sibi fecerat: cum vicinis Sueonibus sive Suetiis, Livonibus, atque Finnis Prospero successu bella gesserat; Lituanis supra septuaginta arces & castella ademerat. Quamquam autem pleraque hæc omnia per legatos gesserat, formidabilis tamen Lituanis fuerat.* Addit Michovias (d) eum sobrietatis amantem adeo fuisse, ut ebrietates & juscula inebriantia e Moscovia sancita lege sustulerit. Certatum est de successione inter Demetrium ejus ex natu majori filio nepotem, & patruum, sceptraque demum corripuit (e) Gabriel ejusdem Joannis Basilii filius, qui Basilius postea dictus est, ac Polonos gravi bello attrivit.

[Basilidu cis Moscoviæ obitus.]

[Præclara illius gesta.]

[Ebrietas lege sublata e Moscovia.]

[(d) Mich. l.4. c. 85.]

[Gabriel etiam dictus Basilius illi succedit.]

[(e) Sigis. Herbenst. comm. Mosch. p.7.]

XLI. Conditam per hoc tempus Francofordiensem academiam a Joachimo Brandeburgensi principe imperii electore, & a Julio pluribus prærogativis ornatam fuisse, scribit Nicolaus Baselius (f), qui Joachimum ipsum miris laudibus afficit. Flagitasse etiam Wladislaum Bohemiæ & Hungariæ Regem a Julio, ut Wratislaviæ academiam institueret; sed huic decreto Polonum intercessisse, remque disturbatam refert Michovias (g).

[Francofordiensis academia instituta.]

[(f) Nic. Bas. in append. ad Naucl.]

[(g) Mich. l.4. c.85.]

Cum porro in Bohemia hæretici permixti ita essent catholicis, ut sine maxima offensione publica, & damno rei catholicæ arceri a sacrorum communione non possent, Julius religiosis sacerdotibus ordinis Prædicatorum, qui restituendæ Ecclesiæ dignitati, & traducendis ad fidem orthodoxam animabus eximiam navabant operam, permisit (h), ut etiam cum hæreticis in divinis versarentur, atque amplissimis prærogativis ad augendam gloriam divinam exornavit.

[(h) L. 24. bull. p. 280.]

*Julius, &c. Vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vos & vestrum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti ac aliis ecclesiasticis censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa quomodolibet latis, si quibus quomodolibet ligati & irretiti estis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolvimus & absolutos fore nunciamus; nec non vobiscum super irregularitate, si quam præmissorum occasione contraxi-*

*stis*

Permissum prædicatoribus ut etiam cum hæreticis converseutur in divinis.

*stis, dispensamus, abolemusque omnem inhabilitatis & infamiæ sententiam per vos & vestrum quemlibet dicta occasione quomodolibet incursam: & nihilominus vobis omnibus, ut cum ipsis hæreticis etiam in divinis conversari; ac tibi moderno & pro tempore existenti priori provinciali dictæ provinciæ ac illis quibus vices tuas commiseris, ut ipsos hæreticos ad cor & dictam Romanam ecclesiam redeant, a quibuscumque hæresum criminibus authoritate nostra in forma ecclesiæ consueta absolvere; quodque priores domorum & conventuum prædicti ordinis pro tempore existentes in præfata provincia, in qua tantum unus catholicus episcopus existit, pallas, corporalia, cruces & alia paramenta ecclesiastica ad altaris ministerium, divinumque officium & cultum necessaria benedicere possitis:* Et infra, *omnibusque fratribus conventuum & domorum reformationum, ac dilectis in Christo filiabus sororibus sub vestrorum regula degentibus ordinis & provinciæ Prædicatorum, ob piscium penuriam, quæ in illis partibus viget & vestri paupertatem, ut tribus diebus singularum hebdomadarum carnibus vesci absque aliqua ecclesiasticarum censurarum incursu & conscientiarum scrupulo, sicut semper consueverunt libere & licite valeat dispensare, ac licentiam eis concedere possitis; apostolicis ac in provincialibus & synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus ac statutis, & consuetudinibus domorum seu conventuum & ordinis prædictorum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, authoritate præfata tenore præsentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum an. MDV. IV. id. januarii pont. nostri anno* III. A Prædicatoribus occupatis in convertendis hæreticis ad B. Bennonem digredimur.

XLII. B. Benno miraculis claret. (a) Hieron. Emser. ex eo Sur. to. 7. Jo. Trith. ep. 64. (b) Baron. in not. ad martyrol. Rom. 16. jun.

Inclarescebat (a) magis ac magis annorum flexu B. Bennonis Misnensium episcopi sanctitatis gloria; cujus opera Sclavi ad Christianam pietatem traducti, piique in fide confirmati fuerant: cujus constantia emicuerat in Henrico Imperatore Ecclesiæ perduelli objurgando, percellendoque anathematis sententia; migravitque (b) ex hac vita quadringentesimo ante anno sedis vero quadragesimo: cumque plura ad illius sepulchrum ederentur miracula, Georgius Saxoniæ & Misnensium dux ab Alexandro VI. contendit, ut in sanctorum numero collocaretur; iterumque a Julio II. idem contendit, cujus hortatu Trithemius (c) supplices hasce literas ad Pontificem misit, ut ad pietatem in Saxonia amplificandam B. Bennoni sanctitate vitæ anteactæ & miraculis celebratissimo sanctorum cultum decerneret.

(c) Trith. sup. ep.

*Sanctissimo in Christo patri Julio Papæ II. Joannes Trithemius abbas Spanheimensis humillima pedum oscula beatorum.*

Georgius dux Saxo in albo Sanctorum collocandum poscit.

*Ignis, quem dominus noster Jesus Christus Patris æterni filius misit in terram, voluitque in cordibus hominum vehementer accendi, me ultimum subditorum tuorum, clementissime pater, nullius apud divinam pontificatus tui sedem præter fidem & devotionem vel meriti vel momenti compellit, ut causam B. Bennonis merito & sanctitate Misnensis ecclesiæ dignissimi quondam episcopi, meis altiorem viribus, ad instantiam Christianissimi Saxonum ducis Georgii, apud tuam clementissimam paternitatem, quia verbis nequeo, mutis vel literis agam. Is, ut veterum monumentis edocemur, ab infantia præventus divino spiritu totum se Dei mancipavit obsequio, fide clarus, virtute & constantia infatigabilis, spe robustus, amore & charitate in Deum & ad proximum omni tempore semper serventissimus, ex monacho regulæ S. Benedicti primus monasterii quod Goseck in diœcesi Nuebergensi non longe ab ipsa civitate situm nuncupatur, abbas institutus triennio ferme præfuit in omni religione & sanctitate: quo elapso monachorum suorum invidia stimulatus, injuriisque advocati comitis impetitus, monasterium cum abbatia deseruit, & eremum Christo in tranquillitate serviturus intravit. Inde per Victorem Papam II. vocatus Goslariensis ecclesiæ rector constitutus est, & crescentibus semper in eo meritis sanctitatis, postremo Misnensis ecclesiæ pontificatum canonica electione fratrum adeptus fuit. Qui ut nomen tantæ dignitatis non infructuose videretur sumpsisse, ad utilitatem ovium Christi summi pastoris sese totum convertit, in oratione continuus, & in prædicando verbum Domini tam Sclavis, quos ad fidem convertit orthodoxam, quam suis atque in circuitu fidelibus mirabili incredibilique fervore devotus. In ea quoque persecutione, qua Henricus Imperator III. summis Romanæ ecclesiæ Pontificibus inobediens, hostis atque rebellis universam in Germania præcipue turbavit ecclesiam, Benno vir Dei præsul quoque magnificus, in fide & amore Domini sui formatus, & Apostolicæ sedis semper fidelissimus in faciem tyranno restitit, peccantem redarguit, sententiamque anathematis, quam Papa decreverat, in eum confidenter fulminavit, schismaticum, maledictum, & reprobatum a Deo nisi pœnitentiam ageret, ad judicium vicarii Christi*

Gesta a S. Bennone munera.

Sclavi ab eo ad Christum traducti.

Ecclesiæ partes adversus Henr. III. defendit.

*sti publice illum prædicans & denuntians cunctis fidelibus. Pro his omnibus conjectus in vincula & carceres, injurias & contumelias, opprobria simul & verbera passus, hilari semper mente canebat :* Mihi adhærere Deo bonum est, quoniam Christi vicario magis obediendum, quam homini maledicto. *O virum virtutibus plenum meritisque excelsum, ter sanctum, quaterque sanctissimum, qui solidatus in petra constantia apostolicæ, sese murum pro domo Dei necessario ac periculoso tempore confidenter opposuit, & pro honore sacrosanctæ sedis Apostolicæ fortissime decertans, nulla tyrannorum vincula formidavit. O pontificem sempiternis extollendum laudibus, cujus vita cunctis virtutibus, omnique sanctimonia coruscans merito nobis in exemplum proponitur : quam Deo placuisse altissimo infinitis pene miraculis, usque in præsentem diem manifeste declaratur usque adeo, ut si miraculorum testimonio sanctorum integritas comprobanda indicitur, nemo sanctior Bennone his temporibus judicandus videatur : quotidie ad ejus sepulchrum stupenda fiunt miracula, semperque mirandis succedunt mirabiliora.*

Ad ejus sepulchrum plures editæ cælestes virtutes.

XLIII. *Et quamvis, pater beatissime Juli, Benno pro suis meritis apud Deum optimum maximum mercedem & gloriam in cælesti palatio jam susceperit æternam, suoque ineffabili spiritus principio conjunctus, per gratiam, non naturam sine fine beatus, nostros minime requirat honores, quippe cum omnia in summo illo habeat bono ; nobis tamen & posteritati fidelium authoritate sanctissimæ sedis tuæ consulendum fuerit, qui sanctorum patrocinio indigemus. Bennonem testantur miracula sanctum, clamant virtutes honorandum, fidelem experientia sanitatum pollicetur patronum. Hoc unum votis obstat omnium, & beneficia impedit singulorum, quod cum authoritate sedis apostolicæ nondum apud nos in catalogum sanctorum videatur ascriptus Benno, quem regnare cum sanctis in cælo non dubitamus, ab ejus veneratione cogamur desistere, neque suffragia tanti viri nobis liceat invocare ; sed cum vita ejus sanctissima, plena virtutibus a vetustioribus suisque contemporaneis luculenter habeatur descripta, & multa quotidie in ecclesia Misnensi ad ejus tumulum fiant miracula Christianitatis amator, cultor atque defensor integerrimus, & Christianissimus princeps Saxonum Misnensiumque dun memoratus Georgius pia devotione motus, pro ejus canonizatione laborandum duxit, & commissarios, qui examinarent singula a tuæ sanctitatis prædecessore Alexandro Papa VI. impetravit : Alexander vero morte sublatus expedire negotium divi Bennonis non potuit, & forsitan non debuit ; propterea quod divina providentia tanti viri honorem tuis temporibus deputavit, tibique amicissimum sibi præsulem sanctorum ascribendum catalogo reservavit. Quocirca tuam sanctitatem, beatissime pater, qua possumus humilitate, rogamus, Bennonem apostolicum virum nobis venerandum concedas, ejusque nomen cum sanctis Dei confessoribus celebrandum inscribas ; & quod tuo muneri reservatum est, in gloriam alterius non patiaris devenire. Crede mihi, Pontificum maxime, Bennonem conferendo patribus divis cultum Dei non mediocriter ampliaveris, tuo quoque celeberrimo uomini sempiternam apud Saxones memoriam comparabis in terris, & divo interveniente Bennone pro ampliato cultu divino bonam recipies mercedem in cælis. Hoc unanimiter a tua sanctissima majestate petimus omnes quotquot divi Bennonis merita vel in nobis vel in aliis sumus experti. Exaudiamur a te, clementissime pater, iterum atque iterum rogamus. Facies quoque rem gratam Deo, utilem & honestam populo Christiano, & supplicantibus nobis perpetua gratitudine memorandam. Omnipotens Deus, cujus vicarium agis in terra, beatitudinem tuam ad nostram salutem diu conservet incolumem. Ex Budori XXI. mensis junii anno Christianorum MDVI.* Instructa fuere summa diligentia religiosa acta de miraculis B. Bennonis implorata ope patratis ; atque decimo septimo post anno Hadrianus VI. festo sanctissimæ Trinitatis illum cum B. Antonino archiepisc. Florentino in sanctorum ordine solemni ritu reposuit ; decrevitque (*a*) S. Bennonis memoriam colendam XVI. junii die recurrente : qua de re promulgatum decretum (*b*) apostolicum suo loco afferemus.

De eo inter sanctos referendo prius actum cum Alex. VI.

(*a*) *Baron. in not. ad martyrol. Rom*

(*b*) *Bull. to.1. in Hadrian. VI. const. 5. ext. in eccl. S. Mariæ de anima*

XLIV. Editæ sunt etiam hoc tempore multæ res admirabiles ad sacram Christi sindonem, quæ in Camberiacensi templo a piis colitur : quibus permotus Julius festum diem, quo anniversaria expressæ in sindone divina vi Christi imaginis memoria recoleretur, nec non repetendi precum horariarum formulam sacerdotibus Camberiacensibus præscripsit dato diplomate (*c*) : cujus præcipuam partem afferimus.

(*c*) *To.2. lit. comm. p. 155.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Caroli ducis, & dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Claudiæ quondam Philippi ducis Sabaudiæ relictæ ducissæ, & ejusdem Caroli matris, petitio continebat ; quod ipsi ob singularem, quem ad ecclesiam capellam sanctam nuncupatam castri Cambersaci ducatus Sabaudiæ Gratia-*

*stianopolitanæ diœcesis, quam alias felicis recordationis Paulus Papa II. in collegiatam erexit, & deinde piæ memoriæ Sixtus Papa IV. prædecessor noster voluit capellam sanctam appellari, gerunt, prout eorum antecessores Sabaudiæ duces gesserunt devotionis affectum, maxime ob præclarissimam sindonem, in qua ipse dominus noster Jesus Christus in monumento positus involutus fuit; & quæ in quadam capsa argentea honorifice & devote conservatur; in qua prout idem Sixtus prædecessor in quodam tractatu, quem composuit de ipso sanguine affirmat, ipsius Jesu Christi verus sanguis & imago conspiciuntur, & ad quam ob tantæ reliquiæ devotionem & venerationem, præsertim diebus, quibus ipsa sindon ostenditur; ac miracula, quæ in dies inibi Altissimus circa fideles ipsos præfatæ sindonis devotos operatur, fidelium prædictorum multitudo confluit, solemnitatem & officium ipsius sindonis per certos religiosos, aut alias ecclesiasticas personas cum missa, lectionibus, capitulis, versiculis, responsoriis, hymnis & orationibus congruentibus & devotis ordinari fecerunt: ac dilecti filii decanus & capitulum dictæ ecclesiæ etiam pia devotione ducti statuerunt, quod diebus sabbati officium beatæ Mariæ virginis, prout in ecclesia S. Mariæ majoris de urbe celebratur, in ipsa ecclesia capella sancta nuncupata solemniter pro divino officio celebretur, prout in ipsius officii sindonis ordinatione, quam in cancellaria apostolica diligenter inspici, & omissis signis ac characteribus de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, continetur, & in statuto & ordinatione decani & capituli prædictorum plenius dicitur contineri: quare pro parte ducis & ducissæ prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut ordinationi officii sindonis diurni & nocturni cum ipsius missa, lectionibus, versiculis, responsoriis, capitulis, & orationibus suis, & aliis in eo contentis, nec non statuto & ordinationi decani & capituli prædictorum pro illorum subsistentia firmiori robur apostolicæ confirmationis adiicere, dictamque ecclesiam capellam sanctam, sanctæ sindonis nuncupari debere solemnitatemque seu festum dictæ sanctæ sindonis in crastinum festivitatis inventionis sanctæ crucis, illiusque officium prædictum ab omnibus & singulis subditis dicti ducis celebrandum fore, statuere, & ordinare, alias quam in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.*

Christi sindon culta Chamberiaci.

Sixti IV. de ea elogium.

Illustrata miraculis.

*Nos igitur sacri apostolatus ministerio, licet immeriti, superna dispositione præsidentes, attendentes quod si sanctam crucem, in qua ipse dominus noster Jesus Christus pependit, & per quam redempti sumus, adoramus & veneramur, dignum profecto videtur & debitum ipsam sindonem, in qua reliquiæ humanitatis Christi, quam divinitas sibi copulaverat, videlicet ipsius veri sanguinis, ut præfertur, manifeste conspiciantur, venerari & adorari debere; cupientes divinum cultum ubique vigere & augeri, fidelesque ipsos quos idem dominus noster Jesus Christus in sanguine suo lavit, suo Redemptori ejusque gloriosæ genitrici celebri festivitate in veneratione gratias & laudes agere, hujusmodi supplicationibus inclinati, ordinationem officii præfatæ sindonis diurni & nocturni cum ejus missa, lectionibus, versiculis, responsoriis, capitulis, orationibus, & aliis in ea contentis, ac statutum & ordinationem celebrationis officii B. Mariæ virginis decani & capituli prædictorum approbamus, & confirmamus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MDVI. VII. idus maii pont. nostri anno III.*

Jacta fuisse hoc anno a Julio celeberrimi totius orbis templi ob amplitudinis magnificentiam, ob molium firmitatem, ob artis ornatusque elegantiam fundamenta refert MS. Vaticani (a) author ac ritu solemni pontificia prece & crucis signo primum lapidem sacratum: qua de re Henricus VII. Angliæ Rex a Julio certior factus est (b).

XLV.
Instaurandæ basilicæ Vaticanæ jacta a Julio fundamenta.
(a) *MS. arch. Vatican. sign. lit. L.*
(b) *Lib. brev. p. 489. & lib. bull. 28. p. 228.*

*Charissimo in Christo filio nostro Henrico Regi Angliæ illustri.*

*Charissime in Christo fili noster salutem &c. Hoc die, qui fuit sabbati in albis & XVIII. præsentis mensis aprilis, post missarum solemnia una cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus & magno numero prælatorum, ad locum processimus, in quo fundamenta locanda erant basilicæ B. Petri Apostolorum principis de urbe in Vaticano; precationibusque & ceremoniis adhibitis consuetis, primum lapidem nostris propriis manibus benedictum ac cruce signatum in eodem loco posuimus, firma spe ducti quod dominus & salvator Jesus Christus, cujus monitu basilicam ipsam vetustate consumptam augustiori forma & ædificio renovare aggressi sumus, meritis & precibus ipsius Apostoli vires nobis tribuet; ut quod tanto fervore incœptum est, absolvi & perfici possit ad laudem & gloriam Dei: quod majestati tuæ pro singulari, qua eum complectimur, charitate significandum his literis duximus. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVIII. aprilis MDVI. pontificatus nostri anno III.*

Sacri ritus ab eodem adhibiti.

Contulerat (c) ineunte anno illud sacrum consilium reficiendæ a fundamentis Vaticanæ basilicæ Julius cum eodem Re-

(c) *Ib. p. 443.*

ge,

ge, atque ab eo & præsulibus, ducibus, & comitibus Angliæ subsidiarium aurum in sumptus tanti operis poposcerat: quod vero magnificentissime cœptum erat a Julio, certatim plures deinde Romani Pontifices promoverunt, summisque impensis ornarunt: sacræ vero indulgentiæ stipem in id opus collaturis fidelibus propositæ sunt; ex quibus Lutherum evertendæ ecclesiæ catholicæ impium consilium sumpsisse visuri sumus. Ita assurgere cœpit in eam magnificentiam, quam omnes hodie suspiciunt, Vaticana basilica.

Promovere hoc opus magno splendore plures Pontifices.

Pio huic Julii II. operi addimus, illum precibus Annæ olim Gallorum Reginæ, quam a viro Rege spretam ad divinam transfudisse mentem vidimus, excitatum religiosæ vitæ instituta ab ea suscepta jam ante ab Alexandro confirmata, novo diplomate corroborasse ac illius sodales sacris hisce muneribus allecisse.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Regula decem beneplacitorum confirmata.

*Supplicationibus* nimirum Annæ de Francia ducissæ Borbonii & Alverniæ, sororis Joannæ de Francia ducissæ Bituricensis *inclinati, regulam decem beneplacitorum in præfati Alexandri prædecessoris literis de verbo ad verbum insertam, cujus totum tenorem præsentibus haberi volumus pro expresso illiusque totum tenorem authoritate apost. tenore præsentium approbamus & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus: & nihilominus universis & singulis ex Anna ducissa & ejus tota familia, nec non dictæ regulæ decem beneplacitorum, utriusque sexus fratribus, & sororibus, & servientibus & domesticis præsentibus & futuris, qui decies salutationem Angelicam coram imagine ejusdem B. Mariæ virginis pro augmento fidei catholicæ recitaverint, easdem prorsus indulgentias & peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur, si ecclesias stationum ecclesiarum urbis & extra muros ejus, diebus stationum hujusmodi personaliter visitarent: ac omnibus & singulis ex prædictis ac quibuscumque aliis utriusque sexus Christifidelibus, qui aliquam ecclesiam domorum dictæ regulæ visitaverint durante festo piæ recordationis intimi doloris B. Mariæ quod tempore dominicæ de Passione usque ad secundas vesperas sabbati ante dominicam in Palmis exclusive celebratur, easdem prorsus indulgentias & peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur si sanctum Sepulchrum dominicum personaliter visitarent, authoritate & tenore præmissis concedimus & indulgemus. Ornavit Julius pluribus prærogativis eundem sanctimonialium ordinem, ac de illius administratione, celebrandisque divinis officiis plura constituit. Datum Bononiæ anno Incarnationis dominicæ MDVI. VI. idus januarii pontificatus nostri anno IV.*

Indulgentiæ monialibus iisdem datæ.

XLVI.

Coloniæ in Americam deductæ.

Extremo hoc anno proximoque ineunte suscepta est gemina expeditio ab Hispanis novi orbis ad colonias in Urabam & Beraguam deducendas, Ferdinandi Regis, qui Dei cultum apud barbaros amplificari exoptabat, auspiciis: sed qui arduam eam provinciam susceperunt adversis casibus attriti consumptique, ut felices fuerint, si fidei augendæ cupidine tot laboribus se exposuerint; infelicissimi autem sint existimandi, si commoverit ipsos auri fames. Narrat pluribus tristia naufragia, quæ passi, prælia adversa, quibus interdum profligati a barbaris, sævam famem, qua onusti auro nil profuturo viribus exinaniti defecerunt, Petrus Martyr (a) in commentariis, quæ ab hoc anno ad vigesimum excurrentis sæculi Leoni X. ut diximus, inscripsit: cui indubiam religionis amplificandæ spem gentesque ad excipiendam evangelicam lucem comparatas patefecit: *Ex quo*, inquit, *beatissime pater, Galeatius Butigarius Bononiensis, & Joannes Cursius Florentinus ad catholicum Regem pro tua sanctitate ille, hic vero pro clarissima republica sua in Hispaniam se contulerunt*, & infra: *Petierunt a me cum suo tum sanctitatis tuæ nomine, ut quæ post ea tempora reperta sunt scriptis superadderem, eisque exemplar ad beatitudinem tuam mittendum traderem; quo intelligat quantum nostra tempestate felicibus Hispanorum Regum auspiciis, & humano generi decoris, & militanti Ecclesiæ augmenti accesserit: gentes namque illæ nudæ veluti rasæ tabellæ religionis nostræ ritus facile induunt, nostrorumque commercio efferam nativamque rusticitatem excutiunt: placuit virorum sapientum & de tua sanctitate benemeritorum obtemperare mandatis, quippe qui audito beatitudinis tuæ nomine nefas inexpiabile fore putassem, nisi illico paruissem.*

(a) Petr. Martyr dec. 2. c. 1.

XLVII.

Aggreditur deinde enarrare, quæ gesta sint a Christophori Coloni successoribus: *Christophorum*, inquit, *Colonum Ligurem eas insulas, quarum meminimus, reperisse, in lævamque dehinc versum ad meridiem in vastas terrarum, pelagique regiones ab æquinoctiali linea, a quinto ad decimum gradum tantum discedentes incidisse descripsimus; ubi lata flumina, nivales altissimosque montes littoribus imminentes, & placidissimos portus invenerat Colono jam vita functo.* Ipsum mense majo anno MDVI. obiisse apposita marginalis nota docet: *Regi cura ingens exor-*

*ta est, ut terræ illæ novæ à Christianis habitandæ in religionis nostræ augmentum occuparentur: propterea facultatem per chirographa regia id aggredi volentibus præbuit honoratam: sed duobus præcipue viris Diego Nicuesæ Baecensi Vandalo & Alfonso Fogedæ Conchensi.* Addit author, Fogedam cui Uraba subigenda data erat ex Hispaniola, in qua urbem & colonias construxerant Hispani, cum tercentum circiter militibus in insulam Codego versus austrum impetus vertisse; ubi

Hispanorum cum Americanis prælia.

insulanos ob crudelitatem in Christianos advenas proscriptos ab Rege adortus, pagoque maritimo vastato in inferiora penetravit; at concurrentibus barbaris ex data ipsis strage, fœminarumque & puerorum raptu efferatis profligatus, Joanne Cossa, aliisque septuaginta militibus sagittis venenatis confixis, in portum fugit. Dum in eo accepta strage perculsus hærebat, Didacus Nicuesæ cum quinque navigiis, quibus octingenti ferme milites vehebantur, ad Beraguensem expeditionem profecturi, supervenit, susceptoque vindicandæ suorum necis consilio barbaricum vicum noctu flammis delevere, puerisque sex tantum ex ingenti virorum ac mulierum multitudine pepercerunt: ex quibus sociorum corpora devorata a barbaris intellexere. Inde Fogeda in Urabam orientalem, quam incolæ Caribanam, quod ex ea Caribes sive Canibales duxerint originem, profectus arcem in ea condidit: ex qua cum in finitimos pagos erupisset, a barbaris strenue se defendentibus propulsatus, amissisque variis casibus ducentis & quadraginta sociis in Hispaniolam reversus est, ut acceptum vulnus curaret auxiliaque accerseret. Hæc ferebat Ancisus prætor, cum illisa vadis navi in Urabensi littore corporibus salvis evasit: reperit vero arcem a Fogeda constructam dirutam fuisse, pluraque ab incolis passus in Darienem se contulit, ubi summæ pressus inopia a barbaris circumfusus est: in quo discrimine Deiparæ implorata ope victoriam retulit.

XLVIII. Barbari voto ad Virginem nuncupato cæsi.

*Prætor*, inquit Petrus Martyr, *ac cæteri pro victoria supplices orant superos; vovent simulacro B. Virginis, quod Hispali sub nomine S. Mariæ antiquæ colitur, aurea & argentea quædam dona, missurosque se peregrinum pollicentur, & nomen vico habitando imposituros S. Mariæ antiquæ, templumque sub eodem nomine erecturos, vel ad id ejus reguli atrium dicaturos. His actis milites omnes jurejurando astringit, ne quisquam hostibus terga vertat. Dato signo lætis animis scuta lacertis accingunt, hastas vibrant, & sublato clamore in hostes ruunt: impetum nostrorum diu sustinere hostes nudi minime potuerunt, in fugam vertuntur duce regulo Cemaco.* Potiti deinde sunt barbarica gaza, quæ centum ac duas auri libras vincebat, & commutatione frugum comparata erat, namque regio frugifera est, auro caret, quæ aurum gignit, saxea, minimeque ferax.

Quod ad confectam a Nicuesa in Beraguam expeditionem attinet; infelix extitit adeo, ut variis casibus consumpta septingentorum octoginta quinque virorum multitudo vix ad centum redacta; quæ postea magis magisque brevi tempore imminuta: cumque turri ædificandæ operam navaret, ad Urabensium præfecturam excitus, dum auro benemeritos spoliare meditatur ejectus, cum sociorum parte mari naufragio periisse creditus est (a) anno excurrentis sæculi undecimo: quæ ad conjungendos cœptis exitus hoc loco recensenda visa sunt.

(a) Id. c. 2.

I. ANno a partu Virginis millesimo quingentesimo septimo indictione decima Julius Pontifex, licet anno superiori spopondisset Ludovico Francorum Regi eum se quadragesimali tempore expectaturum Bononiæ, quo invicem conferrent consilia, omnium tamen admiratione & comploratione Bononiensium coacto duodecima februarii sacro senatu suum in Urbem reditum promulgavit: cujus inopinati decreti causas plures anxie excussas misisse refert hisce verbis Paris de Grassis (a): *Causam discessus Papæ aliqui dixerunt hanc esse, quod Rex Francorum audita Januensium defectione, vel potius tumultu, quia populares expulsa nobilitate gubernabant, & ipsi nobiles ad Regem confugerunt, ut eos remitteret, solutis ut dicunt, centum millibus ducatorum, propterea Rex in Italiam ad prædictos nobiles remittendos in civitatem & statum pristinum venire jam deliberaverat, & jam in via esset: & hinc Papa, qui forte populari factione, ex qua ut dicunt ipse erat favens forte prævidebat, quod Rex ipsum Papam requireret, ut sibi faveret in hoc; & sic Papa cogeretur suæ patriæ & factioni inimicari: quod si non faceret, forte Rex e converso Papa inimicaretur super civitate Bononiæ. Alii dicebant quod cum Rex insatiabilis esset, & Papa, licet omnia quæcumque ille voluerit concesserit, non tamen plura petenti Regi concedere volebat, & honoratius pro Papa fore si in urbe existens petitiones Regis absentis repelleret. Alii dicebant Papam non sanum esse Bononiæ sicut Romæ. Alii Papam rogatum a patribus Cardinalibus, qui Romæ erant, reversionem quærere, maxime quia curia non sic bene morabatur Bononiæ sicut Romæ, si esset. Alii autem, quibus cognitio rerum melior innotuerat, dicebant Papam e Bononia discedere prius quam in Italiam veniat*, nimirum Rex, *quia forte timet ne Cardinalis Rothomagensis, qui cum Rege est, multum ad apostolatum aspirans cum vexet aliquo modo super papatu; quod est verum. Igitur hodie in hoc consistorio Papa Cardinalibus indixit, se omnino die lunæ aut martis* XXII. *februarii cum tota curia recessurum.*

Discessus Julii e Bononiensi urbe.

(a) *Paris. e Grass. in itiner. Jul. II. ms. arch. Vat. p.* 135.

Proceres Genuenses pulsi ad Gallum confugiunt.

Rothomagen. Card. Pontificatum affectare creditus.

II. Tradit idem author (b) Julium publicam Bononiensium rem composuisse, datasque ipsis a Nicolao V. leges restituisse: tum ad injiciendum seditiosis frænum arcem excitari, præsidioque militari muniri jussisse (c): Cardinales legatos ad ecclesiasticas provincias administrandas creasse tres, e quibus Antonius Ferrerius Cardinalis S. Vitalis præfectus rei Bononiensi, cum eam dignitatem magno ambitu prensasset, sævi ingenii & avari vir, qui hoc ipso anno ob cumulatas nefariis artibus opes e provincia revocatus & in carcerem conjectus est; de quo inferius. Porro Julius ob partas sine cæde victorias, tyrannosque solo adventus terrore prostratos gloria insignis, constituta vigesima secunda februarii die Bononia egressus (d), imminente sacra hebdomada, qua passionis Christi misteria recoli a piis solent, Romam vigesima septima martii pervenit, (e), sessusque in ædibus S. Mariæ de populo nuncupatæ noctem duxit. Ut vero ipso palmarum die onustus palmis triumphum egerit, describit accurate Paris de Grassis (f), de quo paulo ante memoravi.

(b) *Id. ib. p.* 135.

Arx Bononiæ excitata a Julio.

(c) *Ib. p.* 142.

Antonius Ferrerius Card. præfectus rei Bononiensi.

(d) *Ib. p.* 146.

(e) *Ib. p.* 161.

Julii in urbem reditus.

(f) *Ib. p.* 163.

III. *Die*, inquit, *vigesima octava martii dominica in palmis Papa fecit officium in ecclesia B. Mariæ de Populo, in cujus monasterio ante pernoctavit apud Cardinalem Portugalensem. Cardinales* XXVI. *affuerunt in cappis de camelotto puniceo pavonatio; quibus ad memoriam reduxi, an hodie Papam per Urbem ad palatium associaturi vellent esse cum cappis rubeis festificantes ingressum papalem; qui libenter annuerunt, dummodo Papa dispensot non obstante tempore passionis: quod Papa annuit sit eis placeret*. Et infra: *A monasterio S. Mariæ de populo usque ad palatium omnis via, per quam eundem erat, pulcherrime & divitiose parata fuit ex omni parte, & in omni cultu aulæis totas vias cooperientibus, ac tapetibus, & omnis generis ornamentis ex parietibus pendentibus. Arcus etiam triumphales aliqui circiter octo a privatis extructi sunt non minus magnifici & sumptuosi, quam aspectu delectabiles & jucundi; & ii ab amicis & curialibus, non autem Romanis, nec sumptibus publicis erecti fuere, excepto Dominico Maximo, qui aliquid tamen festiviter potius quam sumptuose fecisse visus est. Ordinavi sic volente Cardinale Alexandrino tunc legato viro prudentissimo; ut Pontifex per pompas potius ecclesiasticas, quam mundanas & sæculares exciperetur; sic enim tempus mæstitiæ Christianæ & mysteriorum passionis, intra quæ ecclesia erat, exposcere videbatur; & factum est, ut ab ecclesia prædicta de populo ad palatium, quot ecclesiæ sive parrochiales aut collegiatæ interviæ essent; ubi tot altaria struerentur, quam festiviter cum canticis & sonis & vaporibus & paratibus magnificis possit, atque omnis urbanus clerus nul-*

Ingredienti ornata pompa triumphalis.

Ad pietatem potius quam fastum comparata.

*la ecclesia quantumcumque privilegiata excepta non per modum ordinariæ aut consuetæ processionis, sed mansionis & ornatus obviaret, non antecedendo Papam, sed quæque religio, aut collegium, aut ordo in ecclesiastico apparatu vestitus cum palmis in manibus firmius, ad suum quisque altare cantaret, applaudendo advenienti Pontifici; & non sequerentur procedentem Papam, sed subsisterent in suo loco cantantes omnes. Hic ordo laudatissimus & optimus fuit; nam & Papa istum clerum omnem festivantem agnovit: clerus quoque sic ab equitantibus non est pessundatus, & triumphus iste tempori accommodatus fuit; & si aliquæ ecclesiæ paulisper inter sese distantes essent, tunc ibi æqualibus distantiis modo altaria fuerunt erecta, & ibi aliquæ religiones aut clerus sæcularis adhibitus.*

Instructæ in via aræ.

IV. Interjectis nonnullis de contentione inter Lateranenses & S. Petri canonicos suborta sedataque ea ratione, ut Lateranenses in area S. Marci, ut vicina consisterent & crucem quantumvis velatam osculandam Pontifici porrigerent; alii in vaticana basilica exciperent. Addit author: *Igitur omnibus Cardinalibus ac prælatis ac ordinibus officiorum tam Romanorum quam curialium ordinatis, Papa amictu, alba, stola pretiosa cum capucio de rosato ac capello de velluto ornatus suæ mulæ insidens ordine equitationis solemnis consueto discessit hora fere* XXI. *& ad ecclesiam Sancti Petri pervenit circiter* XXIV. *hora, aut paulo minus.* Et infra: *Apud molem Hadriani versus palatium spectaculum nobile affuit, & visu mysterioque delectabile. Currus erat triumphalis a quadrigis albis tractus, & is erat in formam rotundam, super cujus planitie decem pueri alati sive aligeri singuli suam palmam manu ferentes canticum spectaculo & elegantia ac gratia & modulatione jucundum repetebant; & ii per orbem & revolutionem quasi tripudiantes super gyro illo circuibant. Quibus tacentibus, ac curru firmato assurrexit puerulus in summitate alta palmam manu quatiens, eam quasi Pontifici porrigens cum cantu convenienti gloriæ Pontificis, qui in celebritate palmarum palmam suæ Romæ afferret; cum ipse Pontifex potius omni palma dignissimus sit eu tyrannide pulsa.* De apparatus elegantia subiicit: *Super caput pueri erat quidam orbis magnus in formam sphæræ astronomalis, ac super sphæra quercus aurea magna, quæ inter duas palmas magnas erecta ad cœlum suos ramos & glandes aureas pandebat: hujus autem omnis rei summitas vel pinnaculum ecclesiæ transpontinæ æquabat*, & paulo inferius.

Quo cultu indutus Pontifex.

Decantatum illi a puero elogium.

*Omnis equitatus pertransiit ad ecclesiam S. Petri; ubi Papa in primis gradibus scalarum plateæ osculatus est crucem, quam Cardinalis de Columna obtulit; & inde pedes, quamquam fessus præcedentem capsam cum sanctissimo Sacramento associavit usque ad altare: Cardinalis idem de Columna incensum & aspersorium in porta ecclesiæ obtulit, sanctissimo Sacramento super altari S. Petri locato: Papa solito longius quam umquam oravit, atque solemni benedictione data, sine indulgentia tandem in gestatorio sedens ad cameras suas lætabundus delatus est.* V.

Eucharistia ad aram associata.

Reddita urbi sede Apostolica Julius Gallicæ in Italiam expeditionis exitum expectavit, & Faventiæ Ravennæque a Venetis repetendarum restituendarumque ecclesiastico imperio consilia in opportunius tempus extraxit, cum Gallus junxisset (a) fœdus cum Venetis; ne difficillimo bello se implicaret, si Veneti Cæsari Insubriam repetenti, ac Liguribus vetustam rempublicam instaurare molientibus se conjunxissent. Suspensa autem erat Italia bellorum ingentium metu, ac multi suspicabantur (b) Ludovicum Gallorum Regem ingentes illos bellicos apparatus ornasse non modo ad redigendam Genuam in suam potestatem, sed ad occupandum quoque Italiæ imperium; sparsique fuere rumores (c), meditari illum evehere malis artibus ad pontificatum Cardinalem Rothomagensem, ut imperii sui Gallicæque gloriæ amplitudinem augeret: jam enim arctissimi illi amicitiæ nexus Gallum inter ac Pontificem solvi cœperant; cum Rex Julio patriæ dignitatem tueri, ac Genuense bellum mollioribus pactionibus componere annitenti aures non dedisset. Accessisse anno superiori Genuensium oratores ad Pontificem refert Paris (d) rituum sacrorum magister, controversumque an inter divina mysteria coram Pontifice peragi solita dandus iis locus foret inter principum oratores, cum Gallico jugo subessent; Pontificemque in eodem dignitatis ordine ac principum oratores collocari voluisse. VI.

Galli cum Venetis fœdus ineunt.

(a) Basel. in addit. ad Naucl. Guicc. l. 7.

(b) Id. ib.

(c) Paris. e Graff. in itinerar. Jul. II. Lud. Cavit. hist. Crem. Guic. l. 7. & alii.

Exorta inter Julium & Ludovicum odiorum semina.

(d) Paris. ubi sup.

Genuensibus favet Julius adversus Gallum.

Exorti (e) autem fuerant superiore anno Genuæ tumultus ingentes inter plebejos & patritios, qui ex æquo inter se publica munera partiebantur; neque initio de Gallico jugo excutiendo actum est, sed plebeii in eos consurrexerant quod indigne se lacessitos injuriis fuisse quererentur: quam Galli seditionem cum sedare nisi essent, conventum est, impetratumque ab Rege pacis amante, ut tertia insuper dignitatum pars plebeiis deferretur, ut eo facilius se a potentiorum injuriis vin- VII.

(e) Bonaccur. in diariis Bizar. hist. Gen. l. 18. Aug. Just. l. 8. Fol. l. 12. Guicciar. l. 7.

Plebs Gallicum jugum excutit.

vindicarent. At partis honoribus elata plebs pellere nobilitatem, veterisque reipublicæ formam redintegrare ausa, Paulum Novium ferici fili tinctorem ducem creavit, ac Monœcum Grimaldorum arcem bello tentavit. Gallus vero Rex profugorum nobilium, qui stipendia regio exercitui ad plebem redigendam ad officium pollicebantur, precibus, retinendique Ligustici imperii ardore inflammatus, conflato ingenti exercitu perduelles cogendos ad jugum subeundum decrevit. Damnabat (a) Pontifex initio eorum seditionem; nam dum adhuc Bononiæ morabatur XVII. januarii die Saonenses monuit, ut Hieronymum Auriam interciperent: cujus hortationibus Octavianus Fregosius Saonam ad defectionem a Rege Francorum pellicere moliebatur: tum de pace egit (b); demum tamen Gallica expeditione Genuensis nominis dignitatem libertatemque extingui ægre tulit (c). Lenocinabantur sibi plebeii Cæsarem ipsorum patrocinium suscepturum, nec Pontificem patriæ defuturum. Verum fractæ eorum spes primis regii exercitus impressionibus evanuere, atque octidui flexu perdomiti sine ulla pactionum formula capitis fortunarumque permisso Regi imperio se dediderunt (d): retractus e fuga Paulus Novius dux purpuram suo tinxit sanguine, Demetriusque Justinianus capite suo pœnas persolvit: reliquorum sanguini maxima regiæ clementiæ laude temperatum, imperata tantum mulcta pecuniaria: excitatæ arces, jussique ne posthac pecuniam cum Ligusticis, sed regiis tantum insignibus percuterent (e): atque ita Liguria in Gallicæ provinciæ formam, evulsis reliquis veteris principatus vestigiis, redacta: ob quod Bizarrus ait, Julium patria Ligurem exacerbatum ira ab regia amicitia descivisse. Conceptum tamen altum dolorem, corde pressisse, cum Ludovicus Rex subacta Genua exercitum dimisisset ac sparsas de affectato Italiæ imperio, transferendoque ad Gallos pontificatu suspiciones removisset [1].

Instructus ad eam domandam Gallicus exercitus.

(a) L. 2. brev. p. 89.

(b) Bizar. l. 18.

(c) Id. ib.

Ligures de Cæsareo & pontificio auxilio frustra præfidunt. Sub jugum missi.

(d) Bonacc. in diariis. Bizar. Folieta Aug. Just. Guicc. ubi sup.

Parcitum civium sanguini.

(e) Bizar. l. 7.

Liguria in provinciam Galliæ redacta. Ex eo dolorem Julius concipit.

VIII. Sedata hujus Ligustici belli tempestate, nova alia ex Germania Italiam infestatura procella conflabatur. Coegerat (f) solemnes ordinum imperii cœtus Constantiæ Maximilianus Cæsar, ac subsidiaria agmina & stipendia deposcebat a principibus, ut veterem imperii Germanici splendorem in Italia instauraret. Querebatur confectas antea cum Ludovico Francorum Rege pactiones de principatu Mediolanensi ab eo violatas (g): querebatur de Venetis, ipsos cum Gallo Rege fœdus pepigisse, nec imperialia modo, verum pontificia (h) jura labefactare (i), ac Germanicæ gentis decus penitus in Italia interiturum, nisi ad illud in pristinam restituendum dignitatem insigne augustale pontificia manu accepturus Romam contenderet. Accensum ad id Maximilianum ipsum hortatu Pontificis Gallicam potentiam in Italia ingravescentem metuentis nonnulli tradunt (k). Illud sane constat, Julium cum ab Romanorum & Gallorum Regibus mutuas geri simultates conspiceret, ad eos in concordiam revocandos, ut sua ex Venetis Romanæ ecclesiæ jura repeteret, principesque ad sacram in Turcas expeditionem conficiendam concitaret, studia apostolica contulisse; atque ea de causa Antoniotum Palavicinum Cardinalem (l) S. Praxedis ad Ludovicum commorantem Januæ mox atque eam in suam potestatem redegit, ad Maximilianum vero Bernardinum Cardinalem S. Crucis (m) legatos decrevisse, ut Paris Grassius, qui pontificio tum lateri adhærebat testatur, dum ritum, quo Antoniotus Gentilis patria Genuensis Cardinalis S. Praxedis a Pontifice dimissus est (n) describit. Tum de Carvagialio legato hæc addit: *Die veneris* XVI. *julii Papa misit in summa aurora pro me, & dixit quod hoc mane in consistorio volebat creare legatum de latere Cardinalem S. Crucis ad partes Germaniæ obviam Imperatori venturo, ut dicitur, in Italiam; & quod propterea facerem quod omnia essent in ordine.* Et infra: *Et sic ista die ipse reverendissimus dominus Cardinalis S. Crucis videlicet dominus Bernardinus Carvagialius fuit*

Germanus Cæsar vetera jura repetere molitur in Italia.

(f) Trith. chr. Span. hoc ann. Basel. in addit. ad Naucl. Guicc. l. 7. Bizar. l. 18. & aliis.

(g) Basel. in addit. ad Naucl.

(h) Trithem. chron. Span. hoc ann.

(i) Id. ib.

(k) Guicc. l. 7. Cortell. hoc ann. in hist. Cremon. & alii.

Pacem inter Gallum & Cæsarem redintegrare nititur Pontifex.

(l) Paris. in itiner. Jul. II. ms. arch. Vat. pag. 193.

(m) Id. ib. pag. 206.

(n) Id. p. 196.

NOTÆ [1] Totam hanc historiam excitatæ ac demum compressæ Genuensis seditionis Bartholomæus Senarega in suo libro de rebus Genuensibus vulgato Rer. Ital. to. XXIV. fuse, diligenter, ac sincere, quippe qui præsens omnibus interfuit, persequitur, quamquam codex unde historia hæc desumpta in eo mendosus est quod hos motus sub annis 1504. & 1505. collocat, eum potius anno 1506. & 1507. adscribendi fuissent. Turbas hasce ceptas anno 1506. die VIII. junii idem testis affirmat, ex quo erroris revincitur Spondanus qui exortam seditionem *sub finem anni superioris* 1506. asseruit. Hoc ineunte anno Ludovicus Gallorum rex in Genuenses movit, lentoque itinere ad urbem accedens, tandem terrore potius armorum suorum quam cæde & sanguine Genuenses officii sui admonuit. Admissus igitur in urbem est die XXIX. aprilis, statimque rebus componendis intenta cura, morigeros illos obsequentesque nactus est. Quare brevi omnibus pacatis, die *pridie id. majas* discessit. Hæc Senarega, ex quo corrigas Annalistam. Mansi

Bernardinus Card. decretus legatus in Germ.

*fuit creatus legatus, & a collegio solemniter associatus usque ad domum suam medius inter reverendissimos dominos de Columna, & de Gonzaga diaconos Cardinales.* Instructus est amplissimis mandatis a Julio ac prærogativis ornatus (a) hac de causa : *Cum hodie te ad charissimum in Christo filium nostrum Maximilianum Romanorum Regem illustrem ad partes Italiæ venientem, & ad universam Germaniam, ac alia loca quæcumque, ad quæ te forsan declinare contingeret, nostrum & Apostolicæ sedis legatum duxerimus destinandum, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno MDVII. pridie non. augusti pontificatus nostri anno* IV.

(a) L. 40. bull. 3. 246.

IX. Exceptum illum, cultumque magnis honoribus a Maximiliano, narrat Nicolaus Baselius (b) hisce verbis : *Eodem anno Maximiliano electo Imperatore apud Augustam Vindelicorum constituto, missus est legatus a latere Bernardinus Cardinalis S. Crucis per Julium Papam ad eundem Maximilianum : cui obviam extra civitatem Augustam Imperator exiit, maximo cum honore suscipiendo. Peragravit idem Bernardinus superiorem & inferiorem Alemanniam, habens in comitatu suo doctos admodum in omni facultate viros, quamquam & in plerisque, ut refertur, suæ legationis & facultatis limites excessit.* Addit his Baselius (c), Cardinalem ipsum S. Crucis a nonnullis in invidiam vocatum, quasi Francorum Regis partes potius quam Germanorum tueretur datumque illi probro videri potest, quod gloriæ vertendum fuit, nimirum ad redintegrandam inter Ludovicum & Maximilianum pacem incubuisse : ad quod præclarum opus provehendum urgebatur hisce literis (d) a Pontifice, ut Christianorum principum arma tot sæculis Christiano cruore madentia in Turcas verti possent : jubebaturque Cæsari exponere, ut si quam a Ludovico, qui desponsam nepoti filiam Claudiam Francisco Engolismensi locarat, injuriam accepisset, illam Christo ejusque vicario condonaret.

(b) Basel. in addit. ad chro. Naucler.

Imperator illi obvius occurrit.

(c) Basel. ubi sup.

(d) Lib. 8. brev. pag. 598.

Solicitatus Cæsar ut in Turcas vertantur arma.

*Cardinali S. Crucis.*

*Tuarum partium erit Regem ipsum Romanorum assidue hortari & excitare ad faciendam pacem honestis conditionibus cum ipso Christianissimo Rege Francorum, sepositis rebus, quæ difficultatem habere videntur, pacemque ipsam retardant ; gloria enim divini nominis, & humanæ gloriæ, & causa publica privatæ anteferenda est ; quod etiam Regi Christianissimo scribimus. Horteris etiam ad suscipiendam sanctissimam contra Turcas perfidos expeditionem tantam bene gerendæ rei a Deo & salvatore nostro occasione oblata ; prout te pro singulari tua probitate & sapientia facturum non dubitamus. Habes latissimum campum, in quo multis efficacissimis rationibus evagari tua eloquentia poteris. Inter cætera Regem ipsum hortaberis, ut Salvatori nostro & nobis injurias atque offensas condonet, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum* XXII. *decembris MDVII. pontificatus nostri anno* V. Excitare etiam aliis literis Pontifex Maximilianum annisus est (e), ut Christi gloriam amplificandam armis in Turcas susciperet, Regumque Hispanorum, qui religionem late in Africa, Indiis & America propagabant gloriam æmularetur.

Legatus sacram in eos expeditionem jussus promovere.

(e) Ib. p. 602.

*Regi Romanorum.*

*Propitiatus jam*, nimirum Deus, *& pacatus occasionem rei Christianæ bene gerendæ jam obtulisse videtur ; ut quemadmodum in occidente per charissimos in Christo filios nostros Ferdinandum Aragoniæ & Siciliæ Regem catholicum, Portugaliæque Regem, orthodoxam ejus fidem propagavit & exaltavit, Saracenorumque perfidorum vires attenuavit, atque contrivit ; ita ut per excellentem maiestatis tuæ nationisque Germanicæ, aliorumque principum virtutem superbissimos & crudelissimos salutiferæ crucis hostes Turcos finibus Europæ ejiciat, & aut ad lumen veræ fidei perducat, vel penitus conterat ; quod in ipso Deo & salvatore nostro spem conjicientes brevi confidimus esse futurum, præsertim si celsitudo tua cum charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Rege Christianissimo pacem fecerit, & tanti apparatus armorum in ipsos Turcos conversi fuerint, juvantibus & contribuentibus omnibus aliis Regibus & principibus Christianis, qui pro sanctissima expeditione contra eosdem Turcos, & alios hostes Christiani nominis facienda, & indicenda, literis & nuntiis apud nos assidue instant. Quocirca, &c. Dat. Romæ* XXI. *decembris MDVII. pontificatus nostri anno* V.

Datæ ad Maximilianum eo argumento literæ.

X. Pari studio instabat Julius apud Ludovicum Gallorum Regem, ut illum ad pacem cum Cæsare redintegrandam adduceret : legaratque ad ipsum antea, ut diximus, ea de causa Cardinalem S. Praxedis, quem referunt historici (f) celeberrimo Ferdinandi Regis, qui Neapolitani regni compositis rebus, abductoque secum Ferrando Consalvo, ad Castellæ, Legionis, & Granatæ regnorum administrationem capessendam, suorumque & Maximiliani communium nepotum gerendam tutelam, in Hispaniam redibat, necnon Ludovici Francorum Regis colloquio Saonæ habito interfuisse, solicitasseque Hispanum, ut Maximilianum sibi conjunctissimum ad pacem cum Gallo con-

Card. S. Praxed. ad Gallum missus.

(f) Guicc. l. 7. & alii.

Gonsalvus a Ferd. abductus e Neap. regno.

Inter Ferd. & Gallum pax redintegrata.

conficiendam flecteret. Porro Hispanum Gallumque Reges sumpta Eucharistiæ particula sacrosancto ritu fœdus instaurasse tradunt (a); Cardinalem vero Gentilem ex legarione reversum maritimisque confectum laboribus supremum diem obiisse hoc anno, refert Paris de Grassis (b): *Decimo septembris*, inquit, *defunctus est bonæ memoriæ Antoniotus Gentilis de Palavicinis episcopus Prænestinus Cardinalis S. Praxedis Januensis vir bonus & amator bonorum.*

(a) Ferron. l. 4. Lud. XII. & alii.
(b) Paris. in itiner. Jul. II. ms. arch. Vat. pag. 216.
Card. legati obitus.

X. Post hanc legationem non abstitit Julius a conquirendis universis concordiæ rationibus; Gallumque literis solicitavit (c), ut honesta pacis fœdera cum Cæsare percuteret, potentiaque Gallica partis tot olim de Christiani nominis hostibus victoriis nobilitata, ad Bajazethem Turcarum Imperatorem accepta a Persis clade consternatum obterendum uteretur.

(c) Lib. 8. brev. pag. 601.

*Regi Francorum.*

*Celsitudinem tuam hortamur in Domino, & per viscera Salvatoris nostri obtestamur & obsecramus, ut tantam occasionem a Deo oblatam præterlabi non permittas; sed facta pace honestis conditionibus, reconciliataque gratia cum charissimo in Christo filio nostro Maximiliano Romanorum Rege illustri, ad quem etiam de hac re scribimus, vires tuas omnes inclytæque potentissimæ & Christianissimæ nationis Gallicæ in Turcos jam trementes, rebusque suis quodammodo diffidentes convertas: hoc inclyti progenitores tui summa cum laude sæpe fecerunt, hinc speciosissimum & Christianissimum nomen emanavit: hoc majestatem tuam curare & optare pro comperto habemus: hanc immortalem gloriam, & æternæ beatitudinis præmia consequi poteris. Dat. Romæ* XXI. *decembris MDVII. pontificatus nostri anno* V.

In Turcas debilitatos signa attollat.

XI. Excitabatur Julius ad inferendum Turcis bellum ab Emmanuele Lusitaniæ Rege; qui continuis victoriis in India Christi cultum imperiumque Lusitanum proferebat; misitque (d) eam ob causam hoc anno ad sedem Apostolicam Didacum Almeidam: cui Pontifex rescripsit (e), retardatum se hactenus ob Regis Gallorum Cæsarisque discordias a vocandis Regum principumque oratoribus, ut tam optata sancta expeditio decerneretur; tantoque se illius conficiendæ desiderio flagrare, ut bellum illud administrare, & capitis periculum in castris crucesignatis suscipere secum ipse statuisset: adesse egregiam rei gerendæ occasionem, cum Sophy Persarum Rex Turcicam potentiam conterere jam cœpisset.

Lusitaniæ Rex promotor belli sacri.
(d) L. 8. brev. p. 599.
(e) Id. ib.
Decreta ab ipso ea de causa legatio.

*Regi Portugaliæ.*

*Charissime in Christo fili noster salutem, &c. Literæ tuæ serenitatis* XXIV. *maii anni præsentis scriptæ, mense novembris proxime præterito per dilectum filium Didacum de Almeida eleemosynarium tuum nobis fuerunt redditæ. Longitudo itineris, & navigatio, quam venti & unde res incertissimæ moderantur, fecere, ut ad nos tardius perferrentur. Eas nos avidissime legimus, & in consistorio nostro secreto fecimus recitari. Eminebat enim in illis tuus optimus animus; qui a nobis & venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus egregie laudatus nunquam satis digne laudari posse videtur: scribis enim te, acceptis literis nostris, de procuranda sanctissima expeditione contra orthodoxæ fidei nostræ hostes, legatisque hujus rei causa ad principes Christianos mittendis, ingenti gaudio affectum fuisse; optimam etiam spem concepisse expeditionis ipsius ex personali profectione nostra ad liberandam jugo durissimæ servitutis inclytam civitatem nostram Bononiæ; & ex instauratione * principis Apostolorum de urbe hortaris provide nos, ut quando Deus omnia impedimenta, quæ eatenus fuerant, sustulit; & plerique ex principibus antedictis tam proni sunt in suscipienda expeditione sanctissima, ut eorum oratores in itinere ad nos veniendi esse jam credas. Nolumus gloriam Dei & nostram alteri dare; sed præveniamus atque anticipemus, nuntiosque expeditos mittamus ad omnes, eorumque oratores accersamus, qui nulla alia de re verba faciant, priusquam de suscipienda hujusmodi expeditione conclusum sit. Nos, fili charissime, consilia tua libenter amplectimur, sunt enim plena charitatis atque prudentiæ; sed dum hæc scribebas nondum tibi nota esse poterant ea, quæ subsequuta sunt de suspicionibus atque discordiis inter charissimos in Christo filios nostros Maximilianum Romanorum & Ludovicum Francorum Reges subortis, deque missione duorum legatorum nostrorum de latere ad utrumque eorum: in qua missione non pompam, sed rectam rationem & sapiens consilium eorumdem venerabilium fratrum nostrorum sumus secuti. Ad Regem enim ipsum Christianissimum in Italia existentem, ad cujus adventum non solum Italia ipsa, sed tota Germania est commota, virum magnæ authoritatis mitti oportuit, & ipse Rex merito se a nobis magnifieri intelligeret, animum ad pacem facilius flecteret, & tantos apparatus armorum contra impios salutiferæ crucis hostes converteret vellet. Regi quoque Romanorum jam ad bellum accenso per virum etiam maximæ authoritatis suadenda pax fuerat, ut*

*& mit-*

Gratulatur Julio Lusitan. de Bononia recuperata.
* basilicæ
Addit stimulos ut mutuo fœdere Reges jungat in Turcas.
De legatis ad Gallum & Germanom missis fit certior Lusitanus.

*& mittentis, & ejus ad quem mittebatur, & rei, de qua agebatur digna ratio habita videretur. Utinam, utinam, fili charissime, ea sublata essent impedimenta, quæ scribis! misissemus episcopos, protonotarios, & inferioris ordinis nuntios ad principes omnes: convocassemus oratores eorum omni studio, cura & diligentia, sanctissimam expeditionem decerni curavissemus, quam tantopere desideramus, ut in eam in propria persona ituri simus, prout nuper charissimo in Christo filio nostro Henrico Angliæ Regi illustri rescripsimus. Sed quo in statu res quoad discordias Romanorum & Franciæ Regum sint ipse Didacus eleemosynarius serenitati tuæ referre poterit: quo audito intelliges promissa nostra irrita non fuisse, & nos nulli rei defuisse, quæ ad nostrum pastorale officium pertinent. Perseveret igitur tua serenitas in tam sancto laudabilique proposito, aliosque principes excitare non cesset; nam nos verbo aderimus & exemplo: Deus enim cujus causa agitur, magnam bene gerendæ rei occasionem obtulisse videtur contra perfidos Turcos, quorum vires quidam Sophi Rex Persarum labefactare jam cœpit, & labefactat in dies, ut ex multorum fidedignorum literis & sermonibus nuper accepimus. Dat. Romæ x. decembris MDVII. pontificatus nostri anno v.*

Turcica potentia a Sophi labefactata.

XII. De Ismaele Persarum Rege, de quo meminit Pontifex, refert (a) Joannes Barrosius, illum, ut sibi ad maxima quæque iter muniret, instauratam ab avo sectam Persicam dilatandam armis suscepisse: discissa enim est Mahometica superstitio in duas principes sectas, Persicam nimirum & Arabicam; quarum irretiti erroribus non modo armis, sed etiam scriptis inter sese certarunt. Qua in re observandum est, ipsos non modo circa Mahometis fabellas commentitias, ejusque progeniem calipharumque ordinem, ac jura varie insanire, ac deliria deliriis pugnantibus refellere, verum circa divinitatem utramque sectam ingentes errores tueri; quamvis nonnulla falsis vera immixta tueantur: namque Persæ Manetis phanatica secuti ludibria, Deum boni, mali dæmonem authores constituunt: repugnant Arabes, Christianæ fidei lucem in hac re non aversati, negantque duas divinitates, duove principia, alterum boni, alterum mali esse posse: at iidem sophorum veterum errore involuti, res omnes creatas divinitati coævas turpiter affirmant. At Persæ Christianum circa id dogma amplexi Deum æternum confitentur, humanum autem genus principium creationis habuisse. Circa beatitudinem æternam & divinitatis intuitum utraque secta aberrat, cum orthodoxa veritate spreta varia Armeniorum hæreticorum commenta sectentur: Persæ enim sanctorum sive beatorum animas essentiæ divinæ conspectu non fruituras affirmant; cum divinitas sit spiritus; divinam tamen magnitudinem, misericordiam, pietatem, aliaque attributa in rebus creatis contemplaturas: labuntur etiam Arabes eorum errore, qui divinitatem lucem corpoream immensam commenti sunt, obcœcati divinitatem oculis carneis a beatis inspectum iri contendunt. Utramque sectam orthodoxæ fidei luce collustratus arguit Christianus, dum sanctorum animas non corporis sed mentis oculo supra naturæ vim a Deo corroborato divinæ essentiæ intuitu potituras profitetur. Aliæ etiam duæ sectæ vigent apud Persas, quarum altera nec prophetas, nec legem Mosis, quam admittunt Arabes, sed ea tantummodo, quæ ratione naturali probari confirmarique possunt, admittit: altera Leucippi delirio inhærens, omnia in orbe geri casu, vique syderum administrari in divinæ providentiæ ludibrium fabulatur. At de his hactenus.

(a) Barrol. dec. 2. l. 10. c. 6. ex script. Persarum & Arabum.

Duæ sectæ Persica & Arabica in superstitione Mahometica.

Persæ duo boni & mali principia constituunt. Negant Arabes sed mundum æternum constituunt. Errant ambo circa beatitudinem.

Arabes fingunt divinitatem esse lucem corpoream.

Persica secta negat omnia quæ luce naturali probari non possunt. Turcica ad vim syderum omnia refert.

XIII. Restituta (b) est hoc anno insula Socotora Christiano imperio in maris Erythræi faucibus sita. Insulani tincti erant Christianis sacris, Abyssinorum Jacobitarumque ritum sectantes, crucis dominicæ cultores eximii, cujus imaginem affixam pectori circumferunt, atque in templis religiose collocant; psallunt vero ter coram illa singulis diebus Chaldaico idiomate, & mares Apostolorum, fœminæ vero Mariæ nomina gerere solent. Subierant illi jugum Mauricum viginti sex ab hinc annis, cum Rex Caxemii Fartacum in Arabia classe immissa, arcem munitissimam in ea condidisset, adegeratque insulanos ad vectigalem annuam pensionem. At cum Tristannus Cugna Arabes, qui ad extremos spiritus pertinacissime se defenderant, in arce oppressisset, Socotorini mox atque victorem Christianum esse rescivere, ad ducis pedes se projicientes per sanctissimum Jesu nomen eum obsecrarunt & obtestati sunt, ut gentem iisdem sacris addictam, ejusdemque consortem spei, contra infidelium vim tyrannidemque tueretur. Describit hanc victoriam ornato stylo Osorius (c), cujus verba repetimus: *Hanc insulam suspicantur multi eam esse, quam olim Dioscoridem appellabant, quæ ad Prasum promontorium spectat. Est autem variis montibus distincta: abundat variis fructibus & oleribus: homines sunt colorati, se Christianos esse profitentur, templa more nostro cum altaribus ædificant, cruces tan-*

Socotora imperio Christiano restituta.

(b) Jo. Bar. dec. 2. l. 1. c. 3.

Ut subacta fuerit antea ab Arabe Rege.

(c) Osor. l. 5. Masfejus. l. 3.

Socotoræ situs.

*tum*

*tum habent in ipsis altaribus statuas; imaginibus non utuntur; dies jejuniis dicatos de Christianæ religionis more singulari ciborum abstinentia observant, nec enim illis, cum jejunant, pisces edere licet: unam tantum uxorem ducunt: eosdem festos dies, quos nos agimus, & iisdem temporibus celebrant, & divorum etiam memoriam sancte colunt: decumas frugum & fructuum sacerdotibus integre persolvunt. Navibus carent: sunt disciplinarum prorsus ignari usque adeo, ut cum Christianum nomen retineant, Christianæ religionis imperiti sint: ignavia & otio torpent; animo demisso & abjecto sunt usque adeo, ut sine ulla recusatione paucis Saracenis obtemperent; & cum impotenti ab illis tyrannide vexentur, nullam tamen pro libertate dimicationem subeundam existiment. Rex Caxenii, est autem ea regio fœlicis Arabiæ, quam Oceanus definit, eam tunc durissimo dominatu oppressam tenebat, & ut illis spem recuperandæ libertatis adimeret, arcem non procul a littore extruxerat, multisque præsidiis & bellicis instrumentis egregie munierat, filiumque suum juvenem acri animo præditum eidem præfecerat. Hanc Cugna expugnare statuit, ut Christianos incolas ea tyrannide liberaret: primum tamen Abrahemum, sic enim adolescens ille regius appellabatur, per legatum admonuit, ut e regione, quam pater illius nullo jure armis invaserat, confestim excederet & arcem sibi omni præsidio nudatam traderet.*

Ritus Christianorum ejus regionis.

Maxima apud eos imperitia segnitiesque viget.

XIV. Cum hæc Saracenus tempsisset imperia, bello petitus una cum suis omnibus, qui mortem quam dedere se maluerunt, variis impressionibus hostilibus contrucidatus est: e nostris octo tantum desiderati; quamplurimi vero sauciati arce capta. Addit Osorius: *Cugna oppidi incolas admonuit, se, ut illos in libertatem vindicaret, jussu Regis Emmanuelis in eas oras pervenisse, indignum namque clarissimo principi visum fuisse, gentem Christianam Saracenorum superbissimum dominatum tandiu pati. Oppidani gratias agere, manus in cælum tendere, clamores lætitiam significantes emittere, omniaque felicia & fausta Emmanueli precari: in templum inde in quo Saraceni sacra impura e Mahometis disciplina procurabant Cugna cum Lusitanis omnibus se contulit, in eoque sacris expiato res divina singulari cærimonia atque sanctitate facta fuit. Cugna arcem multorum operis multo melius munitam Alfonso Morognæ, ut ab Emmanuele jussus fuerat, commisit: inde vero decimo die augusti anno MDVII. in Indiam transmisit.* Tradit idem author missos tres oratores ab Emmanuele Rege ad Æthiopum Imperatorem; quem ait satis imperite presteiannem vulgo a nostris dici: & quidem ex Vincentio Bellovacensi, Aythono Curchi principe, Marco Paulo Veneto orientalium rerum peritissimis, aliisque historicis vidimus Presbyterum Joannem in India imperitasse. Decreta autem erat hæc legatio, ut iis officiis illecti Æthiopes auxiliorum adversus Saracenos, a quibus premebantur, spe conjunctionem ecclesiarum cum Romana ecclesia, ob disjunctissima terrarum intervalla & perfidas nationes medias intermissam, instaurarent: de quo inferius.

Saraceni victi & cæsi.

Socotorini se Regi Lusitano dedunt.

Templum Mahumeticum expiatum & consecratum Christo.

Legatio Lusitani Regis ad Abyssinum.

De redintegranda Æthiopum cum Romana ecclesia conjunctione actum.

XV. Porro in Socotoræ insula sacrorum curam suscepit Antonius Laurerius Franciscanus vir eximia sanctitate; tollendisque vitiis, quæ in mores hominum religionemque irrepserant, strenuam operam dedit (a): siquidem ex Æthiopia vicina plures errores traxerant Socotorini, sejunctique erant a Romani Pontificis authoritate, circumcisionemque ac nonnullos Judaicæ superstitionis ritus usurpabant; ad quos postea pietate erudiendos S. Franciscus Xaverius apostolico munere perfunctus est. Cæterum in India Laurentius Britus in Cananoris arce gravissimum bellum pluribus mensibus sustinuit ab infido Rege Malabarum Imperatoris auxiliis fulto oppugnatus: ac licet barbari ad quinquaginta armatorum millia concurrissent; multis tamen præliis feliciter initis hostium impetus propulsavit non sine divina ope, cujus certissima signa emicuerunt; quandoquidem cum Lusitani salutem suam beatissimæ Virgini enixe commendassent, commeatuumque inopia premerentur, die assumptæ in cœlum eidem Virgini sacro tempestas maxima in mari coorta tantam locustarum maritimarum multitudinem ad singulos undarum accessus in portum ejecit, ut earum salubri carne, ut immisso cœlitus manna pluribus diebus victitarint. Quod cœleste beneficium his verbis describit Maffeus (b): *Per famuli negligentiam accensa noctu lucerna casas aliquot Lusitanorum ex arida materia foliis paleisque momento combussit. Eo incendio multo maxima pars commeatus absumpta: quæ res tam aspero ac difficili tempore Brittum graviter admodum perculit; ac ne cæteri desponderent animos omni arte damnum celare conatus est: sed & longe arctior solito in dividendis cibariis parsimonia; & ob id ipsum crebra servitiorum transfugia rem & Lusitanis & hostibus prodidere. Itaque omnibus pene consumptis ad extremam ventum erat inopiam, neque jam muribus fœdisque aliis animalibus abstinebatur;*

(a) *Barros. sup. c. 3. Maffejus l. 3.*

Circumcisio & alii ritus Judaici usurpati a Socotorinis.

Cananoris arx obsessa in India.

Divinitus commeatus immissi Lusitanis.

(b) *Maff. l. 3.*

*tur; cum divinitus, ut sæpe alias, oblatum nec opimanti Lusitano remedium est. Templum in extrema arce erat Virgini victrici ab Laurentio Almeida extructum; ad id templum desperato pene omni humano subsidio Lusitani quotidie confluebant, opem cum a Deo cœlitibusque, tum præsertim ab ipsa Virgine Dei matre enixe petentes, ne se in alieno ac barbaro solo tot undique cinctos angustiis, tot pressos malis fame ipsa denique electos Christianos ipsos & a Christo filio sibi commendatos clementissima Regina cœli despiceret; suis peccatis noxisque, quas ipsi innumerabiles faterentur ab irato Deo veniam & pacem exposceret; neque jam de corporis modo, sed de animorum salute periclitantibus in tempore subveniret. Haud incassum missæ preces; ipsomet festo assumptionis die, ne quid miraculo rem posset eximere, solito vehementius intumescens pelagus ingentem locustæ numerum ad ipsas templi radices ejecit, quæ a Lusitanis gratulabundis avide collecta, in multos dies abunde suffecit; nec validos tantum sæva fame, verum etiam, ut salubris est cibus, ægros diuturno morbo levavit.*

Confugerant illi ad B. Virginis opem.

Die sacro assumptæ Virgini editum miraculum.

XVI. Gestum deinde majori conatu atque ardore ab hoste bellum, effusæque omnes terra marique vires ad nostros antequam subsidiaria classis appetente in iis regionibus vere appelleret: sed patefactis a quodam e regiis propinquis, qui voluntate in Lusitanos propendebat, barbarorum consiliis, impetus eorum omnes fracti sunt, ac licet plures in pugnæ cum Mauris, quorum ingentes strages sunt editæ, ardore sauciati fuerint; nemo tamen e vulneribus periit (*a*). Demum Tristanni Acunii Socotora subacta venientis classis victrix apparuit: cujus adventu territus Cananoris Rex pacis leges Christiano nomini honorificas accepit; quam victoriam divino Numini ascriptam refert idem Maffeus: *Soluta*, inquit, *obsidio est; cujus ad quatuor menses forti animo toleratæ decus eximium Laurentius & commilitones tulere: quamvis adeo lætos & insperatos eventus periti rerum æstimatores divinæ bonitati sine ulla dubitatione tribuerent, cujus beneficio & ultimæ inopiæ subsidium præter expectationem fuisset oblatum, & Cananorius princeps, tanto suo periculo Regis affinitate posthabita, contra consuetudinem gentis in Christianorum causam, ac partes plane divinitus inclinasset, renovato fœdere, oblivio præteritorum indicta, junctæque iterum dextræ & Malabares in suas quisque domos, fremente Zamorino dilapsi.*

Nemo e Lusitanis periit e vulneribus.

(*a*) *Barros. dec. 2. l. 1. c. 5. Osor. l. 4. Maff. l. 3.*

Soluta obsidio classis Lusitanæ adventu.

Victoria ascripta numini.

XVII. Compositis ita Cananoris rebus, Tristannus Cugna vires cum Francisco Almeida prorege junxit adversus Calecutiensem Malabarum Imperatorem; ac Pananem insignem portum, in quem Saraceni institores illapsi erant, quemque Zamorinus munitissimis propugnaculis excitatis, magno cum apparatu tormentorum bellicorum præsidiariorumque Arabum & Nairum turmis instruxerat adortus est. Lusitani numero longe pauciores erant, hostesque Mahumetis templum ingessi impie se devoverant (*b*), e prælio nonnisi victores excessuros, inque superstitionis signum devota capita mentumque abraserant: verum hæc furibunda in ignes telaque ruentium cohors, magno cum labore, quod obnixis corporibus staret (tanta nefariæ superstitionis vis erat) contrucidata: reliqui dein disjecti, propugnacula expugnata impetu, urbique etiamsi opulentissimæ Almeidæ jussu injectæ faces, ne disgregati milites ab hostibus in omnes casus expeditis opprimerentur.

Pananis portus oppugnatus a Lusitanis.

(*b*) *Barros. sup. c. 6. Osor. l. 5. Maff. l. 3.*

Mahometani adversus Christianos dira execratione se devovent. Victi ac cæsi.

Inter hæc Alfonsus Albuquerquius (*c*), qui post expugnatam Socotoram a Tristanno Cugna cum classe Arabiæ oram perlustrare, atque Mahometanos omni cladium genere afficere jussus fuerat, Imperatorem potius, quam piratam agere, contemptaque vili præda subiicere regna Mahumetica constituit, ut Arabes, qui olim invaserant Hispanias, in ipso Arabico solo domarentur ab Hispanis. Ormusiense itaque regnum navalibus percelebre atque opulentissimum aggressus est; ac prætervectus Felicis Arabiæ oras Ormusii regni oppidum Calajates intra sinus Persici introitum subegit, incolis commeatus in classem inferendi dato imperio. Inde in Curiatem verso impetu, cum Mauri dolo sordes commeatuum vice importassent, ferro flammisque oppidum deleverunt; quantumvis tria millia hostium descensione Christianos prohibere annisi essent: subivit mox belli aleam Mascate urbs Ormusiensis Regis auxiliis instructa, expugnataque: territum ea clade Soar deditionis verba nuncupavit; pariterque Orfazanæ urbis, quæ ultima versus septentrionem in Arabia Ormusiensis Regis imperio continebatur, cives terrore perculsi ad primum Albuquerquii appulsum, etiamsi muris ac tormentis muniti essent, in silvas præcipites abierunt. His gestis Albuquerquius in Ormusiæ insulam regnique sedem victoriæ cursum convertit.

(*c*) *Barros. dec. 2. l. 2. c. 1. 2. 3. & 4. Osor. l. 5. Maff. l. 3.*

Ormusiense regnum invadunt Lusitani.

XVIII. Imperabat Ormuziis Zeiphadinus puer Ismaelis Regis Persarum; qui falsorum vaticininrum, novæque sectæ illecebra Mahometanos deceperat vectigalis, cujus curam ac tutelam gerebat Atar eunu-

Ferox Ormusiensis Regis responsum.

Navali prælio victi Saraceni.

(a) Maffei. lib. 3.

Suismet telis divinitus confixi.

Ormusiensis Rex vectigalem se Regis Lusitani constituit.

(b) Barros. l. 2. c. 4. & 5. Oros. & Maffeus ubi sup.

nuchus: is exigua Albuquerquii contempta classe plus viginti millia hominum ad pugnam instruxit, & quasi explorata victoria respondit, Ormuzianos Reges vectigalia ab aliis exigere, non pendere consuevisse, experturumque Albuquerquium quantum armati Arabes Persæque Cafribus seminudis Æthiopibusve inermibus antecellerent. Pollebat classe numerosa barbarus, urbisque aditum navibus obsepserat; verum conserta pugna non robore, non ardore animi par fuit: precatus enim Deum Albuquerquius, ut pro Christiani nominis gloria decertanti adesset propitius, tanta vi hostilem classem fudit, ut cœlum pro Christianis pugnasse videretur: *Inter paucas*, inquit Maffeus (a), *præcipue memorabilis hæc fuit victoria: desiderati ex hostibus mille sexcenti, e nostris non amplius decem ac præsentis e cælo subsidii haud dubiam fidem cum alia multa fecere; tum vero fluitantia mox Mahometana cadavera sagittis* [ *cum eo teli genere Christiani carerent* ] *pectore adverso transfixa, ut ab illis missæ in ipsosmet retortæ divinitus viderentur fuisse.* Injectæ sunt navalibus faces, atque Ormuzia discrimen adiit, ne incendio conflagraret. Quibus malis domiti Saraceni iis legibus pacem admisere (b), ut Zeiphadinus Rex in clientelam Emmanuelis Lusitaniæ Regis concederet, qnindecim millium aureorum vectigal penderet, necnon ad extruendam arcem Albuquerquio necessariam materiam, operas, sumptusque suppeditaret. Cum vero ita Lusitanum imperium firmandum putaret Albuquerquius, versa in contrarium spe labefactatum est, quandoquidem animadverso Christianorum exiguo numero Arabes fidem maligne servarunt, nostrique operum laborumque pertæsi in Albuquerquium seditionem movere, quasi extructa arce ab Arabibus & Persis, mox atque classis abscederet, præsidiarii opprimendi forent. Accesserat autem Persarum Regis legatus, qui vectigal ab Ormuziano deposcebat; cui Albuquerquius impositis in ferculum globis ferreis cuspidibusque respondit (c), ex ea moneta vectigal pendi a Rege Lusitano iis, qui a Regibus Lusitano imperio obnoxiis vectigal postulent: sed hæc magnifice magis quam prospere dicta; siquidem rebellarunt Ormuziani, ac post varia prælia, cum urbs prope in extremam inopiam redacta leges ab Albuquerquio acceptura esset, navarchi conspiratione facta in Indiam vela explicuere: ita desertus Albuquerquius cœpto destitit, omnem tamen insulam vastavit, nec non duos Laregii Regis propinquos quingentosque Mauros Ormuzianis subsidio venientes cæcidit: tum ad Socotoræ arcem, quam Fartaces oppugnabant, proximo ineunte anno commode accurrit.

Arx ab Albuquerquio excitari jussa.

(c) Osor. l. 6. Maffeus l. 3.

A Lusitanis navarchis deseritur.

Socotorinis præsidiariis fert opem.



XIX. Pervenit interea ad pontificem paucis post diebus novus nuntius ab Emmanuele Rege Lusitaniæ cum regiis literis de Taprobana (d) Christiano adjuncta imperio, deque pulcherrima maritima victoria de barbaris habita: quo læto nuncio universi gaudio completi sunt; cum tenuis antea de ea insula fama ad veteres Romanos pervenisset ex servo Antonii Plocami, qui ex Arabico sinu solvens ea tempestate delatus fuerat: de qua etiam Eratosthenes, Dionysius poeta & Ptolomæus, ut disiunctissima ad austrum meminere, ut notat Raphael Volaterranus (e): meminit etiam de ea Dorotheus Tyri episcopus qui floruit Imperante Constantino, atque in ea evangelium Christi ab Eunucho Candacis Reginæ Æthiopum promulgatum fuisse testatur. Cum vero in eam appulere Lusitani, extincta erat evangelii lux, insanisque superstitionibus Taprobanenses erant irretiti, quamvis insignis alicujus sanctitate viri defixum aliquod vestigium coletenr; ut refert Maffeus (f), qui insulam illam ita describit: *Hæc ovali maxime figura ducentarum circiter & quadraginta leucarum ambitu, leucas in longitudinem septuaginta octo patet, in latitudinem quatuor & quadraginta, atque a Cori promontorio avulsa freto vadoso Piscariæ, quæ appellant oræ prætenditur, ea cæli clementia, soli ubertate, & copiæ fluminum aquarum perennium, ut primorum parentum sedes olim perhibeatur fuisse; varia pecorum armenta, nec non elephantos gignit egregie bellicosos ac dociles: cæteris metallis caret, ferrum incolæ effodiunt: plurimas fert gemmas, verum præcipua claritate sapphiros, chrysolitos, pseudopalos, ac pyropos, itemque aromata pretiosa cinnama, cardamomum, piper ac palmas eximiæ bonitatis. Ad hæc vel in primis jucundo spectaculo silvosi montes ad effigiem theatralem inflexi vastam planitiem oblongo circuitu in caveæ formam includunt; quorum unus in arduam & subreptam altitudinem pene septem leucarum exurgit, habetque in summo æquatam agri planitiem, en cujus medio bicubitale saxum eminens ad instar mensæ vestigium demonstrat impressum inclyti sanctitate viri, quem ex India regno Deli quondam in ea loca venisse tradunt, ut gentem superstitionibus deditam fabulosis ad unius Dei cultum religionemque traduceret. Ergo tantæ venerationis est locus, ut a leucis amplius mille omnium ordinum peregrini, ac præsertim Jogues illuc pietatis causa contendant ingenti labore; si-*

Taprobana insula Christiano adjuncta imperio.

(d) Oros. l. 4. Maffeus l. 3.

(e) Vol. l. 12.

In ea olim evangelium promulgatum.

(f) Maffeus l. 3.

Descriptio illius insulæ.

Eunuchus Candacis Reginæ promulgato evangelio in ea sepultus.

*quidem præter cæteras itineris difficultates atque pericula, in ejus etiam montis cacumen nonnisi per adactos clavos ferreasque cathenas ascensus est. Haud absimile vero videtur, quod ajant quidam in eo, quod dixi, vestigio, quamquam extincta jam nominis antiqui & peregrini memoria coli eunuchum Candaces Æthiopum Reginæ, quem cum alii scriptores, tum vero Dorotheus Tyri episcopus, qui Constantino magno imperante & sanctitatis & doctrinæ laude præcelluit in Arabia Felice, totaque Erythra, & in Taprobana Christi evangelium promulgasse testatur. Porro insula universa novem in satrapias, vel regna dividitur; estque ad omne commercium vel frequentia portuum, vel ipsa loci regione in primis accommodata.*

XX. Celebrata Romæ de parta Taprobana lætitia.

Indictæ sunt Romæ a Pontifice solemnes supplicationes ad agendas Deo gratias de amplificato in India Christiano nomine, compositoque agmine religioso Julius cum Cardinalibus sacram pompam duxit: tum Emmanuel Lusitaniæ Rex publice pro concione laudatus, editæque aliæ plures lætitiæ significationes, quas Paris de Grassis ita describit in rituum hoc anno peractorum historia: *Sanctissimus dominus noster, cum diebus proximis*, nempe in adventu, *habuisset nuntium a Rege Portugaliæ de victoria per classem ejus habita contra Regem Taprobanensem, qui est in insula magna Taprobanis, quæ habet decem civitates sub se absque reliquis insulis habitabilibus in Oceano versus Indos, & prout diffusius Rex ipse Portugalensis scripsisse dicitur, statuit ad laudem Dei pro gratiarum actione aliquam solemnem memoriam exinde facere. Propterea mandavit quod in die S. Thomæ Apostoli, qui est apud Indos pro magno sancto adoratus, fieret solemnis processio per omnem clerum urbis usque ad S. Petrum, nulla habita ratione privilegiatorum, sed ut omnes tam patriarchales quam abbatiales ordines venirent; & etiam quod omnes officiales quorumcumque urbis officiorum sicut in die corporis Christi venire solent, exceptis luminaribus. Statuit etiam quod omnes hujusmodi processiones cleri solum & non officiorum ad S. Petrum per triduum venirent. Item quod ignes publici, & campanarum sonitus, & aliæ significationes lætitiæ fierent in vigilia S. Thomæ & in die ejusdem. Item quod diceretur missa in ecclesia S. Petri apud altare S. Petri per Cardinalem. Item quod sua sanctitas & omnes Cardinales & prælati induti paramentis processionaliter irent ad ecclesiam, & quod fieret sermo indicativus tantæ victoriæ, & quod daret plenariam indulgentiam, & ostenderetur vultus sanctus, & ferrum & lancea Christi.*

Instructæ solemnes supplicationes.

XXI. De propagato in India imperio Christiano Reges facti certiores.

Cepit inde Julius ingens amplificandæ in oriente religionis, superstitionisque Mahometicæ delendæ desiderium, deque evertenda Turcica tyrannide iniit consilia; deditque propterea operam ut Reges jungeret fœdere; quos de propagato in India Christiano imperio fecit certiores, ut Lusitani Taprobanam amplissimam insulam subegissent; ut aliam quoque non minorem invenissent, & cum hostibus barbaris maritimo prælio decertantes eorum classem maximam fudissent evertissentque; utque in ea loca ventum esset, e quibus sultano Ægyptio & Babylonio acre moveri bellum, & terror incuti posset: tum lætam spem affulgere, ut excisa in occidente Saracenorum tyrannide, Christi cultus restitui Asiæ posset: quo argumento scriptæ hæ ad Henricum Angliæ Regem literæ (a), quibus etiam ipsum rogavit, ut Romanorum & Francorum Reges ad redintegrandum inter sese pacem, ac vertenda adversus Turcas arma hortatibus suis urgeret.

(a) Lib. 8 brev. p. 598.

*Regi Angliæ.*

*Accepimus nuper literas charissimi in Christo filii nostri Emmanuelis Portugaliæ & Algarbii Regis illustris de præclarissima victoria, quam contra perfidos Saracenos salutiferæ crucis hostes est consecutus, prout ex exemplo literarum ipsius Regis præsentibus introcluso majestas tua videbit: quibus nos literis lectis solemnibus cerimoniis gratias Deo egimus, ingenti lætitia exultavimus, & in optimam spem adducti sumus, ut a septentrionalibus & aliis principibus Christianis simile aliquid aut majus fiat contra perfidos Turcos, & alios infideles: Deus enim & salvator noster Jesus Christus, qui ob aliquod grave fortasse delictum populum suum fidelem hactenus in oriente opprimi passus est, pacatus jam & propitiatus pulchram occasionem reipublicæ Christianæ bene gerendæ obtulisse videtur perdomitis jam & contritis in occidente Saracenorum viribus virtute charissimorum in Christo filiorum nostrorum Ferdinandi Catholici & Emmanuelis Portugalensis Regum illustrium; divinum enim Numen orthodoxis Portugalensibus affuisse videtur, qui Taprobanam insulam maximam & nobilissimam vectigalem sibi fecerunt, aliam non minorem insulam adinvenerint, & cum classe ducentarum magnarum navium, aliorumque navigiorum omnibus instrumentis bellicis instructorum aperto marte, cum ipsi numero essent longe inferiores, congredi non dubitarunt, eamque in fugam verterunt & dissipaverunt, & in ea loca progressi sunt, ex quibus magnum terrorem perfidissimo su-*

Solicitati ad arma Turcis inferenda.

*superbissimoque soldano inferre possunt : quia Salvator noster voce quodammodo sua reliquos Christianos principes admonere videtur, ut tantam occasionem præterlabi non permittant ; sed contra perfidos Turcos aliquid dignum nomine & majoribus suis aggrediantur, prout nos charissimis in Christo filiis nostris Romanorum & Franciæ Regibus, eos ad mutuam pacem faciendam sanctissimamque expeditionem suscipiendam hortantes, scribimus. Quocirca majestatem tuam in Domino exhortamur, ut quemadmodum hactenus sapientissime pientissimeque fecisti, nobis in suadenda hujusmodi pace cooperari velis, eisdemque Regibus suadere, ut sepositis rebus, quæ pacem ipsam retardare possint, in mutuam gratiam redeant, pacem faciant, & tantos apparatus belli in hostes fidei orthodoxæ convertant, offensasque mutuas ipsi Salvatori & nobis condonent ; cum gloria divina, humana, & publica utilitas privatæ anteponenda sit. Speramus quod Reges ipsi, ut sunt pientissimi atque sapientissimi, vocem Salvatoris & nostram audient, tuisque sanis consiliis in hac re acquiescent. Dat. Romæ* XXIII. *decembris MDVII. pontificatus nostri anno* V.

Rogatur Anglus ut redintegrandæ inter Reges paci studeat.

XXII. Addidit etiam Julius hac occasione pios stimulos Ferdinando utriusque Siciliæ & Aragoniæ Regi (*a*), ut partam in Mauris ex Granatensi regno ejiciendis gloriam augeret, Mahometisque sordibus Africam, quæ audito tantum ipsius nomine contremiscebat, liberaret : cumque ipsius & Emmanuelis opera plures nationes ad Christum traductæ essent, incitandos addidit septentrionales Reges, ut par studium in divini numinis cultu latius amplificando excindendoque Turcico imperio collocarent.

(*a*) *Ib. p.* 660.

Hispanus ad debellandam Africam excitatus.

*Julius, &c. Sit Deo laus & honor : magna profecto majestatis tuæ, magna ipsius Portugaliæ Regis gloria : quorum cujus virtute ac pietate impii Saraceni Boetica ejecti in ipsis etiam Africæ tectis nomen & potentiam Christifidelium, tuamque formidant : multæ etiam & maxime insulæ, multæque nationes ad verum Dei cultum redactæ sunt : nunc a nobis & tua majestate est curandum, ut septentrionales quoque principes præsertim Romanorum & Franciæ Reges prædicti, qui Dei benignitate potentissimi sunt, & valentissimos exercitus habent, vires suas contra perfidos Turcos convertant ; ut quemadmodum ab occidente tutela & propagatio Christianæ rei per tuam majestatem & Portugalensem effulsit, ita in oriente quoque devictis impiissimis Turcis effulgeat, &c.* Addit preces, ut concordiæ inter Ludovicum & Maximilianum Reges interpretem agat, jungatque fœdere in Turcas. *Dat. Romæ* XXVII. *decembris MDVII. pontificatus nostri anno* V. Accensus pontificiis adhortationbus Ferdinandus Rex bellum in Africa adversus infideles intulit : de cujus victoriis dicetur inferius : nunc ab Indiis orientalibus ad occidentales digredimur.

Actum de septentrionalibus Regibus in impios conjungendis.

XXIII. In America ejusdem Ferdinandi auspiciis, ac virtute Christophori Columbi patria Genuensis, ejusque fratris Bartholomæi res Christiana amplificata fuerat, inventæque erant amplissimæ insulæ, auri, gemmarum & aromatum feraces, quarum nulla apud veteres memoria extiterat : tum ingens affulgebat spes novas in dies insulas terrasque vastissimas repertum iri; in quibus Christiana religio propaganda foret : cum vero Christophorus Columbus e vivis sublatus esset, Didacus illius filius Americanus archithalassus non paucos adversarios expertus est ; cujus patrocinium suscepit Pontifex rogatu Bartholomæi Columbi Christophori fratris, qui post sulcata Americæ maria, insulas, & continentem lustratas ad sedem Apostolicam se contulerat, & Franciscum Ximenium archiepiscopum Toletanum, ut Hispaniarum primatem, ac religionis dilatandæ cupidissimum hortatus est (*b*), ut Didaci jura apud Ferdinandum tueretur, pactionesque a Christophoro Columbo cum illo factas servandas curaret; adjecta est iis literis hæc temporis nota : *Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die* XIX. *mensis aprilis anno MDVII. pontificatus nostri anno* IV.

In America amplificatum imperium Christianum.

Christophor Colonì obitus.

(*b*) *L.* 2. *brev. pag.* 312.

XXIV. Auctus est sequenti mense Cardinalium senatus adjectis tribus Gallis, & Hispano, ut refert Paris de Grassis (*c*) : *Die*, inquit, *lunæ* XVII. *maii MDVII. publicati fuerunt tres Cardinales, duo ex tribus, qui prius creati fuerant secrete ab eodem Pontifice Bononiæ existente, scilicet dominus Franciscus de la Tremoglia Gallus Cardinalis Auxitanus, dominus Reginaldus de Prio Cardinalis Bajocensis : dominus Ludovicus de Ambasia Cardinalis Albiensis ; & cum istis eadem die creatus & publicatus est simul alius ad instantiam Regis Castellæ dominus Franciscus ordinis Minorum Cardinalis Toletanus.* Primus ex his paucis mensibus superstes dignitatis titulo sepulchrum ornavit : quartus vero cognomine Ximenius pietate & rebus pro Christo præclaræ gestis inclaruit. Evecti sunt etiam nonnulli ex veteribus Cardinales ad celsiorem gradum eodem anno, ut refert idem Paris de Grassis (*d*) : *Die* IX. inquit, *septembris provisum fuit ecclesiæ Sabinensi de persona reverendissi-*

(*c*) *Paris. p.* 306.

Auctum collegium Cardd.

(*d*) *Ib. p. p.* 217.

mi

*mi domini Raphaelis Cardinalis S. Georgii per obitum Cardinalis Recanatensis vacanti: reverendissimus dominus Cardinalis S. Crucis fuit promotus ad ecclesiam Tusculanam. Item die veneris* XXVII. *ejusdem provisum fuit ecclesiæ Albanensi de persona reverendissimi domini Cardinalis Macloviensis vacanti per translationem reverendissimi Cardinalis Alexandrini ad ecclesiam Prænestinam, tum per obitum Cardinalis S. Praxedis vacantem: & ipse dominus provisus fuit associatus a collegio Cardinalium usque ad habitationem suam, quæ fuit in monte Jordano, & Cardinales non sunt ingressi domum, sed extra in platea majori fecerunt ceremonias.*

XXV. Felix obitus S. Francisci Paulani.

Hoc anno migravit in cœlum Franciscus Paulanus sanctitate & miraculorum gloria celeberrimus, conditor Minimorum triplicis sodalitii; cujus religiosa instituta vivo & spirante ipso confirmata a Romanis Pontificibus refert Leo X. in diplomate (a) de ipsius memoriæ consecratione edito: *Fratrum*, inquit, *ac sororum cum decem, dictorum autem utriusque sexus tertiariorum regulas cum septem capitulis per eum pie institutas reverendissimæ memoriæ Julius Papa II. similiter prædecessor noster, eodem beato viro tunc in humanis agente, matura præhabita deliberatione tanquam religioni consonas, postquam idem Sixtus prædecessor noster, ac sanctæ commemorationis Innocentius VIII. & Alexander VI. Romani Pontifices etiam prædecessores nostri eidem beato viro, ejusque ordini, ac ejus personis & domibus, quamplura privilegia concesserant per suas primo & deinde nos per alias nostras literas approbavimus & confirmavimus; diversisque privilegiis, gratiis, & indultis ordinem ipsum multipliciter communivimus, prout in ipsorum prædecessorum & nostris inde confectis literis plenius continetur. Cumque vitæ suæ finem jam proximum divina inspiratione prospiceret, idem beatus vir, pridie quam decederet, qui fuit dies cœnæ Domini, pluribus en fratribus suis, qui en variis provinciis & regnis tunc ad eum venerant, astantibus in missa conventuali, & post pœnitentiæ sacramentum susceptum, cum profundissima humilitate, uberrimaque lachrymarum effusione pectus suum percutiendo, sacrosanctum Eucharistiæ viaticum e manibus unius en sui ordinis presbyteris magna cum devotione suscepit. Postea domino nostro Jesu Christo, beatæque Mariæ virgini, & sanctis omnibus devote peractis gratiarum actionibus, missaque hujusmodi celebrata, ad cellam suam propriis pedibus, licet præ senectute debilis & infirmus baculo, quem more solito gestabat, innixus rediit. Postero autem die, cum idem beatus fidelisque Dei servus tempus instare videret, quo sibi ex hac lachrymarum valle migrandum erat, dictos fratres suos ad se convocari jussit, eosque ad fraternam pacem, mutuamque charitatem dulcissimis verbis ac salutaribus monitis charitative exhortatus est, illisque benedictione more solito impertita, cum jam nonagesimum primum vel circa annum feliciter implevisset, anno a partu virgineo millesimo quingentesimo septimo, aprilis vero die secunda, quæ tunc fuit parasceves veneris sanctæ nuncupata, circa horam, qua pro nobis Christus passus est, signo sanctæ crucis devote signatus, omnibusque sacramentis ecclesiasticis debite communitus, ter lecta coram eo dominica passione, junctis devote manibus, erectisque in cœlum oculis sanctæ crucis triumphum pie amplectens reverenterque osculans, ac sæpius, in manus tuas Domine commendo spiritum meum, aliasque pias orationes devote repetens, dimissa hujus carnis sarcina quasi vivens absque aliquo doloris aut mortis notabili signo migravit ad Christum. Cumque tunc per undecim dies, ejusdem beati corpus insepultum remanserit, illucque maxima virorum & mulierum ac religiosarum personarum multitudo accesserit, ut sanctum virum, quem viventem summa fuerant veneratione prosecuti, etiam defunctum viderent, & illius apud Deum suffragia mererentur, mirum omnibus fuit, quod ejus caro per tot dies incorrupta permanserit, nec ullum prorsus fœtorem emiserit, quin potius odor quidam suaviter fragrans ab ea manaverit. Post ipsius etiam obitum multis ejus opem implorantibus omnipotens Deus quamplures gratias elargiri, magnaque miracula palam operari dignatus est.* Permotos earum cœlestium virtutum fama Franciscum I. Francorum Regem, Claudiam Reginam, quæ nuncupato voto prolem masculam, cui Francisci nomen impositum est, suscipi obtinuit, atque Aloysiam Regis matrem apud Leonem X. egisse, ut sanctorum honores illi decernerentur, inferius dicetur (b).

(a) Leo X. in bull. const. 38.

Sacramenta pie ab eo suscepta.

Dominica passio morienti perlecta.

Ejus corpus suavem odorem spirat.

(b) A. C. 1519.

XXVI. Hoc anno virgo Deipara insigni miraculo virgunculam quandam septennem Alexandram nomine, quæ in agello, dum paternas pecudes pascebat, sub arborum umbra supplex Deo preces fundere consueverat, prehensam manu ad Lauretanam ædem triginta milliarium intervallo disjunctam deduxit, reduxitque: tum pietatis tyrocinio ita perpolivit, ut postea sanctimonialium numero ascripta sanctitate ac miraculis floruerit. Rem uti gesta est in Lauretana historia describit Horatius Tursellinus (c) societatis Jesu

(c) Tursellin. hist. l. 2. c. 13.

sa-

*Virguncula divinitus ad ædem Lauretanam adducta.*

sacerdos : *Sabino cuidam ex pago haud ignobili agri Piceni [ Rocham contradam vocant ] filia erat septennis nomine Alexandra, quæ haud longe a pago paternum pascebat gregem. Hæc dum oves pascerentur sub arboribus venerabunda cœlesti Numini supplicare consueverat : itaque divinitus, nondum septennium egressa, dicavit se Deo; quo magistro, dum precibus institit Deiparam enixe colens, repente obtulit se illi cœlesti specie Virgo [ haud dubie Dei mater fuit ] quæ puellam manu prehensam se sequi jubet. Mira res dictu ! triginta millia passuum ab eo loco ipsamet cœlitum Regina parvam puellam ad Lauretanam deducit ædem, & ingenti perfusam gaudio ex suæ imaginis ac domus aspectu reducit ad pastua : ibi Alexandram, etiamsi quæ tandem illa ædes, quæ Virgo esset ignoraret, tamen ingens ejus loci & spectaculi desiderium tenebat. Ergo ut gustata semel Lauretanæ domus dulcedo subibat animum, flens precibus urgere ac fatigare Sabinum patrem non desinebat, ut ad ædem illam tot luminibus illustrem [ neque enim aliter designare noverat locum ] se duceret, ubi pulcherrima illa Virgo habitaret. Eludebat filiæ postulatum pater, sive pueriliter eam delirare ratus, sive quem tandem locum illa describeret ignarus. Cæterum haud multo intermisso tempore evenit, ut Sabinus cum universa familia Lauretum pergeret : tum vero Alexandra locum agnoscens gestire, & exultare gaudio, ac versa ad parentem: En pater, inquit, hæc illa est domus, quo me pulcherrima illa Virgo candida veste amicta deduxerat ; huc ego redire, hoc spectaculo iterum frui expetebam. Obstupuit ad hæc pater, & eximiam puellæ erga Deiparam religionem animo reputans, sensit eam B. Virgini esse cordi utique, cum Dei matre illam ad se a primis annis inusitata quadam ratione pelliceret. Igitur pietatem filiæ fovere non destitit, remque omnem nec ipse tacuit ; & Alexandra ubi adolevit piis hominibus sæpe narravit, qui deinde aliis ac mihi ipsi retulerunt. Incidit hoc miraculum in annum sæculi hujus* VII. *nec frustra hæc fuerunt. Alexandra deinde hoc tyrocinio imbuta virginitatem perpetuo coluit, vitamque sanctissime egit ad annum nonagesimum, Lauretanam Virginem quotannis revisens. Tanta porro fuit sanctimoniæ fama, ut in oppido Montalbodo virginum cœnobio antistita data sit ; ubi miraculis etiam non tantum virtutibus floruit.*

XXVII. Cum in ea ædicula sacra Lauretana maxima in dies divina pietas miracula ederet, Pontifex sacras indulgentias ab aliis pontificibus concessas iis, qui eam lustrarent, confirmavit : tum etiam ab episcopi Recinetensis imperio liberari & immunem esse jussit (a); quod facer esset B. Virginis thalamus, qui e Syria in Illyricum, inde Lauretum, mutatis variis locis, translatus fuisset.

(a) *Jul. II. lib. bull. 50.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Ecclesia Lauretana miraculo posita.*

*Dudum postquam felicis recordationis Paulus Papa II. prædecessor noster sub datis videlicet octavo kal. februarii pontificatus sui anno septimo ; omnibus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui ecclesiam B. Mariæ de Laureto dudum in honorem ipsius Virginis gloriosæ extra muros Recanatenses miraculose fundatam, in qua, sicut fidedignorum habebat assertio, ipsius Virginis gloriosæ imago angelico comitata cœtu mira Dei clementia collocata existebat ; & ad quam propter crebra & stupenda miracula, quæ ejusdem Virginis gloriosæ meritis & intercessione pro singulis ad eam recurrentibus, & ejus auxilium implorantibus humiliter, Altissimus operabatur in dies, ex diversis mundi partibus etiam remotissimis ejusdem Virginis gloriosæ, liberati præsidiis populi confluebat multitudo in singulis diebus dominicis, incipiendo a prima tunc proximæ quadragesimæ, usque ad solemnitatem sacratissimi corporis domini nostri Jesu Christi, singulisque diebus majoris hebdomadæ, quæ sancta appellatur, & similiter in festivitate resurrectionis dominicæ cum duobus sequentibus, ascensionis quoque, & pentecostes cum duobus sequentibus, & solemnitatis ejusdem corporis domini nostri Jesu Christi, & per totam ejus octavam, in aliqua festivitatum dominicarum seu dierum prædictorum devote visitarent, & pro ipsius fabricæ conservatione ac ornamento sive alias manus porrigerent adjutrices, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti & ore confessi forent, plenam absolutionem, remissionem, & indulgentiam concesserit : piæ memoriæ Sixtus Papa IV. etiam prædecessor noster, ejusdem Pauli prædecessoris vestigiis inhærendo, ac cupiens, ut ipsa ecclesia, ad quam specialem gerebat devotionis affectum, congruis frequentaretur honoribus, & quod fideles præfati eo libentius devotionis causa confluerent, ad eandem, & ad hujusmodi ædificiorum fabricam & perfectionem manus promptius adjutrices ; quo ex hoc ibidem dono cœlestis gratiæ uberius conspicerent se refectos, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ex tunc in futurum ecclesiam prædictam præscriptis quadragesima, & aliis sequentibus dominicis, usque ad solemnitatem prædictam sacratissimi corporis domini nostri Jesu Christi, ac singulis diebus majoris hebdomadæ, necnon resur-*

*Maxima in ea edita prodigia.*

*Indulgentiæ eam lustraturis propositæ.*

re-

*rectionis cum duobus sequentibus, & ascensionis dominicæ ac pentecostes etiam cum duobus sequentibus, & in solemnitate præmissa ejusdem corporis domini nostri Jesu Christi, & per totam ejus octavam, aut aliquam dominicarum festivitatum, seu dierum hujusmodi devote visitarent, annuatim & ad structurarum prædictarum perfectionem, ipsiusque ecclesiæ ornamentum, aut alias in ipsius ecclesiæ utilitatem manus porrigerent adjutrices, omnium peccatorum, de quibus corde contriti & ore confessi forent, plenam absolutionem, remissionem & indulgentiam, per quasdam concessit, &c.* Subdit Julius, Sixtum Lauretanam ecclesiam ab episcopi Recinetensis potestate liberam pronuntiasse, ipsam clientelæ sedis Apostolicæ addixisse; tum plura, ut divina res in ea augustiore pompa perageretur, constituisse, vetuisseque Recinetensem episcopum vel prætorem, quidquam ex sacra stipe a fidelibus oblata decerpere: postea vero Hieronymum episcopum Sabinensem tunc tit. S. Balbinæ presbyterum Cardinalem Recinetensi episcopatui præfecisse, eidemque curam Lauretanæ ecclesiæ demandasse; tum subiicit Pontifex.

Ab episc. Recinetensis imperio exempta.

XXVIII. *Cum autem nuper præfatus Hieronymus episcopus debitum naturæ persolverit, nos attendentes quod nedum est in prædicta ecclesia de Laureto imago ipsius B. Mariæ Virginis; sed etiam, ut pie creditur, & fama est, camera sive thalamus, ubi ipsa beatissima Virgo concepta, ubi educata, ubi ab angelo salutata Salvatorem sæculorum verbo concepit, ubi ipsum suum primogenitorem suis castissimis visceribus lacte de cælo plenis lactavit & educavit: ubi quando de hoc sæculo nequam ad sublimi assumpta extitit, orando quiescebat; quamque Apostoli sancti primam ecclesiam in honorem Dei & honorem B. Mariæ virginis consecrarunt; ubi prima missa celebrata extitit; ex Bethleem angelicis manibus ad partes Sclavoniæ & locum flumen nuncupatum primo portata, & deinde per eosdem angelos ad nemus Lauretæ mulieris ipsius beatissimæ Virginis devotissimæ, & successive ex dicto nemore propter homicidia & alia facinora, quæ inibi perpetrabantur, in collem duorum fratrum, & postremo ad rixas & contentiones inter eos exortas in vicum publicum territorii Recanatensis, translata existit; cupientesque ipsam ecclesiam ad quam non minorem devotionis affectum gerimus, quam Paulus, & qui secundum carnem avunculus noster erat Sixtus prædecessores præfati gesserunt, tam in spiritualibus & temporalibus quam circa illius ministros, ac res & bona; nec non ad illam devotionis causa accedentes salubriter regi, dirigi, & gubernari, motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine unionem, annexionem, & incorporationem dissolventes, ipsas literas præfati Sixti prædecessoris, quoad exemptionem ipsius ecclesiæ de Laureto, & illius ministrorum oblationum, & rerum omnium mobilium & immobilium ab ecclesia Recanatensi ac episcopo Recanatensi nunc & pro tempore existente, illiusque officialibus quibuscumque præsentibus & futuris, eorumque visitatione, correctione, superioritate, dominio & potestate, atque ad indulgentias eidem ecclesiæ, & illam in prædictis seu etiam forsan aliis diebus visitantibus, tam per dictum Sixtum, quam quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros quomodolibet concessas, nec non quoad facultatem absolvendi, modo tamen infrascripto apostolica authoritate tenore præsentium approbamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere debere decernimus, &c.* Eamdem ecclesiam in clientelam pontificiam acceptam amplissimis exornat prærogativis: tum plura ad ejusdem ecclesiæ augendam dignitatem sanxit. *Dat. Romæ apud S. Petrum an. MDVII.* XIII. *kal. novembris pontificatus nostri anno* IV.

Fuit olim thalamus B. Virginis.

Ea sacra ædicula primum in Sclavoniam, deinde Lauretum delata. Sæpius varia mutavit loca.

Indulgentiæ a Sixto IV. concessæ confirmatæ.

Cum ita nitidissimis & constantissimis argumentis pateat sacram eam ædiculam divinitus delatam, atque a Deo conspicua in ea miracula patrari; tamen hæretici nefarias effundere calumnias, a dæmone utique calumniatore edocti, non perhorrescunt: hæc fingi astu Pontificum, ut Picenum opibus hospitum locupletent; qui utinam positis odiis rei veritatem puram inquirant, atque ex tenebricosissima impietate emergant.

Confirmavit (*a*) hoc anno Julius leges equestris militiæ S. Jacobi, cujus ea erant sanctissima instituta, ut milites ad vitam pro tuenda Christi fide, Mahumeticaque superstitione excindenda semper essent comparati; a quibus clarissimi triumphi de impiis sæpius fuere reportati. Consignatum est hujusmodi diploma hac loci & temporis nota. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MDVII. pridie kal. novembris pontificatus nostri anno* IV. XXIX.

(*a*) *Jul. lib. bull. 71. p. 114.*

Leges militiæ S. Jacobi instauratæ.

In Germania exortus est blasphemus impostor Lutheri antichristi præambulo præcursor, & magicarum superstitionum ostentatione turgidus, qui Christi miracula contemnere, seque illi in patrandis similibus æquare ausus est maximo cum dedecore Germanorum, qui ejusmodi hominum portenta stulte potius coluere, XXX.

quam

(a) *Trith. l. 2. ep. 48.* Impostoris horrendæ blasphemiæ.

quam flammis aboleverunt. Meminit de hoc fathanæ emissario Trithemius (*a*) in literis ad Joannem Virdungum mathematicum his verbis: *Homo ille, de quo mihi scripsisti Georgius Sabellicus, qui se principem necromanticorum ausus est nominare gyrovagus, battologus, & circumcellio est, dignus qui verberibus castigetur, ne temere deinceps tam nefanda, & ecclesiæ sanctæ contraria publice audeat profiteri. Quid enim sunt aliud tituli, quos sibi assumit, nisi stultissima ac vesanæ mentis inditia, qui se fatuum non philosophum ostendit? sic enim titulum sibi convenientem firmavit. Magister Georgius Sabellicus, faustus junior, fons necromanticorum, astrologus, magus secundus chiromanticus, necromanticus, pyromanticus, in hydra arte secundus.* Et infra: *Eadem vanitate actus in plurimorum fertur dixisse præsentia quod Christi salvatoris miracula non sunt miranda; se quoque omnia facere posse, quæ Christus fecit quoties, & quandocumque velit.*

I. Principibus Christianis in Turcas conjungendis data opera.

Anno post Christum natum millesimo quingentesimo octavo undecima indictione Julius consilia jam a se suscepta de principibus Christianis, ac præcipue Germano & Gallo conciliandis & religione Christiana in pristinam in Europa, Asia, & Africa amplitudinem & dignitatem, everso Turcico imperio, restiruenda promovere annisus est. Initæ jam Carvagialio Cardinale in Germania legato interptete erant induciæ inter Maximilianum Cæsarem & Ludovicum Regem, isque ad postulata cæsarea respondetat, formulasque pactionum adjecetat; ad Pontificem vero dederat literas omni officiorum genere refertas: quibus Julius recreatus ipsum sponte ad concordiam proclivem magis impulit (a), ut sine cunctatione fœdus cum eodem Maximiliano sanciret, atque in eo sedis Apostolicæ authoritatem dignitatemque commendatam haberet, ac si aliqua difficultas occurreret, sedem Apostolicam faceret certiorem, ut illam infringendam curaret.

(a) L.8. brev. pag. 43.

*Charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.*

*Charissime in Christo fili salutem & apostolicam benedictionem. Accepimus literas celsitudiuis tuæ Blesiis* XVII. *mensis januarii proxime prætersti datas; in quibus uobis pro rebus Germaniæ, quas paterno affectu cum dilectis filiis Cardinale Clarimontis, & domino de Gemel oratore nostro communicavimus, & præsersim de requisitioue & instantia Cardinalis Brixiensis, & Coustansini Comminasi nomine Regis Romanorum nobis facta; de quibusdam aliis negotiis ad commodum & honorem tuæ celsitudinis persinentibus gratias agit, ostenditque se omni tempore bonum & devotum filium nostrum fusurum, & præ cæteris principibus Christiauis paratum esse exponere personam & bona pro couservatione & augmento status nostri, & sanctæ Romanæ ecclesiæ, sperans quod nos boni & amantissimi patris erga te fungamur officio. Lætamur valde, fili charissime, grata esse celsisudini tuæ ea, quæ pro singulari in te regnumque tuum Christianissimum charitate, proque studio & desiderio pacis agimus. Opsimumque animum tuum erga nos & Apostolicam sedem cum jucunditate recognoscimus & amplectimur; cui nos iu musua charitate semper correspondebimus: & quemadmodum tu bonus & devotus filius nobis eris, ita nos tibi bonus erimus pater. In pace vero atque induciis per venerabilem fratrem Cardinalem sanctæ Crucis nostrum & Apostolicæ sedis legatum, ut scribis, factis seu faciendis, quod ad æquissimas condisiones pro publica reipublicæ Christianæ usilisate descendere sis paratus, non mediocri laude dignus es: in quo bono proposito, us perseveres, celsisudinem tuam, quanto possumus studio, exborsamur; pace enim hujusmodi facta, decerni facillime poseris saucta & pernecessaria contra bostes casbolicæ fidei expeditio, quam pro Christianissimo animo tuo semper optasti; quod etiam in ipsa pace præcipuam aushorisasis nostræ & sanctæ Apostolicæ sedis rationem sis habiturus & curasurus, us nos nou solum principalis & capus confœderatorum, verum esiam paser & protector fusuri simus, pietasem & sapiensiam tuam plurimum ac plurimum in Domino commendamus, & illi iugentes gratias agimus: & quæ pro sua singulari prudensia posest considerare quod quanto fuerit major nostra & sedis Apostolicæ aushoritas, tanso tutiores & firmiores eruns res suæ; se enim us primarium sanctæ Romanæ ecclesiæ filium, deque nobis & sede ipsa beuemerisum in visceribus gerimus charitatis, cujus honori & augmento, quantum cum Deo licebit, semper aderimus & favebimus. Responsiones & capitula sua jam ad Regem Romanorum perveuisse credimus; quibus utinam ille acquiescat, us sublasa omni suspicione atque discordia ad pristinam concordiam redeatis, ac proinde dignitati Christianæ reipublicæ consulatur. Si tamen aliquid scrupuli restaret, pergratum uobis eris, ut id nobis significes; curabimus enim, quantum per nos fieri poteris, ut tollatur, ne quid obsit paci tam necessariæ; nihil enim magis desideramus, quam ut hujusmodi pace facta in perfidos Turcos cum aliis principibus Christianis hoc expectansibus, & optantibus arma vertatis: & ideo nec laboribus nec dispendiis ullis parcendum putavimus ac putamus, Dat. &c.*

Ludovici XI. officia erga Julium.

Julii responsum.

Cohortatio ad pacem.

Monitus Gallus si quæ in pacis formulis difficultas sit eam significet.

II. Maximilianus in Italiam tentat irrumpere.

Dispiciebat tum Maximilianus e summis alpium jugis Italiam, ut in eam signa cæsarea inferret; ac Tridenti peracta pompa, quam ingressuri Italiam Germaniæ Reges celebrare consueverunt, ad Pontificem & Cardinalium senatum scripsit (b) aggressum se iter, ut pontificia manu imperiale insigne arriperet, pollicitus sedis Apostolicæ dignitatem amplitudinemque armis se tutaturum: cui a Julio responsum est, ipsum turbas maximas excitaturum in Italia, si exercitu suc-

(b) Sur. l.8. c. 16. Cavit. hist. Crem. Marian. l.29. c.12.

*Repulsi a Gallis Germani.*

cinctus accederet, videtique opportunius aut arma deponere, vel ea adversus nominis Christiani hostes vertere; ac ne ultra tenderet, eum electum Imperatorem dixit; tentavit ille irruptionem partim ad Carnicas alpes, partim ad Tridentinas fauces. Ad Petram castrum Pitilianus & Trivultius Gallicis copiis fulti Germanos repressere (a) dehinc ductore marchione Brandeburgensi Germani per Venetam ditionem penetrare nisi sunt, cum quibus vario utrinque eventu plura prælia gesta fuere: cumque Cæsar in Germaniam retroflexisset, ad Cadurium Germanicæ copiæ ingenti clade profligatæ sunt a Venetis: qui etiam Tergestum (b) & Gurcensem comitatum partim armis, partim auro subegerunt: expedivere etiam Galli arma, ut Venetorum socii, & castra in Mantuano agro defixere, ne Mantuanus princeps quippiam Cæsaris gratia novaret. Implicitus his difficultatibus Maximilianus, cum Gallorum Rex Caroli ducis Gueldriæ partes adversus Carolum V. Belgii principem tueretur, urgente Bernardino Cardinale legato triennales inducias cum Zacharia Contareno duce Venetorum & Ludovico Gallorum Rege medio junio pactus est (c); demumque vergente anno cum Gallo prætermissis Venetis fœdus sancivit (d).

(a) *Paul. Jovius in epitom. l. 9.*

*Cæsi a Venetis.*

(b) *Nic. Basel. in addit. ad Naucl. Sur. l. 18. Paul. Jov. in epitom. l. 9.*

(c) *Sur. l. 10. c. 19.*

*Triennales inducias init Cæsar cum Gallo.*

(d) *Cap. 27.*

III. *Pax sancita.*

Ita voti compos factus est Julius redactis iisdem Regibus in concordiam, ut ipsemet in edicto apostolico (e), quo Venetos monuit, ut ecclesiastici imperii urbes restituerent, testatur, se nimirum Bernardini episcopi Sabinensis, & Georgii tit. S. Sixti presbyteri Rothomagensis Cardinalium legatorum opera, Maximilianum, & Ludovicum in concordiam redegisse, admisisseque ad fœdus nonnullos alios principes, optasseque se, ut Veneti ab iisdem in societatem, adjungerentur; ita enim conjunctos omnibus mutuo armorum fœdere in Turcas crucesignata vexilla attolli potuisse: sed Maximilianum & Ludovicum, tum Ferdinandum Regem Aragonum contendisse (f) prius a Venetis repetenda, quæ ipsis eripuissent, ut tutius cum Turca bellum gereretur: inde vero infelicissime Christiana arma vertenda adversus barbaros in fidelium viscera conversa sunt, dictumque a nonnullis (g) Turcici belli speciem obtensam fuisse ad bellum in Venetos comparandum, qui quidem ad rerum exitum, non ad consilia spectarunt; molitum enim ex animo Julium expeditionem in Turcas conficere, illius testimonio liquet, tum ex pluribus ejusdem literis, tum ex adhibito studio in sopiendis civilibus Christianæ reipublicæ dissensionibus, monendisque (h) populis, ne intestino bello indicendum in Turcas bellum disturbarent: quamquam postea consiliis exitus non responderunt. Meminit de icto superiori fœdere inter alios Nicolaus Baselius dum ait (i).

(e) *L. 8. brev. ext. typis cusa Rom. an. 1602.*

*Julius commonet Venetos ut restituant urbes ecclesiasticas.*

(f) *Ferr. l. 4.*

(g) *Nic. Basel. in addit. ad Naucl. Bonacc. in diariis Cavit. bell. Crem. hoc ann.*

(h) *Jul. l. 8. brev. p. 195.*

(i) *Basel. in addit. ad Naucl. & Marian. l. 29. c. 15.*

IV.

*Facta est rursus inter Regem Gallorum & Maximilianum confœderatio his capitulis, ut communi apparatu bellico expeditionem in Venetos moverent. Convenit ad hanc confœderationem Julius Papa Pontifex maximus; qui ut res omnis in vado esset, omnibus, quibus poterat, viribus bellum hoc promovere se obligabat: Ludovicus vero Gallorum Rex, quia cum Venetis pactum prius percusserat, quonam pacto renunciaret, cogitare cœpit; opportune tamen, satis callida Gallorum commenta remedium adinvenerunt, Papam in res Maximiliani jurasse, & ob eam rem sibi non adeo tutum fore Christi Ecclesiæ capitibus contravenire, Venetos præterea obsecrare, ut dextras dare Pontifici & electo Imperatori haud quaquam recusent, se vero medium inter utranque partum ponere, quo bellum quod immineret revocaretur: quod Veneti cum recusassent ne videretur ex pede jura fœderis icti temerare, per annos aliquot Cæsari adhæsit.*

*Gallus interpretem concordiæ inter Cæsarem & Venetos agit.*

V. *Si Veneti assensissent paci in Turcicum imperium vertenda erant arma.*

Carpit author perperam Gallum Regem; præclare enim egisse constat, dum Venetos ad pacem cum Pontifice & Cæsare conficiendam suis hortatibus ursit; nam si ea redintegrata fuisset, nullus superest obex, quin universi imperii Christiani Reges arma in Bajazethem ad eum Constantinopoli deturbandum expedirent. Medio circiter decembri superius fœdus Cameraci in Cardinalis Rothomagensis cum Margatita Caroli V. nepotis moderatrice colloquio, cui etiam aliorum principum oratores interfuere, percussum memorat Bonaccursius (k); de quo fuse quoque Surita (l), & decima mensis ictum observat: cui consentit Mariana (m), additque hac de causa Pisanorum libertatem a Gallo & Hispano Regibus turpiter venditam Florentinis: *Gallus*, inquit, *& Ferdinandus, quorum arbitrio Florentini & Pisani suas controversias permiserant, præ studio promovendi pactum bellum Pisanos Florentinis hostibus tradiderunt; sententia pronuntiata nulla famæ memoria, sed honesta facto species prætensa est, Italiæ pacem aliter constare non posse, cujus prima cura erat scilicet nova bella & internecina meditantibus. Suspicio fuit, Florentinorum viribus uti voluisse adversus Venetos, ac centum aureorum millibus, quæ Florentini, si secundum ipsos causa data esset, polliciti erant: Pisanorum libertatem, qui se eorum fidei per-*

(k) *Bonac. in diariis.*

(l) *Sur. l. 8. c. 27.*

(m) *Marian. l. 29. c. 15.*

*Vendita Florentinis Pisanorum libertas.*

*permiserant, turpi mercatu vendidisse, magno tantorum principum dedecore, infamiaque majori Ferdinandi, cujus clientelæ & patrocinio se suaque Pisani permiserant. Verum quid attinet horum principum peccata accusare? familiare est cunctis præ studio habendi plura, nihil præterea curare; aut quis oblata imperii amplificandi occasione leges honestatis & pudoris respiciat? terra libido dominandi cæteris affectibus imperat. Cameracense fœdus ad IV. idus decembris sancitum est.* De Pisis ab utroque Rege traditis Florentinis memorant etiam alii authores, pluresque cives, ne Florentino jugo subderentur solum vertere maluisse.

VI. Pisani plures patriam deserunt.

(a) L. 48. p. 16. & l. 58. p. 1.

Obiiciebant vero Reges Italiam pacari aliter non posse; quæ tamen necessario pacanda esset pro apparando in Turcas bello: extantque insignes Julii literæ (a), in quibus gesta sua commemorat deque Jerosolyma & Constantinopoli recuperandis agit, seque bellicos labores una cum Regibus cupidissime suscepturum professus est.

*Ad futuram rei memoriam.*

Instaurari, concepta a Julio basilica S. Petri. Recepta ab eodem Bononia.

*Quis merito non admiretur cœptam a nobis ad omnipotentis Dei, ejusque intactæ genitricis Mariæ, ac principis Apostolorum B. Petri honorem & laudem necessariam basilicæ ejusdem sancti jam vetustate collabentis reparationem & ampliationem? Aut quis jure posset non laudare nostram expeditionem pro liberanda a sæva tyrannide civitate nostra Bononia susceptam; in qua non modo magnas impensas, sed & proprii corporis pericula & labores subivimus non mediocres? Ut illa sic liberata sub ditione nostra & sanctæ Romanæ ecclesiæ tutius & facilius conservari possit: condidimus & ereximus in eadem munitissimam arcem, eamque validissimo præsidio communivimus: pluraque & labore maximo & impensa longe majori pro conservatione, recuperatione, ac defensione locorum & status ejusdem Romanæ ecclesiæ in dies sustinemus, quæ si maximi oneris ab omnibus judicantur, nobis tamen, qui boni pastoris esse animam suam pro ovibus suis ponere non ignoramus, & continue parabolam de illo, qui gregem suum dimittit, ut deperditam ovem recuperet, mente revolvimus, levia esse: deperditaque ovis pro qua etiam universus gren dimittendus est, anxie quærentibus nobis occurrit, heu [ quod vix sine singultu, ac lachrymis effari possumus ] sancta illa Jerusalem, apud quam Salvator noster, ut nos ab æterna morte redimeret, non dedignatus est crucis subire tormentum, & corpori suo sanctum sepulchrum fieri. Hæc, inquam, est illa ovis jam pluribus annis deperdita, a sævissimis avarissimisque lupis Christi nominis hostibus abacta, & retenta. Hæc est cujus mitis & querulus balatus assidue nostris intonat auribus: hæc nostræ mentis oculis assidue pro velleribus suis laceris ostentat sanctum Calvarii montem vexillo salutifero crucis, inclytum sacratissimi sepulchri sacellum, orationis hortulum sanguineo Salvatoris sudore aspersum, compluraque sacratissima loca, quæ Dominus & salvator noster carne tunc vestitus humana, & sancti discipuli ejus incoluere; nunc, proh dolor! a spurcissimis infidelibus barbaris deturpata sunt & fœdata.*

Arx in ea excitata.

Versæ ad Solymam recuperandam curæ.

Quam indignum sit eam ab infidelibus detineri.

VII.

*Excivit alias balatus is complures Romanos Pontifices prædecessores nostros, nonnullique eorum ipsam ovem & civitatem sanctam Jerusalem maxima cum omnipotentis Dei & Christiani nominis gloria e faucibus rapacissimis luporum ereptam paterne fovêrunt, & recrearunt: sed superseminante humani generis hoste zizania inter Christianos principes iterum atque iterum est subtracta cum maxima orthodoxæ fidei jactura atque dedecore. Nec solum ipsam sanctam Jerusalem, sed regia etiam urbs Constantinopolis, Græciæ quondam lumen & orientalis imperii caput, quæ in extremo Europæ sita tanquam frænum quoddam infidelibus barbaris opposita erat, nobilissimæ quoque provinciæ Achaja atque Peloponesus, Bosnæ & Serviæ regna, & major Macedoniæ & Epiri pars ab perfidis Turcis nostra ætate [ quod sine ingenti dolore cogitare non possumus ] direpta & in miseram servitutem redacta sunt; quorum incolæ Christianis parentibus orti jugum spurcissimæ & immanissimæ gentis Turcorum exutere cupientes, tendunt ad cælum manus, & vota assidua faciunt, ut per nos & Reges principesque fideles eis tandem subveniatur. Cumque huic tam sanctæ recuperationi, quæ necessaria essent, non modo sæpius, sed assidue cogitaverimus, & nihil magis in præsentiarum cogitemus, comperimus nihil illi magis necessarium, nihilque ad profligandos, domandos, subiiciendosque hostes Christiani gregis, quam Christianorum principum concordiam commodum esse: quam etsi ab initio nostri pontificatus procuraverimus, proxime tandem Dei munere inter charissimos in Christo filios nostros Maximilianum Romanorum Imperatorem electum, & Ludovicum Francorum Regem Christianissimum composuimus; eosque ac cæteros charissimos filios nostros Christianos Reges, principes, dominos, & potentatus ad hanc sanctam pernecessariamque recuperationem ita animavimus, ut ab eorum pluribus, ut veros de-*

Orientale imperium a Turcis occupari.

Quanta impensa studia pro Germano & Gallo sociandis.

Plores principes ultro in eam expeditionem se offerunt.

*decet Christianos principes, ad tam sanctum opus solicitemur, & alii irrequisiti etiam quod divinæ gratiæ ascribimus se nobis offerant; quo fit, ut eadem gratia confisi in certam spem optatæ recuperationis & victoriæ adducamur: faciuntque nobis etiam animum signa, quæ divinæ voluntatis ad id propensæ cumulatæ victoriæ de infidelibus per catholicos Hispaniarum & Portugaliæ Reges illustres relatæ, quorum virtutibus pro gestis in ampliationem fidei nostræ, & pro eorum in hanc sanctam sedem reverentia assidue in Domino benedicimus, ipsisque ceteris Regibus & principibus Christianis ac catholicæ fidei cultoribus pacem, concordiam felicitatemque precamur: quibus lætis pro æterni Dei gloria animarumque suarum salute nobiscum sanctam recuperationem Jerusalem suscipiant & prosequantur. Et ut ad eandem non modo verbis, sed exemplis etiam a nobis excitentur, & reddantur intentiores, incœpimus jam prosequemurque, divina favente clementia, quæ bellis terrestri & maritimo pro sancta hujusmodi expeditione noverimus esse opportuna, nec laboribus aut impensis, vel proprio sanguini parcemus; jamque jussimus diversis portubus nostris naves triremesque confici, materiasque necessarias e variis locis ad illos deferri, & sic classem nostram ecclesiasticam augeri, terrestremque quoque exercitum non modo conscribi, sed parari & illi stipendia exolvi mandavimus. Verum quia ad tantam absolvendorum basilicæ & arcis prædictarum, ac tutandi, recuperandi & manutenendi status sanctæ Romanæ ecclesiæ, pontificalisque dignitatis debito decore retinendæ, construendæ, armandæque classis, maritimique & terrestris exercitus alendi, ac sustinendæ hujusce sanctæ expeditionis molem, nostræ, & sanctæ Romanæ ecclesiæ prædictæ, quarum dispensatores effecti sumus, non suppetant facultates; etsi ad amplianda ecclesiarum omnium commoda nostræ considerationis intuitum extendamus, & pro universorum Christifidelium profectibus nostra semper aspiraverit & aspiret intentio: tamen contra morem & propositum nostrum necessariæ impensæ, quas pro hujusmodi pia & sancta expeditione & sustinenda mole incumbentium onerum prædictorum subire oportet, nos aliquid innovare compellunt: summus & almus ille scrutator cordium intuetur, tangimur stimulis quando ecclesiasticas personas ac alios Christifideles, quos ab oneribus hactenus relevare, quorumque utilitatem & commoda procurare studuimus, urgente reipublicæ Christianæ & orthodoxæ fidei honore & decore gravare oportet: confidimus tamen in Domino, Christifideles omnes, quicumque onera pro necessitatibus sanctæ matris ecclesiæ & sanctæ hujus expeditionis non modo libenter, sed sponte sua allaturos, laturosque onus leve, & suave jugum, quidquid pro sepulchri dominici recuperatione, hujusmodique necessitatibus eos sufferre contigerit. Nec ad hoc illis nostrum deerit quo incitentur exemplum; parati enim sumus in sanctam expeditionem prædictam non modo facultates omnes, quarum dispensatores sumus, exponere, sed personaliter, ut compluribus catholicis Regibus & principibus per diversas nostras literas significavimus, si nobiscum accedere voluerint una cum sacro venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium collegio: qui se etiam ad id pro eorum pia in Christianam religionem devotione sponte obtulerunt accedere, & proprium sanguinem, si opus fuerit, effundere. Volentes igitur pro viribus huic sanctissimo operi, ut tandem Jerusalem sancta, Constantinopolis, aliaque regna & provinciæ prædicta recuperentur, & a manibus hostium eripiantur, quantum nobis ex alto permittitur votive intendere, &c.* Decumam imperat Romanæ curiæ officialibus & clero totius ditionis pontificiæ pro sumptibus tolerandis ad provehenda ea sacra consilia. *Dat. Romæ anno incarnationis dominicæ anno MDVII.* XVI. *kal. aprilis pontificatus nostri anno* V.

Partæ ab Hispano & Lusitano plures victoriæ.

Decernit Julius expeditionem in Turcas suscipere.

Exercitum navalem & terrestrem comparat.

Profitetur cum Regibus bellicos labores suscepturum.

VIII. Tradit Paris de Grassis (a) hoc anno decretam a Pontifice solemnem religiosam pompam eodem ritu, quo superiore anno ob parta in Indiis nova regna, & Christiano adjuncta imperio, eundemque Regem amplificatæ religionis gloria clarissimum pro sacra concione panegyrica oratione laudatum: *Alia*, inquit, *nova venerunt ex Portugalia ad Pontificem; qualiter idem Rex, qui Taprobanam subjugaverat, etiam alias terras & loca infidelium bellando acquisiverit; ex quo factum est, ut Papa decreverit signa lætitiæ facere, & Deo gratias agere de tali victoria. Itaque per multos ante dies statuit, ut missa fieret, & processio in die S. Jacobi apud altare S. Petri ac alia omnia sicut facta fuerunt in die S. Thomæ: & sic universo clero intimata fuit processio, & missa Cardinali Arborensi & Cardinalibus & prælatis, ut adessent cum paramentis rubeis: & parata sunt omnia, ut Papa processionaliter exiret. Item Papa injunxit domino Thomæ Vulterano cognomento Fedræ, ut sermonem haberet in laudem Regis Portugaliæ, & in manifestationem hujusmodi victoriæ.*

(a) *Paris. in itiner. Jul. II. ms. arch. Vat. p.* 296.

Solemnis supplicatio celebrata pro Indicis victoriis.

IX. Adempta fuerat superiore anno Arabibus Socotora, Lami regulus ad obsequium compulsus, Brava expugnata, fractus Ca-

Præclara Lusitanorum gesta.

na-

nanoris & Calecutiensis Regum impetus, nec non Ormuzii regnum sub jugum missum quamvis paulo post rebellarit: quinetiam Fartaces Socotoranos ad rebellandum impulerant. Sed Alfonsus Albuquerquius ineunte hoc anno redegit (a) ad officium, instructaque commeatibus arce Fartaces obsidione depulit. Inde in Ormuzianum regnum invectus Calajatem oppidum evastavit, sæviitque in captivos, quos auribus naribusque truncari jussit: tum naves exussit. Ormuzianos etiam variis affecit cladibus, atque in Indiam expansis velis mense novembri applicuit, ut illius administrationem capesseret. At Almeida, cum jam classem adversus Ægyptios fœderatosque Saracenos Indos instruxisset, cæsique in bello filii necis ulciscendæ cupidine efferretur, præturam non nisi pacata India tradere Albuquerquio distulit. Quod vero ad cladem illatam ab Ægyptiis attinet; narrat fuse Barrosius (b), ut Campso Ægypti Syriæque sultanus, ac Mahumeticæ sectæ princeps Calecuticensis Cambaiæ & Goensis Regum precibus impulsus, ut Lusitanos, qui in Indiis Mahumeticæ superstitionis homines peregrinantesque ad Mechæ profanum delubrum variis cladibus afficiebant, depelleret. Ubi transmisso ad Romanum Pontificem oratore, minisque ferocissimis nil profecisse vidit, pepercit quidem sepulchro dominico reique Christianæ, quod præsagierat Emmanuel: cæterum ad classem instruendam mittendamque in Indiam adjecit curas: sed cum rubri maris oræ ardenti perustæ sole materiam pangendis navibus idoneam non ferant, a Turcarum tyranno obtinuit, ut in Candelorii montibus eam cæderet; qua viginti quinque navium classem oneravit, impositis propugnatoribus octingentis Mamalucis. At Americus Ambasianus Rhodiorum equitum princeps, ubi hanc classem comparari rescivit, ad Christianos India depellendos, classem sex onerariarum navium, & quatuor triremium sexcentis militibus lectissimis instructam immisit præfecto Andræa Amaratio equite Lusitano. Is strenue sultanicam classem adortus, quinque naves mari mersit; sex cepit, trecentis Mamalucis cæsis, ex reliqua classe quatuor naves fluctibus haustæ sunt, ut decem tantummodo naves Alexandriæ portum tenuerint. Elaborata navalibus fabris materia camelorum dorso tridui itinere ad Suetium maris rubri portum subvecta est, compactaque duodecim navium classe, omnibusque necessariis instructa Hocenus Persa rei maritimæ peritia clarus illi præfectus est: is Arabicum mare sulcans Imbum cepit; aliisque rebus gestis in Indiam directo cursu una cum Maimane Mahometanæ perfidiæ antistite Regis Calecutani oratore ad Diensem portum applicuit: in oræ Cambaicæ insula cui Jazius genere Polonus e parentum gremio olim a Turcis divulsus, Mahometanisque sacrilegiis initiatus præerat. Observabat tum Malabaricam oram cum octo navium classe Franciscus Almeida proregis Indici filius, stabatque in Decani regni Ciaulensi porta, spernebatque sparsos rumores de Ægyptia classe, quæ in Indiam penetraverat; cum Mir Hocenus & navium forma & numero militeque superior apparuit: conserta pugna tenuit diem integrum neutram in partem inclinante victoria, in qua Maimanes Mahometis sacrificulus, qui Ægyptios exciverat, misso temere globo discerptus est, dum Mahometem adorat; cui propterea veluti homini cœlo, sed vere inferis consecrato, ab impiæ superstitionis cultoribus delubrum cum perpetuo ardentium lampadum ordine positum fuit.

(a) Barros. dec. 2. l. 3. c. 3. & 4. Osor. l. 6. Maffejus l. 3. & 4.

(b) Barros. dec. 2. l. 2. c. 6. Maff. l. 3. Bosius p. 2. l. 17.

Sultanus Ægyptius in Lusitanos classem parat.

Ejus pars maxima capta vel depressa a Rhodiis. Duodecim naves a camelis deportatæ.

In Indiam navigat classis Ægyptia.

Pugna inter Ægyptios & Lusitanos.

X. Sub vespere Jazius Diensis regulus cum quadraginta circiter actuariis se Hoceno conjunxit, nec tamen Almeida nocturnam fugam ex suorum consilio inire voluit; sed oborta luce militari ordine secedere: quare ultimo abeuntem insecuti hostes prætoriam navium globo perfossam circumstetere, pugnavit tamen acerrime Almeida proposita sociis cælestis vitæ spe donec duobus globis laniatus est. Hanc filii cladem Almeida prorex æquo tulit animo, laudavitque quod contra Christiani nominis hostes dimicans fortiter occubuisset: ad reprimendam vero Saracenorum ferociam extremo anno se accinxit, præclaramque eum retulisse victoriam inferius videbimus, qua pulsis India Ægyptiis fidei amplificandæ via structa est.

XI. In Africa etiam hoc anno gestum (c) ab Emmanuele Rege Lusitaniæ bellum adversus Phutensem seu Fezzensem Regem; atque paucissimis militibus maximæ barbarorum copiæ propulsatæ fuerunt. Redintegravit (d) etiam in eosdem Mauros sacrum bellum Ferdinandus Aragonum & Siciliæ Rex: ex quo optatissimo nuntio ingenti gaudio affectus Pontifex hasce literas ad Regem ipsum dedit (e), atque in rei militaris sumptus sacras decumas attribuit.

*Ferdinando Aragonum & Siciliæ Regi catholico.*

*Charissime in Christo fili salutem & apostolicam benedictionem. Non refrixit in pectore tuo catholico ardentissimus zelus propagandi & exaltandi nominis Christi-*

*ani*

Cum Mauritanis pugnatum fœliciter.

(c) Osor. l. 5.

(d) Marian. l. 19. c. 14.

Ferdinandus Rex in Saracenos bellum meditatur.

(e) L. 8. brev. p. 73.

*ani, sed crescit & augetur in dies; en tuæ enim majestatis apud nos oratore magna cum jucunditate nuper accepimus quod ipsa tua majestas omnes apparatus necessarios fecis ad prosequendum bellum contra impios Saracenos superioribus annis susceptum: opus sane omni laude commendationeque dignum. Aggredere igitur illud, fili charissime, cum Dei benedictione, tibique persuade non defuturum majestati tuæ favorem divini numinis, & hujus sanctæ Apostolicæ sedis. Nos, ut bellum ipsum facilius prosequi possis, ad venerabilem fratrem episcopum Britenoriensem oratorem & nuncium nostrum scribimus, ut decimas in hunc usum majestati tuæ concessas exigi faciat, &c. Dat. Romæ* XVI. *februarii* MDVII. *pontificatus nostri anno* V.

Hortatoriæ ad præclarum opus Julii literæ.

XII. Intulerant (*a*) Mauri, dum Ferdinandus Neapoli versabatur, flebilia damna variis excursionibus Bæticæ littoribus: qui munitissimam arcem, ex qua ii erumpebant comparata classe præfectoque illi Petro Navarro primo impetu vigesima tertia julii expugnavit (*b*), pulsis solo terrore barbaris. Sita ea erat in Nivaria insula, quam recentiores Velez de la Gomera vocant objacente Africæ portui ad recipiendas naves idoneo, & ad irrumpendum in continentem aptissimo. Acceperat Ferdinandus clientelam Muley Tuneti Principis adversus Tingitanisæ Mauritaniæ Regem, ut Maurorum vires distraheret; atque ad Oranum urbem insignem, qua anno insequenti est potitus, Christiano adiiciendam imperio se comparabat. Submisit (*c*) præterea auxiliarem classem Lusitanis in Arzilæ arce obsessis, quam Fezzensis Rex assiduis impressionibus quatiebat, postquam in urbem ferro irrupit; & Christianos omnes quos interceperat nullius ætatis sexusve discrimine contrucidarat: Castellanorum autem & Lusitanorum virtute exutus castris fugere compulsus est; ad quam eluendam ignominiæ labem proximo anno maximo instructus exercitu iterum Arzilam adortus est (*d*).

(*a*) *Gomes. l.4. in vita Card. Ximenii Sur. l.5.c. 23. Marian. l.29. c.14.*

(*b*) *Gomes. l.4. in vit. Ximenii.*

Nivaria insula erepta Saracenis.

Periclitanti Arzilæ suppetiæ latæ.

(*c*) *Id. c. 24.*

Phutensis Rex obsidione pulsus.

(*d*) *Cap. 30.*

XIII. Addit author contentiones aliquas Ferdinandum inter ac Maximilianum Caroli V. avum obortas; quod regni Castellani habenas filiæ atque ex ea nepoti debitas moderaretur; nonnullosque proceres Carolo studuisse. Indicat etiam Julius (*e*) factas in Ferdinandum conjurationes, dum Francisco Ximenio tit. S. Balbinæ presbytero Cardinali Toletano & episcopo Burgensi causam Cathaniensis & Pacensis episcoporum, qui de eo crimine postulabantur, cognoscendam commisit. Porro Ferdinandum oratores ad Pontificem ad deferendam ei Castellæ, Legionis, & Granatæ regnorum nomine obedientiam transmisisse refert Paris de Grassis (*f*), qui servatos veteres ritus testatur, tum qua honoris pompa excepti urbe fuerint describit. Decreverat etiam Carolus V. Castellani sceptri heres Belgii & Burgundiæ nomine oratores ad præstandam fidem Pontifici, de quibus idem Paris meminit. Significarat etiam Julio Wladislaus Hungariæ & Bohemiæ Rex legasse ad eum oratores amplissimos, qui ipsi ut Christi vicario fidem regiam addicerent, sed imminentis Turcici belli metu eos revocasse ad expedienda in hostem arma, contrahendasque copias; cum in Transilvania infidus princeps Turcis fœderatus, publicam rem invasisset; adeo ut Christiani e Walachia profugerent, ac Turcarum tyranno ad irrumpendum in Christiani imperii interiora aditus paret: cui ita rescripsit Julius (*g*).

De Castellæ regno orta disceptatio.

(*e*) *L.6. brev. p. 260.*

Missi ad Julium oratores ad deferendum illi obsequium.

(*f*) *Paris mss. arch. Vat. p. 285.*

(*g*) *L. 8. brev p. 407.*

*Wladislao Hungariæ & Bohemiæ Regi illustri.*

*Charissime in Christo fili salutem & Apostolicam benedictionem. Etsi in dies expectabamus oratores tuæ serenitatis, qui nobis & huic sanctæ sedi obedientiam debitam deferrent, & aliquid certe ac definite pro concordia in causa dotali claræ memoriæ Beatricis quondam Reginæ Hungariæ afferrent, non moleste tamen tulimus oratores ipsos a tua majestate retardatos fuisse, ut eorum opera [sic enim scribis] foris in rebus bellicis & domi in consultationibus uti posses. Proh dolor! quando ita accidit ut Vaivoda Transilvanus is constitutus sit, qui omnia ad nutum perfidissimi tyranni Turcorum sit administraturus, & fideles Valachi proprias sedes relinquere, & in alias migrare coacti fuerunt, ut loca illa prius inhospita ipsi tyranno Turcorum propagare tyrannidem quærenti magis pervia sint.* Illatum proximo anno a Valacho Polonis bellum, propulsatumque visuri sumus. *Cum insuper gravis moles belli aliunde majestati tuæ & charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniæ Regi illustri fratri tuo germano ut literæ ejus ad te, & tuæ ad nos testantur immineat* (motum illud erat a Moscho & Lituano perduelli, ut dicetur inferius) *equidem oratorum ipsorum adventum, nullius commodi nostri, sed tui honoris causa expectabamus; ut, cum reliqui omnes Christiani Reges & principes etiam loca remotissima incolentes huic pietatis officio cumulate satisfecissent, tu unus videreris cessasse in quem ipsa sancta Apostolica sedes fuisset liberalissima, &c.* Subdit cogendi ex indulgentiis auri duas partes in belli sacri sumptus ipsi contulisse, tertiam vero

In Transylvania conversiones.

Polonus a Moscho bello appetitus.

vero inſtaurandæ baſilicæ S. Petri addixiſſe. *Dat. Romæ die* XXVII. *ſeptembris MDVIII. pontificatus noſtri anno* v.

**XIV.** Meditatur Pont. mittere ad Iſmaelem ſacerdotem.

Conſuluit eundem Regem Pontifex de mittendo ad Iſmaelem ſophi Regem Perſarum ſacerdote docto, qui illum Chriſtianæ pietatis inſtitutis erudiret, aperiretque Mahumeticæ ſuperſtitionis deliria; cum illo Chriſtianis adjuncto ſpes afforet Mahometicum imperium excindi poſſe. Agebat autem vatem Iſmael, novoſque ritus in ſecta Mahometica induxerat, ut adumbratæ ſanctitatis larva populos ad ſe pelliceret, ac ſibi adverſantes armis cogeret: cujus victoriarum fama cum toto orbe perſonaret: de iis Julius ab Hungaro certior fieri voluit.

Agebat ille pſeudopropheeum.

*Regi Hungariæ illuſtri.*

*Quia noſtri paſtoralis officii ſolicitudini incumbit, ut non ſolum præſenſia diſponamus, ſed etiam futuris diligenter provideamus, & orthodoxæ fidei propagationem omni tempore procuremus, audita potentia, qua dicunt pſeudoprophetam ſophi pollere, & in dies victoriis illam fieri validiorem, cupientes illum ad fidei veræ lumen revocare, in animum induximus aliquem religioſum, probum, & doctum virum ad illum deſtinare, cujus opera & ſermone moveri poſſit: ſed quia a dilecto filio noſtro Petro Cardinali Rhegino regnorum tuorum protectore, & ab oratore majeſtatis tuæ percepimus, illum pro ſuo erga fidem Chriſtianam ſingulari ſtudio unum e ſuis fidum illuc deſtinaſſe, a quo de illius progreſſibus certior in dies fiat; ſine tuo conſilio nihil in hac re ſtatuendum duximus: quapropter ipſam ſerenitatem eu affectu hortamur, ut nobis de vita, moribus, potentia, & conſiliis prædicti ſophi ſignificet, & quem ipſa potiſſimum judicaret idoneum, cui tantum muneris demandare poſſemus; de qua re fuſius ad majeſtatem tuam ſcribet tuus orator, cum quo de hac re latius multa contulimus. Dat. Romæ die* XVI. *junii MDVIII. pontificatus noſtri anno* v.

Victoriis illius nomen inclareſcit.

**XV.** Pighardi a Bohemo Rege vexati.

Eodem anno Wladiſlaus ipſe ad revocandos ad rectam ſalutis viam & ſinum Eccleſiæ Pighardos, qui Bohemiam inficiebant, judiciaria ſeveritate eos coerceri juſſit: e quibus plures in carceres incluſi duas profeſſionis fidei formulas edidere, ut regiam iram mollirent; ac redeundi in gratiam cum Romana eccleſia ſpem præbuere. Ex hujuſmodi autem formulis poſtea Joannes Faber triginta articulos decerpſit (*a*), in quibus Luterum, qui aliquando adverſus ipſos ut hæreticos ſcripſit, deinde ſe iiſdem conjunxit, perfidia & impietate illos vincere oſtendit, edito egregio opuſculo, ex quo præcipua capita delibabimus: *Pichardi*, inquit (*b*), *& Valdenſes, in ſua ad Regem Wladiſlaum confeſſione fatentur unam ſanctam Eccleſiam catholicam, quam credunt eſſe congregationem omnium miniſtrorum ac populi obedientia ſubiugali ab initio uſque ad conſummationem omnium temporum divinæ voluntati obſequentium: non autem tantum ſibi arrogant, ut ipſi ſoli catholica Eccleſia dici fierique velint, apud quos dumtaxat ſalus repoſita ſit; verum: Solicita* [ *inquiunt* ] *diligentia laboramus eccleſiaſticæ veritatis participes effici*. Nonnullis interjectis addit.

*(a) Jo. Faber epiſc. Viennen. in opuſculo XXX. artic. quibus Pighardis pejor eſt Lutherus.*

*(b) Faber. art.* 4.

Agnita ab iis Eccleſia catholica.

**XVI.** Septem ſacramenta ab iiſdem accepta.

*De ſeptem ſacramentis. Pichardi in confeſſione ſua ſic dicunt: Similiter ſacramenta ſeptenario incluſa numero Eccleſiæ Chriſti utilia eſſe pandimus, quibus populo credulo promiſſa Dei impleta eſſe ſignificantur. Ingreſſus etiam in Eccleſiam Dei ad ſervandam unitatem in ea converſantium in gloriam per ea miniſtratur.* Et infra: *De baptiſmo parvulorum Pighardi ſic ajunt: Profeſſio iſta noſtra de baptiſmo etiam in pueros extenditur, qui decreto Apoſtolorum* [ *prout Dionyſius ſcribit* ] *baptizari debent, poſt ductu compatrum in Chriſti lege eruditorum, ad vitam fidei invitandos eſſe, aſſueſcendoſque. De gratia ſacramentorum Pighardi fatentur per novæ legis ſacramenta gratiam dari iis, qui rite accipiunt ea.* Paulo poſt hæc ſequuntur: *De confirmationis ſacramento Pighardi confitentur confirmationis ſacramentum etiam Apoſtolorum temporibus obſervatum fuiſſe, non ſolum in adultis, ſed etiam in infantibus, quatenus orationibus eccleſiarum adiuti incrementum munerum Spiritus ſancti ad ſtabilitatem militiamque fidei recipiant, & manus impoſitione ad firmanda promiſſa Dei veritatiſque habitæ in virtute nominis Patris, & Verbi ejus, Flatus quoque almi Eccleſiæ ſocientur.* Poſt nonnulla hæc adduntur: *De ritu confirmandi Pighardi docent, ut confirmandus ad epiſcopum aut ſacerdotem duci ſtatuique debeat, ut ab eo interrogatus de veritate fidei reverenter hoc ſacramentum ſuſcipiat.* Errarunt illi cum Armenis & Græcis in eo, quod ſimplicem ſacerdotem non fultum apoſtolico mandato confirmationis ſacramentum conferre poſſe putaverint. *Pighardi non permittunt ſuis alia uti baptizandi forma, quam: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Credunt ordinationem ſacerdotum a ſummo epiſcopo ſacerdoteque magno in veritate prodire, ut in loco legationis Chriſti miniſterium evangelizatio, doctrina, judicium, oblatio orationum, gratiarum actiones, & laudes Deo ab eis peragantur. De confectione Euchariſtiæ Pighardi in ſua* con-

Poerorum baptiſmum faſſi.

Dari gratiam per ſacramenta.

Errarunt circa miniſtrum confirmationis.

Falsi sacerdoti veritatem.

*confessione sic ajunt: ubicumque dignus sacerdos cum fido populo juxta sensum & intentionem Christi Ecclesiæque ordinationem, orationem faciens hujusmodi verbis videlicet: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus; testificatus fuerit, confestim præsens panis est corpus Christi in mortem pro nobis oblatum; vinum similiter præsens est sanguis ejus effusus in peccatorum remissionem.*

Christi præsentiam in eucharistia subdole professi.

His verborum ambagibus Pighardi suam hæresim occuluisse videntur, cum nitidis verbis orthodoxam fidem de panis & vini in corpus & sanguinem Christi per verba consecrationis a Christo instituta transsubstantiatione non professi sint. Pergit Faber: *De communicatione Eucharistiæ Pighardi statuunt simultaneum usum, hoc est, ut ex Christi & primitivæ Ecclesiæ institutione atque praxi tunc sacerdos ministrare debeat, quando fidelium necessitas fuerit, qui cum eis simul accipere teneatur, juxta illud Apostoli (a): Calix, cui benedicimus nonne communicatio est sanguinis Christi; & panis quem frangimus nonne participatio corporis Christi est? Per hoc sacramentum faciunt discretionem inter dignos & indignos, ita ut qui vitiorum labe fœdati sunt non debeant communicare, sed pro excommunicatis haberi juxta illud Apostoli (b): Cum hujusmodi neque cibum accipite. De sacerdotum ordinatione Pighardi dicunt in sua ad Regem suum confessione: Ad plenam presbyteri gradationem tria esse necessaria approbamus. Primum probatio vitæ, fidei donorum, fidelitatis quoque in exilioribus negotiis, alterum orationes cum jejuniis; postremum contributio potestatis aptis ad hoc verbis, & manuum impositio ad corroborationem.*

Transsubstantiationem tacuere.

(a) 1. Cor. 10.

(b) 1. Cor. 5.

Quid senserint de ordinatione sacerdotum.

XVII. Quid de pœnitentia.

*Pighardi exigunt a lapsis in peccata cor contritum & humiliatum, ut vadant ad sacerdotem scientem discernere malum a bono, cujus labia scientiam divinæ legis custodierint, & ei recta intentione scelera sua revelent, atque rubore perfusi ab eo judicentur tanquam a judice loco Dei, & Christi clavibus, aut soluti aut ligati humiliter obsequantur. De extrema unctione infirmorum Pighardi in sua confessione sic habent: Ægrotantium unctio duo in se tenet; Primum causam facilioris accessus ad languentes, hac re sacramentum non est; alterum est res ipsa signata tali unctione, quæ tribuitur a Deo in Christo, pro qua re in recta fide, ut languenti fideli id condonetur præcipue orandum est B. Jacobi præcepto: Infirmatur quis [ait] in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, &c. De sanctorum communione Pighardi sic ajunt: sanctorum communio est, quando membra Ecclesiæ sancta bona gratuita, salutifera, administratoriaque omnibus gratia Dei sive pœnitentia largita mutuo in communi utuntur, atque secundum donationis gratiam seipsos exhibent ad communem aliorum utilitatem.*

Quid de unctione extrema.

De sanctorum communione.



XVIII. Quid in secunda fidei formula sint professi.

Hæc Joannes Faber ex prima Pighardorum confessione decerpsit; ex secunda autem hæc depromit: *De libro Apocalypsis Pighardi in secunda sua ad Regem Wladislaum confessione, librum Apocalypsis Joannis Apostoli & Evangelistæ pro authentico libro habent. De potestate consecrandi Pighardi rursus in secunda sua confessione sic ajunt: quando presbyter rite ordinatus verba testimonii Christi expresserit, continuo panis est corpus Christi, verum naturale ex castissima Virgine sumptum.* Neque his orthodoxam fidem candide professi sunt Pighardi, cum panis substantiam transmutari silentio præterierint. *De virginitate Mariæ perpetua Pighardi in eadem confessione sic dicunt: De pudicissima virgine Maria credimus, & usque ad vitæ extremum stabiliter credituri sumus, quod plena gratia ex inspiratione Spiritus sancti electa est ad id, ut sit Verbi incarnati immaculata genitrix; quæ quidem electissima virgo uti ante filii Dei incarnationem, ita eo tempore & post usque ad mortem nunquam virum cognovit, sed perpetua virginitate integra casta tam animo quam corpore permansit. Hoc re vera ordo nostræ salutis exigebat, &c. Fatentur presbyteros judicare loco Dei & vice Christi. Fatentur Pighardi S. Petrum & inter Apostolos principatum habuisse, & Romæ* xxv. *annis præsedisse.* Et infra: *Credunt sanctos in cœlo esse; de quibus ita dicunt: Nos beatos Dei decenti cultu honoramus, diligimus, obsequimur, & æmulamur.* Ita illi locuti, cum aperte virus improbitatis non possent effundere regiæ severitatis terrore perculsi. Subdit Joannes Faber: *Hæc ex Pighardorum scriptis duabus ad Regem Wladislaum confessionibus, quas anno Domini MDVIII. exhibuerunt, dicta sint. Quod si qua ex iis aliter in factis observantur, quam verba indicant, non mihi recitanti, sed ipsis mentientibus potius imputetur.* Ex his vero constat Pikardos multos e pristinis erroribus abjecisse, ac novatorum more fidem sæpius mutasse.

Virginitatem perpetuam Deiparæ professi.

Et Primatum Petri.

XIX.

Porro Wladislai frater Sigismundus Rex Poloniæ magnis & periculosis bellis implicitus erat, uti a Pontifice indicatum vidimus: Tartari enim Lithuaniam variis irruptionibus infestarunt. Michael etiam Helinskeus sive Glinski parta antea bello gloria elatus conjurationem, ut Lituaniæ tyrannidem arriperet fecit: plu-

res cepit arces. Tum Basilium Moschovitarum ducem, qui anno superiori in Lithuaniam expeditionem confecerat, fœdere sibi junxit: qui data occasione lætus, ad Polonicas vires accidendas sexaginta militum millia auxiliaria submisit. Sed de Glinskio perduelli, de Moschovitis, ac de Tartaris gloriosæ a Sigismundo victoriæ habitæ fuerunt. Quod enim ad Tartaros attinet; cum illi mense julio in Volyniam irrupissent, prædamque abigerent, Joannes Camienetius comparatis Podoliæ belli subsidiis, eos omnes fudit, prædamque recuperavit. Deinde cum in Lituaniæ ducatum autumno tres Tartarorum acies incurrissent, eæ a Constantino duce, Poluz Rutheno, & Luca Moravo ingenti virtute ac felicitate obtritæ fuerunt: quamobrem Numini a Sigismundo Rege medio novembri Vilnæ actæ gratiæ, & justis præmiis militum virtus affecta.

Plures in Polonum hostes insurgunt.

Parta de iis victoria.

XX. Quod ad perduellem Helinskeum & Moschovitam attinet; egressus Cracovia IV. maii die Sigismundus Polonicis & socialibus copiis succinctus, Helinskeum ipsum & Moschovitas (quorum exercitus ad sexaginta bellatorum millia perveniebat) trajecto Borysthene assecutus in fugam egit, impedimentisque hostium potitus proferre victoriam statuit, & kalendis augusti ad Smolenkeam arcem perveniens, exercitum admovit, ut in Moschoviam irrumperet, a quo Voznia Moschovitarum arx ferro flammaque deleta est; submissæque a Moschovita copiæ solo terrore disjectæ ac dissipatæ: quibus perculsus Basilius inducias a Sigismundo Rege poposcit; ac deinde pax hisce legibus constituta, ut arces a Michaele Helinskeo interceptæ, vel quæ jampridem illi paruerant Lithuanis redderentur: ille vero omnibus rebus exutus apud Moschovitas exularet, captique superioribus bellis in libertatem vindicarentur. At de his hactenus.

Moschi a Sigismondo Rege fusi.

In Moschoviam irrumpit Sigismundus.

Coactus ad pacem Basilius.

XXI. Pellicere hoc anno ineunte ad defectionem Bononiam Bentivoli pertentarunt (a): quo accepto Julius Cardinalem Papiensem eo legavit, conjuratosque supplicio capitali affici jussit. Tum Ludovicum Gallorum Regem rogavit, ut Bentivolos ipsi dederet, cum in clientelam regiam accepti fidem illi non servassent.

(a) *Bonat. in diariis. Jul. II. l. 8. p. 42.*

Bentivoli Bononiam tentant.

*Julius, &c. Majestatem tuam obtestamur in Domino, ut tandem nostræ justæ petitioni de Bentivolis satisfaciat; ex impunitate enim tot scelerum quotidie pejores & audaciores Bentivoli ipsi redduntur; non contenti enim tot gravissimis injuriis nobis & Apostolicæ sedi illatis, nuper usque ad mœnia Bononiæ accesserunt, sperantes aliquem magnum motum contra statum nostrum pacificum in civitate illa fieri: sed civium fidelitate rejecti intelligere potuerunt, quam sint inopes amicorum in civitate prædicta. Magna celsitudini tuæ laus erit, si Bentivolis ipsis nobis traditis, nos & præfatum sanctæ Romanæ ecclesiæ matris tuæ statum ab ea parte securos præstes, præsertim cum ex juridico constet processu, illos vitæ ac personæ nostræ insidiatos fuisse: cujus tam atrocis criminis tua majestas ultrix vindexque præ cæteris debet esse: nam in hoc fidem tibi datam violaverunt.*

Propulsati a civibus.

Rogatus Gallus ut eos veluti insidiatores tradat.

XXII. Susceperat Ludovicus illorum patrocinium; cum Bononiam Pontifici Gallicis imperiis armisque territi restituerant, delatum deinde Julio fuerat, Joannem Bentivolum & filios nonnullos nefarios viros inter quos erat pseudomonachus quem Mantuæ in vincula conjectum narrat Cavitellus (b), subornasse, ut Pontificem ac nepotem veneno extinguerent atque comperto scelere confirmatoque ex dictis unius conscii illius conjurationis Achilles Tifernes episcopus internuntius ad Galliarum Regem, ut ipsum ad sumendas de authore sceleris pœnas concitaret; ut refert Achillis postea Cardinalis frater Paris de Grassis (c) hisce verbis: *Die lunæ* XXV. *mensis octobris circa horam* XVIII. *recessit reverendissimus dominus Achilles de Grassis episcopus civitatis Castelli referendarius ac assistens, & prælatus palatinus, & auditor rotæ: quem Papa ad Regem Franciæ legavit, ut oratorem & nuncium suum, cum aliquibus commendationibus, sed præsertim cum processu, ut dicitur Regi præsentato super præparatione venenorum, quæ Joannes Bentivolus & filii ejus contra personam Papæ & Cardinalis S. Petri ad vincula præparaverant; ut illos venenari facerent; & datis pecuniis cum multis promissionibus factis ad illos, qui venenum miscere deberent, quorum unus est in castello S. Angeli captus & confessus, cum ratificatione repetita coram oratoribus curiæ: & cum Rex prædictus Joannem Bentivolum & filios protegere dicatur, propterea ut Papa ostendat Regi quod male faciat illos protegendo.*

(b) *Cavitell. hist. Crem. sup. ann.*

Paratum Julio & nepoti venenum.

(c) *Paris. in itiner. Jul. II. ms. arch. Vat. p. 225.*

Instrumenta litis ostensa Regi Ludov.

XXIII. Perstitit Ludovicus constans in observantia erga Julium; cujus opera ad tuendam rem Mediolanensem omnino erat necessaria; de quo idem Julius Laurentium episcopum, qui Bononiæ cum imperio præerat, certiorem fecit (d), nullum perduellibus perfugium ad Gallos præbitum iri: *Ex literis tuis* XXIIII. *januarii datis intelleximus duos filios Joannis Bentivoli una cum Guido Ranxono prope portam istius nostræ civitatis in taberna meri-*

(d) *L. 8. brev. p. 631.*

*ritoria unum diem noctemque latuisse, nuntiosque etiam complures ad sollicitandum eorum amicos in civitatem misisse: nocte etiam, qua hæc scripsisti prope civitatem ipsam clam permansisse, inde Spelimbertum versus reversus esse. Cum intelligerent a se ita omnia esse provisa, ut in potestate conjuratorum non esset quidquam contra pacificum statum nostrum moliri; quadraginta vero consiliarios & reliquos cives, quibus custodia demandata erat, egregio officio suo functos esse, in armisque excubasse. Laudamus fidem, prudentiam, ac diligentiam tuam commendamus, &c. Dat. Romæ* XXIX. *januarii MDVIII. pontificatus nostri anno* V.

Laudati Bononienses de fidei constantia.

XXIV. Card. S. Vitalis ob provinciam male gestam mulctatus.

Successerat Laurentius in præfecturæ Bononiensis munere Antonio Ferrerio tit. S. Vitalis presbytero Cardinali; quod anno superiori sibi injunctum improbe adeo obierat, ut ex ea revocatus fuerit, & arcis Hadrianæ carcere inclusus donec contracto ex illius squallore morbo & auro, quod nefaria contraxerat mulctatus, in honesta, & liberali custodia in S. Onuphrii ædibus habitus, deinde ad Recinetensis olim Cardinalis ædes migrare permissus, in iis demum hoc anno mense julii ægritudine confectus decessit, ac sine funebribus honoribus clam in Augustinianorum ecclesia sepultus est; ut narrat Paris de Grassis (*a*); additque in Bononiensi legatione insolentissime se gessisse, atque in suspicionem adductum ne cum Rothomagensi Cardinale conjurare in Pontificem moliretur. Obiisse pariter eodem anno plures alios Cardinales tradit idem author (*b*), nimirum die XVIII. martii Antonium tit. S. Stephani in Cælio monte presbyterum Cardinalem Cumanum nuncupatum; XXII. (*c*) julii Franciscum de la Tremoglia Cardinalem Auxitanum; XI. septembris, Galeottum (*d*) Cardinalem S. Petri ad vincula vicecancellarium nepotem Julii; cujus mortem ab eo quamvis natura asperior esset, defletam ait; XIX. ejusdem mensis Georgium (*e*) Cardinalem Olissiponensem episcopum Portuensem (*f*); XXVI. Joannem e Columna diaconum Cardinalem.

(*a*) *Paris. in itiner. Jul. II. mss. arch. Vat. p.* 295.

Illius obitus.

Plurium Cardd. obitus.

(*b*) *Id. p.* 345.

(*c*) *Ibid.*

(*d*) *Pag.* 306.

(*e*) *Pag.* 311.

(*f*) *Ibid.*

XXV. Creatio novorum Cardinalium promulgata.

Cooptatos vero eodem anno in Cardinalium Senatum hosce memorat (*g*): *Die lunæ* XI. *septembris MDVIII. creatus, & simul publicatus fuit ab eodem domino nostro Julio dominus Sixtus de Ruvere ejusdem domini nostri Papæ nepos Cardinalis S. Petri ad vincula. Creati etiam alii Cardinales octo fuere*, sed labente tantum triennio postea promulgati, *Reverendissimus dominus Christophorus archiepiscopus Eboracensis de Anglia tit. SS. Petri & Marcellini; reverendissimus dominus Antonius de Monte archiepiscopus Sipontinus Tuscus S. Vitalis; reverendissimus dominus Marcus episcopus Sedunensis Helvetius S. Potentianæ; reverendissimus dominus Petrus de Accoltis episcopus Anconitanus Tuscus S. Eusebii; reverendissimus dominus Achilles de Grassis episcopus civitatis Castelli Bononiensis Sancti Sixti; reverendissimus dominus Franciscus Argentinus Venetus S. Clementis, reverendissimus dominus Bandinellus Beratensis Januensis S. Hadriani postea S. Sabinæ; reverendissimus dominus Alfonsus Petrutii administrator Suanensis Senensis S. Theodori.*

(*g*) *Id. ib. p.* 347.

Quod ad Sixtum Robureum attinet; illum Galeotti defuncti fratrem fuisse refert Paris (*h*) atque a Julio eodem mane, quo Galeottus nepos interiit, Cardinalem creatum. Fuisse illum equitem Jerosolymitanum refert Jacobus Bosius (*i*), censusque equestres ordini permissos, & ordinis ejusdem principem Americum Ambasianum alteri Sixto Robureo Julii abnepoti prioratum Romanum contulisse; quem etsi puerum nuncupatis votis evangelicis in equestrem familiam admissum a Pontifice narrat idem Paris, ac singulos ritus tum servatos ita recenset: (*k*): *Die S. Andreæ Papa post missam quotidianam in sua parva capella creavit equitem Jerosolymitanum dominum Sixtum de Ruvere filium domini Bartholomæi fratris Cardinalium Mimatensis & Agennensis: qui dictus Sixtus factus est novus miles prior urbis Romæ, & hoc modo; nam primo eum fecit militem S. Petri in omnibus & per omnia sicut alios milites, nisi quod non apposuit characterem in bireto, bene dedit torquem aureum in collo, & eo penitus creato, ut milites alii creari solent, novus petiit dicens: Beatissime pater, peto me recipi in fratrem S. Joannis Jerosolymitani. Papa respondit: Es paratus subire ea quæ, &c.? Ille respondit. Beatissime pater, sum. Tum Papa interrogavit: Emisisti istius religionis votum? Ille respondit. Pater sancte non emisi. Papa interrogavit: Promittis Deo & superioribus obedientiam præstare, ac paupertatem & castitatem servare? Miles respondit: Ita promitto & volo. Tunc apportatum pallium religionis Papa imposuit dicens: Accipe jugum Domini, quod leve est ac suave, sub quo invenies requiem animæ tuæ. Quo facto Papa dixit: Mandamus, ut hoc signum semper in tuo habitu gestes, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Deinde injunxit sibi pœnitentiam quotidianam, videlicet ut quotidie vel diceret centum & quinquaginta Pater noster in honorem Dei aut officium B. Virginis, ut sibi placeret.*

XXVI.

(*h*) *Ib. p.* 307.

(*i*) *Bosius p.* 2. *hist. Hier. l.* 7.

(*k*) *Paris in Jul. II. mss. arch. Vat. pag.* 331.

Sixtus Ruvereus creatus eques Rhodius.

Qui ritus servati.

*Quo facto prior novus osculato pede egit per oratiunculam bene compositam gratias debitas Papæ, & cum recitatione aliquorum versuum elegorum & satis bene: cui in fine Papa subridens respondit, quod religio Jerosolymitana non solum religiosum novum habitura esset, sed & oratorem & poetam.*

XXVII. Ingentes prædas de Saracenis egisse Rhodios equites superiori anno narrat Bosius (*a*), ac plurimas naves maximi alvei expugnasse: contra vero Christi hostes (*b*) Italicam oram infestasse variis excursionibus, atque in Ligusticum littus exscensionem fecisse, narrat Bizarrus (*c*) sed Ligurum virtute propulsatos [1]. Grassati etiam sunt in Romano littore; atque cum duabus minoris alvei navibus triremes duas pontificias prope Ostiam adorti, alteram intercepere, alteram magno Christiani nominis dedecore in fugam vertere: quo permotus Julius ad comparandam classem incubuit, misitque administros Genuam, qui in illius portu triremes quatuor omnibus necessariis instructas conducerent (*d*); sed Præjoannes regiæ classi præfectus obstitit: qua de re Pontifex, apud ipsum questus est (*e*): tum Genuensem prætorem monuit, ut eum corriperet, cum fœdus Regem inter & Romanam ecclesiam vigeret. Civitatis etiam vetulæ portum communire, & arcem in ea extruere constituit, ut in ea statione navali tuto rates agerent: tum ex ea triremes ad Turcarum piratarumque grassationes prohibendas excurrere possent, ut meminit Paris de Grassis (*f*), qui servatos a Pontifice in sacrando piis precibus primario lapide in arcis fundo demisso ritus in sua rituum historia accurate describit. Cupiebat Julius, ut antea indicatum est, omnium Christianorum arma adversus fidei hostes verti; atque ideo ad sedandas domesticas dissensiones incumbebat: cum enim Friburgenses & Bernenses cum Sabaudo dissiderent, misso internuntio proposuit (*g*) nonis aprilis ut eos ad ponenda odia flecteret, sacram exinde expeditionem impeditum iri. Donaverat antea eumdem Sabaudiæ ducem Julius sacro ense & pileo natalitio domini veteri ritu consecrato; munusque ornaverat his literis (*h*) quibus mysticas doni significationes illustravit.

(*a*) *Bosius 2. p. l.17.*
(*b*) *Jul. l. 8. brev. p.223.*
Infestata Liguria a Saracenis
(*c*) *Bizar. hist. Genuen. l.8.*
(*d*) *Id. ib.*
Civitas vetula a Julio communitur cœpta.
(*e*) *Id. ib.*
(*f*) *Paris ubi sup. p. 333.*
(*g*) *L.8. brev. p. 195.*
Carolus dux Sabaudiæ ense sacrato donatus.
(*h*) *Ib. p. 633.*

*Duci Sabaudiæ.*

*Dilecte fili salutem, &c. Solent Romani Pontifices in præclara natalis Domini celebritate Christianum clarumque aliquem principem ornato ense donare: quæ res profecto non caret mysterio; unigenitus namque Dei Filius, ut humanam naturam suo conciliaret authori, eam assumere dignatus est, ut inventor mortis diabolus per ipsam, qua vicerat, vinceretur: quæ quidem victoria per ensem congrue designatur. Fuerunt insuper infideles Ariani, qui non veriti sunt Dei Filium puram creaturam affirmare, cum tamen evangelii hodierni scriptura testetur Deum omnia fecisse per Verbum. Largitur itaque præsenti die maximus Pontifex ensem Dei infinitam potentiam signantem, in Christoque Deo vero Patrique æquali & vero homine residentem; per quem facta sunt omnia, juxta Davidicum illud:* Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem ejus tu fundasti, aquilonem & mare tu creasti. *Apostolica hæc denique sedes a Christo suum sumpsit stabilimentum, extititque præparata prævio Dei justo judicio atque justitia: quibus salvator ipse noster Jesus verus Deus & homo profligavit sedis ipsius adversarios, hæreticos videlicet & tyrannos juxta id quoque propheticum:* Justitia & judicium præparatio sedis tuæ. *Figurat denique pontificalis hic gladius potestatem summam temporalem a Christo Pontifici ejus in terris vicario collatam, juxta illud:* Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra, *& ali-*

Mystica illius significatio.

NOTÆ [1] INgentes de Saracenis prædas a Rhodiis equitibus hoc anno relatas Bosio asserenti ultro permitto; sed quæ narrat ex Bizarro Annalista de excensione eorumdem Saracenorum in oram Ligusticam hæc minora erant quam ut in Annales conferrentur. Ita enim rem totam expedit, qui tunc Annales Genuenses scribebat Senarega: *Aliquot Maurorum biremes in quibus erant mille Turcæ in nostram ripariam pervenerant, expositis apud Dianum aliquot hominibus levem prædam fecerant.* Prædatio fuit ergo non pugna, nec Ligusticæ virtuti dignum aliquod sui specimen exhibendi occasio ulla data est.

Addit idem Scriptor hoc ipso anno die XVI. kal. julii Ludovicum Sfortiam, calamitate sua insignem, in Bituricensi carcere diem extremam clausisse.

Quoad incursum vero Turcarum in litora pontificiæ ditionis ubi eum duplici pontificia triremi congressi, alteram interceperunt, alteram vero fugarunt, id in anni sequentis æstatem referendum esse idem Senarega non ambigue prodit ad eumdem annum 1509. adnotans: *Cum jamdiu Mauri navigationem longe a suis litoribus metu Christianorum admisissent* (forte intermisissent) *hac æstate admixtis Turcis litus Romanum & mare Tuscum infestarunt, duæque biremes, Maurorum, unam Pontificis triremem ceperunt, altera* (nam duæ erant) *in fugam versa.* Excursio ista Maurorum forte Africanorum fuit potius quam Turcarum, cum præcedens, qua Ligusticum litus infestatum fuit, ad Turcas pertinuerit. MANSI

*alibi:* Dominabitur a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum; *quam & declarat veſtis illa ſerica, quam Pontifices geſtare ſolent in nocte natalis Domini. Nos ergo volentes, ut æquum eſt, approbatas ſanctorum patrum conſuetudines obſervare, ſtatuimus te catholicum principem hoc noſtro præclaro munere inſignire; es enim, ſemperque fuiſti Apoſtolicæ ſanctæ ſedis, quæ utrumque gladium a Deo habet, filius devotiſſimus, imitatus morem progenitorum tuorum.*

Caroli ducis elogium.

XXVIII. *Donamus inſuper hoc pileo in ſignum muniminis & defenſionis adverſus inimicos fidei, ſanctæque Romanæ eccleſiæ, ut illo protegaris, & per Dei virtutem bene munitus tutuſque ſis. Quæ quidem munera mittimus per dilectum filium Franciſcum Confalonerium notarium, cubicularium, & familiarem noſtrum continuum commenſalem nobis valde probatum, & charum: firmetur igitur manus tua contra hoſtes ſanctæ ſedis, ac Chriſtiani nominis & exaltetur dextera tua, eos veluti aſſiduus intrepiduſque propugnator de terra delendo, & armetur caput tuum protectione Spiritus Sancti per columbam prædictam figurati adverſus eos, qui Dei juſtitiam, atque judicium Romanæ ſanctæ eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedis præpararunt; quod tibi præſtare dignetur idem Dei Filius, qui in Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per infinita ſæcula ſæculorum. Dat. Romæ* XXVIII. *januarii* MDVIII. *pontificatus noſtri anno* V. Sacratas quoque recurrente ſacro purificatæ Virgini die candelas tranſmiſit Julius ad Henricum Regem Angliæ, ad ejuſdem matrem, ad filium Henricum principem; ac nurum, Deiparæque patrocinium illis fauſte comprecatus eſt (*a*).

Faces ſacratæ ad Regem Angliæ miſſæ.
(*a*) *Ib. p.* 42.

XXIX. Edita eſt a Julio inſignis ſanctio (*b*), qua naufragis bona reddi juſſit; cum hoc imperet vera proximi charitas & contraria conſuetudo veluti corruptela reſciſſa eſt: indulgentiæ vero opem ferentibus naufragium paſſis propoſitæ fuerunt.

(*b*) *Lib. bull.* 80. *p.* 154. *ext. etiam in bullar. conſt.* 20.

Conſuetudo contraria conſtitutioni de naufragorum bonis ut corruptela damnatur.

*Julius, &c. Conſuetudinem capiendi & retinendi bona per naufragium vel jactum levandi oneris gratia aut alia neceſſitate urgente factum ad littora maris civitatum, terrarum, & locorum Romanæ eccleſiæ mediate & immediate ſubjectorum pervenientia, tamquam corruptelam allegari non poſſe, illamque nulli in judicio vel extra illud ſuffragari debere authoritate apoſtolica tenore præſentium decernimus & declaramus, & ultra pœnas tam a lege, quam a canone contra tales ſpoliantes bonis ſuis Chriſtianos naufragium patientes, & raptores in littore maris civitatum, terrarum, & locorum Romanæ eccleſiæ mediate & immediate ſubjectorum hujuſmodi hactenus inflictas, quas pro potiori cautela innovamus & confirmamus; talium ſpoliantium, cujuſcumque authoritatis & dignitatis fuerint, bona & jura quæcumque authoritate & tenore præmiſſis confiſcamus & publicamus, &c. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominicæ* MDVIII. VI. *kal. martii pontificatus noſtri anno* VI. Cæterum hæc Sanctio computo a natali Chriſti ducto ſpectat ad ſequentem annum; in hunc vero caſu irrepſit.

Hoc anno in Lauretana æde paralytici evangelici miraculum, dum inter divina myſteria ſacra hiſtoria legebatur, renovatum eſt: paralytica enim repente confirmata membrorum vi, e grabatulo aſſurrexit, celebratiſque divinis laudibus, ac peracta divina re pedes omnibus ſtupentibus in domum ſe recepit: quod divinæ miſericordiæ prodigium Horatius Turſellinus (*c*) Lauretanæ hiſtoriæ ita mandavit. XXX.

(*c*) *Turſell. Lauret. hiſt. l.* 2. *c.* 10.

*Fuit hoc tempus etiam miraculis inſigne: illud autem præcipuum, quod incidit in annum MDVIII. Longus quidam Neapoli fuit unus e conſiliariis regiis clarus in paucis. Hujus conjunx fœmina primaria ex viri cognomine Longa dicebatur, omnibus capta membris, acerbiſſimis inſuper diſcruciata doloribus, miſerrimam trahebat vitam morti quam vitæ ſimiliorem. Itaque ad ultimum damnata ope medicorum exorat virum, ut Lauretum deferri ipſam jubeat: quo ut perventum eſt, generum ſuum itineris comitem rogat, certum ut ſacrum in auguſtiſſima Virginis cella faciendum curet ſuis rationibus accommodatum, nimirum cujus initium eſt: Repleatur os meum laude; in quo ſanati a Chriſto paralytici evangelium recitatur: id ſacrum ſextæ feriæ a pentecoſte aſſignatum utique alienum ab eo tempore erat, cum jam pridem is abiiſſet dies: ſed Longa votivum id ſacrum expetebat. Vix hoc plane genero mandaverat, cum ipſa eodem genero proſequente in ſacroſanctam defertur ædem, ac B. Virgini ſiſtitur, haud dubia Deiparæ preces ſibi ſalubres futuras. Ecce ibi prius quam gener ſocrus ſuæ mandata exequi poſſet, ad aram accedit ſacerdos ignotus, qui rem divinam ab illo ipſo introitu: Repleatur os meum laude, orſus, Longam ingenti admiratione perculit. Igitur ſtupore attonita pauliſper hæſit; inde verſa ad generum, qui nondum ab ea ſacri curandi cauſa diſceſſerat, ſed jam diſcedere parabat: Mane, inquit, nihil attinet te ire; hoc ipſum eſt ſacrum quod requirebam.* XXXI.

*Porro ut ad illum evangelii locum ventum* XXXII.

Miraculum coram pluribus editum.

*tum est: Ait paralytico: Tibi dico surge; mira res dictu visuque, paralytica mulier repente divina quadam vi simul membra consolidari, simul mentem insolita dulcedine perfundi sentit. Extemplo igitur gratulabunda exsurgit e cella, cæteris rei novitate ac stupore attonitis manantibusque gaudio lachrymis, nullum facit agendi grates B. Virgini modum. Ad ultimum, re divina peracta, suis ipsa pedibus ad hospitium tendit, cunctis utique ejus familiaribus tantæ rei miraculo stupentibus. Aderat tum forte Laureti dux Termalensis cum delecta equitum manu, qui a Julio II. in Galliam Cisalpinam ad bellum evocabatur. Hic igitur, ut qui Longam ejusque insanabilem morbum familiariter norat, ubi suis ingredientem pedibus eam vidit, hæsit, scilicet rei novitate obstupefactus. Evidenti deinde miraculo motus divinas cum illa laudes miscuit. Nova exinde res auxit miraculi fidem: sacerdos ille, qui Longæ rem divinam fecerat, diu multumque requisitus nusquam comparuit: divinitus missum crederes, ut divini operis minister foret. At Longa voti compos Neapolim regressam valetudinem divinitus receptam Deo consecrandam existimavit. Proinde sacrarum Virginum cœnobium Neapoli instituit, ipsa ægrorum insanabilium ministerio sese devovit, Raymundo Cardona prorege Neapolitano.*

Recepta valetudo Christo consecrata.

Anno

I. Omisso bello Turcico civilia inflammata bella.

ANno excurrentis sæculi nono indictione duodecima, diu agitata de sacro in Turcas suscipiendo bello consilia, promotaque pio ardore ab Emmanuele Lusitaniæ, Ferdinando Aragonum ac Siciliæ, & Henrico Angliæ Regibus, multis etiam piorum, qui eam ob causam decumas opesque contulerant, expetita votis, repentino principum suam potius quam Christi amplitudinem, exambientium turbine eversa fuerunt: bellumque accensum in Venetos, quo innumeræ patratæ fuerunt hominum strages, totque bella alia ex aliis conflata, ut non nisi post longa annorum spatia acceptasque a Turcis, (qui ex Christianorum discordiis superstitionem Mahometicam tyrannidemque propagarunt) plures miserandasque clades, & amissa regna non pauca ad avertendum imminens exitium fœdere conjungi potuerint: quo tamen inclinata adeo & afflicta res Christiana, in pristinum splendorem revocari non potuerit. Exoptaverat Julius, missisque legatis apostolicis operam dederat, ut Ludovicus Gallorum & Maximilianus Romanorum Reges litem de Mediolanensi principatu componerent, quo Hispanorum Regum qui in Africa & Indiis religionem proferebant, exemplo, ipsi Poloniæ & Hungariæ Regibus juncti Turcas nostra ignavia tandiu ferocientes Europa depellerent: sed politici suggessere repetenda prius ab iisdem Regibus jura, quæ Veneti variis bellis occuparant; in eandemque armorum societatem propriorum commodorum illecebra Ferdinandum utriusque Siciliæ & Aragonum Regem, tum Julium Pontificem plures veteris ecclesiastici imperii urbes juste reposcentem, tum alios principes pellicere decreverunt.

Conspirant cum Pontifice Reges in Venetos.

Cum vero iidem Reges solemni jurejurando interposito fœdus cum Venetis jam ante firmassent, conquisivere causas ad violatæ religionis dedecus eluendum. Et quidem Maximilianus, qui paucis ante mensibus triennales inducias pepigerat, Tridenti amittendi metu professus est, se Romanæ ecclesiæ, cujus patrocinium ad se pertineret deesse non posse, quin ipsa urbes ecclesiasticas recuperaret: quamvis tum non ea de re, sed de Turcica expeditione conficienda a Pontifice postularetur: ægre autem ferebat attritum fuisse superiore anno a Venetis Tergestum, Gurcensemque comitatum amisisse: atque ex Gallico in Venetos fœdere non modo recuperandi amissa, sed cæsarei olim juris urbium recuperandarum spem conceperat. Ludovicus vero Francorum Rex apostolicis precibus ad majorum in propaganda religione æmulandam gloriam sollicitatus, initi antea cum Venetis fœderis dissolvendi causam obtendit postulatum illius assensum non fuisse insequestræ pacis Tridentinæ colloquio, & aliquot urbes ex Mediolanensi principatu olim detractas comparandi desiderio efferri se passus est; cum tamen exinde post partam insignem victoriam res ipsius in Italia conciderint.

Cur Maximilianus in eos exacerbatus.

His Cameraci interpretibus Georgio Cardinale Rothomagensi & Margareta Austriaca constitutis, Maximilianus & Ludovicus belli invidiam in Venetos promulgatis subjectis literis conjecerant (a).

Quæ causæ Ludovicum permoverint.

(a) Petr. Just. in an. l. 11.

*Maximilianus divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus Rex Germaniæ & Hungariæ, archidux Austriæ, Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Styriæ, & Charinthiæ, ac marchio sacri Romani imperii, &c.*

II.

*Recognoscimus & præsentium tenore notum esse volumus universis, quod cum sanctissimus in Christo pater & dominus Julius divina providentia sacrosanctæ Romanæ universalis Ecclesiæ summus Pontifex, dominus noster reverendissimus, sæpius & repetitis vicibus nos pariter & serenissimum atque excellentissimum principem dominum Ludovicum Regem Franciæ fratrem nostrum charissimum, aliosque Christianos principes instantissime admonuerit, ut tanquam veri & devoti filii Ecclesiæ vellemus ad conservationem Christianæ reipublicæ intendere, quæ in dies a truculentissimis Turcis & cæteris infidelibus maximas jacturas patitur; ac etiam ad conservationem jurium & bonorum sanctæ sedis Apostolicæ, atque beatitudinis suæ totis viribus assistere ad recuperationem eorum, quæ postposita fide, omnique religione contempta, nulla habita ratione æqua, honesta & justa, Veneti pluribus jam annis de B. Petri & sanctæ Romanæ ecclesiæ patrimonio tyrannice invaserunt, usurparunt, & occuparunt, ac de præsenti nullo justo titulo indebite occupant & detinent: cui exhortationi sanctissimi domini nostri, nos Imperator præfatus pro sincera nostra in sedem Apostolicam observantia, ut par est, parere volentes, hujusmodi defensionem & conservationem reipublicæ Christianæ, nec non incrementum sanctæ sedis Apostolicæ juxta majorum nostrorum vestigia & exempla, tanquam etiam illius advocatus & protector summo desiderio amplecti & suscipere fuimus semper*

Quæsiti a Regibus fuci pro invadendis Venetis.

eu

*Jactatæ de iis querelæ.*

*ex animo inclinati; considerantes etiam gravissimas jacturas, injurias, rapinas & damna, quæ præfati Veneti nedum sacrosanctæ sedi Apostolicæ, sed & sacro Romano imperio, domui Austriæ, ducibus Mediolani, Regibus Neapolitanis, & aliis multis principibus violenter intulerunt, illorum bona, possessiones, civitates, oppida, perinde ac si in communem omnium perniciem conspirassens, tyrannice occupando & usurpando. Propter quod non solum salubre, utile, & honorificum, sed & omnibus prædictis necessarium esse existimamus, ut omnibus ad justam vindictam excitatis tandem ad restinguendam insatiabilem Venetorum cupiditatem & dominandi libidinem, tanquam ad commune incendium accurratur; junctisque viribus & armis bona per eosdem Venetos ablata & occupata recuperentur & reintegrentur; eaque de causa nuper illustrissimam principissam Margaritam archiducissam Austriæ, ducissam Burgundiæ relictam Sabaudiæ, filiam nostram charissimam ad civitatem nostram imperialem Cameracensem misimus, quæ vigore pleni & sufficientis mandati nostri, tanquam specialis nostra in hac parte procuratrix, post conclusam generalem pacem inter nos & supranominatum serenissimum fratrem nostrum Regem Franciæ, cum reverendissimo in Christo patre domino Georgio de Ambosia tit. S. Sixti S. R. E. presbytero Cardinale Rothomagensi, ac sedis Apostolicæ per Franciam de latere legato, faciente se in hac parte fortem, nomine sanctissimi domini nostri, & etiam jam dicti serenissimi Regis Franciæ fratris nostri ad hoc deputato procuratore; ac cum spectabili Jacobo de Albion milite serenissimi Regis Aragonum oratore, & ad hoc etiam speciali procuratore tractavit, inivit, fecit, conclusit, & juravit, ac literis suis roboravit fœdus, confœderationem, unionem, & ligam contra ipsos infideles, ac etiam contra Venetos juxta capitula, pacta & articulos, quarum literarum, capitulorum, punctorum, & articulorum tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis.*

*Obiectum affectari ab iis orbis imperium.*

*Sancitum male fœdus contra infideles & Venetos.*

III. *In primis, quia hodie nos cum præfato domino Cardinali Rothomagensi legato, & ex prædictorum sacratissimi domini Imperatoris, & Christianissimi Francorum Regis nominibus inivimus & conclusimus pacem generalem atque confœderationem, in qua etiam inter cætera sanctissimum in Christo patrem & dominum dominum Julium II. divina providentia sanctæ Romanæ ecclesiæ summum Pontificem dominum nostrum observandissimum, & serenissimum Aragoniæ Regem inclusimus, atque utrique parti adhuc facultatem reservavimus infra quatuor menses posse alios suos confœderatos nominare, & eidem paci seu confœderationi includere. Et quoniam Veneti in maximum præjudicium sanctæ sedis Apostolicæ, sacrique Romani imperii & dominorum Austriæ, ac Christianissimi Regis Franciæ ad causam ducatus Mediolani, ipsiusque serenissimi Regis Aragoniæ, ad causam regni Neapolitani jamdudum tyrannice & violenter occuparunt, detinuerunt, & præsentialiter usurpant, occupant, & detinent quamplurimas provincias, urbes, & dominia ipsis serenissimo domino Imperatori & Regibus prænominatis, singula singulis referendo, pleno jure pertinentia, tractatum & conventum est inter nos nominibus antedictis; quod nec serenissimus dominus Imperator Romanorum, nec Christianissimus Francorum Rex debeant, nec possint ducem & dominium Venetorum, aut eorum subditos, nec alios communes hostes, contra quos est movendum bellum, pro confœderato vel confœderatis suis nominare, seu huic paci & confœderationi hodie factæ qualitercumque includere; quinimmo præfatus dux & dominium Venetorum atque eorum subditi a præfata pace & confœderatione prorsus debeant esse exclusi.*

*Eo comprehensi a Germano & Gallo Pontifex & Hispanus.*

*Singuli a Venetis controversa jura repetunt.*

*Item actum est & conventum, quod sit una specialis liga, unio, & amicitia & confœderatio inter sanctissimum dominum nostrum Papam & inter prædictos serenissimum dominum Imperatorem Romanorum, & serenissimum Franciæ & Aragoniæ Reges contra ipsum ducem & dominium Venetorum, atque ipsorum subditos pro recuperatione seu reintegratione omnium deperditorum. Item pro celeriori hujus rei expeditione actum & conventum est, quod ipsi sanctissimus dominus noster, & serenissimi Franciæ & Aragoniæ Reges, & ipsorum quilibet cum sufficienti militum & peditum exercitu, ac cum artellaria, necessaria teneantur infra diem primam aprilis proxime venturam pro recuperatione antedicta communibus armis eosdem Venetos hostiliter invadere; nec prius a prædicta invasione seu guerra aut armis per aliquem eorum desistetur, quam omnino & integre Apostolica sedes recuperaverit Ravennam, Cerviam, Faventiam, & Ariminum, eorumque districtus, ac alia oppida Imolæ & Cæsenæ cum omnibus eorum juribus & pertinentiis, ac omnia alia, quæ de statu & juribus ecclesiæ Romanæ dicti Veneti occupant & detinent: & præfatus sacratissimus dominus Imperator recuperaverit Roveretum, Veronam, Paduam, Vicentiam, Tarvisium, Forumjulium cum territoriis ac pertinentiis eorum, nec non patriarcha-* IV.

*Obstricti Pontifex, Gallus & Hispanus ad jungenda in Venetos arma.*

*Quæ urbes recuperandæ a Pontifice.*

tum

Quæ a Cæsare exambitæ. *tum Aquilegiensem cum singulis suis pertinentiis, omniaque alia loca & dominia per ipsos Venetos in hoc ultimo bello capta & occupata ex terris & dominiis domus Austriæ: & pari modo ipse Christianissimus Francorum Rex recuperaverit totaliter* Quæ a Gallo expetitæ. *Brixiam, Bergomum, Cremam, Cremonam, Geradadam cum singulis ipsorum locorum districtibus, territoriis, ac pertinentiis, & generaliter omnia ea, quæ fuerunt antiquitus de ducatu & dominio Mediolani ac prædecessorum ipsius Christianissimi Regis in eodem ducatu; & similiter ipse serenissimus Rex Aragonum recuperaverit ea omnia, quæ ipsi Veneti de regno Neapolitano & ex prædecessoribus in ipso regno quovis modo abstulerunt & u-* Quæ ab Hisp. in regno Neapol. *surparunt, ac de præsenti quovis colore usurpant, detinent, & occupant, videlicet Tranum, Brundusium, Otrantum, & Gallipolim, ac omnia alia, quæ de regno Neapolitano per eos occupantur. Item poterunt etiam illustris dux Sabaudiæ pro regno Cypri, & marchio Mantuæ pro re-* Sabaudus pro regno Cypri invitatus ad fœdus. *cuperatione eorum, quæ dicti Veneti eis detinent & occupant se huic ligæ adjungere, & in hac confœderatione se includere. Item quod etiam sit facultas serenissimo Regi Angliæ se includendi in hac confœderatione & liga, sive ad offensionem sive ad defensionem tantum sive ad utrumque, prout ei melius videbitur, &c. Die v. januarii MDIX.* Vocatus etiam ad id Mantuanus.

V. Quæ responderint singulis Veneti.

Adversus has Regum querelas tuebantur se Veneti, variisque juribus fultos se contendebant. Maximiliano quidem opponebant petitos bello se ab eo fuisse, bellique jure parta juste detinere, nec pactam triennalem sequestram pacem ab eo infringendam. Ludovico Galliarum Regi autem respondebant, nullas ipsi ereptas urbes fuisse in Insubria, sed veterum tyrannorum servitute erutas. Adversus Hispanum obiiciebant, Neapolitanum regnum non jure, sed ferro ab eo comparatum, atque a justo Rege Ferrandino ipsis Tranum, Brundusium, Hydruntum, aliaque loca oppignerata fuisse. Quod vero ad pontificiæ ditionis civitates occupatas attinet; disceptabant (*a*) Veneti se non Pontificibus, sed tyrannis, qui eas diutino jugo attriverant, ademisse. At querebatur Pontifex eos plura novasse; sprevisse etiam anathemata quotannis ecclesiastici juris invasoribus inenti solita; libertatem ecclesiasticam & apostolicam in conferendis sacerdotiis majestatem inique violasse: quibus lacessitus quamvis optasset, ut Veneti a Regibus fœdere junctis amicitia comprehenderentur, quo omnes Christianorum vires & impetus, ut Anglus & Lusitanus aliique principes cum ipso percupierant, in Turcas effunderentur; solicitatus tamen a Maximiliano, Ludovico, & Ferdinando, ut antequam Turcarum tyranno bellum indiceretur, Veneti ad erepta tum ipsis tum Romanæ ecclesiæ restituenda jura apostolica authoritate armisque socialibus adigerentur sollicitavit (*b*) quoque Venetos, ut Faventiam & Ariminum restituerent Ecclesiæ; ita enim Regum impetus retardatum iri, fœdusve dissolvendum: ac senatus quidem Venetus justis pontificiis postulatis flectebatur, cum Dominicus Trivisanus fallacibus argumentis eos in adversam partem traxit. Coactus itaque vim precibus adhibere Julius, concepta libertatis ecclesiasticæ restituendæ, majestatis sedis Apostolicæ tuendæ, ejusque jurium recuperandorum, nec non conficiendæ facilius crucesignatæ expeditionis spe adductus, Regibus fœdere se junxit, ac Venetos ecclesiasticis jam irretitos censuris minaci diplomate (*c*), cujus exemplum infra scriptum est, monuit, ut & ecclesiastico ordini pristinam libertatem, apostolicæ majestati debitam observantiam, pontificiæ ditioni ablata jura, nec non Regibus injuria erepta restituerent; parere vero recusantibus sacra & bellica arma intentavit.

Eorum excusatio erga Pontificem.

(*a*) *Rubeus Hist. Raven. l. 8.*

Quæ objecta sint a Julio.

Moniti Veneti ut pro defugienda procella ecclesiasticas urbes restituant.

(*b*) *Guicc. l. 8. Gomesius in vit. Ximen. l. 4. & addit. ad Sabell. auct.*

(*c*) *Ext. typis eusa an. 1607.*

Dominicus Trevisan. in adversam partem eos trahit.

*Julius episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.*

VI. Ravenna & Cervia multis annis tentæ.

*Jam multis annis Ravennam inclytam civitatem Romanæ sedis per dolum & fraudem, necnon Cerviam civitatem prohibito modo & illicito colore, illarumque oppida & pertinentias usurparunt,* Veneti scilicet, *& ne quid deesset ad cumulum male meritorum suorum, mortuo Alexandro VI. prædecessore nostro Ariminum, Faventiam, & Sarsinam urbes sanctæ Romanæ ecclesiæ, illarumque arces, oppida, & omnem districtum, multaque Cæsenatensis, Forliviensis, & Imolensis districtum oppida temeritate propria invaserunt, atque occuparunt; & quamvis nobis hujusmodi occupationem ægre ferentibus, & graviter conquerentibus nostri pontificatus initio aliqua ex dictis oppidis postmodum restituerint, hoc ipso evidenter satis confessi injuste se omnia detinere, cum maxime nulla retinendi urbes aliaque loca ratio subesset, aut excogitari posset; ipsi tamen duro corde prædictas civitates & reliqua perperam & impudenter retinere, minimeque relaxare voluerunt? immo a tempore occupationis & citra detinuerunt & detinent de præsenti: quos licet per processum, qui singulis annis in die cœnæ Domini ex more Romanorum Pontificum legi consuevit, tanquam occupatores & detentores prædictarum civitatum & locorum Romanæ ecclesiæ excom-*

Dein Ariminum, Faventia & Sarsina occupata. Plura alia oppida erepta.

Exercita cum iis clementia.

*municatos & anathematizatos declarare, & ab omnibus evitandos decernere hactenus potuissemus; tamen cum paterna pietate ducem & reliquos prædictos, nimirum rogatos, consiliarios, ac reliquos, qui reipublicæ Venetæ præerant, cum in minoribus ageremus, & nunc ad apicem apostolatus evecti in visceribus charitatis semper complexi fuerimus, curavimus omni studio & diligentia, ut ad cor redeuntes, nobis & matri suæ sanctæ Romanæ ecclesiæ obedientes se præstarent, animarum, suarum saluti occupata restituendo consulerent, & hujus sanctæ sedis, quæ illis semper usui fuit, & honori, authoritatem cum debita reverentia agnoscerent.*

VII. *Proinde per venerabilem fratrem Angelum episcopum Tiburtinum nostrum & Apostolicæ sedis nuntium apud eos agentem in zelo charitatis prædictos ducem & consiliarios moneri & requiri fecimus, ut occupata per illos, quæ ad Romanam ecclesiam spectabant, videlicet Ariminum, Faventiam, Sarsinam cum districtibus suis, castellis, & oppidis illis adjacentibus, ac alia oppida, arces, & terras Forliviensis, Cæsenatensis, & Imolensis territorii nobis & Romanæ ecclesiæ restituerent, nihilque novi operis aut muniendi, aut reparandi prætextu, aut alio quovis colore in eis fabricarent, protestati fuimus: pro qua etiam restitutione facienda charissimus in Christo filius noster Maximilianus tunc Romanorum Rex tanquam sanctæ Romanæ ecclesiæ advocatus, per proprios & speciales oratores suos, eosdem Venetos magna cum instantia tunc requisivit & interpellavit: qui cum ad occupandum faciles, ad relaxandum vero admodum difficilius existant, monitionibus nostris & Regis prædicti requisitionibus satisfacere neglexerunt, dictas civitates & loca novis propugnaculis & armorum apparatibus muniendo; & insuper cum biennio jam elapso Deo favente cum maximis laboribus & expensis civitatem nostram Bononiensem a tyrannide Bentivolorum liberavissemus, & contra eosdem Bentivolos eorumque complices & rebelles nostros, quoniam mala malis accumulando apertius in rebellionem adversus nos & Romanam ecclesiam in dies variis machinationibus se armabant, excommunicationis sententiam contra singulos ex eis receptatoresque eorum, & interdicti contra universitates & loca, ad quæ eos declinare contingeret, per literas nostras protulissemus; nihilominus Antonius, Galeatius, Annibal, & Hermes Bentivoli, eorumque servitores & complices in terris ab ipsis Venetis detentis, videlicet Paduana, Cremonensi, & ad excitandam magis populi Bononiensis rebellionem,*

Admoniti dux senatusque ut Ariminum, Faventiam, Sarsinam restituerent.

Adhibitæ Cæsaris ut protectoris ecclesiæ preces.

Spretæ ab iis censuræ in Bentivolis excipiendis.

*in Faventia civitate Bononiæ propinqua, & Venetiis etiam recepti fuerunt, & pro libito eorum ad dicta loca admittuntur in maximum nostrum & Romanæ ecclesiæ & apostolicarum censurarum contemptum; ex quo dictorum rebellium nostrorum receptatores & loca omnia prædicta excommunicationis in singulos, & interdicti in universitates & loca censuras juxta formam literarum nostrarum prædictarum inciderunt, & licet pro talibus haberi & publicari debuissent; nobis patienter hoc ferentibus ipsorum Venetorum inobedientia in nullo remittitur, sed in dies magis augetur, ita ut ecclesiasticæ ultionis severitatem exposcere manifeste videantur.*

*Magna sunt hæc, & in oculis omnium notoria & mucrone severitatis apostolicæ resecanda: verum longe majus est, quod dux, rogati, consiliarii, senatus, populusque Venetus omni ex parte religionem Christianam factis ita abnegare audent, ut sedis Apostolicæ obedientia in illis nulla penitus vigeat; ecclesiarum cathedralium, monasteriorum, dignitatum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum provisiones a sede prædicta factas impudenter impediant, nec possessionem illorum, nisi ex arbitrio suo cuiquam dari permittant, confugientes pro justitia consequenda ad hanc sedem Apostolicam, quæ refugium est oppressorum, quasi reos maximi criminis puniant, neque in dicta civitate aut terris illis subjectis clericis præcipue, & personis ecclesiasticis justitiam, nisi pro libito voluntatis eorum, ministrari patiantur: nulla rescripta aut literas apostolicas, nisi ipsis annuentibus executioni mandari permittant: clerum & ecclesiasticas personas, & pia loca gravissimis impositionibus, decimis, atque oneribus usque ad sanguinem excorient: prælatos, clericos & religiosos, nulla ordinis, dignitatis aut religionis habita ratione, in exilium, & nonnunquam in carcerem mittant: & ita abrupto cujusque sacræ legis vel canonis vinculo præcipites feruntur, quod nullam legem impositam sibi fuisse, aut imponi posse elata cervice præsumere videantur. Hæc autem omnia in oculis omnium patent; ut assiduis querelis Regum, principum, cleri, populi, & præsertim subditorum suorum plurimum quotidie excitemur, ut ipsorum Venetorum ambitum apostolicæ majestatis, & nostrum contemptum, quibus se extollunt, effrænatam peccandi, & quod libitum fuerit licitum faciendi licentiam, canonica ultione comprimere ulterius non tardaremus; ne quod ex solita benignitate nostra, & hujus sanctæ sedis censura ecclesiastica illos persequi omisimus, expectantes, ut resipiscerent, & ad cor redirent, negligen-*

VIII.

Pontificium jus in collatione sacerdotiorum ab iisdem labefactatum.

Ecclesiastica immunitas pessumdata.

gentiæ nostræ aut pusillanimitati adscriberetur; non enim Deum agnoscit ut subditus sed subsannat ut superbus qui in peccatis in dies magis insordescit, iterataque vulnera & ad ima usque penetrantia tardius & difficilius sanantur; dedimus omnem operam & per bonæ memoriæ Antoniottum episcopum Prænestinum, & venerabilem fratrem nostrum Bernardinum episcopum Sabinensem, & dilectum filium Georgium tit. S. Siuti presbyterum Rothomagensem ipsius S. R. E. Cardinales, nostros & Apostolicæ sedis legatos, per intercessionem aliorum Regum Christianæ religionis eualtationem desiderantium, & quibus potuimus mediis, ut charissimi in Christo filii nostri & Reges serenissimi Mauimilianus Reu Romanorum Imperator electus, & Ludovicus Rex Franciæ Christianissimus invicem concordarent, & pacem inirent: Deique gratia voti nostri compotes fuimus; concordarunt, & nonnullos alios etiam principes ad pacem reduxerunt; gratumque nobis fuisset, quod cum satisfactione prædictorum Regum & principum Veneti ipsi, ut participes pacis recepti fuissent; sic enim jam omnes principes Christianos, quod tota mente concupiscimus, ad sumenda arma contra perfidos hostes fidei catholicæ, & occurrendum periculis Christianæ religionis inducere posse confidebamus, sicut nonnulli eu eis nobis persuaserunt & se obtulerunt.

Expetitum a Julio ut Veneti Regum fœdere comprehenderentur.

IX. Verum Reges præfati, ac charissimus in Christo filius noster Aragoniæ Reu Catholicus nobis significarunt, securius sibi videri, immo necessarium quod antea omnia a Venetis sibi restituantur ea, quæ de dominiis ad eos spectantibus per illos occupantur, tum ut debito justitiæ in restitutione rerum suarum per dictos Venetos eis satisfiat, tum ne ipsis Regibus ad debellandum infideles intentis ab ipsis Venetis dominia eorum veuentur, & cogantur pedem retrahere, nec ulla ratione aliter ad hanc sanctam eupeditionem adduci possunt; quinimmo nos quoque hortati sunt, ut ad recuperationem terrarum nostrarum prædictarum intenderemus, seque in ea re totis viribus coadjutores nobis affuturos obtulerunt. Nos videntes hoc pacto & reintegratione ablatorum, & justitiæ singulorum, & authoritati nostræ ac hujus sanctæ sedis facilius prospici, & citius hanc sanctam expeditionem posse confici, etiam adducti fuimus, ut insurgere contra prædictos Venetos ulterius non differamus. Hi igitur Romanæ ecclesiæ tam in spiritualibus, quam in temporalibus oppressionibus libertatis ecclesiasticæ, & cleri ac gregis nobis commissi dilacerationibus, & lupina quadam rabie devorationibus perspectis, & per prædecessores nostros ac nos ipsos nimium toleratis, præmissisque rationibus compulsi, agnoscentes nos divino munere, licet immeritos, Dei omnipotentis vicem in terris gerere, de cujus ore, in apocalypsi scribitur: gladius eu utraque parte acutus egreditur, sententia scilicet, quæ punit bonos, ut timore pœnæ emendentur, & ab illicitis abstineant; ex altera vero parte malos perscindit, ut cum bonos ad cor reduuerit, relinquantur mali in conculcatione, & a bonis penitus tollantur; neve exemplo Venetorum, si diutius illos ita dimiserimus, & continuo contumaciam protervianque ipsorum dissimulaverimus, cæteri etiam contemnendi & peccandi occasionem & licentiam capiant; de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu contra præfatos Venetos ad severitatem ultionis ecclesiasticæ, necnon ad arma tam spiritualia quam temporalia devenïendum duximus; ut vel per pœnitentiam matrem suam hanc sanctam sedem Apostolicam, occupata eidem restituendo, & in præmissis excessibus se corrigendo agnoscant, vel apostolicæ authoritatis exemplo & severitate exortes se intelligant divini mysterii & sathanæ tradendos esse, ac sortem cum Dathan & Abiron sortiantur; quorum consortes multipliciter peccando se fecerunt. Nemo est qui ignoret ex prædictis criminibus & excessibus per præfatos Venetos perpetratis constare notorie; prout & nos notorium esse decernimus & declaramus, ducem, rogatos, generale consilium, senatumque Venetum, eorumque officiales & cives, & alios quoscumque, quorum authoritate, opera, jussu, consilio, vel favore prædictæ civitates nostræ hactenus occupatæ fuerunt & occupantur, præmissaque facinora contra hanc sanctam sedem clerum & ecclesiasticam libertatem commissa fuerunt, excommunicatos & anathematizatos fuisse & esse, prout eu prædictis processibus, qui per singulos annos publice promulgantur in die cœnæ Domini eu more prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, omnibus innotescit. Et propterea aliud nobis nihil agendum restaret, nisi ut eosdem tamquam ethnicos & publicanos a grege fidelium eiiceremus, & tamquam scabiosas oves a caulis nostris repelleremus; ne totam domum, massam & corpus ardere, putrescere, & interire eorum contagione contingat: tamen cum illius licet non nostris meritis vices geramus, cujus misericordiæ mensuram erga pœnitentes, & ad cor redeuntes metiri non possumus, gaudetque super uno peccatore pœnitentiam agente, non duximus omittendum, quin denuo paterna charitate,

Obstitere Reges pessimaque eorum consilia.

Prætexunt Turcicum bellum in obruendis Venetis.

Solicitatus Pont. ut jura sua ab iis repetat.

Turpissima hallucinatio confectum iri Turcicum bellum versis in Venetos armis.

In eos sacra & profana arma distinguero decernit Julius.

Prius commonet officii.

*cum censurarum, ut res ipsa postulat, appositione, illos per præsentes apostolica authoritate hortemur, requiramus, & moneamus ad authoritatis hujus sanctæ sedis & libertatis ecclesiasticæ recognitionem, nec non ad rerum & dominiorum ad nos & Romanam ecclesiam spectantium, per eos occupatorum, integram restitutionem.*

*Præfatos itaque Leonardum Lauredanum ducem & rogatos, ac generalis consilii nuncupatos consiliarios, & commune Venetiarum, omnesque & singulos patritios & cives dicti communis Venetiarum provisores, potestates, commissarios, & officiales eorundem, tum in dicta civitate Venetiarum, quam in præfatis nostris civitatibus ab illis occupatis, quorum nomina, cognomina, qualitates & dignitates hic pro expressis habemus, eorumque complices, adhærentes, & fautores cujuscumque status, gradus, & præeminentiæ existant, & quacumque dignitate etiam regali, patriarchali, archiepiscopali, episcopali, vel alias quavis ecclesiastica vel mundana dignitate præfulgeant, authoritate nobis a Deo omnipotente concessa, & de nostræ plenitudine potestatis, per præsentes in Domino requirimus, & monemus, & cuilibet eorum tenore præsentium per hæc scripta mandamus, quatenus infra viginti quatuor dies post affixionem præsentium in valvis basilicæ principis Apostolorum de urbe immediate sequentes, quorum octo pro primo, octo pro secundo, octo pro ultimo & peremptorio termino canonica monitione præmissa eis & cuilibet eorum assignamus, dux, rogati, consiliarii, provisores, & commune præfatum Venetiarum, singularesque dicti communis personæ a præmissis excessibus publice damnatis, ut præfertur, in dicto processu, qui legitur in cœna Domini, omnino abstineant, & nos sanctamque sedem Apostolicam plene & omni ex parte in concessa sibi authoritate & libertate cum debita obedientia recognoscant, & reintegrent; nec non etiam infra dictos viginti quatuor dies assignatos eisdem pro peremptoriis terminis, ut supra, præfati dux, rogati, consiliarii, provisores, commune Venetiarum, & dictorum consiliariorum, rogatorum, atque communis singulares personæ Ravennatensem, Cerviensem, Ariminensem, Faventinam, & Sarsinatensem civitates cum oppidis, castris, terris & districtu earum ac Cæsenatensis, Forliviensis, & Imolensis territorii castra, oppida, terras, & loca, quæ occupant, integre & libere nobis & Romanæ ecclesiæ, cujus juris esse noscuntur, relaxent, & cum fructibus etiam, quos percipere potuerunt, plene restituant: provisores, potestates, castellani, & alii quicumque officiales ac stipendiarii nomine præfati Veneti dominii, eorumque adhærentes, fautores, & complices exinde recedant, nec aliquod impedimentum quovis modo prædictis civitatibus, oppidis, castris, & locis eorum civibus & habitatoribus præstent, quo minus libere ad obedientiam matris suæ Romanæ ecclesiæ revertantur. Consultores quoque eorundem, auxiliatores, adhærentes, complices, & sequaces a præstatione consilii, auxilii, & favoris hujusmodi contra prædicta omnino cessent, &c.* Ni pareant graviores pœnas Venetis incutit, eosque anathemate & interdicto ecclesiastico percellendos decernit. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MDIX. v. kal. maii pontificatus nostri anni* VI.

Indicta illis dies.

Quæ Urbes ab iis repetitæ.

X.

Pœnitet foto Venetos non conciliasse sibi Julium. Provocatio ad concilium male ab iis edita.

Commovit hoc edictum Venetos, quos pœnituisse referunt (*a*) non conciliasse antea sibi Pontificem, dum ab iis Faventiam aliaque oppida, quæ post Alexandri VI. obitum eripuerant Ecclesiæ, reposceret; cum icto fœdere imminens periculum avertere potuissent, nunc vero iis omnibus, quorum ditione diutina potiti erant, repente se exuere acerbum erat. Ad eludendam itaque pontificiam severitatem usurpata jam sæpius ab aliis diffugia captarunt, atque ad Deum summum judicem, & ad futurum concilium provocarunt. Tum magnos belli apparatus fecere (*b*) Alviano & Pitiliano ducibus, tum classem eos instruxisse tradunt (*c*): cœptum autem erat bellum decimaquinta aprilis, ac varia tumultuaria prælia erant gesta, quibus vires suas æquare cum Gallicis visi fuerant. Sperabant excepto ac sustentato primo Gallorum impetu, dein facilius aliorum principum assultus se propulsaturos, vel male sartam armorum societatem dissoluturos: demum die decima quarta (*d*) maii ad Abduam unius gravissimi certaminis aleæ res suas omnes commiserunt. Inclinabat initio ad eos victoria, sed pugnasse in ipsos cœlum visum, ventorumque turbine & grandine verberati maxima strage deleti, castrisque exuti fuerunt; in quo loco victor Ludovicus Gallorum Rex postea Virgini templum posuit.

Initio pari successu certant cum Gallis.

Pugnante in eos cœlo deleti.

XI.

Ereptæ iis a Gallis urbes.

Conciso ita Veneto exercitu, cum alius instaurari non posset, mox Gallus ad colligenda victoriæ præmia decurrit: ac Caravagium, Bergomum, Brixiam, Cremam, Cremonam, Pischeriam solo terrore subegit: Pontifex vero ea usus victoria consternatos metu Venetos aggressus, Faventiam (*e*), tum plura alia ditionis ecclesiasticæ loca ab iis recepit: quibus lætus gratias ritu solemni Deo egit; arbitratusque Venetis obtritis principum

(*a*) *Petr. Just. l. 10.*

(*b*) *Petr. Just. l. 10.*

(*c*) *Id. ib. Cavitel. hist. Crem.*

(*d*) *Bonaccur. in diar. Guic. l. 8. Cavitell. append. ad Sabellic. Nic. Basel. in addit. ad Naucl.*

(*e*) *Pet. Just. Guic. l. 8.*

Chri-

*Ecclesiasticæ urbes receptæ ex Venetis a Pont.*

*(a) Paris. in Jul. II. ms. p. 393.*

*Solemnes supplicationes indictæ a Julio.*

Christianorum arma adversus Turcas avertenda, conficiendamque cito sacram expeditionem, solemues ea de causa precationes indixit, ut refert Paris de Grassis (a), qui servatos in ea celebritate ritus ita describit : *In festo pentecostes dominus noster mandavit, ut fieret publica lætitia en duplici effectu, primo ex victoria Regis Gallorum contra Venetos, & consequenter en recuperatione terrarum sanctæ matris Ecclesiæ, quas Veneti tanto tempore occupaverant, & propterea redderentur debitæ gratiæ Deo : item ut invocaretur divina gratia pro congregatione principum Christianorum progredientium vel progressurorum contra infideles : papalis processio ornata cum paramentis a camera Papæ usque ad altare S. Petri, & quod omnes irent extra palatium per viam ante audientiam, prout factum fuit, & quod Papa, dum en scalis palatii descenderet, ingrederetur simul cum omnibus Cardinalibus & prælatis in parvam capellam S. Nicolai ; ibi facta oratione ante Sacramentum Papa surgens cantaret, prout cantavit, ex libro hymnum videlicet : Te Deum laudamus, &c.* Addit plures sacrarum precum formulas tunc repetitas, quas studio brevitatis prætermitto.

*Sacri ritus in iis servati.*

XII. Subdit (b) Paris sequenti die instructam fuisse solemnem supplicationem ab ecclesia S. Laurentii in Damaso ad ecclesiam Sancti Spiritus, tum die tertia composito etiam agmine religioso itum ab æde sacra S. Marci ad ædem S. Petri ad vincula : preces ad rem Christianam in Turcas feliciter gerendam repetitas, & mysteria divina maxima cum celebritate peracta ; multisque interjectis addit (c): *Die lunæ pentecostes sanctissimus dominus noster, qui ea nocte mansit in castello, de mane habito nuntio de alia Regis Galliæ victoria cantra Venetos super deditione Briniæ, Bergomi, Cremæ, & Cremonæ lætus ivit ad ecclesiam Sancti Spiritus indutus pluviali & mithra, & fuit delatus in sede sua gestatoria præcedentibus Cardinalibus omnibus cappis rubeis indutis.* Subdit Paris magistrum Carmelitarum præter morem vulgari lingua concionem habuisse imperio pontificio : *Ut*, inquit, *populus omnis & rudis intelligeret victoriam Regis Gallorum & cladem Venetorum, ac recuperationem terrarum, quas ipsi Veneti per tot annos occupaverant, & maxime, ut intelligeret ipse populus qualiter dominus noster intendit facere cruciatam contra infideles nationes.* Fefellit Pontificem sua expectatio; neque enim fœderati Reges perfecerunt jactata promissa de bello Turcis conserendo, postquam Venetos ad officium adegissent ; quinimmo iis pacem orantibus, atque etiam vires maritimas auxiliares adversus infideles spondentibus repulsam perperam dantes Venetum nomen penitus extinguere meditati a fundendo Christiano sanguine non destiterunt : *Pacis patres studiosi*, inquit Petrus Justinianus (d), *retentis solum duabus urbibus Patavio, ac Tarvisio cætera Regibus sponte concedebant, quæ ipsi præsenti bello ad illum usque diem ex Veneto imperio pactione armisque acquisierant : sed cum illi nullum cupiditatibus suis prospera fortuna elati modum imponunt, parta amisere, & Venetus receptis urbibus reparatoque imperio in pristinam restituitur dignitatem :* Interea ipsos cinctos angustiis Venetos ad placandam iram Dei supplicationes pias indixisse, refert Petrus Justinianus (e); præterea literas ad Julium misisse, quibus eum orabant obtestabanturque, ne Venetos observantissimos pontificii nominis ac supplices impugnaret : conari eo bello Reges Italicam libertatem obruere, quippe qui insatiabili dominandi cupidine impulsi ad id solum spectare viderentur, ut omnia imperia vi armisque sibi assererent : proinde ipsum rogabant ut, sicuti optimum Pontificem decebat, concordiæ Venetos inter Regesque interpretem ageret, desineretque ecclesiasticis censuris eos armisque insectari, atque in omne ævum eo beneficio obstringeret : queritur tamen author frustra hæc tentata fuisse. At non deerat causa; Veneti enim adhuc Ravennatem arcem, quæ a pontificio exercitu oppugnabatur, aliaque loca detinebant : tum etiam cum Bentivolis a pontificis sententiis ad futurum concilium provocarant : cujus appellationis libellus cum Romam perlatus esset, Julius gravissimo edicto (f) ejusmodi provocationum genera damnavit ; nec modo constitutas Pii II. decreto pœnas eos contraxisse, verum etiam sanxit habendos schismaticos illos omnes, qui hujusmodi provocationi consentirent.

*(c) Ibid.*

*Partæ a Gallis plures urbes.*

*Conceptæ spes inanes suscipiendæ expeditionis in Turcas.*

*(b) Ibid. p. 395.*

*(d) Petr. Just. l. 10.*

*(e) Petr. Just. l. 10. Guic. l. 8.*

*Rogatus Pontifex ut interpretem concordiæ agat.*

*Veneti & Bentivoli male ad concilium provocant.*

*(f) Ext. in bull. const. 22.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

XIII. *Constitutio Pii II. confirmata a Julio II.*

*Hac generali & in perpetuum valitura constitutione en certa nostra scientia, & potestatis plenitudine de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio promulgata sancimus, constitutionem Pii prædecessoris tam citra, quam ultra montes, & in ultramontanis partibus, quo ad omnes tam ecclesiasticas quam sæculares personas, etiam regali dignitate ac cardinalatus honore fulgentes, capitula, universitates, & collegia, congregationes, & synodos, ac parlamenta valuisse, valere, & perpetuo valituram declaramus, cum suppletione solemnitatis cujuslibet, etiam*

*tiam publicationis omissæ, cujus in illa edenda vel publicanda defectus prætendi posset, quæ juxta illam fieri requirebatur, eamque ex præterito, nunc & in posterum inviolabiliter observari mandamus, ipsius violatores, cujuscumque dignitatis existant, pœnis & censuris in eadem expressis quocumque tempore subjacere statuentes, contraria consuetudine seu potius corruptela non obstante, decernentes & declarantes ultra pœnas impositas, quas ipso facto dictos violatores & contravenientes incurrere volumus, ipsos & eorum quemlibet pro veris & indubitatis schismaticis & inconsutilis tunicæ domini nostri Jesu Christi violatoribus & dissipatoribus, ac de catholica fide male sentientibus habendos & reputandos, pœnisque canonicis & legalibus contra tales impositis subjacere, & cum Dathan & Abiron partem & damnationem habere; ipsasque etiam pœnas, & earum quamlibet omnes illos incurrere volumus, cujuscumque conditionis existant, & gradus prærogativa fulgeant, qui in senatu, consiliis, parlamentis, congregationibus etiam synodalibus, & provincialibus, vel alias quomodolibet tacite vel expresse voce, vel scripto per se vel alium, cujuscumque timoris vel reverentiæ velamine vel prætensa excusatione, & superioris mandato non obstantibus, decreverint, consuluerint, seu deliberaverint, vel aliorum dicta approbaverint, consilium aut vocem dederint, ut ad futurum universale concilium a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus contra prædictam constitutionem appellare liceat, possit, vel debeat, dictas pœnas ad ipsos, & eorum quemlibet contravenientem in præmissis tenore præsentium extendentes, & locum habere declarantes, omni ambiguitate cessante; & nihilominus provocationes & appellationes tam per Leonardum ducem, rogatos, consilium, & commune Venetiarum factas hujusmodi, quam per quoscumque alios prædictos, pro tempore faciendas, & inde secuta quæcumque, utpote contra Pii prædictam ac præsentem constitutionem attentatas, nullas prout sunt & invalidas, nulliusque roboris vel momenti fuisse & pro tempore fore, authoritate, scientia, & potestate similibus statuimus, decernimus, & declaramus, ac pro potiori cautela cassamus & annullamus: & ultra supradictas pœnas, quas contra constitutionis hujusmodi violatores in suo robore permanere decernimus, loca quæcumque, ad quæ violatores ipsos declinare, & in quibus scienter stare permitti contigerit, ecclesiastico supponimus interdicto. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ* MDIX. *kal. julii pontificatus nostri anno* VI.

Damnati crimine schismatis contra eam ausuri.

Interdicto ecclesiastico perculsi Veneti.

XIV. His perculsi edictis Veneti nullum præstantius ad sananda accepta vulnera, lapsasque res instaurandas remedium putarunt, quam si illata Ecclesiæ damna injuriasque sarcirent. Damnarunt itaque conceptam ad futurum concilium provocationem, interminanti edicto antea promulgato paruerunt, ac legationem amplissimam cujus princeps fuit Dominicus Trivisanus, is ipse qui antea Faventiam non restituendam male suaserat (*a*), ad Pontificem mittendum decrevere, qua censuris solvi flagitarunt (*b*), demissa in posterum obsequia polliciti, de quibus extant (*c*) publica monumenta die ultima julii hujus anni indictione XII. consignata.

Parent Pontifici.

(*a*) *Guic. l.* 8.
(*b*) *Petr. Just. l.* 11.
(*c*) *Ext. typis cusa Romæ* 5. *ex typogr. Vat. an.* 1606.

XV. Extant (*d*) etiam aliæ publicæ tabulæ XI. septembris die exaratæ, quibus Leonardus Lauredanus dux ac senatus Venetus oratores suos amplissima authoritate ad quasvis pactiones cum Pontifice conficiendas, ut in illius gratiam restituerentur, instruxere: *Licet*, inquiunt, *clare & perspicue videri potuerit per alterum mandatum ejusdem illustris principis & inclyti dominii, & totius reipublicæ Venetæ*, & infra: *quanta fuerit, & sit & deinceps proculdubio sit futura filialis obsequentia sua non solum circa monitorium, verum & ad alia omnia tractanda, & fine debito terminanda*. Extractum est in annum proximum pontificii cum Venetis fœderis colloquium; optabat enim Julius socios Reges ac principes amicitia cum iis conjungere, cum jam universi votis potiti, controversisque juribus & urbibus receptis, in Turcas vertere impetus debuissent: sed ii flecti non potuere, ut queritur Petrus Justinianus (*e*).

(*d*) *Ibid.* Obsequentes se futuros pollicentur.

(*e*) *Petr. Just. l.* 10. *& alii*.

XVI. *Arma*, inquit, *undique per totam Europam hoste in Venetum ciente: ad restinguendum tantum incendium patres necessitate adacti Matthæi Prioli rogatione, qui in secundo collegii ordine præconsultor erat, Ariminum, Ravennam, Cerviam Pontifici ultro tradunt; Veronam, Vicentiam, Patavium, Maximiliano Cæsari; Apuliæ autem urbes maritimas*, erant eæ Manfredonia, Tranum, Monopolis, Brundusium, Hydruntum, ac Gallipolis, *Ferdinandus Hispaniæ Rex habuit, & Polesinum Alfonsus dux Ferrariæ: atque id factum est, ut hostium impetus relanguescerent; credidere enim Veneti per hanc voluntariam terrestris imperii alienationem Regum animos placatos emollitosque reddere; verum hi nihilominus perseverantes in bello omnia hostilia in Venetos adhuc agebant, in Forumjuliumque atque Histriam Germani cum justo exercitu irrumpentes, eas quoque provincias cæsareæ disioni subigere*

Restitutæ a Venetis urbes.

Aliæ urbes Regibus restituendæ.

gere

*gere tentarunt, Tergestoque & Gorilia receptis rem Venetam armis undique infestabant.*

XVII. Germani urgent bello Venetos.

De gesto a Maximiliano Cæsare bello in Venetos; utque ii placato Pontifice ac restitutis urbibus, quæ ditionis erant ecclesiasticæ, sensim colligere animos, atque pristini imperii amplitudinem recuperare cœperint, dicetur inferius. Quod vero ad ecclesiasticas urbes attinet; eas a Venetis pacta cum Pontifice amicitia restitutas, confirmat Hieronymus Rubeus sic inquiens (*a*): *Cum Veneti in dies magis undique adversa fortuna premerentur, amissa peninsula Rodigina, & classe in Athesi amne ab Estensi Ferrariæ regulo superata, omnibusque ad extremum, quæ in mediterraneis & continenti possidebant urbibus amissis, Joannem Jacobum Caroldum in Flaminiam cum mandatis mittunt, qui pontificiis procuratoribus traderet, quæ ibidem Venetorum nomine tenerentur; dum tamen Manfronus, Græcus cæterique captivi dimitterentur*, fuerant ii ab Ruvereo in tumultuaria pugna intercepti (*b*), *& senatus interdicto pontificio liberaretur: qua re publicis tabulis firmata, tunc primum tandem Ravenna anno ab ortu Christi nono supra millesimum quingentesimum Romano Pontifici restituta est; cui nihil fuit antiquius quam, ut acceptam provinciam Ravennamque præsertim omnibus quibus pro temporum difficultate dabatur immunitatibus afficeret, &c.* Extant de his pontificia diplomata ad Antonium archiepiscopum Sipontinum, quem ad Ravennatem rem administrandam, antequam eo se conferret, præmisit (*c*), initæque sunt ab Ariminensibus nonnullæ deditionis leges (*d*), quæ a Julio confirmatæ sunt IV. kal. martii.

(*a*) *Rubeus l.8. hist. Ravenn.*

(*b*) *Id. ib.*

(*c*) *Lib. bull. 64. p.33.*

(*d*) *Ext. lib. bull. 64. p.31.*

XVIII.

Tradit idem Rubeus (*e*) Pontificem præfecisse Ravennæ, ejusque exarchatui, & universæ Flaminiæ Franciscum Alidosium Cardinalem, eundemque Bononiæ legatum, atque ab eo sacrorum usum, quorum Venetorum causa justitium indictum fuerat Ravennæ restitutum: præterea Ravennatium oratores Romam profectos ad pontificios pedes se provolvisse, multisque prærogativis Ravennatem rempublicam apostolica liberalitate decoratam, tum ut in ea omnia bona, quæ Polentani possedissent, hereditario jure succederet, tum subdit: *Cum autem lætitiam Ravennatis populi maximam legati exposuissent, Pontifex respondit jure eos lætari, qui post tot annos ad verum dominum rediissent, eumque dominum, cujus nihil esset imperio sublimius, nihil mitius; cui servire libertas est, & illi, qui subjicerentur quodammodo præstare cæteris dici possent; quando illorum princeps esset non dux quispiam, Rexve, aut orbis Cæsar Augustus, sed Pontifex maximus divi Petri Apostolorum principis successor, Christi Dei vicarius, ad cujus sese abjicere pedes, quos deosculari boni omnes cupiunt; qui recte Rex regum & dominus dominantium pro Christi reverentia, cujus hic gerit vices, & Deus in terris appelletur; qui in omnes mortales tenet imperium, cui divinitus datum est cæli aperire portas & claudere. His Pontifex graviter pronuntiatis, paulo post Venetis legatis supplicibus veniam postulantibus benigne paterneque exceptis, rem Venetam ejusque partes juvare pro virili recepit, ab eoque die res Veneta, quæ ad extremum fere interitum inclinaverat, fœlicius progredi cœpit; nec diu post multæ urbes Patavium præsertim recuperatæ sunt.* Consentiunt alii authores (*f*) placato Pontifice, restitutisque ecclesiæ pristinis juribus, reipublicæ Venetæ gloriam virtutemque sese efferre cœpisse.

(*e*) *Rubeus l.8. hist. Raven.*

Ravennates ad Pont. obsequium reversi.

(*f*) *Guicc. l.8. & alii.*

Placato Pontifice Veneta virtus reflorescit.

XIX. Recuperatum a Venetis Patavium.

Descendit extrema æstate in Italiam Maximilianus Cæsar, nec modo Germanica, sed Gallica etiam, Hispanica, & Italica auxilia coegit ad Patavium recuperandum, quod populari in Venetum senatum studio & servitutis Germanicæ odio a Cæsareo imperio defecerat: Venetus tamen taotum constantia post tot calamitates potuit, ut cæsareos impetus fregerit (*g*), quamvis octoginta (*h*) vel eo amplius equitum peditumque millia sub signis recenseret. Elatus ille vindictæ cupidine in Venetum nomen, quod delere moliebatur, cum ad obsidendas Venetias classe non polleret, ingruentis hyemis incommodis territus in Germaniam rediit: Liberato (*i*) autem Patavio Veneti instructo exercitu Montemsilicem, Ateste, Citadellam, Montagnanam, Coloniam, Bassanum, Vicentiam, Bellunum, Foltriam, Rhodigium in fidem recepere, Comaclum invasere, ad Ferrariam vero infeliciter rem gessere accepta a Pontifice Ferrariensium clientela (*k*): sedari iterum hæc bella studuit Julius (*l*), cum Romana ecclesia atque etiam Gallus Hispanusque Reges controversis urbibus essent potiti, ac Venetos, Maximiliano Cæsari, qui plura quamquam non omnia receperat, interprete concordiæ Achille de Grassis episcopo Tifernate internuntio apostolico conciliare annisus est, missique a Venetis oratores duo fuere: sed cum Maximilianus postulatis modum non poneret, conventus re infecta dimissus est, non sine rei Christianæ detrimento.

(*g*) *Pet. Just. l.10.*

(*h*) *Guicc. l.8. & Cavitell. hoc ann. hist. Crem.*

(*i*) *Pet. Just. l.10.*

Plures urbes ab iisdem recuperatæ.

(*k*) *Guicc. l.8.*

(*l*) *Guicc. l.8.*

Maximilianus conciliari Venetis abnuit.

Dum sociale hoc in Venetos bellum ge-

*Persa sollicitat Venetos de armis jungendis in Turcas.*

*(a) Ext. in com. epist. procerum collect. ab Hieron. Donzell. p. 110.*

gerebatur, Ismael Persarum Rex oratores suos ad Venetam rempublicam misit, ut ipsos ad conjungenda cum Persis in Turcas arma concitaret. Extant ejus literæ (*a*), quibus ipsos admonuit fœderis olim a legatis Venetis cum Usumcassane materno avo suo in Armenia percussi; petiitque ut artifices peritos ad conflanda ænea tormenta mitterent, classemque ad Græciam & Asiam adversus Bajazethem infestandas decernerent: se primo quoque tempore minorem Asiam invasurum, daturumque operam, ut oppida, quæ in ora Græciæ superiori bello amiserant, classe Veneta reciperent; qua idonea raraque occasione ob Europæorum Regum bella in Venetum nomen conversa sunt: respondit hisce literis (*b*) Leonardus Lauredanus dux.

*(b) Ext. ib.*

*Leonardus Lauredanus dux Ismaeli Sophi Persarum Regi.*

*Gratissimæ nobis fuerunt literæ tuæ, hilarique vultu legatos tuos viros optimos excepimus; tanti enim amicitiam tuam facimus, quanti jure optimo fieri debet: neque veteris amicitiæ ac fœderis, quæ nobis cum Persarum Regibus extitit, obliti sumus, grataque semper apud nos futura est ejus rei memoria; at summopere lætamur, te novum Persarum Regem Turcarum hostem esse, quodque tibi curæ sit nobiscum belli causam communicare, atque ea polliceri, quæ si Usumcassanes Jacuppusque filius præstitissent, nequaquam nobis cum Othomannis bellum gerendum foret. Cæterum illæ sunt rerum vices, ut sicut Persarum Reges domi ea tempestate otiosi occupato in Europa Bajazethe nihil sibi movendum existimaverint; ita nos in deteriore & periniqua temporum conditione, quod volumus ac maxime optamus, præstare non possimus, quod pacem quinquennii cum Bajazethe factam minime violandam existimamus; implicamur autem gravissimo bello, quod feroces Europæ gentes, conjuratione facta, & maximi Reges nullis lacessiti injuriis, sed sola concitati Venetæ fœlicitatis invidia, nuper intulerint: speramus tamen staturum a justiori causa Deum immortalem, & rempublicam, quam ulla vis per septingentos annos amplius non fregit, ab immanitate tot hostium servaturum. Proinde tibi velim persuadeas, nos, cum per occasionem licebit, operam daturos, ut intelligas, nihil nobis Persarum amicitia antiquius esse, aut speciosius quidquam futurum, quam Turcas Christiani nominis hostes, quibus ipse infensus semper fuisti, multis consiliis, aut paribus animis oppugnare possimus: sed hæc omnia & plura coram per legatos tuos intelligas. Vale. Venetiis.*

*Venetorum responsum.*

*Excusant se ob Regum Europæorum in eos conspirationem.*

XX.

*Simultas exorta inter Julium & Gallorum Regem.*

*(c) Guicc. l. 8.*

Diffidere (*c*) interea cœpit Gallorum Rex a Julio II. Pontifice ex levi & iniqua causa, quod nimirum, quodam Provinciæ episcopo in Romana curia defuncto, episcopatum illum Julius ipso Rege inconsulto contulisset, nec regio contentum jure, invasisse ecclesiasticum, ac sacerdotum in Romana curia causas agentium census rapuisse, atque ob hæc dissidia Julium Cardinalis Albiensis admissionem extraxisse Viterbii tradit Paris de Grassis (*d*): *Circa medietatem mensis præteriti*, nimirum septembris, *cum Papa esset in Viterbio, misit pro me, ut irem illuc, quia intendebat facere consistorium publicum pro hac admissione*, nempe Cardinalis Albiensis, *in Viterbio facienda, ac etiam pro alio novo Cardinale absente similiter cum isto admittendo ibidem: cumque ivissem parassemque omnia Pontifice sic mihi jubente, ac inter alia consistorium dispositum fuisset in aula domus episcopalis satis ampla & forti; ecce derepente omnia fuerunt revocata, ex eo quod dictum fuit Regem Franciæ abstulisse possessiones omnium ecclesiarum & monasteriorum & beneficiorum ab illis, quibus Papa a certo tempore citra contulisset, & quibus Rex nuper ante paucos dies possessionem concessisset. Causa autem tantæ indignationis Regis fuit, quia, ut dicitur, Papa providerat ecclesiæ Avinionensi in Provincia cuidam homini non grato Regi, & præterquam legatus apostolicus Regi promiserat, quod Papa hoc non faceret. Papa autem e contra dixit se numquam talia promisisse, neque legato hoc commisisse, ut Regi promitteret; & sic orta inter dictos simultate, Papa non voluit aliquem de istis Gallis novis Cardinalibus admittere, præsertim Albiensem, qui erat & est, ut dicitur nepos Cardinalis Rothomagensis, quem omnes boni viri blasphemant tamquam Pontificis adversarium, & omnium malorum causam.*

*(d) Paris to. 3. p. 485.*

*Temerarium Regis Gall. facinus.*

XXI.

Tradunt nonnulli contrarium, nempe Cardinalem Rothomagensem suasisse Regi, ut Pontificis amicitiam coleret: ac paulo post levis ea controversia composita est, & Ludovicus Albiensis Cardinalis a Julio inter Cardinales solemni ritu admissus fuit proximo ineunte anno, ut narrat idem Paris, sic inquiens (*e*): *Cardinalis Albiensis ante pedes domini nostri genuflexus in medio nostrorum amborum magistrorum ceremoniarum legit alta & intelligibili voce formam ipsius juramenti ad longum de verbo ad verbum, prout jacet in ordinario, & in fine Papa recipiens in propriis manibus librum apertum in folio, ubi est imago domini nostri Jesu Christi crucifixi ex una parte, & ex alia parte*

*(e) Guicc. l. 8.*

*Albiensis Card. sacramento Pontifici se obstringit.*

ubi

*ubi sunt quatuor principia quatuor evangeliorum, porrexit librum eidem Cardinali, qui juravit tangens cum manibus imaginem & scripturas evangeliorum, & dixit, videlicet: Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia. Quo facto ipse Cardinalis osculatus est pedem Papæ, qui nobis duobus magistris cerimoniarum expresse jussit, ut instrumentum & instrumenta super hoc conficeremus in publica & solemni forma.* Et infra: *Die veneris* XI. *januarii Papa in consistorio secreto clausit novo Cardinali, & in eodem consistorio finito nobis ambobus magistris cærimoniarum intro vocatis cum libro Papæ legit aperitionis formam absque eo quod nobis aliquid diceret; & sic aperuit os eidem Cardinali, & eodem contextu legendo dedit sibi titulum videlicet ecclesiæ SS. Petri & Marcellini: qua forma lecta donavit eidem annulum saphirum satis pulchrum.*

Claudendi & aperiendi os Cardinalibus ritus.

At licet ea controversia sedata fuerit, novæ tamen non sine aliqua offensione suspiciones motæ fuerunt: quamvis inter Ludovicum Gallorum Regem, antequam Italia abscederet, Pontificemque fœdus (a) Francisco Cardinale Alidosio administro ictum fuisset; quo inter alia cautum fuit, Regem nullum virum principem, nullumve populum Romanæ ecclesiæ clientem in fidem recepturum: quod postea violavit, cum Ferrariensis patrocinium adversus Pontificem suscepit; ex quo tot tantaque bella schismatis exordia, Gallicique in Italia excidii causæ pullularunt. Meminit de gesta ab Alidosio apud Gallum legatione Paris de Grassis (b) in rituum pontificiorum historia: *Die*, inquit, *mercurii* XIII. *junii in consistorio secreto fuit creatus reverendissimus dominus Franciscus Cardinalis Papiensis legatus de latere ad Christianissimum Regem Franciæ in Italia existentem visitandum & suscipiendum, ut moris est.*

(a) *Id. ib. & Cavitell. in hist. Cremon.*

Contra fœdera a Gallo ducis Ferrariæ accepta clientela.

(b) *Paris. ms. p.* 402.

Card. Papiensis ad eum missus.

XXII. Tradit idem author, dictum Achillem de Grassis fratrem suum, quem in Germaniam legatum fuisse decretum diximus, appetente vere in nonnullos hæreticæ pravitatis laborantes infamia inquisivisse: *Die*, inquit, *lunæ quinta mensis martii circa horam decimam sextam recessit ex urbe reverendissimus dominus Achilles de Grassis episcopus Civitatis castelli germanus meus, qui ivit nuncius & orator sanctissimi domini nostri Papæ ad Helvetios sive Suitenses pro nonnullis arduis fidei Christianæ negotiis super hæresi aut novis figmentis patrum Prædicatorum & aliis particularibus causis Papæ.* Prædicatores aliqui Bernensis conventus magicis artibus erant usi ad opinionem contra immaculatam Deiparæ conceptionem hominum animis inferendam, de qua jam ante gravissimæ inter illos & Minoritas extiterant concertationes; apostolici autem legati & duorum episcoporum judiciaria sententia fuisse illos flammis iniectos refert hisce verbis Nicolaus Baselius (c): *Eodem anno pridie kal. junii apud Bernam in Helvetia quatuor S. Dominici conventus ibidem fratres, prior, lector, subprior, & custos capti per torturam examinati, degradati, ad ignem condemnati, miserabiliter sunt combusti, propter quasdam dolosas, falsas, impias & diabolicas machinationes, quas in odium immaculatissimæ virginis Mariæ conceptionis occasionaliter excogitarunt; nam quendam simplicem & justum idiotam superstitiosis quibusdam incantationibus diaboli arte dementarunt, ac plurima tam in sacrosanctæ Eucharistiæ sacramento, quam sculptis imaginibus tentaverunt; quemadmodum fere facta eorumdem hæresiarcharum in lucem arte calcographiæ sunt impressa: ideo præsentibus eorum confessata superfluum inserere duxi. Tandem vero ad instantiam Bernensium Aymo Lausanensis episcopus loci ordinarius inquisitionem contra eos fecit, quo adstante una cum Mattheu Valesiano Pontifice Achilles Castelli episcopus & apostolicæ sedis legatus ad hoc a Papa Julio specialiter missus, ab omni gradu & privilegio clericali depositos* XXIII *die mensis maii potestati tradidit sæculari, atque dehinc ultima die ejusdem mensis igne [ut hæretici] sunt incinerati in prato trans Ararim fluvium, præsentibus ibidem utriusque sexus & conditionis multis hominum millibus.* Eadem tradit Joannes Trithemius (d). In tantam vero væsaniam impietatemque adduxit eos pseudoreligiosos inanis gloriæ cupido in propugnanda opinione a suo sodalitio suscepta. At de his satis: nunc Africanas res aggrediamur.

Exorta apud Helvetios hæresis.

Horrenda aliquot Prædicatorum scelera.

(c) *Nic. Basel. in addit. ad Naucl.*

Quatuor de his flammis traditi.

(d) *Trith. in chron. Spanhei.*

XXIII. Hoc anno illatus est ingens in Africa Tremeseniis terror, expugnataque biennio ante Mersercalubirana arce portu insigni instructa, ereptum iis armorum vi fuit Oranum Francisci Cardinalis Ximenii Minoritæ archiepiscopi Toletani in exercitu crucesignato Imperatoris auspiciis; qui Hispanos ad sacrum illud bellum suscipiendum commoverat, sumptusque in rem militarem fecerat, ea cum Ferdinando Rege confecta pactione, ut Oranum vel ecclesiæ Toletanæ addiceret imperio, vel si ejus dominatu potiri mallet, actas impensas Ximenio ipsi refunderet. Ex cujus urbis in celso colle positæ mœnibus, turribus, ac loci situ munitæ, atque altera parte perfusæ mari, altera pomariis & irriguis fontibus cin-

Oranum Afris ereptum.

ctæ sex millia domorum continentis, & mercimoniis florentissimæ expugnatione, inclinatæ adeo res barbaricæ fuerunt, ut postea Bugia & Tripolis in Christianorum redactæ sint potestatem; quæ fuse enarrat Gomesius, deque classis non sine magnis difficultatibus ob procerum Ximenii gloriæ & generosæ pietati infensorum livorem comparatæ apparatu hæc refert: *Classis octuaginta actuariis navibus decem maximis triremibus, quas nunc regias galeras vocant, constabat, præter permulta navigia minora & scaphas majoribus servientes: vehebantur autem decem millia peditum, equitum vero quatuor millia & lixarum calonumque numerus necessarius. Postridie idus majas ventum secundum nacta classis est, quare sublatis anchoris hora ferme diei tertia portu Carthaginis solvant eu literis Alvari scholastici ad Diegum Lupum Ayalam satis constat, Cardinalem corporis maciem ex solicitudine contraxisse, non tamen ob id animi vires imbecilliores factas, & magna totius exercitus alacritate vela, quo diximus, die se isse, certissima victoriæ spe concepta, adeo justi belli causam militum animos excitare & inflammare valet, præsertim ob religionem suscepti postridie ejus diei: multa jam nocte Ximenius ad Africam secundis velis appulit; is autem dies religiosissimus eo anno fuit, quoniam Christi servatoris in cœlum ascensus eo die celebrabatur.* Nonnullis interjectis, ut Ximenius Mersalcabiranum portum, qui parebat Christiano imperio, ingressus sit, & noctu exscensio facta fuerit, dum urbs classiariis tormentis a Petro Navarro duce eximio quateretur, addit: *Multum alacritatis & animi præsentia sua exercitui eo die Ximenius attulit; nam e Mersalcabirana arce suorum caterva stipatus, cum ad portum, ut diximus, egrederetur, novitate & insolentia spectaculi ducum animos & militum perculit; neque enim imperatorem suum splendentis clypeo, aut casside ex chimæra ignes vomente formidabilem intuebantur, sed pontificalibus vestibus indutum, sacerdotibus & religiosis viris ex utroque latere stipatum, & cruce argentea pro vexillo præeunte, quam Algora canonicus Seguntiensis ex officio gestare solebat: tum vero frater Ferdinandus validis lateribus & procera statura homo, quo ex Franciscanis sodalibus Ximenius familiariter utebatur, equa alba insidens gerebat gladio Hispano super sacrum Franciscanum accinctus, quemadmodum & cæteri religiosi viri, qui eo die jubente Ximenio armis se munierant: hora ferme diei sexta omnis peditatus in quatuor agmina per tribunos militares dispositus totam illam planitiem occupabat, quæ ante arcem Mersalcabiranam est, sed quoniam in tanta festinatione milites debilitata corpora curare non valuerant, atque veneris dies tunc illuxerat, carnibus vesci religio erat; trepidantes cunctorum animos, neque enim quid ederent præter laridum & porcinam eu classis commeatu suppetebat, Ximenius bene ominando religione exolvit, & qua pollebat authoritate facultatem carnes edendi dedit.*

Classis florentissima instructa a Ferd. Rege.

Ximenius Card. expeditionis dux.

Pontificalibus indutus bellum aggreditur.

Prælata pro vexillo crux argentea.

Permissus militi feria sexta carnium esus.

XXIV.

Subiicit author, habitam a Ximenio ad milites orationem, qua se paratum, ut in hostes primus irrueret, offerebat: Ego, inquit, *ante alios primus memet periculo obiiciam, qui sic animatus huc tandem prodivi, aut strenue dimicantes hodie victoriam adipiscamur, aut si id minime superi concesserint, quod abominor, omnes pariter confossi concidamus; nam ubi melius antistes Deo sacer occumbet, quam pro religione depugnans? nec ego primus hanc gloriam videbor assecutus, sic enim multi, qui me in Toletana dignitate antecesserunt, mortem pulcherrimam pugnantes oppetiere. Hæc dicens aciem procedere jubebat, seque militibus comitem dabat. Cuncti ejus oratione mirum in modum incitati Ximenium circumstetere orantes, ut pugna abscederet, ipsisque prælii conflictum committeret; eam enim operam religioni & reipublicæ navaturos, ut ipsam suscepti negotii nunquam pœniteret. Cessit communibus omnium precibus Ximenius, atque ætatis & personæ suæ memor in Petrum Navarrum eam curam reiiciens in Mersalcabiranam arcem se recepit. Sacram ædiculam ingressus, quæ divo Michaeli dedicata est, in genua procumbens passis manibus in cœlum intentus multis lachrymis Deum precabatur, ut suis Christianis præsidio esset. Petrus Navarrus, ut ingentem Maurorum & Numidarum multitudinem colles occupasse vidit, ne nostri, quos maritimi æstus & labor eius diei lassaverant, impares in congressu essent, timuit.* Et infra: *Animi itaque dubius ad Ximenium redire decrevit, eius sententiam, antequam quidquam tentaret, rogaturus. Is experientissimi Imperatoris dubitatione permultum commotus, neque quid consuleret satis certus, cum se collegisset, in hac, inquit, vir fortissime, pugna Christus summi Patris filius, & seductor Maurorum Mahometus in certamen descendunt, omnem cunctationem non solum damnosam sed impiam esse arbitror: quare omni deposita formidine milites tuos, ut cum hostibus manus conferant jubeto; certa enim mihi spes est, te hodie victoriam magna cum laude reportaturum. Divinum id potius oraculum, quam ullius hominis consilium*

Belli cura Petro Navarro demandata.

Prælium iniri jubet legatus posita in Christo spe.

*lium fuisse, quæ sunt postea insecuta declararunt; nisi enim eo die pugnatum fuisset, Oranum capi non poterat. Vix post tres horas a capta urbe Tremesenius Messuarus, qui authoritate & potentia a Rege est secundus, cum magna peditum & equitum vi in auxilium Orani venit, qui urbis captivitate & direptione cognita nil tentandum contra Hispanos victores ratus ad Regem suum rediit.*

XXV. Oranum impetu expugnatum.

Subjungit Gomesius, inclamato S. Jacobo tutelari hostes e clivis depulsos, ac nostros per planitiem se effudisse in fugientes, qui urbe excipi non potuerant: disjectas a crucesignata classe hostiles machinas: tum facto impetu superata ascensu mœnia, defixa in propugnaculis Christiana vexilla: tum Mauros sine sævitiæ fine contrucidatos, adeo ut cadaveribus viæ stratæ essent: captivorum numerum quinque millia & eo amplius extitisse, triginta tantum ex nostris desideratis: prædam quingentis millibus nummum aureorum æstimatam. Ut vero Cardinalis Ximenius urbem ingressus grates Deo egerit, captivos Christianos liberarit, ac profana templa a funesta superstitione expiarit, describit idem Gomesius sic inquiens: *Igitur Ximenius captæ urbis nuntio impendio lætus noctem illam hilarem in hymnis & gratiarum actionibus somni immemor inter suos traduxit. Postridie ejus diei triremibus Oranum petere placuit, ut salebrosi itineris difficultates vitaret: fruebatur inter navigandum pulcherrimo urbis aspectu, menianis frequentibus, & candidissimis turribus collucentibus. Ad terram expositus crucis vexillo præeunte, & victore milite stipatus, urbem ingressus lætus omnium acclamationibus suscipitur, laudes Deo optimo maximo victoriarum largitori concinentium, & Ximenium gentium barbararum victorem proclamantium. Qua ille re mirifice oblectatus, Davidis versiculum sublimi voce protulit, ita ut omnibus exaudiri posset. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Ad Alcazanam, hoc est ad arcem maximam, e vestigio perrexit; neque enim alteri præterquam Ximenio aditus ad eum se daturum præfectus affirmaverat. Postquam receptus fuit, claves sunt ei traditæ, & protinus recentes ex Christianis captivi, qui dira servitute a Mauris premebantur, ex arcis ergastulis in lucem sunt producti, atque optata libertate donati. Oblata est illi universa præda tanquam præcipuo Imperatori, quæ publice jussa fuerat asservari: ille, quamvis multa pretio & elegantia insignia videbantur, nihil ad rem suam privatam transtulit, sed quædam in publicos exercitus usus, quemadmodum cum Navarro convenerat, quædam ad Regem deportanda seposita fuerunt, ducibus deinde & tribunis militaribus vocatis virtutem illorum publice collaudavit, & pro tam fortiter navata opera benignissime gratias egit, & torquibus, armillis, & Numidicis phaleris, aliisque item militaribus præmiis, prout quisque merebatur, donavit.* Et infra.

Cæsi Mauri captique.

Solemnis Ximen. ingressus in Oranum.

Trecenti Christiani liberati.

*Altero postquam Oranum ingressus est, die obequitans per loca urbis celeberrima, ejus situm est contemplatus, & quid in singulis partibus reficiendum aut nova molitione construendum attente consideravit. Ad mesquitas deinde deflectens ritibus Mahometanis conspurcatas, ut emundarentur & expurgarentur curavit. Erat forte dominicus dies, qui cum in tertium decimum kal. junias divo Bernardino dicatum incidisset, religionem mire auxit. Curavit igitur, ut mesquitæ more Christiano consecrarentur, quo omnes sacris interesse possent, & religioni satisfacientes, ad reliqua in terra hostili magnos animos conciperent. Igitur mesquitam maximam Mariæ victrici & angelicæ ad eam annuntiationi dedicavit. In hoc autem templo cœnotaphio ad aram maximam constituto, ut sibi anniversario sacro XV. kal. junii, quo die Oranum capta fuit, parentarent, instituit, triginta millibus nummum ad hanc operam in perpetuum datis. Alteram, ubi multi ex Mauris occubuerant, divo Jacobo Hispanicæ virtutis conservatori, in quibus statim sacerdotes nostri sacra fecerunt, & supplicationes sunt habitæ. Sed quoniam divo Bernardino partim ob egregiam viri sanctitatem, partim ob communem monachatus religionem Ximenius peculiari affectu devotus erat, ne eum præteriisse videretur, xenodochium, quod ægrotantibus militibus patebat, Bernardino tutelari consecravit, memor scilicet pietatis, qua ille olim Senarum nobile xenodochium in flore ætatis constitutus administrandum suscepit cæteris ministris fugientibus ob pestem, quæ Etruriæ urbem Bernardini patriam & totam etiam Italiam occupaverat, perpetuum in eo fundavit sacerdotium Ximenius, ut esset, qui ægrotantibus sacra ministrare, impetratis a summo Pontifice multis indulgentiis, & facultate absolvendi etiam a reatibus Pontifici Romano reservatis, &c.* Addit Cardinalem ipsum tuendæ amplificandæque rei Christianæ, quæ maxime religiosorum virorum opera propagatur & colitur, intentum duo monasteria, alterum Franciscanis, alterum Dominicanis, attribuisse; tum ad errorum superstitionumque sordes eluendas, ne Judæi neophyti redituri ad vomitum ex Hispania eo se conferrent, censorem fidei am-

XXVI.

Mesquitæ ritu sacro expiatæ.

Xenodochium institutum.

Duo Sodalitia religiosorum condita.

pla fretum authoritate constituisse; mirumque fuit, ac pene vicit fidem admiratio, ipsum senio confectum negotiorum mole obrutum ob militum inconstantiam, Regisque incertam propensionem anxium tantum habuisse roboris, ut non modo res militares ad propulsandos hostiles impetus constituerit, sed sacras etiam omni adhibita cura composuerit, munusque episcopi admirabili consilio gesserit.

XXVII. Cazallæ episc. egregia adhortatio ad milites.

Præcessisse hanc felicem Orani expugnationem nonnulla præsagia narrat idem Gomesius, nimirum ubi portu egredientibus crux in Africano littore ab Hispanis biennio ante defixa se obtulit, Cazallam episcopum ad milites conversum exclamasse: *In hoc signo vincemus: quod enim quinto nonas majas Toleti in templo maximo concionantem me audivistis, cum de crucis dominicæ inventione tractaremus, nos nempe crucem dominicam repetitum in Africam tendere, quam perfidi Mauri Mahometo duce ex illis locis impie deturbassent, ea se nobis in vestibulo offert, vobisque certum victoriæ augurium dat.*

Ostensa in eo bello prodigia.

Visa etiam corvorum agmina, quæ hostilem exercitum circumvolitabant, nunquam vero deflectebant ad nostros: leones per silvas frementes a Mauris auditos; & quod majus est, renovatum tum quod pugnante olim Josue editum fuerat miraculum existimatum fuisse tradit Gomesius, nonnullosque Mauros ob id sacris Christianis lustrari voluisse: *Admirabile*, inquit, *videbitur quod dicturus sum, sed nihil certius eo tempore est habitum, ac proinde multorum scriptis testificatum; nam præter privatorum hominum epistolas Gonsalus Ægidius, & quidam innominatus author; qui commentariolis latine editis hujus pugnæ seriem ediderunt, magna hoc asseveratione affirmant, solem scilicet quatuor & amplius horas cursum suum continuisse: nam cum a nostris mons appetebatur dies palam inclinare cœperat, fermeque sol jam occasui proximus esse videbatur; quod unum, ut diximus Navarrum ad montis radicem, priusquam prælium tentaret, reputantem non mediocriter conturbaverat. Hoc etiam Ximenium considerasse ajunt, prudenter tamen tacuisse donec res hæc mirabilis omnibus vulgata fuit, animadvertisse hoc etiam nonnullis ex Mauris affirmant, qui rei novitate perculsi sacrum susceperint baptisma.*

Fertur solem cursum continuisse.

Susceptus ob miraculum a pluribus Mauris baptismus.

XXVIII. Maurorum ingens consternatio.

Personuit tota Africa tantæ victoriæ fama, ac Tremesenii terrore perculsi alii in Fezzanum regnum transfugere, alii rabie inflammati mercatores Christianos, nec non Judaicam gentem, quæ frequens Africam incoluit, velut illorum cognatam contrucidarunt, continente se in arce Rege Tremesenio, dolenteque commissos regiæ fidei obtruncari. Porro Cardinalis Ximenius ancipiti cura distrahi cœpit, an latius circumferre victoriam tentaret, an remearet in Hispaniam; demumque dissensione oborta ipsum inter & Petrum Navarrum, qui ejus præsentia suæ detrahi authoritati, nec militaria jussa exercitum capessere, tum hominem cucullatum, ut ajebat, & togæ muneribus addictum sibi in castrensi imperio anteferri indignabatur, decimo kal. junias ex Oranico portu in Hispaniam rediit: cumque ubique honorificentissime exciperetur, humanam quoad potuit laudem subterfugit; non meritam autem illi gratiam persolvit Ferdinandus, qui ut belli impensas Ximenio refunderet, ne Oranum, ut pactus erat, Toletanæ ecclesiæ subderetur, prædam, quam Toletani crucesignati apud barbaros fecerant, invasit: commendatur tamen regias curas in ea urbe munienda, & novis firmanda opibus posuisse, tum etiam egregia consilia de transferendis in Africam equestribus familiis religiosis cepisse, refert Mariana (a), quæ secuturis motibus discussa fuere: *Divi*, inquit, *Jacobi militibus Vallisoletum ad generales ejus ordinis conventus evocatis, consensu decrevit, Orani monasterium ei ordini constituere, eo nobiles crucem insigne ejus militiæ sumerent, operamque navarent in bello Africano adversus Mauros Christiani nominis hostes; atque ut esset unde novi monasterii sacerdotes & milites vitam tolerarent, a Pontifice Romano impetratum est duorum monasteriorum Villarii & divi Martini, quæ ei ordini in Compostellæ & Oveti diœcesibus sita sunt, redditus Oranum transferri: salutare consilium, ut in rebus magnis enatæ difficultates neque conspirantes sententiæ disturbarunt magnis semper conatibus adversæ; ne novum quidem decretum magis valuit, Bugiæ & Tripoli, quas urbes Navarrus proximo anno de Mauris cepit Calatravæ & Alcantaræ militibus, simili exemplo collegia instituendi.* Penetravit porro celerrime Africani triumphi fama ad Christi vicarii aures; quem solemni ritu gratias pro amplificato Christiano imperio egisse divino Numini refert Paris de Grassis (b): *Die*, inquit, *dominica* XVII. *junii habita fuit missa solemnis in ecclesia S. Augustini pro victoria per Regem Hispaniæ habita contra infideles super civitate Orano in Africa.* Addit ductam fuisse religiosam pompam ab ecclesia S. Jacobi ad ecclesiam S. Augustini, deque ea victoria concionem sacram ab Ægidio Augustiniano habitam, & ignes festos noctu accensos fuisse.

(a) *Marian. l. 29. c. 18.*

De militibus S. Jacobi Oranum transferendis sumptum consilium.

Disturbatum inique.

(b) *Paris in ms. arch. Vat. in Jul. II. p. 402.*

Im-

XXIX. Impositus (a) est hoc anno finis diutinæ de regni Castellani procuratione inter Ferdinandum & Maximilianum Reges Caroli V. avos controversiæ, quæ impendentis civilis belli periculo Hispaniam terrebat; cum proceres alii Ferdinando studerent, contenderentque, Regina filia superstite, rerum administrationem illius patri Ferdinando debitam, tutelæ jure a legibus haud dubium patri dato: disceptarent alii, qui in Germaniam ad Maximilianum se contulerant, suspectam Ferdinandi administrationem, ne si quem filium e Germana Regina susciperet, illum in Castellæ imperium induceret, ac regni gubernacula Carolo V. si ætate valeret, tradenda illius paterno avo concredenda esse. Demum cum Galliæ Rex & Cardinalis Rothomagensis judices designati essent, in Blesensibus conventibus pridie idus decembris concordiæ leges hæ conceptæ, ut Ferdinandus quoad superforet Castellæ sceptra tractaret, inque ordinum regni Castellæ cœtibus sacramento populos ad Carolum regni hæredem agnoscendum adigeret, eique annuam auri pensionem ad dignitatem sustentandam solveret, ac pristinæ opes iis, qui Caroli partes erant secuti, restituerentur. Ex hac Ferdinandi Maximilianique conjunctione, cum postea Gallicæ res eversæ fuissent, utroque in Gallicum nomen conspirante, qui diutino bello inter se facile implicari potuissent, Rothomagensis Cardinalis in invidiam adductus (b) est, quod Ferdinandi rebus nimium favisset. Verum non ex bono opere, sed indigno Regis fastu mali labes fluxit, ut dicetur inferius: nunc ad Indicas res nos conferamus.

(a) Guicc. l. 8. Marian. de rebus Hisp. l. 29. c. 21.

Sopita lis inter Ferdinandum & Maximilianum Reges.

Pax a Gallo Rege inter eos facita.

(b) Guicc. l. 8.

XXX. In Indiis parta hoc ineunte anno est a Lusitanis pulcherrima victoria (c) de Campsonis Ægyptii sultani, ac fœderatorum Regum Indorum sociali classe, illataque Christianis a Mamelucis superiori anno ignominia barbarorum sanguine eluta est ab Almeida Indiarum Emmanuelis Lusitaniæ Regis nomine præfecto, qui Laurentii filii cædem nimium ulcisci visus est: solverat ille duodecima die decembris superioris anni portu instructis undeviginti navibus, & Calecutiensem oram prætervectus, incensisque hostium navibus adversus Zabajum Goensem Regem, qui inito cum Mythocemo & Calecutiensi fœdere sultanum ad Lusitanos India exturbandos concitarat, arma vertit, atque in Dabulis urbem maritimam facto impetu eam ferro delevit, nimiumque iræ cæsis etiam infantibus fœminisque indulsit. Inde quinto januarii die hujus anni præda omni in naves deposita versus Dium velificavit, incurritque in classem Regum infidelium ex centum navibus & eo amplius, quibus etiam nonnulli Christiani Europæi invidia Lusitani nominis adducti præerant, conflatam: suosque ad pugnam cohortatus Christi nomen, religionis sanctitatem, sectæ Mahometanæ impiam fœditatem commemorans, divinumque auxilium pollicitus conserta pugna præclarissimum triumphum reportavit: de quo hæc memorat Osorius (c): *Prælium a meridie in noctem protractum fuit, in quo ex hostibus circiter quatuor millia ceciderunt, in quorum numero fuere illi sultani milites, quos Mameluchos appellabant; ex octingentis enim duo tantum atque viginti cladi superstites extitere. Mirhocemus, cum ne Melichiazius voluntatem cum fortuna commutaret, & illum Almeidæ proderet, anxie formidaret, ad Cambajæ Regem se incredibili celeritate contulit: tres naves ingentes cum multis paronibus atque longis navibus depressæ, duæ naves rostratæ, duæ triremes, & quatuor aliæ magnæ naves captæ sunt. Erat in captis navibus magna tormentorum & armorum vis, magnus pecuniæ eu auro & argento conflatæ numerus; vestes præterea stragulæ partim aureæ partim bombycinæ & gossipinæ pulcherrime factæ. Præda fuit militibus divisa, de qua Almeida nihil attingere voluit. E nostris de prælio duo & triginta ceciderunt, tercenti autem vulnerati sunt.* Confirmatum est ea victoria in Indiis Christianum imperium, ut fides per orientem diffunderetur, si enim tum succubuissent, nostri circumsessi ab hostibus innumerabilibus fuissent, qui odium conceptum animis in Christum, metuque cohibitum repente effudissent. Inde in Melichiazium Mahometanum regulum versa belli moles, is & Lusitanos reddidit impetrata pace, hostiumque classem tradidit, e qua triremes incensæ sunt, cum nautarum numerus deesset; tum oram omnem Dium inter & Cochimum arces interjectam excursionibus pervagatus, omnibus Regibus & dynastis jugum Lusitanum imposuit: Cananorem vero reversus in arcis conspectu sultani Ægyptii milites partim necavit suspendio, partim tormentis laniavit; quo facinore victoriæ gloriam obscurasse visus est.

(c) Barros. dec. 2. l. 3. c. 5. & 6. Osor. l. 6. Maff. l. 4. Marian. l. 29. c. 16.

Lusitanorum in Indiam expeditio ingens.

(d) Osor. ibid.

Mameluci magna clade cæsi.

Saracenica classis incensa.

Dum hæc in Indiis gerebantur, Emmanuel Rex percepto sultani Ægyptii in Christianum nomen odio, ad constabilienda Indiæ præsidia parabat classem navium quindecim, cui mille & quingenti milites impositi Ferdinando Contigno duce: quæ duodecima martii hujus anni Olyssipone solvit, menseque octobri pervenit XXXI.

Calecutiensis Regis classis capta.

venit in Indiam, junctusque Albuquerquio Almeidæ successori Calecutiensem Regem domandum adortus est, urbemque regni principem invasit, atque etiam ipsam regiam cepit incenditque ubi magna infidelium multitudo partim ferro partim flammis periit, nonnulli ex nostris cæsi sauciative, atque ipsius Contignii manu & ira magis, quam par erat, promptioris cædes victoriam deformavit. Porro Almeida cum Lusitaniam repeteret, & promontorium Bonæ spei superaturus aquationem faceret, commissa temere cum Æthiopibus rixa jaculo transfixus occubuit, &, ut ait Osorius: *Exemplo suo mortales humanæ imbecillitatis admonuit, ne nimis præsenti felicitati confiderent, cum animadverterent illum cujus in bello Granatensi tam clara virtus extiterat, qui maximos in India exercitus fuderat, qui Campsonis Ægypti Imperatoris opes infregerat & debilitarat, qui multis Regibus frænum injecerat, a paucis hominibus neque moribus & institutis patriæ cultis, neque armis & militari disciplina ad decus eruditis, sed inermibus atque nudis, & non multum a belluarum immanium feritate distantibus, occisum & eorum pedibus proculcatum.*

Almeida victor ab Æthiopibus occisus.

XXXII. De Lusitanorum in India victoriis gratulata (a) est Emmanueli Regi Helena Æthiopum orientalium Imperatrix, illumque de ingenti bellico apparatu a Sultano Ægyptio instructo fecit certiorem, spoponditque adversus Saracenos auxiliares copias; præterea significavit antiquissimum apud Æthiopas celebrari oraculum, ab Rege Francica regione oriundo Saracenos omnes deletum iri: tum particulam crucis dominicæ, quæ ab Æthiopibus singulari veneratione coleretur, instar maximi & præclarissimi muneris oratoris opera transmitti.

(a) *Ext. lit. apud Damianum Goez. to. 2. Hisp. illust. p. 1291.*

*Epistola Helenæ aviæ Davidis Pretiosi Joannis Æthiopum Imperatoris ad Emmanuelem Lusitanorum, &c. Regem, scripta anno MDIX.*

Litera Imperatricis Æthiopum ad Regem Lusitanum.

*In nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, unius solius in tribus personis Dei salus, gratia, & benedictio domini nostri & Redemptoris Jesu Christi filii Mariæ virginis nati in domo Bethelemetica sit super dilectum fratrem nostrum Christianissimum Regem Emmanuelem dominatorem maris, victorem ferorum incredulorumque Maurorum, dominus Deus te bene fortunet, tibi victoriam de inimicis tuis donet; tuaque regna & ditiones per devotas preces nuntiorum redemptoris Christi, nempe quatuor evangelistarum Joannis, Lucæ, Marci & Matthæi longe lateque dilatet & extendat; quorum sanctitates & orationes te servent. Certiorem te facimus, per quam dilecte frater ad nos usque appulisse ex magna illa vestra & eximia aula duos nuntios, quorum quidem alteri nomen erat Joannes, qui se presbyterum ajebat, alteri vero Joannes Gomez, petiisseque a nobis commeatum & milites: quare nos mittimus nostrum oratorem Matthæum fratrem nostri servitii cum venia patriarchæ Marci, qui nobis dat benedictionem, mittens presbyteros Jerosolymam, qui est pater noster, ac omnium nostrarum ditionum, columna fidei Christi & sanctæ Trinitatis. Is de nostro mandato misit magnum vestrum ducem eorum, qui pro fide nostri servatoris Jesu Christi militant, in India, ad illi significandum, nos esse promptos ad mittendum tum commeatum, tum milites, si necesse fuerit. Proinde accepimus principem Cayri cogere magnam classem adversus vestras copias, nimirum ut se vindicet de injuriis damnisque per militiæ tuæ [ quam in India habes ] duces sibi [ ut vere nobis constat ] sæpe illatis, quod Deus sua sancta bonitate in dies magis magisque fortunare dignetur, ut cuncti tandem increduli penitus sub jugum mittantur. Nos itaque adversus illorum insultus missuri sumus militum copias, quæ maneant ad fretum Mechæ scilicet Babel Mundel; aut certe, si id tibi commodius videbitur, ad portum Judæ, aut Thor, ut tandem auferas perdasque hujusmodi Mauros & incredulos a facie terræ; ita ut dona & oblationes, quæ afferuntur ad sanctum sepulchrum, deinceps non vorentur a canibus.*

De apparatu Sultani Ægypti certiorem facit.

Spondet in Saracenos copias auxiliares.

XXXIII. *Adest jam tempus illud promissum, quod ut ajunt Christus & mater ejus Maria prædixere, quod scilicet in postremis temporibus oriturus esset e regionibus Francicis Rex quispiam, qui aboliturus esset universum barbarorum & Maurorum genus: & hoc ipsum quidem nunc tempus est, quod Christus benedictæ suæ matri futurum promisit. Porro quidquid orator noster Matthæus vobis dicturus est, id velut a nostra ipsorum persona profectum accipite, eique fidem adhibete; & si quidem unus inter aulæ nostræ præcipuos atque ob id illum ad vos mittere volumus: commisissemus autem hæc vestris nuntiis, quos huc legastis; sed cepit nos metus, ne nostra negotia non ex nostra sententia vobis nota forent. Mittimus ad vos per hunc nostrum oratorem Matthæum crucem unam factam haud dubie ex frusto ligni, in quo servator noster Jesus Christus crucifixus fuit Jerosolymis, id autem sacrosancti ligni frustum ex Jerosolymis ad nos allatum est: porro ex eodem duas fecimus cruces, earum altera quidem apud nos manet, alteram vero de-*

Vaticinium de Saracenis delendis antiquissimum.

Crux Christi ab Æthiopibus culta.

di-

*dimus illi nostro oratori ad vos perferendam: lignum nigri coloris est, pendetque ab exiguo argenteo annulo. Cæterum si vobis visum fuerit aut vestras filias matrimonio jungere nostris filiis, aut nostros filios dare vestris filiabus, id & nobis inprimis pergratum erit, & utrisque utile, fraterni inter nos initium fœderis: quod quidem nuptiarum connubium cum in præsentiarum, tum etiam in futurum tecum inire percupimus. Reliquum est, ut & salus & gratia nostri redemptoris Jesu Christi, sanctæque nostræ dominæ Mariæ Virginis se extendat tum super vos tum super filios, filias, universamque vestram domum. Amen. Ad hæc autem vos certiores facimus; si bella exercitusque conjungere velimus, satis virium nobis futurum esse, ad, divino accedente auxilio, abolendos universos nostræ sanctæ fidei inimicos: verum nostra regna & ditiones sic sunt in mediterraneis sita, ut nusquam in maria possimus erumpere: quare nihil nobis est potentiæ in mari, in quo [Deo laus] vos omnium estis potentissimi. Jesus Christus sit vobis auxilio; res enim, quæ in India per vos gestæ sunt, profecto magis miraculosæ quam humanæ: quod si mille velis armare naves, nos & commeatum dabimus & cuncta, quæ ad eam classem opus erunt, abunde suppeditabimus.*

Lusitanorum victoriæ miraculo ascribendæ.

XXXIV. Concussa hoc anno est ingenti terræ motu Constantinopolis, & aliquot Turcarum millia ruinis oppressa sunt; tum id mirum accidit, ut corruentibus Mahometicæ superstitioni dicatis templis in Sophiæ æde calce Christi & sanctorum imaginibus a Turcis obducta cadente, eædem conspectæ fuerint, qua de re hæc Nicolaus Baselius (a) asserit: *Eodem anno mirabilis admodum valde dicitur fuisse terræmotus in festo exaltationis S. Crucis Constantinopoli, & in plerisque circumjacentibus locis & castris, horribilisque grandinis & fulguris coruscatio, tonitrua quoque, & aeris inæqualitas cum maxima tempestate, ita ut circa oram maris, muri, turres, ædificia, & domus funditus corruerent, multaque hominum millia extinguerentur. Castrum præterea Turcorum Imperatoris cum quinque turribus sumptuosissime extructum, in quibus thesaurus Imperatoris Turcorum fuerat repositus, corruit. In templo etiam S. Sophiæ, quod muschea Turcorum passionis Christi ab olim in parietibus depicta series, atque ab impiis Turcis post captam civitatem cæmento oblita terræ motu refertur, cæmento dejecto clarissime ad oculum apparuisse. Hujus terræ motus & tempestatis novitas Cæsari Maximiliano per literas innotuisse, libellorum impressorum lectione manifestatur. Per omnem quoque pene Germaniam, maxime in Charintiorum provincia, Styria, Tirolis, & Suevia post horam noctis octavam terræ motus factus est, cujus impulsu referuntur in plerisque locis domus & alia corruisse ædificia.*

(a) Basel. in append. ad Naucl.

Concussa terræ motu Constantinopolis.

In templo S. Sophiæ detectæ Christi imagines.

XXXV. Obiit hoc anno xi. kal. maii Richemundiæ Henricus VII. Anglorum Rex virtutibus præstantissimus; qui cum morbo absumeretur egregium clementiæ exemplum præbuit dum edicto omnibus pœnam remisit, qui leges generatim violassent, exceptis homicidis & furibus, quod facinoribus suis non regium apicem, sed proximum læsissent. Ornatur maximis elogiis a Polydoro Virgilio (b), qui post commemoratas illius virtutes fortitudinem in periculis, prudentiam in rebus gerendis, comitatem, honestatem, justitiam, de ejusdem pietate hæc refert: *Impiger fuit religionis & juris observator ac cultor; libenter enim rebus divinis operam dabat, intereratque dum fiebant, nec ullo negotio aut tempore ab eo officio excludebatur: attente audiebat quotidie binas ternasve missas, quas vocamus, & sæpe conciones sacras: assidue inopibus hominibus eleemosynam dabat, & id quidem in occulto cum licebat, juxta illud Christi servatoris præceptum, ut nesciret ejus sinistra manus, quid dextra faceret; illiusque muneris obeundi causa domi ex majorum instituto habebat ministrum, qui eleemosynarius dicitur: sacerdotio honorem habebat, illudque pie colebat, libens juvabat, large augebat; qui delubrum ad Westmonasterium, & cœnobia tria Franciscanorum, quos observantes appellant, unum apud villam suam Richemundiam, alterum Grenevichi, tertium Nevarchi condidit, ac iis assignavit totidem cœnobia quæ familia altera Franciscanorum, qui conventuales vulgo nuncupantur, Cantuariæ, Novicastri, & Suthansovi diu habuerat. Item orabat multum, & festis præsertim diebus horas recitabat canonicas; sed non suis adeo fretus est precibus, quin sacerdotes cujusque ordinis sui adjutores non expeteret: quos etenim integros atque innocentes esse certo quasi sciret, illis secreto largitiones faciebat, ut pro se orarent, ac toto passim regno certis in templis justa quotannis sibi, postquam mortem obiisset, facienda constituit; ad idque ex suo mercedem paratam voluit, ut cura atque opera in supplicando diligentius a rerum divinarum administris daretur. Hæc Christiani principis vita, qui animo ex corporis custodiis liberato duceret alteram esse vitam, & eam quidem multo meliorem, ad quam adspiraret.* Successit illi filius Henricus VIII. qui eximii principis exem-

Henrici VII. Angl. Regis obitus.

(b) Polydor. Virg. l. 26. Marian. l. 29. c. 17.

Illius elogium.

empla initio præbuit, deinde in tyrannum deterrimum, & hostem Ecclesiæ descivit.

(a) L. 80. bull. p. 161. & in bull. in Jul. II. const. 19.

Lata est hoc anno a Julio sententia (a), adversus illos, qui ex levibus causis in singulare certamen ad mutuum fundendum sanguinem descendebant, atque anathematis aliisque pœnis affecti fuere, qui barbaricas ejusmodi gladiatorias pugnas iniri permitterent: consignatum est diploma hac temporis nota. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno* MDVIII. VI. *kalend. martii pontificatus nostri anno* VI. [1]

Con-

NOTÆ [1] ANno hujus concilium quoddam Avenionense apud collectores Veneto-Labbeanos assignatur. Acta concilii vulgaverat Martene Anecdot. tom. IV. qui chronologiam hanc tuetur, statuens concilium illud provinciale hoc anno die XVII. Avenioni celebratum. Id vero collegisse potuit Martene ex titulo in codice MS. canonibus hisce præfixo in hanc sententiam concepto. *Statuta synodalia provincialia in sancta synodo videlicet de anno MDIX. & XVII. mensis octobris publicata cum conditionibus restrictionibus &c. nuper per reverendum & dominum Antonium Flores &c. Avenionensem Archiepiscopum &c. observari jussa*. Ex ambiguitate tituli hujus deceptus vir doctus concilium provinciale hoc anno statuit, quod reipsa nullum fuit. In primis enim quomodo celebrari provinciale concilium illud hoc anno potuit, cum reformationes canonum concilii illius provincialis cujus in titulo fit mentio anno 1496. die XX. januarii prodierint? Ita enim consignantur in actis ejus concilii quibus subduntur in editione ejusdem Martenis. Insuper acta illa a Martene vulgata diœcesanæ potius Synodi quam provincialis specimen exhibent, cum nunquam ad provinciam, semper vero ad diœcesim & urbem Avenionensem canones illi dirigantur. quibus diligenter expensis, ita rem totam componendam censeo. Concilii cujusdam provincialis incerto anno celebrati canones Avenionensis archiepiscopus innovandas ac præsenti disciplinæ aptandas ratus, diœcesanam synodum anno 1496. die XX. januarii convocavit, in qua opus illud perfecit absolvitque. Dein vero nova alia diœcesana synodo anno isto 1509. die XXVII. octobris ab Antonio Flores Archiepiscopo coacta has semel constitutas sanctiones adiectis reformationibus anni 1496. iterum confirmavit evulgavitque. Cum vero canones illi primo in concilio aliquo provinciali constituti fuissent, eosdemque in posterioribus diœcesanis synodis aptatas commodis diœcesis suæ Avenionensis archiepiscopis dedisset, ideo in titulo synodi diœcesanæ anni 1509. a Martenio vulgatis præfertur: *Acta synodalia in sancta synodo* (diœcesana) *videlicet de anno MDIX. & XVII. mensis octobris publicata*. Nullum ergo provinciale concilium Avenionense anno huic assignandum est. MANSI.

I. Exorta inter Pont. & Gallum dissidia.

Conciliatis Romanæ ecclesiæ Venetis anno virginei partus millesimo quingentesimo decimo indictione decimatertia, cum sacri suscipiendi in Turcas belli consilia intendenda perficiendaque viderentur, & Polonus Hungarusque Reges ea de causa a Pontifice solicitarentur (a) ad inferenda illis infesta signa, repente natis inter Pontificem ipsum ac Regem Gallorum novis dissidiis ingentia bella exarsere: quibus Ecclesia Dei valde exagitata, ac demum præter expectationem Gallica potentia in Italia attrita est, periculosissimique schismatis semina transfugientibus a Pontifice ad Gallum quinque Cardinalibus, ejusque cupiditatibus lenocinantibus, nec non Maximiliano Cæsare in eandem factionem traducto pullularunt; quocirca & prosperi Christianæ religionis in Africa reflorescentis successus confusi, ingravescentique Turcarum tyrannidi adiecta incrementa fuerunt. De quibus dicturi primum a Venetis, redire in Pontificis gratiam, ut anno superiori vidimus, exoptantibus exordiemur. Distractus fuerat diu cura ancipiti pontificius animus; cum hinc Veneti Ecclesiæ imperia se religiose accepturos profiterentur, ac proinde nefas esset repellere supplices, atque a Christi, cujus vicibus fungebatur exemplo desciscere; hinc fœderatorum Regum terrebat potentia, cum illi controversas Cæsari urbes, Patavium nimirum, Tarvisium, & Vicentiam tradi postularent: demum cum Venetos cum Maximiliano conciliare frustra studuisset, non immemor se non regiarum cupiditatum satellitem esse, sed a Deo præfectum Christiano orbi, ut nexus criminum solveret, omnibusque in cœlum iter panderet, Venetos in Ecclesiæ gremium restituit, hisque ad tuendum jus ecclesiasticum pactionibus constrinxit (b), ne ulla sacerdotia munerave ecclesiastica conferrent, dataque ea de re mandata pontificia exequerentur: ne lites sacerdotum in pontificia curia dijudicari vetarent, neve fori ecclesiastici causas cognoscendas sibi arrogarent, neque decumas vel aliud vectigal ecclesiis imperarent: provocationem ad concilium editam damnarent: cujus juri in ditionis ecclesiasticæ terris utcumque parto, tum vicedomini Ferrariensis magistratui renuntiarent: ne clientibus Romanæ ecclesiæ sulcandi navibus sinus Hadriatici maris libertatem adimerent, neque aliarum gentium peregrinis mercibus, quæ eorundem clientum ratibus veherentur, vectigal ullum imponerent: ne Ferrariæ aliarumque illius toparchiæ terrarum imperium affectarent: pactiones omnes ab ipsis cum aliquo ecclesiæ Romanæ principe nefario factæ, quibus ecclesiæ detraheretur, irritæ censerentur: ne quempiam Ecclesiæ hostem exciperent: extorta ab ecclesiasticis restituerent, sarcirentque damna. De quibus confectas in Cardinalium senatu publicas tabulas memorant authores (c), quæ hisce verbis conceptæ fuerunt (d).

Veneti in gratiam admissi a Pontifice.

Pactiones cum iis initæ.

(a) Jodoc. hoc an. in Sigism.

(b) Bonac. in diariis Guicc. l. 8. Marian. l. 29. c. 23. Belcair. l. 11. n. 49.

(c) Id. ib.

(d) Ext. in ms. Vallic. bibl.

II. *In nomine Domini. Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter & sit notum, quod anno a nativitate ejusdem MDX. indictione* XIII. *die vero* XXIV. *mensis februarii pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Julii divina providentia Papæ II. anno* VII. *in præsentia ejusdem S. D. N. Papæ, meique notarii publici & testium infrascriptorum ad hæc vocatorum & rogatorum, personaliter constituti magnifici viri domini Dominicus Trivisanus eques procurator S. Marci, Leonardus Mocenigo, Aloysius Maripetrus, Paulus Capellus eques & Hieronymus Donatus doctor, nobiles Veneti oratores, sindici, & procuratores per illustrissimum, & excellentissimum principem dominum Leonardum Lauredanum ducem, rogatos, consiliarios, & dominium Venetiarum legitime & sufficienti numero ac solito loco congregatos; prout in similibus & aliis gravibus negotiis peragendis facere consueverunt, legitime constituti*, & infra.

Publica monumenta edita.

*In primis præfati oratores, procuratores, & sindici expresse renuntiaverunt cuicumque appellationi interpositæ per dictum dominium aut ejus nomine ad futurum concilium, & cuilibet protestationi vel scripturæ ad eam pertinentibus; illamque & illas prout sunt pro nullis, frivolis & penitus infectis haberi voluerunt, seque facturos & curaturos promiserunt, quod episcopi seu prælati coram quibus appellatio & protestatio prædictæ interpositæ fuerunt personaliter ad Romanam curiam venient, & sanctissimo domino nostro se præsentabunt veniam petituri, & pœnitentiam eis injungendam recepturi.*

III. *Item nominibus & modo, quibus supra, ante omnia recognoverunt, & confessi fuerunt, literas apostolicas & monitoriales alias per sanctissimum dominum nostrum sub data anno incarnationis dominicæ MDIX. v. kal. maii pontificatus ejusdem anno* VI.

*contra ducem, rogatos, consiliarios, & alios Venetiarum civitatis præsidentes, dominium, eiusque terras & loca decretas, de quibus illarumque tenore ac singulis clausulis & capitulis in eisdem contentis plenam & indubitatam notitiam habere asseruerunt, legitime & ex veris & legitimis causis emanasse; petieruntque humiliter & devote absolutionem a censuris in eis contentis, & quibusvis aliis, & interdicti in eis contenti relaxationem. Item nominibus & modo, quibus supra, expresse & solemniter promiserunt, nullo unquam tempore aut quovis quæsito colore, seu quavis causa in futurum, aliquas decimas seu impositiones, seu collectas, aut quæcumque onera clericis vel ecclesiasticis personis, tam ratione personarum, quam quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, seu etiam ecclesiarum, monasteriorum vel locorum religiosorum, aut hospitalium imponere seu imposita exigere. Item nominibus & modo, quibus supra, promiserunt de cætero perpetuis futuris temporibus non impedire quoquomodo per se, vel alium, seu alios, collationes, præsentationes, institutiones, provisiones, seu quaslibet dispositiones per sedem Apostolicam vel Romanum Pontificem pro tempore existentem seu ejusdem sedis legatos, & quoscumque alios ordinarios, de quibuscumque dignitatibus ecclesiasticis etiam metropolitanis, aut patriarchalibus, seu monasteriis etiam consistorialibus, aut quibuscumque aliis dignitatibus, officiis, seu beneficiis ecclesiasticis regularibus, vel sæcularibus, & aliis piis locis hactenus quomodolibet factas seu faciendas, & de eis nullatenus se intromittere; quinimmo illorum omnium & singulorum possessionem liberam & expeditam per eos vel ad quos spectat, sine contradictione vel molestia tradi & traditas retineri permittere.*

Spondent Veneti immunitatem ecclesiasticam non violaturos.

IV. *Item nominibus & modo, quibus supra promiserunt deinceps perpetuis futuris temporibus per se vel alium seu alios ex quavis causa & quovis quæsito colore aut ingenio, non impedire, nec se quoquo modo intromittere, quominus cognitio causarum fori ecclesiastici libere exerceatur per judices ecclesiasticos, & per eos dictæ causæ cognoscantur & terminentur in quacumque instantia tam in Romana curia, quam in aliis locis, prout sanctissimo domino nostro Romano Pontifici pro tempore illas in quocumque statu committi contigerit; nec appellationes & provocationes in causis prædictis ad eandem sedem vel alios interponi, & interpositas libere prosequi, etiam in Romana curia impedient; nec pariter clericos aut ecclesiasticas personas prædictas absque expressa licentia sedis Apostolicæ, vel alterius ecclesiastici judicis, ad quem spectat, capi, carcerari, detineri, aut quavis molestia in eorum bonis, personis, aut beneficiis affici facient, aut permittent. Item nominibus & modo, quibus supra, promiserunt & convenerunt de cætero perpetuis futuris temporibus, nullo modo impedire, seu facere directe vel indirecte quovis quæsito colore aut causa, quin subditi omnes & singuli immediate eidem sanctæ Romanæ ecclesiæ seu civitatum, castrorum, terrarum, locorum quorumcumque ejusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ, omnes & singuli cives, rustici, habitatores, & incolæ; subditi vero mediate eidem S. R. E. etiam terras, civitates, & castra, ac loca quæcumque in vicariatum seu feudum tenentes, eorumque subditi & civitatum, terrarum, castrorum, & locorum eorundem cives, rustici, habitatores, & incolæ in marchia Anconitana & Romandiola; comprehendendo etiam civitatem Ferrariensem ejusque comitatum, territorium, & districtum dumtaxat existentes, cum eorum omnium & singulorum navibus seu navigiis cujuscumque generis, mercantiis, & bonis in illis existentibus, cujuscumque generis & qualitatis fuerint, libere & licite ac penitus sine aliqua gabellarum aut pedagiorum, seu onerum quorumcumque solutione vel exactione, ad quæcumque loca tam per sinum maris Hadriatici, quam quæcumque alia maria & aquas, etiam dulces, navigare possint. Quinimmo promiserunt quod eos, ut præfertur, libere navigare permittent, nec navigia, homines, mercantias, & bona prædicta, quocumque modo & quovis colore & causa impedient, retinebunt, aut retardabunt, etiam prætextu vel colore alicujus prætensæ custodiæ maris, cui quoad præmissa specialiter & expresse renuntiaverunt, sive etiam prætextu visionis dictorum bonorum, seu mercantiarum, aut librorum mercantilium in dictis navigiis, aut penes ipsos navigantes quomodolibet existentium, etiam sub eo prætextu, quod mercantia & bona & alia prædicta ad quascumque alias personas, etiam non subditas in parte vel in totum pertinere dicerentur.*

Ecclesiasticas causas ecclesiastico judici permissuros.

A clientibus pontificiis vectigal non exacturos.

*Item nominibus & modo, quibus supra promiserunt & convenerunt perpetuis futuris temporibus parere mandatis sanctæ Romanæ ecclesiæ, quinimmo tanquam ipsius devoti filii nunquam erunt in facto, opere, consilio, aut auxilio contra sedem Apostolicam & Romanum Pontificem pro tempore publice vel occulte, & hoc sub pœnis & censuris in dictis literis monitorialibus, & aliis infra contentis. Item nominibus & modo, quibus supra, promiserunt* V.

Pontificia mandata confecturos.

runt

*runt & convenerunt cassare, & cum effectu irritare, prout ex nunc pro cassis & irritis habent, omnes & singulos contractus, capitula, & conventiones hactenus cum quibusvis civitatibus, communitatibus, terris, seu locis eidem sanctæ Romanæ ecclesiæ mediate vel immediate subjectis, in præjudicium ipsius Romanæ ecclesiæ & sedis Apostolicæ, & contra ejus libertatem quomodolibet respective initos & facta. Item nominibus & modo, quibus supra, promiserunt & convenerunt perpetuis futuris temporibus, aliquos rebelles, seu inimicos vel exititios ejusdem sedis Apostolicæ in terris eorum & dicti eorum dominii, ubicumque existant, non recipere vel admittere, aut illos seu aliquem illorum, quomodolibet protegere; & si qui in præsentiarum in locis prædictis reperiuntur, illos infra mensem proxime futurum licentiare, & cum effectu expellere; ac etiam quod quoscumque vicarios, feudatarios, aut domicellos, seu barones terrarum & locorum quorumcumque eidem Romanæ ecclesiæ mediate vel immediate subditorum, etiam duces, aut quocumque præeminentiæ titulo insignitos, sive eorum terras, civitates, status, & bona in eorum seu dicti dominii protectione non recipient, nec recipi permittent publice vel occulte sine expressa licentia Romani Pontificis pro tempore existentis.*

VI. *Item nominibus & modo quibus supra, promiserunt & convenerunt deinceps perpetuis futuris temporibus, de civitate Ferrariensi illiusque comitatu, territorio & districtu, illorumque gubernio & regimine ad Romanam ecclesiam & sedem Apostolicam pleno jure legitime spectantibus & pertinentibus, quovis modo seu causa, aut quovis quæsito colore directe vel indirecte, etiam ratione prætensi vicedominatus, cui & prætensis juribus in petitorio & possessorio in eo quomodolibet competentibus specialiter & expresse renuntiaverunt, se nullatenus intromittere. Item nominibus & modo, quibus supra, promiserunt & convenerunt reficere & restituere cum effectu omnia & singula damna illata & facta; ac etiam pecunias & quæcumque bona quibusvis monasteriis, ecclesiis, ac congregationibus, & aliis locis & personis ecclesiasticis, cujuscumque qualitatis existant, hactenus per ipsos eorumque officiales prætextu vel occasione paritionis & observationis literarum monitorialium prædictarum, & interdicti & censurarum in eis contentarum, eis & ab eis respective illatis & ablatis, si qua illata & ablata respective reperiantur; dictasque personas, & loca a damnis & bonorum ablationibus prædictis relevare & indemnes conservare, &c.* Plures adduntur forenses formulæ, quibus princeps senatusque Venetus ad pacta integritate summa servanda se obstrinxere, utque oratores Veneti in Cardinalium senatu datam Pontifici fidem jurejurando confirmarint.

A Ferrariensi re sibi temperaturos.

Ecclesiis rapta redituros.

VII. *His conventis ex decreto pontificio, iidem oratores in porticum basilicæ Vaticanæ se contulerunt, atque ad Julii in solio ante æneas portas locato considentis, & Cardinalium præsulumque corona cincti pedes se projecere, præsentibus cæsareis, Gallis, Hispanis, & Anglis legatis; ac supplices errati veniam poposcere, rituque solemni censurarum nexibus, quibus se irretierant, liberati fuerunt, ea incussa pœna, ut septem urbis basilicas religiose lustrarent.* Describit illius ritus formulæ Paris de Grassis (a) hisce verbis: *Die dominica secunda quadragesimæ quæ fuit* XXIV. *mensis februarii, sanctissimus dominus noster absolvit oratores Venetos vice & nomine ducis ac dominii Venetorum ab excommunicatione & anathemate his ceremoniis & hoc modo videlicet: Mensibus præteritis mihi imposuit, ut inquirerem a sæculo circa quot absolutiones fuerint solemnissime per Pontifices factæ, quia volebat intelligere modum, quem quisque servaverat & retuli quod a Sixto IV. avunculo suo usque in hoc ipso quatuor absolutiones habitæ fuerunt, videlicet. Primo idem Pontifex Sixtus anno octavo sui apostolatus absolvit tres nobiles barones Hispanos de civitate Legionensi, qui ante aliquo tempore episcopum Legionensem interfecerant, & ob hoc Pontifex eos nudos sub porticu basilicæ S. Petri cum virgis verberavit, assistentibus duodecim presbyteris Cardinalibus similiter cum virgis verberantibus. Deinde idem Sixtus anno nono sui apostolatus absolvit oratores Florentinos nomine vexilliferi & dominii Florentini, eo quod archiepiscopum Pisanum suspenderant laqueo in platea, & quia etiam Cardinalem S. Georgii captivaverant; ideo Papa eosdem oratores ante basilicam prædictam non nudos, sed vestitos cum virgis verberavit, assistentibus similiter duodecim Cardinalibus presbyteris cum virgis verberantibus, & aliis omnibus Cardinalibus in circulo stantibus. Deinde Innocentius Sixti successor absolvit vexilliferum justitiæ & unum de antianis populi civitatis Bononiensis; eo quod unum presbyterum & unum fratrem S. Francisci in platea de facto suspenderant, & hos non ipse Pontifex percussit per seipsum, ne illos tantum honoraret, ut subditos, sed circumstantibus omnibus Cardinalibus in die Paschæ resurrectionis fecit per pœnitentiarios omnes virgis acriter percuti, & quidem totaliter nu-*

Veneti censuris soluti.

(a) Paris e Grassis to. 3. diar. cæremonial. n. 5. p. 520.

Quis servati ritus.

*nudos etiam sine caligis, sed solis campestribus sive brachis pudibunda tegentibus; & quidem percuti fecit donec tres eu septem psalmis pœnitentialibus dicerentur. Novissime vero Alexander nonnullos cives Asculanos absolvit, ex eo quod rebelles fuerant contra sedem Apostolicam, & quia etiam vi & proditione occupaverant arcem Eufidæ; & hos nudos non ante januam basilicæ, sed in aula ante capellam majorem palatii fecit a pœnitentiariis omnibus cum virgis percuti.*

VIII. *Itaque his intellectis, & visa veritate hujusmodi, ac etiam intellecto a me quod non de necessitate absolutionis hujusmodi verberatio, sed de solemnitate fieri solet, mandavit mihi, ut formam & modum ceremonialem, quo uti in Venetorum absolutione posset, componerem, & scriberem, & sic in scriptis ei ostenderem; quia ibidem sua sanctitas aut addi aut minui pro voluntate sua juberet: ac etiam intellecto quod sub porticu & in secunda dominica quadragesimæ, quæ est vigesima quarta februarii, ut supra scripsi, in hunc modum, videlicet: Præparetur ante valvas & in claustro, sive sub porticu basilicæ principis Apostolorum pro actu ipso absolutionis agendo, ac habeatur suggestus trium graduum solitus papalis, & inter duas portas basilicæ, id est apud æneam, quæ media est, ponatur, & tapetibus ornetur, tam suggestus, quam paries pannis sericeis magnis: fores omnes basilicæ sint clausæ donec erunt ipsæ aperiendæ. Informetur secretarius Papæ qualiter ipse debet legere omnia capitula: informetur procurator fiscalis, qualiter ipse debet petere ab oratoribus an habeant mandatum, & illud præsentent; an velint jurare de parendo mandatis Papæ & Ecclesiæ, ac sedis Apostolicæ, & quod ipse debet requirere omnes notarios, ut instrumentum & instrumenta conficiant: informetur tamen notarius unus, vel duo, aut omnes, ut stipulentur, & testes rogent: informetur Cardinalis pœnitentiarius, ut simul cum pœnitentiariis adsit in tempore cum virgis, si opus erit, & quod introducat oratores in gremium ecclesiæ. Habeatur liber pontificalis, ut Papa possit ex eo legere psalmum: Miserere mei Deus: habeantur omnia capitula scripta in bona forma, quæ legi debebunt: informetur Papa de pœnitentia, ut cogitet & deliberet, quæ ei videatur imponenda, & an placeat sanctitati suæ quod finito officio omnis ejus palatina familia simul cum prælatis suis palatii associent oratores ipsos usque ad habitationem eorum. Habeatur alius liber missalis cum imagine crucifixi pro juramento oratorum: habeatur in quaterno forma absolutionis in bona litera, quam Papa leget: habeantur virgæ in totum tredecim, ex quibus una pulchrior pro Papa cum manutergio in extremitate. Nulla sint pro Cardinalibus sedilia, sed omnes circumstent. Omnes officiales cameræ adsint, & omnes pœnitentiarii: Cardinales sint vestiti cappis violaceis, & similiter omnes prælati solito more, & hi omnes officiales sint ad sinistram Papæ, sed prælati alii ad dexteram & ante Papam: provisionati & custodes palatii patefaciant locum, ut Papa commode & Cardinales ibi esse possint. Oratores præveniant ad palatium, & in aliqua camera expectent descensum Papæ ad porticum. Pro missa cantanda præparetur in ipsa basilica capella Sixtina, tam pro Papa, quam pro omnibus solitis; & reverendus pater dominus Franciscus Argentinus Venetus episcopus Concordiensis datarius missam cantet de dominica more solito. Omnibus paratis & ordinatis, Papa exit, & paratus ut in dominica quadragesimæ convenit, defertur in sede sua gestatoria usque ad porticum, quem oratores præveniunt ad suggestum locum: Papa in eadem sede gestatoria posita super suggesto sedet, Cardinales circumstant super solio. Sint soli hi, videlicet, magister ceremoniarum & secretarius, ad sinistram in angulo suggesti, procurator fiscalis, & advocatus, & notarius cameræ. Stantibus omnibus indicatur silentium: Oratores ex gratia petunt osculum pedum, & Papa ex gratia concedit, & redeunt ad locum suum, id est in supremo gradu suggesti omnes genuflexi; ex quibus primus, aut quivis ex eis unus dicit alte quidquid placet veniam petendo, ac misericordiam & absolutionem, attento quod parati sunt satisfacere & jurare: procurator fiscalis petit an habeant mandatum sufficiens, quod ostendant oratores ipsum mandatum, exhibeant jam provisum, & sufficiens. Papa mandat legi per suum secretarium capitula ac pacta inita; quibus lectis procurator iterum petit, an velint illa jurare, & etiam jurare de parendo mandatis Papæ & Ecclesiæ; & oratores offerunt se paratos. Interim liber missalis per magistrum ceremoniarum aperitur, & in genua Papæ ponitur, quem diaconi Cardinales assistentes hinc inde sustinent, Pontifice manum apponente; & oratores ascendunt, & singuli ambabus manibus tactis scripturis & imagine jurant, promittunt, & obligant; de quibus procurator fiscalis requirit notarium, ut stipuletur & instrumentum agat. His factis Pontifex loquitur adversus oratores quidquid placet, & sic concludit, quod paratus est illos absolvere; & sic datis virgis tam Papæ, quam Cardinalibus duodecim,*

Pompæ ordo.

Solemni ritu oratores pacta Sacramento firmant.

*cini, ut supra, Pontifex incipit psalmum: Miserere mei Deus; quem cum Cardinalibus alternatim respondentibus usque ad finem prosequitur, & pro unoquoque versu semel oratores leviter super spatulis percutiuntur. Dicto psalmo Papa deposita mithra surgit, & legit versiculos & orationes, ut in forma absolutionis, quæ infra ponetur. Finitis orationibus Papa sedet cum mithra, & extendens manum super oratores legit ex libro: Misereatur vestri; & : Indulgentiam, absolutionem, &c. deinde: Authoritate Dei omnipotentis, &c. postea imponit pœnitentiam salutarem, quæ ei placet; deinde mandat pœnitentiario Cardinali, ut simul cum aliis Cardinalibus, vel pœnitentiariis introducant oratores ipsos in ecclesiam, & in gremium ecclesiæ: & denique Papa recipit ipsos oratores omnes ad osculum pedis, manus, & oris, sicut in consistorio publico venientes ad præstandam obedientiam, & ei oratores gratias agunt.*

Decantato psalmo miserere verberantur.

*Et ista est forma quam ego dedi scriptam Pontifici, qui ex illa nihil cassari jussit, nisi quod non voluit cum virgis percutere, & quod voluit omnes prælatos & familiam suam palatinam associare oratores ad eorum ædes.*

IX. *Officium autem absolutionis factum & lectum est hoc modo; videlicet Pontifex sedens cum mithra legit psalmum: Miserere mei Deus, cum Cardinalibus, & non verberavit. Deinde deposita mithra stans legit: Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Pater noster. Et ne nos inducas, &c. sed libera nos. Versic. Salvos fac servos tuos & ancillas tuas. respons. Domine Deus sperantes in te. versic. Mitte eis auxilium de sancto; respons. Et de Syon tuere eos: versic. Nihil proficiat inimicus in eis; respons. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis; versic. Esto eis domine turris fortitudinis: respons. A facie inimici: vers. Domine exaudi orationem meam; resp. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum; Et cum spiritu tuo.*

Precum habendarum formulæ.

Oremus.

Deus cui proprium est misereri semper & parcere supplicationes nostras suscipe, & hos famulos tuos vice & nomine ducis, rogatorum, & consiliariorum, senatusque, & populi ac omnium aliorum utriusque sexus de civitate & dominio Venetiarum, eorumque locorum interdicto subjectorum, quos & quæ excommunicationis & anathematis, ac interdicti cathena constringit, miseratio tuæ pietis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

Præsta, quæsumus, Domine eisdem famulis tuis vice & nomine ducis, rogatorum, & consiliariorum, senatusque, & populi ac aliorum omnium utriusque sexus de civitate ac dominio Venetiarum dignum pœnitentiæ fructum, Ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviaverant peccando, peccatorum veniam consequendo reddantur innoxii. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*His lectis Papa sedit, & accepta mithra legit extendens manum apertam super oratores dicens: Misereatur vestri, & illorum omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis vestris & illorum, perducat vos & illos ad vitam æternam. Amen. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum vestrorum & illorum tribuat vobis & illis omnipotens & misericors Deus. Amen. Authoritate Dei omnipotentis & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Ecclesiæ suæ sanctæ & nostra absolvimus vos vice ac nomine ducis, ac rogatorum, & consiliariorum, senatusque & populi, & aliorum omnium utriusque sexus de civitate & dominio Venetiarum a vinculo excommunicationis, & anathematis, & omnium censurarum in vos & illos quomodocumque & qualitercunque, & quibuscumque de causis illatarum, & interdictum relaxamus, & restituimus vos & illos omnes eadem authoritate sanctis Sacramentis ecclesiæ unitatique & communioni fidelium, in nomine † Patris, & † Filii, & Spiritus † sancti. Amen. Deinde Papa imposuit pœnitentiam, ut ipsi oratores irent ad septem ecclesias, ubi orationes & eleemosynas facerent nominibus, quibus supra, ad arbitrium eorum; super qua re gravabat eorum conscientias. Et sic omnia, ut supra, facta fuerunt.* X.

Sublatum interdictum.

Ubi Venetias perlatus est optatissimus nuntius de solutis ecclesiasticarum censurarum nexibus, quibus diu impliciti luxerant; senatus populusque publica lætitia signa ediderunt, atque in triduum decretas supplicationes fuisse, refert Petrus Justinianus (a). Gratulatus (b) est de pace cum Pontifice confecta Leonardo Lauredano Venetorum principi Petrus Delphinus: *Admonere*, inquit, *nos voluit pius Dominus, ut essemus memores fragilitatis nostræ, cujus in prosperis sæpenumero obrepit oblivio, & ut recordaremur quod auferre quæ dedit potest, & quod ei subjecta sunt omnia, quæ cœli ambitu continentur.* Nonnullisque interjectis: *Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non* XI.

*esse*

(a) *Petr. Justin. l. 11.*

Celebrata Venetiis publica lætitia.

(b) *Petr. Delph. l. 9. ep 66.*

Erecti ad meliora Venetorum animi.

*esse gaudii sed mœroris; postea vero fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. Hujus justitiæ fructus advenisse modo tempus opinor, reconciliata vobis summo sacerdote & percepta ab eo benedictione; legimus namque in divinis voluminibus ad tubarum sacerdotalium clangorem olim dejecta fuisse mœnia urbis Hierico: non est ibi contra eam directus aries, non tela vibrata, non contortæ sagitsæ; tubis tantum sacerdotalibus admotis tantæ urbis muri prostrati sunt, ut perspicue agnoscamus in præsidio magis spirituali oportere belligerantes confidere, quam temporali atque terreno; nisi enim Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam; nam quod bonam occupati a barbaris status vestri partem brevi receperitis plurimum profuisse vobis arbitror sacerdotum tubas, eorum nimirum, qui inter vestibulum & altare plorantes clamaverunt: parce Domine, parce populo tua, & ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes. Ex Fonte bono die IV. martii MDX.*

XII. Ob pacem cum Venetis a Pontifice initam succensere ipsi Maximilianus Cæsar & Gallorum Rex cœperunt quod a Cameracensi fœdere descivisset: sed aspersæ ab anthoribus ea de causa Julii nomini labeculæ facile eluentur, si perpendatur Cæsarea in controversas urbes jura ambigua fuisse, Venetos diutina possessione potitos: consentaneum etiam magis rationi fuisse, ut Itali potius quam Germani Italicarum urbium dominatum haberent; a pontificiæ autem majestatis apice abhorruisse, ut supplices Venetos tot egregiis in sedem Apostolicam benefactis conspicuos repelleret, præcipue cum iidem Veneti Cæsarem decretis multis legationibus ad pacem flectere pertentarint. At graviorem Julio adhæsisse invidiam tradunt (*b*), ex bello ab eo in Ludovicum Francorum Regem suscepto importuno maxime eo tempore, quo paci omni contentione consulendum erat, ut arma Christiana adversus Turcas & Afros verterentur.

(*a*) *Bonac. curs. in diariis Trith. chron. Spanheim. Guicc. l. 8.*

Cæsar & Gallus indignantur pacem Venetis datam.

(*b*) *Guicc. eod. lib.*

XIII. Exambiverat (*c*) jam ante Gallicam clientelam Alfonsus Ferrariæ dux, eamque auri vi ingenti coemerat, subveritus nimirum, ne Jnlius repetendi juris ecclesiastici studiosissimus, illum everteret principatu, quem a majoribus vi & fraude partum non ignorabat. Tenebat etiam nonnulla oppida ecclesiastici juris quæ Alexander VI. forte in collocanda nuptui filia spuria contra fas distraxerat, Ferrariensemque censum pari fraude imminutum pendebat, ut postea Julius (*d*) Romanorum, Hispanorumque Regum oratoribus in sacro senatu exposuit. Hæ irarum bellorumque principia extiterunt; succensuit enim Julius eidem duci Romanæ ecclesiæ vectigali, quod a pontificia clientela in Gallicam se contulisset, quod supremum ecclesiæ imperium non videretur agnoscere; quod novum vectigal Ferrariensi portui imposuisset promercale sal in Comaclensi agro non sine domini supremi damno; & quod censum annuum quatuor millium aureorum veteri more non solveret, centumque aureos ex Alexandri decreto offerentem (*e*) eidem Pontifici repulit, negans Alexandrum in spuriam ecclesiastica vectigalia transferre jure potuisse; uti nec concubinarii sacerdotes ecclesiasticos census in spurias jure traducant. Succensuit etiam Ludovico Galliarum Regi, quod auri illecebra delinitus apostolicam majestatem in accipienda fiduciarii Romanæ ecclesiæ principis clientela læsisset, ac recentissime duo fœdera, nimirum alterum Biagrassi initum interprete Francisco Cardinale Alidosio, alterum Cameracense violasset; quibus cautum erat in pactionum formula, ne quis alterius fœderati fiduciarios vectigalesque defendendos adversus justum principem susciperet. Interpretatus vero ex his Francorum Regis in Italia potentiam exitialem futuram Romanæ ecclesiæ, cum adeo aperte illius invaderet jura, ad eam reprimendam se accinxit, juncta cum Venetis armorum societate; ac demum post varios funestus casus Gallus accepti Ferrariensis auri pœnas, Italici & Navarrici imperii jactura persolvit, ut inferius videbimus.

(*c*) *Guicc. l. 8.*

(*d*) *Paris. e Grassis in actis consistori. t. 3.*

Dissidii inter Pontificem ac Ferrariensem causæ.

(*e*) *Guic. l. 9.*

Violatum a Gallo Rege fœdus cum Julio initum.

XIV. Julius antequam expediret arma, judiciorum severitatem adhibuit in ducem Ferrariensem, ac primum objecit perfidiam, qua Hercules Atestinus in Sixtum IV. erat usus, cum se Florentinis adversus Apostolicam sedem conjunxit: qua tamen dissimulata Sixtus ei contra Venetos Ferrariæ arma inferentes suppetias tulerit; cumque ut Alfonso Atestino morem gereret jura ecclesiæ Bononiensis abalienata inique fuissent ab Alexandro VI. id non modo toleratum, verum etiam vexilliferum Romanæ ecclesiæ creatum pro acceptis tamen honoribus retulisse injurias, sensisse cum Georgio Cardinale Rothomagensi, qui vivo ac spirante Pontifice pontificatum affectarat, defecisse ad Gallorum Regem (*f*), Comaclenses salinas invasisse, admonitum officii pontificia monita tempsisse, Pontificem apud Gallicum senatum in jus vocare ausum, Bentivolis perduellibus misisse subsidia: ob quæ omnia lata hæc sententia, irrogatæ

Intentatum Ferrariensi judicium.

(*f*) *Jul. II. l. 99. bull. secr. p. 137.*

gatæ

gatæ ecclesiasticis, qui illi studerent, censurarum pœnæ, vetiri populi accipere ejus imperia, justique in eum consurgere; pronuntiatum jura Ferrariensis principatus ad Romanam ecclesiam devoluta, interdicto ecclesiastico subjecta loca in quibus egerit, nec non anathemate perculsi, qui si possint ipsum capere detrectarint.

*Julius episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.*

XV. *Nos Sixti prædecessoris & secundum carnem patrui nostri divina providentia successores effecti, in civitatibus & locis Romanæ ecclesiæ mediate & immediate subjectis homines honeste & quiete vivere, ac justitiam servare, tyrannosque ab eis expellere, prout nostro incumbit officio, desiderantes, Bononiam & ad nonnullas alias civitates cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, non sine nostro maximo incommodo, accedentes, extinctis in Viterbiensi, Perusina, Cæsenatensi, & aliis locis Romandiolæ nobis subjectis seditionibus, quæ in adventu claræ memoriæ Caroli Regis Franciæ ad Italiam, & tempore quondam Cæsaris ducis Valentini exortæ fuerant, ac expulso tyranno potiti dicta civitate Bononiensi, in eaque pro illius quietis conservatione constructa arce munitissima, animum ad recuperandum civitates alias Romandiolæ per eosdem Venetos occupatas, & ipsam civitatem Ferrariensem, in qua præfati Veti vicedominum jus inibi dicentem, & alia signa superioritatem denotantia exercentem, ab hujusmodi servitutis jugo liberandum applicantes; ut hujusmodi justum nostrum desiderium adimplere possemus, iniquitatis filium & perditionis alumnum Alfonsum Estensem dicti quondam Herculis primogenitum, non solum tamquam ducem & vicarium nostrum in temporalibus in dicta civitate Ferrariensi toleravimus, diminutionem dicti census adeo inhonestam, & dismembrationem oppidorum Plebis & Centi æquanimiter ferendo; sed ipsum Romanæ ecclesiæ vexilliferum & confalonerium creavimus, illumque in hujusmodi dignitatis concessione charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo illam petenti prætulimus, sperantes magis dictæ ecclesiæ Romanæ conducere, dignitatem ipsam ejus vassallo & civitatibus ipsius ecclesiæ prompta auxilia præbere valenti, quam alteri extra Italiam concedere; & non sine nostra magna impensa civitates occupatas hujusmodi recuperantes, ipsum Alfonsum a dicto servitutis jugo liberavimus, ac petitiones suas ad exauditionis gratiam requisiti liberaliter admisimus*

Alphonsus Atestinus clementer diu toleratus.

Vexillifer Ecclesiæ creatus. Negatus is honos Gallorum Regi.

*paternaque dilectione semper prosecuti fuimus. Ipse tamen Alfonsus rebellionis, ingratitudinis & inobedientiæ paternæ imitator in reprobum sensum datus, beneficiorumque a nobis & prædecessoribus nostris ac ab eadem sede receptorum immemor, & quia antea in ejus fratres Germanos nobis inconsultis sævire, illosque diris & asperis carceribus mancipare, & in causa propria jus sibi dicere, ac in locis vicariatus hujusmodi falsam monetam cudi facere, & decedentium ab intestato bona nullo jure sibi debita occupare, ac subditos nostros vicariatus hujusmodi sibi commissos pessime regere & gubernare, presbyterosque nulla præcedente degradatione de facto ultimo supplicio tradi facere, nostrisque & ejusdem Romanæ ecclesiæ notoriis rebellibus, præsertim Bentivolis receptum in castris, oppidis & locis dictis vicariatus hujusmodi, aliaque auxilia, consilia, & favores eis contra alias nostras literas dare, & excommunicatos publice nuntiatos ad divina admittere, provisiones apostolicas de beneficiis ecclesiasticis factas, illarumque effectus, observationemque interdictorum in ecclesiis & locis vicariatus hujusmodi apostolica authoritate appositorum, libertatemque ecclesiasticam in nostrum, & dictæ sedis, clavium que contemptum multipliciter impedire non expavit, & temerario ausu cornua contra nos & dictam sedem erigens velut ingratus, & a bonæ memoriæ Georgio tit. S. Sixti presbytero Cardinale, ac in regno Franciæ & partibus illis dictæ sedis legato, tunc in humanis agente, viro utique in dicto regno & apud dictum Christianissimum Regem magnæ authoritatis existente, zizaniæ & dissensionum satore, ac omnibus artibus ad summum Apostolatum, etiam nobis in dicta sede ex Dei clementia sedentibus, contra canonicas sanctiones temere anhelante, ac ea, quæ poterat, contra nos & præfatam Romanam ecclesiam moliri tractante, cum quo maximam intelligentiam & amicitiam habebat, sibi favente juramento proprio contraveniendo, sub protectione, amicitia, adhærentia, & confœderatione dicti Regis Franciæ recipi procuravit, & receptus fuit in perniciem & damnum nostrum & Apostolicæ sedis prædictæ, ut eventus docuit: ac ut spretis mandatis nostris pro libito voluntatis, quæ animo conceperat liberius exequi, & in grave damnum ejusdem Romanæ ecclesiæ sal in comitatu Comacliensi ad dictam ecclesiam legitime pertinens, quod ipse imprudenter negare non erubescit, fabricari facere, gabellas & Angarias sive portoria augere, & nova pedagia & angarias imponere & exigere posset, prout re ipsa statim*

Alfonsi perfidia in Ecclesiam.

Recepti ab eo Bentivoli.

Multiplicia ejusdem scelera.

Violatum interdictum.

Georg. Card. affectati antipapatus perstrictus.

Ferrariæ ducis ad Gall. Regem defectio.

Comaclenses Salinas idem invadit.

*tim post susceptam protectionem hujusmodi, sub qua se tutum asseruit, fabricare ac ministris præfati Regis ad certam summam salis certis annis & pro certo pretio tunc expressis distribuendam in terris & locis ducatus Mediolanensis publico instrumento se obligavit; nec non augere, & de novo imponere ac exigere fecit in dictorum subditorum & aliorum fidelium cameræque apostolicæ & ultra summam* XXV. *millium ducatorum auri annuatim ex fabricatione salis prædicti præjudicium, & dictæ sedis contemptum. Et cum in dies de*

Quæ intulerit damna.

*præfato Alfonso super præmissis querelæ ad nostrum deferrentur auditum, ejus animæ saluti ac subditorum nostrorum indemnitati more pii patris consulere, ipsumque a præmissis retrahere cupientes, per diversas nostras in forma brevis literas ac alias sibi significavimus, ut pluris conscientiam suam, quam illicitum lucrum faciens, a fabricatione dicti salis abstineres, dictamque protectionem & confœderationem contra nos & Ecclesiam initam dimitteret, gabellas, pedagia, & portoria hujusmodi penitus tolleret, populisque nostris, & aliis quibuscumque merces & bona sua quocumque vellent, prout hactenus consueverant, atque fecerant, deferri permitteret;*

Admonitus officii.

*ne justitia id suadente tum anathematis & excommunicationis, & alias sententias, censuras, & pœnas in bulla, quæ legitur in cœna Domini, contentas, incurrisse declarare cogeremur; & per dilectum filium magistrum Maximum Gratum montium cubicularium & familiarem continuum commensalem, specialem nuntium nostrum, ut a fabricatione salis, & auctione gabellarum, ac nova pedagiorum & angariarum impositione & exactione sub dictis in bulla cœnæ Domini contentis, & indignatione nostra, ac aliis gravibus pœnis a præmissis desistere deberet, paterne requisitus ac monitus fuit, ipseque monitioni & requisitioni nostris prædictis parere velle simulans seu fingens, non tamen considerans clementiam, gratiam, & pietatem, quibus præfati prædecessores & nos erga ipsum Alfonsum & Herculem ejus genitorem præfatos benigne usi fueramus; sed ejus ab ipsa natura contra eandem Romanam ecclesiam & Romani Pontificis insitam innatamque perfidiam & rebellionem elata obstinatione sequens, mandatis nostris hujusmodi obtemperare effectualiter denegavit, & recusavit; ac in præmissa*

Spreta ab illo monita Pontificia.

*protectione & clientela confidens, & contra nos ingrate & contumaciter elevatus sal in dicto comitatu Comaclensi, in gravem dictæ Romanæ ecclesiæ læsionem, fabricare, & gabellas auctas, & pedagia, & portoria de novo imposita in dictorum subditorum nostrorum, & civium Ferrariensium, & aliarum personarum maximum præjudicium, & dictæ sedis contemptum, ut præfertur, exigere, ac in ejus fratres Germanos nobis inconsultis & absque nostra licentia sævire, illosque diris carceribus mancipare, & in causa propria jus sibi dicere, incursionesque & cavalcatas in terras dictæ Romanæ ecclesiæ subjectas & innumerabilia alia damna facere, ac de nobis & sedis Apostolicæ prædictæ potestate obloqui, & omnem nostram & dictæ sedis authoritatem floccifacere, &*

Editæ grassationes in agro ecclesiastico.

*subsannando deridere, nosque super hujusmodi salis fabricatione coram magno consilio præfati Regis ad judicium evocari facere attentavit, & Bentivolis nostris & Romanæ ecclesiæ hostibus & rebellibus, ac a nobis diffidatis in terris & locis eorum receptum & favorem contra tenorem literarum nostrarum, auxiliumque & consilium, ut præfertur præstare præsumpsit;*

Usurpata a Gallico senatu impie in Pontificem tyrannis.

*propter quod excommunicationis majoris & anathematis sententias, perjurii & sacrilegii reatum, ac omnium privilegiorum, gratiarum, libertatum, immunitatum realium & personarum, vicariatuum, feudorum, locationum, terrarum, fortalitiorum, castrorum, jurisdictionum, dignitatum, etiam confaloneriatus præfati, & quarumvis concessionum, quæ a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, & nobis eademque Romana, & quibusvis aliis ecclesiis obtinere dignoscitur, privationis, confiscationis, ac inhabilitatis ad illa & quælibet alia similia vel dissimilia in posterum obtinenda, ac quoslibet actus legitimos exercendos in talia perpetrantes, per diversas constitutiones apostolica authoritate, & per diversos Romanos Pontifices prædecessores nostros dudum editas, approbatas, confirmatas, & etiam a nobis emanatas, & publicatas, editas & promulgatas pœnas, nec non rebellionis & læsæ majestatis crimen damnabiliter ipso facto incurrit; remissioneque primæ privationis, si qua prætenderetur, per tolerantiam, vel alias quomodolibet facta aut causata per recidivationem hujusmodi se indignum reddidit, in grave animæ suæ periculum, divinæ majestatis offensam, Apostolicæ authoritatis & jurisdictionis contemptum, perniciosum exemplum & scandalum plurimorum, &c.* Ob has injurias pro tot beneficiis Romanæ ecclesiæ illatas Julius Alfonsum ipsum Ferrariæ ducem in jus vocavit, atque omni beneficiario jure ab Ecclesia accepto deturbavit: sacerdotes, qui illud adversus Ecclesiam quocumque modo studerent, sacerdotiorum jure evertit: Regibus ac principibus Italis vel transalpinis intentato anathemate

Bentivolis a Ferrariensi præstita subsidia.

opem

opem Alfonso ferre vetuit, reos contracti ob iniqua in Alfonsum studia anathematis gravioribus aliis pœnis affecit: dedit imperia clientibus Alfonsi, ne illi parerent: promulgavit sacramenta fidei, quæ præstantur principibus, non obstringere adversus Romanum Pontificem; nec milites sacramento ducibus nuncuparo teneri, cum honoris & obsequii præstandi Ecclesiæ exceptio semper intelligenda sit, immo soluta eorum religione consurgere in Alfonsum jussit; quod decretum hac loci & temporis nota est consignatum. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis dominicæ MDX. v. idus augusti pontificatus nostri anno* VII.

XVI. Cum ex superiori decretoria sententia Ludovicus XII. Francorum Rex Ferrariensis principis patrocinium suscipere vetitus esset, regio turgidus fastu, cum se in Gallia & in Italia tot provinciarum dominum cerneret, impareique suis Pontificis Romani vires sperneret, nec divinam potentiam sui vicarii tutricem revereretur, exitiabili & calamitoso bello se implicuit; ac dum Ferrariæ ducis Romanæ ecclesiæ vectigalis clientelam sibi arrogat, se ac sua in extremum pene periculum conjecit. Itaque cum auxiliarem exercitum duci Ferrariæ misisset, Julius (a) anathemate Gallici exercitus præcipuos, Carolum Ambalianum principatus Mediolanensis moderatorem, Galeatium & Marcum Antonium Palavicinos, Theodorum, Georgium, & Alexandrum Trivultios, Bajardum, Fontraglium, Castilionæum & Fuxensem regulos, ob grassationes in agro Bononiensi editas, & latas perduelli auxilia anathemate defixit. Ascripta est diplomati hæc temporis nota: *Datum Bononiæ anno &c. MDX. pridie idus octobris pontificatus nostri anno* VII. Ad frangendam vero Alfonsi pertinaciam, utque apostolica mandata in edictis contenta perficerentur, Marcum, Cardinalem tit. S. Mariæ Transtyberinæ legatum in exercitu, quem paraverat renuntiavit (b), amplissimaque authoritate instruxit.

Ludovici Regis in tuendo Alfonso temeritas.

(a) *Lib. bull. secr. 99. pag. 162.*

(b) *Jul. II. l. bull. 70. p. 41.*

*Dilecto filio Marco tit. S. Mariæ in Transtyberim presbytero Cardinali in ducatu Ferrariæ, ac quæcumque ad quæ te declinare contigerit loca nostro & A. S. L. salutem, &c.*

*De recuperatione civitatum, oppidorum aliorumque locorum & terrarum ad nos & sanctam Romanam ecclesiam legitime pertinentium dies noctesque pro cura pastoralis officii cogitantes, fortissimum potentissimumque exercitum contra iniquitatis filium Alfonsum Estensem civitatem Ferrariensem ad dictam ecclesiam legitime devolutam occupatam indebite detinentem paravimus: nihil omittendum putavimus, quod vel ad officium nostrum vel ad facilitandam expeditionem recuperationis dictæ civitatis pertineat: circumspectionem tuam ad expeditionem hujusmodi, ut eidem exercitui præesse debeas, mittendam duximus; ut quæ nos coram si per valetudinem & alias multiplices occupationes pontificias a civitate nostra Bononiensi, in qua ad præsens cum nostra curia residemus, ducere licuisset, facturi eramus, circumspectio tua* [ consuetis interjectis elogiis ] *adimplere curabit scies & poteris habita super his cum venerabilibus fratribus nostris ejusdem Romanæ ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura te ad nostrum exercitum ac ducatum Ferrariensem & quæcumque, ad quæ te forsan declinare contigerit loca nostro & hujus Romanæ ecclesiæ nominibus ad complendam expeditionem recuperationis civitatis Ferrariensis, & aliorum locorum in dicto ducatu consistentium cum omnimoda potestate præcipiendum, gerendum, faciendum, exercendum ac terminandum, quæ ad hujusmodi legationis officium expedire cognoveris, ac necessaria, utilia esse conspexeris, provide duximus destinandum, firma spe fiduciaque conceptis quod inspirante Altissimo & gressus sermonesque tuos dirigente, quod peroptamus perficies &c.* Instruit legatum amplissima authoritate ad gerendum cum dignitate munus. *Dat. Bononiæ anno &c.* MDX. III. *id. decembris anno* VIII.

Marcus Card. pro recuperanda Ferraria jussus incumbere.

Cæterum media hujus anni æstate ostensa fuisse tradunt futurorum motuum bellicorum præsagia, atque impendentium malorum timore perterritos populos inhorruisse, refert Paris de Grassis (c): *Diebus istis nuperrime signa divinitus apparuerunt, quod omnes pro malo omine ac prodigiorum loco habuimus tam hic Romæ quam alibi in Italia præsertim Bononiæ, & in tota Romandiola & marchia Anconitana; sicut etiam tempore, quo Pontifex primo Bononiam profectus est, Bentivolos expulsurus, prout inde expulit; nam tum, ut supra aliquando dixi, cometa Romæ pluries visa est in parte septentrionali super zonam Bononiensem, & partus humani bicipites, bestiæ tricorporeæ, nec non & aliquæ sine capite: item terræ motus juges & magni; ex quibus nedum ipsa Bononiæ civitas, sed totus comitatus aliqualiter attritus est, præsertim palatium illud tam magnificum & excelsum Bentivolorum, totum conquassatum & prorsus usque ad fundamenta dirutum; sed & turris, quæ proxima fuit eidem palatio taliter supra illud incurvata est, quasi rui-* XVII.

(c) *Paris tom. 2. ms. arch. Vat. p. 585.*

Ostenta in Italicis tumultibus visa.

*nam semper minans, ut Bentivolus Joannes illam diruere ad radices coactus fuerit; & alia signa multa, quibus manifeste præsagiebatur aliquod malum venturum in partibus illis. Ac nunc quid dicemus, de prodigiis aliis, quæ Romæ &, ut supra dixi, alibi evenere? ut in primis stella crinita rursus ad septentrionem versus pluries apparuit, nunc huc nunc illuc caudam vertens quasi minabunda. Item in urbe excrescentia Tyberis immensa, ex qua multæ familiæ submersæ; & quasi omnes aliæ damnum ingens passæ, ac [ quod mirabilius visum ab omnibus fuit pene incredibile ] nam & in agro Romandiolæ, & circa Ferrariam acies armatorum exercituum visæ sunt, ac bombardarum crepitus innumerabiles auditi, clangoresque tubarum, & gentium concursus auditi; & ( quod dicunt pro re certa ) visum meridiana luce a longe quidem, quod cum magistratus Bononiensis plures nuncios ad id factum conspiciendum misisset, intellexit neminem ibi prorsus nisi mandras porcorum in silvis visum aut repertum fuisse: verumtamen vestigia manifesta reperta equorum & curruum, ac virorum in pulveribus per omnem illum campum, ac etiam in pluribus locis silvarum cineres, & carbones, ac ligna semiusta præ focis ibidem factis, ut in exercitu solet: quibus conspectis & intellectis civitas Bononiæ & aliæ in multo terrore posita; quo die supplicationes & vota fecit. Quid autem sequetur intelligemus aut videbimus.*

Imminentis belli signa data.

*Die prima mensis septembris anni hujus* MDX. *sanctissimus dominus noster cum apud Faliscos ageret ex causis novis animum suum moventibus, quas hic recensere non est operæ pretium, statuit versus Bononiam proficisci, prout eadem die incœpit.* Describit pluribus author varia Pontificis, quem præcesserat, itinera, ut ad Lauretanam ædem contenderit: *Intellexi*, inquit, *ipsum cum Cardinalibus & suis domesticis ex monte Flascono sive Faliscono iter arripuisse prima die juridica, & ad Orbitam sive Orvietum appulisse eadem die ante vesperas, quas ibidem solemnes stola indutus audivit, & officium fecit more solito. Inde ad Pigalium, mox ad Assisium, tum ad S. Mariam de Angelis & ad Fulgineum, cum monte transmisso ad Tolentinum: inde die sabbati, Recanate ad lævam dimisso, ad Lauretum applicuit: & non ingressus ecclesiam ob lassitudinem domum introivit: sequenti die dominica, quæ fuit nativitas Virginis Papa in capella parva ejusdem parvam missam celebravit, præsentibus Cardinalibus & principibus, qui cum eo erant*: Addit idem author, propositam fuisse noxarum veniam iis, qui expiatis rite animis eo die Lauretanam ædem lustrarent.

Julii II. versus Bononiam profectio.

Profecutus inde iter est versus Bononiam, ut Ferrariense bellum magis urgeret, feliciterque conficeret, ut observat (a) Paris; sed omnia contra vota evenisse, fuisseque ad exitium prona: nam plures in eum Cardinales, quia pontificiis consiliis abhorrebant, non Galli modo, sed etiam Hispani illius apostolico folio evertendi cupidine incitati in ipsum conjurarunt; quorum dissidiorum exordia ita retexit Joannes Mariana (b). *Venetorum calamitate flexus*, scilicet Pontifex, *ad misericordiam, nobilissimam urbem malis castigatam perire penitus non ferebat: itaque solutos anathemate, quo erant implicisi, in gratiam fœdusque accepit: quod erat præcipuum, eorum ope uti volebat adversus Ferrariensem ducem quasi Gallici patrocinii fiducia rebellem imperio: odium acrius, quam pro nova modo iis littoribus eluvie maris arescente, unda sal concrescit. Ergo salem Comacis ditionis oppido conficere crimen erat cum incommodo vectigalium, quæ ex pontificiis salinis ad Cerviam proveniebant: præterea e mercibus quæ secundo Pado Venetias vehebantur, nova exigere portaria. Ab his initiis irritabili ingenio Pontifex evocatum Romam ad dicendam causam, ac venire recusantem, lege majestatis damnavit; principatus quem beneficio ecclesiæ Romanæ obtinebat jure decidisse. Ægre severitatem Pontificis tulit Gallus Rex: vindicandi ardore Gallicos Cardinales, & qui sacerdotia obtinebant in Gallia continuo Roma discedere per edictum mandavit; nisi parerent, atque suas singuli ecclesias inviserent, ac per se regerent, annuorum vectigalium mulctam comminatus. Ex his initiis magna dissidiorum moles consecuta brevi est.* Præviderat quidem Pontifex Gallorum Cardinalium defectionem; nam & Guillelmum Auxitanum (c) simulato cultu venandi specie jam ante fugam tentantem interceperat, atque in arce Hadriana custodiis asservari jusserat; Reginaldum vero Bajocensem sacramento adegit ex pontificia aula non discessurum addita sponsione, ac si datam fidem falleret, cardinalitiæ dignitatis ac sacerdotiorum jacturam se subiturum, de quo hæc narrat Paris (d). XVIII.

(a) Id. ib. p. 537. Guicc. l. 8.

Plures Cardinales a Julii consiliis abhorrent.

(b) Mariana l. 29. c. 23.

Galli male a Lud. ex pontificia aula revocati.

Card. Auxitanus e fuga retractus.

(c) Id. ib. p. 574.

(d) Ib. p. 583.

*Die veneris* XVI. *augusti sanctissimus dominus noster in consistorio secreto cum toto reverendissimorum dominorum Cardinalium collegio sedens*, & infra, *præsente notario dixit qualiter reverendissimus dominus Renatus Cardinalis Bajocensis Gallus tit. S. Crucis* promittebat, & se obligabat, ac jurabat, quod sub pœna privationis & perditio-* XIX.

* S. Luciæ in septisoliis.

*ditionis omnium beneficiorum & ecclesiarum, & etiam dignitatis, Cardinalatus non discederet ab urbe nec a suburbiis inconsulta ipso Pontifice & collegio; & casu quo recederet, voluit ex tunc, prout ex nunc ipse Cardinalis, quod omnia ejus beneficia & ecclesiæ & cardinalatus vacarent ipso facto, absque ulla alia declaratione, & absque alio consistorio desuper habendo; quia vota Cardinalium jam habita erant per Pontificem, & in talem eventum Pontifex habuit ipsa vota pro habitis. Quibus per Pontificem pronuntiatis, vocatus fuit ex sedili suo ipse dominus Cardinalis Bajocensis, & genuflexus ante Pontificem ambabus manibus juravit tactis scripturis ex libro evangeliorum illuc apportato, & dixit, videlicet ita juro, promitto, & me ipsum obligo, quod non recedam sub pœna privationis beneficiorum, ecclesiarum, & cardinalatus: sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei evangelia. Denique Pontifex contentus arridens illi dixit, sic melius fuisse quam aliter.* Expressit ea verba infidus fidei custos metu; nam una cum quatuor aliis Cardinalibus, qui Bononiam se conferre jussi erant, schisma concilii colligendi specie conflandum Genuam perrexit (*a*): quorum defectionem ægre tulisse Julium ait Paris (*b*): *Die, inquit, jovis venerunt nova ex Florentia, qualiter quinque Cardinales, qui per eam viam veniebant ad Bononiam, sequentes Papam & ejus curiam aufugerunt inde ad civitatem Januæ amisso Pontifice: de quo actu Papa admodum miratus est, satisque doluit maxime de duobus Hispanis; nam de tribus Gallis aliquantulum dubitavit, ut a Rege Franciæ instigati recederent. Nomina Cardinalium sunt hæc, videlicet, reverendissimus dominus Bernardinus Carvagial Hispanus episcopus Sabinensis Cardinalis S. Crucis; reverendissimus dominus Guillelmus episcopus Prænestinus Maclovienfis Gallus; reverendissimus dominus Franciscus Borgia tit. SS. Nerei & Achillei Cardinalis Cusentinus Hispanus; reverendissimus dominus Raynaldus tit. S. Vitalis Bajocensis Gallus, de quo supra* XVI. *mensis augusti scripsi; & reverendissimus dominus Federicus S. Theodori diaconus Cardinalis Sanseverinas.*

Bajocensis Card. sacramentum.

(*a*) *Bonaccur. in diariis Guicc. l. 9. & cod. ms. arch. vallic. sig. n. 111.*

(*b*) *Par. to. 3. ms. arch. Vat. p. 594.*

Quinque Cardin. a Julio II. deficiunt.

XX. Subornati (*c*) hi fuerant a Ludovico Gallorum Rege, qui Nannetensem etiam Cardinalem omni contentione in suas partes trahere studuit: sed vir ille vitæ sanctimonia conspicuus, humanoque fastigio augustior, censuum ecclesiasticorum, quos in Gallia habebat amplissimos, jacturam, & etiam egestatem pati maluit, quam a sede Apostolica divelli: tentati quoque nonnulli alii, quorum pene labefactata fluctuavit constantia; sed demum in fide & observantia ejusdem Apostolicæ sedis perstiterunt. Maxima autem proditæ fidei invidia Franciscus Alidosius Bononiensis legatus laboravit, adeo ut Urbini ducem ceperit; sed a Pontifice liberatus est (*d*); alii vero duo Cardinales Galli jam ante obierant, nimirum Rothomagensis vigesima quinta maii die (*e*), & Ludovicus de Ambasia Albiensis Anconæ decima octava septembris (*f*); atque ita ex imminentis schismatis procella emersere. Porro antequam Cardinales, de quibus paulo ante memoravi, a Julio desciscerent, coactos a Ludovico Rege in Galliis plures cœtus ad infringendam Pontificiam authoritatem, primum Aureliæ, dein Turonis referunt scriptores (*g*): & quidem in Aurelianensibus conventibus suggestum fuit, ut prætermissis nefariis labefactandæ religionis consiliis, de suo jure cum Pontifice armis decerneret; in Turonensibus vero seditiosos defectionem a Pontifice, ac schisma suasisse; in quibus has subdolas propositiones agitatas refert Belcairus (*h*): [1] *Ne Gallia Julium amplius Pontificem agnosceret, omnes totius Gallici regni Pontifices ac plerosque viros eruditos Turonibus ad* XVII. *kal. octobris coire jussit; quod conciliabulum primum Aureliam indictum, mox ad Turones translatum est. Ea fere in hanc sententiam disputata produntur: I. An Pontifici Romano; ubi neque de religione neque de fundis ejus pontificatus controversia est, adversus aliquem Christianum principem bellum suscipere ac suis auspiciis impensisque gerere liceat. Non*

Card. Nannetensis constantia insignis.

(*c*) *Id. Parif. to. 4. p. 70.*

(*d*) *Id. to. 3. p. 596.*

(*e*) *Pag. 572.*

(*f*) *Pag. 590.*

(*g*) *Guicc. l. 9. Jul. in edit. in Gall. quod ext. in append. concil. Pif.*

(*h*) *Belc. l. 12. n. 14.*

Turonenses cœtus in Galliis.



NOTÆ [1] DE concilio aut si malis conciliabulo (neque enim de nomine altercari vacat) Turonensi in Galliis hoc anno coacto pauca quædam animadvertenda succurrunt. In eo quæstiones octo agitatæ sunt, ut recte Annalista ex Belcairo, ex quo etiam illarum argumenta recitata, non ea quidem ratione qua proposita sunt, sed qua in concilio discutienda Ludovicus censuit. Nihil enim de Ferrariensi duce coram patribus commemoratum est: sed quæsitum tantummodo in genere e. g. *An liceat principi christiano armis tueri ac defendere alium principem sibi confœderatum, & cujus protectionem legitime suscepit, &c.* Et sic de singulis. Ex his vero intelligas de Ferrariensi duce armis jure defendendo adversus pontificem in concilio nihil definitum. Propositæ a rege quæstiones & concilii per singulas responsiones in publicis descriptæ tabulis leguntur apud du Tillet inter privilegia Ecclesiæ Gallicanæ addita operi ejusdem authoris inscripto. *Recueil des rois de France leurs coûronne & maison.* MANSI

Propositiones subdolæ prætermissa rei veritate.

licere, qui aderant Pontifices virique eruditi responderunt. II. An lacessito principi vim vi repellere, nec suas solum, sed pontificias aliquot ditiones invadere liceat, ad ejus vim propulsandam in primis idoneas, quas præsertim centenaria præscriptione amissas idem Pontifex ejusdem principis opera impensaque recuperarit; ita tamen, ut princeps ipse non nisi ad præscriptum tempus easdem retinere rebus compositis Pontifici, quæ sua sunt, restituere in animo habeat, Bononiam intelligebant ad repellendos Julii impetus peropportunam & Mediolanensis principatus quoddam veluti propugnaculum objectam. Licere iidem censuerunt. III. Et quandoquidem idem Pontifex implacabili odio nulla de causa suscepto percitus Regem pium regno spoliare contenderit, regnumque ejus cuivis invadenti, quantum in se est, addixerit [id autem sibi jus nimis insolenter arrogat, cum Christus legatos suos sive Apostolos, ut vocantur, quorum successorem se Julius profitetur, principibus, immo vero inferioribus magistratibus parere; non autem eosdem regnis aut ceteris suis magistratibus spoliare jusserit] an principi pristinum Romano Pontifici obsequium renuntiare fas sit non prorsus, sed quod ad ditionum suarum propugnationem necesse est. Fas esse pronuntiarunt. IV. Quod igitur Galliarum Pontifices, ceterique divini cultus ministri in his, quæ ad Romanum Pontificem referri solent, molientur; ii antiquis Pontificum decretis, præsertim concilii Basiliensis stabunt. V. An Regi pro fœderati Ferrariensis reguli ditionibus plusquam centenaria præscriptione possessis propugnare & vim pontificiam repellere licebit: Neque illi quin liceret dubitarunt. VI. Ferrariam fundam sibi obnoxiam vendicat ac repetit Julius: Julio clientem nisi justa de causa spoliare non licere Ferrariensis respondet, Julium arbitrum excipit, si rem ad arbitros neutri suspectos revocare recuset Julius, vim inferat, an Ferrariensis sua tueri, Ludovicus Rex pro fœderato propugnare jure potest. Posse dixerunt. VII. Quid si litem Romanis judicibus permittet Julius, iique Ferrariam Julio addicant, an vero judicio stare Ferrariensis cogetur, præsertim cum pontificios judices merito rejiciat Ferrariensis, & non admittat ac Romam, qui jus suum prosequatur mittere non audeat. Nullo modo cogi responderunt. VIII. Quid si Ferrariensem regulum ac cives, quique illis auxilio erunt Christianorum cœtu Julius exterminat. Exterminationem nullam prorsusque irritam pronuntiarunt. Communi præterea sententia, ut legati ad Julium mitterentur, decretum, qui Pontificem, ut principibus reconciliaretur admonerent, sin recusaret ex decretis concilii Basiliensis, tunc conciliabulum schismaticorum fuisse vidimus, de indicendo universi Christianismi concilio compellerent. Legatos Julius admittere noluit.

Marsilii & Janduni hæresis.

Infelix & schismaticum consilium datum Ludovico.

XXI. Hanc vero nefariam Cæsaris Gallorumque Regis in Pontificem conjurationem execratum Ferdinandum Hispaniarum Regem memorat Joannes Mariana (a), & Cæsarem ipsum Julio conciliare annisum: Gallus & Cæsar, inquit, iis se consiliis, nimirum cogendæ in Julium synodi, miscuere, paucorum temeritate subornati Ferdinando etiam Rege tentato, si posset in eam fraudem induci, Blesis novo Cæsarem inter & Gallum fœdere per idem tempus constituto opera Matthæi Langis Gurcensis episcopi, qui Cæsari a secretis erat, gratiosus, & familiaris. Accessit etiam in partem Cabanillas Ferdinandi legatus; sed cum mandatis, ne quid in Pontificis dignitatem decerni pateretur: parum tamen ea cautione præstitum est. Inter cetera ejus fœderis capita expressum, debere quidem reliquos socios viribus juvare Cæsarem, ditionis Venetæ partem sui juris obtinerent armis; sic Cameracensi in fœdere præscriptum fuisse: hactenus non male. Additum tamen, ut Pontifex jure potius, quam armis cum Ferrariensi disceptet vel si parere salutaria monentibus obtestantibusque recusaret, a Cæsare in Germania ejus nationis episcoporum conventus agitarentur, nationales, idemque in Aragonia & Castella fieret, ad ea constituenda, quæ paulo ante Gallicana ecclesia sanxerat, Aureliæ primum, deinde ad Turones conventu gentis habito. Miseram temporum labem a profanis Christi vicario leges imperandi præscribi! in uno peccato quot & quanta extitere peccata! sed præcipua capita erant quibus pontificatus propemodum redigebatur in ordinem, ut Gallici sacerdotes, ne exceptis quidem Cardinalibus, aut etiam in pontificis familiam adscriptis suas singuli ecclesias regerent in Galliam reduces: si repugnarent, intercepti annui reditus in templorum alios usus & commoda verterentur. Exitiale decretum Ecclesiæ paci inimicum, dissidiorum fons, Pontifici usque adeo grave, ut diris & anathemate detestatus fuerit quicumque impio decreto obtemperassent, ac nominatim magnum Galliæ magistrum, atque Trivultium, ceterosque duces Gallica in Italia stipendia facientes: ad hæc quicumque ecclesiæ Gallicanæ conventibus interessent, ne Ferdinando quidem Regi Blesis recens ictum fœdus placuit, neque Gallicanæ ecclesiæ damnatum exemplum, ne importuni quidem Cardinalium conatus,

ac

(a) Marian l. 20. c. 1.

Novum fœdus cum Cæsare a Gallo initum.

Pro tuendo Ferrariensi insana consilia.

Decretum Gallorum impium.

Damnata a Ferdinando ea molimina.

*ac potius Cæsarem pro necessitudinis jure ab ea mente deductum Pontifici conciliare & cum Venetis in pace ponere tentavit.* Tum sumpta fuere ab Hispanis consilia de Maximiliano Romanorum Rege a Gallico fœdere divellendo, Gallisque Italia depellendis, quæ postea conjunctis Italis, Germanis & Hispanis ad exitum perducta fuere.

XXII. Conciliabulum Lugduni cogere molitur Ludovicus.

Vigesima septima septembris die cum Matthæus episcopus Gurcensis ejusdem Maximiliani orator in Gallias accessisset, icto Gallum inter & Cæsarem fœdere, indictum est proximo ineunte martio Lugduni conciliabulum, quod transfugæ Cardinales cogere se posse disceptabant (a); quod Julius conceptæ in conclavi de synodo œcumenica convocanda sponsioni jurejurando confirmatæ hactenus defuisset: quæ dum agitant politici & præsules factiosi, grave bellum est concitatum a Gallico exercitu in Pontificem, qui Bononiam ingressus erat, ut describit Paris (b) sic inquiens: *Die sabbati* XIX. *octobris exercitus Regis Franciæ simul cum Bentivolis urbem Bononiensem petunt, & ad portas urbis hora circiter prandii pervenit, ibique tumultuarunt pugnam ineuntes. Quo audito populus arma capit pro Pontificis tutelaque sua.* Et infra: *Ipse autem legatus, qui lætatus erat, quod Galli venissent cum Bentivolis, prout secum convenerat, ut aiunt, nullam aliam provisionem parat, nisi palatium claudi, & custodiam in platea satis levem adhiberi jubet, seipsum vero armat. Quod cum ab æmulis improperaretur, quare scilicet se armaret contra Gallos, quos tantopere amaret, respondit; non propter Gallos sed propter Bononiensem populum furiosum, quem timeret, id se facere. His autem sic stantibus Cardinales, qui tunc quatuordecim erant in urbe ea, Pontificem adeunt consulentes, ut rerum summæ provideat & saluti suæ, ac salvationi populi, qui in armis sese ponebat, & si præsertim populum pro se fautorem habere cuperet, ipsum bonis verbis & aliquibus factis bonis allectaret. Itaque Pontifex vocato populo blandissime beneficia multa pollicitus est, & præsertim quod intra* XV. *dies unum ex civibus Bononiensibus Cardinalem crearet, etsi episcopum Bononiensem creasset, & exemptionem dimidiam donavit populi in perpetuum, quam & in foro publicari jussit: Quo audito populus maxime animatus est & armatus est, & die sequenti in foro, quod mercatum appellant, convenit; unde ad plateam ante palatium Papæ ordinate quasi instructis aciebus pervenit: & quoniam populus iste, ut dixi, male contentus de Cardinale Papiensi erat, dixeratque pluribus Cardinalibus, ut hoc Pontifici significarent, propterea Pontifex eam curam populi ordinandi & contra Gallos educendi dederat duobus Cardinalibus, videlicet Regino & Aragonensi. Sic itaque hi duo Cardinales ascensis equis & armis sub rochetis & mantellis receptis in mercatum vadunt, populumque inde ad plateam conducunt.* Et infra.

(a) Bull. in Jul. II. const. 27.

(b) Paris tom. 3. p. 597.

Galli cum Bentivolis tentant Bononiam.

Vectigalium partem dimidiam remittit Bononiensi populo.

*Summa populi æstimata fuit ad quindecim millia peditum & equitum quinque: propter pluvias supervenientes multi se subtraxerunt. Pontifex in lecto febricitans ubi audit populum arma pro civitatis defensione sumpsisse, Juliique nomen assidue acclamare, ex lecto prosilivit, & in pulpitum sive arrengheriam delatus populum vidit visusque est hilarissime. Tandem & benedictionem tamquam in conflictum progredienti concessit. Nec id omittam, quod Pontifex post benedictionem datam sua brachia ante pectus in formam crucis reduxit quasi sese, personam suam, & honorem suum populo commendans. Ad quod populus, qui vidit Pontificem aut timere de seipso, aut commendare statum & honorem & vitam, miseratione & flebili pietate motus, applausissime clamarunt, bonum ipsorum animum persuadentes, & pollicentes unitatem & auxilium. Itaque Pontifex lætus discedens continue inter eundum dicebat jam se esse victorem Gallorum: quod secutum est; nam cum Galli tribus diebus infestissime Pontificem oppugnassent, confisi forte in Cardinale Papiensi, ut creditur, qui ipsum & populum traderet in manus Gallorum, aut saltem quod omnia eis Pontifex concederet, quæ illi petere scirent, prout incredibilia petierunt prout que mos est eorum. Pontifex eis demum respondit, nihil eis concedere velle, quod illi peterent, & cum hæc nuntianda mandasset per tres oratores, videlicet imperialem, Anglicum, & Hispanum, qui tum curiam sequebantur; Galli his auditis media nocte ad Papam humillime mittunt nuntios, qui veniam de machinatis, & ut impune abire liceat, suppliciter petant: quod Pontifex benigne concessit, quamquam populo exclamante, nam victoriam in manibus habere videbantur, suffragante cælo propter imbres & nimbos nocturnos, quos Galli sufferre non potuerant, & inopiam cibatus, & furorem populi, ac multitudinem exercitus nostri undequaque exhausti. Sic itaque Galli licentia data abierunt cum promissione, omnia, quæ ad Pontificem pertinerent, reddituri, prout reddiderunt. Die autem jovis, qui fuit* XXIV. *octobris Pontifex gravissime ægrotavit, ita ut palam diceretur omnino ex ea ægritudine moriturum, maxime quia Pontifex nec cibum*

XXIII.

Strenue Pontificiat partes defendunt Bononienses.

Gallorum a Bononia oppugnatione discessus.

*bum capere, nec consolationem vellet ob dimissos impune Gallos, præsertim quia eos lente abire audiebat, & quidquid diripere possent diripere.* Queruntur contra Galli & nonnulli alii scriptores, Pontificem spe pacis ipsorum impetus retardasse; de Ambasiano enim hæc habet Ferronius (a): *Potuit intercipere iracundum Pontificem & Bononia potiri, nisi aut diris pontificiis territus, aut legatorum Ferdinandi, & Henrici Britanniæ Regis pollicitationibus delusus fuisset, qui se Pontificem præstaturos * Regi propitium recipiebant.* Deterritos etiam Gallos ab oratoribus Regum, ne sedi Apostolicæ injuriam vimque inferrent, confirmat MS. Vaticani author (b): cæterum Ambasianum, qui Gallicarum copiarum militare habebat imperium, anathemate perculsum a Pontifice fuisse: additque Bonaccursius (c) ideo pacis colloquia amputata, quod eo flexu temporis auxiliares copiæ Bononiam adventassent, neque a Ferrariæ oppugnandæ consilio Pontificem absistere voluisse.

Ut fracti sint eorum impetus.

(a) *Ferron. in Lud. XII. Aug. Just. l.6.*

* *placaturos*

(b) *MS. arch. Vat. sign. n. 111.*

(c) *Bonac. in diarus.*

XXIV. Hispanum Gallo opponere Julius molitur.

Ad sustinendam hujus belli molem Julius jam ante Hispanum Gallo opponere decreverat, atque in Ferdinandum Regem plurium regnorum conjunctione præpotentem, deque Christiana re optime meritum Neapolitani regni jura edito diplomate transfudit. Distulisse ajunt (d) hactenus in fidem & clientelam eum accipere, cum censum a Gallis pendi consuetum Ferdinandus solvere detrectaret; sed quem persolverant Aragonii imminutum repræsentaret. Non defuere autem causæ gravissimæ, ob quas Julius Gallum accepto ab Apostolica sede jure fiduciario privaret, objecitque illi in primis, Ludovicum numquam Romano Pontifici clientelarem sponsionem, uti conventum erat, præsentem solemni ritu addixisse: tum regni Neapolitani jura sede Apostolica inconsulta, quantumvis rogatum videtimus, ne quid sine illius authoritate statueret, abalienasse: ob quæ Neapolis & Cajetæ imperium ad sedem Apostolicam jure devolutum sanxit: idque jus in Ferdinandum traduxit; divulsas Neapolitani regni partes redintegravit; confectas etiam antea Ferdinandum inter & Ludovicum Regem pactiones rescidit: tum clienti Regi easdem ferme leges, quas aliis Neapolitanis Regibus impositas vidimus, imperavit; quæ Mariana confirmat his verbis (e).

(d) *Guicc. l.9.*

Neapolis & Cajeta ut devoluta sint ad sedem apost.

(e) *Marian. l.29. c.24.*

*Rex Africani atque Italici belli curam complexus, a Rege Gallo in primis contendebat, ut sancita ante annos aliquot in fœdere lex de regni Neapolitani successione nulla ex Germana regina prole nova censura immutaretur. His postulatis Gallus aures non accommodabat, spe concepta id regnum obtinendi, nisi jure, & causa, certe armis. Sic Ferdinandi conatus inanes extitere, præsertim Rothomagensi Cardinali per hoc tempus defuncto, cujus penes Gallum præcipua gratia erat, & rebus omnibus authoritas, studium haud obscurum Ferdinando gratificandi in iis, quæ publicæ pacis interessent. Hac cura Ferdinando anxio, ac dies noctesque varias cogitationes animo versanti, optimum fore visum est odium Pontificis in Gallum conceptum in suum commodum convertere, atque occasionem suam facere, prudens princeps, qui quamcumque rem e publica utilitate fore providet, ea utitur, modo honesta, ut pontificia authoritate ipsi & posteris regnum Neapolitanum quasi Romanæ ecclesiæ beneficium confirmaret, postulat. Grave id initio Pontifici visum est, neque ea indulgentia præjudicatum Gallo Regi, quamvis infenso, volebat. Deinde auctis odiis bellis, quæ erant in manibus, & majora meditabatur, ope ex Hispania juvari expetens, animum flexit, atque ut indulgentia major gratia esset ita postulatis annuit, ut amplius nihil desiderari posset, ne si Ferdinandus arbitrio suo diploma fingeret ab Alexandro Pontifice, Gallus parte ejus regni concessa, fuerat Neapolitanus & Jerosolymitanus Rex dictus, uti superius est indicatum. Id decretum movere præsertim Rege inaudito erat plane difficile, neque exemplum satis probabile. Ad artes converso animo pronuntiare visum est pontificium beneficium irritum videri redditum, dupliciter, honorario vectigali ab eo Rege, uti erat justum, nunquam repræsentato: præterea absque Pontificis venia, cujus eæ partes erant, de regno Neapolitano superiori fœdere cum Ferdinando facto, dignum videlicet abdicatione facinus. Hac pronuntiata Pontifex sententia, quod erat consequens, regnum Neapolitanum Ferdinando & successoribus traditum confirmavit, ea lege, ut Petri & Pauli festo die annuas octo millia auri uncias in pontificium ærarium inferret, quolibet triennio equum candidum daret, in præsenti quinquaginta millia aureos, tantumdem successores, cum primum Reges essent a Pontificibus dicti: enimvero repetitæ in Ferdinando eæ leges sunt nihilo mutatæ, quibus Carolo ejus nominis primo id regnum fuerat olim a Pontificibus datum.* Præcipua diplomatis illius pars hæc est, qua Ludovicus Galliæ Rex ob abalienata temere jura, quæ a Romana ecclesia acceperat, damnatus est, iisdemque Ferdinandus ob ingentia in sedem Apostolicam merita fuit ornatus (f).

Ut regnum Neapolit. devolvendum esset ad Gallos.

Ex Galli cum Pontifice simultate Hispanus sua commoda venatur.

Neapolitani regni jura in eum transfusa.

(f) *Lib. bull. 80. p.335.*

Ju-

*Julius, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

XXV. *Dudum felicis recordationis Alexander Papa VI. prædecessor noster de tunc S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu, ac ex sua certa scientia, & de apostolicæ potestatis plenitudine, regnum Siciliæ cum tota terra citra pharum tunc certo modo ad jus & proprietatem dictæ ecclesiæ pleno jure reversum in duas partes dividens, Neapolitanam & Gajetanam civitates, ac totam terram Laboris, & provinciam Aprutinam pro eorum justo valore, Ludovico Francorum Christianissimo cum titulo Regis Neapolis & Jerusalem, ducatus vero & omnes provincias Calabriæ & Apuliæ cum tota eorum terra, etiam pro eorum justo valore Ferdinando Regibus filiis nostris in Christo charissimis, & claræ memoriæ Elisabeth tunc in humanis agenti ipsius Ferdinandi Regis consorti Reginæ Hispaniarum Catholicis cum titulo ducis, & ducissæ Calabriæ & Apuliæ pro eis insimul dum viverent, & altero eorundem Ferdinandi Regis & Elisabeth Reginæ decedente pro illorum ex eis, qui superstites remanerent, suisque liberis, & successoribus tam masculis quam fœminis ex legitimo matrimonio creatis per rectam lineam ex suis corporibus respective descendentibus natis, & nascituris, prout ad unum quemque Ludovici & Ferdinandi Regum, & Reginæ prædictorum juxta divisionem ipsam pertinebat qualitercumque regnum, terra Laboris, ducatus, & provincia hujusmodi ad Ecclesiam prædictam legitime reversa, & devoluta forent, vel alias quovis modo illorum dispositio ad ipsum Alexandrum prædecessorem pertineret, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, ac cum conditionibus, modis, formis adjectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus, ordinibus tunc expressis de similibus, consilio, assensu, sententia, & potestatis plenitudine in feudum perpetuum concessit, & donavit, prout in ipsius Alexandri prædecessoris desuper confectis literis plenius continetur: ipseque Ludovicus Neapolitanæ & Gajetanæ civitatum, ac terræ Laboris; & Provinciæ Aprutinæ; & Ferdinandus Rex & Regina, ducatuum & aliarum provinciarum hujusmodi corporalem possessionem, concessionis & donationis prædictarum vigore assecuti fuerunt. Et quamvis præfatus Ludovicus Rex de implendis & inviolabiliter observandis omnibus, & singulis conditionibus modis, & formis, adjectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus, & ordinationibus supradictis solemne præstiterit juramentum; tamen in constitutionum, promissionum, voluntatum, & ordinationum prædictarum implemento, & observatione multifaria ac in jurium recognitionis veri dominii ipsius regni Siciliæ nobis, & dictæ ecclesiæ exhiberi debitorum præstatione actuali per multos annos defecit; quodque etiam majestas sua facere minime debuisset, regnum ipsum cum tota portione ei concessa absque voluntate nostra nobisque inconsultis alienare præsumpsit; de quibus licet ea ita omnibus nota sint, ut nulla possint tergiversatione celari, aut justa excusatione defendi, cum nobis etiam alias legitime constiterit, eaque vera esse comperimus, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris deliberatione matura, de eorum consilio, & assensu, ex certa nostra scientia, & apostolicæ potestatis plenitudine, authoritate apostolica tenore præsentium dictum Ludovicum Regem a regno Neapolis & Jerusalem, ac Neapolitana, & Gajetana, civitatibus, terra Laboris, & provincia Aprutina omnique eorum jure penitus cecidisse, illaque propterea ad nos & Romanam ecclesiam plene & libere rediisse, & devoluta esse, decernendum merito duximus, & censendum, ut harum serie decernimus, & censemus; potiorique pro cautela prædictas, & quascumque alias similes vel dissimiles de regno Siciliæ & Jerusalem cum terra citra pharum hujusmodi per eundem Alexandrum & quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros ac etiam nos Ludovico præfato, & quibusvis aliis regibus, & principibus, eorumque heredibus & successoribus, præter quam Ferdinando Regi, etiam de consilio, assensu, sententia, potestatis plenitudine & authoritate similibus, & ex quacumque etiam grandi, & excogitabili causa hactenus quomodolibet fuit, & in infrascriptorum præjudicium factas, per concessiones, donationes, & investituras, quorumcumque tenoris, & continentiæ sint, & quascumque etiam derogatoriarum derogatorias aliasque fortiores, efficaciores, insolitas, etiam restitutorias, seu ad jus commune reductorias clausulas, declarationes, etiam cum irritantis appositione decreti in se contineant, illarum omnium tenores, continentias, atque formas præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur pro sufficienter expressis habentes, perpetuo cassamus, irritamus, & annullamus, nulliusque roboris, vel momenti esse statuimus, & declaramus. Et cupientes regnum ipsum felicissimi regiminis præsidio communire, ac in illius solio eum Regem & principem constituere, qui sciat, velit, & valeat commissos sibi populos perpetua pacis, & justitiæ stabilitate firmare; nosque & Romanam ecclesiam ac-*

Ut regnum Neapol. inter Gallos & Hispanos divisum fuerit.

Ut Ludovicus sacramento nuncupando defuerit.

Pronuntiatur jus beneficiarium amisisse. Devolutum illud ad sedem Apostolicam.

*ce-*

*ceptorum a nobis beneficii & honorum authores ipsiusque regni proprietarios & directos dominos grata devotione & fide sincera recognoscat; habita etiam super hoc cum eisdem fratribus nostris simili deliberatione, demum ad dictum Ferdinandum Aragoniæ & Siciliæ Regem Catholicum direximus oculos mentis nostræ; quippe memoria compleui sumus ipsius Ferdinandi Regis gentilem ac hereditariam ab ipso pene rerum primordio regnandi consuetudinem in commissos sibi populos recte, & feliciter gubernando prudentiam, in conservando studium, in corrigendo clementiam, in administrando mansuetudinem, & in defendendo invictissimi animi, & potentiæ vires.*

Transfunditur in Ferdinandum.

XXVI. Habita ratio ingentium illius meritorum.

*Succurrerunt etiam multa majorum suorum de sede prædicta clara atque insignia merita; ipsius vero pro fidei orthodoxæ, pro divini nominis gloria, proque Christianæ religionis augmento ab incunabulis ipsis usque in hunc diem susceptos sponte labores, contempta, & superata pericula, innumerabilemque exhaustam pecuniam, Granatæ & Almeriæ regna, per tot sæcula Mahometica tyrannide oppressa, & ipsius Ferdinandi Regis opera Christianæ religioni restituta, ignoti penitus populi Indici maris, & ulterioris Oceani devia ferarum more incolentes, ejus auspiciis, & per inaccessi itineris longam & difficilem navigationem ad humanæ gentis cultum redacti; & qui Deum eatenus non cognoverant, sub crucis vexillo constituti: hæretici, & illorum authores Judæi ex universis regnis, & dominiis non absque regii ærarii jactura prorsus expulsi, & quasi in eo ad bene, beateque semper agendum, renovata, inventa; bellum superioribus diebus contra Africam nulla necessitate premente nisi fidei ampliandæ desiderio, per eumdem Ferdinandum Regem susceptum, & Bugiæ regnum, ac Oran urbs ampla, arces, & alia loca, ab eo jam parta immortalis gloriæ præconio, testimonio fuerunt; ægre quoque ferebamus, quod regnum Siciliæ, & Jerusalem cum tota terra citra pharum hujusmodi, quod per unum Regem & principem solitum gubernari fuerat, sub divisione prædicta, & in duas partes non sine magno incolarum dispendio, & quotidianis periculis sectum diutius remaneret, & quod in nostrum & dictæ ecclesiæ grave præjudicium & dedecus redundabat, absque legitimo titulo a quoquam præsertim ab ipso Ferdinando Rege potentissimo, illegitimorum inter eum & præfatum Ludovicum Regem desuper initorum pactorum, & conventionum nobis penitus inconsultis prætextu teneretur. Quibus omnibus debita meditatione pensatis,*

Res christiana in Granatæ regno & America ab ipso aucta.

Bugia & & Oranum ab eo in America expugnata.

*sperantesque quod idem Ferdinandus Rex in suæ fidei sinceritate obedientia, & devotione erga nos, & præfatam ecclesiam sponsam nostram, eo constantior erit; quo nos & illam repererit magis sibi munificam, & in suis opportunitatibus liberalem; quodque regnum ipsum Siciliæ & Jerusalem in justitiæ robore, & pacis amœnitate, quantum in eo erit, Deo propitio salubriter reget, & prospere gubernabit; ad laudem omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & gloriosissimæ virginis Mariæ, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, nec non totius curiæ cœlestis triumphantis, honorem quoque pacem & tranquillum statum regni prædicti, illiusque principum, ducum, marchionum, comitum, procerum, & populorum salutem, quietem, & conversationem de similibus consilio pariter & assensu, ac ex certa nostra scientia, & apostolicæ potestatis plenitudine, & authoritate præfata tenore præsentium præfatum Ferdinandum Regem ad observationem pactorum, & conventionum inter eum & dictum Ludovicum Regem super regno Siciliæ & Jerusalem, ac civitatibus, & terra Laboris, ac provincia Aprutina, hujusmodi, quæ idem Ferdinandus Rex possidet quomodolibet initorum, quorumcumque tenorum existant, etsi juramento roborata sint, non teneri, nullasque propterea perjurii, aut alias pœnas ibi forsan adjectas, incurrisse nuntiamus, ipsum juramentum eidem Ferdinando Regi relaxamus; & regnum Siciliæ & Jerusalem cum tota terra citra pharum, & ducatibus Apuliæ & Calabriæ, ac aliis provinciis ab eo, ut præfertur, divisis in simul conjungentes, ac in eum statum, in quo ante divisionem prædictam existebat reponentes, restituentes, & plenarie, reintegrantes, regnum ipsum Siciliæ & Jerusalem cum tota dicta terra citra pharum usque ad confinia terrarum dictæ ecclesiæ Romanæ excepta civitate nostra Beneventana cum territorio, & pertinentiis, sive ut præfertur, sive alio quovis modo, etiam si ex persona vel facto ipsius Ferdinandi Regis, ex quavis causa illud ad dictam ecclesiam sit reversum, aut alias ejus dispositio ad nos pertineat, dicto Ferdinando Regi pro se suisque, & in regno Aragoniæ heredibus, & successoribus tam masculis quam fœminis, ex eo recta linea descendentibus natis, & nascituris, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, ac cum censu annuo, aliisque conditionibus, modis, formis, adjectionibus, & ordinationibus infra notatis, in feudum perpetuum sine tamen præjudicio juris ipsi Ferdinando Regi alias in regno Siciliæ, & Jeru-*

Damnatur Ludovicus quod inconsulto Pontifice de regno beneficiario transegerit.

Ferdinandus a pactionibus cum Ludovico initis liberatus.

Neapolitanum regnum ut jam devolutum ad sedem Apost. concessum Ferdinando.

*sa-*

*salem, & ducatibus & provinciis prædictis forsan competentis; cui per præsentos non intendimus derogare, concedimus & elargimur, volentes, & intendentes eumdem Ferdinandum Regem de ipsis regno Siciliæ citra pharum per vexillum dictæ Romanæ ecclesiæ, per nos, seu sedem prædictam, aut aliquem ejusdem Romanæ ecclesiæ Cardinalem, vel alium, cui hoc duxerimus committendum, nostro, & ipsius Romanæ ecclesiæ nomine conferendum, & exhibendum, de proximo investiri; ita tamen, ut ipse Ferdinandus Rex juxta formam inferius annotatam, fidelitatis juramentum & homagium, ac servitium, vassallagium & ligium in nostris per se, vel procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, & iterato, eum cum de regno Siciliæ hujusmodi contigerit actualiter investiri tempore traditionis dicti vexilli, & actualis investituræ prædictæ, in ipsius commissarii nostri, nostro & præfatæ ecclesiæ nomine, recipientis manibus præstet pro hujusmodi feudo præstari debita & consueta: civitatem autem nostram Beneventanam prædictam cum ejus territorio, districtibus, & pertinentiis per nos, seu Romanum pontificem distinctis, seu distinguendis cum eorum incolis, prout illam sibi dudum præfata ecclesia, specialiter retinuit, & reservavit, harum serie nobis, & eidem ecclesiæ specialiter reservamus.*

Jussus fidem sacramento devincire.

XXVII. *Conditiones vero, de quibus supra dictum fuit, sunt hæ, videlicet. Pomittent & jurabunt tam Ferdinandus Rex ex nunc in manibus nostris, & successive in ipsius commissarii, tam per traditionem vexilli prædicti regno Siciliæ & Jerusalem hujusmodi modo præmisso investientis manibus, ut præfertur, quam etiam in singulis investituris ejus in dicto regno heredes & successores præfati, juxta formam infrascriptam; quod ipse & illi nullas unquam conspirationes, colligationes, vel conjurationes cum quibuscumque Regibus, principibus, magnatibus, communitatibus, universitatibus, aut personis aliis fidelibus vel infidelibus contra nos vel successores nostros Romanos Pontifices canonice intrantes, aut dictam Romanam ecclesiam, seu in eorum damnum non facient, aut fieri consentient, seu permittent, &c.* Reliquæ leges iisdem verbis conceptæ sunt, quibus eas cæteris Neapolitanis Regibus imperatas vidimus, conditio de præstando vectigali militari trecentorum equitum cataphractorum, quorum singuli tres vel quatuor equos ducerent, diserte expressa cum eos exigeret pro recuperanda Bononia, & *pro castiganda* ut ait, *& comprimenda superbia, ingratitudine, & inobedientia, cæterisque erroribus gravibus Alfonsi ducis Ferrariæ, qui bonorum a præfata ecclesia in domum Estensem & progenitores suos, & nuperrime a nobis in eum multipliciter collatorum penitus oblitus & immemor, in reprobum sensum datus, velut ingratus filius contra nos & præfatam Romanam ecclesiam dominam & matrem suam cornua erigere non est veritus, & contra quoscumque cujusvis conditionis, existentes, qui dictum Alfonsum in præmissis contra nos defenderent, protegerent, & tuerentur, quibus ad præsens maxime indigemus, propterea que dictum Ferdinandum ad nobis & eisdem Romanæ ecclesiæ in hujusmodi necessitate equitum subsidium exhibendum, enixe requirimus, &c.* Præscripta etiam est sacramenti a Ferdinando & heredibus dicendi formula his concepta verbis: *Ego Ferdinandus, Dei gratia, Rex Siciliæ citra pharum & Jerusalem plenum homagium, ligium, & vassallagium faciens vobis domino nostro domino Julio Papæ II. & ecclesiæ Romanæ pro regno Siciliæ & Jerusalem ac tota terra, quæ est citra pharum usque ad confinia terrarum ipsius ecclesiæ, excepta civitate Beneventana ac toto territorio ac omnibus districtibus & pertinentiis secundum antiquos fines territorii pertinentiarum & districtus civitatis ejusdem, per Romanum Pontificem distinctos, & in posterum distinguendos, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro & vobis domino Julio Papæ II. vestrisque successoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus, &c.* Reliqua de tuenda vita Pontificis, non affectando imperio, conjungendoque regno Neapolitano, ditione ecclesiastica non occupanda, non ineundo fœdere cum schismaticis vel hæreticis, accepto regno pontificiæ beneficentiæ referendo & similibus formulis alias allatis consentiunt. Ascripta demum est in diplomati dies: *Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MDX. v. nonas julii pontificatus nostri an.* VII.

Quæ leges impositæ.

Prohibita fœdera contra sedem Apostolicam.

Vectigal militare exactum.

Conversum adversus Ferrariæ ducem.

Imperata sacramenti formula.

XXVIII. His decretis Julius Gallorum Regem recuperandi pristini in regnum Neapolitanum juris, quod sibi, si Ferdinandus nullis ex conjuge Gallicæ stirpis regiæ susceptis liberis præmoreretur, ut accidit, reservarat (a), spe dejecit, dissolutis, ut vidimus, pactionibus, quas cum Hispano inconsulta sede Apostolica perperam confecerat: atque adeo querelas inde graves fudisse Gallorum Regem in Ferdinandum, quod fœderis pactiones rescindendas curasset, refert Mariana (b): *Gallo*, inquit, *Regi grave accidit Neapolitana jura ea indulgentia a se in Hispanum translata; Ferdinandi se fraude delusum Pontificis iracundia violatum accensare vindi-*

Gallus jure in regno Neap. spoliatus:

(a) *Buonacc. in diariis an.* 1505. *& ex eo Guicc.*

Gallus in Hisp. irascitur ob violatum fœdus.

(b) *Marian. l.* 24. *c.* 24.

*saturum ferro, nisi esset id decretum abrogatum, de quo ejus legatas coram Ferdinando Rege gravissime expostulavit Montione, ubi Aragonii conventus erant diras minasque detestatus. Inani verborum sonitu nostri parum movebantur.* Exinde magis Pontificem in Gallos concitavit Ferdinandus, ut eos veluti majestati pontificiæ infensos Insubria Liguriaque deturbaret; cui amplam occasionem dabat insania senatorum Ludovici, qui impia illi consilia de abrogando Julio per conjuratos episcopos pontificatu suggerebant: a quibus cum Ferdinandus regia gravitate abhorreret, non modo religionem suo asseruit splendori, sed & res suas vehementer auxit: quippe ex concepta in nomen Gallicum ira Julius, quo Hispanum Regem præmiorum amplitudine a Gallorum fœdere molitionibusque averteret, etiam vectigal nummarium, quod in regni Neapolitani jure concedendo imperatum erat, remisit non sine rei ecclesiasticæ damno; additque Mariana (*a*) militare vectigal non fuisse a Julio remissum, ut Hispanis armis in Ferrariensem verteretur: *Eæ*, inquit, *leges ineunte mense julia impositæ a Pontifice, & Cardinalium collegio paulo post mitiori censura castigatæ sunt omnino ad* VII. *id. augusti; remisso enim annuo vectigali & quinquaginta aureorum millibus, equum candidum quolibet triennio repræsentari satis habuere; ac quoties in pontificia ditione bellum esset, auxiliares mitti trecentos gravis armaturæ equites, qua una e pactis antea conditionibus decedere non placuit; quoniam ea ope in bello Ferrariensi uti destinabat.* Repetendi autem ab Hispanis nummarii vectigalis inde occasionem sumptam ait Mariana (*b*), cum Carolus V. a Leone X. imperasset, ut Neapolitanum regnum, conjungeret, imperio: *Annis*, inquit, *consequentibus a Leone Pontifice impetratum, ut ii Reges annua septem aureorum millia penderent veniæ pretium Carolo Augusto concessæ imperii Romani nomen cum eo regna jungendi, contra quam leges olim Andegavensibus & Aragoniis Neapolitanis Regibus impositæ ferrent.* Laudatus (*c*) vero est a Julio Ferdinandus quod Granatense regnum expugnasset, novi orbis populos ad Christum adduceret, Neapolitanum regnum pulsis Gallis sibi comparasset, Afros contudisset, Bugiæ regnum atque Oranum subegisset, tantoque religionis asserendæ studio æstuasset, ut ingentes cumulos auri annui, quod a Judæis exprimebat, amittere maluerit, quam eos in suis regnis, quæ impietate fœdabant, tolerare.

De Gallo Insubria pellendo actum.

(*a*) *Id. ib.*

(*b*) *Marian. l. 29. c. 24.*

Lex de non conjungendo imperio cum regno Neapol. sublata.

(*c*) *Lib. bull. 80. pag. 352.*

XXIX. Quod ad Judæos pulsos a Ferdinando e Neapolitano regno & in eo sacræ censuræ constituta tribunalia spectat, refert Mariana (*d*); propterea factos aliquos Neapoli tumultus, sed prudenter compressos addit: *Neapoli*, inquit, *anni fine tumultus extitere plebe ad arma consternata, offensaque vehementer adversus inquisitores; qui more ex Hispania translato cœperant in ea urbe judicia de religione exercere majore severitate, quam mores gentis reciperent. Ii erant Andreas Palatius inquisitor, & illi adjunctus archiepiscopi vicarius. Malo commotos populares frænare non licebat. Sæviente in dies motu, prorex per edictum Judæos omnes, quique ex ea gente Christianis sacris abdicatis ex Hispania non ita pridem venerant, quorum erat magnus numerus, ejus regni finibus arcuit. Exilio parando proximus mensis martius designatus. Ea colluvione pulsa, civium ac totius provinciæ in vera religionis constantia & animorum pietate satis perspecta, inquisitionis & rem & nomen minus videri necessaria, proinde cessare & amoveri sancitum: & utique periti sæpe naucleri sævientis pelagi fluctibus quandoque obniti non audent, ventorum violentiæ cedunt. Pontifex ipse, cujus maxime dignitati inquisitores serviunt, ne incommodo tempore eo constituto tribunali turbarent tranquillitatem gentis, author erat: sic populus conquievit.*

(*d*) *Marian. l. 30. c. 1.*

Inquisitores in regno Neapol. constituti.

Ejecti ex eo Judæi.

Mota seditione inquisitores sublati.

XXX. Quod vero ad partas, non sine immortali laude a Ferdinando in Africa victorias, attinet; expugnato superiori anno, uti diximus, Orano Petrus Navarrus crucesignatorum dux bellica virtute clarissimus hoc ineunte Bugiam olim Thabracam sitam in Numidiæ littore non procul a Mauritaniæ Cæsariensis finibus barbarorum regiam sedem impetu expugnavit (*e*); quod præclarissimum facinus Gomesius (*f*) in rebus gestis Ximenii Cardinalis Toletani Africanæ expeditionis authoris narrat his verbis: *Anno ineunte sub nonas januarii die ob Magorum adorationem religiosissimo, Bugia urbs celeberrima a Navarro in Africa capitur, quam nonnulli Juliam cæsaream Jubæ quondam regiam esse putant: ea non minus Hispanis, quam Oranum infesta erat, muris altissimis antiquitatis veneranda cingebatur; nam Romanam esse structuram, lapides ipsi testantur: copiosior illam & ditior populus, quam Oranum incolebat; sed minus bello exercitatus, magisque deliciis & voluptatibus deditus. Nonnulli, inter quos est Joannes Leo Africanus scriptor minimo negotio Rege continuo cum omnibus civibus in fugam converso, captam fuisse dicunt. At ex nostris Petrus Martyr author est, adventu Navarri cognito fœminas, senes, pue-*

(*e*) *Paris to. 3. pag. 518.*

(*f*) *Gomes. de rebus gestis Franc. Card. Ximen. l. 4. Marian. l. 29. c. 22.*

Bugia expugnata impetu.

Barbari tormenta quibus fidebant librare nescivetunt.

*pueros, & omnem bello inutilem multitudinem urbe a Bugianis pulsam, cæteros, qui cum Rege remanserant ducentis tormentorum machinis super mœnia urbis collocatis, unde lapides ferreique globi in nostros contorquebantur, primo fortiter restitisse, Regemque ipsum non contemnendo cum peditatu, tum equitatu, montem urbi adjacentem occupasse, at majore vi eu superiori loco in Navarri exercitum irrueret: sed omnes machinarum, quæ in mœnibus collocatæ erant, jacalationes magistrorum tormentariorum imperitia irritas fuisse: qua occasione nostris locam e navibus egrediendi esse datum, qui bene stipati & crebro sclopetoram & scorpionum jactu in clivum, qaem Reu tenebat, processerunt. Cum ergo non mediocriter plambeis globulis & sagittis exercitus Maurorum pertarbaretur, ubi cominus ventum est, & hastis atque ensibus agi cœptum, vim nostrorum Mauri non tulerunt, sed ad urbem universi se recipere laborabant: Hispani perniciter hostes insecuti illis commixti arbem ana ingrediuntar, eamque tandem victores capiunt.*

Victi acie.

XXXI. Eandem victoriam adeo insignem ita describit hisce verbis Joannes Mariana (a): *Kalendis januarii principio anni millesimi quingentesimi decimi, Hispani ea Ebuso solventes quinque diebus littas Africæ tenuerunt: copias eo die in terram exponere adversi flatus vetuerunt. E jugis montis se Rex Maurus ostentare decem millia pedites & aliqaot equitum turmas secum trahens eos ad littus appropinquantes nostros, ut eascensione prohiberent, tormentis classicis, excussæ pilæ procul arcuere. In terram expositas copias nullo prohibente in qaatuor agmina Navarrus distribuit: eo ordine magno nisu superato monte ad pugnam festinabat: quam Mauri detrectarunt præ meta in urbem regressi, mœnibas magis fidentes, quam armis: fefellit ea quoque spes nostrorum pars per latus urbis veteris desertæ a civibas, alii per saperiora maro succedentes, admotis scalis brevi in urbem irruperunt: insolitus pavor civium mentes occaparat. Ita intra urbem nallo resistente in prædam aversi milites. Rex cum copiis deserta mox arbe per aversam portam se foras proripuit. Terruit ea victoria universam Africam eo lætior, quod Mulejus Abdala rebas turbatis e castodia elapsus, qua detinebatur, a patruo, ad nostros perfugit: superi quos premere instituunt, in præceps dant. Nostri & virtute potiores & saccessa læti urbe egressi tyrannum ad trigesimum lapidem castra habentem denao facto impetu compulere in fugam: nihil neque apud se remissum, neque apud illum tutum pati. Ea diligentia suc-*

Victores cum victis urbem ingressi.
(a) Id. ib. Marian.

Admotis scalis superata mœnia.



*cessaque præteritæ finitimæ civitates certatim obseqaiam detulere: Ferdinandi fidem patrociniumque implorantes, veniam & pacem oratum misere legatos: princeps inter alias Algerium, quæ Cirta olim Masinissæ regia a quibusdam fuisse creditur, certe Arabum lingua Gezer, hoc est insula, vocatur. Ab ea, quam in mari vicinam littori & objectam habet, tunc modicæ viribus & ignobilis, hoc tempore Hispaniæ terror, nostris spoliis extructa, saperbaque juxta ac clara. Algerii exemplum Tenecius Rex & arbs Tedelicium secuti sunt. Ipsi adeo Mostagani incolæ & Tremesenius Rex nostros de pace & se dedendo appellarent. Cuncta virtute pervia fore territi barbari indicabant. Nihil, Navarro præsertim duce, arduum: leges omnibus impositæ, quibus in amicitiam fœdusque venirent. Præcipuæ erant, ut captivis Christianis sine pretio libertas esset, & vectigal honorariam singulis annis cum fide repræsentarent.*

Finitimæ urbes deditionem faciunt.

Algerium deditium.
Algerium captum.

Tenecius Rex vectigalis fit.
Et Tremesenium se subiicit.

Perlato Romam tantæ victoriæ nuntio, Pontifex ob amplificatam Christianam religionem gratias divino Numini persolvendas decrevit, ut narrat Paris (b) in suis rituum diariis: *In die S. Petri in cathedra de mandato Papæ fuit habita solemnis actio gratiarum ad Deum pro victoria habita per catholicum Regem Hispaniarum contra infideles & Regem Bugiæ sive, ut Latini volunt, Buxeæ in Africa: & quidem solemnitas fuit in omnibus sicut in die omnium sanctorum anno MDV. ut supra scripsi illa die; sed in hoc plus fecimus; qaia sermonem habuit reverendus pater dominas Thomas de Vulterris cognomento Fedra luculentissimum & elegantissimum post missam: missam autem cantavit in basilica apud altare S. Petri Cardinalis Arborensis de festo cathedræ cum tribus orationibus, videlicet de S. Petro, & secunda de S. Paulo, & tertiam contra Paganos cum præfatione de Apostolis. In fine missæ data est benedictio per Papam. Tum oraturus, qai sapra venit, & absque petitione benedictionis petiit indulgentias, & Papa prima facie voluit dare annorum septem, ut in ordinario, sed a me intelligens de more in talibus esse, quod esset plenaria, dedit plenariam.* Et infra: *Papa cantavit, Te Deum laudamus.* XXXII.

(b) Paris to. 5. p. 519.
Celebrata Romæ lætitia publica.

Non minus emicuit Petri Navarri virtus in tuenda parta Bugia propugnandaque, quam in expugnanda enituerat; Regem enim Bugianum quinto post mense amissam urbem recuperare molientem castris exuit (c), atque adeo obtrivit, ut nil postea hostile tentaverit, sed regno fortunisque spoliatus privatam vitam egerit: in quo bello Petrus Arias militaris

Bugiæ Rex iterum victus.

(c) Gomes. l. 4. ubi sup.

Tripolis capta a Petro Navarro.

virtutis, ut antea egregium exemplum edidit quippe qui adjuvantibus tantum quinque militibus barbarorum ſcalas admoventium aſſultus horis octo ſuſtinuit propulſavitque. Increbreſcere inde magis Navarri gloria, ejuſque terror per Africam circumferri cœpit, hiſque ſucceſſibus elatus Tripolim barbaris eripuit, ut idem narrat Gomeſius (a): *Sexto*, inquit, *kal. auguſti Tripolis per Navarrum capitur, eiuſque urbis præfectus una cum familia captivi Meſſanam in Siciliam mittuntur, &c.* Addit ex eo læto nuntio non modo Ferdinandum ac Ximenium, ſed etiam Pontificem & Cardinales ingens gaudium percepiſſe, atque aliquot dierum ſupplicationes decreviſſe: Regis autem Catholici magnanimitatem, Hiſpanam virtutem, & Cardinalis Ximenii præſtantiam collaudatam, quem omnes harum rerum ſuaſorem & perpetuum apud Regem impulſorem cognoviſſent: cujus ſane exempla imitari debent Cardinales, qui aliquando apud Reges ſummum gratiæ apicem nanciſcuntur, ut eos ad religionis amplificationem excitent. Confirmat Gomeſii dicta Paris de Graſſis, qui ritus in ea publica lætitia & celebritate ſervatos ita deſcribit (b).

(a) Gomeſ. l. 4. Sur. Marian. l. 24. c. 24. Aug. Juſt. l. 6.

B. Ximenius Cardinalis rerum auctor.

(b) Paris to. 5. p. 580.

De capta Tripoli celebrata Romæ lætitia.

*Sanctiſſimus dominus noſter his diebus audita victoria per Regem Hiſpaniæ parta contra infideles & Regem Tripolitanum, quod cedit ad maximum Chriſtianitatis augmentum & decus, exultavit admodum, & juſſit quod hodie, quod eſt feſtum S. Laurentii fieret publica lætitia in urbe per omnes tam clero, quam de populo: & factæ ſunt proceſſiones per univerſum clerum ab eccleſia S. Jacobi Hiſpanorum ad eccleſiam S. Laurentii in Damaſo; quoniam ipſi ſancti ambo Hiſpani fuiſſent, & proceſſio ipſa per triduum duravit: omnes etiam urbis officiales ſimiliter affuerunt hac ſola die*, nimirum S. Laurentii, *in omnibus ſicut in die Corporis Chriſti: ipſe etiam Pontifex cum collegio ſacro adiit ipſam eccleſiam cum omni devotione, & ibi miſſam audivit:* Et infra: *Collectæ ſive orationes cantatæ in miſſa ante epiſtolam & poſt communionem hæ ſunt, videlicet: Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſancti tui nominis hoſtes mirabili virtute confundis in te, fidelium exaudi preces & vota; ut qui terrenos hoſtes tua potentia contrivit, cæleſtis triumphi gloriam conſequatur. Secreta fuit hæc videlicet: Oblatam tibi hoſtiam, Domine, propitius ſuſcipe, & quos tantæ victoriæ præmiis hilaraſti vitiis exutos ad æternæ ſalutis gaudia venire concede. Poſt communionem vero hæc fuit: Deus, qui fideles tuos divini ſemper muneris largitate lætificas, concede propitius, ut quidquid ab unigeniti tui religione alienum ſupereſt, per huius virtutem ſacramenti te tribuente purgetur. Per eundem dominum noſtrum, &c.*

Decantatæ divinæ laudes.

Communita Tripoli Petrus Navarrus objacentes Africæ inſulas ſubigere decrevit, ne ex iis barbari ad maritimas excurſiones agendas erumperent: verum noſtri imprudentia ſua magnis calamitatibus ſe involverunt; cum enim in peruſtam ardentiſſimis ſolis radiis Gerbam alias Meningem exeunte auguſto non expectata mitiore tempeſtate deſcendiſſent, plures ſiti exaruerunt, ut narrat Gomeſius (c): *Minimo*, inquit, *negotio eam inſulam in poteſtatem ſuam redacturus Navarrus fuerat, niſi Garſias a Toleto Albani reguli major natu filius fortis animi & magnæ ſpei juvenis ſub procinctum ipſum advenient infauſta & immatura morte Navarri conſilia prorſus intervertiſſet: Navarrus enim ſolis declinationem expectandam omnino cenſebat; erat enim ſub extremum auguſtum dies divo Auguſtino ſacer, noſtris tamen ater & nefaſtus: Lothophagi quid hora diei ferventiſſima futurum eſſet prævidentes, ſitulas, aheneos, urceos, & alia id genus vaſa hauriendæ aquæ accomoda funibus appenſa ſitibundis juxta puteos appoſuerunt, ut aquam morte emerent; ſiquidem dum æſtuantium præcordiorum rabiem aquæ hauſtu extinguere certatim laborant, quamvis ex inſidiis prodeuntes Mauri equites in corpora eorum undique ſævirent, nullis vulneribus inflictis ab aquis depelli poterant, nec ullum mortis genus recuſabant: miſerandum ſane ſpectaculum, ipſiſque etiam trucidatoribus horrendum. Circiter quatuor millia egregiorum militum cum ſuis tribunis & ducibus, pauci ferro, ſiti complures & arenoſæ terræ voraginoſis ſpecubus, ut Martyr ſcribit, ſubmerſi perierunt. Si qui autem ad naves ſe receperunt, eadem ſemper fortuna perſequente, cum nihil humoris quod haurirent inveniſſent, ferme omnes ſiti ſunt enecti.* Levior fuit alia clades antea x. kal. martias accepta in Cherchina inſula, in qua transfugæ cujuſdam illatam ſibi a Vianello duce injuriam ulciſci cupientis, proditione quadraginta cruceſignati a Mauricis paſtoribus noctu oppreſſi occubuerunt. Porro cum Gerbiana clades ad Ferdinandi aures perveniſſet (d), illico validiſſimam claſſem inſtruxit, Africæque vaſtitate dolorem delinire conſtituit. Ut vero is bellicus apparatus non in Afros, ſed in Gallos Julium Pontificem infeſtantes verſus ſit, dicetur inferius. Interea Mauri collecto maximo exercitu, in quo equitum ad quinque XXXIII.

(c) Gomeſ. l. 4. in fine Marian. l. 29. c. 25.

Gerba alieno tempore oppugnata.

Quatuor millia Chriſtianorum infeliciter pereunt.

In Cherchina inſula male geſta res.

(d) Gomeſ. l. 5.

Ab Afris in Gallos averſa infeliciter arma.

Sexcenta millia Maurorum Safinium obsident.

que millia, peditum supra sexcenta millia fuisse memorant, Safinium urbem Mauritaniæ Emmanueli Regi contributam tertio decimo die decembris obsidione cinxere, atque validissimis impressionibus in discrimen adduxere. Præerat urbi Ataidius vir bello egregius, qui ante multis eruptionibus excursionibusque Mauros longe lateque exterruerat: tanta autem virtute barbaricos excepit impetus, ut immanem eam multitudinem ab oppugnatione depulerit, cujus extrema & ignava agmina ferro carpsit.

Fortiter propulsantur.

XXXIV. In India hoc anno Alfonsus Alburquerquius prorex ad constabiliendum Christianum in iis orientis oris, quas ducentis ante annis Arabes Mahometica superstitione inficere cœperant, imperium, subacta Goa futura illius sede firmissima jecit fundamina; adeo ut exinde altioribus radicibus Lusitana potentia defixa fuerit, nec de pipere, caryophillis, cinnamomo in occidentem advehendis, sed de subigendis infidelium regnis, ac innumeris populis ad Christum traducendis eruendisque ex dæmonum servitute nobiliores curæ susceptæ fuerint. Viguerat olim Goæ Christiana religio, ut ex effoxa in ruinis cruce ænea constitit; sed tum penitus extincta erat, partimque Mahumetica pestis, partim idololatria in ea inoleverant; cum divino munere evangelica iterum luce feliciter collustrata est, posteaque remotissima regna veritatis radiis perfudit. Describit illam hisce verbis Osorius (a): *Goa est insulæ & urbis commune nomen; fluvius ingens in duas partes in mare influentes divisus insulam efficit: ambitus illius millia passuum circiter viginti tria continet. Urbs erat cincta muris & munita turribus, & tormentis permultis atque variis instructa, ædes amplæ, cœli temperies & regionis amœnitas, & portus securitas multos mercatores invitabat, ut libenter in ea domicilia collocarent. Emporium erat valde frequens & opulentum: vigebant in ea armorum studia, multique milites partim equites, partim pedites Zabaimi stipendiis alebantur; vestigiis namque patris insistens omnes, quos in bello virtutis specimen præbuisse noverat, ad se congiariis uberrimis alliciebat. Insula multo majorem, quam pro illius magnitudine hominum multitudinem sustentare potest; est enim densis arboribus valde fructiferis vestita, abundat variis frugibus, pecora innumerabilia nutrit, variaque alimenta profundit, & aquas multas atque perennes habet: templa ritu Mahumetano erant maximis sumptibus ædificata, & proventibus etiam, quibus sacerdotes alerentur, opulenta.* Interjectis nonnullis, ut Goa ob principis Zabaimi absentiam & contrarias Mahumetanorum Idololatrarumque factiones ad deditionem mitioris servitutis spe atque illecebra pellecta sit, subdit (b).

Goæ floruit olim Christiana religio.

(a) Osor. ib.

Goæ descriptio.

(b) Id. ead. l. 7. Barros. dec. 2. l. 5. c. 3.

XXXV. *XVI. februarii anno salutis MDX. Albuquerquius in urbem ingressus est*, prætulisse pietatis causa crucis vexillum Dominicanæ familiæ alumnum addit Maffeius (c); *urbis & arcis & munitionum omnium & armamentorum possessionem nomine Regis Emmanuelis occupavit, fidemque a civibus accepit, eos fore semper imperio Emmanuelis obsequentes, neque ab illius unquam fide discessuros. Erant in mœnibus & armamentis quadraginta ingentia tormenta ex ære facta, e minoribus incredibilis multitudo, maxima pilarum & tormentarii pulveris vis, & reliquarum munitionum tanta copia, ut admirationem commoveret. Erant in statione navali naves maximæ quadraginta, celoces sedecim, & longæ naves quamplurimæ. Erat præterea in Zabaimi stabulis non mediocris equorum, qui fuerant a Perside & ex Arabia advecti numerus. Ad his commoditates accedebat varius & multiplex commeatus. Albuquerquius ne urbs tantæ celebritatis parum firmo præsidio muniretur, in ea hyemare constituit.* Dum urbis statum temperando dabat operam, plures illius gloriæ invidi simultates cum eo gerere, ipsumque deserere cœperunt: quo cognito Zabaimus contracto fortissimo exercitu Goam advolavit, cumque alveum fluminis molibus obstruere aggressus esset, coegit Albuquerquium (d) ut inde discederet: qui tamen recenti Lusitana classe & aliis auxiliis confirmatus Goam repetiit (e), eamque impetu receptam constituit caput Christiani in Indiis imperii: cujus in futuras ætates propagandi causa Lusitanos milites ad Indicas mulieres baptismo rite expiatas connubio sibi jungendas propagandamque prolem in Christi cultu & militari arte educandam, attributis illis agris collatoque dotali auro incitavit, fovitque tanto studio, ut hos generos, desponsas barbaras filias vocaret. Partam autem divina ope tantam victoriam religionis amplificationi admodum opportunam, conspicuis argumentis constitit, quæ Petrus Maffeus historiæ mandavit his verbis (f): *Si unquam alias, tum utique fortibus cœptis affuit Deus, quandoquidem tantus e prioris belli memoria terror non oppidanos modo, verum etiam externos invasit, ut licet ab omnibus rebus essent paratissimi, tamen præ metu vix mente animoque constarent. Duo primum castella sub ipsum classis introitum a custodibus Lusitanorum horrentis ferrum en* tem-

(c) Maffejus l. 4.

Capta ab Albuquerquio.

Amissa.

(d) Jo. Barros. l. 5. c. 4. & 5. Osor. & Maff. ubi sup.

Iterum recuperata.

(e) Barros. c. 8. 9. 10. & 11.

(f) Maff. l. 4. in fin.

*templo deserta: inde Albuquercius directis in frontem eu urbe tormentis nequaquam exterritus, descensione facta multis simul partibus oppidum oppugnat, neque ita magno certamine, superati munisionibus, cum intra mœnia sese Mahometani reciperent, permixti fugiensibus Lusitani pariser irruunt, & omnibus viis armatos junta & inermes cadunt. Atron maxime prælium ad arcem fuit, dum fideles aliquot en Idalcanis familia regias ædes pertinaci tuentur pugna: sed iis demum in vestigio trucidatis, turpem in fugam cæteri omnes effusi, alii en muris pavidi sese præcipitant, alii ad aquas compulsi vel obtruncantur in littore vel degravantibus loricis vulneribusque merguntur, maxima pars per agros insula tota dispersi. Ita Albuquercius incredibili felicitate rursus urbe positur* VII. *kal. decembris, quo die D. Catharinæ sacra natalitia celebrantur. Finito jam prælio, cum tribus peditum millibus Timoia [erat is dynasta barbarus fœderatus] supervenit serius omnino, si rem confectam spectes: cæterum ipsius victoriæ celeritas (non plus sex horis pugnatum est) socium ab omni vel negligentiæ vel perfidiæ crimine vindicavit: quod equidem divinitus crediderim factum, ne scilicet e Christiana victoria, & singulari Dei beneficio parta, quidquam Ethnicus homo sibi decerperet. Dimissi dein circum insulam equites ad Mahometanos e latebris eruendos, magnam denuo stragem dedere. Ita variis cladibus absumpta septem circiter hostium millia, e Lusitanis, quod credi vix possis, desiderati non amplius quadraginta.*

Mahometanorum cædes facta.

Septem millia barb. trucidata.

XXXVI. *Post hæc Albuquercius ad firmandum Emmanuelis nomine imperium toto pectore incubuit, ac primum defectionis authoribus exilio & bonorum proscriptione damnatis, perfidæ civitati ex ipsamet Idalcanis formula vectigal indixit: dein ad sobolem in usum militiæ propagandam sacro fonte expiatas Indicas puellas cum Lusitanis in matrimonio collocabat, fovebatque omni genere charitatis. Tum adversus imminentis belli pericula refecti celeriter muri turresque, & arx ipsa novis propugnaculis aucta. In id opus, dum idolorum fana & sepulchra ethnicorum, & alia ædificia diruuntur, in domus cujusdam parietinis aneum crucis pendente Christo simulachrum apparuit, evidenti plane argumento, in iis olim regionibus non modo Christianam fidem, sed cum ea salutarem quoque usum imaginum [quem recentes isti scilicet pietatis antiquæ assertores, ac divinæ voluntatis interpretes funditus exstirpare conantur] ex apostolica traditione viguisse: magnum vero Albuquercius & boni omnes inde gaudium percepere, præsagientibus animis, eam urbem ecclesiamque principem Indicæ religionis aliquando futuram. Itaque signum illico purgatum, nec sine lachrymis & cum solemni pompa & apparatu pro ea, quæ tum suppetebat copia extructo nuper Christianorum templo illatum a sacerdotibus, atque ad Emmanuelem deinde salium rerum plus multo, quam auri gemmarumque sitientem muneris amplissimi loco transmissum est.* Magno illi de Christi e cruce pendentis inventa effigie argumento addit aliud Joannes Barrosius (*a*), nempe inventum publicum monumentum cujusdam donationis ab Rege Mantrasar Bisnagæ Regis fiduciario factæ ad alendos sacerdotes, quæ in judicium prolata est anno MDXXXII. atque annis centum & quadraginta uno ante incisa metallo fuerat: ex qua fidem Christianam in Goensi agro floruisse constabat, siquidem ab his verbis ducebat exordium: *In nomine Dei creatoris trium orbium cæli, terræ, lunæ, & syderum, quem nos adoramus, ad ejus similitudinem facti sumus, ille est, qui nos sustentat, ille plures gratias elargitur, in eum credo, qui amore sui populi voluit in hoc mundo carnem humanam induere, &c.* Propagatam autem fidem in iis oris non modo a S. Thoma Apostolo, de quo solo Indicar. rerum scriptores meminere, verum postea a Prædicatoribus & Minoritis legatis ad gentes a Romanis Pontificibus, eosque per Indiam & alia vasta Tartarorum regna evangelium disseminasse ante funesta schismatis tempora, vidimus. Pergit Maffeus: *Neque huic tantum signo acceptam eam victoriam Lusitani ferebant, quod ejus ope quodammodo introducti in urbem fuisse viderentur, sed etiam D. Jacobi Apostoli Hispaniarum præsidis evidenti auxilio, quod amissa iterum Goa barbari sine fine requirerent, quisnam esset egregius ille dux punicea cruce, & fulgentibus armis insignis, qui tantam edidisset stragem, & Mahometanas phalanges Christianorum paucitati cedere coegisset. Neque Albuquercius cælestis promeriti immemorem sese ostendit; siquidem pietatis causa inclusum vermiculati operis auro scipionem cum capulo ex pyropis & margaritis, & bombycinum petasum addito aureo gemmatoque conchilio, itemque pertusos in linea globos aureos [ea peregrinantis olim Apostoli insignia sunt] in palmulano Jacobeæ militiæ contubernio (qui locus Olysipponensis agri notissimus est) poni jussit, ac deinde moriens Compostellano ejusdem Apostoli templo terræ Gallaicæ pensilem ingentis formæ Lychnuchum argenteum cum perpetui luminis alimento legavit.* Hæc Maffeus.

Albuquerquii pulcherrimum consilium.

Christi ænea imago reperta in pariete.

(*a*) *Barros. dec. 2. l. 5. c. 1.*

Aliud argumentum evidens quod olim religio Goæ viguerit.

Divino auxilio parta victoria.

Sub-

XXXVII. (a) Id. ib. Missi sacerdotes ad Congense regnum.

Subdit (a) author eodem ferme tempore missos e Lusitania evangelicos præcones ad fidem in regno Congi amplificandam, necnon artifices ad templa divino Numini ponenda: *Circa*, inquit, *id tempus, quo hæc in India gesta sunt, Emmanuel duodecim fratres cæruleos, ut appellant, e Lusitania in Congum una cum architectis & fabris, & splendido sacrorum apparatu, & liberali viatico destinavit, ut novum templum vero Deo extruerent ornarentque, & erudiendis porro ad pietatem incolis, & augendæ per baptismum Ecclesiæ sedulo insisterent. Princeps ejus legationis ex eadem familia fuit Joannes Marianus insigni virtute ac pietate vir. Omnes ab Alfonso Rege sanctissimo [ illum antea Christo nomen dedisse vidimus ] per quam benigne & honorifice accepti, eodemque Rege vel in primis adjuvante per aliquot deinceps annos in catholica religione promovenda egregie operam posuere: cumque en facta divini verbi semente aliæ subinde atque aliæ segetes ad messem inalbescerent, supplementum in easdem regiones ab Emmanuele sæpius deinde submissum est.*

Amplificata in eo fides.

XXXVIII. Prussia & Livonia infestatæ a Moschis. (b) Nic. Bas. in append. Naucl. Trith. chron. Spanhei. Mutius l. 30. (c) Jodoc. a Ludov. Decius hoc ann. in Sigism. Valachi cæsi a Tartaris.

Ad septentrionem Prussia ac Livonia a Ruthenis & Tartaris variis irruptionibus infestatæ sunt: ad quos retundendos Theutonici equites a Pontifice obtinuere (b), ut indulgentiarum præmia Germanis proponerentur, qui vel sacra arma sumerent, vel stipem in belli sumptus erogarent. Irrupere etiam in Lituaniam Tattari, ac ad Vilnam infesta signa extulerunt; & antequam Christiani exercitum conflassent, ingentem hominum armentorumque multitudinem abduxere (c): cujus populationis successu elati in Valachiam erupere, miserandasque ei clades intulere: dum vero Valachi collectis raptim exiguis copiis imminerent, in trajectu amnis Tyræ Præcopensium Tartarorum Cæsaris filius cum aliquot barbarorum millibus, nec non pluribus captivis aquis mersus periit: initoque Tartaros inter & Valachos certamine, Valachi ob copiarum imbecillitatem partim cæsi, partim fugati sunt.

XXXIX. Actum de bello Turcico. (d) Id. ib.

Quod ad Polonicas res attinet; facta sunt Sigismundi novi Regis auspiciis nonnulla colloquia de expeditione communi Germanorum, Polonorum, Bohemorum, Hungarorumque apparatu conficienda in Bajazethem Turcarum Imperatorem tradit Jodocus(d): *Maximiliani*, inquit, *legatis apud Cracoviam præstolantibus die VI. januarii Jacobus Piso vir doctus a Julio II. Pontifice maximo ad Sigismundum legatus missus Cracoviam venit. Hujus legationis summa fuit; quod Romanus Pontifex totius ferme Europæ principes ad pacem revocasset, ac ea arma, quæ jampridem in domesticam cladem sumpta essent, ad Christianæ reipublicæ hostem ferre statuisset: quare & Sigismundum per fidem adhortatus, ut domi consilio rebus pacatis copias Wladislao jungeret, atque ex Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæque regnis legionibus propriis in Thraciam bellum moverent.* Addit rei tam arduæ & ancipitis deliberationem ad cœtus Petrikovienses extractam, missumque regium administrum ad Wladislaum Hungariæ Regem, ad conferenda de Turcico bello consilia, ut Pontifici responderetur: interea mense martio prædicti Bajazethis oratorem accessisse Cracoviam, deque fœdere, quod cum parente & fratribus Poloniæ Regibus ictum fuerat, instaurando Sigismundum postulasse; atque ita cum postea Achilles de Grassis legatus pontificius ad Posnanienses conventus accessisset, omnique studio anniteretur, ut Poloni & Hungari crucesignata vexilla in Turcas attollerent, auditus non est: *Dum Rex*, inquit, *& senatus eam expeditionem nihil firmitatis habere censerent, non ex regni usu fore cum Turca negotium facere decretum est. Accessit ad hoc quod jampridem Turcarum Imperator Sarmatis juramentum transmiserat, contra jus gentium esse visum, si Poloni etiam ethnico principi fidem violarent. Sed hoc quoque ingens periculum fuisset Turcarum arma ab alienis bellis avocare, & in propria viscera convertere: ubi, si victoriam Deus favisset, omnium principum epistolis summe elegantergue congratulatum fuisset; sed & summi præsulis benedictio apostolica non defuisset [ hæc quondam Wladislao ante Warnensem pugnam acciderunt ] verum si armis res inferior fuisset, sero auxilia a Romano Pontifice quærenda, qui ea ætate totam Italiam bellis periculisque commiscebat; atque hinc forte supremum auxilium fore, si Sarmaticæ res deperditæ apud Romanos lugerentur. Hæc dum in senatu forte altius repetita fuere, Turcis fœdus servatum est; atque Achilles a Rege honoratus, donatusque in fine septembris Polonia excessit.* His aliisque verbis Poloni significarunt, nolle solos sese discrimini offerre; nec tamen rei Christianæ & religioni defuturos, si Pontifex aliique principes arma cum ipsis adversus communem hostem vertenda conjungerent, nec verbis sed ferro rem gererent.

Polonus cum Turca init pacem.

Quid legato pontificio responsum.

XL. Editum est hoc anno insigne prodigium in principatu Brandeburgensi, quo & Christi in Eucharistia præsentia, quam paucis post annis hæretici impie pernega-

gaturi erant, confirmata est, justaque ultio districta in Judæos, qui livore & odio vetere in Christum efferati, carnificinam in Eucharistiam exercuere, quare merito supplicio affecti sunt, ut hisce verbis narrat Trithemius (a): *Anno prænotato XIX. die mensis julii Joachim Brandeburgensis marchio omnes in principatu suo Judæos cepit, eu quibus triginta octo fecit comburi, & baptizatos duos capitibus truncari; propterea quod sacramentum dominici corporis a quodam perfido Christiano, qui cum eis fuit exustus pro novem grossis emissent, & crudeliter martyrizassent, puncturis sanguinem stillantibus: reliquos tamen ejusmodi criminis innoxios abire permisit.* Idem prodigium ac facinus suis instructum circumstantiis accuratissime describit Nicolaus Baselius (b); additque Judæos captos confessos esse, aliquot infantes Christianos ab ipsis Christi odio crudelissime laniatos fuisse; cujus verba repetenda visa sunt: *Anno prænotato die februarii sexta intempestæ noctis hora circiter vigiliam secundam homo quidam sacrilegus nomine Paulus Form, patria Pomeranus, & incola Pernangiensis sub ditione Joachimi marchionis Brandeburgensis principis electoris in villa, quæ vocatur Knobloch ecclesiam furtive introivit, atque cibarium perfringens capsellam, in qua venerabile sacramentum Eucharistiæ reconditum servabatur, deauratam cum hostiis & particulis duabus consecratis altera majori, altera minori furatus est. Sequenti autem die furti pretium existimans monstratile cum particula una Judæo cuidam emendum obtulit, nam antea particulam alteram indignus furcifer deglutiverat: Judæus vero capsellam sive monstratile considerans: Majus, ait, & multo esset charius quod his inclusum fuit vasculis, quod si portasses digno pretio redemissem. At sacrilegus ille excæcatus malitia de sinu alteram extrahens hostiam Judæo appretiandam tradidit. Verum Judæos appenso vili pretio novem grossis, quorum triginta duo florenum Rhenensem faciunt, Domini & salvatoris nostri corpus sub sacramentalibus speciebus velatum ab iniquo venditore amit. Utcumque actum sit, mordet reum scelus commissum, timetque semper sæva & perturbata conscientia. Fugit mercator iniquissimus ad Wendos, ubi fama prævolante factum omnibus innotuit. Reversus tandem ad propria sacrilegus captus atque in torturam positus crimen confitetur, ac rei gestæ ordinem recitat. Judæus vero, qui dominicum corpus emerat, ad nudam superpositum mensam pugione sæpius vibrato transforare tentabat: sed Deo volente inter tot punctiones hostia permansit integra: quod videns malitia excæcatus Judæus in furiam actus dixit: Si tu es Christianorum Deus, manifesta te in nomine dæmoniorum; quo dicto citius in tres scissa partes particula sanguineo per circumferentiam immaduit rubore. Exterritus Judæus particulas panno involutas per mensis spatium apud se tenuit, ac deinde duobus aliis in Brandenburg & Stendel morantibus singulas particulas transmisit, tertiam vero apud se retinuit, quam secundo pugione mensæ superpositam transfixit, adeo ut sanguinis guttulæ visibiliter defluerent. Consternatus animo Judæus, quippe qui factum prodi miraculo timebat, particulam absumere tentabat, sed non potuit: dein in aquam projecit, sed enatare cœpit: tertio in ignem projecta semper integra & illæsa permansit.*

(a) *Trith. in chron. Spanher.*

Eucharistia transfossa a Judæis.

Sanguinem fundit.

(b) *Nic. Bas. in append. ad Naucl. Laur. Surius in addit. ad chron. Naucl. Tilman. Bredembach. coll. l. 1. c. 31.*

Eucharistia Judæo vendita.

Hostia divinitus integra manet licet pugione percussa.

Dein sanguine manat.

Illæsa in aqua & igne.

XLI. *Postremo appropinquante solemnitate paschali subcineritios & azymos panes Judæus coxit, quibus particulam commiscens formata in modum azymi panis massula in furnum projecit; quæ tamen e furno alioquin subobscuro & tenebroso, sed jam tunc luminoso in Judæi faciem prosilit, unde perterritus Hæbræus massam cum particula alteri cuidam Hæbræo transmisit: in carcere autem venditore detento; cum res ageretur in propatulo, jussit marchio detineri omnes Judæos per marchiam commorantes, apudque Ursulum, hoc est Berlin, vinculis mancipari: ad torturam vero expositi confessi sunt post plurima scelera intra pauculos admodum annos septem Christianorum infantulos acubus & puncturis occidisse. Igitur decimanona die mensis julii productis in medium perfidissimis Judæis numero triginta octo, demptis duobus principalioribus, atque relectis publicis eorundem confessatis, lata in eos sententia igne sunt concremati, duobus illis ductoribus in supremo loco incendii positis. Fuere & alii tres, qui baptismi sacramentum receperunt, quorum duo sequenti die capitibus truncatis mortis debitum exolverunt: tertius vero multorum precibus vitæ donatus monasterium fratrum Minorum apud Ursulum intravit. Traditor autem ille Paulus post corporis dilaniationem ferramentis ignitis, rogo seorsum impositus justa scabinorum sententiam in cinerem est resolutus. Proscripti fuere tum omnes & expulsi per marchiam Judæi cum omnibus bonis, & ne unquam redirent sub mortis interminatione interdicti.*

Et in fornace.

Septem infantuli Christiani acubus laniati a Judæis.

Judæi Marchia Brandeb. pulsi.

Ineun-

I. INeunte anno humanæ salutis millesimo quingentesimo undecimo decima quarta indictione, Maximilianus Romanorum Rex, quem nonnulli scriptores accusant pontificatum conjungere imperio meditatum, transfugarum aliquot Cardinalium, Gallorumque consilia secutus conflando novo schismati occasionem præbuit, iratus quod Pontifex optime meritam de ecclesia & Christiana religione Venetam rempublicam adversus Reges in ejus excidium conjuratos tueretur; nec vectigales illius urbes in provinciam Germanicam redigendas curaret. Factiosorum itaque impulsus consiliis finxit his de causis (a) ad creandos oratores pro conciliabulo in Julium II. provehendo permotum fuisse: *Conspicientes immensas calamitates, quas universa respublica Christiana & ipsa nostra sancta mater ecclesia ubique patitur, ex quo & decrementum orthodoxæ fidei, & incrementum omnium malorum subsequitur, & in dies major confusio in omnibus rebus, ac bella intestina inter Christianos oriuntur, & effusio sanguinis Christiani: ad quæ cum non videamus aliud remedium, quam quod juxta sanctorum patrum instituta concilium & congregatio universalis fierent, ut ibidem communi concilio possit omnibus commode provideri: expectantes igitur dictum concilium debere indici & convocari per beatitudinem Pontificis, & reverendissimorum dominorum S. R. E. Cardinalium, ac alios prælatos juxta ordinationem concilii Constantiensis, & votum ac debitum eorundem, cessantibus ipsis, ne & nos ab omnipotenti Deo negligentiæ redarguamur, nolumus nos cessare; cum illis negligentibus nos tanquam Imperator & ejusdem sanctæ matris Ecclesiæ advocatus & protector, & quantum in nobis est, subvenire his tantis necessitatibus teneamur.*

Maximiliani lit. pro celebrando in Julium II. conciliabulo.

(a) *Ext. apud acta conciliab. Pisan. p.* 22.

At hæc jactari patebat frustra, cum ipse a Pontifice de inferendo Turcis bello, restituendaque Græciæ religione, necnon concilio ea de causa convocando legatis literisque extimulatus in iis omnibus segniter se gessisset: concitato autem Italico bello, urbes quas in potestatem suam redigere conabatur strenue a Venetis defendi graviter molesteque ferebat; ac si qua illum Constantiensis concilii sancita asserendi pietas tetigisset, illam tot jam ante annis debuisset expromere. Nec minus inanis erat fucus, quo subdidit se opis ferendæ Ecclesiæ desiderio teneri, cum factiosi cœtus perniciem, non opem, allaturi dignoscerentur. Adjecit etiam decerni oratores, qui a Pontifice & Cardinalibus poscerent, ut concilium indiceretur. At ii suo apud Pontificem munere, uti par erat, perfuncti non sunt, sed apud transfugas, & paucos numero & schismatis crimine suspectos de conciliabulo cogendo egere. Consignatum est cæsareum diploma hac temporis nota. *Datum in oppido nostro Triburgi die* xxv. *mensis januarii anno Domini MDXI. regnorum nostrorum Romanorum* xxv. *Hungariæ vero* xxi.

Quæsiti ab eo inanes fuci.

II. Pari modo xv. februarii die concinnatum est Ludovici Francorum Regis edictum (b), quo decretum Constantiense de frequenti conciliorum celebratione non servatum questus objecit acerbe Julio, violatam ab eo nuncupati in conclavi de colligendo excurrente biennio concilio jurisiurandi religionem; offendi ejus criminibus fideles: ecclesiæ componendæ spem nullam affulgere: tum disceptavit ex Basileensium schismaticorum placitis ad Pontificem concilii congregandi jus non spectare; maxime cum Cardinalium senatus voluntatibus ab eo dissideret: nec pontificio affixi lateri liberi existimarentur, vel concilio celebrando operam daturi. Denique falso conclusit gerendum morem iis Cardinalibus, qui Mediolanum transfugerant, solemnesque episcoporum conventus celebrari expetebant. Tanta assentatorum regias aures obsidentium vis fuit, ut præstigiatorum instar, gravissima quæque flagitia veluti virtutes illi objecerint Ludovicum tamen Regem ingenue fassum ajunt hanc dolo tragœdiam a se excitatam, ut Pontifici infenso negotium facesseret.

Jusjurandum inique violatum objicitur Julio II.

(b) *Ext. in actis conciliab. Pis. pag.* 24.

Disceptat non spectare ad Pont. jus congregandi Concilium.

III. Delusi suis cupiditatibus Bernardinus episcopus Sabinensis, Guillelmus episcopus Prænestinus, & Franciscus tit. SS. Nerei & Achillei Cardinales Maximiliani Cæsaris & Ludovici Gallorum Regis, cui Scotus Navarrus addicti erant, fulti studiis xvi. die maii indicendi concilii non ad sedandos Ecclesiæ motus, sed novos excitandos authoritatem sibi arrogarunt; utque temerarios ausus colorarent, conceptas in conclavi a Julio & Cardinalibus pactiones (c) evulgarunt. At ex iis minime probabant congregandi concilii authoritatem ad ipsos pertinere. Pactionum illarum hæc princeps est: *Vovebit*, nimirum novus Pontifex, *intra biennium a creatione sua illud*, nempe concilium, *indicere, & cum effectu incipere in loco* li-

Non tumultus pacare, sed novos movere ausi.

(c) *Ext. in actis conciliab. Pis.*

*libero & tuto, determinando per eum & duas partes reverendissimorum dominorum Cardinalium per calculas, nisi evidentissimum impedimentum obstiterit, quod a duabus partibus dominorum Cardinalium per suffragia judicetur*. Addidere nuncupati a Julio tenuntiato Pontifice sacramenti formulam: *Juro observare, adimplere in omnibus & per omnia pure & simpliciter & bona fide, realiter & cum effectu perjurii & anathematis, a quibus nec me ipsum absolvam, nec absolutionem alicui committam*. Huic conjunxere aliud ante electionem ab ipso & aliis conceptum jusiurandum: *Si forsan quod absit aliquis nostrum ad pontificatum electus, ut præfertur, prædictis aut prædictorum alicui contravenias, tanquam transgressor voti ac fidei præstitæ, ac perjurus, tanquam etiam perturbator & scandalizator Ecclesiæ & totius Christianitatis habeatur & reputetur; & en nunc dat & concedit facultatem & potestatem duabus partibus collegii congregandi concilium generale*. Hæc porro conventa & alia similia, quibus humana fraude pontificia authoritas labefactatur, iniqua & irrita esse ex sanctione (*a*) Innocentii VI. demonstratum est; quandoquidem potestas Petro & successoribus a Christo concessa nullis Cardinalium in conclavi congregatorum artibus infringi abrogarive potest; nec petita de ambiguis pontificibus exempla ad non ambiguos detorqueri posse jam ante ostensum est. Carvajalius itaque ac socii ad alios dolos confugerunt.

Sumptus prætextus.

Sacramentum inique conceptum.

(*a*) *Tom. 16. ann. 1353. n. 30.*

IV. Præetexuere decretum concilii Constantiensis de synodo œcumenica cujuslibet decennii flexu cogenda non servatum a Julio; cumque in ea de gravibus Ecclesiæ offensionibus ab ipso invectis agendum foret, concilii convocandi jus ad eum non spectare, sed ad Cardinalium senatum, ipso vero jam diviso non pertinere ad eos, qui Julio adhærescerent, quia vel culpæ illius consentirent, vel libertate agendi carerent: quorum sophismatum falsitas satis patebat; nam si Constantiense decretum obsoleverat, utpote non servatum a superioribus Pontificibus, Julium non constrinxit, cum insequentia tempora demonstrassent ex frequentibus conciliis graviora incommoda emergere, cum ad ea pauci tantum episcopi confluerent, & factiosis novandi occasio præberetur. Falsum etiam Pontificem non ambiguum concessa a Christo indicendi concilii authoritate exutum, nec si ea ad Cardinales devoluta esset, eam potius ad paucos factiosos & calumniatores spectare, quam ad reliquos patres numero ac probitate præstantiores, cum quibus universa ferme ecclesia sentiebat: præterquam quod si concilium ab iis indici oportuisset, debuisset id majori moderatione fieri, monitis prius solemni ritu Pontifice, Cardinalibus, episcopis, ac principibus, ut celebrando concilio non deessent: principes etiam & præsules adhortari debuissent, ut Pontificem ad id excitarent: tum cæsareos Gallicosque oratores ad eundem mittere, ut concilium indiceret: sed inanibus argutiis delusi perditam rem finxerunt pontificiamque in indicendo concilio authoritatem, ad primum occupantem spectaturam, ut ipsi fassi sunt in literis (*b*) ad Cardinalem factionis antea participem, qui eorum præcipitem in indicendo concilio temeritatem damnabat: *Cum esset*, inquiunt, *in mora periculum, postquam venerunt isti commissarii & procuratores Cæsarei & Regis Christianissimi ad requirendum nos de concilio, intelligentes sanctissimi domini nostri comminationes & fulminationes de citationibus & creationibus*, & infra: *fecimus diligenter convocationem concilii, ut sanctissimum dominum nostrum jurisdictione præveniremus*. Turbulentus porro infandusque is erat error, quem nemo tolerare possit, ut judiciaria potestas ad subditum prævenientem edicti cujuspiam promulgatione suum principem, devoluta censeatur. Irrisere igitur tantam audaciam probi quique, quam etiam damnarunt nonnulli Cardinales, qui antea ipsos de provehendæ synodalis rei studio commendarant, cum majori prudentia & maturitate tantam rem illos suscepturos arbitrarentur. Concepta autem iniquissimi edicti formula (*c*) his verbis fuit, qua hypocrisim religionis involucro tegere nisi sunt.

Inanes eorum argutiæ pro schismate conflando.

Cur decretum Constantiense obsoleverit episcoporum vitio.

(*b*) *Ext. in append. act. concil. Pis. pag. 166.*

Figmentum quod subditus prævenire possit principis jurisdictionem.

Damnantur a probis percupidis Concilii.

(*c*) *Ext. ibid. pag. 43.*

V. *Tenore præsentis schedulæ seu instrumenti cunctis pateat evidenter & sit notum, quod anno a nativitate Domini* MDXI. *indictione* XIV. *die vero veneris* XVI. *mensis maii pontificatus sanctissimi domini nostri domini Julii divina providentia Papæ II. anno* VIII. *constituti coram nobis notariis publicis & testibus infrascriptis, nobiles viri domini comes Hieronymus Nogarolus, Antonius de capitibus Vaccæ, & Ludovicus Faella, omnes equites sacratissimi ac serenissimi domini Maximiliani Romanorum electi Imperatoris semper Augusti procuratores, nec non spectabiles jurisconsulti domini Joannes Biragus, Franciscus de Vaccis, & Balthasar Platus Christianissimi & serenissimi domini Ludovici Francorum Regis & ducis Mediolani similiter procuratores, & procuratoriis nominibus ad infrascripta sufficienti mandato suorum principalium muniti, proposuerunt & dixerunt sequentia verba; videlicet*

Quæsiti a Cæsare & Gallo fuci pro schismate conflando.

*licet, quod cum Imperatores Romani & Francorum Reges fuerint semper fautores constantissimi Christianæ fidei & sanctæ Romanæ ecclesiæ, & propugnatores indefessi ac defensores acerrimi contra omnia catholicæ fidei & ecclesiæ Romanæ obstacula ac scandala, nullis laboribus, nullisque periculis in illarum extirpatione parcentes, & sacratissimi moderni Romanorum Imperator & Francorum Rex supranominati domini nobis observandissimi officii sui prædicti non immemores, sed majorum suorum inhærendo vestigiis, & considerantes quantam reipublicæ Christianæ utilitatem generalia concilia universali Ecclesiæ attulerint, quantumque detrimenti ex eorum intermissione Christiana respublica sit passa, quamque in præsentiarum clare conspiciant, magnam instare necessitatem universalis concilii congregandi pro vera pace Christianorum fundanda, & sufficienti bello contra infideles stabiliendo, & pro extirpatione hæresum & errorum in diversis mundi partibus superiorum negligentia pullulantium & similiter schismatum ac divisionum, nec non potissime pro reformatione morum universalis Ecclesiæ in capite & in membris plurimum collapsorum, ac emendatione criminum gravissimorum, notoriorum, continuorum, aut incorrigibilium universalem Ecclesiam scandalizantium; quorum omnium ecclesiæ morborum salutaris & unica medicina congregatio universalis concilii semper est habita; cumque tempus decennii post ultimum universale concilium jam dudum sit effluxum & saluberrima decretali constitutione universalis Ecclesiæ irrevocabili ac irrevocata in sacratissimo Constantiensi concilio edita, quæ incipit :* Frequens; *singulis decenniis universale concilium congregari debeat; & summus Romanus Pontifex modernus, cui primo curæ esse deberet illud convocandi, tanto tempore hoc neglexerit; maxime cum juraverit & voverit post biennium a creatione sua illud tenere debere & nedum negligens in præcepto Ecclesiæ & concilii, sed & voti & juramenti hujusmodi transgressor, illud non tenuerit, tempusque interpellet pro homine, cum nunquam sua authoritate aut voluntate futurum concilium credatur celebrandum, cumque de gravibus Ecclesiæ scandalis in capite agendum sit, quo casu juxta Patrum sanctiones & ipsius sacri Constantiensis concilii decreta ad summum Pontificem concilii convocatio non attineat, & reverendissimi domini sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales ad quos secundo loco in similibus casibus convocatio concilii spectaret divisi videantur, & hi, qui cum summo Pontifice moram trahunt, vel quia vere non sunt liberi, aut forsan ex negligentia, vel alia ex causa non existimentur convocationi hujusmodi pro nunc velle assistere seu assentire, pluresque reverendissimi domini Cardinales, qui a curia Romana legitimis ex causis sunt absentes, & aliqui eorum in Lombardia congregati hujusmodi convocationem concilii pro superioribus causis sicuti zelatores domus Dei cordialiter efflagitent, & enixe deposcant quod etiam a nobis procuratoribus instanter requisiti convocaverunt & indixerunt : pro debito ergo, quo principes nostri supradicti Christo domino creatori & redemptori tenentur & splendori sanctissimæ sponsæ suæ Romanæ & universalis Ecclesiæ, ac paci & incremento fidei obligantur, eorum authoritate & mandato, & de eorum certa scientia & spontanea voluntate, quantum jure melius possumus & debemus, nomine supradictorum dominorum concilium generale universalis Ecclesiæ indicimus & convocamus & quantum in nobis est effectualiter congregari monemus & hortamur futurum in civitate Pisana ad kal. septembris proxime futuri inibi inchoandum, continuandum, ac terminandum usque ad definitionem superiorum causarum, nisi de consensu majoris partis congregandorum in concilio alia legitima causa ad alium locum commodiorem transferendum sit.*

Cumulata speciosa mendacia.

Impudentissimus error.

Schismaticorum hypocrisis.

VI. *Quapropter cum omni reverentia & humilitate ac instantia sanctissimum dominum nostrum Julium Papam nomine, quo supra, supplicamus, & per viscera misericordiæ Dei nostri requirimus, ut huic vocationi concilii pro dictis causis assentire dignetur, & illud personaliter vel per legatos suos honorare & confirmare. Similiter & reverendissimi domini S. R. E. Cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, Reges, & principes, & potentatus, necnon alios ecclesiæ prælatos, communitates, & universitates studiorum generalium, collegia, ac religionum generales & magistros, & in conciliis generalibus authoritatem definiendi aut consulendi habentes, & ad concilium de jure venire solitos & obligatos convocamus, & requirimus, ut per se vel per solemnes oratores vel procuratores, si commode personaliter interesse non poterunt, ad concilium ipsum loco & tempore, quibus supra, accedere dignentur, procuraturi, quantum in eis erit ut concilium sit liberum, tutum, & securum, & in eo juxta formam Constantiensis synodi procedatur ad honorem Dei & Ecclesiæ splendorem, pacem Christianorum, & expugnationem infidelium : quod observandissimi ipsi nostri principes, & domini nobis metuendissimi pro viribus suis offerunt*

Inanes eorum pieces ne creentur novi Cardd.

*Deo & Ecclesiæ se effectualiter procuraturos & facturos, necnon eorum nomine & authoritate sanctissimi domini nostri & reverendissimorum dominorum Cardinalium juxta formam aliorum conciliorum, hortamur & requirimus, ut a quatuor causis, quæ maxime possent hujusmodi sanctam congregationem impedire, abstinere etiam dignentur, videlicet a creatione novorum Cardinalium, a publicatione creatorum [ si qui forsan sunt ] & processu contra antiquos Cardinales aliosque prælatos & personas ad concilium ipsum accedere volentes, & illi, prout decet, consentientes, necnon ab impediendo hujusmodi convocationem concilii directe vel indirecte, publice vel occulte quovis quæsito colore, & ab alienatione feudorum seu terrarum sanctæ Romanæ ecclesiæ. In quibus omnibus causis protestantur domini nobis observandissimi principales de nullitate actus, nisi a sanctissimo domino nostro in dicto consilio hujusmodi fierent, & aliter facta vel facienda irrita haberi ac per concilium ipsum annullari & cassari debere protestantur & requirunt. Et quia tutum non esset nobis procuratoribus dictam convocationem concilii & protestationem in præsentia sanctissimi domini nostri facere, qui sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales fratres suos & Ecclesiæ universalis principes carceribus aliquando mancipandos minari fecit, oratoresque principum contra jus gentium detineri, prout notorium est, & pro notorio allegatur; ideo decrevimus per affixionem hujusmodi schedulæ sive instrumenti convocationis, monitionis, seu protestationis hujusmodi in valvis ecclesiarum Mutinensis, Rhegiensis, & Parmensis, ex quibus verisimiliter ad notitiam sanctitatis suæ, & reverendissimorum dominorum Cardinalium ac principum Christianorum, & aliorum prælatorum venire poterit: quam vim publici edicti habere petimus & principales domini nobis observandissimi habere decreverunt, & voluerunt perinde arctare ad veniendum ad concilium supra requisitos & monitos, ac si personaliter illis fuisset intimata, vel exhibita ipsa convocatio, monitio, & protestatio; cum non sit verisimile ipsis fore incognitum, vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur.* Et infra:

Locus conciliabuli & tempus designata.

*Alioquin dictis kal. septembris advenientibus, & etiam elapsis, in dicta civitate Pisana vel alio loco in quo, ut præfertur, de consensu majoris partis congregandorum transferri contigerit ad celebrationem & perfectionem dicti generalis concilii gradatim & successive procedemus, & procedetur una cum illis reverendissimis dominis Cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac dominis, aliisque ut supra citandis, qui nobiscum in dicto generali concilio convenerint juxta statuta & decreta in dicto concilio Constantiensi, aliorum sic, ut supra requirendorum & citandorum absentia, seu negligentia, aut contumacia in aliquo non obstante, eisque propter hoc ulterius non citatis vel monitis.* Et infra: *Nomina autem reverendissimorum dominorum Cardinalium, a quibus, & quorum mandato hujusmodi convocatio facta fuit, sequuntur.*

*Bernardinus episcopus Sabinensis Cardinalis S. Crucis.*

*Guillelmus episcopus Prænestinus Cardinalis Narbonensis.*

*Philippus episcopus Tusculanus Cardinalis Cænomanensis.*

*Franciscus tit. SS. Nerei & Achillei Cusentinus.*

*Hadrianus tit. S. Chrisogoni de Corneto.*

*Renatus tit. S. Sabinæ Bajocensis.*

*Carolus tit. S. Viti in Macello de Finario presbyteri Cardinales; necnon*

*Fredericus S. Angeli de S. Severino, ac*

*Hippolytus S. Luciæ in Silice Estensis S. R. E. diaconi Cardinales.*

VII. Adjecta falsa subscriptio aliquorum Cardinalium.

Puduit Romanorum Regem nefarii hujus edicti, & culpam, quam in factiosis Cardinalibus rogandis de indicendo concilio admiserat, postea agnovit, suaque gesta damnavit, ut suo loco dicetur. Improbarunt etiam dementissimam illorum temeritatem aliqui Cardinales, quorum nomina in suo edicto paulo ante a nobis allato falso ascripta fuerunt; quos statim atque Arimini, ubi agebat Pontifex, affixum est, falsitatis coarguisse publicis tabulis, refert Paris de Grassis (a).

(a) Paris to. 2. p. 680.

*Indictio conciliabuli inanis & ridiculi Pisani.*

Conciliabuli Pisani indictio.

*Die mercurii* XXVIII. *maii affixæ repertæ sunt in valvis ecclesiæ S. Francisci, apud quos Papa habitabat, cedulæ duæ citationis contra Pontificem pro concilio generali tenendo in civitate Pisarum in proximo sequenti primo die mensis septembris: & licet ad notitiam quasi totius curiæ jampridem venisset publicatio hujus citationis, non tamen forma illius nota; quoniam multi ut in similibus fit, multa & diversa loquebantur, ejus autem continentia hæc est, videlicet tres Cardinales, videlicet sanctæ crucis, qui est episcopus Sabinensis, & Narbonensis qui episcopus Prænestinus, Cusentinus tit. SS. Nerei & Achillei nomine sex aliorum Cardinalium absentium, quorum dicebantur in citatione haberi mandata, videlicet Macloviensis qui Tusculani & Bajocensis & Hadriani, nec non de Finario, & Estensis ac Sanseverinatis, qui sunt novem in totum. Dicunt*

*se*

*se repræsentare totum collegium ; cum Cardinales, qui sunt apud Papam unum corpus eum Papa faciant, & cum in Constantiensi concilio jamdiu ordinatum fuit, ut singulis quibusque decenniis teneri deberet per Papam & Cardinales, ac alios principes sæculares concilium, in quo ea, quæ interea disordinata fuissent reformarentur, & hujusmodi ordinatio servari non poterit annis intermediis, propter varias causas ; propterea cum in præsentiarum multæ sint causæ urgentes & incorrigibiles, quibus omnino succurrendum est, ideo ipsi Cardinales hortantur & rogant sanctissimum dominum nostrum Julium Pontificem, ut non impedire velit immo tenere velit dictum concilium in tempore & loco prædictis, aut alibi ubi congregandis placebit. Rogant etiam ut de cætero Cardinales nullos creare, neque non publicatos amplius publicare, nec concilium impedire, nec antiquos Cardinales, & eorum prælatos sequaces quoad privationem molestare, nec bona ecclesiæ Romanæ alienare velit, donec res concilii finita fuerit ; & hæc in una cedula continebantur. In alia vero tres procuratores nomine Cæsaris electi Romanorum Imperatoris, & tres alii nomine Regis Franciæ in omnibus idem istud faciebant & dicebant. Cæterum ex his Cardinalibus quos prædixi adhærentes esse trium illorum principalium, quorum nomine emanavit citatio seu monitio, nonnulli ad pontificem illico rescripserunt, se nullatenus consensisse illis tribus, quinimmo penitus dissensisse, cum ab ipsis fuerunt requisiti. Et quia demum intellexerunt se scriptos extitisse in ipsa citatione ad Pontificem miserunt nuntios & literas ac instrumenta super hujusmodi contradictione ; unde Pontifex falsitatem arbitratus, citationem hujusmodi non curare visus est : Cardinales autem ii fuerunt qui non consensere, videlicet Hadrianus, Cænomanensis, & Sanseverinas, insuper Cardinalis de Gonzaga Mantuanus etiam ad hunc actum ab ipsis tribus Cardinalibus, ut ad eos iret, vel saltem, ut cum illis esset, pro concilio contra Pontificem consentire non voluit, sed magis dissensit, & ad Pontificem illico, qui Ravennæ erat, se contulit die XXVII. maii.*

Negant plures Cardinales assensisse defectoribus.

VIII. Cum itaque ex iis unus quereretur suum nomen inscio & inconsulto se hujusmodi indictioni adjectum fuisse, respondere (a) Carvajalus, Cusentinus & Narbonensis : *Tres ex nobis sufficienter facere illum actum potuimus*. Ex quo vera pietate ductos non fuisse constat, cum falsa instrumenta ediderint adeo præcipiti impetu & perturbate, ut ne quidem socios monere potuerint, cum inordinatis cupiditatibus Gallorumque Regis imperio circumagerentur ut scripsere plures. Quantum vero operæ ac laboris consumpserint, ut indictum concilium convocarent, cum universi fideles eorum ausus detestarentur, & pauci tantum præsules Galli invitis etiam animis ad id cogerentur ex Renati Priæ Cardinalis factiosi literis (b) constat : is enim prima julii die Francorum Regem rogavit, ut præsules & Maclovienses Cardinalem regio imperio contineret, ne Lugduno dilaberentur, alioquin concilium ad nihilum recasurum ; iterumque vigesima septembris die admonuit (c) Pisanos cœtus futuros modicos & inanes, nisi regia ea in re potestate uteretur. Sed licet vim omnem adhibuerit, tamen ne quidem Ligures & Insubres, quibus imperitabat, cogere potuit. Porro Christi vicarius, ob compescenda furialia ausa fraudesque detegendas, medio julio ex sacri senatus suffragiis concilium Lateranense apostolica authoritate indixit hoc diplomate (d).

Impudens responsum schismaticorum.

(a) *Ext. ea lit. in append. act. Pis. conf. p.* 178.

(b) *Ext. in append. act. conc. Pis. p.* 165.

(c) *Ibid.* Indictio Lateranensis concilii.

(d) *Ext. in act. conc. Later. & in bull. const.* 27.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

IX. *Non sine gravi animi nostri molestia percepimus, quod quidam S. R. E. Cardinales qui nobiscum dum versus civitatem nostram Bononiensem pro recuperatione nonnullarum terrarum sanctæ Romanæ ecclesiæ etiam una cum nostra curia personaliter accederemus, pro recuperandis terris hujusmodi, venire simulaverant, & nostra licentia ab urbe recedentes Florentiam diverterunt, ibique se continuerunt etiam postquam nos eos per dilectum filium nostrum Franciscum tit. S. Clementis presbyterum Cardinalem tunc in minoribus constitutum episcopum Concordiensem datarium nostrum, ac per literas nostras ad nos tunc Bononiæ existentes vocari feceramus, licet se venturos obtulissent, nihilominus satore zizaniæ seminante, per quem morum subversio in clero & populo frequenter obrepit, tamquam membra insana sine causa legitima a suo capite recedentes, armis satellitibusque stipati, immo in seipsis armis assumptis & pro sacerdotalibus vestibus thoracem induti, & gladiis armati Papiam se contulerunt. Quo cum pervenissent stimulo conscientiæ, ut credimus, agitati per internuntios perque regiorum oratorum intercessiones reditum ad nos postularunt, & pro desertionis venia supplicarunt ; quam benigne obtulimus. Sed ipsi, qui nobis ex officio tamquam consultores assistere, neque sine licentia a nobis & nostra curia veluti corporis membra abesse debuissent, ausi tamen sunt os in cælum ac spiritum blasphemiæ, & cum Lucifero sedem ad Aquilonem ponere, altitudinem nubium transcendere, ut se similes*

Turpis trium Cardinalium fuga.

Illius mox pœnitere visi.

Pontificiam authoritatem sibi arrogant.

les

*les Altissimo constituant pontificalem authoritatem nostram sibi ipsis asceribere satagentes, convenientes ut locustæ acephali aggressi sunt sine Romani Pontificis authoritate œcumenicum, generale, atque universale concilium convocare, locum concilii & tempus indicere, & valvis ecclesiarum & aliis publicis locis per publica instrumenta, etiam falsa, indictionem hujusmodi affigere & publicare, eisdemque instrumentis falsis publice atque impudenter uti, quosdam S. R. E. Cardinales sui propositi socios in eorum prætenso edicto falso declarando: qui tamen publicis & privatis scripturis eorum propriis manibus scriptis se illis in hujusmodi proposito neque verbo, neque scripto numquam junxisse, seu quomodolibet consensisse protestati sunt, nosque ac venerabiles fratres nostros ejusdem S. R. E. Cardinales ac alios tunc expressos vocare & requirere, ut per nos vel alios ad huiusmodi eorum concilium accedere vellemus, non formidarunt, asserentes decennium post ultimum universale concilium, etiam contra constitutionem concilii Constantiensis, quæ incipit:* Frequens; *jamdudum effluxisse, & nos illud convocare neglexisse, maxime cum juravissemus & vovissemus, illud post biennium a creatione nostra tenere, tempusque pro homine interpellare neque credendum fore nostra authoritate & voluntate concilium futurum; & cum de gravibus criminibus notoriis durantibus universalem Ecclesiam scandalizantibus in capite agendum foret, ad summum Pontificem concilii congregationem non attinere, sed secundo loco ad Cardinales, qui Pontifici in negligentia non adhæserunt, convocationem concilii spectare.*

Eorundem objectio.

X. *Ac ut hujusmodi eorum convocationem & conventiculum honestare viderentur, eisque authoritatem adiicere, hoc idem fere per omnia per quosdam assertores procuratores charissimorum in Christo filiorum nostrorum Maximiliani Romanorum Imperatoris electi, & Ludovici Francorum Regis Christianissimi sub eisdem datis modo & forma, & similibus schedulis, præter tamen voluntatem & mentem dictorum principum ut rationabiliter credi debet fieri & publicari procuraverunt & ordinaverunt. Sed hæc ut falsa, ficta, commentitiaque sunt, & non ex zelo charitatis & religionis, sed odii fomite & inimicitiæ procedentia, ita omnibus principibus, nec non Christifidelibus cupimus nota fieri: quis enim tanti erroris particeps est, qui nos de negligentia erga convocationem concilii redarguere possit, cum nihil nobis per ultimos undecim annos quibus Cardinalatus officio functi sumus, magis cordi fuerit, quam celebrari videre generale concilium, & Romanæ ecclesiæ statum in melius reformari? Quid enim felicis recordationis Alexandro VI. Romano Pontifici prædecessori nostro magis nos odiosos fecit, nisi studium & cura generalis concilii celebrandi? Quid nos terra marique jactavit, cum nobis idem Alexander prædecessor esset infensus? Quid toties alpes transcendere transalpinas, Gallias peragrare per æstus, nives & glacies compulit? nisi quod nitebamur, ut a Romano Pontifice concilium indiceretur, convocaretur & celebraretur? nota recensemus principibus Christianis apertissima, immo illis ipsis, qui nos & fratrum nostrorum collegium criminantur, dudum plenecque comperta: quare si anteacta vitæ ratio apud prudentes de præsenti & futuro vitæ rationem facit, nulla subest ratio cur dicti Cardinales, qui a nobis recesserunt, desperent nos facturos quod tam longo tempore ardenter, & non sine vitæ discrimine fieri desideravimus & studuimus.*

Purgat se Julius.

Exponit labores quos susceperit ut celebraretur ab Alexandro.

Non desperare debuere non celebratum iri concilium.

XI. *Aperiant oculos cordis, & odii obstacula resecent, & cogitent qua voce, quibus oculis, qua facie promiserimus, ut dicunt in nostra ad pontificatum assumptione juraverimus & voverimus generale celebrare concilium; quoniam nostræ promissioni interfuerunt, certe palpabunt nos non sola voce, non simulate, sed in cordis simplici veritate id egisse, quod prædicant. Quod si ea, quæ diximus attendere nolunt, examinent & inspiciant omne studium in pontificatu nostro circa præmissa nonne omnes principes Christianos, qui ad obedientiam ex more præstandam miserunt oratores, admonuimus de celebrando generali concilio deque expeditione in perfidos Turcas conciliariter decernenda, assumenda, & prosequenda? Nonne primo pontificatus nostri biennio Christianos potentatus pacare studuimus, ut conciliatis animis concilium iniretur? Quid ultra facere debuimus aut potuimus ad restituendam Ecclesiæ pacem, quod omiserimus? Novit ipse Cardinalis, qui edicti seu indictionis hujusmodi & consentorum in ea se aurigam profitetur, & clavi moderatorem prædicat, quidnam a nobis habuerit in mandatis, cum ad Romanorum Imperatorem electum per universam Germaniam illum nostrum & sanctæ sedis Apostolicæ legatum misimus; communicet illa fratribus suis, qui cum illo sentire videntur, proferat monita in scriptis illi tradita, certo certius, & luce meridianæ clarius erit, hanc indictionis desperationem de celebrando a nobis concilio nedum levem & inanem, sed falsam, irrationabilem, impossibilemque fuisse: nulla nostra culpa neque sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium dilata est generalis concilii*

Ut Reges parto pontificatu solicitarit pro eo celebrando.

Eosdem ea de causa conciliare studuerit.

Data hæc ipsi Bernardino mandata.

Cur dilatum sit concilium.

*cilii indictio, convocatio, & celebratio. Distulit hæc infelicitas temporum, quæ sub eodem Alexandro prædecessore nostro vexare cœpit Italiam, & adhuc vexare non cessat, & instans necessitas recuperandi terras & jura ejusdem Romanæ ecclesiæ; nam propositum nostrum semper ad concilii celebrationem promptissimum atque insentissimum fuit. Quare spiritum diffidentiæ deponant, & ita hujusmodi calumniæ authores reversi ad cor mordere desinant pastorem & patrem animarum suarum: desinant etiam calumniari fratres suos ejusdem Romanæ ecclesiæ Cardinales. Quod si tam ardenter illis cordi est, se caput & authores generalis concilii constituere, quid ad hanc rem facto opus sit, prius discant: revolvant sanctorum patrum & Romanorum vitas pontificum, & antiquum morem indicendi, & convocandi, & celebrandi concilium: traditiones & leges super his editas a patribus inspiciant; videbunt hujusmodi concilia a solis Romanis Pontificibus esse indicta, & aliter indicta rata non fuisse. Quod vero attinet ad constitutionem concilii Constantiensis, quæ incipit:* Frequens hujusmodi; *ea ad octuaginta annos servata non fuit, & si servata fuisset, teste piæ memoriæ Eugenio Papa IV. etiam prædecessore nostro ac sacrorum canonum sanctionibus, ex causis prædictis eam licuit nobis transgredi; & quod fortius est, stante legitimo impedimento, de quo supra, eam locum non habere certo certius est: votum autem & juramentum, quod ex prædictis causis de jure nobis transgredi licuisset transgressi non sumus, quandoquidem legitimo impedimento detenti non potuimus observare; & quia votum & juramentum, quantum ad materiam attinet, in foro conscientiæ versantur, de æquitate canonica purgatio more semper admittitur, desinant nobis & fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negligentiam impingere, quæ ut præmittitur nulla fuit; & si qua fuisset, ipsis cum Alexandro prædecessore præfato & nobiscum manentibus multo magis imputari posset.*

Contestatur impactam sibi calumniam.

Provocat ad Sanctorum traditiones & morem Ecclesiæ.

Votum differri ex justis causis potuisse sed non transgredi.

XII. *Quod autem docentes juxta prophetiam linguas suas loqui mendacium, & contra divinum præceptum adversus principem populi sui maledicentes, confingunt in nos crimina, & ea quidem, & asserunt, durantia, gravissima, notoria, scandalizantiaque universalem Ecclesiam; dicuntque propterea negligentibus aliis S. R. E. Cardinalibus ad eos devolutam concilii congregandi facultatem; non miramur quoniam, teste Hieronymo, schismatici cum dubitant causas suas damnari, in contumelias prosiliunt. Dicant prædicti, nonne tantum Cardinales Dathan & Abiron, Acaciumque & Dioscorum repræsentantes, tenebrarum filii, nunquid summo Pontifici spectet & pertineat congregare concilium, etiam si de sua causa agatur? Legant ultra antiquos gesta Constantiensis concilii, in quibus se potissimum fundant, ut cum eis tanquam Judæi en propriis codicibus confundantur, reperient Joannem Papam XXIII. de cujus potissimum causa agebatur, concilium Constantiense hujusmodi indixisse. Cum ergo concilium prædictum congregare parati simus, satis constat dolosas eorum linguas loquutas fuisse mendacium. Sed si hæc omnia cessarent, stantibus impedimentis prædictis, in qua negligentia dici possunt, esse fratres nostri S. R. E. Cardinales hujusmodi non requisiti ad concilium congregandum; ita ut ad paucissimos Romano Pontifici eorum culpa ambitioneque infensos, schismaticos, ac extra domum Dei positos potuerit potestas universalis Ecclesiæ devolvi, immo potius ab eis usurpari? Adjiciamus ergo nunc hujusmodi potestatis abusum ostendere: trium mensium & quatuordecim dierum ab eis tempus in suo, ut volunt, edicto seu convocatione assignatum, & ad œcumenicum concilium congregandum hoc tam brevi temporis spatio poterit nationibus Christianis a Mediolano remotissimis legitime innotuisse? Potuerunt ne, si innotuisset, in termino diœcesanas & metropolitanas synodos convocare, celebrare, & perficere? Potuerunt ne, qui venturi decernerentur ad tantum iter necessaria conquisivisse? Poterunt principes accedere volentes populis suis subditis & status sui securitati bene consuluisse? Poterunt quos mittere decreverint procuratores aut oratores plene informatos mittere? vix cursor expeditus trium mensium & semi spatio ire & redire posset sine sarcinis, unde & quo ipsi graves viros & multa secum impedimenta trahentes, sine quibus venire non possunt, putant immo decernunt accedere posse & opportere: quare si nihil aliud indictionem concilii quam attentaverunt in tempore præfixo accedendi impossibilitas ipsa penitus enervat. Sed possibile fuerit ex aliqua ratione decretum, tamen præfixum concilii tempus, loci ratio indictionem ipsam nullam faciunt. Locus concilii commodus esse debet & tutus: quis ignorat, quod dolenter dicimus, urbem Pisas prope quatuordecim continuos annos obsessam diutissime fuisse, & ad eam desolationem bello redactam, ut rarissimæ domus integris parietibus in illa consistant, & fere nullæ sint, quæ contignationibus & solariis muniantur? Habitarentne ibi S. R. E. Cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, abbates, principes sæculares, vel oratores eorum, communitatum; item*

Opponit fictas ab his contumelias.

Dathan & Dioscorum eos imitari.

Angustum tempus ab iis pro concilio celebrando designatum.

Pisarum urbs non accommoda ad illud demonstratur.

nun-

*nuntii? habitarentne doctores celeberrimi tam divini juris, quam humani ruinosas domos civitatemque penitus desolatam pro celebrando œcumenico concilio? Nunquam talibus in locis scriptum est concilium generale fuisse celebratum. Revolvantur omnes conciliorum œcumenicorum historiæ, apparebit patribus nostris sanctis sane & prudentibus viris pro celebrando concilio ante omnia cordi fuisse eligere civitatem amplam ædificiis accommodatam, salubris aeris, fertilis soli, convehendis commeatibus facilem; quæ omnia si Pisis adesse quispiam affirmaverit, ruinæ civitatibus, ædificiorum rudera, villarum & vinearum eversiones redarguent sic dicentem. Hæc tametsi Pisis essent integra, ut non sunt, nec affirmari possunt sine impudentia, quomodo est ad Pisas tutus accessus, vel in ea mansio; cum omnis Tuscia arma tractet, & nos pro pastorali, quod gerimus officio, nil magis premat, quam Florentinos & Senenses, inter quos fremit bellum, ne se armis invicem impetant, continere? Fidem de re hac facere possunt plerique Christiani principes a nobis sæpius & instantius requisiti suam per literas & nuntios authoritatem & gratiam interponere, ut, si inter se ii populi pacem habere noluerint, per inducias saltem ab armis abstineant.*

Belli inter Florentinos & Senenses incommoda objecta.

XIII. *Igitur cum ex præmissis, & aliis etiam notissimis causis accessus ad Pisas, vel ibi mansio secura habenda verisimiliter credi non possit, cum civitas ipsa desolatione habitationibus pro concilio non sit fulta, cum ager vastitate sit desolatus, cum tempus in edicto seu indictione præfixum sufficere non possit, & terminus ab illis tempori pro generali concilio celebrando dari solito non respondeat; cum insuper indicentes nulla sint authoritate suffulti, & si quam habere possent, illam, ut decuit & fieri oportuit, immo debuit, non sint usi, cum edictum ipsum seu convocatio de falsitate se convincat; nos considerantes quanta cum difficultate & temporis diuturnitate prædecessores nostri præfati in eorum conciliis celebratis priscas hæreses & schismata, etiam aliquando imperiali majestate adjuvante, sustulerunt; quodque illa in totum extinguere nequiverunt, cum eorum aliqua [ quod dolentes referimus ] usque ad hodiernum diem in sua pertinacia perdurent; quamque calamitosa fuerunt prælatis & omnibus Christifidelibus schismatum tempora supradicta, omnia tanquam perniciosissima schismatum atque errorum seminaria, quæ aliquandiu conniventibus oculis toleravimus, expectantes eorum ad cor reversionem ob Christi charitatem, zelumque domus suæ dissimulare ulterius non valemus, timentes nobis improperari illud Jeremiæ: non ascendistis ex adverso, neque opposuistis vos murum pro domo Israel; verentes etiam, ne figmenta erroresque prædicti Christifidelium minus eruditorum mentes aliquo infidelitatis laqueo involvant, apud quos sæpe, ut inquit, Origenes in cantica: pulchriora videntur mendaciorum sophismata, quam documenta veritatis; & ne error, cui non resistitur, approbari videatur, & veritas Deique causa, & jura indefensa opprimantur: habita super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione, de eorundem Cardinalium consilio & unanimi consensu, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, prædictas indictionem, convocationem, & publicationem assertas schismaticæ conventiculæ; synagogæ sathanæ, & ecclesiæ malignantium per Dathan & Abiron authores schismatum, eorumque socios, & alias supradictas procuratorio nomine charissimorum filiorum nostrorum Maximiliani Imperatoris Romanorum electi & Ludovici Francorum Regis Christianissimi illustrium principum factas, indictas, & publicatas, omniaque & singula in eis & qualibet, earum contenta, & inde secuta quæcumque, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, pro sufficienter expressis & insertis haberi volumus, tanquam non habentibus facultatem, & ex minus legitimis causis, ac incongruis terminis & loco nulla, irrita, & inania, non legitime ad scindendum & scandalizandum universalis Ecclesiæ unitatem facta, ne cancerosus morbus invalescat, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, revocataque, irrita, cassa, reprobata, & annullata haberi volumus; ac prout sunt, nullius roboris, vel momenti fuisse & esse decernimus & declaramus, districtius sub excommunicationis, anathematis, & maledictionis æternæ, ac dignitatum & beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque sæcularium vel regularium, feudorum, indultorum, privilegiorum, concessionum, facultatum, & gratiarum privationum ipso facto, infamiæ, & aliis in universalem ecclesiam scandalizantes, & schisma in ea discordiamque suscitantes, eisque consilium, auxilium, vel favorem præstantes, tam a jure, quam alias promulgatis & indictis pœnis inhibemus; nec non eisdem Cardinalibus, qui a nobis recesserunt, ut præfertur, ac omnibus & singulis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, qualitatis, conditionis, præeminentiæ, authoritatis, & nobilitatis existentibus, & quacumque ecclesiastica etiam cardinalatus, patriarchali, primatiali, archiepiscopali, episcopali, abbatiali,*

Eorum edictum convictum falsitatis.

Expectati diu ut resipiscerent.

Rescissa conciliabuli indictio.

*seu*

Vetiti præsules & alii ad illud convenire.

*seu sæculari, regali, reginali, ac etiam imperiali, ac aliis dignitatibus & præeminentiis fulgentibus, & quos ab omni vinculo juramenti, conventionis, obligationis, & promissionis per eos forsan factarum propterea absolvimus & liberamus, ac absolutos & liberatos fore nuntiamus, indictionibus, publicationibus, & convocationibus prædictis, omnibusque aliis, & singulis, vel eorum aliquo per reprobos, aut alios præfatos vel eorum aliquem, ut præfertur, factis directe vel indirecte, tacite vel expresse, seu quovis quæsito colore adhæreant, accedant, intersint, obediant, assistant, consilium, auxilium, vel favorem præstent, aut quomodolibet intendant, ut pessima secta suis erroribus confusa tanquam nebula dissolvatur, etiam inhibemus, omnesque & singulas civitates, terras, & loca quæcumque, ad quæ perversa comitia, seu potius conciliabula, schismaticas conventiculas, synagogas, ac ecclesias malignantium hujusmodi, indicentes & eis adhærentes, obedientiam, consilium, auxilium, vel favorem aliquem, ut præfertur, præstantes, & eorum quemlibet declinare contigerit, & in quibus concilia, seu conciliabula, aut ecclesias malignantium hujusmodi celebrari, vel coadunari, & congregari contigerit, ecclesiastico subiicimus interdicto. Et nihilominus bonam intentionem nostram exequi volentes, ut antiquæ hæreses, quæ in diversis Christianorum partibus nondum extinctæ sunt, & pessimum noviter pullulans schisma extinguantur, reformationique morum tam ecclesiasticorum, quam sæcularium personarum, quæ de jure vel consuetudine reformationi vel determinationi concilii subiiciuntur, bellorumque imminentium seditioni consulatur, unicuique quod suum est reddatur, judicia & pax se invicem osculentur, Christique fideles in pace & unitate in Dei nomine, non ex passionum privatarum fomite qui, ut ex gestis diversorum conciliorum apparet, pessimos effectus parere consuevit, congregati ad faciendum expeditionem contra infideles jam regnum Siciliæ infestantes, meliora ac nobiliora loca Christianorum occupantes, præsertim Jerusalem matrem nostram antiquam, & ex antiqua Christianorum negligentia deperditam facilius & promptius intendant, in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, authoritate omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, qua in terris fungimur, de simili eorumdem fratrum consilio & assensu, œcumenicum, universale, ac generale concilium in alma urbe nostra communi omnium patria, loco aptissimo & tutissimo, apud Lateranum, ubi plurima concilia per antiquos patres nostros habita fuerunt, & Altissimus Petri sedem collocari voluit, literatorumque & peritorum numerus copiosus habetur, post festum resurrectionis domini nostri Jesu Christi proxime futurum inchoandum anno Domini MDXII. die lunæ XIX. mensis aprilis, quæ erit feria secunda post octavam ejusdem resurrectionis, celebrandum, & ut sequitur, authore Domino, finiendum denuntiamus, convocamus, statuimus, indicimus, & ordinamus; licet nos non lateat hanc novem mensium præfixionem pro sacro concilio generali celebrando ex tot longinquis mundi partibus venturis fortassis non sufficere, & de brevitate notari posse ad tantam rem peragendam, præsertim cum a sanctis patribus Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris assignato tempori ad similia generalia concilia congreganda non respondeat, qui nunquam minus quam annum ad hoc inchoandum assignasse reperiuntur.*

Loca in quibus congregandum fuerit interdicto subiecta.

Indictum apud Lateranum Concilium.

XIV. *Sed quia ad Christianissimum Regem prædictum, & quosdam alios principes de inchoando generali concilio in tempore præsentibus inserto literas dedimus, & insuper ne volentibus nos & venerabiles fratres nostros ejusdem S. R. E. Cardinales calumniari ansam daremus, si longius tempus statuissemus, visum est nobis hunc terminum assignare. Insuper præfatis & aliis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, monasteriorum abbatibus, & prælatis, præsertim sub vinculo juramenti ad visitandum certis temporibus limina Apostolorum Petri & Pauli etiam tempore suæ promotionis adstrictis & obligatis, non obstantibus quibusvis concessionibus, privilegiis, & indultis eis eorumque ecclesiis, monasteriis, & beneficiis per dictos prædecessores nostros aut nos concessis, confirmatis, & innovatis, quæ pro expressis habentes ex certa scientia & plenitudine præmissis cassamus, irritamus, & annullamus, omnibusque aliis ecclesiasticis vel sæcularibus etiam Regibus & principibus, cæterisque personis, quæ de jure vel consuetudine in congregationibus generalium conciliorum solent intervenire, cessante legitimo impedimento, de quo legitime docere teneantur per se vel alios idoneos nuntios, procuratores, vel oratores legitima mandata habentes sub excommunicationis aliisque de jure vel consuetudine, aut alias non accedentibus ad generale concilium indictum pœnis, mandamus, ut ad ipsum concilium Lateranense accedere, & usque ad dicti concilii conclusionem & dissolutionem per nos vel authoritate nostra fiendam in dicta urbe morari debeant; nec non charissimos in Christo filios*

Gallorum Rex de Concilio celebrando factus certior.

Cæsar & alii Reges ut mittant Lateranum oratores sollicitati.

lios nostros & ejusdem Romanæ ecclesiæ filios Maximilianum Romanorum Imperatorem electum prædictum, cæterosque Christianorum illustres Reges, duces, marchiones, comites, & alios nobiles in virtute sanctæ obedientiæ rogamus, hortamur, & monemus, ut opem & operam adhibeant efficaces, quod omnes & singulæ tam ecclesiasticæ, quam sæculares personæ in eorum regnis, ducatibus, & dominiis consistentes, quæ in generalibus conciliis de jure vel consuetudine interesse consueverunt ad concilium Lateranense hujusmodi, cessante impedimento prædicto, accedant, postpositis odiis, conciliatis animis in Spiritu Sancto, non autem passionibus repleti, veramque domum Dei facientes, & his, quæ ad Dei laudem & ecclesiæ exaltationem & unitatem & reformationem, schismatum vero & hæresum totalem extirpationem, fideliumque prædictorum pacem & salutem concernunt, charitate muniti extendant.

XV. Et ne ad tam laudabile & necessarium opus accedere debentes, aliquibus de caussis seu figmentis ab accessu ad dictum concilium Lateranense quomodolibet retrahantur, omnibus & singulis in congregationibus conciliorum generalium adesse solitis, & ad dictum concilium Lateranense venientibus, eorumque servitoribus & familiaribus, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, vel nobilitatis existentibus, ecclesiasticis & sæcularibus, pro se & bonis eorum quibuscumque per civitates, terras, & loca terrestria & maritima dictæ Romanæ ecclesiæ subjecta ad concilium Lateranense ad urbem hujusmodi veniendi, & in ea morandi, & libere consulendi, & ab ea quoties videbitur recedendi, etiam post quatuor menses post dicti concilii Lateranensis conclusionem & dissolutionem, liberum, tutum, & securum salvum conductum, ac plenam & omnimodam securitatem de concilio & potestate præmissis, damus & concedimus, aliosque salvos conductus & securitates habere cupientibus dare pollicemur, eosque benigne, & charitative tractabimus & suscipiemus, mandantes sub indignationis nostra, & aliis arbitrio nostro infligendis pœnis omnibus & singulis gentibus nostris armigeris, equestribus, & pedestribus, ac arcium nostrarum castellanis, civitatum, terrarumque & locorum dictæ Romanæ ecclesiæ subjectorum legatis, gubernatoribus, rectoribus, locatenentibus, potestatibus, officialibus, & vassallis, ut non obstantibus quibuscumque constitutionibus & ordinationibus apostolicis, legibus imperialibus, statutis quoque * & consuetudinibus municipalibus, etiam juramento, confirmatione apostolica, aut quavis alia firmitate roboratis, quæ salvo conductui & securitati præmissis in aliquo derogare, seu illos quomodolibet impedire possent; etiamsi talia forent, de quibus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per generales clausulas id importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, illarum omnium tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis habentes; venientes ad concilium Lateranense hujusmodi libere, tute, & secure transire, morari, & recedere permittant, permitti faciant; ne tantum tamque laudabile & necessarium concilium Lateranense distrahatur. Et ut ad illud venientes tute & in pacis tranquillitate vivere, dicere, & expedire valeant, quæ omnipotentis Dei honorem concernunt, totiusque Ecclesiæ sanctæ statum, decernentes nihilominus irritum & inane quidquid contra indictionem concilii Lateranensis per nos indicti hujusmodi seu ad impedimentum, præjudicium, aut dilationem ejusdem per schismaticam conventiculam, & ecclesiam malignantium prædictas, seu quemvis alium quavis authoritate, quovis ingenio, aut quæsito colore scienter, vel ignoranter contigerit attentari, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MDXI. XV. kal. augusti pontificatus nostri anno VIII. Inscripta erat pontificii sigilli limbo hæc sententia.

Promissa omnibus accessuris commeandi libertas.

* Constitutionibus

Convulsa quæcomque contraria decreta.

Dominus mihi adjutor non timebo quid faciat mihi homo.

Cardinalium subscriptiones.

Ego Julius catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego Raphael episcopus Ostiensis Cardinalis S. Georgii camerarius subscripsi.

Ego Dominicus episcopus Portuensis Cardinalis S. Marci subscripsi.

Ego Jacobus episcopus Albanensis Card. Arborensis subscripsi.

Ego Nicolaus Card. tit. S. Priscæ subscripsi.

Ego Franciscus Card. de Claromonte manu propria.

Ego Marcus tit. S. Mariæ Transtyberim Card. Senogalliensis.

Ego Robertus tit. S. Anastasiæ presbyter Card. Nannetensis.

Ego Leonardus tit. S. Susannæ presbyter Card. subscripsi.

Ego Christophorus tit. S. Praxedis presbyter Card. subscripsi.

Ego Sixtus tit. S. Petri ad vincula presbyter Card. vicecancellarius subscripsi.

Ego Christophorus Eboracensis tit. S. Petri & Marcellini presbyter Card. subscripsi.

Ego Antonius tit. V. Vitalis presbyter Card. subscripsi.

*Ego Petrus tit. S. Eusebii presbyter Card. subscripsi.*

*Ego Achilles tit. S. Siuti presbyter Card. Bononiensis subscripsi.*

*Ego Franciscus tit. S. Clementis presb. Card. subscripsi.*

*Ego Joannes S. Mariæ in Dominica diaconus Card. de Medicis manu propria subscripsi.*

*Ego Alexander S. Eustachii diaconus Card. de Farnesio manu propria subscripsi.*

*Ego Ludovicus S. Mariæ in Cosmedin diaconus Card. de Aragonia manu propria subscripsi.*

*Ego Marcus S. Mariæ in porticu diaconus Card. Cornelius manu propria subscripsi.*

*Ego Bantinellus S. Hadriani diaconus Card. subscripsi.*

*Ego Alphonsus S. Theodori diaconus Card. Petrutius subscripsi.*

XVI. Deterfi omnes Schismaticorum fuci.

Obsecundatum ita est Cardinalium transfugarum & Cæsaris Regisque Francorum votis; ut si pius illos ardor restituendæ in pristinum florentem statum disciplinæ ecclesiasticæ, religionis suo splendori asserendæ, propagandæque in oriente, contundendæ superstitionis Mahumeticæ, ac demum belli in Turcas decernendi ureret, accederent Romam ad concilium, cui ipse summus Pontifex præsideret, nec aliud ab eo ferendum, cum non ad conjungendas Ecclesiæ partes discissas, sed integras discindendas congregaretur; tum misso Alexandrino episcopo defectores Cardinales Regemque Francorum ad officium revocare tentavit (a). Perculsi superioribus literis apostolicis de indictione synodi a Julio editis seditiosi Cardinales Carvajalus, Narbonensis, & Cusentinus, quam nunquam futuram falso erant vaticinati, fassi sunt pontificiæ esse majestatis præsidere concilio: verum alios ad turbandam Ecclesiæ pacem struxere dolos, novamque litem de loco tuto, in quo cogeretur concilium, & ipsi ferendæ sententiæ libertatem nanciscerentur, crearunt (b): tutum autem locum eum volebant, qui partium suarum principis, non Pontificis subesset imperio; quasi Roma, in qua tot alia concilia celebrata fuerunt, tutus locus non esset; monitique publicis edictis, ut ad sedem Apostolicam reverterentur, atque a turbanda Ecclesia, cogendoque schismatico conventiculo absisterent, proposita si redirent ad officium venia, si in pertinacia hærerent dignitatum mulcta, Alexandro episcopo Alexandrino purpurati senatus internuntio, & concordiæ interpreti superba & multis mendaciis subornata responsa hæc dedere (c).

Impium eorum consilium.

(a) *Ext. ea de re lit. in append. act. conciliab. Pis. p. 68.* Fatentur Pontificem præsidere debere synodo.

(b) *Ibid.* Movent controversiam de loco tuto. Data ab iis Pontificio internuntio responsa.

XVII. *In primis commendamus nos humillimis dominationibus suis reverendissimis, quarum conspectu libero & tuto mirum in modum frui desideramus: illis etiam habebitis innumeras gratias pro officio charitatis suæ per paternitatem vestram nobis ostenso, & verbis significato; quamvis multum doluerimus dominationes suas reverendissimas præstitisse assensum vel consilium, si ita fuit, in tam gravissimis monitionibus & censuris contra nos, ut fertur, prolatis, signanter etiam vocando nos cum censuris ad locum nobis notorie non tutum, de quo expressissime protestati sumus & protestamur, ut universus orbis istius rei veritatem intelligat; præsertim quia securitatem nostram & libertatem, ac spiritualitatem & reformationem Ecclesiæ, juxta ejus præceptum & votum ac juramentum commune procuraverimus; non enim aliud nos præcipue ad secedendum induuit; & Deum hominesque testamur: & quamvis per alteras literas ignis, & per alteras aqua nobis proponantur; vivæ tamen & animatæ legi ac præceptioni per vos explicatæ attendentes dicimus: in primis nos hactenus mansisse & manere, & si per errorem aliquorum non stat semper manere velle in sancta & bona obedientia sanctissimi domini nostri Papæ, & bona fraternitate & filiatione reverendissimorum dominorum Cardinalium, de quo protestamur, nisi quod juxta doctrinam Innocensii IV. præceptiones apostolicæ de notorio periculo salutis æternæ vel corporalis, aut turbationis, vel decolorationis status universalis Ecclesiæ, & unde multa mala ventura essent, audiri quidem possunt sicut a Domino dicta, sed non impleri vel admitti.* Et infra: *Item significabitis quod nos pro maximis & necessariis causis securitatis vitæ & libertatis nostræ, ac reformatione Ecclesiæ ex Florentia discessimus, non ut malum aliquod, sed grande bonum Ecclesiæ afferremus; quod per nostros commissarios ex Florentia sanctissimo domino nostro, & dominationibus suis reverendissimis apud Bononiam tunc residentibus significavimus: qui commissaris vel auditi non fuerunt, vel territi, & re infecta male expediti sine responso recesserunt, nec unquam integre pauca per aliquos ex nostris petita pro securitate residentiæ nostræ obtineri potuerunt.*

(c) *Ext. in actis conciliab. Pisani p. 97.*

Fingunt vana pericula.

XVIII. *Item significabitis, nos cum multorum sapientum consilio pro certo tenere, indictionem concilii Pisani per nos & principes factam ex præcepto universalis Ecclesiæ, voto & juramento sanctissimi domini nostri & nostro ad veritatem, non ad blanditionem intellectus; & pro scandalis Ecle-*

Contendunt inepte jus vocandæ synodi ad se devolutum.

*clesiæ sedandis, & eu præterita notoria tam longa inexcusabilique negligentia, textu evangelii: Dic Ecclesiæ; juuta synodalem interpretationem intellecto, justissimam fuisse & esse, & jurisdictionem convocandi synodum fuisse & esse hac vice juris ministerio devolutam ad indictores Pisani concilii, quod principes viribus omnibus prosequi intendebant, & nunc certe prosequentur. Nos tamen voluimus illis conjungi, ne ecclesiasticæ aristocratiæ in hujusmodi indictione concilii per omnium negligentiam jus periret; & ne spiritum per omnia spiritualesque mores videremur extinguere, & sæcularibus principibus admonitionem spiritualem ex toto relinquere, etiam ut in concordando pacifico uno concilio partes nostras melius possemus explicare: & credebamus certe sanctissimum dominum nostrum & reverendissimos dominos aliter nobis responsuros, quam fecerunt, cum nostri nos officii memores sanctitatem ejus & Cardinalium dominationes reverendissimas sicut Petrum Paulus de observatione concilii Jerosolymitani admonuerat rogaverimus; quam admonitionem libenter Petrus admisit, immo illas Pauli epistolas, in quibus hoc contineri sciebat, Paulumque suis epistolis canonicis commendavit, nobis tamen cum omni exprobratione respondetur, non secus ac si jam Pontificem quod absit suspenderimus: illis enim verbis responsiones illæ & etiam monitiones cum eisdem terminis componuntur, quibus Eugenius IV. respondit patribus Basileæ post sententiam suæ privationis, & electionem Felicis; nos tamen nihil tale hactenus cogitavimus sed simpliciter de concilio tenendo admonuimus.*

Comparant se Paulo Petrum admonenti.

XIX. Abusos temere fuisse exemplo Pauli reprehendentis Petrum schismaticos, ut authoritatem sibi in Pontificem arrogarent, demonstrat Franciscus Poggius (a) in eximio suo de potestate Papæ commentario, dum ait: *Non obstant* XXV. *loco deducta, quia Paulus non negat Petri authoritatem, sed tantum sui evangelii veritatem ostendit, tria ponens; unum, quod Apostoli, quibus cum suum contulit evangelium, ut verum approbarunt: alterum quod nihil suppleverunt vel addiderunt; tertium quod in suam societatem, ut verum Apostolum receperunt: quare ratione perfectionis doctrinæ aliis Apostolis non fuit inferior Petro, in duobus autem par fuit, quia & ipse a Christo erat immediate Apostolus constitutus, insuper ab eodem in evangelio instructus, ut Petrus. Quoad jurisdictionem vero, Petro longe inferior: nec latebat Paulum Petrum esse caput.* Et paulo infra: *Et licet Paulus a Christo immediate apostolatum acceperit, ut & cæteri Apostoli, Petrus tamen aliorum caput est institutus a Domino; quod ex eo patet, quia Paulus ad Petrum venit cum eo de evangelio collaturus licet esset a Christo prædicator gentium constitutus; &, ut inquit Hieronymus ad Augustinum, Paulus non habuisset securitatem prædicandi evangelium, nisi Petri & eorum, qui cum eo erant, fuisset sententia roboratum, ut eu fine epistolæ ultimæ ipsius Petri evidenter apparet. Et dum dicit, creditum sibi evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis, non per hoc facit se parem Petro, quem Ecclesiæ caput appellat, nec credidit Petri potestatem ad circumcisos restrictam: licet eo tempore, quo Jerosolymæ & Antiochiæ morabatur, multos tum eu Judæis, tum eu gentibus ad fidem converterit, ut de Cornelio centurione legitur. Act.* XII. *cap. & dum glossa dicit, principaliter sicut Petro fuisse creditum evangelium; verum dicit quoad prædicationis, non autem prælationis officium. Non obstat quod de societate dicitur Petrum fuisse socium Paulo, quod æqualitatem significare videtur, non superioritatem, cum superior non soleat socium appellari; quia dico hoc falsum sicut in libris Regum apparet, ubi dicitur: Fuit Rex Saul & socii ad quærendum David; & Dominus discipulos suos fratres appellare non erubescit. Quod vero Paulus Petro restitit, hoc nullam in Paulo æqualitatem vel superioritatem arguit: licet enim in causa fidei, prout illa erat, subdito erranti prælato contradicere, illumque reprehendere, ut Gregorius* (b) *ait, sicut & Papæ scandalizanti Ecclesiam licitum esset resistere, ut tradit* (c) *Gelasius & Innocentius* (d) *IV. ad dictum Deuteronomii: Diis non detrahes, &c. Dico talem reprehensionem fuisse fraternam, non detractionem vel maledictionem. Nec obstat dum Hieronymus* (e) *ait: Paulus Petrum non reprehenderet, si se non imparem sciret; quia loquitur de vitæ puritate & sanctitate, non de potestate ecclesiasticæ dignitatis, qua quilibet Petro est inferior. Et licet Petrus esset omnibus superior, humiliter toleravit exemplo suo ad humilitatem nos invitans, quod ejus successores plerosque fecisse legimus Petri exemplum imitatos vel dici* (f) *potest, Paulum Petro parem fuisse quoad fidei defensionem, non quoad dignitatem prælationis, ut dicit B. Thomas.* Hæc Poggius.

(a) Poggius Florentin. lib. de Potest. Papæ ad 35. arg.

Contendunt schism. Paulum Petro parem fuisse.

Respondetur eorum argutiis.

(b) C. 297. Paulus dixit.

(c) 197. & si illa.

(d) Innoc. in c. Inquisitiones de sent. Exc. in c. 4. de consuet.

(e) 297. Paulus Pastum.

(f) 295. c. Mandastis & c. Audivimus.

XX. Addidere schismatici vanas & fallaces sponsiones; subdunt enim: *Quia tamen videmus ex prima & simplici hujusmodi nostra admonitione concilii plurimum commoveri sanctissimum dominum nostrum, quod certe non deberet; nos enim nullo Ec-*

cle-

*clesiam aut sanctitatem ejus damno prosequi intendimus, quinimmo unitatem, libertatem, & spiritualitatem, ac utilitatem & conservationem jurium ecclesiæ, cum bona sanctitatis ejus, & sacri collegii gratia, procuravimus, & procuramus pro magna in ejus sanctitatem veneratione, & reverendissimos dominos observantia, præsertim hac charitate perspecta, qua erga nos dominationes suæ reverendissimæ cum paternitate vestra ostenderunt; & propter justificationem majorem nostram ad vestram quoque meditationem attendentes in Pisano concilio in rebus tangentibus sanctissimum dominum nostrum, & Romanam curiam, ad aliquod tempus temperabimus, dummodo ipse Dominus noster medio sacri collegii omnes has præceptiones personalis comparitionis, & nostræ cessationis a concilio auferat, vel adminus suspendat usque ad tempus, quo de loco suo & neutrali œcumenici concilii cum ipso sanctissimo domino nostro & omnibus, quos ista tangit materia, in brevi cum bona resolutione consulatur: locus enim urbis Romæ in hac rerum occurrentia liber & tutus non est, nobis signanter, & aliis oratoribus principum & nationibus, qui hujusmodi indictionis promotores extiterunt, tam propter arces quam propter gentes & capitaneos assuetos libertatem Cardinalium, & aliorum prælatorum facile violare; patres enim in concilio undequaque debent esse liberi, ad hoc quod Spiritu Sancto regantur, Apostolo referente: Ubi spiritus Domini ibi libertas, & in congregationibus Ecclesiæ Spiritum Sanctum directorem esse, evangelii textus edocet.*

Vanæ & fallaces eorum sponsiones.

Opponunt locum urbis Romæ hec tutum nec liberum.

XXI. *In loco ergo communi, & libero, ac securo deputando cum quiete & pace omni passione semota libertati, spiritualitati, ac reformationi Ecclesiæ, & Christianorum, paci, ac infidelium bello, nec non sanctissimi domini nostri gloriæ, obedientiæ, & tranquillitati solide, efficaciter, & realiter cum Spiritus Sancti assistentia attendetur; quod universæ Christianæ reipublicæ gratissimum futurum speramus, & nos nihil aliud petivimus unquam, nec petimus. Et cum hoc beatitudini suæ perpetua servitute serviemus in debita obedientia & reverentia, & credimus reverendissimos dominos Cardinales bona mente incedentes prorsus in hoc nobiscum conventuros, nec petituros a nobis, aut assensuros peti quæ sine periculo interitus utriusque vitæ præstare non possumus, & jam necesse erit ex utraque indictione concilii vel utrumque teneri, quod hæresim saperet, cum ecclesia universalis sit una, vel alterum concordari: cum enim a tot annis nulla fuerint concilia generalia, & si quandoque aliqua congregata fuerunt, quæ a centum annis quasi fuerunt, quinque videlicet Pisanum, Constantiense, Senense, Basiliense, & Florentinum; multis tamen impedimentis, & cavillationibus in illis procuratis ecclesia cum effectu reformata non fuit, & omni die ager Dominicus spinis, & tribulis obsitus in immensum excrevit, adeo ut oporteat illum necessario per concilium purgari: si enim cum hac duplici inditione concilii nullus effectus liberi & generalis concilii ad bonum ecclesiæ (ad minus de reformationibus pace & bello futuris) sequeretur, populus Christianus nos omnes deceptores crederet; & mirum in modum sæculares principes contra omnes nos insurgerent. Hæc ergo est via pacis Ecclesiæ, & honoris sanctissimi domini nostri, & sacri collegii, & nostri, quam nos libenter offerimus, & datam amplectemur. Datum in burgo Sancti Donnini nullius diœcesis die XI. mensis septembris anno a nativitate Domini MDXI. pontificatus sanctissimi domini nostri Papæ Julii II. anno VIII.*

Disceptat cum hæreticis ecclesiam nondum reformatam.

*Bernardinus Cardinalis S. Crucis.*
*Guillelmus Cardinalis Narbonensis.*
*Franciscus Cardinalis Cusentinus.*

Triplicis monstri capita.

Proximo die Joannem Baptistam de Theodoricis, & Franciscum Tycium procuratores ad Pontificem & Cardinalium senatum misere (*a*), qui ipsos excusarent, si in jus vocati non comparerent metu deterriti, ac prolato de synodo celebranda decreto insisterent: tum ut de communi loco neutri parti suspecto, in quo concilium celebraretur designando agerent. Cum horum responsa postulataque a Pontifice & Cardinalibus excussa essent, compertum est ipsos splendido Ecclesiæ majestatis in pristinum decus vindicandæ obtentu ad eam evertendam incumbere, larvaque hypocrisis inducta instaurare Basileensis conciliabuli, a quo schisma maximo Ecclesiæ damno conflatum fuerat, damnatos errores: hæreticorum more modicos factionis cœtus appellare Ecclesiam, cui Pontifex, sacer senatus, & tot regnorum præsules ac populi obtemperare deberent; æquare suam cum pontificia authoritatem, his turpibus initiis majori flagitio iter munire, inique disceptare Romam communem omnium patriam, Christiani imperii sedem, religionis magistram, locum ad generales episcoporum conventus congregandos idoneum non esse. Moniti itaque iterum iterumque fuere, ut ad officium redirent, sed illi in pertinacia obduruerunt; inchoarant enim jam prima septembris die Pisanum conciliabulum (*b*), cujus principia, si quam vilia extiterint spectentur

XXII.

(*a*) *Ext. de eo instrum. in actis conciliab. Pisan. p.* 74.

Discussæ in senatu eorum exceptiones. Patefacta hypocrisis.

Prima septembris die inchoatum Pisanum conciliabulum.

(*b*) *In actis Pisan. conciliab. pag.* 61.

tur

tur; nemo ambigat eam fuisse fœdam novatorum synagogam; nullus enim Cardinalis, nullus episcopus interfuit: sed tres tantummodo impostores Zacharias Ferrerius Subasiensis abbas, Antonius de Andrea protonotarius apostolicus, & Jacobus Galand Locharum archipresbyter, factiosorum Cardinalium absentium nomine pseudosynodi fundamenta jecere, ut ex publicis eorum monumentis (a) constat: ac falso in ecclesia principe promulgarunt (b), plenum jus & authoritatem convocandi generale concilium ad absentem Cardinalium partem, quamvis minorem, tanquam liberam, saniorem, & diligentem spectare, ob Pontificis & sacri senatus illi adhærentis negligentiam vel timorem: cum tamen factiosos latere non posset illatæ a se illi negligentiæ labem indicto jam Lateranensi concilio deletam.

Nullus episcopus illi tunc interfuit. (a) Ext. ib. Trium impostorum decretum. (b) Ibid.

XXIII. Hoc scelus ferendum non esse censebant prudentiores Florentini, nec Pisanum conciliabulum contra concilium Lateranense permittendum, præsertim cum insigne aliquod detrimentum præcipue mercium suarum inde accipere possent: quare Gallicani illi præsules, qui Ludovici Gallorum Regis imperiis regebantur, Italicum iter remorabantur. Facti autem sunt a Carvajalo, Narbonensi & Cusentino certiores datis e Burgo S. Donnini die vigesima quarta septembris literis (c), Florentinos demum Ludovici Francorum Regis rogatu spreta mercium suarum jactura assensisse, ut Pisis synodus congregaretur: Lautrechium regio imperio daturum illi celebrandæ operam, ac Bajocensem & Alebretensem Cardinales accessuros. Aucti itaque animis ex horum adventu & cognitione seditiosi, in pertinaci mentis duritie perstitere; adeo ut episcopi Alexandrini, qui a Pontifice ad ipsos redierat, ut a cœptis revocaret, deinde ad Francorum Regem profecturus erat, ut ipsum ad mittendos ad concilium Lateranense Gallos præsules permoveret, monita respuerint, ea opinione delusi, Pontificem & senatum purpuratum jure negare non posse, quin alius, pro celebrando concilio a Roma locus, quem prædicti Cardinalis Carvajalus, Narbonensis, & Cusentinus tutum & liberum censerent, designaretur: ac si negaretur a Pontifice justam & sanctissimam provehendi contra Lateranense Pisani concilii causam suppeditatum iri: de quibus singulis seditiosus Cardinalis Pria Ludovicum Regem xxv. septembris certiorem fecit (d), atque ad cogendos Gallicos præsules incitavit, idemque inani spe pascebat (e) animum, omnes Italos Gallicam

(c) Ext. in app. conciliab. Pisan. p. 166.

Monitus Gall. Rex ut ad Lateranense concilium præsules mittat.

(d) Ext. ejus lit. in app. conciliab. Pis. p. 168.
(e) Ibid.

factionem amplexuros (f) si Gallica potentia ingravesceret; sed humana consilia divina virtute, ut dicetur, fracta tandem fuerunt.

(f) Ext. ea de re lit. ib. p. 163.

XXIV. Cœpere autem jam tum contentiosi Cardinales vehementer angi; cum Pisas non nisi Gallicis copiis succincti proficisci auderent, metueret autem Gasto Fuxensis princeps, ne imminente pontificio Hispanoque exercitu Insubriam armis & milite imparatam destitueret: cum licet Gallici Cardinales Macloviensis, Renatus Pria, & Amanæus Alebretensis, qui se subornari siverant, ad Pisanam profectionem parati essent: Bernardinus tamen Carvajalus & Franciscus Cusentinus eo tendere detrectarunt (g), nisi una cum ipsis cæsarei procuratores pergerent: quippe insanum erat paucos Gallos Regis Ludovici hostis pontificii imperiis actos universæ Ecclesiæ authoritatem sibi arrogare: qua difficultate pressus Odetus Lautrechius Carvajalum & Cosentinum ursit, ut Lucam concederent, pollicitus (h) interea Maximilianum a Gallo Rege, tum a Macloviensi scriptis Cardinalium nomine literis, nec non a Frederico Sanseverinate Cardinale facile adductum iri, ut cæsareos procuratores ad Pisanos cœtus legaret. Cum vero Carvajalus & Cusentinus profiterentur, sine Germanis ultra se non progressuros, Odetus Fuxensis Lautrechii regulus xxvii. septembris Ludovico Regi hæc significavit (i): ac biduo post præsules Galli pauci numero Astam pervenere (k) Regemque consuluere, ut quæcumque vellet imperia daret.

Spes inanes a Gallo conceptæ.

(g) Ext. de eo ipsius lit. in app. conciliab. Pis. p. 160.

(h) Ext. de eo lit. in app. act. Pis. conciliab. p. 160.

Schismaticorum temeritas insignis.
(i) Ibid.

(k) Ext. ea de re lit. ibid. p. 172.

Interea Christi vicarius una cum sacro senatu omnia studia conferebat ad revocanda ab impio conatu seditiosos Cardinales. Extat eo argumento insigne pontificium diploma (l), quo moniti sunt officii v. kal. augusti, iisque quinquaginta dierum peremptorius terminus præfixus est, quo edictum de cogendo conciliabulo revocare jussi sunt, proposita rediturìs venia, ipsisque fides publica data est.

(l) Jul. II. lib. bull. 82. p. 324.

*Ad futuram rei memoriam.*

*Cælestis altitudo potentiæ divinæ providentia cuncta disponens, ut ecclesiæ triumphanti militantem Ecclesiam similem faceret voluit summo Pontifici Christi vicario, dominici gregis pastori adesse in regenda & gubernanda universalis Ecclesiæ monarchia consiliarios & ministros S. R. E. Cardinales, ut ipsi tamquam ejusdem Pontificis & Ecclesiæ membra suo capiti deserviant, & submissis humeris ad regendum universalis Ecclesiæ firmamentum operosa sedulitate cum ipso Pontifice laborarent*

rarent, & tam ipsius ecclesiæ quam totius orbis incumbentia onera indefessis cum eo solicitudinibus partirentur, ac cum eo universalem Ecclesiam repræsentarent. Hi sunt quos dilexit Dominus, & veluti præcipuos ac sublimes ejusdem Ecclesiæ cardines prærogativa sublimavit honoris. Horum cœtus in orbe magnificus omnes & singulos quibuscumque titulis decoratos excellit, descriptique dicuntur in diademate principis. Horum altitudo consilii, & expertæ circumspectionis industria circa dirigenda qualibet, & agenda sanctæ Romanæ atque universalis Ecclesiæ majora commoda salubriter afferre dignoscitur, ideoque a nobis tamquam membra a capite per canonicas sanctiones illicentiati discedere prohibiti sunt. Hi sunt quos ideo ultra alia ornamenta galero rubeo insignitos esse constat, ut præ ceteris sanctam sedem Apostolicam, Romanæque ecclesiæ unitatem in eis ipsis, ut præfertur, repræsentatam, quantum fieri potest, verbo & exemplo constanter & intrepide usque ad sanguinis effusionem tueantur & defendant; & quo majori honoris prærogativa honestati sunt, tanto magis peccant cum eorum & Ecclesiæ unitatem hujusmodi scindunt, aut a summo Pontifice eorum capite quoque modo illicentiati recedunt, vel ab ipsius obedientia deficiunt.

Cardinalitiæ dignitatis elogium.

Cur Galerum rubeum gestent Card.

XXV. Sane nuper in consistorio secreto dilectus filius Justinus Carolus juris utriusque doctor, & fisci nostri advocatus nomine suo ac dilecti filii Mariani de Cuccinis fisci cameræ apostolicæ procuratoris quandam sub his verbis querelam exposuit: Quamquam, beatissime pater, vosque reverendissimi domini Cardinales, unam sanctam catholicam & apostolicam Romanam Ecclesiam Spiritus Sancti ex persona domini nostri Jesu Christi in cantica canticorum designet dicens; Una est columba mea una est perfecta mea, & una est matri suæ electa, & ut ait B. Cyprianus: Non habet Ecclesiæ ordinationem qui Ecclesiæ non tenet unitatem: nihilominus ab ipsius, ut ita dixerim, Ecclesiæ incunabulis quorumdam pestiferorum hominum effrænata libido, hanc sanctam ecclesiæ unitatem ausu sacrilego & diabolica persuasione violare præsumpsit, hic, ut sacri canones edocent, alienus est, prophanus est, hostis est, habere non potest Deum patrem, qui universalis Ecclesiæ non tenet unitatem; nec potest is cum aliquo convenire, qui cum corpore ipsius ecclesiæ, & cum universa fraternitate non convenit; & cum, pater sancte, sanctitas vestra intenta, ut decet recuperationi terrarum & jurium sanctæ Romanæ ecclesiæ, præsertim civitatis Ferrariensis, ejusque ducatus, territorii, & districtus, quibus iniquitatis filium Alfonsum Estensem ob ejus demerita per sententiam consistorialiter latam privaverat, Bononiam cum exercitu accessisset, monuissetque S. R. E. Cardinales, quos tam pro prædictis quam aliis gravibus ejusdem ecclesiæ incumbentibus oneribus consulere intendebat, ut ipsam sanctitatem vestram sequi deberent, prout par erat; inimico tamen humani generis suadente, ac scandalum & zizaniam in dominico agro seminante, aliqui, quos dolentes referimus, ex dictis S. R. E. Cardinalibus monitionem sanctitatis vestræ hujusmodi simulantes iter eorum Florentiam versus cœperunt, ac spretis literis sanctitatis vestræ ac monitionibus & exhortationibus per devotam creaturam vestram Franciscum tit. S. Clementis presbyterum Cardinalem tunc in minoribus constitutum episcopum Concordiensem datarium vestrum, quibus illos hortabatur, & monebat, ut ad eamdem sanctitatem vestram Bononiæ cum sua curia existentem vocati se conferrent, prout iidem Cardinales eidem Francisco Cardinali se facturos obtulerunt, initis & firmatis prius inter ipsos secreto & per manum publici notarii certis conspirationibus & capitulis, ac conventionibus illicitis & inhonestis contra sanctitatem vestram Papiam illicentiati adierunt, & deinde Mediolanum se conferentes, ibidem contra sanctitatem vestram & sedem Apostolicam & sanctæ Dei Ecclesiæ unitatem periculosum & schismaticum conventiculum inire moliti, aliosque Cardinales in suam sententiam habere conati sunt; prout diversimode sanctitati vestræ innotuisse debet. Qua re detecta in suo proposito perseverantes gravia Ecclesiæ universalis scandala inmittere illamque reformatione indigere, & propterea concilium vel quoddam decretum concilii Constantiensis, ne votum per eandem sanctitatem vestram in ejus ad summi apostolatus apicem assumptione missum, & juramentum per eam præstitum congregandum fore, jusque illud congregandi ob sanctitatis vestræ & aliorum Cardinalium illi assistentium negligentiam ad eos devolutum, eosque concilium ipsum absque aliqua sanctitatis vestræ requisitione & licentia indicere & convocare posse asserere non sunt veriti.

Schismaticorum conatus nefarii.

Jussi Cardinales sequi Julium in Ferrariensi expeditione.

Discedunt a Julio.

Mediolani cum Galis conspirant in eum.

Contendunt ad se jus congregandi Concilii devolutum.

XXVI. Horum principalis author extitit dominus Bernardinus episcopus Sabinensis, qui jamdiu ista animo suo præmeditatus in ejus sententiam Guillelmum episcopum Prænestinum, & Franciscum tit. SS. Nerei & Achillei presbyterum Cardinalem traxit, prout in cedulis indictionis & convocationis concilii eorum nomine publicatis, & ut creditur, ad eorum instigationem sub no-

Quinam hi fuerint.

Conciliabulum ab iisdem indictum.

Cæsar & Gall. Rex illi adhærere visi.

*nomine Maximiliani Romanorum Imperatoris electi & Ludovici Francorum Regis confectis, ac manu publica notarii subscriptis, & in urbe & alibi clanculum affixis clare constat. Quanam gravitate verborum, Pater sancte, quove dolore animi rem hujusmodi deplorem? Sed, ut video, pater beatissime, ac reverendissimi domini, jam tempus est magis remedii quam querelæ; ecce enim sancta mater Ecclesia, quæ in persona sanctitatis vestræ sui indubitati sponsi sincera prius unitate & pace gaudebat, reseratis lachrymarum fontibus multis cum suspiriis & singultibus ad te sponsum suum, & ad vos reverendissimos dominos Cardinales, qui estis in partem solicitudinis evocati clamare & vociferari compellitur. Et tu, beatissime pater, cum omnia prædicta sint adeo manifesta, publica & notoria, quod nulla possint tergiversatione celari, nec excusatione defendi, in virtute Altissimi una cum hoc sacro collegio exurge, & judica causam sponsæ tuæ, & memor esto opprobrii filiorum tuorum. Accingere gladio tuo potentissime, intende, prospere, procede, & regna, & exemplo aliorum summorum Pontificum prædecessorum tuorum, qui semper insurgentes in Dei Ecclesiæ hæreses & schismata, cum ipsorum authorum fautoribus, authoribus, & sequacibus, a Dei Ecclesia & communione fidelium, & sacratissimi Christi corpore eliminarunt, hoc noviter ortum perniciosissimum schisma in tuam & sanctæ Romanæ ecclesiæ sponsæ tuæ injuriam spirituali mucrone rescinde.*

Solicitatus Pont. ut Schismaticos coerceat.

XXVII. *Nos igitur, qui dudum concilii indictionem hujusmodi, sive potius schismaticorum conventiculum per alias nostras literas revocavimus, ac pro pace & quiete omnium Christifidelium proque extirpandis schismatibus, & hæresibus universis ac reformatione universalis Ecclesiæ, quantum opus fuerit, etiam pro expeditione conciliariter ineunda œcumenicum generale concilium indiximus, & celebrare Domino permittente intendimus, hujusmodi relatione audita, magno quidem prout decebat, dolore ac mærore fumus affecti; non possumus enim non vehementer dolere, ut par est, tam perniciosum in Dei Ecclesia incendium inchoari, & ab his præcipue, a quibus minime suspicabamur, præsertim a Bernardino episcopo, quem honorificentissima Germaniæ legatione decoravimus, & cujus reliquorum omnium petitis, quantum cum Deo licuit, semper annuimus, aliisque omnibus præfatis, quos tanquam corporis nostri membra paterna charitate semper dileximus, & in visceribus complectebamur charitatis. Quoniam igitur fratres nostri prædicti & sanctæ matris Ecclesiæ filii alienati sunt ab ea, & claudicaverunt a semitis suis, nos adversus hujusmodi periculosum schisma juxta nostri pastoralis officii debitum publice & in facie Ecclesiæ requisiti, ut præfertur, insurgere & illi obviare decrevimus. Quamobrem revocationis conventiculæ & indictioni concilii hujusmodi inhærentes, ut ad debitum finem conciliatis omnium animis perduci possit, nullusque scrupulus remaneat, quo minus hoc sacrum œcumenicum generale futurum concilium cum omni quiete & pace, ac animorum unitate in Spiritu Sancto, ut decet celebrari possit; & attendentes memorati ipsorum promotoris & procuratoris petitionem justam, & divino & humano juri consonare, nec non instrumentis publicis falsa manifeste continentibus, etiam in alma urbe nostra temere affixis & per nos visis, & alias legitime probatum, & usque adeo notorium & publicum esse, quod nulla possit tergiversatione celari, ita ut ad pœnarum severitatem juxta sanctiones canonicas in prædictos Bernardinum & Guillelmum episcopos, & Franciscum Cardinales absque alia ulteriore mora procedendum esset; præsertim cum nos eidem Bernardino etiam post omnium supra narratorum præceptionem, si errorem suum recognoscere & ad cor reverti voluisset, plenam indulgentiam, & præteritorum remissionem, & veniam dare & concedere apostolica clementia parati essemus: nihilominus de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum consilio omnipotentis Dei imitantes clementiam, qui non vult mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur & vivat, & omnes injurias illatas obliviscitur, omni, qua possumus, pietate uti decrevimus, & quantum in nobis est agere, ut proposita mansuetudinis via ad cor revertantur, & a prædictis resipiscant excessibus; ut ipsos tanquam filium illum prodigum ad gremium Ecclesiæ revertentes benigne recipiamus & paterna charitate amplectamur: ipsos igitur Bernardinum & Guillelmum episcopos, & Franciscum Cardinales, & quoscumque eis adhærentes, eorumque receptores, & eis quoquomodo faventes per viscera misericordiæ Dei nostri, per aspersionem sanguinis domini nostri Jesu Christi, a quo & per quem humani generis redemptio & sanctæ matris Ecclesiæ ædificatio facta est, ex toto corde hortamur, precamur, & obsecramus, ut ipsius Ecclesiæ unitatem pro qua ipse Salvator tam instanter oravit ad Patrem, violare desistant; fraternam quoque, dilectionem, & pacem, quam toties & accurate idem Redemptor transiturus ex hoc mundo ad Patrem discipulis commendavit, & sine qua nec orationes, nec jejunia, nec eleemosynæ Deo acceptæ sunt,*

Indictum a Julio Concilium.

Promissa Bernardino & Sociis venia si redierint.

*scin-*

Moniti ut absistant a conflando Schismate.

*scindere & lacerare expavescant, & in prædictis quantocyus tam perniciosis & scandalosis prorsus desistant excessibus, inventuri apud nos, si effectualiter paruerint & coram nobis personaliter & humiliter paruisse docuerint, paternæ charitatis affectum, apertumque mansuetudinis ac clementiæ fontem.*

XXVIII. *Alioquin ipsos, si forte justitiæ & virtutis amor a peccato non retrahat, indulgentiæque spes ad pœnitentiam non invitet, pœnarum terror & rigor coerceat disciplinæ, præfatos Bernardinum & Guillelmum episcopos, ac Franciscum Cardinales, adhærentes, receptores, & quoslibet fautores eorum, de fratrum eorundem consilio requirimus, & monemus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub anathematis & criminis hæresis & schismatis ac læsæ majestatis & quibuscumque aliis contra tales ab homine vel a jure inflictis, nec non privationis cardinalatus, honoris, ac patriarchalium & metropolitanarum, ac cathedralium, quibus, præsunt, aliarumque ecclesiarum, necnon monasteriorum & aliorum beneficiorum quorumcumque, quæ obtinent, ac inhabilitatis ad illa, & alia qualiacumque in posterum obtinendi, necnon convicti criminis hæresis & læsæ majestatis pœnis, districte præcipiendo mandamus, quatenus infra quinquaginta dies ab affixione præsentium in locis infrascriptis immediate sequentibus numerandos, ipsi Bernardinus & Guillelmus episcopi, & Franciscus Cardinales pro indictionibus & convocationibus concilii generalis ulterius se gerere aut nominare desistant, nec per alios, quantum in eis est, haberi & nominari pro talibus se patiantur, ac inductionem & convocationem prædictas sicut de facto & malefactis eorum nobis personaliter constituti publice revocent, cassent, & annullent, adhærentes, receptores, & faventes ulterius ipsis Bernardino Guillelmo episcopis, & Francisco Cardinalibus in hoc schismatis crimine non assistant, nec adhæreant, vel faveant quoquomodo per se vel alios, directe vel indirecte, nec quovis quæsito colore, sed ipsi Bernardinus, Guillelmus episcopi, & Franciscus Cardinales, adhærentes, receptores, & fautores nobis tanquam patri & pastori animarum suarum reverenter pareant & obediant, ac revocationis, indictionis, & convocationis concilii hujusmodi infra prædictum terminum, ut præfertur, coram nobis personaliter constituti, & per publica documenta certiores nos faciant; ita ut de eorum vera obedientia nullus dubitationis scrupulus remanere valeat. Alias si Bernardinus & Guillelmus episcopi, ac Franciscus Cardinales & adhærentes, receptores, ac fautores prædicti secus [quod absit & nobis persuadere non possimus] egerint, seu præmissa omnia & singula infra terminum prædictum cum effectu non adimpleverint, noverint se prædictis pœnis obnoxios, & a nobis, quamquam invitis, justitia cogente citatos, prout tenore præsentium citamus, monemus, & requirimus, ut quintadecima die præfatum terminum immediate sequentem non feriata, & si dicta dies quintadecima feriata extiterit, prima die sequenti non feriata compareant personaliter coram nobis in urbe, & consistorio nostro secreto, aut ubi tunc erimus, ad se defendendum, legitimeque excusandum de præmissis contra eos deductis, alias ad videndum, & audiendum se & quemlibet eorum etiam nominatum, quos sic citamus ad diem eandem, contra ipsos legitime procedi, ac videndum, se declarari schismaticos, blasphemos, & tanquam hæreticos & reos criminis læsæ majestatis fore puniendos, ac censuras & pœnas prædictas ipso facto incidisse & incurrisse, & alias infligi, prout justum fuerit & justitia suadebit; certificantes eosdem & eorum quemlibet, quod nisi venerint sive paruisse coram nobis personaliter constituti ostenderint, aut se legitime de præmissis excusaverint coram nobis, ut præfertur, personaliter constituti ad declarationem dictarum pœnarum justitia mediante procedemus, eorum contumacia & absentia non obstantibus, processuri ulterius ad aggravationem & reaggravationem, prout justitiæ vigor postulaverit, & eorum demerita exegerint.*

Revocent conciliabuli indictionem.

Ni redierint intentatum illis judicium.

Objectæ graviores pœnæ.

XXIX. *Ut autem hujusmodi nostra monitio & citatio ad eorundem monitorum & citatorum aliorumque quorum interest, notitiam deducatur, cum ad ipsos personaliter citandos tutus non pateat accessus, chartas sive membranas eas continentes, ac præsentes literas in valuis basilicæ principis Apostolorum ac ecclesiæ Lateranensis, in area Campifloræ, & extra curiam in cathedralis ecclesiæ Senensis valvis affigi faciemus: quæ monitionem eandem suo quasi sonoro præconio & patulo judicio publicabunt; ut iidem moniti, quo ad ipsos non pervenerit vel eandem monitionem ignoraverint, nullam possint prætendere excusationem, vel ignorantiam allegare; cum non sit verisimile apud eos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Volumus autem & apostolica authoritate decernimus, quod hujusmodi nostra monitio in eisdem valuis ecclesiæ intimata perinde valeat, & illos arctet, quacumque constitutione apostolica contraria non obstante, ac si eisdem monitis & eorum singulis intimata & insinuata personaliter & præsentialiter extitisset. Ne tamen*

*men moniti & citati prædicti urbem ipsam & curiam Romanam communem omnibus patriam locum sibi minus tutum, & propter præmissa, vel ex quibusvis aliis causis similibus vel dissimilibus imminere periculum in veniendo, stando & redeundo ad excusationis suæ velamen forsan allegent, ipsos tenore præsentium securantes, cuilibet ex monitis prædictis plenum & amplissimum in fide pontificia & venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, in verbo veri & boni Pontificis, salvum conductum in veniendo, stando, & redeundo, ut præfertur, concedimus, universos & singulos patriarchas, archiepiscopos, episcopos, & alios ecclesiarum, monasteriorum prælatos, & clericos ac personas ecclesiasticas, necnon duces marchiones, principes, potestates, capitaneos & quoslibet alios officiales, & eorum locatenentes, nec non communitates, universitates civitatum, castrorum, oppidorum, villarum, & aliorum locorum tenore præsentium requirimus & hortamur; ipsisque patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & aliis prælatis, cæterisque subditis nostris districte mandamus, quatenus præfatis monitis omnibus & singulis in veniendo ad dictam curiam occasione prædicta, morando in ipsa vel ab ipsa recedendo, in personis & bonis aut rebus eorum nullam inferant, nec ab aliis, quantum in eis fuerit, permittant inferri injuriam vel offensam. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno, &c. MDXI. v. kal. augusti pontificatus nostri anno VIII.*

Liberi commeatus syngrapha ut redeant transmissa.

XXX. Nisi etiam sunt plures viri insignes literis suis fugitivos Cardinales a flagitio schismatis abducere; inter quos Angelus eremita, cœlestibus interdum visis collustrari solitus, hanc objurgatoriam epistolam ad Bernardinum Carvajalum dedit (a).

(a) Ext. inter ejus opera.

*Angelus peccator anachoreta Vallis umbrosæ Bernardino Carvagial emendationem.*

Angeli Anachor. ad Bernard. epist.

*Cum una fuerit arca Noe, extra quam nemo salvatus est, sitque Petri navicula unica, unaque catholica Ecclesia, Salomone in canticis canticorum referente:* Una est columba mea, unaque sponsa mea; *una insuper sit Christi domus, de qua dictum est:* Beati qui habitant in domo tua Domine, *cujus regimen habenas clavesque Romanus Pontifex cœlesti quodam jure tenet, possidet, atque moderatur; cujus parem quietem, ac tranquillitatem involvens perturbansque, non Cardinalis, non Christianus, sed antichristus vocari debeas; cum Deum nec Christum habeat patrem, qui Romanum Pontificem suamque ecclesiam non habet matrem. Scire a te summopere exopto, quo spiritu, qua audacia, quave temeritate sacrificas, ac Christi corpus conficis, cum schismaticos minime deceat munera nec sacrificia ullo instinctu offerre, Osea suo oraculo referente:* Sacrificia eorum tanquam panis luctus; & omnes, qui comedunt ea, contaminabuntur. *Et in libro exodi describatur.* Non comedes agni hostiam nisi in una domo; *neque comedetis de carnibus ejus foris; tu enim agni carnes foris comedis, qui extra arcam Noe, extra naviculam Petri, extra domum Dei, extra unitatem Romanæ ecclesiæ in schismate constitutus, Deo immo diabolo missam facis; ex angelo enim, id est ex venerabili Ecclesiæ membro te Cherinthum, te Ebionem, te Arium, te Judam, teque Luciferum effectum esse non dubites, quos si in scelere, si in errore, si in schismate sequutus es, eos saltem in pertinacia non sequaris. Redi ad cor tuum, redde te ipsum tibi, redde nobis concivem nostrum, redde confratrem nostrum, redde nobis doctorem nostrum, redde Romanæ ecclesiæ tam venerabile membrum suum, præsto est enim, ut tibi indulgeat: pro te jam supplicavimus, ut te admittat, ut te amplectatur, ut te ad oscula recipiat; erravit namque & Petrus, ne te in errorem lapsum de salutis spe deiiceret; sed sua imitatione tuum scelus, tuam erga Romanam ecclesiam ingratitudinem, uberibus lachrymis baptizares. Totum Christianæ divisionis pondus, totum onus schismatis, omne perversum dogma conventiculi Pisani tibi opponitur, tibi datur, tibi asseritur. A Deo insuper in tremendo judicio tibi exprobrabitur, quod tunicam dilecti Filii sui inconsutilem, quam nec Judæi, nec principes sacerdotum, nec ejus crucifixores scindere voluerunt; tu eam nedum scindere, sed lacerare, ac penitus discerpere coneris; & quoniam in manibus tuis esse dignoscitur, eam tibi quantis possum precibus quantisque lachrymis valeo, gratam atque commendatam summopere facio. Ex eremo Vallisumbrosæ non. octobris MDXI.*

Objectum qua audacia sacra faciat.

Ostensa sceleris magnitudo.

Promissa redituro venia.

Intentata divini judicii severitas.

XXXI. Scripsit quoque VI. idus ejusdem mensis ad Ludovicum Francorum Regem, ne ecclesiam schismate laniaret: sciret, Romanum Pontificem Dei vicibus in terris fungi, sedemque Apostolicam omnium ecclesiarum caput a nemine, præsertim laico, ullo modo ullave authoritate judicari posse, ne Apostolorum Petri & Pauli iras in se concitaret; Pontificem non ipsius indiciis & perscrutationibus obnoxium, immo authoritate ad ipsum, ni resipisceret, de regio apice deiiciendum pollere. Julio vero XI. kal. novembris significavit, se ex quodam viso cognovisse, Gallorum Regis ipsi adversantis poten-

Gallorum Rex monitus officii.

Ostensum Angelo anachoretæ Gallicam potentiam obteri iri.

Quid de Bernardino eidem ſignificatum.

tertiam obtritum iri, ac Bernardinum Carvajalum, aut ad ſanitatem reverſurum, pariturumque in omnibus Romanæ eccleſiæ præceptis, vel e vita migraturum aut honore authoritateque omni exutum iri, atque etiam ab eo petiit, ut Decii (a) commentarium quem ad conciliabuli Piſani commendationem ediderat, ad ſe tranſmitteret, ut illius ſophiſmata refelleret. Scripſit vero idem Angelus pro Julio apologeticum librum adverſus ſchiſmaticos. Scripſere etiam inter cæteros Thomas de Vio Cajetanus poſtea Cardinalis creatus, & Franciſcus Poggius eruditos commentarios: quorum poſtremus, cum adverſarii Baſileenſium ſchiſmaticorum ex abbatis Siculi, Ludovici Romani, & Cardinalis Arelatenſis ſcriptis errores inſtaurarent, eorum argutias docte confutavit; quem lector avidus conſulere poterit.

(a) *Ext. in append. conciliab. Piſan.*

XXXII. Interea judiciaria actio inſtituta eſt adverſus ſchiſmaticos, ut narrat Baſelius hiſce verbis (b): *Julius Papa II. cum ſe apud Bernardinum & factionis ſuæ complices nihil proficere poſſe pietate, clementia, & indulgentia vidiſſet, tum citatos & ſufficienter admonitos, ut a propoſito rebellionis reſilirent, minime comparentes Romæ in conſiſtorio publico de cardinalium ſuorum aſſenſu & conſilio, utriuſque juris peritorum complurium, eos tanquam hæreticos, ſchiſmaticos, contumaces, & rebelles, atque ab omni dignitate cardinalatus per ſententiam depoſuit; titulis quoque, inſigniis, voce tam activa quam paſſiva, eccleſiis epiſcopalibus, monaſteriis, & cunctis beneficiis eccleſiaſticis, quæ vel in titulum, vel in commendam, ſeu quovis alio modo poſſederant, privavit, atque ad illa vel alia in poſterum obtinenda inhabiles declaravit, & ab omnibus Chriſtifidelibus vitari, nec pro Cardinalibus haberi aut nominari decrevit.* Lata ſententia eſt octavo ante die quam prima ſeſſio

(b) *Nic. Baſel. in add. ad Chron. Naucl. hoc ann.*

Cardinalatu exauctorati.

Exuti omnibus Sacerdotiis.



conciliabuli Piſani indiceretur, nimirum vigeſima quarta octobris die; nam kal. novembris conciliabulum tantum inchoatum ſcripſit Petrus Delphinus, Ambroſio Angelorum priori (c): *Audio Piſanum concilium [ ſi tamen concilium dici debeat, quod invito ac repugnante Pontifice indictum eſt ] kalendis novembribus inchoatum fuiſſe, ac præter quatuor Cardinales multos etiam prælatos tranſalpinos, & doctores complures eminentiſſimos eo conveniſſe: cupio idcirco abs te fieri certior, an ita ſe res habeat, neque enim parvi momenti eniſtimanda foret; quid enim aliud ſonaret duplex curia, niſi ut divideretur Chriſtus, ac ſi acclamarent patres: Ego quidem ſum Pauli; ego autem Apollo? Dominus qui odis eccleſiam malignantium, conſulas Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, neque permittat ſcindi tunicam ſuam inconſutilem, & deſuper contextam per totum. Si invaluerit ſchiſma, ut erigenda ſint duo altaria: væ mundo a ſcandalis, &c. Ex Fonte bono die* VI. *novembris MDXI.*

(c) *Petr. Delph. l. 10. e. 38.*

Confirmat ſuperiora Paris de Graſſis, qui plures alias inſignes circumſtantias latæ ſententiæ in ſchiſmaticos, antequam conciliabulum inchoarent [1], deſcribit: XXXIII.
(d) *Die veneris* XXIV. *octobris habitum eſt conſiſtorium publicum pro privatione quatuor Cardinalium, videlicet duorum epiſcoporum & duorum presbyterorum: epiſcopi fuerunt, ſanctæ crucis Sabinenſis Hiſpanus, & alius Maclovienſis ſive Narbonenſis Gallus Tuſculanus; alii duo Coſentinus Catalanus tit. SS. Nerei & Achillei, & quartus Bajocenſis Gallus tit. S. Sabinæ, eo eo quia proficiſcentem Pontificem anno elapſo verſus Bononiam, cum eum ſequi deberent deſeruerunt, & ad Regem Franciæ partes Pontificis contrarias faventem aufugerunt ſemper mala malis addentes, ne Pontifex voto ſuo contra Ferrariam potiretur: & peſſimum opus denique fecerunt, quia Pontificem ad concili-*

(d) *Paris de Graſſ. tom. 3. p. 724.*

Qui fuerint Cardinales ſigniferi Schiſmatis. Obſtitere illi ne Ferraria Pontifex potiretur.

 *um*

NOTÆ [1] CONcilium Piſanum a ſchiſmaticis cardinalibus ſub Gallorum clientela indictum hoc anno celebratur, de quo cum ſatis multa diſſeruerit Annaliſta, ideo pauca nobis animadvertenda ſuperſunt. Raros Epiſcopos invitantibus Cardinalibus adfuiſſe idem Annaliſta ex Actis Concilii eruit. Ex his enim conſtat Epiſcopos in ipſo Concilii exordio conveniſſe quatuordecim, Archiepiſcopos duos, cum Abbatibus S. Dionyſii, & S. Medardi aliiſque nonnullis. Sed alia quædam in Actis omiſſa ſuggerit Bartholomæus Senarega de rebus Genuenſibus ad hunc annum, tradens in ipſo Concilii decurſu Epiſcopos ad triginta creviſſe, quibus accedebant *alii nobiles viri ex Gallia*, nam ut habet ille ſuperius, *in hujuſmodi Conciliis Eccleſiaſtici, & Laici doctrina præſtantes intereſſe conſueverint*. Hos vero omnes Epiſcopos ex una natione ( nempe Gallicana) conveniſſe tradit Thomas de Vio in ſua ad Concilium Lateranenſe oratione. Eo pariter acciti ſunt a Ludovico Galliæ Rege Genuenſes, qui tamen opportunam obtendentes cauſationem, ſe ſe excuſarunt eodem Rege non improbante. Addit idem Scriptor Concilii translationem imperatam fuiſſe Taurinum, quod forte primo quidem decreto ſancitum eſt, dein vero conſentibus Patribus Mediolanum ſubſtituitur. Concilii Seſſio prima Nonis Novembris cœpit; biduo poſt convenit ſecunda, ſeptimo Idus Novembris; proxime ſequuta tertia pridie Idus Novembris. Tum Patres Mediolani coeuntes quartam ſeſſionem Idibus Decembris indictam nonniſi quarta die Januarii anni ſuccedentis 1512. habuerunt. Ex urbe Mediolano Vercellas tranſiſſe illos, quamquam alibi non legi, ex bulla tamen Julii qua Piſanos patres

Iniqua eorum in Pontificem gesta.

*um per eos Pisis indictum citare ausi fuerunt, prout supra cum Arimini essemus descripsi. Pro quo concilio agendo quotidie semper mala malis addentes adjunxerunt, ut ipsum omnino quovis modo citarent & privarent; nam & articulos contra vitam Pontificis fabricantes, & potius mentientes publicaverunt, ut en illorum inspectione Pontifex perterritus aut ex desperatione mori, aut cum illis & Rege Franciæ pacem inire cogeretur: jamque tempore in eorum citatione adventante, ut Pisis Pontifex compareret, quia non comparuerat, concilium fecerunt per quosdam vilissimos furfantes inchoari ex industria vel potius astutia, ut si qui postea vellent venire aut perseverare, quod illud non prætermissum dici posset, si autem nollent possent dicere, a vilissimis personis non habentibus authoritatem id factum fuisse. Interim vero Pontifex suum concilium Romæ indixit futurum in festo paschatis resurrectionis proximi futuri & illorum concilium abrogavit; ut in bulla desuper confecta hic inserta plenius continetur.* Superius (a) ea a nobis adducta est.

Vocatum ab impostoribus conciliabulum. Indictum adversus illud Romanum Concilium.

(a) Ext. in bull. const. 27. XXXIV.

Ex Pontificis ægritudine erecti Schismatici.

*Quo facto quia Pontifex gravissime ægrotavit, ut supra scripsi, unde Cardinales, qui adhuc in Regis Franciæ terris vivebant, & qui ad libitum non proprium, sed Regis, prædicta facere & vivere, ac sese habere jam cogebantur, hoc nuntio habito lætissimi adversus urbem advenire cœperunt, credentes Pontificem jam mortuum esse.* Eo fallaci rumusculo delusus Ludovicus Borgia Cardinalis tit. S. Marcelli concitatissimis equis Romam properabat, cum ex itineris labore, ut sunt fallaces humanæ spes, Neapoli obiit. Pergit Paris: *Et cum essent in burgo Sancti Domnini versus Sugranam*, nempe Cardinales desertores, *& intellexissent Pontificem resanatum, dubitarunt an amplius retrocedere ad manus Regis vellent, an vero ulterius versus Florentiam procedere: super qua re multi nuntii & oratores hinc inde intercesserant; nam Cardinales aliqui, videlicet Cusentinus & S. Crucis Hispani, qui non libenter ad Regem redire volebant per internuntios quæsiverunt a Papa, ut ipsis liceret apud Senas degere, dummodo securi ibi possent esse; & Pontifex obtulit salvum conductum, quem & dedit Regis Hispaniæ Senarum protectoris nomine, ut ibi securi essent, dummodo a Rege Franciæ deficerent, & promisit quod eos nullatenus molestaret, dummodo concilio jam per eos Pisis indicto renuntiarent. Interea vero dum hæc tractarentur, Rex Franciæ non destitit hortari eos, ut Pontificem non timerent, quia eos adjuvaret in Pontificis despectum: sed res aliter se habuit, quia Papa cum Rege Hispano ligam sive fœdus iniit contra Regem Franciæ, ut ecclesiæ Romanæ hostem, & etiam idem Pontifex Cardinales eosdem quatuor prædictos admonuit sub censuris, ut infra certum tempus personaliter comparerent, ad allegandum causas, quare non deberent privari, prout in monitorii forma hic alligati continetur, & nihilominus Pontifex Florentinos Pisarum dominos conciliare conatus est ut pro se ipso contra Regem Franciæ & Cardinales schismaticos essent; nam & oppidum montis Polisiani, quod tunc a Senensibus occupabatur, restitui Florentinis curavit, & nonnullis commodis juvit. Verum cum ipsi se pro Pontifice discooperire contra Regem nollent, Pontifex in eos anathema promulgavit, ac etiam in omnes*

Julii curæ pro publica pace.

Initum cum Hispano fœdus adversus Schismaticos.

Florentini censuris percossi.

NOTÆ patres censuras canonicas incurrisse declarat, edita anno 1511. III. non. Decembris, deduxisse mihi videor. Reprobat enim in ea pontifex *translationem conciliabuli ad civitatem Mediolanensem seu Vercellensem*. Bullam hanc Julii penes me habeo, tunc cum promulgaretur, quantum arbitror, excusam, cujus est exordium: *Tanta est clavium Ecclesiæ potestas &c.* Verum si res ita se habuerit, oportet errores illos primo Vercellas, dein Mediolanum se contulisse, cum Mediolani agerent die pridie iduum decembris, ubi sessionem tertiam celebrarunt. Nec Mediolani diu consistere valuerunt, cum decembri mense sequentis anni 1512. ad illos Lugduni agentes, Petrus Cordier Parisiensis literas dederit, quarum summam exhibet Spondanus ad annum 1512. num. XVII. qui & numero superiori XVI. scripserat patres illos primo Taurinum dein Lugdunum emigrasse. At si Leonis X. diploma relatum ab Annalista sequenti anno 1513. consulamus Taurinensem stationem pro Astensi positam constabit. Ita enim Leo ibi num. 50. *conciliabuli congregationem Pisis Mediolani, Astæ & Lugduni*. Hæc de Synodo Pisana animadvertenda occurrerant. Cæterum jura Patrum Pisanorum adversus concilium Philippus Decius Tristani filius Mediolanensis Jurisconsultus defendit scripta Apologia pro justificatione Concilii Pisani; quæ ejus lucubratio altera est ab ea, quam pro asserenda *authoritate concilii generalis supra Papam* dedit. Hanc una cum opere illo priori Goldastus in collectione de Monarchia Imperii pag. 1167. Tom. 2. nov. edit. inseruit. Alter qui Pisanis favit, ut ex Diplomate Leonis X. relato ab Annalista A. 1513. n 51. eruitur, fuit Zacharias Ferrerius Vicentinus Abbas Subasiensis, quem apologiæ cujusdam aliarumque lucubrationum (Tractatuum) authorem accusat pontifex veniamque ea de re postulanti, ac dogmata illa ejuranti indulget. Pro Pontifice surrexit Angelus Anachoreta Vallumbrosanus scripta oratione pro concilio Lateranensi adversus conventiculum Pisanum, quam recitatam Romæ A. 1512. eamdemque anno non designato editionis loco vulgavit. Calamum etiam pro Pontifice acuit Thomas de Vio Cajetanus Generalis Magister Ordinis Prædicatorum, deio S. R. E. Cardinalis vir ætate sua doctissimus. MANSI

omnes, qui illi conciliabulo Pisano adhærerent; unde Florentini hoc timentes, ac forsan magis ea eo timentes, quia Cardinales schismatici ad concilium venire parati, non sine exercitu venire volebant, quin etiam arcem & fortalitia quæque Pisana in manibus suis habere volebant: quæ duo Florentini cognoscentes malorum causam futurum, inhibuerunt Cardinalibus, ne cum gentibus armorum, Pisas accederent, alioquin eis resisterent, quod & fecerunt: unde apparatus huiusmodi conciliaris pro parte Cardinalium schismaticorum ad nihilum redigi cœpit; & nihilominus Pontifex per internuntios hortari fecit eosdem Cardinales, ut ad gremium Ecclesiæ Romanæ redirent: & quia, ut in proverbio dici solet; pedem unum in duobus calciamentis retinere volebant, neque omnino Pontifici adhærere, neque a Rege Franciæ omnino desciscere audebant, Pontifex statuit omnino se de ipsis jure & justitia ulcisci; unde jam approximante tempore in monitorio emanato præparari omnia fecit, quæ ad illorum privationem pertinebant. Itaque tempore elapso illico Pontifex consistorium secretum tenuit, in quo servari terminos judiciarios fecit, maxime contra Cardinalem Bajocensem, qui juraverat, & se obligaverat sub perditione capelli & cardinalatus non recedere, prout supra anno præterito scripsi; & termino servato in illo consistorio, quod fuit die mercurii XII. Pontifex habitis patrum votis super hac privatione libere agenda, statuit omnino hac die veneris XXIV. octobris MDXI. consistorium publicum tenere. Et sic ipsum & Pontifex in aulam majorem, quæ regalis dicitur, quæque est inter duas capellas, veniens parari fecit. Et infra.

*Obsistunt ne Galli Pisas ingrediantur armati.*

XXXV. Postquam Cardinales, qui fuerunt in totum numero octodecim, præstiterunt obedientiam Papæ, dominus Justinus, qui fuit advocatus fiscalis, incœpit & proposuit suum thema totam vitam & demerita Cardinalium privandorum, nec non fugam, ac ministerium apostolicum, ac resistentiam eorum, ac etiam indictionem concilii Pisani recitare, & in fine concludere, eosdem ut schismaticos & omni infamia plenos debere privari, &c. Et eo finito procurator fiscalis petiit in eadem causa ob rebellionem ipsorum Cardinalium privationem merentium concludi. Et Pontifex respondit: Concludimus. Rursus procurator idem repetiit pronuntiandum in causa & causis, & elevata manu adversus Pontificem cum duabus cedulis duarum sententiarum porrexit mihi, qui de mandato Papæ illas cedulas accepi & dedi in manibus propriis Papæ. Itaque Papa dedit eas secretario, dicens: Accipe & lege, ut omnes te intelligant. Itaque secretarius primo legit sententiam contra tres Cardinales, videlicet S. Crucis, Maclovienfem, & Cusentinum.

*Judiciaria actio in rebelles Cardinales.*

*Sententia solemni ritu in eos lata.*

Qua sententia finita, & infra: idem secretarius aliam sententiam legit contra alium quartum Cardinalem, videlicet Bajocensem: qua lecta per secretarium, Pontifex elevata aliquantulum plus solito voce dixit. Ita pronuntiamus. Et idem procurator fiscalis, qui vocatur dominus Marianus de Cusinis civis Romanus egit gratias Pontifici de bona justitia: & conversus ad duos notarios cameræ propterea ibidem præsentes rogavit eosdem, ut desuper unum vel plura instrumentum & instrumenta conficerent. Et sic notarius unus, qui fuit dominus Melchior de Campania rogavit testes prælatos, qui ibi aderant, &c. & sic finis consistorii. Ego autem, qui continue ad dextram Pontificis mansi, conversus tunc ad Pontificem dixi plausibiliter: Sic eant beatissime pater omnes inimici tui & sedis Apostolicæ; & Pontifex ad me ridens: Et sic ibunt etiam alii, quos intendimus privare, ex eadem hac causa. Depulsis ita iis e Cardinalitio senatu Sabinensis episcopatus, cui Bernardinus præfuerat, in Franciscum Cardinalem tit. XII. Apostolorum translatus est (a). XXXVI.

*(a) Jul. II. lib. bull. 84. p. 269.*

Dilecto filio Francisco episcopo Sabinensi, &c.

Dudum provisiones ecclesiarum apud sedem prædictam tunc vacantium & in antea vacaturarum ordinationi & dispositioni nostræ reservavimus, decernentes ex tunc irritum & inane secus super his per quoscumque quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Postmodum vero ecclesia Sabinensis, ex eo quod nos iniquitatis filium & perditionis alumnum Bernardinum olim Sabinensem episcopum propter hoc ad nostram præsentiam legitime evocatum, suis culpis & demeritis exigentibus ecclesia ipsa, cui tunc præerat, per nostram definitivam sententiam de fratrum nostrorum consilio consistorialiter promulgatam privavimus, & realiter etiam amovimus ab eodem apud sedem eandem pastoris regimine fuit destituta; nos ad provisionem ejusdem ecclesiæ celerem & felicem, & infra, ad te basilicæ XII. Apostolorum presbyterum Cardinalem, consideratis grandium virtutum meritis, quibus illarum largitor personam tuam multipliciter insignivit Altissimus, & quod tu, qui ecclesiæ Sanctonensi, cui ex concessione & dispensatione apostolica præesse dignosceris, hactenus laudabiliter præfuisti, scies & poteris ecclesiam Sabinensem prædictam salubriter regere & fæliciter gubernare, direximus oculos nostræ

*Bernardinus episc. Sabinen. exauctoratus.*

*Francisc. Card. suffectus.*

*stræ mentis, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum MDXI. IV. kal. novembris pontificatus nostri anno VIII.*

XXXVII. Bernardinus Gallis se conjungit.

Percussus ea sententia Bernardinus Carvajalus seditionis præcipuus author, qui Pisas profecturum se denegarat, nisi Cæsarei oratores adessent, in desperationem conjectus Gallis se conjunxit; a quibus præses conciliabuli renuntiatus primam sessionem quinta novembris die tenuit (*a*). In secunda sessione supremam authoritatem de eorum causis, qui conciliabulo adhærescerent, cognoscendi sibi ascivit. In tertia Pisani conventus præsules numero paucissimi & Gallorum Regis Julii Papæ hostis servituti addicti, fingentes universam Ecclesiam ab iis repræsentari, decretum hoc Constantiensis concilii in alienum sensum detortum promulgarunt: *Statuit & ordinat, infrascriptos canones sacri Constantiensis concilii in V. sessione editos, ut in ea jacent ad unguem observari debere, & eorum tenorem in hoc decreto inseri, ac pro constantissima veritate ab omnibus teneri quæ secuntur. Primo quod sacrosancta synodus in Spiritu Sancto legitime congregata concilium generale faciens, & Ecclesiam catholicam repræsentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status, vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur in iis quæ pertinent ad fidem, extirpationem schismatum & reformationem Ecclesiæ in capite & in membris.* Editum fuisse a partibus Constantiensibus id decretum vidimus, cum de tollendo schismate ageretur, ambiguosque pontifices synodo œcumenicæ obnoxios sanxit, ut alias ostensum & proximo anno fusius ostendetur, ex quo male intellecto Basileenses schisma conflarunt: quorum furibunda fœdaque vestigia secutum Pisanum conventiculum, ex antecedenti subdolo, & in adversum sensum detorto plenam vitio conclusionem hanc elicuit: *Item secundo declarat, quod quicumque cujuscumque conditionis, status, & dignitatis, etiamsi papalis existat, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus aut præceptis hujus sacræ synodi, & cujuscumque alterius generalis concilii legitime congregati super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subiiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo.* Jactabant ii falso paucorum præsulum Gallorum, quos Ludovici Regis Pisas traxerant, regebantque imperia, cœtum generale concilium esse; atque ab æquitate penitus abhorrens & inauditum erat, ut Romanus Pontifex cujusvis principis vi & arte congregato conventui subderetur; quare horum edictorum promulgatores temeritatis veniam supplices rogaturos inspecturi sumus.

(a) *Acta Pisan. concil. p. 91.*

Pisani conciliabuli decretum.

Decretum Constantiense in pravum sensum detortum.

Pisani conciliabuli vana decreta.

Factiosorum illustrata impietas.

At non modo non subjectum illi, verum nec etiam generalibus omnium principum episcoporumve conventibus subjici indubitatum Pontificem, excepto casu hæresis demonstravit præter alios Thomas e Vio Cajetanus (*b*) ordinis Prædicatorum, postea Cardinalis, erudito commentario, quem superiori mense edidit, ad nefarios Pisani conciliabuli comprimendos conatus: ac primum ostendit ex institutione Christi Papam habere supremam potestatem in Ecclesia Dei, Christum regum Regem dominantiumque dominatorem potuisse in Christiana republica democratiam aristocratiamve constituere; monarchiam tamen prætulisse dum uni Petro pollicitus est: (*c*) Matth. XVI. *Tibi dabo claves &c.* promissumque complevit, dum Joannis ult. ei dixit: *Pasce oves meas*; quorum oraculorum interpretationem ex sanctis patribus Gregorio, Chrysostomo, Leone, Thoma Aquinate conciliorum Constantiensis & Florentini decretis illustrat. Agitatis deinde expensisque pluribus quæstionibus de comparatata invicem Petri & aliorum Apostolorum authoritate ostendit, quod alias ostensum est in annalibus (*d*), Apostolos fuisse Petro Pastori subditos, cum utique oves essent Christi dicentis Petro: *Pasce oves meas*; neque eo ovili exclusi fuerint: tum discrimen dignitatis inter Petrum & Apostolos reliquos quintuplex distinguit (*e*). XXXVIII.

(b) *Th. e Vio tract. 1. de comparatione authoritatis Papæ & concil. c. 1.*

(c) *Thom. e Vio tract. 1. c. 7.*

(d) *Annal. to. 1. A. C. 13.*

(e) *Thom. e Vio tract. 1. c. 3.*

XXXIX. Potestas D. Petri præcellentissima.

*Scito quinque esse differentias inter Potestatem Petri & aliorum Apostolorum. Prima est in modo dandi & accipiendi, quia Petro data est ordinaria, aliis autem eu speciali gratia, ut explanatum est. Secunda est in officio, & sequitur eu prima, quod Petrus factus est vicarius generalis Jesu Christi, alii vero facti velut legati seu delegati ejus, juxta illud Pauli II. ad Chorinthios V. Legatione pro Christo fungimur; & ad Ephesios ult. Legatione fungor in cathena ista. Et hoc ipsum Apostoli nomen importat a missione sumptum, quamvis extenso vocabulo in præfatione dicantur vicarii. Tertia est in objecto potestatis, quod aliorum potestas jurisdictionis non erat supra se invicem, sed super alios; Petri vero potestas erat & super alios & super ipsos reliquos Apostolos, dicente sibi soli Christo: Pasce oves meas; in quarum numero sine dubio erant Apostoli; ubi Chrysostomus dicit in persona Christi ad Petrum: Loco mei præpositus esto & caput fratrum tuorum. Quarta est in perpetuitate potestatis, quia aliorum potestas finienda erat*

cum

*tum vita eorum ; quoniam data est eis in personis propriis pro solis personis propriis, & non pro eorum successoribus ; Petri vero potestas usque ad consummationem sæculi perseverat, quia data est sibi in persona propria non solum pro seipso, sed omnibus successoribus suis ; quod sancti doctores exprimunt sub aliis verbis dicendo, quod data est Petro in persona Ecclesiæ* * : *& ex hac differentia oritur, quod nullus est successor Joannis, aut Jacobi, nec etiam Pauli Apostoli in authoritate apostolatus universalis gubernationis Ecclesiæ sicut Apostoli gubernabant ubique, sed tantum in potestate ordinis & regiminis unius certæ ecclesiæ succedunt episcopi ; sed solius Petri successor est & dicitur Papa, ut patet in allegatis superius. Quinta & ultima pro nunc est in ipsa essentia potestatis, quoniam authoritas communiter Apostolis data eu vi apostolatus, fuit velut potentia executiva, unde & a S. Thoma vocatur authoritas gubernandi, gubernatio enim executionem sonat ; authoritas vero data soli Petro cum factus est Papa, dicente Christo : Pasces oves meas, est potentia præceptiva, & propterea vocatur a S. Thoma authoritas regiminis*. Et infra : *Dedit enim salvator omnibus Apostolis communiter, ut exequi possent in eis, ad quos mittebantur omnia, quæ poterat exequi Petrus puta instituere ecclesias & episcopos, docere & excommunicare, &c. Petro autem absolute dedit potestatem omnium, &c.*

* *Ecclesiæ in persona Petri.* Episcopi non æque successere Apostolis ut Pontifex Petro.

XL. Diluit (*a*) deinde Thomas c Vio argumenta adversariorum contendentium, reliquos Apostolos Petro dignitate suppares fuisse ; tum controversiam recenter motam, an Papa Ecclesiæ sive concilii œcumenici imperiis, sit obnoxius discutit (*b*), propositisque contrariis sophismatibus ita concludit (*c*) : *Videtur quæstionis diffinitio facta in concilio Florentino, quod quia ex orientali & occidentali simul ecclesia conflatum est, cæteris occidentalibus tantum antefertur, & ibi ut in 1. cap. verba adduximus, non solum dicitur quod Papa est omnium Christianorum pater & doctor, sed quod est etiam universalis ecclesiæ pastor, gubernator & rector cum plena potestate a Domino Jesu Christo institutus in B. Petro : dicant ipsi an quæstio potuerit clarius exprimi, quod non solum omnium membrorum, sed ipsius universalis ecclesiæ pastor, rector & gubernator est, & quod non mediante ecclesia, sed in Petro cujus est successor plenam potestatem pascendi, regendi, & gubernandi universalem ecclesiam a domino Jesu Christo accepit.*

(*a*) *Ib. c.* 4.
(*b*) *Ib. c.* 6.
(*c*) *Ib. c.* 7.

XLI. Dissolvit (*d*) dein luculenter Cajetanus futilia adversariorum argumenta, sive ex Constantiensi & Basileensi conventibus ; de quibus proximo anno cum a schismatico Mediolanensi conventiculo jactata fuerint, dicetur ; sive ex evangelio, Sanctis patribus, humanaque politia petita. In primis sententiam Augustini pronuntiantis, quod Petrus in persona Ecclesiæ & unitatis claves accepit, ita ostendit (*e*) : *Dicendum est quod per hæc omnia intelligendum est hoc scilicet, quod non soli personæ Petri, sed officio suo perpetuo duraturo hæc collata sunt : & quia officium Petri est officium capitis, quod habet influere in corpus reliquum, ideo officio capitali data, toti corpori data dicuntur & sunt. Scripsi Romæ die* XII. *octobris anno salutis MDXI. ætatis vero meæ XLIII.*

(*d*) *Ib. c.* 8.
Præcipuæ schismaticorum argutiæ.
(*e*) *Ib. c.* 9.

XLII. Prorumpere ulterius parabat projecta eorum audacia, cum fortuito casu conciliabulum suum dissolvere coacti sunt repentino terrore circumfusi (*f*), oborto inter Pisanos & eorum familiares tumultu. Præbuerat occasionem Galli unius insolentia, qui meretriculam in platea affecerat injuria, ad quam ulciscendam capessivit arma populus ; quem cum Lautrechii regulus & Castilionæus Gallorum duces tumultum sedare niterentur, sauciati sunt : quamobrem trepidi Cardinales seditiosi, metuentes ne motus ille piorum studio augendus in ipsorum capita verteretur, seque omnibus invisos agnoscentes, cum a Florentinis nunquam obtinere potuissent, ut Pisarum custodia Gallico præsidio crederetur, petentique antea Cæsari, ut alio conciliabulum transferretur, responderant, non tum quidem transferendum, ne Lateranensi posterius minusque juridicum videretur ; sed habitis aliquibus Pisis sessionibus morem ci gestum iri : sequenti die nimirum duodecima novembris temporum angustiis pressi Mediolanum traducendum decrevere, donec de communi loco cum Pontifice consensissent : *Cum*, inquiunt (*g*), *ad omnem dissensionis & schismatis materiam repellendam decretum sit, ad sanctissimum dominum Papam oratores mitti debere, qui de accommodo omnibusque communiter tuto ac idoneo loco juxta tradenda mandata pertractent, ac dum ab æquo justoque ejus sanctitas non declinet, in commissis conveniant & concludant, statuit & decernit absque ulla sui dissolutione ipsam sanctam synodum ad inclytam Mediolani civitatem interim in assidua continuatione ad tempus transferri, prout ex nunc Sancto Spiritu authore transfertur, ubi tandiu permaneat, quandiu vel cum eodem sanctissimo Papa, quod utinam succedat, de communi loco concordi assensu concludatur ; vel si [quod absit] secus accidat*

(*f*) *Guicc. l.* 9.
Tumultus Pisis exortus.
Conciliabulum transfertur Mediolanum.
(*g*) *Acta Pisan. conciliab. p.* 103.

dat

*dat, gravius ac maturius quorsum navandum sit, ab ipsa sancta synodo definiatur.*

XLIII. De hoc concordiæ colloquio a factiosis cum Pontifice cœpto meminit Coccinus his verbis (a): *Nomine concilii decem delegerunt civitates, quas Julio Pontifici obtulerunt, quo pro œcumenico seu generali concilio agendo aliquam ex eis eligeret: & quod si ei nulla ex eisdem placet, ut ipse vicissim decem deligat civitates, & electionem offerat. Civitates autem, quæ Pontifici fuere oblatæ, erant Constantia, Taurinum, Bisuntina civitas, Gebenna, Metensis civitas, Casale, Vercellæ, Avenio, Lugdunum, & Verona.* Indignum erat, ut pari jure cum Pontifice contenderent, subditique principi suo leges imperandi darent, maxime cum nulla urbs ad tuendam in celebrando concilio ecclesiasticam dignitatem accommodatior, quam ipsa Christiani orbis metropolis esset. At illi Mediolanum concessere (b) die septima decembris; quorum ingressu funestatam urbem arbitratus clerus Mediolanensis (c), mox sponte templa clausit, sacrorumque usu abstinuit: tum fideles hosce seditiosos præcipueque Bernardinum Carvajalem publicis maledictis devoverunt: cætera concilia ad conglutinandas Ecclesiæ discissas partes instituta, hoc autem ad schisma creandum confundendamque Ecclesiam congregari. Hic vero populorum pius ardor postea restinctus fuit, oppressaque a Fuxensi supremo Gallorum duce libertas. Meminit de illo populari in factiosum conciliabulum motu Cardinalis e Pria, & proximo ineunte anno magna ex parte cessasse Ludovico Regi significavit (d). Ut vero Galli acerbitate usi in pios Mediolanenses vi, ipsos ad excutiendum conversis rebus Gallicum jugum concitarint, suo loco dicetur. Nunc a Pisani conciliabuli temerariis cœptis, ad reliquas turbas, quæ hoc anno Christianum orbem terruerunt, narrationem convertamus.

(a) Coccin. de bellis Ital.

Urbes a schismaticis designatæ pro communi loco.

(b) Acta conciliab. Pis. p. 104.

(c) Guic. l.10.

Mediolanenses execrantur schismaticos.

Diverati a Gallis concitantur ad res novas.

(d) Ext. ejus lit. in append. act. conciliab. Pis. p.162.

XLIV. Refert in diariis suis Paris de Grassis (e), Pontificem ineunte anno ægre ferentem segnius rem bellicam geri a suis, cum tribus Cardinalibus in castra apud Mirandulam defixa profectum: *Die*, inquit, *jovis secunda januarii hujus anni MDXI. sanctissimus dominus noster Julius ex Bononia recessit profectus ad exercitum militiæ suæ, intellecturus causas: quibus capitaneus & alii præfecti militum non procederent ad conflictum contra hostes Gallos, aut ad expugnationem Mirandulæ ac Ferrariæ, prout eis quotidie mandata, & pecunias, & gentes, ac subsidia dare non destitit: & licet ab omnibus & universis tam præsentibus & prælatis de curia, quam etiam Bononiensibus ipsa profectio damnaretur potius, quam probaretur, tamen ipse Pontifex omnibus supradictis adductus statuit proficisci secum Cardinalibus tribus solum videlicet Regino, Aragonensi, & Cornel'o: ipse autem in lectica delatus est reversurus, ut dixit, infra dies ad plus decem.* Accusant (f) nonnulli scriptores Julium ætate affecta vigenteque hyeme bellicis tempestatibus se exposuisse, traduntque (g) illum ingenti periculo non sine divina ope liberatum, cum globus ferreus ingens instar humani capitis tormento æneo vibratus tentorium pontificium dejecisset læso nemine, quem actis Deiparæ gratiis in ædicula Lauretana suspendi voluit.

(e) Paris. to.3. ms. arch. Vat. p. 22. Bonac. in diar. Trith. chron. Hirsaug. & alii.

Julii ad Mirandulana castra profectio.

(f) Trith. in chron. Hirsaug. hoc ann. Ferron. in Lud. XII. Paris eod. to.5. p. 625.

(g) Turs. l.2. hist. Lauret. c. 12. ex tradit. Laur. Guicc. l.9. Marian. l.30. c.2.

XLV. Decorarat Pontifex anno superiori Lauretanam basilicam, ut ex illius monumentis narrat Tursellinus: *Aram*, inquit, *maximam sacra supellectili augendam ratus egregium aræ amiculum ex veste attalica crispante argenteam crucem pondo librarum quadraginta illusam auro, & antiquo opere cœlatam: bina item sesquicubitalia candelabra ejusdem materiæ atque operis pondo XXVI. ab urbe misit, & extat in turbinata crucis basi titulus, haud obscurum indicium partæ a Pontifice Deiparæ virginis ope victoriæ. Julius II. Pontifex maximus Deiparæ virgini Lauretanæ dicavit anno MDX. In hoc signo vinces.* Addit author plura alia sacra ornamenta Lauretanæ ædi a Julio collata. Non illum autem spes sua fefellit, ut secuturorum temporum illustrabit historia: potitum autem ipsum hoc anno mense januario Mirandula referunt scriptores (h), e quibus Paris de Graffis rem ornatam suis circumstantiis ita describit (i).

Collata ab eo ædi Lauretanæ munera.

(h) Bonac. in diariis Guicc. l.9. Marian. l.30. c.2.

(i) Paris to.2. p. 625.

XLVI. *Die XX. januarii, qua fuit festum SS. Fabiani & Sebastiani, intelleximus oppidum Mirandulæ in deditionem Ecclesiæ venisse, magis tamen vi & belli extremitate, quam sponte; nam sanctissimus dominus noster, qui indesinenter in castris sub mœnibus ipsius oppidi fuit, nunquam ab expugnatione & a tormentis jaciendis cessare voluit, quin semper suus exercitus ad illius capturam procederet. Igitur oppidani, cum quibus domina illius oppidi quæ erat filia domini Jacobi de Trivultio nobilis Mediolanensis, & Regis Gallorum intimi sese discretioni dederunt, remittentes omnia ejus arbitrio. Et sic dicta die XX. januarii hora circiter XXI. ipse summus Pontifex Mirandulam ingressus est.* Vertit deinde studia sua Julius ad urgendum Ferrariense bellum, atque XI. februarii Imolam, ac vigesima Ravennam perrexit (k): cum ejus copiæ a Ferrariensi Gallicis viribus

Mirandula Pontifici dedita.

Versus in Ferrariensem bellum.

(k) Bonac. in diar.

Pontificius exercitus fusus. (a) Id. ib.

ribus suffulto deletæ sunt (a); ad lapsas tamen instaurandas res majori ardore incubuit, & Cardinalium collegium ad ingravescentem factiosorum hominum temeritatem reprimendam auxit, donatis publico sacræ purpuræ jure octo viris insignibus, cum quibus curas partiretur, quos triennio ante creatos Cardinales, sed non promulgatos vidimus, quorum nomina recenset Paris de Graffis, cujus frater pluribus gestis legationibus conspicuus sacris apicibus ornatus est; ait enim (b).

Auctum Cardd. collegium. (b) Paris ubi sup. p. 640. Contelor. in elench. Cardd.

XLVII. Cardinalium novorum nomina.

*Anno MDXI. Ravennæ die lunæ x. martii Pontifex Cardinalibus antiquis XI. præsentibus creavit novos Cardinales octo in totum, ex quibus fuerunt duo absentes; nomina eorum sunt Reverendissimus dominus Christophorus archiepiscopus Eboracensis natione Anglicus, & tunc Regis Angliæ orator: reverendissimus dominus Antonius de Monte archiepiscopus Sipontinus, & tunc auditor cameræ & rotæ: reverendissimus dominus Petrus de Accoltis episcopus Anconitanus natione Tuscus, tunc referendarius, & signator supplicationum gratiæ, & auditor rotæ ac vicarius Papæ in urbe: reverendissimus dominus Achilles de Graffis frater germanus meus episcopus civitatis Castelli natione Bononiensis, tunc referendarius & auditor rotæ, ac multarum legationum officio functus, sub sanctissimo domino nostro ad Regem Franciæ, apud Helvetios, apud Imperatorem, apud Regem Hungariæ, apud Regem Poloniæ: reverendissimus dominus Franciscus Argentinus episcopus Concordiensis, natione Venetus, tunc Datarius Apostolicus: reverendissimus dominus Bandinellus Saulus, natione Januensis electus secretarius Papæ, & multorum collegiorum officialis. Absentes autem fuerunt, reverendissimus dominus Matthæus episcopus Sedunensis natione Helvetius: reverendissimus dominus Alfonsus filius magnifici Pandalphi Petrutii primas Senensis, tunc electus Suanensis.*

XLVIII. Perculit ea novorum Cardinalium creatio seditiosos, qui e pontificia curia aufugerant; non tamen coercuit. Horum primus Christophorus Cardinalis Eboracensis creatus est in pontificio exercitu legatus, ut obsidionem Ferrariensem urgeret, ad quem hæ datæ literæ (c): *Fortissimum potentissimumque exercitum contra iniquitatis filium Alfonsum Estensem civitatem Ferrariensem ad dictam ecclesiam*, scilicet Romanam, *nunc devolutam, occupatam indebite detinentem paravimus, nihilque omittendum putantes, quod ad officium nostrum & ad facilitandam expeditionem recuperandæ dictæ civitatis pertineat: circumspectionem tuam ad expeditionem hujusmodi, ut eidem exercitui præesse debeas mittendam duximus; ut quæ nos coram, si per valitudinem & alias multiplices occupationes pontificias a civitate nostra Ravennate, in qua ad præsens cum curia nostra residemus, discedere licuisset, facturi eramus*, & infra: *tua exactissima & pervigili diligentia adimplere cures, &c.* Instruxit legatum Julius amplissima authoritate, ut Ferrariensem expeditionem cum dignitate conficeret. *Datum Ravennæ anno MDX. VIII. kal. aprilis pontificatus nostri anno VIII.*

(c) Lib. bull. 63. p. 243. Exercitus pro recuperanda Ferraria a Julio comparatus.

Superioribus addit idem Paris pervasisse rumorem de schismate a Gallis conflando; ac de militaribus Julii in eos & Ferrariensem consiliis gestisque hæc tradit: *Intellexerat Pontifex exercitum Gallorum, qui duci Ferrariæ favebat, quotidie magis augeri & fortificari, ut pontificio exercitui obsisterent, quo minus Ferraria caperetur: Hinc Pontifex examinatis omnibus de sua militia tam equitibus quam peditibus, & visa omni re bellica sine artigliaria sua, quod major & potentior esset, quam Gallica, nam Galli erant circiter septingenti equites, pedites vero sex millia, nostri vero ultra mille & quingentos ac peditum novem millia, statuit ut omnino Ferrariam adirent expugnaturi; maxime quod intellexit in ea cives contra milites Gallos, qui ibi erant custodiæ causa tumultum fecisse, & multos ex eis occidisse, populumque in parte optare deditionem in Pontificem: quod si Galli tam qui in castris, quam qui Ferrariæ essent pro libito niterentur omnino ad conflictam pugnæ devenirent. Itaque hac conclusione facta, & omnibus, quæ ad eam pertinebant ordinatis, dimissisque in castris suis duobus Cardinalibus, videlicet Senogalliensi, qui prius ibidem legatus fuerat designatus, & Cornelio natione Veneto admodum juvene, & ut credebatur parum in bellicis experto, ipse Bononiam reversus est septima februarii die, quæ fuit veneris ut inde cito recederet versus Massam & Lughum, unde reliquum gentis suæ pedestris ad exercitum mitteret in succursum aliarum gentium prædictarum. Sunt qui dicant Pontificem consulto Bononiam venisse ea ratione, ut si casu Galli prævalentes nostros fugarent ac superarent, ne cum eis etiam Pontificem caperent.* XLIX.

Pontificius exercitus quantus fuerit.

Ferrariensis expeditio.

Dum Bononiæ agebat hoc anno Julius die cœnæ dominicæ, quo hæretici & alii graviorum scelerum rei consueverunt solemni ritu anathemate percelli, in Mediolanenses pariter senatores, & aliarum Insubriæ urbium magistratus, ob præstita Gallorum Regi in exigendis novis vectigalibus ab eo impositis obsequia, sen- L.

Mediolanensis senatus censuris percussus.

tentiam apostolicam tulit, eademque pœna involuti qui ad sedem Apostolicam accessuros itinere prohibebant, aut jus ecclesiastieum invadebant, aut pontificiam ditionem occupabant: quo flagitio Gallorum Rex & ipsius administri se devinxerant; nec non Alfonsus Atestinus ob Ferrariam juris pontificii urbem retentam, & Jacobus Trivultius Gallorum dux qui Alfonsum ipsum regio imperio armis tuebatur eadem sententia involuti (a), omnibusque qui sentirent cum ipsis, sine ullo dignitatis vel ordinis discrimine anathematis & interdicti pœna est irrogata. Consignatur diploma hac loci & temporis nota. *Dat. Bononiæ anno &c.* MDXI. XVI. *kal. maii pontificatus nostri anno* VIII.

(a) *Lib. bull. 71. p. 150.*

LI. Actum de concordia inter Gallum & Pont.

Fiebant interea varia de concordiæ legibus Pontificem inter Gallumque colloquia: belli causas invidiamque quisque in alium se judice derivabat; Ludovicus enim Francorum Rex datis Blæsis nonis martii ad Henricum VIII. Anglorum Regem literis, questus est, omnem se operam in bello æquitate dirimendo, tuendisque fœderatorum juribus posuisse, atque episcopum Parisiensem ad Mantuanos cœtus ea de causa cogendos legasse: cui Henricus die aprilis sexto respondit (b) magno se ex iis discordiis, quæ ingentia secum mala traherent dolore affectum: rogasse literis ac per Eboracensem archiepiscopum oratorem suum Pontificem, animum converteret ad pacis consilia, quæ terreni principes summopere complecti debeant, ne fidei hostes Christianum nomen opprimant, addiditque Ferdinandum Regem Catholicum expeditionem conficere in Mauros, seque ejus rogatu auxiliares hippotoxotas mille lectissimos ex Anglia submittere: hæc magna cum laude ad amplificandum divinum cultum, fideique hostes obterendos bella geri.

(b) *Ext. ea de re lit. in append. act. conciliab. Pisan. p. 157.*

Anglorum Regis pium consilium.

LII. Mantuani conventus.

Quod vero ad Mantuanos conventus attinet, ad quos Parisiensem præsulem missum diximus; cogendi (c) ii erant, ut Italica confecta pace arma adversus barbaros verterentur, missusque eam ob causam a Maximiliano Cæsare Matthæus Langius præsul Gurcensis fuit, ab Hispano vero Rege duo oratores decreti: Pontifex tamen neminem eo misit; quod eos cœtus apud se celebrari percuperet, Parisiensemque episcopum ad se pellicere studuit (d); sed is imprudenti abreptus consilio negavit mandata se ea de re ab Rege accepisse, quique cum Pontifice ipso Regis sui causam peragere poterat, improvide Gurgensi legationis suæ summam commisit; unde ab Hispanis Germanisque oratoribus Gallicæ amplitudinis æmulis proditus (e) est, ac Pontifex in pristina deprimendi nominis Gallici voluntate confirmatus hæsit. Auditos vero Bononiæ quo Ravenna se Pontifex contulerat, hosce oratores refert Paris, ac gestorum summam ita enarrat (f): *Die veneris*, nimirum XI. april. *Papa mihi imposuit, ut locum consistorii præpararem pro admissione eorum oratorum in sede amplasua, & in aula solita cum decem aut circa Cardinalibus in eorum mantellis longis indutis, quod & feci; jussitque ut cum duobus mazeriis prodirem obviam usque ad habitationem eorum, & eos conducerem, ac quod postquam ipsi exposuissent literas credentiales, quod ponerem ipsum Gurcensem nimirum Matthæum Langium episcopum in scamno Cardinalium post ultimum diaconum.* Et infra: *Itaque conductos eos ante Pontificem feci quod genuflexi osculati sunt pedem, manum, & faciem Papæ, & rursus genuflexi manserunt donec hinc inde locuti fuerint. Et quidem Gurcensis dixit, se a Cæsare missum, ut ipsum Pontifici commendaret, & offerret sua omnia ad beneplacita Pontificis, hortareturque Papam ad tranquillitatem Italiæ & pacem inter Christianos, armaque hujusmodi committenda contra infideles; & sic literas præsentavit, quas Papa consignavit suo secretario: & idem fecit Catanensis, qui literas in lingua Hispanica præsentavit; sed eas antiquus orator Hispanus legit maximam humilitatem continentes, hortantesque Papam ad pacem, &c. Quibus lectis iterum Gurcensis aliqua dixit mandata Cæsaris, quasi ut prius: & mox Catanensis in laudem Gurcensis multa de mandato Regis sui bona dixit. Papa ad utrumque respondit commode aliqualiter taxans Regem Franciæ, qui nescio quo spiritu ductus ausus sit Pontificem impedire, quominus Italiam tranquillet, & suos rebelles vassallos corrigat.*

(c) *Paris to. 3. p. 667.*

(d) *Bonac. in diariis.*

Parisiensis episcopi error maximus.

(e) *Paris to. 3. p. 667.*

(f) *Paris tom. 3. p. 662.*

Cæsarea ad Julium legatio.

Hispaniæ Regis legatio.

LIII. Gallus Rex perstrictus.

Perstrinxit hisce verbis Julius Ludovicum Regem, qui contra leges ac jusjurandum Alfonsi Ferrariensis Romanæ ecclesiæ beneficiarii patrocinium susceperat; quem propterea Julius ipse ut defectorem opprimere annitebatur: quanquam illum accusant (g) Galli, Ferrariæ dominatum consanguineis suis tradere meditatum. Scripsit de hac Matthæi Gurcensis legatione, deque bellis Italicis Michael Coccinius, qui ab eo ad Pontificem de pacis cum Cæsare factionibus orationem habitam hisce conceptam verbis posteris prodidit.

(g) *Ferron. in Lud. XII.*

*Beatissime pater. Scripsit alias beatitudo tua ad invictissimum Cæsarem, quod ipse me huc ad se legaret pro tractandis componendis & concludendis negotiis, quæ pro honore & incremento suæ majestatis defer-*

vi-

*vire visa fuerim. Cæsar itaque quo desiderio tuo obtemperaret, me huc destinavit: prius tamen quam eu itinere arrepto me huc contulissem, beatitudo tua me monuit, & adhortata est, ut cum omni celeritate maturare conarer, quippe quæ curare velit, quo cum gloria, honoreque & Cæsaris & meo ipsius proprio in Germaniam repedarem, & maxime in re Veneta efficere velit, quod Veneti omnibus, quæ in Italiæ continenti possident; dempto Tervisium & Padua, quæ sane loca in feudum ab imperio recognoscere habeant, certam quotannis pecuniam Cæsari pro eisdem pensuri. Et quandoquidem Cæsari nequaquam honorificum foret, Venetis Paduam & Tervisium relinquere, nec aliquod habeo mandatum pacem conficiendi, nisi illis locis restitutis: quocirca sacratissimus Cæsar rogat atque obsecrat, ut beatitudo tua, si Veneti obstinate ea loca tenere nitantur, dignetur eosdem deserere, simulque ea omnia facere, quæ bonum confœderatum juxta conditiones fœderis Cameracensis oportet & consentaneum est.*

De pace inter Venetos & Cæsarem agitatum.

LIV. Hoc anno cum cæsareus exercitus supra Tarvisinos fines in Venetam ditionem duce Paliffia incurrisset, atque in Castrum novum, cui Hieronymus Æmilianus nobilis Venetus, postea congregationis Sommaschæ conditor a Veneta republica præfectus erat, belli moles esset versa (*a*), castro vi expugnato, Æmilianus a victore in squalidum carcerem inclusus est (*b*), in quo sæva multa perpessus, diræque mortis metu perterritus, ad B. Virginis, quæ Tarvisii colitur singulari pietatis studio implorandam opem conversus, post defleta anteactæ vitæ scelera, divinitus ab ea e carcere disruptis vinculis ereptus est, ut refert Augustinus Turtura in ejus vita (*c*): *Animum*, inquit, *ejus pene destitutum subiit Deiparæ virginis Tarvisinæ memoria; quam matrem misericordiæ mortalibus datam, unicum miseriarum solatium, & peccatoribus extreme laborantibus certissimum perfugium a Deo constitutum recordatur. In hujus igitur beatissimæ Virginis tutela salutis suæ præsidia collocanda putat, qua patrona & advocata si apud Deum utatur, non dubiam sibi scelerum indulgentiam, & æternæ salutis auxilium pollicetur: itaqua fusa illico ad Virginem non tam longo verborum ambitu, quam interno animi affectu & lacrymarum imbre gravis, & pia oratio, ne se miserum licet ejus clientela & patrocinio indignum tot circumvallatum calamitatibus, & tot pressum malis negligeret, se e Christianis illis peccatoribus unum esse, cumque insignem, quibus a Christo mater misericordiæ & commune perfugium data est: proinde ne abjectissimum famulum a filio sibi commendatum clementissima cœli Regina & Dei mater despiceret: de salute atque incolumitate animi prope desperanti mature subveniret: flagitiis criminibusque suis, quæ illi innumerabilia fateretur, ab irato Filio veniam & pacem posceret: non desereret patrona clientem, Regina servum, communis misericordiæ parens jacentem in sordibus & squallore filium. Adhæc se nudis pedibus eandem sacram Tarvisinam ædem invisurum, ibique certum sacrorum numerum suo ære curaturum, & voca tabulisque tam insigne beneficium palam testaturum voti religione obstrinxit. Cordi utique Deo beatissimæque Virgini fuere preces & vota: vix enim ea Hieronymus absolverat, cum sese oranti, & multis lachrymis supplicanti candida in veste, necnon cœlesti luce circumfusa, ac divina plane majestate conspicua Dei Genitrix obtulit, carcerisque tenebras insueto atque inexplicabili radiorum suorum splendore dispulit ac fugavit; ex oculis enim ac vultu, atque adeo toto celsissimæ Virginis corpore tanta claritas emicabat, ut neque posset in eam oculorum aciem defigere, nec emicantem inde fulgorem diutius intueri. Itaque hujusmodi spectaculis insuetus, terrore attonitus, totis artubus contremiscere, quid rei esset expectare; cum beata Virgo Hieronymum benigne intuita, & proprio compellans nomine, præsenti animo, & hilari vultu, omni cura vacuum esse jubet, cujus preces & vota, se advocata & patrona, essent a Filio clementer admissa. Ille animo erectus patronam suam intueri comminus haud commode potuit: cumque oculorum & animi voluptate quadam delinitus illam obniteretur attentius acriusque contemplari, tanto sensit radiorum vi obrutus aciem perstringi, ac prope obtundi, ut potuerit ardentem meridiani solis facem multo commodius intueri. Quare adhuc animo dubius, levi aliqua somni imagine se illusum putat; cum beata Virgo cœptis addit, ut vota solvat & vitæ emendatioris in posterum consilia ineat; tum manu ad eum porrecta, claves offert, quibus & vincula & carceris ostia reserare, & quacumque libeat, abire mandat. Fidem visi fecit expleta promissio; siquidem ille impiger ad jussa, acceptis clavibus, vinculis, & carcere reseratis, sensit haud vanam esse tantarum rerum imaginem: tum ad cœlestem patronam venerabundus, & in gratiarum actione totus effusus se convertit. Sed illa tenues in auras momento dilapsa lætissimum Hieronymum summo mœrore suo discessu complevit; qui eam-*

(*a*) Turf. in vit. Hieron. Æmil. l. 1. c. 5.
(*b*) Id. ib. c. 7. & 8.
(*c*) Eod. c. 8.

Hier. Æmilianus a Germanis in carcere tentus.

Commendat se B. Virgini.

A B. Virgine invisitur.

Liberatur acceptis ab ea clavibus.

*dem verbis & lachrymis dolore & lætitia simul intermixtis, actis intimo cordis affectu Deiparæ virgini gratiis e carcere liber egreditur.*

LV. *Extulit* (a) *e carcere, quo tanti beneficii sempiternum aliquod ad posteros extaret monumentum & probata fides, claves e cœlo sibi delatas; tum manicas & compedes cum pila marmorea, & reliqua crudelitatis instrumenta præter interiorem subuculam, cæteris vestibus nudatus. Ea sarcina quasi tropheo suæ victoriæ ornatus verius quam oneratus, sese in viam dat. Sed mon aliud imminet gravius periculum: vix enim aliquot passibus processerat; cum in exercitum Cæsaris incidit, & viam omnem armato pervigilique milite occupatam circumspectat. Expalluit Æmilianus, animoque corruit subito hostium incursu humanisque deficientibus, ad divina perfugia se convertit; invocat iterum patronam, & dominam suam, ut se præsenti periculo ereptum, certo itinere incolumem dirigat, precatur. Nec irritæ preces: vix enim ea compleras cum priorem & speciem & habitum referens beatissima Virgo præsto est, & mon miraculum miraculo cumulat, manum apprehendit, securum sequi iubet, & per medios hostes ferrea vincula gestantem, alienis oculis minime conspicuum educit: hoc præterea singularis benevolentiæ specimen addidit, quod Tarvisini itineris ignaro se comitem præbuit, donec civitatis mœnia in conspectum sese darent. Tum diva tutelaris & comes Hieronymi repente ex oculis sese mira celeritate proripuit, illius mente novo & insolito splendore divinæ lucis sub ipsum discessum illustrata & perfusa, occultoque igne divini amoris corde succenso.* Subdit author, ut Tarvisium ingressus manicas, compedes, colli vincula, & pilam marmoream clavesque in sacello B. Virginis e tholo suspenderit; indeque digressus Venetias per compita & vicos, inque area S. Marci beneficium a Deipara acceptum prædicarit.

(a) Cap. 9.

Per medium exercitum hostilem a B. Virg. deducitur.

LVI. Interea dum ingenti exercitu, quem ad centum millia militum ascendisse scribit Turtura (b), Cæsar in Tarvisinis finibus Venetos premeret, ad conquirendas conficiendæ pacis rationes Julius tres Cardinales, nimirum Raphaelem Riarium episcopum Ostiensem, Petrum S. Quiriaci Reginum, & Joannem Mediceum S. Mariæ in Dominica diaconum incumbere jussit. Addit Coccinus (c) Pontificem hanc concordiæ formulam proposuisse; nimirum acturum se cum Venetis, ut Veronam, ac Vicentiam Cæsari permitterent; Tarvisinum autem & Patavinum refusa auri vi jure fiduciario retinerent. At Gurcensem his aliisque non contentum abscessisse ait; neque vero eas pacis leges a Venetis acceptas fuisse, refert Petrus Justinianus (d), ac Veronam Vicentiamque a Veneto imperio non divellere constituisse; cæterum quod nonnulli tradunt (e) Gurcensem concordiæ colloquia amputasse, quod Pontifex Ludovicum Gallorum Regem pacis beneficio complecti detrectaret, ac potius extrema pati mallet; fuit illud a versipelli Gurcensi jactatum, ut sibi Ludovicum ipsum, quem prodebar, devinciret; siquidem artibus mendaciisque improvidum Parisiensem episcopum delusit, ne Gallicæ paci, cum Pontifice conciliandi sibi Francorum Regis percupido, componendæ operam navaret, ut narrat Paris de Grassis (f), qui diserte tradit, Gurcensem non publicam pacem conquisisse, sed ad spoliandos Venetos artes omnes instruxisse, superbeque se gessisse cum Pontifice.

(b) Turtur. in vit. Æmilian.

(c) Coccin. to. 2. rer. Germ. ex editione Forben.

Quæ leges propositæ a Pont.

(d) Petr. Just. l. 11.

(e) Bonat. in diariis.

Proditi Galli a Germano cui præsidebant.

(f) Paris to. 3. p. 660.

LVII. *Die*, inquit, *veneris* XXV. *aprilis, quæ fuit quinta feria post pascha episcopus Gurcensis orator Cæsaris abiit ex Bononia, de quo supra, licet multipliciter a Pontifice honoratus etiam usque ad Cardinalatus exaltationem exclusive; tamen sciens Pontificem animo esse infenso contra Regem Franciæ ob multas eius adversum Pontificem calumnias & iniurias contra sedem Apostolicam, noluit suo vero Pastori adhærere: itaque cum Pontifex expectaret ab hoc aliquam interponi debere concordiam, frustra actum est; siquidem iste episcopus, utpote a Rege Gallo subductus & corruptus, nihil cum Pontifice egit aut proposuit, nisi ut Pontifex redimeret Venetos, quibus adhæserat, cogeret eosdem, ut septingenta millia ducatorum Cæsari propter fructus civitatum ab ipsis antea usurpatarum, & propter belli sumptus a Cæsare factos persolverent; necnon ut ipsi Veneti darent Cæsari liberas civitates Paduam & Tarvisium, totum agrum Forumjuliensem; aut quod Pontifex faveret Cæsari contra Venetos pro recuperandis prædictis civitatibus; quæ cum dura admodum Pontifici viderentur, maxime quia præfatus episcopus nihil pro retributione Pontifici offerre se diceret, Pontifex tribus prioribus trium ordinum Cardinalibus rem concordandam demandavit: sed omnia incassum vitio Gurcensis cesserunt, nam ipse die veneris* XXVII. *aprilis post pascha abiit quasi illicentiatus, & pene insalutato Pontifice & senatu.* Et paulo infra: *Quod Pontifex animadvertens, illico oratorem Galliæ ad se venire petiit: qui tamen metuerat; nam eo usque cum Gurcensi venerat rem pacis tractaturus cum Pontifice; sed ille a Gurcensi citra venire inhibitus fuit*

Cæsaris oratoris gesta cum Pontifice.

Gallici oratoris inscitia res Gallica pessumdata.

ea

*ea persuasione, quia Pontifex eum audire nollet: quod falsum fuit. Itaque orator ille Gallus, qui episcopus Parisiensis erat, id quod falsum erat ab ipso Gurcensi audiens, significavit Regi se a Pontifice repulsum: propterea cum Pontifex eum vere requireret accedere, recusavit, donec Regem desuper consuleret.*

LVIII. Tentavit iterum Julius interprete Jacobi Regis Scotorum oratore pacem redintegrare, atque episcopo Parisiensi significavit, per se nunquam stetisse neque stare, quominus Italiæ orbique Christiano pax redderetur. Cum vero vicissim illi Gallum Germanumque excusarent, concordiæque rationes conquirerentur, importuno casu, quem accurrate describit Paris (a), hi conatus ad nihilum reciderunt: *Interea*, inquit, *reverendus pater dominus Alexander Fregosus episcopus Vintimiliensis natione Januensis, qui eu ea Januensium factione erat, qui Regi diffidebant, cum a Pontifice mitteretur Januam, ut populo defectionem in Gallos suaderet, captus a Gallis Mediolanum vinctus perducitur, & inquisitus confessus est, ut dicunt, Pontificis factionem: tunc Rex magis indignatus mandat suo exercitui, qui tum Ferrariensium duci favebat, ut in Pontificem Bononiæ agentem, inque Bononienses exercitum moverent, & Bentivolos a Pontifice ex Bononia exclusos reponerent. Quo comperto Pontifex, qui ampliorem habebat, quam Galli haberent exercitum, eu oppugnatione Ferrariæ ad tuitionem Bononiæ reduxit, ipseque personaliter in militiam profectus, legatum, qui tum erat Cardinalis Angliæ, ac omnes militiæ præfectos hortatur rogatque, ut Gallis instarent, tuerenturque libertatem Italicam, & nomen Latinum, ac principum eorum & Pontificii honorem: sed incassum hujusmodi exhortatio fuit, ac est; nam dux Urbini nepos Papæ & capitaneus generalis exercitus, sive quia timidus, utpote puer, sive quod affini suo duci Ferrariensi nocere nollet, sive quia, ut dicitur, a Gallis corruptus, rem in vanum egit, ne licet exercitui Gallorum cum suo exercitu obstaret facie tenus, tamen nec unquam bellare, cum fortior esset, nec obstare etiam quominus citra in Bononienses Galli venirent voluit; maxime cum populus Bononiensis in armis assidue esset, omnisque simul comitatus tam in plano quam in montanis contra Gallos unanimis esset. Accedebat quod Franciscus Alidosius tum Cardinalis Papiensis legatus & episcopus Bononiensis admodum infensus erat duci Urbinati, ita ut illius gloriæ clam & aperte invideret, ac insidiaretur: propterea, ne de Gallis gloriam reportaret dux, obstabat Papiensis; unde res eo deducta est, ut Pontifex cum Bononiensibus, & Bononienses cum Pontifice utrinque proderentur. Hinc factum, ut Pontifex in faucibus his male tutum se existimans, ab urbe Bononiæ discedere, & curiam alio transferre statuerit. Itaque re omni cum senatu recitata, die mercurii, quæ fuit* XIV. *maii, post prandium hora fere* XIV. *præter spem ac desiderium Bononiensium abiit mula simpliciter vectus usque ad ædem cruciferorum suburbanam; & ibi lectica inclusus Imolam pervenit, ubi & pernoctavit monasterio suburbano fratrum Minorum de observantia. Inde mane facto, auditaque ibidem in ecclesia missa, atque etiam milite quodam Cæsare puero admodum creato, Faventiam pervenit in lectica delatus, atque post prandium ad Forlivium devenit pluviis continue aut cadentibus, aut minantibus aquam. Postea in diluculo ex Forlivio movens prandium facturus Ravennam venit, ingressusque monasterium S. Vitalis habitavit triduum: inde in arcem se contulit, atque mansit, sive quod liberior esset accessus ad campestria, sive quod ibidem tutior viveret ab omni forsan instante casu. Interim quasi horis singulis nuntii e Bononia venerunt frequentissimi de Gallorum accessu versus Bononiam, & de constantia Bononiensium adversus Gallos pro patria & pro Papa: sed quo magis Papa suos milites jubet contra Gallos adoriri, eo minus agitur. Itaque ad usque Rhenum Galli pervenerunt; nec tamen unquam Pontificis exercitus se movit. Omitto damna intolerabilia Bononiensium tam a Gallis passa, quam a nostris immo longe plura a nostris; sed prudentia Cardinalis de Grassis, qui tum Bononiæ jussu pontificio remanserat, effecit, ut ob sanctæ Romanæ ecclesiæ reverentiam populus ille omnia patientissime tulerit usque modo, quamquam ipse Cardinalis sæpe ad Pontificem scripsit, rem eo deductam, ut patriæ illi miserendum jam potius, quam succurrendum foret. Pius autem Pontifex nunc flens ob desperationem, quia se a suis proditum videbat, nunc ob spem factus animosissimus nihil parcebat, quin omnia faceret, unde suis fidelissimis civibus succurreret, semper se proditum dictitans ab iis, qui sibi magis atque magis succurrere & favere deberent. Multi crediderunt ipsum de legato diffidere, opinantes ut si res male cederent, ipsum de legato tanquam proditore pœnas sumpturum.*

Nonnullis adversus Alidosium interiectis modum describit (b) author, quo civitas ad Gallos defecit: *Hora*, inquit, *inter primam & secundam noctis quidam Laurentius Ariostus, & Paxottus Fantutius, & Annibal Ursius, quibus legatus noster* LIX.

(a) Coccin. de bell. Ital.

(b) Eod. l. 3. pag. 673.

Bononia tentata a Gallo.

Julius Bononia discedit.

Ravennam se confert.

Gallorum progressus.

*ster curam custodiendæ portæ S. Felicis, antequam hostes Galli castra metati erant, vocatis nonnullis satellitibus suis præter eos, quos legatus assignaverat: qui omnes euntes ad ipsam portam nomen Julii ac Ecclesiæ vociferabantur; & dato signo hostibus, ut propius accederent, cum id signum audirent, aperuerunt portam ferro & igni; & sic illico hostes Galli, cum quibus erant Bentivoli, ingressi sunt clamantes titulum & nomen Bentivoli ac Gallorum. Cum autem porta rumperetur, non enim sic cito rupta est, quin ecclesiastici optimi cives a tergo factiosorum succurrerent, impedientes confractionem portæ; consulitur legatus, ut succurrat, contra proditores: qui ad malum natus, & qui populum & civitatem, ac Pontificis honorem barbaris vendere statuit, blande respondit, non timendum esse, quoniam optime rebus omnibus & saluti omnium consuluisset. Itaque cum alius atque alius ad eum confugiunt hoc idem annuntiantes, ipse Judas proditor simulato habitu cum suis satellitibus circa centum aufugit eu palatio versus arcem: ubi cum & portam proditorie Bentivolis traditam, & alia sua designamenta bene successisse cognovisset, ex arce abiit & aufugit ad castellum de Rio patriam suam.*

Gallorum in Bononiam irruptio.

Legati fuga.

LX. Addit Paris his acceptis Pontificem Cardinalibus captam factiosorum proditione Bononiam significasse, excusasse legatum qui feroces in pontificium nepotem Urbini ducem ut ignavum minas effuderat: cumque exercitus pars dissipata esset a rusticis collectitiis indignantibus quod signa in hostem non sustulisset, de eo reficiendo dedisse mandata, ac Urbinate revocato illi ducem Terminorum Hispanum præfecisse. Interea Francisco Cardinali Alidosio significatum placatum illi esse Pontificem, ac ne munus ei abrogaretur Ravennam se contulisse; cumque ex equo desiliret vulneribus a duce Urbini proditionis crimen illi obiiciente confossum narrat author, non ausis legati stipatoribus contra hiscere, cum cædem a Pontifice imperatam interpretarentur; moxque Urbinatem patrato facinore fuga inde se proripuisse; tum subdit Paris: *Cardinales & prælati omnes nullo penitus discrepante, rei modum, & atrocitatem in homine ecclesiastico Cardinali & legato apostolico damnarunt equidem, sed rem factam elevatis manibus approbarunt. Pontifex vero plusquam ullum unquam aut amicum aut nepotem defunctum flevit, etiam moderamen ejulandi excedens tam in lachrymarum effusione & sui ipsius in pectore percussione, quam aliis doloris & mœstitiæ argumentis; nam neque cibum tunc capere voluit: quin illico abiit eu Ravenna, cum non nisi in crastinum statuisset; dicunt autem ipsum in lectica occulte vectum assidue plorasse, & ob id cum in Ariminum ingressurus esset, non nisi obscura nocte ne lachrymabilis conspiceretur, ingredi voluit.*

Alidosius Card. a duce Urbini trucidatus.

Pontificis discessus e Ravenna.

Eo graviore dolore affectus est Julius, quo contumacius transfugæ Cardinales se contra ipsum erecturi erant, scelerisque invidiam ei creaturi, tum quod; uti scribit Hieronymus Rubeus (*a*), ecclesiasticæ majestatis adeo graviter a nepote violatæ vindicem præcipuum adversus Regum potentiam assertoremque se profiteretur: *Tulit*, inquit, *id facinus Pontifex iniquo admodum animo, cœpitque elatis in cœlum clamoribus miserabilique ejulatu conqueri; neque enim cum Cardinalis sibi charissimi necem sub suis perpetratam oculis, cardinalatus dignitatem a fratris filio novo exemplo adeo turpiter violatam ferre poterat, præsertim quod multo quam cæteri Pontifices diligentius atque ardentius ecclesiæ Romanæ authoritatem conservare & efferre profitebatur. Hoc igitur dolore supra quam dici potest incensus, tum etiam ne quam par esset diutius in tanto appropinquatis exercitus tumultu urbem Romam intempestive atque imprudenter deserere videretur*, & infra: *eodem die duabus post trucidatum Cardinalem horis Ravenna profectus Romam rediens, Bononienses gravi edicto Christianæ communitatis expertes fecit, sacroque anathematis telo affecit*. Institutum fuisse Romæ adversus Urbinatem de cæso Cardinale judicium refert Stephanus Infissura (*b*), ejusque causam, quam se egisse ait, cognoscendam sex Cardinalibus fuisse demandatam, ac demum illum absolutum, nimirum Pontificis gratia: plures enim tradunt Bononiam mobilis populi conversione atque ipsius Francisci Urbinatis militari imperitia (*c*), non Cardinalis Alidosii legati proditione amissam, ejus tamen demortui nomen ejusmodi crimine maculatum fuit; referque Paris (*d*), Cardinales dum pontificium dolorem ex illius cæde acceptum lenire conabantur, proditionis labem eidem intulisse: ita abiit Cardinalis Alidosii amplitudinis & authoritatis (quam tantam fuisse ajunt, ut Pontificis Pontifex, Regisque Francorum Rex diceretur) splendor in triste rerum humanarum volubilitatis exemplum, vitreamque esse humanam fœlicitatem ostendit. LXI.

(*a*) *Rub. hist. Raven. l. 8.*

Julius plangit a nepote læsam ecclesiasticam majestatem.

Bononienses perculsi anathemate.

(*b*) *Infiss. ms. arch. Vat. sig. n. 111.*

Urbinas absolutus.

(*c*) *Guicc. l. 10.*

(*d*) *Paris ubi sup.*

Antequam vero Ravenna Julius discederet, exercitui XXII. maii præfecit Petrum tit. S. Cyriaci in thermis presbyterum Cardinalem, ac Bononiæ ex Hannibalis atque Herculis Bentivolorum tyrannide vindicandæ operam dare jussit (*e*): LXII.

(*e*) *Lib. bull. 85. p. 94.*

cum

cum vero idem Petrus legatus castrensibus laboribus subeundis impar obiisset, dein lapso quadrimestri Joannem Medicem S. Mariæ in dominica Cardinalem ob juventæ florem impigrum ad labores, prosapiæ claritate florentem, bellicisque studiis idoneum, legatum renuntiavit, (a) atque amplissimis hisce aliisque mandatis instruxit : *Te civitatis Bononiensis, & exarchatus Ravennæ, ac totius Romandiolæ hujusmodi, necnon aliorum quorumcumque ad quæ te declinare contigeris, locorum & exercitus hujusmodi nostri, nostro & dictæ Romanæ ecclesiæ nominibus, ad complendum expeditionem recuperationis Bononiensis & Ferrariensis civitatum, & aliorum locorum, terrarum, & oppidorum in ducatu Ferrariensi & comitatu Bononiensi consistentium, cum omnimoda potestate percipiendi, gerendi faciendi, exercendi & terminandi, quæ ad hujusmodi legationis officium pertinere cognoveris, ac necessaria & utilia esse conspexeris, de simili consilio legatum de latere authoritate apostolica creamus, facimus, constituimus, & deputamus; firma spe fiduciaque conceptis, quod inspirante Altissimo, & gressus sermonesque tuos dirigente quod peroptamus perficies : nos enim processus, sententias, censuras & pœnas ecclesiasticas, quos & quas ferri, infligi, & promulgari, ac omnia, quæ per te fieri contigerit, rata habebimus & grata, eaque faciemus authore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MDXI. pridie. non. octobris pontificatus nostri anno* VIII. Captum Cardinalem ipsum in acie a Gallis commisso cruento cum iis prælio; sed cum in carcerem transalpinum duceretur, feliciter elapsum, conscendere apostolicum solium visuri sumus.

(a) *Lib. bull.* 80. *p.* 3.

Instructus mandatis pro Bononia & Ferraria recuperandis.

LXIII. Gallus invidiam contrahit ob captam Bononiam.

Cæterum ex erepta Pontifici Bononia maximam sibi Ludovicus Francorum Rex invidiam conflavit, adeo ut ad evertendam ejus potentiam plures Reges conspirarint : neque minus ipse liberare se odio studuit, atque apud Jacobum Scotiæ Regem questus est (b), arma a se invite sumpta in Pontificem : Genuam ab illo ad rebellionem solicitatam; abalienatos etiam ejusdem artibus a Gallico nomine Helvetios fœderatos; quamvis vero de pace a Pontifice, qui Cardinalem Nannetensem (c) sanctimoniæ vitæ laude conspicuum ad Trivultium miserat, postularetur, eamque Regis Scotorum orator urgeret (d), levibus tamen de causis Bononiam Romanæ ecclesiæ restituere abnuit, ac salubria Ferdinandi Hispaniarum & Henrici VIII. Angliæ Regum consilia respuit. Excitabantur (e) illi a Julio, ut pontificiam majestatem tuendam susciperent : a Gallo transfugarum Cardinalium factionem ali, ad Ecclesiam Dei funesto aliquo schismate labefactandam : ab eodem ecclesiasticas urbes expugnari. Cujus rei indignitate permoti socialia expedire arma decreverunt : prius tamen Ludovicum ipsum officii & æquitatis monuerunt; de Ferdinando enim refert Joannes Mariana (f) : *Ferdinandus Rex Catholicus alienum se ab iis molitionibus ostendit eo majori studio, quod in edictis in eam voluntatem ipsum conspirasse significabatur cum Cæsare : quinetiam egit, ut eo conatu desisteret : superioris temporis calamitatum exempla, & vulnera recentia vix cicatrice obducta satis indicare, ea consilia conatusque præposteros infeliciter cadere : qui res novari cupiunt & imperia mutari, quid aliud quam sibi & aliis exitium parant? Quid ea ratione eoque itinere quæri, quam dissidiorum & tetri schismatis materiam? Præterea Cabanillæ suo in Gallia legato mandavit blandis quidem verbis, testato tamen Gallum Regem moneret, ut Bononiam cum subjecto agro Pontifici restitueret, neque pateretur alia pontificiæ ditionis oppida a suis occupari, ac multo minus Ecclesiæ pacem turbari concilio convocato : si secus faxit, ne quid præterea respublica detrimenti capiat curæ fore. Excusavit Gallus a Pontifice motam fœderis fidem, neque pactis eum conditionibus stetisse.* Poscebat nimirum, ut Cameracensis fœderis leges instaurarentur : sed neque justum erat everti rempublicam Venetam, nec tutum urgere eorum excidionem, ne Turcas ex desperatione in Christianos effunderent. Flagitabat etiam, ut exauthorati factiosi Cardinales in pristinas dignitates restituerentur : nec Bononienses, qui se regiæ fidei crediderant, pontificiæ ultioni exponere detrectabat; quare a Gallico fœdere desciviisse Ferdinandum addit Mariana (g) : *Deposita media persona palam ad Pontificem transiit, tanto studio ejus dignitatem ab injuria tuendi, ut Africano bello neglecto, quo ire cogitarat, in unam belli Italici curam toto pectore incumberet, eoque mille sagittarios, persoluto tamen stipendio, dimisit, qui Cades pervenerant junio mense, ab Anglo genero missi in bellum Africanum auxiliares. Ad hæc cum eo Rege sanxit, ut nisi Gallus Bononiam restitueret Pontifici, neque a conatu concilium agitandi desisteret, ac potius finibus Hispaniæ arma inferret Ferdinandus, dum bello Italico districtus esset, occuparet ipse conatus, atque, ne nocere posset, Aquitaniam bello implicaret.*

(b) *Ext. ejus lit. in append. auct. conciliab. Pis. p.* 160.

(c) *Guicc. l.* 9. *in fin.*

(d) *Bonac. in diariis.*

Salubria Regum consilia spernit.

(e) *Coccin. de bellis Ital. Marin. l.* 30. *c.* 3.

(f) *Marian. l.* 30. *c.* 3.

Pontificiam dignitatem tuetur Hispanus adversus Gallum.

Gallorum Regis pro pace postulata.

(g) *Id. ib.*

Intermissa ab Hisp. expeditio Africana.

Ad-

LXIV. Addunt Anglici historici (*a*) Henricum antequam id bellum indiceret, legasse ad Ludovicum Regem Francorum pium sacerdotem Joannem Junghe, qui eum blandis verbis ad pacem æquis conditionibus cum Romano Pontifice redintegrandam permoveret; hasque leges concordiæ proposuisse, ut Bononia Romanæ ecclesiæ restitueretur; a Pisano conventiculo schismatis seminario agendo absisteret; denique causam Alfonsi Ferrariæ ducis per æquos arbitros dirimi pateretur. Æquissima erant hæc postulata, quæ Ludovicus decretum antea in se bellum urgente Bonvisio pontificio internuntio indignatus respuit; quare Henricus expedivit arma, deditque sua studia cum Ferdinando Hispano Rege, ut Maximilianum a Gallico fœdere abduceret. Consuluisse autem eidem Ferdinando Ximenium Cardinalem, ut omisso Africano bello laboranti Romanæ ecclesiæ opitularetur, necnon Julio addidisse animos, illique auri subsidiarii vim ingentem ad reprimendos Gallicos impetus obtulisse, refert Gomesius (*b*): *Res*, inquit, *indignissima Ferdinando pontificiæ authoritatis maximo semper assertori & vindici est visa: idcirco cum Ximenio cæterisque proceribus & episcopis, qui Hispalim convenerant, de ea re deliberat. Respondere omnes, frustra externa bella adversus hostes religionis quæri, si interim domi intestinis bellis caput religionis impeteretur. Igitur mutata sententia ab Africæ limine Ferdinandus pedem referens in Italiam vires suas & arma convertit: Carvajalo pontificatum Seguntinum detraxit, cui Fredericum Portugallium præfecit: Ximenius in quem multa Julii Pontificis extabant merita, nam ab ipso in senatum Cardinalium allectus, inquisitoris maximi officio ad Regis votum cohonestatus, & academia Complutensis non mediocribus privilegiis aucta fuerat, peculiari etiam affectu in Julium propensus, quem incredibili animi vigore Ecclesiæ patrimonium tueri animadvertebat, & tyrannorum conatus & vires infringere, per procuratores nuntiare jubet, ut nulla adversariorum potentia aut machina debilitatus a proposito suscepto discedat, neve pessimis hominibus rempublicam Christianam evertendam & dilaniandam permittat; se autem pro debita pietate & observantia in sedem Apostolicam & Dei vicarium quadringenties nummum aureorum statim ad urbem per publicos argentarios numeraturum, seque ipsum, si opus foret, exercitum coacturum & in Italiam iturum. Volueras quidem Rex de subveniendo Pontifici celari; ineunte autem vere Malaca solvere, quasi Africam peteret & in medio cursu ad Italiam obvertere: sed fieri non potuit quin hasce artes Gallus præsenserit, & inter suos jactaverit, se illum plane esse Saracenum, quem cognatus Ferdinandus classe Gaditana oppugnare & evertere pararet. Dedit igitur operam, quam potuit maximam, ne imparatus opprimeretur, & quæ necessaria ad futurum bellum videbantur, ut in promptu essent, laboravit. Multis interea prodigiis perterrefacta Italia trepidabat; nam Mutinæ ad D. Francisci cœnobium faces noctu in aere ardere sunt visæ, interdiuque in eodem loco effigies humanæ strictis ensibus cominus astare, & sese invicem confodere.* Nonnulla etiam prodigia ostensa Florentiæ refert Petrus Delphinus (*c*), ac Florentinos ob immunitatem ecclesiasticam violatam sacris interdictos indicat; commendatque Benincasam priorem Camaldulensem, quod reipublicæ Petrum Soderinum Florentinæ rei principem de clero oppresso libere arguisset: *Ostendisti amico tuo fidem aperiens ei periculum in quo versatur, si vexare perrexerit inviso Pontifice sortem Domini. Signa ei & portenta, quæ paulo ante Florentiæ & in ipsius præsertim palatio visa sunt ingenue satis commemorasti; quæ si quis pacata mente consideret, haud temere territus contremiscat. Quid enim nocturna illa fulmina præter temporis hujus rationem totum fere palatium pervagata; quid tria illa lilia super ostium palatii sita unius ictu fulminis simul exusta & concremata significent, ac portendant non est meum explicare; unusquisque in suo sensu abundet; ego, ut prodigia ista bonum innuant & non malum vehementer cupio, &c. Ex Fonte bono dies* XIX. *novembris MDXI.* Depulsum proximo anno principatu Florentino Petrum Soderinum, ac Florentinos jugum pati coactos, qui clerum iniquo dominatu premebant, dicetur inferius.

(*a*) *Polydor. Verg. l.27. aliique & Ferron. l. 4.*

Æquissimæ pacis leges ab Anglo propositæ.

(*b*) *Gomesius de rebus gestis Franc. Ximen. l.5.*

Pontifici opem ferre decernit Ferdinandus.

Prodigia malorum prænuntia.

(*c*) *Pet. Delph. l.10. ep.40.*

Nonnulla etiam Florentiæ ostensa.

LXV. Adiisse porro Mutinam, quæ pontificiæ ditioni se submiserat maximum discrimen, divinaque tantum ope ab imminenti exitio vindicatam, traditur in MS. codice bibliothecæ nostræ Vallicellanæ (*d*): cum enim Carolus Ambasianus, apud quem Gallici exercitus in Italia erat imperium, urbi immineret, S. Geminianum Mutinensem olim episcopum de cœlo lapsum senis specie Carolum ipsum ab eo consilio abduxisse, & erumpentes Mutina armatas phalanges ostendisse: territum vero spectris exercitum Gallicum Mutinensis prædæ avidum in fugam se conjecisse ita refert: *Anno post natam salutem nostram MDXI. Carolus Ambasianus cum in Italia Christianissimi Galliarum Regis vicem gereret,* Gal-

(*d*) *MS. Galloni Vallicell. bibl. sign. lit. B. p. 323.*

Gallorum adversus Mutinam expeditio.

*Gallicoque exercitui imperaret, equitum pedidumque magnas copias, quas apud Herberiam oppidum munitissimum septem millia passuum ab urbe nostra distans habebat, omnibus item bellicis machinis tormentisque instructus, Mutinam admovere instituit, cum sibi persuasum haberet facile fore, ut eam immunitam omnique præsidio penitus spoliatam dirueret. Jussit itaque scalas cæteraque urbi oppugnandæ necessaria parari, clamque silentio noctis Sicilam flumen militem tum plaustris tum vadis transvexit, ac usque ad divi Leonardi ad urbem quingentos circa passus perrexit: venissetque eu eorum execrabili voto urbs Mutina in ultimum discrimen, ni B. Geminiani pastoris protectorisque nostri precibus ac meritis, Deus misericors manum suam super nos protendisset divinitus.*

In extremum discrimen urbs adducta.

*Itaque factum est, ut B. Geminianus sub senis specie Carolo Ambasiano ibidem occurreret, seque nuper eu urbe profectum simulans, his verbis percontaretur. Quo tenetis iter, Mutinamve tenditis? eam forte imparatam offendere putatis? heu miseri, quam longe falsa sit opinio vestra mox videbitis; ipsa enim urbs non a viribus tantum quibus vobis resistere possit est parata, verum etiam tantas habet copias, quarum proculdubio impetum sustinere minime possitis, quodque a vestris cogitationibus plane est alienum: nihil mihi dubium est, quin modo earum eruptionem expectare audeatis ad unum omnes occidione occidamini. Confestimque digito eis ostendit erumpentem porta exercitum, eorumque visus est videri oculis, itemque auribus audiri tympanorum horribilis sonus, tubarumque clarus clangor.*

Divino prodigio liberata a S. Geminiano.

*Quibus visis auditisque tantus ferocibus ac invictis animis iniectus est terror, ut dissipati ac palantes nullius rei nisi fugæ memores vanis hostibus tergiversarentur, ac in trajectu effusi jam fluminis sexcenti fere milites submergerentur, cæteri partim Herberiam, partim Regium, alii Corrigium fugientes se reciperent. Corrigium Carolus ipse Ambasianus aufugit, ibique seu visæ rei horrore, seu fugiendi labore, vel alia quapiam causa gravi morbo correptus, cum prope esset, ut mortem cum vita commutaret, reverendo patri Angelo de Faventia ordinis Prædicatorum inter suorum peccatorum confessionem, quod noctu viderat revelavit, ac venerandi senis relationem omniaque ex ordine visa peregit. Is autem post ejusdem mortem, quæ eodem anno ad VI. idus martis accidit, reverendissimi Cardinalis Papiensis Bononiæ tunc legati permissu publice omnia quemadmodum a duce Gallorum audierat manifestavit, atque aperuit; quodque domi forisque diligenti facta inquisitione ad rei, prout erat, veritatem ventum est, non multo temporis intervallo eum diem, qui fuit ad XII. kal. martii, Mutinenses solemnem habere instituerunt.*

A spectris fusus exercitus Gallicus.

Caroli Ambasiani mors.

Pœnituisse Carolum Ambasianum, cum sibi finem vitæ adesse intellexisset, gesti in Romanam ecclesiam belli tradunt (a), missoque oratore criminis veniam, utque censuris, quibus devinctus fuerat ob vexatum armis Pontificem, solveretur, supplicem flagitasse; antequam tamen veniæ nuntium acciperet ab hominibus demigrasse.

Poposcit veniam ob gestum bellum in Pont.

(a) Guic. l. 10. ubi sup.

LXVI. Gastonis Fuxensis minæ contrario exitu elusæ.

Successit ei militari imperio Gasto Fuxensis; qui cum Mutinensibus sua adversus Gallorum vim tutantibus minitatus esset, ubi e Ravenna rediret, flammas per Mutinam sparsurum, vates extitit inopinato eventu; quippe proximo anno in Ravennate prælio cæsus per Mutinam ejus cadaver innumeris præeuntibus facibus deportatum est, ut in eodem Vallicellano MS. narratur. Ejus vero prælii sequenti anno commissi apparatus ingeotes hoc ipso facti fuere; initum cum Pontifice plorium Regum fœdus: decretum Raymundo Gardonæ Neapolitano proregi socialis exercitus summum imperium: conversæ in Italiam copiæ, quæ in Africam trajecturæ erant, de quibus a Ferdinando Rege certiorem factum Francisoum Cardinalem Ximenium narrat, regiasque literas multa memoria dignissima continentes affert Gomesius (b): *Earum*, inqoit, *autographum exemplum per Almazanum secretarium scriptum, & Regis ipsius chirographo notatum, quoniam in manus meas devenit, compendio inserendum hoc loco duxi.*

Africanæ copiæ conversæ in Italiam.

(b) Gomes. de reb. gestis Card. Ximen. l. 5.

*Reverendissime in Christo pater Toletane Pontifex, Hispaniarum primas, cancellarie maxime, & summe inquisitor adversus hæreticam pravitatem, qui nobis semper conjunctione amicus, observantia parens es habitus.*

*Ipse tu mihi consiliorum meorum particeps abunde testimonio esse potes, quot rationes hactenus inierim, quantamque industriam & cogitationem adhibuerim, ut Bononia & reliquæ urbes & oppida, quibus Romana ecclesia per Regem Gallorum privata est, Pontifici Maximo restituerentur, ne tumultus & schismata in republica Christiana acciderent: id quoniam neutiquam efficere potuimus Ecclesiæ clamoribus & querelis concitati auxilium nostrorum assidue implorantis, reverentia & obedientia, qua omnes Reges Christiani in illam tenentur, moti, commodis privatis posthabitis, & expeditione quam adversus reipublicæ hostes paraveram prætermissa, ad sedis Apostolicæ immunitatem defendendam, &*

Sumptum Pontificis patrocinium.

*Christi vicarium conservandum, nostræque religionis caput tuendum, & in pristinam authoritatem asserendum, Deo optimo maximo, cujus causa agitur, auspice, omnes meas vires convertere decrevi. Ad eam rem ea dignitate nostra gerendum quarto nonas octobris die sibi fausto ob divi Francisci religionem, fœdus cum Pontifice maximo & illustrissima Venetorum republica pepigimus, quod ut vulgaretur curavimus, locum in eo serenissimis Imperatori fratri nostro, & Anglorum Regi charissimo filio ut per legatos petierunt, relinquentes. Porro intra vigesimum divulgati fœderis diem Raymundus Cardona, qui vices nostras Neapoli agit, Imperator exercitus ad pontificiam restitutionem per principem fœderis declaratus, extemplo cum mille ducentis cataphractis equitibus & levis armaturæ circiter mille, & decem millibus peditum Hispanorum, & tot bellicis tormentis, quæ satis ad usum exercitus sufficiant, justis itineribus ad quærendum hostem, & loca per ipsum occupata recuperanda procedet: hunc sequetur Termenensis dux cum sexcentis pontificiis equitibus.* (Obiisse in ipso belli conatu ducem Termularum refert Paris: deque Raymundo Cardona tradit, illum extremo anno sacris muneribus, gladio nimirum & pileo sacra precatione consecratis natalis dominici pervigilio ornatum; Helvetiorum etiam ductorem pari dono decoratum, nec non Cardinalem Sedunensem decretum ad Helvetios in Gallum concitandos. Pergunt Ferdinandi Regis ad Ximenium literæ.)

Fœdus cum Pont. & Venetis ictum.

Raymundus Cardona præfectus Hispano exercitui.

LXVII. *Ab altero latere, quod a septentrione est Venetæ acies Gallum circumvenient; mare vero copiosa pariter, & prævalida classe occupabimus, quo melius quæ cupimus assequamur: etenim duo sunt nobis ante omnia curanda, ne quis princeps aut Italiæ regulus Ecclesiæ dignitatem adversis armis ullo pacto labefactet, deinde ut cum iis, qui Ecclesiæ loca præter fas tenent, bonis conditionibus, si per eos licuerit potius, quam cruentis certaminibus rem totam componamus. Quocirca maximo studio & affectu peto, ad omnes templorum aras Deum immortalem supplicandum cures, ut Ecclesiæ suæ causam tueri, & ejus unionem conservare, universoque Christiano orbi pacem & concordiam propitius conferre velit; sic enim ab intestinis dissidiis liberi adversus Christianæ religionis hostes cuncti unanimes dimicabimus: quod ut fiat in concilii Lateranensis indictione Pontifex maximus se curaturum pollicetur: quæ omnia cum reverendo episcopo Bertonorensi Pontificis Maximi internuntio, quem jam Barcinonam appulisse, & ad nos recta venire scimus, tibi esse communicanda censeo. Dum hæc scribo ex Galliis allatum est, ad Pisanum concilium quotquot conveniunt invitos trahi: literæ postridie nonas octobris sunt datæ. Ex Anglia serenissimus gener noster eandem nobiscum fortunam fœderis inisi experturum se promisit; ejus literæ IV. kal. octobris sunt datæ. Ab Imperatore Maximiliano omnia secundum voluntatem nostram offeruntur: literæ sunt benevolentiæ & optimæ spei plenæ, ante tertium diem kal. octobris scriptæ. Eam principum Christianorum consensionem intuentes, ne quid intentatum relinqueremus, quod malevoli homines objicere, aut saltem [quod magis veremur] numen incusare possent, rursus Gallum fratrem nostrum admonuimus, ut ab armis in Ecclesiam infestis suos milites discedere cogat; nam si secus faxit, vires nostras nos universas illi oppositturos, quo Ecclesiæ authoritatem defendamus, & vim omnem & tyrannicum impetum a communi matre propulsemus. Vale reverendissime in Christo pater Cardinalis nobis chare & dilecte amice ac domine. Deus optimus maximus in omne tempus tui curam suscipiat. Dat. in oppido S. Crucis XVI. kal. novembris anno salutis nostræ MDXI.* Hæc ad Ximenium Burgis agentem tam prolixe scripsit, ut bellum quod parabat, tandem per virum gravissimum vulgaretur, & constaret ratio, cur in Africam confecta expeditio alio transferebatur, ne ipsum quis leviter sententiam mutatam crederet.

Per tyrannidem congregatum Pisanum conciliabulum.

Maximilianus Hispano se conjungit.

Denuntiatum Gallo bellum ni a Pont. oppugnando absistat.

Magno rei Christianæ exitio fuit hæc discordia, & efflorescentem Christiani nominis in Africa gloriam labefactavit: consternata enim superioris anni victoriis & expeditionis a Ferdinando Rege conficiendæ apparatu Mauritania magna ex parte in fidem ejus ac potestatem venit, antequam se ex Hispania movisset; quapropter prona omnia ad Ferdinandum dum futura spes ingens affulserat, si a gloriosissimis cœptis ob Italica bella revocatus non fuisset, de quo hæc refert Coccinus (a): *Ne videar Hispanos ex industria velle debita defraudare laude, obiter explanabo, quæ ab his tum gesta fuere: & si ipsi armorum vi nihil eo tempore attentarint, attamen belli ostentatione id tum assecuti sunt, quod Rex Numidarum, qui nunc Rex Tunicensis nuncupatur, sese subditum & tributarium Regi Catholico constituerit: is nempe Rex accipiens belli apparatum, quem Hispani contra Africam instruxissent, missis oratoribus ad Regem Catholicum, suppliciter ab eo petivit, quo se in protectionem & amicitiam perpetuam accipere dignaretur, pro qua sane re paratus ipse sit facere donationem firmam & ratam de omnibus ci-* LXVIII.

vi-

(a) Cocc. de bellis Ital.

Numidarum & Tuneti Reges vectigales se Ferdinandi constituunt.

*vitatibus & castellis in littore maris sitis, & ab eo tentis. Item quod velit easdem terras una cum Christianis defendere, & omnia damna eisdem per Saracenos evenientia persolvere. Item quod singulis annis velit ei viginti millia ducatorum tributi loco pendere. Item quod si Rex ipse Catholicus cum exercitu pertranseat ad expugnanda alia Africæ regna quod & ipse una cum eo ad quorumcumque populorum expugnationem proficisci velit: quod si ipsemet non transeat, sed exercitum mittat, obligat se ad præbendum commeatus, equos, & mulos ad portandum omnia necessaria ad exercitum. His conditionibus Rex Catholicus assensum præstitit, ac ipsum Regem Numidarum in protectionem & amicitiam recepit magnis & firmis conditionibus acceptis. Quærebat autem dictus Rex Numidiæ pacem perpetuam, sed eam non nisi ad quinquennium assequi potuit.*

LXIX. Prona ad jugum subeundum Africa.

LXIX. Non modo Tunetanum Regem, verum etiam Tremesenium & Cadilhametum principem, nec non Algerii regulum Christiano imperio se subjecisse tradit Gomesius (a); adeo ut si Ferdinandus Rex in Africam traiiceret, sub illius signis ad reliqua barbarica regna debellanda se facturos stipendia pollicerentur, quamvis Fezzensis ferocia tumidus contra obniteretur: *Cum*, inquit, *classis Gaditanæ terror universam Africam occupasset, Rex Tremesenius, aliquotque item Mauritaniæ minores principes Regis nostri potentiam formidantes, de pace cum eo componenda, de captivis restituendis, & tributis pendendis submissis animis agere instituerunt, quanquam Rege Ferano eam sententiam dissuadente, & gravi atque acerbo sermone eorum ignaviam & inertiam increpante; ille enim potentia suæ ditionis confisus, & quod a littoribus nostris longius semotus, tardius ad se belli incommoda ventura existimabat, amara & minaci ironia Ferdinandum Hispali agentem ad expeditionem Africanam invitaverat: nam se omnes vias paraturum, omnique offensa & impedimento liberas ad itinera facienda alacri & ardenti suorum opera Fezzam usque, modo vellet traiicere, complanaturum per commeantium rumores pollicebatur. Reges qui se Ferdinando dedidere Tremesenius & Tunezius fuerunt; cumque his Cadilhametus qui, licet regium nomen haud obtinebat, libera tamen ditione fruebatur, nulli ex Regibus parere addictus, Oranicum commercium per Judæos interpretes petierunt muneribus in amicitiæ signum oblatis.* De hac legatione Ximenium hæc VI. idus julias ad Lupum scripsisse refert Gomesius: *Deo immortali gratiæ sunt habitæ, quod gens olim spo-*

(a) Gomes. de reb. gest. Card. Ximen. l. 5.

Tremesenii Regis trepidatio.

Plures principes subacti solo terrore.



*liis nostris feron, nunc Hispaniæ vires reformidans sese Regi nostro tam promptis animis & demissis subiiciat; pluris enim hoc faciendum esse censeo, quam si omnis Africa ferro & cæde superata foret. Algerii regulus idem consilium cum Trimesenio & cæteris sequutus, sese fidei Ferdinandi tradidit, & præsidio Hispano Algerium fuit munitum; quod ingentis tranquillitatis causa littoribus nostris ea tempestate fuit:* sed ab Africanis rebus ad Indicas progrediamur.

Algerium præsidio Hispano munitum.

LXX. Hoc anno Malaca urbs Indiæ opulentissima Mahometanis erepta, Christianoque adjuncta est imperio Lusitanorum armis: qua victoria ad ulteriores oras evangelio iter munitum est. Ut vero res gesta sit, ex Barrosio (b), Orosio (c) & Maffejo (d) describemus. Constituta re Goensi, non sine maximis difficultatibus virtute Albuquerquii, quantumvis plures Lusitani patriæ amore irretiti, qui in Indiis detineri dolebant, adversarentur, idem dux Christiani in India conditor imperii, cum ab Emmanuele Rege Lusitaniæ mandata accepisset, ut in maris Erythræi faucibus arcem excitaret, ad Arabum Ægyptiorumque naves trajectione in Indiam arcendas, Adenumque vi occuparet; nuntiatum quippe fuerat Emmanueli, Sultanum Ægyptium in Suecii portu in intimo sinu Erythræi maris condito, classem maximam parare, ad Arabicum bellum strenue se accinxit, intenditque iter: sed cum restarent adversi venti, frustraque cum iis luctandum foret, vel adversus Malacam, ad repetendam ultionem de illius tyranno, qui Didacum Lupium Sequeriam proditione invaserat, direxit. Sita est (e) urbs illa in continente non longe a Somatra insula, quam Maffeus eleganter describit (f). Malacam vero invectus Albuquerquius injectis urbi facibus Mamudium ad dandam Lusitanis libertatem adegit (g), ablatasque res ac sumptus instructæ classis repetiit, detrectanteque tyranno die S. Jacobo Hispaniarum patrono sacro Malacam adortus est, atque aliquot dierum prælio expugnavit, diripuitque: *Præda*, inquit Hieronymus Osorius (h), *ingens fuit supra tria millia tormentorum capta sunt, armamentaria erant vario commeatu, & instrumentis bellicis, & munitionibus referta. Hæc omnia, quæ ad classem reficiendam & urbem muniendam pertinebant, miles non attigit; & tamen quinta prædæ pars, quæ ad Regem pertinebat ducentis millibus aureorum nummorum æstimata fuit, quamvis nec aurum, nec argentum, quod occultari potuit, miles in medium contulisset: unde constat si Rex & mer-*

Malaca in India capta a Lusitanis.

(b) Jo. Barr. dec. 2. l. 5. cap. ult. & l. 6.
(c) Osor. l. 7.
(d) Maff. l. 5.
(e) Barro. l. 6.
(f) Maff. l. 4.
(g) Barr. l. 6. c. 4. & 5.
(h) Osor. l. 7. p. 246.

Malacensi præda Lusitani ditati.

*mercatores opulentissimi opes suas post primum prælium ex urbe in mediterranea loca non traduxissent, tantam prædam futuram fuisse, ut avaritiam infinitam militum satiaret.* Convertit mox studium Albuquerquius ad firmandas res Malacenses, revocandos in urbem cives & mercatores, extruendam arcem, præsidioque valido & fideli muniendam, necnon ad templum salutationi (angelicæ ejus enim mysterii mirifica religione afficiebatur) sacrum ex manubiis erutoque ex sepulchris Regum lapide construendum; brevique Malacam in pristinam amplitudinem restituit, in qua religio Christiana postea effloruit. Vulgata illius victoriæ fama Siamensis Rex, qui extremæ ad ortum Indiæ oræ imperat, duodecimque millia elephantorum habere dicitur; ex quibus quatuor millia semper ad subitos bellorum casus armata sunt, oratorem cum pretiosis muneribus gratulatum misit. Jaoensis pariter & Peguensis, qui post Gangem ad solis occasum dominatur, ac Somarræ Reges legatos ad Albuquerquium ipsum decrevere: *Alii*, inquit Osorius, *Reges pacem & amicitiam petebant, alii libenter se Regis Emmanuelis imperium accepturos ostendebant.*

Religio Malacæ reflorescit.

Variæ Regum gentilium ad Albuquerquium legationes.

LXXI. Interea Zabaimus Goæ imperii recuperandi cupidus, nunc victo nunc victori similis ducum opera Goenses difficillimo implicuit bello (a), atque in Benestarino oppido in insulæ aditu sito arcem excitavit, bellicisque præsidiis egregie munivit; ex qua creberrimis incursionibus, occupatisque omnibus aditibus, quibus commeatus inferri poterant, Lusitanos adeo attrivit, ut nonnulli transfugerint ad hostes, abjectaque Christi religione Mahometicam superstitionem professi sint: cum Machiadus Lusitanus patriaque extorris, qui Turcicam sectam simulabat, illud flagitium detestatus pietatis studio crudele facinus patravit, seque ad Christianos contulit, ut eos in constantia confirmaret; de quo hæc tradit Osorius (b): *Hyems erat impedimento, quo minus commeatus in urbem invehi posset, & Zabaimus omnes insulæ aditus obsessos tenebat, ne cibaria ex continenti importarentur. Ea fames multis occasionem attulit Christianæ religionis abjurandæ, qui ad Rozalcamum nocte confugiebant, & in Mahometis nomen jurabant. Hi septuaginta fuerunt, qui fidei & religionis immemores, ut corpus ad breve tempus alerent animos in pestem sempiternam furenter & impie detrudebant. At Machiadus, qui se ad eam diem Turcam simularat, cum videret homines Christianos sanctissimam Christi religionem detestari, dolorem eximium capiebat: ea vero indignitate commotus, eo tempore, quo Christiani fame confecti, & in extremas angustias adducti videbantur, ut fidem suam factis ostenderet voluit ejusdem laboris & ærumnæ societatem inire. Is duos filios ex muliere Saracena susceperat, & utrumque per se aquis lustralibus in Christi nomen expiarat. Hos ad se perduci jussit, ut secum in urbem intromitteret: quod cum exequi minime posset facinus edidit valde miserandum; maluit enim in sanguinem suum sævire, quam pueros infantes secta Mahumetis pestifera imbuendos in hostium potestate relinquere. Itaque nocte utrumque suffocavit; mane vero casum filiorum acerbissimum deploravit, & suam calamitatem cum multis lachrymis lamentatus est, dicebatque filios lamiarum præstigiis fuisse miserabiliter extinctos. Deinde cum fingeret se molestiæ levandæ gratia velle per insulam vagari, cum Lusitanis aliquot captivis & cum illis, qui Christi religionem execranda perfidia violarunt, ad urbis muros accessit: ibi orationem luculentam habuit, qua de vitæ brevitate, de sempiternis suppliciis, de gloria immortali disseruit, & omnes adhortatus est, ut mallent in vita misera & caduca, laboribus brevissimo temporis spatio definitis torqueri, quam in futura suppliciis sempiternis excruciari: orationem ejus nemo ex illis, qui a religione defecerant ad aures admisit; ipse vero cum captivis Vasconcetii fide, quam antea cum primum id induxerat in animum acceperat, in urbem ingressus est. Ejus adventus non modo lætitiam Lusitanis attulit, sed animos etiam illorum ad spem salutis erexit; id enim numine divino factum fuisse credebant, quod cum illis præsens adfuisset, non dubitabant quin salutare præsidium esset intra breve tempus hominibus afflictis, qui opem illius implorabant, allaturum.* Ut vero Goa obsidione ab Albuquerquio liberata fuerit, proximo anno dicetur.

Goa oppugnata ab Indis.

(a) *Barr. dec. 2. l. 6. c. 8. & 9. & 10. Osor. l. 8. Maff. l. 5.*

Adducta in discrimen.

(b) *Osor. ubi sup.*

Plures Lusitani a Christo ad Mahometem deficiunt.

Triste Christiani facinus.

Ejus oratio in apostatas.

In novi orbis continentis provincia Uraba, in qua nova Christianorum colonia condita fuerat, Hispani in magna erant dissensione, cum post ejectum Nicuesam, qui ex Beragua ad sedandas seditiones evocatus fuerat, Ancisum prætorem in vincula conjecere; duce Vasco Hunnes, solutum deinde in Hispaniolam dimisere. Is in Cubam insulam vastissimam appellens illius terras peragravit, benigne habitus a regulo, qui ob ingentia miracula ope Deiparæ divinitus edita Christianam religionem amplexus est; de quo hæc admiranda refert Petrus Martyr (c): *Is cum baptizari a transeuntibus Christianis peteret, quo nomine* LXXII.

Cuba insula explorata.

(c) *Petr. Mart. dec. 2. c. 6.*

Hi-

*Hispaniolæ vicinæ insulæ gubernator appellaretur interrogans, commendatorem nominari audivit; erat enim eo tempore, quo is voluit baptizari, gubernator quidam egregius vir ordinis equestris militiæ Calatravæ cujus institutionis equites commendatores appellantur: optavit propterea Cazicus ille, id est regulus, appellari commendator, commendator igitur iste insularis Ancisum ad appulsum benigne suscepit hospitio, & opplevit necessariis ad victum: sed quid de religione sanctimoniaque ibi Ancisus servari didicerit ab incolis, tu sanctissime pater, cujus dextra religionem sanctimoniamque induimus, accipito. Nautam ignotum male se habentem per Cubensia littora facientes iter e nostris quidam reliquerant apud commendatorem regulum. Nauta in honore habitus a regulo, & ejus ditionariis valetudine recuperata, commendatoris præfecturam in bellis gerendis sæpe exercuit: mutuis namque sese invicem conficiunt præliis, & victor evasit semper. Is licet literarum ignarus bono animo vir beatam virginem Deiparam pientissime colebat, & secum perpetuo consutum in pectore Virginis ipsius in charta pulchre depictum gestabat simulachrum, ea pietate victoriam sibi semper peperisse commendatori significavit atque una commendatori persuasit abjiciendos esse, zemes omnes, quos ipsi colerent, quia nocturnos lemures animarum nostrarum voratores infensissimos referrent; beatamque virginem Deiparam patronam sumerent, si felici ductu suos omnes bello, & pace iri gubernatum optaverit; defuturam nullo tempore virginem Deiparam, si corde pio numen ejus invocaverint. Facile rudis gentibus, nauta persuasit. Virginis ergo simulachrum regulo roganti dono dedit, cui & ædem, & altare dicavit, zemibus, quos avitos colebant, posthabitis. De zemibus, pater beatissime, eu gossampino ad nocturnorum lemurum, quos familiariter passim vident & alloquuntur, similitudinem contextos & eodem gossampino in miram duritiem interius constipatos in decimo nostræ decadis libello latissime dicimus.*

Hispani militis in Virginem pietas.

Persuasus illius cultus barbaro regulo.

LXXIII. Imploratum a gentilibus Virginis auxilium.

*Ex nautæ instituto sole vergente ad occasum commendator ille regulus, & universi ejus ditionarii utriusque sexus domum Mariæ virgini dicatam adeunt: quotidie ingressi flexis genibus, capite reverenter obstipo, & manibus junctis simulachrum his verbis multiplicato salutant: Ave Maria: Ave Maria; pauci namque eu eis plura proferre ejus orationis verba didicerunt. Ancisum itaque & socios adeuntes, & dextra prehensos ad dicatam domum alacres ducunt, se illis mira ostensuros inquiunt. Simulachrum digito monstraverunt monilibus & fictilibus vasis, eduliis & aqua plenis per podia circumseptum; hæc namque simulachro thurificii loco donant, en avita religione ergæ zemes inquiunt ea se simulachro præbere ne, si fame urgeatur, desint cibaria: fame urgeri posse simulachrum integro sensu putant, sed quid auxiliaria a simulachri numine hoc est a beata Virgine se fateantur habuisse auditu pulcherrimum est, & beatissime, pater pro certo habendum; tantus est enim eu nostrorum relatu pietatis erga Deiparam in his simplicibus incolis fervor, ut ad se laborantes in prælio præcipue contra suos hostes, pene dixerim, cogant e cælo descendere quandoquidem pretium, quo emere ipsum & suos cœlites possimus reliquit hominibus Deus, pium scilicet amorem & charitatem ardentem. Quonam igitur pacto poterit ullo tempore deesse beata Virgo, præsidium ejus pura fide invocantibus? Anciso & sociis commendator & palatini ejus omnes asseverant, conserta manu, nauta duce simulachrum portante secum, zemes hostium in conspectu simulachri virginei omnibus rem intuentibus versa facie intremuisse: zemes enim quinque suos ad prælium in auxilium portant, nec simulachrum modo, sed viventem fœminam candidis vestibus pulchre amictam pugnæ tempore auxilia ferentem in hostes se vidisse asseverant. Fatentur itidem hostes, ex adverso sceptratam & minacem apparuisse suis hostibus faventem mulierem, cujus adspectu præcordia sibi horrescere sentiebant.*

Tis virgo fert opem ac dæmones terret.

LXXIV.

*Postea vero quam abivit nauta ab adeuntibus ea littora Christianis susceptus navigio, servasse ad unguem nautæ instituta se commendator fatetur. Cum finitimis exortam esse diram contentionem de zemibus retulit, puta quinam zemes esset alio sanctior, ac potentior, superque hac disceptatione certatum fuisse aperto marte sæpius cum finitimis: sed beatam Virginem defuisse nunquam, quin ingruente certamine affuerit, attuleritque contra maximas hostium copias parva manu facilem victoriam. Quibus verbis clamore sublato in hostes irruerent interrogati, se nil aliud unquam ex nautæ doctrina protulisse quam: Sancta Maria adjuva nos, sancta Maria adjuva nos, idiomate tamen Castellano; id enim in omnium ore liquide prolatum nauta reliquerat. Dum ita sese invicem crudeliter trucidarent, pacto fœdere conventum est, non ut singulari electorum ex utroque exercitu certamine, ut sæpe Romanis multisque aliis contigit apud antiquos, aut sagaci aliquo consilio res decerneretur, sed ut alterne eu utroque populo manibus post terga ligatis, & ad vincientis arbitrium post terga innodatis vinculis in aperto*

Sæpius visa hostiles copias fundere.

agro

De potentia Virginis & dæmonum certatum inter Gentiles.

*agro singuli juvenes sisterentur, eumque meliorem esse zemem adversi annuerunt, qui suæ partis colligatum juvenem celerius liberaret. Sancito fœdere juvenes alterne vinciunt duos commendatoriani adversum, adversi vero commendatorianum ter idem tentasse inquiunt terque invocatum sui zemis dæmonem ad ligatum eu adverso accurisse utroque vincto inspectante; sed proclamante Commendatoriano assuetam appellationem: Sancta Maria adjuva me, sancta Maria adjuva me; adventasse illico candidatam Virginem, & fugato dæmone imposita virga, quam manu gestabat, in Commendatoriani vincula solutum subito fuisse ante alterius oculos Commendatorianum, transisseque in adversum ea vincula, quibus erat commendatorianus ab hostibus innodatus, ita quod hostes repererint liberatum adversæ partis juvenem, suam vero duplicibus astrictum vinculis. Sed neque his contentes referunt hostes; præstigiis namque id agi humanis arguunt, non melioris numinis advenientis potestate. Ut igitur (a) viri graves ætate ac moribus pollentes ab utroque populo quatuor adsint in prospectu ligandorum juvenum, qui an fraus insit necne dijudicent, expostularunt hostes. O simplicem, o puram animorum benignitatem! O auream o beatam simplicitatem! Annuit hostium postulatis cum suis familiaribus commendator ea fide, qua petiisse salutem sanguinis alluvie valetudinariam, qua Petrum cujus, beatissime pater, vicem geris siccis pedibus viso Domino fluctus calcasse didicimus. Fœdus initur, vinciuntur juvenes, viris gravibus octo adstantibus statuto limite locantur. Dato signo suum quisque zemen appellat in auxilium, vocat adventantem zemis dæmonem caudatum, hiatu vasto dentatum, cornutum, zemen ipsum manufactum æmulantem, & ligati & spectantes cernunt volentem e vinculis jam solvere sibi dicatum juvenem. Ad proclamantis commendatoriani vocem præsto fuit beata Virgo viris gravibus protentis oculis ad rem tendentibus animum, assueta facit virga in adversum fugato dæmone transilire sui clientis vincula. Perculsi tanto miraculo Commendatoris hostes, Virginis zemen suo zeme digniorem esse fatentur. Ejus rei argumentum est quod, audito Christianorum appulsu ad eas terras pagani Commendatori finitimi, qui cum eo capitalia odia exercuerant, & sæpe conflixerant, oratores ad Ancisum miserunt rogatum, ut sacerdotes ire juberet, qui eos baptizarent: duos quos secum habebat Ancisus propere mittit: centum triginta uno die ex commendatoris quondam hostibus, tunc amicis & affinibus baptizarunt* : Et infra.

Fugatus a Virgine dæmon & liberatus cliens.

(a) Id. de ead. 2. c. 6.

Iterum dubitantibus barbaris repetitum miraculum.

Exambitus a barbaris baptismus.

*Commendatoris rogatu relictus est apud* LXXV.
*eum unus e sociis libens, tamen non alia de causa, quam ut ipsum ditionariosque suos & finitimos, si accesserint, angelicam salutationem edoceat; arbitrantur namque se majori curæ fore Deiparæ virgini, quo plura ejus orationis verba didicerint. Assensus est Ancisus commendatori, & his actis iter suum ad Hispaniolam, cui jam proximus erat prosecutus est; dehinc ad Regem in Valladoleto morantem se contulit, ubi mecum versatus est familiariter, &c.* Hæc volui, *beatissime pater,* Leonem X. compellat author, *de incolarum religione recensuisse, quæ non ab Anciso solum, verum etiam a pluribus aliis auctoritate pollentibus viris scrutatus sum, quo intelligat beatitudo tua, quam docile sit hoc genus hominum, quamque facilis pateat eis ad nostræ religionis ritus imbuendos aditus. Nequeunt ista fieri repente; paulatim ad Christi legem evangelicam in cujus culmine sedes trahentur omnes, & tui gregis oves multiplicatas in dies magis ac magis, beatissime pater, intelliges.*

Perdiscunt solicite orationem angelicam.

Propagatum sensim evangelium in America.

Cœptum

I. CŒptum est anno servatoris millesimo quingentesimo duodecimo indictione xv. Lateranense concilium œcumenicum a Julio II. cui postea ejus successor Leo X. finem imposuit, incassum oblatrantibus Pisani conciliabuli Mediolanum translati factiosis, qui quocumque pergerent, secum pestem exitiumque circumferre videbantur, ac solo contentionis studio, ut Francorum Regis cupiditatibus lenocinarentur, negabant Romam magistram fidei, sedemque Christiani imperii, utpote obnoxiam summo antistitum principi ad concilium celebrandum, in quo de pace inter Christianos redintegranda, decernendo in barbaros bello, componenda disciplina ecclesiastica ageretur, accommodatam esse; in qua nefaria opinione, causæ suæ ad confiandum schisma, Pontificemque divexandum fundamentum posuerant (a), eoque abrepti consilio Mediolani, cum vi tyrannica clerum ad sacra profananda coegissent, quartam sui conventiculi sessionem maxima cum Mediolanensis populi & cleri offensione tenuere (b); in qua decretum sessionis ultimæ Pisis habitæ instaurarunt, conquesti Pontificem postulatis de loco tuto & communi designando non assensisse; oratoribusque suis partes imposuere (c), ut expostularent de quatuor Cardinalibus honore dejectis; quamvis ante & post sententiam pontificiam provocassent ad concilium ab ipsis indictum: proposuere (d) ut Pontifex, a quo Cæsar dissentiebat, ob conciliatam Romanæ ecclesiæ Venetam rempublicam, imperialem urbem nec Venetæ nec ecclesiasticæ ditioni obnoxiam ad celebrandam synodum designaret. Cum vero missi jam ante ea de causa oratores velut ab impostoribus incentoribusque seditionum ecclesiasticarum repulsam tulissent, objecere (e), sperni a Julio Christianam rem, nec de ecclesiastica disciplina in suum revocanda splendorem, superstitioneque Mahumetica delenda curare, ac trigesimum diem a quarta januarii evolvendum peremptorium dixere (f) Pontifici, quo aliquem ex designatis locis pro concilio deligeret, aliumve præter Romam proponeret: ad inducendum autem aliquem temerariis ausis pietatis colorem, sanxere (g), ut Pontifex, Cæsar, Francorum Rex, Ferdinandus Hispanus, Ferrariæ princeps, ac Bononienses bello temperarent, seque concordiæ interpretes futuros polliciti sunt, cum urgere potius Gallorum Regem debuissent, ut Bononia ecclesiæ restitueretur. Cum vero Pontifex ecclesiasticos viros monuisset, ut a factiosorum consortio abscederent, neminem nisi accepta venia a conciliabulo discedere vetuerunt (h). [1]

Negant Schismatici liberum Romæ concilium celebrari posse.

(a) Ext. ea de re lit. in append. conciliab. Pis. p. 568.

(b) Acta Pis. ead. p. 106. & 108.

(c) Ib. p. 109.

(d) Ib. p. 111.

Inanes eorum querelæ.

(e) Ib. p. 113.

(f) Id. ib.

(g) Ib. p. 115.

(h) Ib. p. 120.

II. Dum his temerariis edictis præludebant schismati seditiosi præsules, non leviter angebantur, paucos numero, eosque Galli Regis adacto imperii excepto eorum præside Hispano Bernardino Carvajalo, quem Nicolaus Baselius instrumentum diaboli appellat (i), tantum facinus ausos; utque majorem authoritatem

(i) Basel. in append. ad Chronolog. Naucl.

NOTÆ [1] LAteranense concilium anno præcedenti indictum anno tandem isto celebrari cœpit. In ejus historia nihil ambiguum, discussione dignum occurrit; de ejus authoritate tantummodo propter unius nationis Gallicæ dissensum disputatur. Cum enim Pisanum conciliabulum uni omnium promoverint Galli, ita & uni omnium authoritatem generalis concilii Lateranensi huic derahendam censuerunt. Nec sane negaverim, minorem convenisse Episcoporum numerum, quam pro dignitate concilii generalis, numerum enim Episcoporum centum viginti haud excessisse queritur Alexius Melfitanus episcopus in ea quam in exordio tertiæ sessionis concione apud patres peroravit. Qui pariter Alexius in ea ipsa oratione dolet nihil eorum quorum gratia concilium agebatur optatum exitum obtinuisse; mores enim adhuc corrupti, bella sæviebant in dies, nec quidquam de Turcico bello decernendo spei affulgebat. Unum supererat tot inter mala levamen: *quod de hæresibus, quæ ut plurimum causa conciliorum fuere, nec publice nec impune laboramus*. Quibus verbis eorum opinio refellitur, qui hanc pariter causam, tollendarum scilicet hæreseon, inter cæteras concilii hujus cogendi referunt. Nec sane quidquam ad Bohemorum hæresim, quæ unica tunc vigebat, pertinens inter concilii decreta legitur. Verum si parum feliciter Lateranense concilium cessit; Pisani concilii vel potius conciliabuli res multo infelicissime reciderunt; ab omnibus enim contemptui & despectui habiti patres, quid satis aptum ad disciplinam moresque componendos decreverint ne memoriæ quidem proditum esse scio. Hæc insuper de concilio illo scripta reliquit Gaspar Hedio in historica synopsi enneadibus Sabellici adjecta. *Hoc concilium a Bernardino Caravajalo Crucis cardinali temere nulloque successu institutum*. Illud etiam theatralis ludi nomine traduxisse Ludovicum Galliæ regem Spondanus, Gallicus scriptor, agnovit. Vicissim autem concilium Lateranense quamvis plures adire recusarunt, dein tamen omnes probarunt exceptis Gallis, quamquam & ex Gallia Avenionensis archiepiscopus adfuit. Quare generalis concilii authoritatem denegari illi jure posse non facile mihi persuaserim. MANSI

tem gestis suis adderent, iterum Maximilianum ursere (a), ut oratores Cæsareis instructos mandatis ad ipsorum conventiculum legaret: at ille jam decretos respondit; tum a se imperiales conventus Augustæ pro ecclesiastica disciplina ad pristinum sanctitatis nitorem celebratum iri, ad quos internuntios ab eodem conventiculo Mediolanensi mitti postulavit: decrevere illi mox ad illos Engolismensem episcopum & tres doctores: qui cum regiam authoritatem pseudosynodi authoritati longe anteferrent, nec prius iter ingredi vellent, quam Ludovici Francorum Regis, cujus movebantur imperiis, mandata delata essent; schismaticus Cardinalis Pria de his Ludovicum duodecima januarii die consuluit: paucisque interjectis diebus improbum suggessit consilium, ut nimirum catholicorum præsulum, qui in Galliis pontificiam authoritatem adversus suorum ausus fraudesque tuebantur, census ecclesiasticos invaderet; cum Pontifex (b) in defectores suos eorumque sectatores Gallica factione implicitos, judiciariam severitatem adhiberet. Porro Mediolanenses seditiosi sua spe & cæsareorum, procuratorum expectatione delusi sunt: ancipiti enim curarum æstu Maximilianus fluctuabat, cum hinc a Ferdinando Hispaniarum Rege deterreretur (c); ne schismaticorum societate se contaminaret, suosque potius procuratores ad Lateranense concilium, quam conventiculum Pisanum legaret; hinc ut datam fidem servaret, a Gallo moneretur: sed ut refert Coccinus (d), oratores quos Mediolanum mittebat e Tridentina urbe, ad quam pervenerant, revocavit: cumque Gallorum Regis potentiam inclinatam vidisset, ad eam prosternendam Pontifici atque Hispano & Anglo se conjunxit. Factiosi tamen, qui cæsareis precibus incitati conciliabulum indixerant, in pertinaci mentis duritie perstiterunt, in quintaque sessione XI. februari die Fredericum Sanseverinatem legatum Bononiæ crearunt (e), tum bullam pseudosynodi literis appendendam decreverunt (f), gravesque pœnas in eos, qui Mediolanum tendentes, vel ab eo recedentes spoliarent constituerunt (g).

(a) Ext. de eo lit. in append. conc. Pis. p. 174.

Tyrannis exercita ex Lud. XII. in catholicos præsules.

(b) Ext. ib. p. 175.

(c) Gomes. l. 5. in gest. Card. Ximenii.

Cæsar deserto Gallo redit ad Pont. obsequium.

(d) Cocc. de bellis Ital.

Hispano & Anglo se conjungit.

(e) Acta conciliab. Pis. pag. 136.

(f) Ib. p. 138.

(g) Ib. p. 131.

III. Inter hæc descendere cœperant ex summis alpium jugis Helvetii, a quibus Navarretum direptum est (h) nec levis terror seditiosos invasit; quippe a Sedunensi Cardinale religionis studio accensi Helvetii pontificia stipendia, quam Gallica sequi maluerunt. Missum autem ad eos ineunte anno Cardinalem ipsum Sedunensem, legatique apostolici authoritate instructum ad pellendos Insubria schismaticos, refert Paris de Graffis (i) *Die inquit, mercurii MDXII. septima januarii sanctissimus dominus noster in concistorio secreto, ut moris est, creavit reverendissimum dominum Cardinalem Sedunensem legatum in Lombardiam, ut jungat secum Helvetiis, qui ibidem sunt contra Gallos, & eos manuteneat in fide apostolica, & quatenus opus sit, proficisceretur etiam usque in Germaniam ad confusionem schismaticorum, præsertim eorum, qui fuerunt olim Cardinales.*

(h) Ext. ea de re lit. in append. conciliab. Pis. pag. 173.

(i) Paris ms. arch. Vat. to. 3. p. 761.

Helvetii Pontificem in Gallos sequuti.

IV. Paucis interjectis idem author servatum in dimittendo legato ritum ita describit (k): *Legatus genuflexit ante Papam, qui sedens capite cooperto legit antiphonam. In viam pacis, &c. & psalmum: Benedictus; me ei alternatim respondente cum Cardinalibus duobus legatis assistentibus, quasi tacite idem facientibus, & replicata antiphona Papa deposuit biretum.* Et infra: *Crucem acceptam dextra sua dedit in dextera legati dicens: In hoc signo sanctissimæ crucis Intende, prospere procede, & regna. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ille ultimo osculatus est pedem, manum, & faciem Papæ.* De ea legatione ipsi data extat diploma, cujus præcipua pars his verbis concepta est (l).

(k) Id. ib.

(l) Lib. bull. 82. p. 234.

*Julius, &c. De recuperatione civitatum, oppidorum, aliorumque locorum & terrarum ad nos & sanctam Romanam ecclesiam legitime pertinentium, dies noctesque pro cura pastoralis officii cogitantes, fortissimum potentissimumque exercitum contra iniquitatis filios Bentivolos Bononiam, & Alfonsum Estensem Ferrariam, civitates ad dictam ecclesiam legitime pertinentes occupatas indebite detinentes paravimus, ac dilectum filium Joannem S. Mariæ in dominica diaconum Cardinalem in Romandiola & dicta civitate Bononiensi nostrum & Apostolicæ sedis legatum de fratrum nostrorum consilio fecimus & deputavimus; & cum dictis occupatoribus magna auxilia præstari cognoverimus, nihil omittendum putavimus, quod vel ad officium nostrum vel ad facilitandum expeditionem dictarum civitatum pertineret: circumspectionem tuam ad charissimi in Christo filii nostri Maximiliani in Imperatorem electi & Helvetiorum, ac Suitensium, & aliorum principum auxilia imploranda, ut copiis ad recuperationem civitatum & locorum hujusmodi auxilium nobis & dictæ sedi præstare volentibus præesse debeas, mittendam duximus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MDXI. v. id. januarii pontificatus nostri anno* IX. Instructus est aliis literis (m) amplissimis mandatis & prærogativis, ut le-

Missus ad Cæsarem & Helvetios legatus.

(m) Ib. p. 235.

legationem cum dignitate gerere posset. Profectus ille ad Helvetios ita ipsos concitavit, ut promissa omnia Ludovici Regis Gallorum respuerint, multisque victoriis e pontificiis, deque Venetis reportatis elatos attriverint; quorum gestorum narrationem aggredimur.

V. Bononia obsessa.

Extremo januario Cardinalis de Medicis in Æmilia legatus Hispanicis auxiliaribus copiis suffultus Bononiam obsidione cinxit, eaque bellica calamitate omnes ecclesias atque omnia monasteria extra urbem sita in primis Cruciferorum & S. Michaelis aut prorsus, aut magna ex parte vastata refert Carolus Sigonius (*a*) in sacra Bononiensi historia tum addit divina ope Bononiam ab excidio vindicatam. Meminit ejus rei Guicciardinus (*b*), dum refert acto sub murum cuniculo tormentarii pulveris vi eam partem muri, in qua erat Deiparæ sacellum in sublime adeo elatam, ut obsessores, stantia retro instructa ad pugnam Bononiensium agmina viderint, rursusque eadem muri pars in eumdem locum reciderit, & cum reliquo coaluerit ac si labem non fecisset. Ut vero postea Bononia sine vi & cæde in Romanæ ecclesiæ potestatem fugientibus Bentivolis Gallisque redierit, suo loco dicetur.

(*a*) *Sigonius l. 5. de episc. Bon. in Arbille Grasso.*
(*b*) *Guic. l. 10.*

Murus divulsus iterum pristino loco restitutus.

VI. Interea Gasto Fuxensis (*c*) ad Bononiam pontificii legati Hispanorumque obsidione solvendam provolavit, ut eam in perduellione confirmaret: cumque erumpere in castra Hispanorum pararet, ii motis tacite castris periculo se subduxere sexta februarii die. Quo successu elatus Fuxensis Brixiam, quæ defecerat ad Venetos, nonnullasque Venetorum copias in itinere fudit: deinde die decima octava ingressus arcem in Brixianos irrupit, ac miseram urbem rapinis & cædibus complevit tanta immanitate, ut cadaverum strues ingentes ad quatuordecim millia cumulata referat Bonaccursius (*d*). Exercitam in Brixianos a Gallis barbaram carnificinam adeo, ut etiam pueros puellasque contrucidaverint, confirmat Petrus Delphinus (*e*), addiditque in literis ad Eusebium Priolum monachum, quod postea evenit, Gallos immanitatis suæ pœnas Deo daturos.

(*c*) *Bonaccur. in diariis. Guic. l. 10. & alii.*
Soluta Bononiæ obsidio.
Veneti fusi.
Brixiæ horrenda vastitas.
(*d*) *Bonaccur. in diar.*
(*e*) *Pet. Del. l. 10. ep. 58.*

VII. Vastata Brixia Galli Bergomum ad deditionem compulere, auctoque novis delectibus in Gallia habitis exercitu idem Gasto versus Bononiam signa vertit mense martio, ac pontificios Hispanosque eam infestantes solo terrore dispulit. Quibus bellicis eventibus confirmati Mediolanensis conventiculi schismatici in sexta sessione XXIV. martii die Pontificem contumaciæ impudenter accusarunt, quod non de alio loco ipsis accepto, prætermissa Lateranensis concilii mentione, conveniret: indixere preces, ut Deus pseudosynodi res decusque promoveret; titillabat enim eos inanis spes, Gallicis armis oppresso Pontifice, missaque sub jugum Italia, reliquas nationes profano eorum cœtui se adjuncturas, quas ut pharisaica hypocrisi subornarent, hæc decreta fecere (*f*): *Admonet hæc sancta synodus, ut omnes sacrum concilium celebrantes omnem gravitatem & honestatem, quæ viros ecclesiasticos decet, diligenter observent; vitam & conversationem exemplarem ducant, & cum ad dandam legem toti orbi conveniant, ipsi prius in se legem demonstrent: sint eorum mores sine macula & ruga; exhibeant se tamquam speculum mundum, in quo alii se speculantes normam & exemplum sanctimoniæ accipiant. Meminerint se esse sal terræ, in quo opus est ut nunc saliatur mundus; sint pii coram hominibus, ut videant bona opera ipsorum & glorificent Patrem, qui in cælis est. Ipsis inquit Apostolus in persona Timothei; esto exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, ipsius igitur necessaria est bona conscientia propter seipsos, bona fama propter proximos.*

Gallorum schismaticorum facinus impium.
(*f*) *Ib. p. 152.*
Plenum hypocrisi decretum ab his latum.

VIII. His alia addita sunt monita ad fucatam pietatis ostentationem composita: si enim vera religione ducebantur, cur non Romam ad celebrandum Lateranense concilium se conferebant, pacique seriam dabant operam? quin potius pseudocardinalem Sanseverinatem impudenter ab ipsis legatum dictum ad Gallicum exercitum miserunt (*g*), ut Italiam cruore fœdaret everteretque Pontificem.

Pseudolegatus ab his in Pont. decretus.
(*g*) *Rub. hist. Raven. l. 8.*

Quo vero schismatis maculam ob conventiculum suum conceptam eluerent, varia edicta conscripserunt; in his enim indictam rite & congregatam Pisanam pseudosynodum probare quadruplici argumento contenderunt (*h*). Primum petebatur ex decreto universalis Ecclesiæ in Constantiensi & Basiliensi conciliis: sed eo ipso concilium Lateranense esse jure indictum ostendebatur, omneque aliud contrarium dissolvendum. Secundum ducebant ex disciplina in omnibus ordinibus collapsa in suum revocanda splendorem: sed ea non in eo factiosorum conventiculo, sed in Lateranensi potius concilio restitui poterat. Tertium eliciebant ex sedando bello inter Christianos gesto, & inferendo fidei hostibus; sed ipsi dum ita diffidebant a Pontifice, spernebantque ejus imperia, illud accendebant. Quartum argumentum falso axiomati innixum erat; volebant enim ob negligentiam Ju-

Inanes argutiæ pro confirmando schismate.
(*h*) *Ext. in iisd. actis p. 1661.*

lii in convocando concilio biennali flexu a suscepta dignitate pontificia, jus congregandi illius ad Bernardinum Carvajalium & sectatores transfusum, illique ipsum se sponte submisisse. Qua in re duo animadvertenda sunt, est Julium nullis humanis artibus pontificiam anthoritatem a se in Cardinales derivare potuisse, ut ex Innocentii VI. sanctione antea ostensum est: multo minus, ut paucorum Cardinalium seditiosorum authoritati se submiserit; cum nusquam venire in mentem posset tantum facinus illos ausuros: ac si Cardinales ex placitis conclavis concilium decernerent, in id communibus votis conspiraturos, a quibus Julius non dissensurus erat: nec quod piis animis ad Ecclesiæ asserendam dignitatem conceptum erat, a turbulentis illis hominibus usurpari ad Ecclesiam schismate novo laniandam. Ex quibus conspicuum fuit, inane & umbratile esse factiosorum decretum (a), quo pseudosynodum Pisanam jure Mediolanum translatum disceptarunt.

Pontificia authoritas nullis artibus ad Cardinales derivari potest.

(a) Ext. ibid. p. 169.

IX. Irritum pariter aliud (b), quo Lateranensis concilii denunciationem infringere pertentarunt; quod ex ipsis etiam eorum sophismatibus patet: *Quia*, inquiunt, *duo universalis Ecclesiæ generalia concilia eodem tempore simul esse non possunt: directe enim contradicit articulo: Unam sanctam catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Hactenus rectissime; cum itaque Lateranense a summo Pontifice omnium ferme Cardinalium communi consilio, nec non universo orbe Christiano, excepta Gallia immo potius ex ea paucis exceptis, qui principis sui ausa probaverunt, indictum, dissolvendam Mediolanensem sive Pisanam pseudosynodum constabat: quod subiiciunt, Pisanum conciliabulum Lateranensi concilio antecellere, quia illud prævenerit, turpiter aberrare noscuntur, qui præventionem jus victoriamque esse putarunt. Fœdissime quoque lapsi sunt dum sanxere (c) schismatici, non spectare amplius ad Pontificem communis pro celebrando concilio loci designandi jus, cum peremptorium diem illi perperam constitutum effluere passus esset. At si Christi vicarius Romam omnium gentium communem parentem & magistram delegerat, frustra de communi alio loco deligendo postulatus est; cum subditorum non sit, maxime si pauci factiosi extiterint, principi suo mandata dare.

(b) Ib. p. 170.

Schismatici propria se jugulant sententia.

Vana eorum deliramenta.

(c) Ib. p. 175.

X. Eadem synodus theatralis Gallorum Regis clientelam accipere se jactavit (d), cum illi ejus clientela tantum tuti essent, ne a catholicis Mediolanensibus lapidibus appeteretur; eodem etiam beneficio Cæsarem complecti finxerunt, qui tamen ipsos execratus Lateranensi concilio adhæsit, ut infra dicetur; denique in sessione de qua paulo ante memoravi, dum schisma moliebantur Pontificem monuere (e), ut viginti quatuor dierum lapsu apostolica in factiosos & sectatores edicta rescinderet, atque eo dementiæ progressi sunt, ut minas de abroganda ipsi pontificia authoritate intentarent (f), quod scelus ut rite peragere viderentur, duo decreta proposuere conciliorum mali interpretes vel illusores. Primum ex Constantiensis sessione V. decerptum erat, eo editum tempore, quo tres ex plerorumque sententia ambiguo jure pontificios apices gerebant, statuebaturque eos generali concilio legitime congregato obtemperare debere: at paucorum Gallorum conventus a paucis transfugis Cardinalibus indictus generale concilium legitime congregatum dici non poterat: nec si generale fuisset, par erat temporum ratio; cum Julius sine æmuli ullius controversia Ecclesiæ præesset. Alterum (g) ex Basiliensi synodo sessione XI. petitum erat, subjectisque verbis conceptum: *Si Romanus Pontifex, qui primus in vinea Domini laborare, & alios suo exemplo ad laborandum trahere tenetur, generale concilium actu legitime congregatum quoquo modo de facto impedire mutare, prorogare, aut dissolvere operam dederit, & infra quatuor menses cum reali satisfactione non resipuerit, ex tunc a papali administratione sit ipso facto suspensus: quæ quidem papalis administratio ad sacrum concilium ipso iure devolvatur; & si dictam pœnam per duos menses post dictos quatuor animo sustinuerit indurato, contra eum usque ad privationem inclusive per concilium generale procedatur.* Hanc porro Basileensem synodum generalem fuisse, & illi Eugenium IV. adhæsisse falso addiderunt: sed Basileense concilium in exordio, non tamen in progressu generalem fuisse ostendimus suo loco, quandiu nimirum pontificiis imperiis se regi passa est, non ubi synodus Ferrariam, indeque Florentiam fuit translata: non itaque hoc decretum a generali synodo editum fuit, cum tunc paucissimi præsules illi interessent, easque turbas minoris ordinis sacerdotes, partimque Eugenii æmuli excitarent. A vero etiam abhorrere demonstravimus, Eugenium ejusmodi Basileensis decreto adhæsisse; producta enim a nobis acta fuerunt publica authoritate munita, quibus summa contentione nefarios hujuscemodi Basileensium ausus refregit. Non aliud vero quam funestum schisma ex impio decreto consequutum est;

(d) Ib. p. 172.

(e) Ibid. Fauci impostores exauctoramentum intentant Pontifici.

(f) Ib. p. 175.

(g) Ib. p. 178. Instaurant Basileensis conciliabuli decretum.

Turpia eorum mendacia.

est; quod divina ope extinctum factiosi hi non minore quam illi dedecore, nec minore damno ab inferis excitare pertentarunt.

*(a) Pogg. de auct. Papæ & concil.* *(b) Thom. e Vio de authoritate Papæ & eccles.* Indignantur schismatici Thomæ e Vio.

XI. Confutarunt vero singulas adversariorum argutias Poggius (*a*) Florentinus, tum Thomas (*b*) de Vio, qui luculenter demonstrarunt, concilium non habere immediate potestatem a Christo, nec repræsentare universalem Ecclesiam, nisi Pontifex in eo includatur, ac maximo intervallo differre Pontificem dubium a non dubio; dubium enim subesse concilio; non dubium illi præesse: nec tantum esse caput Ecclesiæ divisive sumptæ, sed etiam collective sumptæ: quæ graviter schismaticos perculere, cum omnia in eorum conventiculo gesta irrita & inania esse ostenderentur. Indignati itaque Cajetano, ineunte anno ejus librum ad Parisiensium academiam misere, quo ex illius censura ejusdem Thomæ doctrina adduci in invidiam posset, qua etiam pseudosynodus ad damnandum authorem ueretur. At in appendice actorum pseudosynodi extant Ludovici Francorum Regis literæ (*c*) hoc anno decima nona februarii consignatæ, quibus ille Thomæ de Vio, ut conciliorum authoritati detrahentis, commentarios flammis aboleri jussit maxima ipsius Thomæ e Vio gloria, regioque dedecore: quid enim gloriosius authori catholico potest accidere, quam si ejus scripta ab hæreticis vel schismaticis exurantur. Verum Ludovicus ægre ferebat suum facinus in pseudosynodo tuenda in luce & omnium oculis constitui: quantumvis re vera ipsemet eandem pseudosynodum, ut theatralem ludum ad exagitandum Pontificem inventum sperneret; quippe Anglerius ejus apud Ferdinandum Regem Hispaniæ orator in literis ad Marchionem Bellicensem datis (*d*) ait, Ludovicum Regem Hieronymo Cabanillæ Valentino equiti Hispani Regis nomine de conciliabulo Pisano promoto, susceptoque schismaticorum patrocinio conquerenti respondisse, eam synodum fabulam esse, & declamatiunculam loco excogitatam, ad trahendum in regias partes Pontificem; quam vero tristi Gallicarum rerum exitu peracta sit hæc synodalis fabula dicetur inferius.

*(c) Ext. in append. act. conciliab. Pis. p. 156.*

*(d) Angler. ep. 469. 477. 484.* Ludovici XII. Regis insignis impietas.

XII. Porro ad Ludovici Regis & schismaticorum partes efferendas editus est libellus, quo disceptavit author, Christianam rempublicam jure naturæ aliarum communitatum, quæ perfectæ & liberæ sunt, exemplo, necnon jure divino principem suum abutentem tradita potestate plectere, & honore dejicere posse; cujus futilia argumenta idem Thomas de Vio, scriptis duobus hoc anno liberis apologeticis dissolvit. Primo quidem adversæ opinionis fundamenta convellit: quod enim ex jure naturæ obtenso petitur in apologia prima de comparata authoritate Papæ & concilii sic redarguit, & confutat (*e*): *Quoniam naturalis propagatio regiminis, sicut & aliarum rerum orta rei naturam ostendit, libet intueri, quod Ecclesia non a singularibus aut a communitate, sed a capite homogeneo Jesu Christo initium sumpsit originis, perfectionis, & potestatis; propter quod Ecclesiæ suæ dixit Joannis* XV. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Natura igitur ecclesiastici regiminis ab ipsa sua nativitate est, non ut in communitate sit, nec ut a communitate ad unum vel plures derivetur, quemadmodum accidit in regimine civili humano, sed ut in uno certo principe suapte natura sit: & cum princeps iste unus atque idem dominus Jesus heri, hodie, & in sæcula vivat & regnet, secundum naturalis juris consequentiam oportet, ut ad ipsum principem, non ad communitatem Ecclesiæ spectet in sua absentia ordinare de vicario, non communitatis, quæ utpota serva nata principandi jure caret: sed ipsius principis naturalis Domini communitatis ecclesiæ; & hoc ipsum salvator noster per semetipsum exequi dignatus est, dum Petrum Apostolum solum instituit suum vicarium post resurrectionem, antequam cœlos ascenderet, ut patet Joannis ult. Relinquitur igitur quod sicut princeps Ecclesiæ non a communitate Ecclesiæ naturaliter authoritatem habet, ita illius vicarius non ab Ecclesiæ communitate, sed a Jesu Christo authoritatem naturaliter habet.*

*(e) Thom. de Vio in apologia de comparata authoritate Papæ & concil. c. 1.*

A Christo non ab Ecclesia authoritatem Pontifex accipit.

XIII. Contendit deinde author, non posse Ecclesiam ea omnia, quæ alia bene morata & libera respublica jure naturæ possit, sic inquiens: *Signum infallibile servitutis Ecclesiæ communicatis quoad principatus est, quod non potest sibi ipsi regimen retinere, nec duobus aut tribus committere: hæc enim posse communitatem liberam manifestum est, potest enim & per seipsum regere, potest & triumviratum instituere, & alia hujusmodi etiam supra Regem quem eligunt; quod ecclesiam non posse manifeste liquet; alioquin posset aut in pluribus simul locare potestatem jurisdictionis Papæ, aut officium aliquod supra Papam.*

Monarchia Ecclesiastica in triumviratum aut aristocratiam mutari non potest.

XIV. Refellit deinde aliud argumentum, quo schismatici contendebant, jure divino ex verbis Domini: *Dic Ecclesiæ*; concilii authoritatem pontificiæ anteferendam. Cum vero Ecclesiæ nomen in varias interpretationes trahi posset, non de sola universali Ecclesia dictum ostendit, eum fratris cri-

Christi oraculum in contrarium sensum acceptum.

crimen universali Ecclesiæ patefacere non jubeamur : non etiam de aliqua determinata ecclesia intelligi, cum nulla hujus potius quam illius ratio foret; indistincte itaque intelligi de ea ecclesia, cui peccans frater subditus sit, non de quavis collectione fidelium, in qua Waldenses jurisdictionem & potestatem sitam voluerunt, quod potestatem sequi sanctitatem personæ delirarent; ac demum concludit (a) : *Est ergo sensus literalis verborum Domini, quod tanen esset futura cuiuscumque Ecclesiæ authorizatæ potestas, in sibi subditis ut : sic ut sententia ejus & coram hominibus & in cœlo esset valida*. Ex quibus patet cum nomine ecclesiæ non quævis intelligatur ecclesia, sed quæ authoritate in peccantem polleat, ex eo textu evangelico non probari obnoxium concilio Pontificem, cum non subsit universali Ecclesiæ, sed præsit ut dicebamus.

(a) *Tract. 2. c. 4.*

XV. Objectio quod Pontifex emendari non possit.

Porro Thomæ Cajetani sententia, nimirum dato casu, quo Pontifex variis criminibus, excepta hæresi vel illius suspicione justa, se irretiret, confugiendum esse ad Christum summum Ecclesiæ principem, ut vicarium suum emendaret, adducta in invidiam est ab adversariis; cavillabantur enim male actum cum Ecclesia, si instar bene moratæ & institutæ reipublicæ principem suum potestate abutentem de gradu deiicere non posset; quorum ineptas cavillationes refregit (b), immo præclare actum cum Ecclesia, quia inde gravissimarum dissensionum semina evelluntur, neque Christus unquam Ecclesiæ defuturus sit, ac longe præclarius, si ad illum fideles supplices persugerint, quam omni humana ope ac industria consulturus sit.

(b) *Id. in apolog. par. 2. c. 29.*

XVI. *Dixi*, inquit Cajetanus, *in cap. XXVII. quod Deus optime providit Ecclesiæ, disponens quod orationis remedio contra Papam malum uteretur, non autem depositionis potestate. Obiicitur tripliciter. Primo quia minus bene instituta esset politia ecclesiastica quam civilis; & tenet sequela, quia civilis potest principem tyrannice regentem pertinaciter deponere, ecclesiastica autem non posset. Secundo quia Deus ademisset communitati Ecclesiæ potestatem sibi naturaliter convenientem, & necessariam ad pacificam conversationem, qualis est potestas depositiva principis in casu tyrannidis; & tenet sequela, quia talis potestas naturaliter convenit communitati perfectæ & liberæ. Tertio quia, cum Deus opportunius remedium quam orationem Ecclesiæ potuerit instituere, scilicet potestatem depositivam, dicere non aliud remedium quam orationes reliquisse, est dicere politiam ecclesiasticam non bene institutam & effectam servam strictissima servitute.*

*Respondeo; Deus longe melius & eminentius instituit ecclesiasticam rempublicam quam civilem, quoniam illam instituit cum proximo & homogeneo capite vivo in perpetuum sine potentia errandi, præsente sponsaliter votis omnium & singulorum ubique; hæc enim est institutio reipublicæ Christianæ simpliciter: de institutione autem ad tempus, scilicet corporalis absentiæ principis nostri dicitur etiam, quod optima est, quando consonat primariæ institutioni: & quoniam respublica Christiana secundum suam primariam institutionem serva est nata, & tota potestas est in suo principe naturali, ideo optime consona institutio ad tempus est, ut non communitati, sed vicario principis potestas plena committatur, ut prædictum est; & quod respublica quandiu vicarius principis sub principe est simpliciter, quod fit per esse Christianum, simpliciter recognoscat principem unum, & recurrat ad eum audientem & paratum exaudire. Et scito quod contingit homines in hac re falli, quasi a negatione modi ad negationem rei; cum enim deponere Papam contingat multis modis, scilicet per providentiam humanam, & per orationem Ecclesiæ perseverantem, & neutro modo opus sit nisi in casu veræ necessitatis, ex hoc quod Ecclesiæ non est concessum quod possit deponere per viam providentiæ humanæ, non sequitur Ecclesiæ non esse concessum quod possit deponere Papam; quoniam alia via scilicet orationis perseverantis infallibiliter potest; quæ enim per amicos possumus, per nos aliqualiter posse testatur philosophus, quanto magis, quæ per patrem possumus?*

Respublica ecclesiastica melius quam civilis constituta.

XVII. *Ad primum ergo negatur sequela. Ad probationem dicitur, quod utraque politia, scilicet tam civilis quam ecclesiastica, potest deponere tyrannice regentem ipsam, sed diversimode; quia civilis perfecta & libera potestative & per providentiam humanam, ecclesiastica autem per potestatem sui Patris per orationis perseverantiam, quando vere oportet; & hic modus quidem excellentior, & non potens errare, sicut primus, & melior: & propterea non minus bene; sed melius provisum est ecclesiasticæ reipublicæ de modo abiciendi a se malum ministrum, quam civili.*

Ad objectionem de tyranno civili aut ecclesiastico respondetur.

XVIII. *Ad secundum negatur etiam sequela; quia communitas Christiana est serva, ac per hoc naturali jure sibi non competit potestas super principem suum, & consequenter nec super principis vicarium, nisi a principe sibi concedatur; unde licet verum sit, quod ecclesiastica communitas distincta contra principem non habeat super prin-*

Cur peccantem Pontificem ecclesia exauctorare non possit.

*cipem & ejus vicarium tyrannizantem authoritativam potestatem, non tamen adempta est sibi a Christo aut quocumque alio modo, sed ex natura sua, quia serva nata est, contraxit hanc negationem.*

XIX. *Ad tertium autem dicitur; quod non fuisset opportunius remedium providentia humana, quam oratio Ecclesia perseverans, tum quia providentia humana falli potest, cogitationes siquidem mortalium timidæ, & incerta providentia nostræ; oratio autem Ecclesiæ perseverans falli non potest; deponeremus forte quando non oportet non providentes futura, nec occulta scrutantes: oratio autem Ecclesiæ perseverans non deponet quando non oportet, quia bonus Dominus negat quod volumus, ut tribuat quod mallemus; tum quia facilior minus impedibilis & efficacior causa est oratio Ecclesiæ perseverans pro se in necessariis ad salutem Ecclesiæ, quam tota omnium hominum providentia; hæc enim difficile consonat potentia & impediri potest, & omnia subjecta non habet: descripta autem oratio facile consonat, non potest potentia aliqua humana impediri, & omnia sub Deo subjecta habet. Mirum est autem de subjunctis, scilicet dicere Deum solum orationis remedium reliquisse, &c. solum enim hoc remedium tanquam supremum & efficax simpliciter relictum dicimus, existentibus multis aliis remediis per viam admonitionis, &c. Romæ die* XXVI. *novembris MDXII.* Hæc Cajetanus pro asserenda Lateranensis concilii dignitate, confutandisque schismaticorum argutiis; quem aliquot post annis his libris alium de Pontificis institutione addidisse suo loco videbimus: nunc ad nefarios factiosorum ausus conatusque regredimur.

Confugere ad orationem potest.

XX. Coegere illi decima nona aprilis septimam sessionem; in qua conciliabuli causarum actor Pontificem in crimen vocarum de spretis turbulentorum hominum imperiis postulavit sacrosanctæ potestatis usu interdici: ac tum Bernardinus Carvajal schismatis hujus signifer & conventiculi præses, quem plerique historici (a) nimiæ antipapatus ambitionis insimulant, simulata pietate atque animi lenitate subdidit, synodum ea de re mature, benigne, & misericorditer deliberaturam: ita rite peracturos scelus, & vi ecclesiam Romanam se oppressuros putabant; paucis enim ante diebus Gasto Fuxensis, qui ad Ravennam florentissimo succinctus exercitu castra posuerat, cum impetu urbem capere non potuisset, commeatuumque laboraret inopia, turpe autem pedem referre putaret, Hispanicum exercitum cui Raymundus Cardona præerat, castrensi vallo egregie munitum ad pugnam coegerat; in qua undecima aprilis sacra dominicæ resurrectionis die tot exercitatissimorum in bello militum millia una cum pluribus ducibus cecidere, ut ab iis Mahumetani imperii pars magna expugnari potuisset: duodecim enim Hispanorum, qui in Africa contra Mauros egregie se gesserant occubuisse ferunt: plures strenui duces capti: ipse legatus apostolicus Cardinalis Mediceus postea futurus Pontifex Gallos cum eorum Rege ad obsequium admissurus, in eorum potestatem venit; Gallorum sex septemve millia cæsa; inter quos Fuxensis, quamvis Hispani Regis sororium se prædicaret, vulneribus confossus: Alegrii pater filiusque duces peritissimi concisi: delibatus denique Gallici roboris flos eo prælio ita obtritus, ut victores victi exactique Italia fuerint, ut postea dicetur.

Nefaria schismaticorum in Pont. decreta.

Immane prælium ad Ravennam commissum.

(a) *Guicc. l.9. Angelus Vallisumbros. Nicol. Basel. in append. ad Chronol. Naucl. Steph. Infess. ms. Vat. sign. n.3. hoc ann.*

Cæsa duodecim Hispanor. millia.

Trucidati Gallorum duces.

Ab inita tamen hac pugna ira succensi Ravennam circumstetere: quæ certis pactionibus pseudolegato Sanseverinati Ravennæ ecclesiæ nomine deditionem fecit: dum tamen stationes negligenter custodirentur, præter ducum voluntatem scelere Jachini centurionis, qui Brixiæ templa spoliarat, splendebatque sacro auro, posteaque ob id supplicio est affectus, lixarumque irrumpentium, ac deinde militum impetu vastata est, expugnatis paucis post diebus arcibus; in cujus direptione hoc memorabile contigisse narrat Hieronymus Rubeus in Ravennate historia. XXI.

Ravenna Gallis dedita.

*Unus*, nimirum Vasco, *arcam argento, figuris, atque variis imaginibus egregie sculpto incrustatam in qua Ravennatum aliquot archiepiscoporum, aliorum virorum sanctorum ossa servabantur inclusa, dejectis in terram sacris ossibus deprædatus, ingenti miraculo pœnas nequaquam feras luit: nam vix portam Ursianæ ædis majorem egressus aliquantulum ad lævam processerat, cum ex eadem natione occurrens alius sive veteris simultatis, sive occulto divino consilio, eum in capite vulneratum trucidavit, nulla deinde arcæ habita ratione: quam arcam Petrus Chiradellus aurifex, qui militem insequebatur, illam ab eo suppliciter petiturus arreptam denuo sanctis eisdem ossibus replevit.* Ravennæ cladem prodigia aliquot præcessisse, ac natum in ea horridum admodum monstrum refert author, atque ex Christi imagine cruorem manasse: *Illud*, inquit, *pro comperto habetur, per eos dies Christi Dei crucifixi ligneum simulachrum, quod in æde D. Dominici in sacello juxta aram maximam est sanguinem affluenter sudasse, cujus adhuc rei locupletissimi atque certissimi testes supersunt.*

Divina in sacrilegos ultio.

Christi imago sanguine manat.

Eodem ferme tempore conflatum Romæ XXII.

(a) *Steph. Infiſſ. mſ. arch. Vat. ſign. n. 111. Bonacc. in diar. Rubeus l.8.*

Galli ad ſeditionem concitare Romanos in Pont. nituntur. Eccleſiaſticæ urbes occupatæ a Gallis.

(b) *Bonaccurſ. in diariis.*

mæ Pontificique periculum (a); Pompejus enim Columna Reatinus epiſcopus, Robertus Urſinus, & Petrus Marganus auro Gallico corrupti copias contraxere, ut ſeditionem commoverent, Romanoſque, ejecto Julio, in libertatem vindicarent; ſed Joannes Jordanus & Julius Urſini eos motus compoſuere. Tantarum cladium nuntius Romam allatus ita omnia terrore replevit, ut multi ſuaderent Pontifici, ut fugam triremibus caperet; ſed ille infracto animo ad lapſas res inſtaurandas incubuit eo majori ardore, quo Galli menſe aprili Faventiam, Forumlivium Imolamque occuparunt (b).

XXIII. Pactiones concordiæ a Gallo propoſitæ.

Affulſit in eo rerum ſtatu aliqua concordiæ ſpes: quippe Francorum Rex aliquot ante Ravennatem pugnam diebus, cum ſe tot potentiſſimis hoſtibus unum peti vidiſſet, Maximilianique modo in hanc, modo in aliam partem inclinantis inconſtantia fatigatus, ſenſerat cedendum potius Pontifici; atque ideo Fabritium Cardinalis Finarienſis fratrem ad Nannetenſem & Strigonienſem Cardinales, qui nunquam cœpta pacis colloquia amputaverant, miſerat, ut has pactiones proponeret; Bononiam a Gallo reſtitutum iri Pontifici: Alſonſum Ateſtinum redditurum eccleſiæ Lughum & alias, quas in Flaminia eripuerat terras: vectigal nummarium ac militare veteri inſtituto perſoluturum: ſalem in principatu Ferrarienſi non confecturum: conciliabulum Piſanum extinctum iri. A Pontifice vero pro ampliſſimis iis pollicitis, quæ antea a Julio, nec non ab Hiſpano & Anglo Regibus ſumma cupiditate expetita vidimus, tantummodo pax orata, utque Ferrarienſis dux cenſuris ſolutus in priſtinam amplitudinem ſuaque jura reſtitueretur; Bentivoli privatis fortunis potirentur, Bononia tamen extorres fierent; transfugæ autem Cardinales cæterique præſules, qui conciliabulo adhæſerant, in gratiam a Pontifice admiſſi priſtinis honoribus fruerentur.

XXIV. Hoc pacis colloquium extraxit Julius; indignum ei videbatur, ſi Cardinales de gradu dejecti conciliabuli authores priſtinas dignitates tanto crimine non rite expiato retinerent; peſſimum exemplum novandarum rerum, inque Pontifices conciliorum majeſtatis aſſerendæ ſpecie faciendarum conjurationum poſteris tranſmiſſum iri: ad avertendas tamen bellicas calamitates urgente rem precibus Cardinalium ſenatu, nono poſt cladem Ravennatem die, nimirum vigeſima aprilis, ſuperiorem concordiæ formulam admiſit, ſuoque eam obſignavit chirographo, modo Gallorum Rex poſt cruentæ victoriæ acceptum nuntium eam firmaret, & quæcumque alia Eccleſiæ recenter erepta reſtitueret; & tum Cardinali Finarii, qui in Gallis agebat, & epiſcopo Tyburtino Avenionenſi legato dedit mandata, ut pacis conſilia proveherent.

Pax a Julio admiſſa.

XXV. Reſciſſa a ſchiſm.

At Mediolanenſis conventiculi ſchiſmatici, quibus immeritis adeo honorifice conſultum erat, jam coaleſcentem pacem non ſine Gallicæ rei in Italia excidio imprudenter & impie turbarunt; Eccleſiæ enim calamitatibus recreati, auctique audacia, coacta raptim die vigeſima prima aprilis ſeſſione (c) octava, præcipiti temeritate & amentia hoc nefarium in Chriſti vicarium edictum, qui pridie indigniſſimos eos in gratiam priſtinaſque dignitates ſe reſtituturum ſuo chirographo ſpoponderat, ad ſcindendam inconſutilem Chriſti tunicam tulerunt: *Decernit*, nimirum pſeudoſynodus, *& en nunc declarat, præfatum dominum Julium Papam*, & infra, *ab omni tam in ſpiritualibus quam in temporalibus, ut præmittitur, papali adminiſtratione ipſo facto ſuſpenſum fuiſſe, eſſe & fore; ipſamque adminiſtrationem propter gubernationis defectum, ne Eccleſia diſcrimen aliquod patiatur, ad ipſam ſacroſanctam ſynodum fuiſſe, eſſe & fore ipſo jure devolutam; ac quatenus, ut præmittitur, expediat, omnibus melioribus modo, jure, via, & forma ab eadem adminiſtratione ſuſpendit, eandemque adminiſtrationem ad ſeipſam ſynodum devolvit, & devolutam de cætero eſſe & fore ſtatuit & determinat; proceſſura tandem ad ulteriora uſque ad finalem ſententiam incluſive, ſi opus fuerit, prout utilitati & neceſſitati Eccleſiæ Spiritu Sancto dictante conſpexerit expedire, iterato tamen vocatis prius adſentibus, qui de jure aut conſuetudine in conciliis generalibus intereſſe debent, licet vocati aliàs & legitime expectati fuerint, ut ad rem tam arduam tanquam ad commune Chriſtianitatis extinguendum incendium accedere proponant.*

(c) *Ib. p. 189.*

Pontificiæ poteſtatis uſum abrogare auſi.

Pejora comminantur impie.

XXVI. Provocatæ reliquæ gentes ad creandum antipapam.

Hæc illi novorum incentores bellorum atque ad ſchiſma promptiſſimi, qui cum non valerent ſcelere ad renuntiandum pſeudopontificem, cæteras nationes ad conflandum idolum incitarunt: quorum tamen ſpretæ voces, cum non ad extinguendas, ſed accendendas rixas ſubiiciendaſque Eccleſiæ faces vocarentur; eccleſiaſticum autem ſibi arrogarunt imperium, ut eo colore urbes eccleſiaſticas Gallis proderent: atque ita Federicus Sanſeverinas pſeudolegatus Romanæ eccleſiæ nomine receptam (d) Ravennam expilandam Eccleſiæ hoſtibus reliquit. Ut prætexerent vero tanto facinori cauſam ſchiſmatici, variis probris Julium onerarunt,

(d) *Rubeus l.8.*

quod

quod a Lateranensi concilio convocando nullis precibus absistere voluisset, Ravennatique prælio, in quo tantus sanguis Christianus effusus fuerat, occasionem præbuisset: *Ad tantam*, inquiunt, *devenit sævitiam, ut ipsius sacri concilii impediendi ac destruendi gratia, atrocissimæ & a multis retroactis temporibus inauditæ Christianæ sanguinis effusioni, quod non sine maximo ejulatu & planctu recoli valet, evidentissimam & voluntariam occasionem præbuerit, ita ut vox in Rhama audita sit, ploratus, & ululatus; Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt; &: Effuderunt sanguinem innocentem tamquam aquam in circuitu Jerusalem, & non erat, qui sepeliret, &: Posuerunt morticinia servorum Dei escas volatilibus cæli, & carnes sanctorum ejus bestiis terræ.*

Sua scelera in Julium derivant.

XXVII. Hæc illi ad creandam Julio invidiam: verum id crimen in ipsos potius conjiciendum constat; cum in eo bello ipsos vim & injuriam intulisse, Julium autem eam passum universarum gentium testentur historici; pseudolegationem in castris Gallicis gerendam ad ecclesiasticam ditionem diripiendam fundendumque catholicum cruorem decreverint, grassatusque longe lateque esset schismaticus eorum furor, nisi illum divina misericordia repressisset. Consurrexere nimirum in arma, veneruntque subsidio Romanæ ecclesiæ adeo afflictæ Helvetii a Mattheo Sedunensi Cardinale legato concitati, partimque pontificio, partim Veneto auro conducti e summis alpium jugis in Insubriam decurrere, subditoque terrore schismaticos cœtus dissolverunt, everteruntque, ne cœptum scelus perficerent, quasque tenebras Christiano orbi offuderant, Lateranense concilium suo splendore discutere cœpit.

Helvetii concitati in Gallos schismaticos.

XXVIII. Non potuit indictum decima nona aprilis, ut constitutum fuerat, inchoari concilium ob recentissimam Ravennatem cladem; cujus prorogationis ad kal. maji factæ causas Julius exposuit encyclicis hisce literis (a), quæ ab Antonio de monte tit. S. Praxedis Cardinale in actis inseruntur: *Locum*, inquit, *apud Lateranum pro concilio hujusmodi habendo præparavimus, & pro reformatione prædicta statuenda puro corde & recta voluntate adimplere proponimus; ac ex literis charissimorum in Christo filiorum nostrorum Ferdinandi Aragoniæ & Siciliæ, ac Henrici Angliæ, & aliorum Regum illustrium, aliorumque principum nobis constet, episcopos & alios prælatos regnorum & dominiorum suorum ad concilium per nos indictum venire, & in itinere esse: verum propter conflictum apud civitatem nostram Ravennam Romandiolæ provinciæ nuper habitum, ubi magna hominum strages secuta fuit, cum non solum rei militari operam dantes, sed etiam incolæ & habitatores illarum partium ad prædam intenti existant; & propterea etiam prælati & alii ad concilium hujusmodi venientes sine magno incommodo & vitæ discrimine per civitates & loca Romandiolæ & illis circumvicina transire non valeant, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MDXII. xv. kal. maii pontificatus nostri anno* IX.

Lateranense Concil. extractum ad Kal. maji.

(a) *Ext. in actis concil. Lateran. p. 16. ex edition. Binii to. 4. p. 2.*

XXIX. Appetente majo, cum eædem difficultates obstarent, immo majores se obiicerent ob factiosos, quos Gallico auro inductos copias ad pellendum urbe Pontificem disturbandumque concilium in Romano agro, comparasse vidimus, extractum est concilium in tertiam diem maii: *Cum*, inquit (b), *causæ prorogationis hujusmodi non solum cessaverint, verum etiam novi incendii, quod prope urbem exoriri incœperat, & in dies magis augeri formidabatur, extinctioni summa diligentia operam dare studuerimus &c. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die* XXIX. *aprilis MDXII. pontificatus nostri anno* IX. Meminit de his prorogationibus concilii, deque illius apparatu Paris de Grassis (c), utque in primis navata sit opera emendandis curiæ Romanæ officiis; ne quid episcoporum ad concilium confluentium oculos offenderet.

(b) *Ext. ejus dip. in actis conc. Later. p. 16.*
(c) *Paris to. 2. n. 5.*

Factiosi Romani coerciti.

XXX. *Omissis*, inquit, *bellorum turbinibus & crudelissimis totius Italiæ per omne malorum genus cladibus, quibus concilii Lateranensis indicendi, celebrandique necessitas exorta est: de qua re in literis apostolicis desuper editis, quibus me refero, ad ipsius concilii celebrationem, conciliabulique structuram atque paratum devenio.* Et infra: *Itaque sanctissimus dominus noster Papa Julius cum statuisset concilium inchoari die lunæ, quæ fuit prima post octavam paschæ resurrectionis* XIX. *aprilis MDXII. tamen propter strages mutuas duorum potentissimorum exercituum, quæ in ipsa die resurrectionis contigerant, distulit ad primam maii: & quoniam aliæ adhuc graves causæ tunc quoque contigerant, distulit ad tertiam diem prædicti mensis, qua esset festum inventionis S. Crucis, prout bullæ apostolicæ desuper expeditæ ac publicatæ fuerunt. Interea autem ex sacro senatu dicti patres undecumque doctos, omnique virtute ac rerum experientia consummatos elegit, qui urbis & urbanorum officiorum, officialiumque reformationi intendant, omnia ad antiquum honestumque ritum quoad pecuniarum exactiones reducentes; quod & brevi*

Veteres corruptelæ e curia sublatæ.

tem-

*tempore factum, & per literas apostolicas sancitum est*. Consignatæ eæ sunt hac temporis nota. *Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MDXII. III. kal. aprilis pontificatus nostri anno* IX.

XXXI. Designatos ad id octo S. R. E. Cardinales consentit Mariana (*a*), atque utriusque Siciliæ præsules admonitos de adeundo concilio se excusasse, sed repetitis edictis increpitos monitosque officii, atque ex Hispanis Toletanum & Hispalensem archiepiscopos excitos tradit hisce verbis: *Pontifex Romæ in conventus Lateranensis, quem indixerat, apparatus cura districtus, octo designavit Cardinales in senatu, qui mature considerarent, quæ comparare opus esset, ac vero diligentem operam navarent, moribus tum Romani populi, tum præcipue curiæ aulæque pontificiæ acriori censura castigandis; neque enim decebat ubi domicilium sanctitatis & pudicitiæ esse debet, unde leges prodeunt probitatis, a quibus jura sacraque petuntur, ibi vigere pravitatem altis nixam radicibus, quæ oculos & animos offenderet episcoporum ex toto orbe confluentium: enimvero summus pontificatus sanctos vel accipiat, vel faciat æquum est. Siculos & Neapolitanos præsulas prioribus edictis parera excusantes majori, quam alios, cura evocare: ex Hispania quoque ac nominatim Toletanum Hispalensemque, ut venirent, urgere nobiles præ cæteris antistites, & graves, eorum præsentia honestare conventum cupiebat, actionibus authoritatem majorem conciliare, usque eo studio provectus, ut Hispalensi purpuræ honorem modo venienti deferret: Pisani conventus existimationem per eum motum obscurare cupiebat a factiosis Cardinalibus indicti, & haberi cœpti.* Hæc Mariana: quibus addit Paris iisdem octo Cardinalibus partes fuisse impositas, ut in Lateranensi basilica locum idoneum ad celebrandam synodum adornandum curarent, vocatosque ad id artifices peritissimos; ac demum cum ipse de forma loci in conciliis Florentino & Constantiensi usurpata amicorum opera diligentissime inquisiisset, eam proposuisse Pontifici, acceptamque & accommodam visam, quam ipse pluribus describit, ut secuturæ ætati exemplo foret.

(*a*) *Mariana l. 30. c. 10.*

E Neapolit. regno Sicilia & Hispania vocati præsules.

Ornatus pro concilio locus.

XXXII. Subdit (*b*) a se ut cæremoniarum magistro varia quæsita proposita fuisse circa ritus in concilio servandos; ubi ipse sæpius locum concilii conciliabulum appellat: de quo monitum lectorem velim, ne concilium Lateranense œcumenicum conciliabuli nomine dedecoratum putet. Ac primum propositum esse quo die concilium inchoandum esset. Secundo quinam abbates sententiæ decretoriæ ferendæ privilegio potituri essent. Tertio an principes vel oratores Regum interloqui possent. Quarto quo cultu proditurus esset in concilio Pontifex. Quinto quo ritu Pontifici obsequium deferendum foret. Sexto quo in loco absente Pontifice Cardinalis concilio præfuturus esset. Septimo si ille præsessurus concilio divina tunc non celebret, quo cultu sacro ornandus esset. Octavo & nono quæ precum formulæ in celebrandi concilii principio proferendæ. Decimo an absoluta quaque sessione populus sacra prece a Pontifice lustrandus. Undecimo an absente Pontifice a concilii præside fausta comprecatio populo impertienda. Duodecimo an hymnus, *Te Deum laudamus*, decantandus sit tantummodo cum in gravissimi momenti re sententia pronuntiata est. Decimotertio de sacrarum vestium circumferendarum in concilio colore mota quæstio. Decimoquarto quæsitum a quo decreta perlegenda. Decimoquinto quænam evangelicæ lectiones tum prælegendæ sint. Decimosexto de præsulum sedibus ordine disponendis quæsitum est. Decimoseptimo de patriarcharum ordine servando. Decimo octavo de abbatibus, quos privilegiatos vocant, an admittendi forent inquisitum. Decimonono an equites omnes Rhodii, qui in urbe essent aditui ad concilium servando adhibendi. Vigesimo quo ordine solemnes supplicationes a sodalitiis essent peragendæ. Vigesimo primo de jejunio triduano paschali tempore quid decernendum. Vigesimo secundo quid de sacro agmine composito ituro ad locum concilii. Vigesimo tertio de formula indictionis concilii, ut discutiatur, an sit recte concepta. Vigesimo quarto an Pontifex concilium exorsurus orationem sit habiturus. Vigesimo quinto de concilii officialibus designandis. Vigesimo sexto an primo die concilii omnibus liber aditus permittendus foret. Vigesimoseptimo an in loco concilii Eucharistia in altari exponenda publicæ venerationi esset. Vigesimo octavo an capita Apostolorum Petri & Pauli ante sessiones singulas populo exponenda. Vigesimo nono an utrumque testamentum & sacra alia volumina & quænam deferenda. Trigesimo quis prima die concilii divina peracturus esset. Trigesimo primo an prima die, qua instructo agmine religioso pia supplicatio celebranda foret, concio sacra esset habenda. Quæ dubia ita dirempta refert Paris de Grassis (*c*).

(*b*) *Paris eod. to. 3. p. 735.*

*Quæsitis sive motivis meis propositis patres, ut infra responsa dederunt, quamvis super unoquoque prius a me quid censerem, quidve sentirem percunctati sunt. Super primo; decernunt patres nihil inno-* XXXIII.

(*c*) *Paris ubi sup.*

*Dies tertia maji indicta pro concilio inchoando.*

*Quinam Abbates cum episcop. habituri sententiam decretoriam.*

*Principes & oratores sine venia Pont. ne loquantur.*

*Quo cultu indutus Pont.*

*novari, quoniam claret satis per bullas apostolicas ipsas, quod dies concilii prima indicta est videlicet die tertia maii, quæ est festum S. Crucis. Super secundo; quod omnes mithrati habeant vocem decisivam, quodque abbates populum sub se, & consequenter jurisdictionem habentes, sicut episcopi, ut S. Gregorii de urbe, & similes decidere possint; cæteri vero, maxime triennales nequaquam, nisi Pontifex gratiose aliquos admiserit integritate vitæ & scientia præclaros. Super tertio; quod principes magni intersint quidem, sed non nisi cum venia Pontificis quidquam loquantur, & similiter regii oratores ac procuratores reliqui omnes; exceptis quatuor ordinum mendicantium generalibus, excludantur præter officiales conciliares; hi enim publicis sessionibus semper intererunt. Super quarto; primitus quidem patribus videbatur, Pontificem non celebrantem vestitum esse in concilio, sicut missæ interfuisset, id est cum pluviali & sandalis, juxta illud: Quam speciosi sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona, veruntamen ipse Pontifex perinde parari voluit ac si celebraturus sit solemniter. Super quinto; quod intra missam non præstetur obedientia Pontifici in capella, sed in concilio ea finita per omnes mithratos, ut præstari solet eidem celebranti. Super sexto; quod postquam altare illud amovibile est, retrahatur ad gradus solii, & eidem altari adhærerent præsides versa ad populum facie, licet Pontifex ad omnes sessiones venturus sit. Super septimo; si præsidens celebravit, sedeat quidem in habitu suæ celebrationis: sit autem in pluviali & cum mithra pretiosa, qua utetur usque ad initium decretorum sanciendorum, demum pro sua commoditate levi alba mithra, ut volet, utatur. Super octavo; quod pro hac die prima, qua inchoatur concilium, Pontifex hymnum præcinat, quem cantores processionem ad concilium ducentes prosequantur, & ibi Pontifex cantet versiculum ac orationem: Deus qui corda fidelium: in aliis autem sessionibus cerimonialis libri forma servetur. Super nono; quod utraque versiculorum forma, prout in libro, dummodo eadem sit forma cantus. Super decimo; placuit quidem de solemni benedictione danda, sed Pontifex secus, videlicet quod sine aliquo cantu detur, sicut solet post mandatum a se factum in cœna Domini, attento quod intra letanias illam ter dat cum cantu; & sic fiat. Super undecimo; quod per consequens non detur benedictio, tametsi Pontifex præsens semper adesse intendit. Super duodecimo; quod non sicut in Constantiensi, atque in Basiliensi continetur de cantando hymnum: Te Deum laudamus; sed conclusa aliqua gravi materia, prout Pontifici videbitur, cantetur ipse hymnus: Te Deum laudamus. Super tertiodecimo; quod omnes semper vestiantur in concilio colore rubeo, si modo missa de Spiritu Sancto celebretur, etiam intra tempus resurrectionis. Super decimo quarto; quod in prima die concilii & in prima sessione diaconus Cardinalis a dextris Pontificis assistens in plano solii legat omnia legenda: in aliis autem sessionibus prælatus quem Pontifex successive deputaverit super pulpito ligneo legat.*

*In gravioribus decretis concinendus tantum hymnus. Te Deum Laudamus.*

*A quibus decreta legenda fiant.*

XXXIV.

*Quæ evangeliorum lectiones constitutæ.*

*Sedium ordo designatus.*

*Qui custodes designati.*

*Indictæ supplicationes solemnes clero & sodalitiis. Indicta jejunia.*

*Super decimo quinto; primum evangelium sit: Designavit Dominus, &c. secundum: Ego sum pastor bonus, tertium: attendite a falsis prophetis: quartum & quintum prout in pontificali: in aliis vero sessionibus quotquot erunt, vel repetantur primo ea, vel decernantur per Cardinalem Senogalliensem in ejusmodi disciplina peritum. Super decimo sexto; quod Pontifex in prima sessione decernit secundum ordinationes concilii Constantiensis ac Basiliensis. Super decimo septimo; quod quatuor privilegiati patriarchæ non Cardinales sedeant cum assistentibus prælatis juxta ordinem literæ expressæ in capitulo, Antiqua de privilegiis; cæteri autem secundum tempus promotionis eorum, ut est consuetudo urbis. Super decimo octavo; quod abbates urbis parati supra alios coabbates extraneos, & nullatenus supra episcopos sedeant apud Lateranum. Super decimo nono; illustris dominus Constantinus princeps Macedoniæ deputetur unicus concilii custos, extra tamen basilicam, custodiens cum forti militia & numeroso pedite, sicut tempore conclavis: sed conservatores urbis cum tribunis populi sint custodes aditus conciliabuli; Jerosolymitani vero milites armati custodes corporis Pontificis in basilica semper intersint, extra tamen conciliabulum. Super vigesimo; vicarius Papæ in urbe universum clerum nullo dempto cogat, ut solet, & stationes, ut placet, designet; collegiis vero piisque confraternitatibus intimet, non cogens, sed invitans ad rogationes. Super vigesimo primo; jejunetur utique ab omnibus, præsertim ab ecclesiasticis, maximeque prælatis in concilio sessuris; super qua re bulla papalis desuper expediatur, & locis solitis affigatur. Super vigesimo secundo; quod extra basilicam pro cæli dispositione, & pro temporis commoditate, ac Pontificis arbitrio lassitudineque, processio fiat dum itur ad locum concilii. Super vigesimo tertio; idem diaconus a semetipso legat cedulam super indictione primæ sessionis tantum, nec quidquam amplius consti-*

*timentem. Super vigesimo quarto; quod Pontifex nihil prorsus præter preces dicat, sed in prima sessione, ut valet & quantum volet. Super vigesimo quinto; fiant officiales, qui & facti sunt illico ac per Pontificem approbati. Super vigesimo sexto: conciliabulum prima die, qua inchoabitur concilium, omnibus pateat, præsertim egregiis viris tam ecclesiasticis quam sæcularibus, ut publicum consistorium. Super vigesimo septimo; Sacramentum altari non superponatur, sed sanctæ reliquiæ & candelabra cum cruce, ne propter Sacramenti reverentiam omnes, qui sunt sessuri sæpissime genuflectant. Super vigesimo octavo; placuit, Pontifice, & senatu, & patribus conciliabulum ingressis, Apostolorum capita more solito demonstrentur. Super vigesimo nono; utique libri quot placet apportentur, non tamen palam tanquam necessarii exhibeantur, sed sub altari conserventur. Super trigesimo; reverendissimus dominus Raphael Cardinalis S. Georgii, qui & camerarius, idemque episcopus Ostiensis ac collegii decanus celebret prima die concilii super altare principali basilicæ missam de Spiritu Sancto cum commemoratione de festo sanctæ crucis, quia eadem die currit, & pro Ecclesia. Super ultimo; quod omnino fiat sermo, ideo in fine missa fiat. Hac resolutione,* subdit Paris, *omnia præparata fuerunt pro cærimoniis tam pro missa quam processione papali, & precibus in conciliabulo habendis.* Interjectis nonnullis ait id.

Quo ornatu sacro instruenda ara.

Libri sub altari asservandi.

XXXV. *Die dominica, quæ fuit secundus dies maii circa horam* XXI. *Pontifex in lectica sua delatus est ad Lateranum, vestitus alba & stola; & Cardinales omnes, videlicet sexdecim præsentes in urbe exceptis duobus infirmis, secuti sunt Pontificem, & post eos LXXX. prælati cum magna populi Romani & curialis multitudine, ac stipendiariorum, & aliorum militum levis armaturæ, quorum duces armati præcedebant, & milites Jerosolymitani ante Pontificem, equites armati custodiebant eum, quos mazerii in hoc actu præcesserunt tanquam minores.* Addit author dispositas fuisse circa Lateranenses ædes militares stationes, ne qua ex Gallorum proditione seditio oriretur; dieque insequenti concursum populi ad quinquaginta hominum millia & eo amplius factum: *Itaque exiit thiaratus ad basilicam, non tamen umbraculo tectus fuit. Cardinales in cappis rubeis missæ interfuerunt, quam Cardinalis S. Georgii prior episcoporum super altari majori celebravit, Pontifice confessionem, ut alias inchoante. Pontifex sedit sub tribuna ante cancellos: Cardinales episcopi ad dexteram cum aliquibus presbyteris sederunt; alii presbyteri cum diaconis in sinistra, prior presbyterorum in scabello sicut in S. Petro. Oratores in subselliis adhærentibus,* & infra, *& cum eis senator ac conservatores, quos mihi Pontifex honorari jussit in hoc concilii tempore, forte ut hi fideliores persistant pro Pontifice timente seditionem in populo: barones urbis tam Ursini quam Columnenses, & si qui alii, in gradibus infimis solii sederunt.* Et infra: *Milites Jerosolymitani armati thoracibus gutturalibusque & brachialibus gerentes securiculas hastas in manibus pulchre auratas Pontificem a cubili ad basilicam duxerunt reduxeruntque, ac missa continue astiterunt ante aditum cancellorum, & mazerii quatuor in aditu manserunt. Missa more solito habita est: habitus est sermo Latinus per reverendum patrem dominum Ægidium generalem ordinis S. Augustini factum ad rem ita eleganter & pientissime dicentem, ut partem audientium ad lachrymas, partem ad stuporem converterit pro doctrina & facundia ac pietate eorum, quæ dixerit de cædibus ac cladibus habitis occasione bellorum illatorum a schismaticis, id est ab olim Cardinalibus depositis, quorum causa indictum est concilium. In fine sermonis Pontifex dedit benedictionem, & mox idem generalis orator publicavit indulgentiam plenariam.*

Pontificis ad Lateranen. basil. solemnis profectio. Stationes militares dispositæ.

Equites Rhodii Stipatores Pontificis.

Habita prima oratio ab Ægidio Augustin.

*His peractis confestim Cardinales & prælati, ac omnes officiales paramenta ac superpellicia sumpserunt; & Pontifex paramenta omnia missalia a primo ad ultimum indutus fuit, perinde ac si esset celebraturus, quemadmodum legisse, se dixit de Gregorio X. qui in Lugdunensi concilio prima die paratus hujusmodi paramentis fuit: legit etiam psalmos & orationes omnes usque ad ultimam cum cærimoniis solitis, nisi quod non lavit manus, & interim dum pararetur, organa sedulo cantaverunt. Vestitus Pontifex surrexit, & capite detecto daturus initium concilio alte cantavit hymnum: Veni creator Spiritus; & mox genuflexit cum omnibus; qui aderant cantores prosecuti sunt, & finito primo versu omnes surgentes processionaliter accesserunt ad concilium intra basilicam a porta laterali ad portam anteriorem, per quam viam erat omnis clerus urbis, & per alas dispositus, cantans hymnos & laudes in honorem Dei & Spiritus Sancti, Pontifex accepit regnum seu tyaram in capite: sub umbraculo delatus est in gestatorio, & perveniens ad concilium in plano dimissus genuflexit cum omnibus patribus, ante quos ex alto demonstrata sunt capita Apostolorum Petri & Pauli, ut moris est. Tunc perseveravit in genuflexione* XXXVI.

Cœptum concilium ab hymno Veni Creator.

*orans*

*orans tantisper quoad cantores hymni versum ultimum videlicet: Gloria Patri Domino, &c. perficerent.*

*Hymno finito Pontifex surgens ex libro, quem prior presbyterorum assistens pluviali paratus tenuit, cantavit ibidem stans: Emitte spiritum tuum & creabuntur. Alleluja; & responso facto cantavit: Oremus. Deus qui corda fidelium, &c. Post hæc accepta mithra pretiosa, nam regnum hic dimisit, ascendit ad solium ubi compositus recepit omnes Cardinales & prælatos paratos ad obedientiam: qua finita factæ sunt preces eo ordine, quo supra ad longum expresso.* Concepta est ab authore hisce verbis ea formula.

XXXVII. Quæ preces repetitæ.

*Diaconus a dextris surgens deposita mithra cantat alta voce versus ad patres. Orate: & omnes depositis mithris genuflectunt, & similiter Pontifex apud solium suum sine mithra incurvatus, quia genuflectere non potest, tantisper erat quasi per spatium unius Pater noster, & surgit solus cum duobus diaconibus, & presbytero librum tenente cantat orationem: Adsumus domine Sancte Spiritus; in fine: Per Christum dominum nostrum. Respon. Amen. Et mox diaconus a sinistris cantat: Erigite vos; & omnes se erigunt, moxque sedent receptis mithris; & cantores interim cantant antiphonam: Exaudi; cum primo versu psalmi, qui est: Salvum me fac Deus, &c. Gloria patri. respon. sicut, &c. & repetita tota antiphona diaconus primus cantat: Orate; & patres sine mithris per spatium unius Pater noster genuflexi orant. Tum diaconus secundus: Erigite vos; & Pontifex similiter surgens cantat orationem absolute: Mentes nostras, &c. respon. Amen. Et cantores in medio conciliabuli duo genuflexi cantant lætanias majores pro prima hac die, etiam minores in aliis sessionibus expediunt, ut infra, & reliqui omnes cantores respondent nomine totius concilii, interim Pontifice & patribus omnibus cum mithra genuflexis manentibus. Ut autem perventum fuerit ad versum: Ut domnum Apostolicum, Pontifex surgens mithratus, ut erat surgentibus tribus ministris prædictis sine mithra stantibus & sic ministrantibus cantat ter, & totidem signans cantat; Ut hanc sanctam synodum, &c. & deinde recumbit usque ad finem; qua finita omnes surgunt, & Pontifex dimissa mithra ferialiter cantat, Oremus, & diaconus primus; Flectamus Genua; diaconus alter: Levate. Pontifex absolute orationem. Da quæsumus; respond. Amen. Et sic sedens Pontifex considentibus omnibus priore presbyterorum naviculam & acolyto thuribulum tenentibus ponit incensum. Interim diaconus a sinistris cantaturus evangelium descendit; pro quo tunc assistit alter diaconus, & ille vadit ad altare super quo positus est liber evangeliorum; & inde illum capiens nihil dicendo vadit ad Pontificem, a quo petit benedictionem dicens. Jube domine Benedicere; & Pontifex. Dominus sit in corde tuo, &c. & vadit ad legile, quod subdiaconus paratus amplexum tenet, ut in cœna Domini & cantat, signat & incensat more solito. In fine Pontifex librum osculatur, & incensatur per eundem diaconum Evangelium sic: Designavit Dominus, &c.* Et infra.

*Pontifex patientissimus semper extitit; quod omnibus quasi mirum fuit, cum suo naturali more in rebus novis plerumque moveri soleat. Denique diaconus Cardinalis primus, qui fuit de Farnesio, legit cedulam a nobis prius visam & recognitam super indictione primæ sessionis, quæ erit die lunæ maii decima, & non alia continentem; quamvis ordinatum prius fuisset, ut bulla indictionis concilii legeretur & officiales simul crearentur: verum quoniam simul cum his actibus & Pontifex debuisset præfari aliquid in oratiunculæ modum, dicens causas, quibus motus esset ad concilium indicendum; sed tamen Pontifex ipse, ut mihi relatum fuit non præviderat, nec sese de hujusmodi sermone recitando munierat: ideo ab his omnibus tunc cessatum est, & in primam sessionem reservata sunt omnia hæc agenda. Lecta cedula, procurator fiscalis rogavit notarios, ut instrumentum conficiant, & præsentes oratores, ut memoriam habeant de præmissis.* XXXVIII.

Affertur prædicta schedula (a) ab Antonio Cardinale de Monte in actis concilii, quæ cum paucis verbis plura ad historiæ cognitionem digna complectatur, repetenda visa est. Hac ergo Pontifex congregatos patres ita affatus est: *Indicto per nos hoc sacro Lateranensi concilio, de quo cum in minoribus essemus sæpenumero cogitavimus, & ad summi apostolatus apicem vocati omnino nobis celebrandum proposuimus, dum ante ipsius inchoationem bella inter Christianos vigentia sedare, & oves perditas ad ovile dominicum reducere intendimus, repente intestina hæresis, insidiante sathana bonorum operum perturbatore domum Dei quam decet sanctitudo (b) invasit. Ne igitur contagiosa pestis latius serperet, & Christi gregem nobis commissum sensim inficeret, pastorali officio jugiter invigilantes, vocemque Isaiæ (c) animo repetentes: ini concilium, coge concilium; diutius cunctandum fore non duximus. Convenimus itaque, venerabiles fratres, vosque dilecti filii, hodierna solem-*

XXXIX.

(a) Ext. in actis conc. Later. p. 7. ex editione Binii to. 4. part. 2.

Ad hæresim insurgentem extinguendam indictum concilium.

(b) Ps. 142.

(c) Isai. 16.

*ni die in hac Lateranensi basilica, ut in Spiritu Sancto congregati viam veritatis eligamus, & abjicientes (a) opera tenebrarum, induamur arma lucis. Vos igitur hortamur in Domino, ut illum præ oculis habentes, qui est via (b), veritas, & vita, in medium libere consulatis, Deo magis quam hominibus placere studentes. Speramus enim, Domino cooperante, in hac sacra Lateranensi synodo sentes ac vepres ab agro Domini penitus extirpare, depravatos mores ad meliorem frugem redigere, pacem inter Christianos principes componere, denique expeditiones adversus hostes fidei inter se dissidentes decernere; ut in hoc vexillo salutiferæ crucis, quæ huic sacro concilio auspicatissimum dedit initium, antiqui hostis insidias superare valeamus.*

(a) Rom. 13.

(b) Joan.

Aliæ causæ indictionis.

XL. Laborabat intestinis seditionibus regia Othomannica, Bajazethis filiis inter se de imperio certantibus; ex quibus etiam Ægidius Viterbiensis in oratione (c) habita in hoc conciliari exordio, ubi derivatam a synodis in Ecclesiam utilitatem luculenter exposuit, occasionem captavit incitandi patres, ut discissas orbis partes conglutinandas, & crucesignatam expeditionem ad Constantinopolim & Solymas a Saracenis repetendas decernendam curarent: *Freta*, inquit, *initio suis armis Ecclesia Africam cepit, Europam obtinuit, Asiam occupavit, non vi, non bello, non ferro, sed religionis actionibus, & sanctitatis opinione per universum orbem Christianum signa circumtulit. At ubi sponsa, quæ tunc undique vocabatur, accersebatur, expetebatur in vestitu deaurato aureum paludamentum ardentis spiritus ferreis Ajacis insani armis commutavit, imperium duodecim ducum partum sanguine amisit; Asiam & Jerusalem perdidit, Africam, Ægyptumque relinquere coacta est: Europa cum Byzantino imperio & Græciæ bonam sibi eripi partem vidit.* Nonnullis interjectis de misero Ecclesiæ statu, ostensisque cælo & terra prodigiis, hac ad principes Apostolorum apostrophe usus est: *Audis Petre? audis Paule? auditis augustissima semper capita tutela ac præsidium urbis Romæ? auditis in quem malorum cumulum Ecclesia vestra fundata sanguine deducta sit? videtis acies utrimque profligatas? videtis cædes? videtis clades? videtis campos occisorum acervis opertos? videtis terram hoc anno plus cruoris hausisse quam pluviæ, minus imbrium bibisse quam sanguinis? videtis tantum occubuisse Christiani roboris, quantum fuerat ad fidei hostem debellandum satis? nihil nobis nisi exitium, nihil nisi interitum superesse? Ferte opem, juvate, succurrite, & quam de Judæorum & tyrannorum faucibus eripuistis Ecclesiam, nunc domesticis cladibus occumbentem erigite. Orat populus, viri, fœminæque, omnis ætas, omnis sexus, omnis orbis rogant: patres obsecrant, senatus obtestatur, ipse denique supplex Pontifex, ut se, ut Ecclesiam, ut urbem Romam, hæc templa has aras, hæc sacra, hæc vestra ipsorum capita servetis, ac synodum Lateranensem hodie ante ora vestra a Julio II. Pontifice maximo indictam, quod faustum, felix, fortunatumque sit nobis, Ecclesiæ vestræ, totique reipublicæ Christianæ in orbis terræ certissimam salutem Sancti Spiritus numine firmetis, curetisque & pacari Christianos principes, & in publicum Christi hostem Mahumetem nostrorum Regum arma converti; atque his fluctibus, his tempestatibus, his aquis non modo non extingui Ecclesiæ charitatem, sed almæ crucis meritis, & divini Spiritus ductu, quibus junctim hodie sacra fiunt, ablui potius ab omnibus conceptis maculis, & in antiquum splendorem munditiemque restitui.*

(c) Ext. in actis concil. Lateran. to. 4. part. 2. ex editione Bini p. 8. & apud Ferron. in Lud. XII. lib. 4.

Magnas clades passa ecclesia.

Mala ex mutuis dissidiis exorta.

Ubi vero peroravit Ægidius, sacras preces fusas ad Deum addit Paris de Grassis, ac sexdecim Cardinales præsulesque octuaginta tres interfuisse; quinquaginta vero millia hominum & eo amplius confluxisse. Recensitis vero singulorum Cardinalium, qui interfuere nominibus, hæc repetit: *Duo vero infirmi fuerunt Franciscus de Sudorinis episcopus Prænestinus dictus Vulteranus, & Sixtus tit. Sancti Petri ad vincula vicecancellarius. Prælatorum mithratorum præsentium numerus fuit octuaginta trium, sed populi numerositas tam inter locum concilii, quam in tota basilica, exceptis his qui Forinsecus cum levi plebecula expectabant æstimata fuit supra quinquaginta millia hominum præsentium.* Subiicit; inter colloquia illatum fuisse sermonem de arcano concilio, de quo in conciliorum libris fit mentio, seque Pontifici subjecisse, id fieri cum Pontifex cum Cæsare & Regibus & Cardinalibus considet, & quæ universali concilio proponenda sunt, excutit: *Quo*, inquit, *audito Papa dixit. Ut nihil desit, quin hoc sit in omni parte perfectum concilium volumus, ut etiam hoc fiat. Itaque mihi jussit, ut illud perficerem quod & feci illico & bene ac eleganter, sic ut Papa si voluisset in prima sessione ibi concilium tenere potuisset. Addidit Papa, quod si Imperator ac Reges quicumque voluerint venire, utique possint, nec habeant unde se excusent, quia secreta mansia non sit parata; propterea, &c. Hæc autem mansio fuit in aula illa supra scalas, quæ ducit ad sancta sanctorum.* XLI.

Præsules mithrati interfuere LXXXIII.

Magni ad Lateranum concursus.

Paratus pro Pont. & Regibus secretus locus si accesserint.

*Die*

XLII. *Die (a) lunæ, quæ fuit maii decima, celebrata est prima sessio in basilica Lateranensi præsente Pontifice.* Nonnullisque interjectis de divina re a Cardinale Grimano episcopo Portuensi celebrata subdit (b): *Præstita obedientia, & indicto silentio preces inchoatæ sunt per versiculum: Orate, ut in cæremoniali positæ sunt ad longum; & post evangelium cantatum, quod fuit: Ego sum pastor bonus; & post illud osculatum, ac post Pontificem incensatum, Pontifex exorsus est nonnulla verba pientissima, quibus detexit causas indictionis concilii hujusmodi; asserens non esse necessarium eas exprimere, cum satis nota sint; & illis finitis ac libro allato cantavit hymnum. Veni creator Spiritus; quo finito cantores cantarunt Benedicamus Domino; respon. Deo gratias; & Cardinalis diaconus de Farnesio stans in plano solii a dextris Papæ, detecto capite legit cedulam & bullam concilii, & decreta sanctorum patrum in initiis conciliorum legi solita.* Petita (c) illa fuere ex Toletano (d) concilio, in quibus monentur præsules qua modestia & dignitate in ferendis sententiis se gerere, jurgiisque & inconditis vocibus & gestibus abstinere in synodo debeant; ait enim Paris: *Ut notus sit omnibus modus, qui in sacræ huius synodi processu erit servandus tam quoad ea, quæ dicenda terminandaque erunt, quam quoad consessum & gestum juxta tenorem canonis Toletani, erit hic norma notata.*

(a) Id. ib. p. 826.

(b) Id. p. 829.

Habita a Julio brevis oratio.

(c) Act. concil. Lateran. ex edit. Binii to. 4. part. 2. p. 17.

(d) Tol. 11. c. 15. qu. 4. in loco.

XLIII. *In loco benedictionis confidentes sacerdotes Domini nullis debent aut indiscretis vocibus perstrepere, aut ullis tumultibus perturbari; nullis etiam vanis fabulis & risibus agi, & quod deterius est, obstinatis disputationibus tumultuosas voces effundere: si quis enim, ut ait Apostolus (e), religiosum se putat non refrænans linguam suam, sed cor suum seducens, hujus vana est religio; cultum suum justitia prodit, quando silentia judicii obstrepentium turbatio confundit, dicente propheta (f): Erit enim cultus justitiæ silentium. Debet ergo quidquid aut confidentium consultationibus agitur, aut a causantium parte proponitur, sic mitissima verborum relatione proferri, ut nec contentiosis vocibus sensus audientium turbent, nec judicum vigorem de tumultu enervent. Quicumque ergo in conventu concilii hæc, quæ præmissa sunt, violanda crediderit, & contra hæc interdicta aut tumultu, aut contumeliis vel risibus concilium conturbaverit, juxta legis divinæ edictum, quo præcipitur: Ejice (g) derisorem, & exibit cum eo jurgium, cum omni dedecore de confessione abstractus a communi cœtu recedat, & trium dierum excommunicationis sententia perferat. Quoniam vero communiter contingere potest, quod aliqui ex confidentibus non erunt in sedibus debitis collocati, eodem sacro approbante concilio decernimus, quod ex sessione hujusmodi nulli ecclesiasticæ vel sæculari personæ præjudicium generetur.* His lectis Cardinalem Farnesium nomina admioistrorum synodi promulgasse addit idem Paris de Grassis, subditque: *Ego ad pedes Pontificis librum missalem posui apertum in eo folio, ubi est imago Crucifixi depicta, & indixi secretariis concilii, ut officiales prædictos ad præstationem juramenti vocarent, de qua actione ipsi rogati essent, prout fuerunt; & si officiales tunc deputati abessent, jurarent postea in manibus camerarii, qui est episcopus Ostiensis prædictus.*

Imperata præsulibus modestia.

(e) Jac. 1.

(f) Isai. 33.

(g) Prov. 22.

XLIV. Referunt acta concilii, in hac sessione Bernardinum Zane archiepiscopum Spalatensem concionem habuisse, in qua is totius orationis nervos intendit, ut patres ad decernendum in concilio sacrum adversus Turcas bellum concitaret; ac ubi miserandam Ecclesiæ conditionem, ac tot regna amplissima superstitionum tenebris involuta exposuit, & continuas Othomannorum in Ecclesiam ipsam grassationes, ferocesque ad eam evertendam conatus in omnium oculis defixit, palamque edixit, ni Germani Hungaris, Galli Germanis, Hispani Gallis se jungerent, barbaricæ servituti addicendos. Ex cujus oratione hanc partem plura ad historiam spectantia continentem decerpsimus: *Sine maximo*, inquiebat (h), *dolore, sine singultibus, sine lachrymis nec memorari nec cogitare, nedum exprimere valeo immanissimam Turcarum rabiem & potentiam. Hi, ut optime novit sanctitas tua, nostis & vos patres amplissimi, a centum octoginta ferme annis, hoc est ab Ottomanno primo usque ad Bajazethem præsentem undecimum eorum principem magnam Asiæ partem & eam potiorem occupavere: deinde Europæ non minorem, cum maxima Christiani cruoris effusione usurparunt, dilaniarunt, lacerarunt, duobus imperiis & duodecim regnis usurpatis, & [quod formidabile est] imperium suum Dalmatiam & Liburniam usque dilatavere; a quo quidem loco, ad urbes sanctitatis tuæ Picentinas unius noctis spatio commodissime possunt transfretari, effrænata gens immanissima, Christiano nomini inimicissima; suo enim sordidissimo Mahumeto obsequium se præstare putat, Christianos insequendo, dilaniando, occidendo; & ne recenseam calamitates ab eisdem retroactis temporibus nobis illatas, utpote vobis omnibus notas, considerate patres præsentes ærumnas Christifidelium, in quos Turcæ crudelissime*

Habita a Spalatensi archiep. oratio de expeditione in Turcas decernenda.

(h) Acta concil. Later. ex editione Binii to. 4. p. 2. p. 19.

Quanta regna erepta Christianis.

*Turcarum horrenda in Christianos facinora.*

*me desæviunt : filios a complexu parentum, infantes a matrum uberibus eripiunt ; uxores in virorum conspectu violant ; virgines e matrum amplexu in hostilem libidinem rapiunt ; senes parentes tanquam inutiles in filiorum oculis trucidant ; juvenes sicut boves aratro jungunt, & terram vomere vertere cogunt. Sed quid pluribus opus est? nulla in eis reperitur fœminei sexus reverentia, nulla puerilis ætatis pietas, nulla senectutis miseratio. Hæc a me sanctissime Pontifex, sapientissimi patres, non tanquam audita vel lecta, sed certe visa sunt repetita : vidi ego oculis propriis, vidi inquam eos usque ad suburbia archipræsulatus mei Spalatensis, & illius miserrimæ urbis Spalati depopulantes, omnia igni ferroque devastantes, & in miserabilem captivitatem utriusque sexus filios sanctitatis tuæ & meos adducentes. Viderunt & hæc in urbibus suis duodecim suffraganei ejusdem sanctitatis tuæ & mei. Adest & locupletissimus testis amplissimus totius Hungariæ primas archipræsul Strigoniensis, qui proximis his elapsis diebus intellecta immanissima eorumdem invasione in nostrates Dalmatiæ, Illyriæ, Croatiæ, Pannoniæ, immo totius religionis Christianæ statum, amarissime deploravit.*

*Crebræ Turcarum ad Spalatum excursiones.*

XLV. *Sæpe, pater sanctissime, & sæpius ego, o me miserum & infelicem, divinis officiis assistens coactus sum cappam indumentaque pontificia dimittere, arma sumere, ad urbis portas procurrere, afflictum populum Spalatensem tua apostolicæ benignitate mihi demandatum solari, animare, & adversus sanguinem nostrum sitientes assurgere. Miserere itaque, sanctissime pater & domine, filiorum & servorum tuorum, affer opem tam dura ferentibus, redime de miserabili servitute, quos Christus benedictus suo pretiosissimo sanguine a perpetua morte liberavit. Misereminі & vos, patres amplissimi, nec vos tutos idcirco existimetis, quia mansionem fortasse procul a Turcis sortiti estis; nemo etiam tam remotus est, quin reperiri queat, si vicinum, qui ante vos proximus est igni, in periculo dimiseritis, dimissi eritis & vos a vicinis, qui retro habitant : tales nos esse oportet in alios, quales illos erga nos cupimus invenire. Nolite Germani Gallorum auxilia sperare, nisi & vos Hungaris, nec vos Galli Hispanorum, nisi Germanis opem feratis; qua enim mensura mensi eritis, eadem remetietur & vobis. Nec putet sanctitas tua, pater beatissime, vosque patres amplissimi, Turcas esse insuperabiles; vinci possunt, & sæpius victi sunt : multitudinem, qua potissimum vincunt, inermem ducunt confisi pernicissimis equis. Adde plurimos eorum subditos esse Christianos, Christianamque religionem ardenter amplecti, qui anhelanti ore sanctitatis tuæ adventum, auxilium, & redemptionem, & e miserabili servitute liberationem expectant.*

*XLV. Sæpius coactus archiep. relicto sacrificio arma capere.*

*Insignis sententia de mutua ferenda ope.*

XLVI. Celebrata deinde fuit secunda sessio, cujus historiam ita Paris de Grassis enarrat : *Die lunæ maii* XVII. *celebrata est publica sessio, quæ fuit secunda in concilio apud basilicam Lateranensem, Pontifice a principio usque ad ejus finem præsente cum Cardinalibus* XVI. *& prælatis mitratis LXXXVI. ac quatuor generalibus ordinum mendicantium, nec non principibus & oratoribus Regum & principum, ac aliis dominis & baronibus, officialibusque, capellæ, ac concilii specialiter deputatis & aliis interesse solitis.* Pluribus interjectis, ut designati sint ad gesta concilii describenda Fedra, & Salicetus, ac divinam rem peregerit Thomas tit. S. Martini in montibus presbyter Cardinalis paucis ante mensibus urbem ingressus, ususque sit more Hungarico calice ex auro puro conflato, gemmis interstincto, quamvis a solo Pontifice id usurpari consueverit, atque sacra concio a magistro ordinis Prædicatorum habita fuerit, subiicit : *Valvis ne populus exire quodammodo juberetur clausis remanentibus vocavi Dominum Joannem Baldassarem Tuerdum Taurinensem secretarium Pontificis, & eum ante solium Pontificis adduxi ; super quem genuflexum Pontifex nihil dicens elevata manu benedixit, & ille pulpitum ligneum conscendens legit cedulam præcompositam in modum præfationis, qua declaravit, sanctissimum dominum nostrum sibi imposuisse, ut optimam voluntatem Regis Angliæ adversus suam sanctitatem & sedem Apostolicam ostenderet per lectionem mandati super inito fœdere cum ipso Pontifice, & adversus schismaticos Cardinales & eorum fautores, etiam si Reges forent, &c. Itaque post præfationem legit totum mandatum dicti Regis Angliæ : ex qua re populus præsens simul cum patribus admodum consolati sunt.*

*Sessio secunda.*

*Ab Anglo in schismaticos promissa auxilia.*

XLVII. *Mandato hujusmodi lecto surrexit e sedili suo magnificus dominus Hieronymus Vicho orator Regis Hispaniæ, & alte exposuit, Regem suum admodum gavisum de celebratione concilii hujus Lateranensis, paratumque illius decreta & sanctiones suscipere, & illi obedire, rogareque ut contra schismaticos omnino procedatur, prout in instrumento, quod tunc manibus gestabat, continebatur, & illud mandatum ad Pontificis manus attulit, petiitque ut illud publice ibidem sua sanctitas legi juberet. Pontifex acceptum mandatum Fedræ concilii secretario tradidit in alto pulpito legendum, quod factum fuit.* Præterit silentio præ-

*Hispaniæ Rex concilio conjunctissimus.*

prædictus Cardinalis de Monte, qui acta concilii Lateranensis conscripsit, illustre adeo Henrici Angliæ Regis in Ecclesiam observantiæ adversus schismaticos monumentum; Ferdinandi vero Regis Aragoniæ & utriusque Siciliæ & Sardiniæ nomine dati mandati exemplum (a) inseruit, quo Hieronymus e Vich orator Julium II. verum Pontificem profiteri, schismaticorumque impietatem damnare jussus est, nec non Lateranensi concilio ad Christianam pietatem instaurandam, decernendumque pro amplificanda religione in Dei hostes sacrum bellum, tum ad pia omnia illius decreta tuenda adhærescere.

(a) *Ext. in act. Later. conc. ex editione Binii to. 4. par. 2. p. 23.*

Amplissima Catholici Regis officia.

XLVIII. Tradit Paris (b), lecto eo mandato, populum e concilii loco jussum abscedere; tum subdit: *Finitis precibus, & cantato Deo gratias, ego vocavi reverendum patrem dominum Bernardum Zane archiepiscopum Spalatensem, cui jam onus legendi cedulam demandatum fuerat, ut ad pulpitum veniret; & pertransiens ante Pontificem genuflexit, cui Pontifex nihil dicens elevata manu benedixit: & ille surgens reposita in capite mithra secutus est me ad pulpitum; & ibidem facta rursus Pontifici & patribus reverentia cum nudo capite, tum cooperuit cum mithra, & legit cedulam longam super declaratione omnium gestorum in conciliabulo Pisano esse nulla nulliusque momenti, & omnes ibi præsentes & fautores hæreticos & schismaticos esse & fore: concilium vero hoc Lattranense sanctum, validum, & canonicum esse. Demum super indictione tertiæ sessionis, quæ ex causis tunc allegatis erit in die tertia mensis novembris, & super invitatione omnium prælatorum, ut veniant ad concilium, aut impediti mittant, alioquin pœna juris punientur rebelles & inobedientes.* Conceptum porro erat verbis infrascriptis decretum (c) hoc, quod prætermitti non potuit, cum eo acta omnia Pisanæ pseudosynodi abolita fuerint, adeo ut schismatici, qui antea Julium sacrosanctæ potestatis usu interdixerant, mutire postea non sint ausi, quippe cum ipsi faterentur, duo concilia contraria simul congregari non posse, Romanumque universalem Ecclesiam potioribus signis repræsentare; cui centum & eo amplius præsules Pontifice præside interessent; parebat ipsos schismaticorum synagogam congregasse.

(b) *Paris to. 3. p. 831.*

Pisani conciliabuli gesta rescissa.

(c) *Ext. in bull. in Jul. II. const. 31. & in actis conc. Lat. ex editione Binii to. 4. p. 2. pag. 24.*

*Ad perpetuam rei memoriam sacro approbante concilio.*

XLIX. *Cum inchoatam hujus sacri Lattranensis concilii celebrationem ad Dei laudem, universalis Ecclesiæ pacem, fidelium unionem, schismatis & hæresum eversionem, morum reformationem, ac contra perfidos fidei hostes expeditionem Altissimi dextera assistente prosequi intendamus, ut omnium schismaticorum & pacis hostium latrantium canum ora obtundantur, universi Christi fideles valeant a tam pestifero & venenoso contagio se immaculatos servare, in hac præsenti secunda sessione in Spiritu Sancto legitime congregata, indictionis, convocationis, & publicationis schismaticæ conventiculæ, & asserti conciliabuli Pisani, ad scindendum & scandalizandum Ecclesiæ præfatæ unionem emanatarum, citationum, monitionum, decretorum, absolutionum, sententiarum, actorum, legatorum creationum, obedientiarum subtractionum assertarum, censurarum appositionum, ipsiusque conciliabuli translationis ad Mediolanensem vel Vercellensem civitates, aut alia loca quæcumque, omniumque & singulorum in dicto conciliabulo gestorum & conclusorum reprobationes, damnationes, revocationes cassationes, irritationes, & annullationes per nos, habita, cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, & de eorundem fratrum consilio & unanimi consensu, ac ex certa scientia, & de apostolicæ potestatis plenitudine per diversas nostras literas respective, præsertim sub data die* XV. *kal. augusti pontificatus nostri anno* VIII. *ac tertio non. decembris, & idibus aprilis ejusdem pontificatus anno* IX. *editas, factas, & emanatas; litterasque ipsas cum decretis, declarationibus, inhibitionibus, mandatis, hortationibus interdictorum ecclesiasticorum appositionibus, & aliis sententiis, censuris, & pœnis tam a canonicis sanctionibus, quam a nobis, maxime in litteris indictionis hujus sacri universalis concilii, ac omnibus & singulis aliis clausulis in dictis litteris contentis, quarum tenores ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, pro expressis haberi volumus, licet ut firma & valida nulla alia confirmatione aut approbatione egerent, ad abundatiorem cautelam & veritatis existimationem hoc sacro approbante concilio confirmamus, approbamus, & innovamus, illaque inviolabiliter observari volumus, statuimus, & ordinamus, supplentes omnes & singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem; nec non & conciliabulum præfatum illiusque translationem, ac omnia & singula per ipsum conciliabulum illique assistentes, adhærentes, fautores, & consentientes directe vel indirecte, quomodocumque & qualitercumque a die indictionis ipsius conciliabuli usque in præsentem diem acta, facta, & gesta & prolata, ac in posterum gerenda, agenda, facienda, & proferenda, etiamsi*

Edictum de eo promulgatum in Lateran. concil.

*talia*

*talia sint vel fuerint, de quibus specialis specifica, expressa, ac individua mentio habenda foret, illorum tenores & qualitates etiam pro expressis habentes, ut alia adulterina & a veritate deviantia concilia & in eis gesta a jure sacrisque canonibus damnata & reprobata fuerunt, damnamus, & reprobamus, ac prout sunt nulla, irrita, & inania, nulliusque roboris vel momenti fuisse & esse nunciamus; & quatenus opus sit, cassamus, irritamus, & annullamus, ac pro cassis, irritis, & annullatis haberi volumus.*

L. *Et nihilominus hoc sacrum concilium œcumenicum juste, rationabiliter, ac ex veris & legitimis causis, riteque & recte indictum celebrari incœptum, omniaque & singula, quæ in eo facta & gesta sunt, & de cætero fient & gerentur, justa, rationabilia, firma, & valida fore, ac idem robur eandemque vim, potestatem, authoritatem, & firmitatem habere & obtinere, quæ alia concilia generalia, præsertim Lateranensia a sacris canonibus approbata habent & obtinent, hoc eodem sacro concilio approbante, decernimus, & declaramus. Insuperque temporum dispositione æstivisque caloribus instantibus, ut commoditati & valetudini prælatorum consulatur, ultramontanique & trans mare existentes, qui hactenus ad hoc sacrum concilium venire non potuerunt, expectentur, propterqua alias justas & rationabiles causas præfato sacro concilio notas, & ab eo approbatas, tertiam sessionem continuationis celebrationis concilii præfati tertio nonas novembris proxime futuri faciendam, hoc præfato sacro concilio similiter approbante, indicimus; omnibusque & singulis prælatis & aliis in eodem concilio nunc existentibus a Romana curia recedendi, & pro eorum voluntate ubi eis placuerit morandi, dummodo dicta tertia nonas novembris in præfato concilio Lateranensi cessante legitimo impedimento, de quo clare constet, sub pœnarum in literis indictionis ipsius concilii & canonicis sanctionibus contra non accedentes ad concilia indictarum incursu, præsentes existant, licentiam & facultatem, præfato sacro concilio etiam approbante, concedimus & indulgemus. Nulli ergo &c. Dat. Romæ in publica sessione in Lateranensi sacrosancta basilica solemniter celebrata anno incarnationis dominicæ MDXII. XVI. kal. junii pontificatus nostri anno IX.*

Tertia sessio cur prorogata ad mensem novemb.

Præsulibus non accessuris ad Concilium objectæ pœnæ.

LI. *Finita lectione totali idem archiepiscopus deposita mithra genuflexus ibidem se convertit ad Pontificem, a quo petiit an prædicta placerent, his verbis usus: Placentne sanctitati vestræ & vobis patres omnia in cedula prædicta contenta. Hoc audito Pontifex, a me petiit, an deberet respondere & qualiter; dixi quod sua sanctitas responderet: Placent; sed ipse elevata confestim voce clamando potius quam communiter loquendo, dixit in singulari; Placet: & illico vocavi notarios & scribas & scrutatores votorum, quibus dixi, ut ad Cardinales, & ad omnes prælatos partim hinc & partim inde irent, & diligenter vota omnium intelligerent & notarent. Cardinalibus autem prælatisque assistentibus & aliis non assistentibus dixi, ut distincte & ordinate, ac quodammodo reverenter, id est alter alterum invitans ad prius loquendum responderent sedentes quidem & mithrati, dicentes: Placet; velut videtur eis judicandum super præmissis & propositis secundum infusionem Spiritus Sancti, quam propterea invocarunt, & sicut omnes eleganter & modeste responderunt: duo scrutatores, duo protonotarii, & duo scribæ ad omnes, qui in dextro latere concilii sederunt, & totidem ad alios, qui in sinistro consederunt simul & eodem contentu accesserunt, & finaliter retulerunt mihi continue apud Pontificem manenti, qualiter omnes, qui fuerunt in totum centum & duo patres mithrati responderunt per verbum: Placet, uno duntaxat excepto, qui fuit reverendus Pater dominus episcopus Melphitanus natione Græcus; nam hic dixisse fertur, quod si Cardinales & prælati schismatici prius audiri vellent, utique possent in reliquis, placere.* Et infra: *Omnibus expeditis cantores in medio septorum ante altare conversi cantando inchoarunt. Te Deum laudamus; & Pontifex surgens & nihil dicens alte signavit omnes, quasi eos licentiaret.*

LII. Extractam in autumnum fuisse tertiam sessionem, ut præsules septentrionalium regnorum, ad quos fama concilii jam inchoati pervaderet, eo temporis intervallo Romam confluere possent ad concilii majestatem augendam, indicat (a) oratio a Thoma de Vio Prædicatorum ordinis magistro in hac sessione habita; in qua ille plura de Christo & Ecclesia B. Joanni in apocalypsi sub Jerusalem sponsæ specie præsignata præfatus, demum ad Pontificem conversus, eum ut clementia uteretur in illos, qui aberrarant, quoad concilium supplices venirent, tum ad multarum gentium Christianarum, quæ Lateranensi concilio se adhæsuras professæ erant, expectandos oratores & antistites gravissimis hisce verbis est adhortatus: *Cum multos multarum nationum gentiumque viros clarissimos per Dei namque misericordiam ad hanc synodum venturos accessurosque existimemus, una se tibi ad*

Sessio tertia.

(a) *Acta concil. Later. ex editione Binii to. 4. p. 2. pag. 26.*

hanc

(a) Sap. 8.

Expectati summa patientia omnium gentium præsules.

*hanc rem offert divina ſapientia* (a), *quæ a fine ad finem fortiter attingit, & diſponis omnia ſuaviter. Hujus nuper exemplo a fine ad finem tuum attigiſti fortiter, pater ſancte, cum indicto concilio hoc atque inchoato univerſos ad bene de Chriſtiana republica ſperandum excitaſti; diſpones autem ſuaviter providendo ſapienter, ne vocati a te juſte queri poſſint, ſe, ut par erat, in re tanta expectatos non fuiſſe: quare poſtquam hodierno die, quod bonum, fauſtum, fœlixque ſit de ſingulis, quæ ad hujuſce ſanctiſſimæ ſynodi conſervationem & ſtatum ſpectare videbuntur, conſtitutum fuerit, tum de iis quoque conſtituatur nationibus; quæ cum intellexerint Romæ & a Romano Pontifice concilium ſynodumque haberi, & deſiderari ſe atque expectari: cunctæ proculdubio nobiſcum una Chriſtianæ religionis diſciplinam, ad apoſtolicæ authoritatis majeſtatem, ad communem fidelis populi ſalutem, ad labentium rerum reſtitutionem, ad totius præterea Eccleſiæ defenſionem, & rem converterentur, ſic namque hic ſacroſanctum concilium in cœlum aſcendet cum catholica Eccleſia, quam refert, & quam Joannes, civitatem ſanctam eſſe Jeruſalem, novamque eſſe, atque de cœlo deſcendiſſe contemplatus eſt.* Habitum propterea xxv. octobris Cardinalium cœtum a Pontifice ait Paris de Graſſis (b), extrahendæque tertiæ ſeſſionis hanc etiam cauſam indicatam ait, quod Julio objectum eſſet, nullos Cardinales labente toto concilii tempore creare poſſe; vel quod metueret, ne epiſcopus Gurcenſis legatus Cæſareus & ſermonum in pace Italica conficienda adminiſter, aliquid ingratum in proxima ſeſſione exponeret; tum addit: *Ego autem, nacta ipſius commoditate, dixi Pontifici quod ſemper Pontifex quando præeſt concilio, ſicut ſua ſanctitas, quæ non ſubmiſit ſe concilio, nec illi ſubeſt, immo præeſt, quod libere poteſt omnia facere ſicut ſi non eſſet indictum concilium, & creare epiſcopos & Cardinales & omnia facere: quando vero Pontifex ſubeſt, tunc nihil poteſt abſque concilio, nec tenere conſiſtorium: nec in eo epiſcopos facere, nec minus Cardinales aliquos creare, ſed omnia ad ipſum concilium deferre: & Pontifex hoc a me audito reſpondit, me eſſe ſapientem poſt factum, & debuiſſe me iſta prius ſanctitati ſuæ aperire.*

(b) *Paris to. 3. p. 913.*

Diſtincta Pontificis authoritas cum præeſt vel ſubeſt Concilio.

LIII. Multa regna adhærent concilio Lateranenſi.

Nec vana pollicitus eſt Thomas; ſiquidem excurrente medio a ſecunda ad tertiam ſeſſionem tempore, Germania, Caſtella, Aragonia, Sardinia, utraque Sicilia, Anglia, Dania, Norwegia, Scotia una cum Italia, & Hungaria Lateranenſi concilio, miſſis oratoribus mandatiſve ampliſſimis, adhæſere; tribuitque cœleſti prodigio victorem ſchiſmaticum exercitum, cum hinc illum Pontifex, ne ad occupandam urbem provolaret vereretur; hinc fracti Hiſpani pertimeſcerent, ne ad invadendum Neapolitanum regnum præſidiis nudatum, concitandoſque ad defectionem inſtabiles populos procurreret, paulo poſt diſſipatum, Chriſtophorus Marcellus in oratione (c) habita in concilio Lateranenſi, cui divinum illud beneficium adſcribit: *Id unum*, inquiebat, *præterire non poſſum, quod ubi ſanctiſſimum hoc pro novandis legibus, ac ſedanda ſeditione a te noſtro omnium patre Julio II. Pontifice maximo ad Lateranum fuit convocatum concilium, hiſque diebus, quibus haberi debebat de totius Eccleſiæ ſumma actum eſſe videbatur; quando audita eſt cruentiſſima illa & nunquam ſatis deplorata Ravennæ clades, quando nudatis enſibus hoſtes cujuſque jugulo imminere acerrimi videbantur, quando præſidium omne, omnis ſpes ſubſidii ſublata erat, illiſmet, inquam, diebus viſi ſunt hoſtes effugere, fuſi, fugatique nullum habere, qui eos caperet, Italiæ locum, omnes animi vires & imperium ſtatim reſtitui. Credo equidem, pater ſancte, quod Deus optimus maximus per te pacificam Eccleſiæ reſtitutionem, ac ſæviſſimi ſchiſmatis extinctionem excupiens, tantum a nobis avertere decrevit incendium. O felix Lateranenſe concilium! O ſanctiſſima concio! cui divinus cœtus & multitudo reſpondet in cœlis, ubi una pietas viget, unus amor, una felicitas.*

Confuſi Galli ſchiſmatici.

(c) *Ext. in actis conc. Later. to. 4. p. 2. ex editione Binii pag. 40.*

Cum maxime claræ eſſent ſchiſmaticorum res tunc concidere.

LIV. Nimia felicitas Gallos perdidit.

Qua porro ratione ſchiſmaticæ copiæ, quæ univerſæ Italiæ terrori erant, fuerint diſſipatæ, refert Rubeus; nimirum milites exuviis onuſtos, cum imperiis caſtrenſibus ob cæſos ſauciatoſve præcipuos duces non coercerentur, exportandis collocandiſque in tuto opibus intentos ſe ſubduxiſſe e caſtris: ingruentibus autem Helvetiis atque in Inſubriam ſigna infeſta attollentibus ad viginti quatuor millia duce Cardinale Sedunenſi legato ex Flaminia, quam ſubegerant, ſchiſmaticos caſtra moviſſe; cujus rei famam octava die maii hujus anni Romæ increbuiſſe refert MS. Vaticani author (d): tum vero Pontificem cum reliquias exercitus collegiſſet, noviſque delectibus refeciſſet revocato (e) in ſuas partes nepote duce Urbinate, qui antea pontificias iras ob cæſum Cardinalem Alidoſium metuens ad Gallos fuga ſe receperat, ac cum Gaſtone Fuxenſi defectionis conſilia agitaſſe ferebatur, in trepidantes fugientibuſque ſimiles inſtauraſſe bellum, & cum Hiſpano Rege, Henrico Anglo, Cæſare ac Venetis

Helvetii in Gallos erumpunt.

(d) *MS. arch. Vat. sig. n. 111.*

(e) *Rub. hiſt. Raven. l. 8. Sur. l. 9. c. 59.*

*Commune foedus in Gallos sancitum.*

netis fœdus sanxisse, quod decima septima die maii Romæ promulgatum est, eaque de causa festi ignes fulsere.

LV.

*Ravenna restituta Pontifici.*

*(a) Rubeus hist. Raven. l. 8.*

*Bononia & aliæ urbes eidem se subjiciunt.*

Cum vero Ravenna a Gallis exiguis præsidiis teneretur, subsidiario exercitu pontificio adveniente duce Troilo Sabello, eorum jugum excussit (*a*); compulsique ad deditionem hostes arcem Pontifici restituerunt: quo exemplo erectæ reliquæ Flaminiæ urbes certatim in Pontificis fidem redierunt, ac paulo post Bononia Bentivolorum servitutem exuit: quippe viginti quatuor millibus Helvetiorum, quibus Veneti quinque peditum millia, sexcentos cataphractos equites, & duo millia levioris armaturæ jonxerant, signa victricia per Insubriam circumferentibus (*b*), Cremonaque & Bergomo potitis (*c*), Gallisque eorum congressum fugientibus, Bentivoli inclinatas Gallorum res conspicati, Bononia aufugerunt (*d*); quam die sacro corporis Christi Cardinalis Gonzaga Mantuanus & Urbinas dux triumphali pompa ingressi, ecclesiastico imperio restituerunt: quæ pluribus describunt authores, omnium vero accuratissime Paris de Grassis, qui dum partos ab Ecclesia adversus schismaticos triumphos enarrat, quodam dolore piove ardore in Gallos, qui ejus patriam vexarant & conciliabuli nomine opprimere Pontificem ecclesiasticamque ditionem occupare, nec non sacrum Lateranense concilium dissolvere annisi erant, elatos, ipsos acerbioribus verbis percellit: cujus narrationem (*e*) ita repetemus, ut nullam propterea Gallico nomini maculam impressam velimus.

*(b) MS. arch. Vat. ubi sup.*
*(c) Bonac. in diar.*
*(d) Id. ib. Guicc. in l. 10. Sur. l. 10. c. 3. &c.*
*(e) Paris de Grassis to. 3. p. 854.*

LVI.

*Ad laudem domini nostri Jesu Christi & augmentum sedis Apostolicæ civitas Bononiæ reversa est ad obsequium Pontificis die* X. *junii præsentis anni* MDXII. *qua fuit festum sacratissimi corporis ejusdem domini nostri Jesu Christi, & hora circiter* XXI S. *hoc modo videlicet: post cladem utriusque exercitus Gallorum & ecclesiasticorum apud Ravennam, die resurrectionis ejusdem domini nostri Jesu Christi nuper præteriti editam, cum sanctissimus dominus noster omnino statuisset extirpare nomen Gallicum ex Italia, reparavit exercitum, advocatis Suitzeris circa numerum vigintiquatuor millium, & ex Hispania decem millium simul cum alio duce seu capitaneo Gundisalvo Ferrando, qui hoc tempore magni capitanei cognomentum & in Christianitate maxime, quia sub ejus ductu & virtute Rex Hispaniarum abstulit annis præteritis regnum Neapolitanum a Rege Gallorum, qui nunc est, videlicet Aloysius de * ... & etiam ipse dominus noster acquisitis undecumque reliquiis primi exercitus, qui fuerunt circa septem millia peditum, & equitum sexcentorum, quibus ducem Urbinatem præfecit nepotem suum cum aliis quatuor millibus peditum, & adjunctis omnibus profugis Bononiensibus & exulibus, pulsis partim, & partim fugitivis ex metu & crudelitate tyrannorum Bentivolorum, quos Rex Franciæ omni favore adjuvabat: & sic Suitzii prædicti vigintiquatuor millia cum primum Italiam inde ingressi sunt contra Mediolanum; & hinc dux Urbinas contra Bentivolos Bononiam occupantes movit exercitum.*

*Helvetii ad viginti quatuor millia exciti.*

** Valois*

*Hoc audito Galli, quorum major pars Bononiam ac Ravennam, & totam fere Romandiolam usque ad Anconam occupaverant, rati, si Mediolanum caput ducatus tuerentur, facile possent non solum recuperare Bononiam, quam relinquere opus erat, sed & Romandiolam & Flaminiam, ac ipsam urbem Romam invadere & capere, illico relicta Bononia ad Mediolanum contra Suitenses sive Suevos solverunt; sed frustra, nam Pontifex ita Suevos pecuniis & pollicitationibus & gratiis tam mundanis, quam cœlestibus ampliaverat, ut illi & numero, & viribus, ac quod est super omne robur animis indurati contra Gallos, steterint* & paulo infra: *Priusquam Galli sese in unum coegissent pro resistentia ordinanda, expulsi sunt ex tota Lombardia velut vilissimæ mulierculæ, & ex omnibus civitatibus Lombardiæ sine præsidio relictis; sed tantummodo rectoribus civitatum dimissis cum ordinaria custodia omnes ipsæ civitates quasi uno die ex divina providentia ab ipsis Gallis lætissime defecerunt, aliquæ nomen sanctum Ecclesiæ & Pontificis Julii exclamantes, aliquæ gloriosum Maximiliani Imperatoris nomen, & auspicium invocantes, aliquæ antiquum Sfortiæ ducem optantes; & sic Galli statim in fugam turpiter conversi sunt: quo audito Bononienses Bentivoli, quos hinc dux Urbinas bello instructo & parato exercitu potenti invaseras recepturus tam civitatem, quam comitatum, fugam capiunt, licet prius hoc præviso simulatis animis, & quasi de excessibus suis veniam a Pontifice petentes, cum bona gratia Pontificis recedere velle simulassent, tamen omnia prius tam ex publico quam ex privato rapuerunt; multum auri argentique tam ipsi, quam sequaces eorum factiosi & consocii rapinarum abstulerunt secum, atque Ferrariam petierunt in numero quasi trecentorum equitum, præter mulieres & pueros; nam hi multos currus impleverunt simul cum rapinis, & præda, ac spoliis ex infelici patria exportatis. Et illico ipsa die post tyrannorum expulsionem cives ad Pontificem mittunt civem ex eis, eundemque*

LVII.

*Pulsi Insubria Galli. Insubres universi schismatis odio ab iis uno die deficiunt.*

Cardinalis legatus Bononiam solemni pompa ingressus.

*que ad ducem Urbinatem, cum quo etiam erat Cardinalis de Gonzaga episcopus Mantuanus, tunc marchio, legatus & a Pontifice designatus Bononiæ vicelegatus; promittuntque omnes subjectionem & deditionem, dummodo exercitum eorum conducat: at ille non nisi exercitum integrum suum habere semper velle respondit, quod & fecit. Itaque dominica die sequenti, quæ fuit* XIII. *junii dux & Cardinalis præfati Bononiam ingressi sunt, excepti a populo festiviter, & se excusantes quod, si quid resistentiæ per ipsum populum factum fuerit priori tempore, a Gallis & tyrannis ac a factiosis factum est & non ab ipso populo: utcumque tamen sit, veniam & misericordiam precantur.*

LVIII. Politica ars ob schisma conflatum versa Gallis in exitium.

*Pontifex autem compos voti factus, non tam quod Bononiam recuperaverit, & quod tyrannos expulerit, quam quod Gallos ex Lombardia expulerit, quotidie magis & magis gratias Deo publice & private reddere non desiit, ac magis & magis precando, ut illos velut humani generis & Christiani nominis hostes etiam Italia expellat: quod ad votum videmus succedere; nam hac ipsa die* XIII. *nuntium habuit Pontifex, Gallos usque ad radices montium aufugisse, & omnia, quæ in Lombardia habuerunt, perdidisse excepto Mediolano, quod etiam nutat armis a populo & nobilitate receptis; nam aliqui Pontificem vellent habere dominum, aliqui Imperatorem, aliqui libertatem, & multi filium Ludovici nuper ducis, aut aliquem ex eo genere & familia, seu gente. At Suevi, quorum exercitus in horas maxime augebatur, inter Laudam & ipsum castrum metari Mediolanum solicitavit. Mediolanenses etiam datis paucissimis diebus ad deliberandum, ut sese resolvant, alias ipsos, & urbem, & comitatum, ac omnia eorum bona diripient: itaque nunc expectatur in horas quem eventum Deus concessurus sit nobis pro salute & quiete Christianitatis, & Italiæ, ac Lombardiæ, tamdiu a Gallis afflictæ & maxime ditionis Ecclesiæ.* Et paulo infra: *Deo autem rem propriam respiciente dedit, datque pœnas suæ iniquitatis Rex Gallus ex Italia turpiter ejectus.*

Mediolanenses in varia studia scissi.

Lud. XII. dum ecclesiam oppugnat infelicissimus.

LIX. Inter hæc Cardinalis Medices sedis Apostolicæ legatus, quem Galli vinctum abducebant in Gallias non sine ecclesiæ dedecore, opera abbatiis amici ex hostium manibus elapsus Mantuam se contulit: cujus rei historiam instructam circumstantiis Paris de Grassis refert (a), divinamque adorat providentiam, quæ illum in terris postea futurum Christi vicarium ex hostili servitute vindicavit: *Iste bonus,* inquit, *piusque pater reverendissimus dominus Joannes Cardinalis de Medicis, quem, ut jam prædiximus, Gallus Rex captivum hostiliter tenuit, nullo cardinalaris majestatis ratione habita; sed tandem dum ex Mediolano in Gallias captivum duceret, inter ducendum amisit, & nusquam invenit; sed ipse Cardinalis post tres dies inde inventus est Mantuæ sanus & incolumis. Casus autem liberationis fuit talis, ut dicitur: cum duceretur ex Mediolano ad Gallias simul cum captivis aliis, utique reorum more in habitu privato non suo, sed simulato ducebatur: ubi ad oppidum Bassignani ventum est, quidam indigena viso ac cognito Cardinale indolens cum his, qui aderant, oppidanis exclamabat, indignum esse dicens, si hunc tam probum virum maxime Guelphum, maxime Pontifici Romano gratum ad Gallias captivum trahi sinamus: vixque eo dicto omnes, qui aderant, ad Guelphum liberandum in fluminis ripa consistunt; ubi jam navis parata erat, qua vehi debebat: dumque Cardinalis in hoc de agendis pro sua liberatione instruitur, ecce Gallus ductor quispiam alte, ut ex equo descendat in navim transiturus jubet: verum dum Cardinalis subsidium tam parari pro sua salute intelligit, moratur quidem tantisper equo insidens, donec subsidiarii accedant. Interim Gallo manum ad equitaturæ ejus frænum ponente, ac ut descendat magis ac magis urgente, familiaris quidam anteambulo Cardinalis manum Galli amputat & obtruncat eum: ad quod factum supervenientibus Gallis hinc & inde indigenis subsidiariis committitur pugna dimisso interim Cardinale; qui mox retro fugit, nec unquam post visus quoad appulisse Mantuam nuntiatum est. Itaque quis nesciat Dei opus illud fuisse? qui est benedictus in sæcula. Amen.*

(a) MS. arch. Vat. sign. n. 121.

Bassignanensium pugna adversus Gallos pro liberando Medice Card.

Mantuam Joannes Medices profugit.

LX. Erepto singulari divinæ providentiæ munere e tot periculis Joanni Medici gratulatus est Petrus Delphinus (b) literis suis, e quibus hæc verba decerpsi: *Præsto fuit tibi cœleste auxilium; quoniam novit Dominus pios de tentatione eripere: & quis te pius magis ac mitior? quo nimirum factum est, ut semper speraverim te celerius e Gallorum manibus in pristinam vindicatum iri libertatem, ac restituendum in gradum pristinum. Benedictus Deus, quo authore non sum frustratus spe mea; sed haud magno temporis intervallo resumere te voluit longe majorem quam antea gloriam, & communi omnium applausu interceptam a sacrilegis legationem tuam. Vidisti paulo post ultionem ejus, quam in te immerentem atque innocentem exercuerant impietatis, fusis, fugatisque in conspectu tuo hostibus, & tot secum,*

(b) Petr. Delp. l. 10. ep. 80.

*quod pro miraculo habitum est receptis concaptivis, &c.*

LXI. Hispano exercitui se conjungit. (a) MS. arch. Vat. sig. n. 111.

Perfunctum eo periculo Cardinalem Medicem Bononiensem legationem resumpsisse refert MS. Vaticani author (a), ac deinde mense augusto Hispano exercitui se conjunxisse, ut nimirum Petrum Soderinum Gallorum Regis fœderatum, qui schismaticis ad Pisanum conciliabulum inchoandum faverat, principatu depelleret, ac una cum Juliano fratre Mediceam stirpem in pristinum in republica Florentina gradum restitueret: factumque voto compotem; expugnato enim Prato a Ferdinando Gonsalvo, cum Hispani illud oppidum omni crudelitatis & Luxuriæ genere profanatis templis, stupratis sanctimonialibus, vagientibus in cunis infantibus trucidatis fœdassent, Florentia terrore, ne similes casus experiretur, Soderino magistratu pulso, numerataque Hispano ingenti auri vi, Cardinalem Medicem una cum illius familia excepit: quibus narratis Bonaccursius diariis suis finem imponit. Ingressum autem legatum eam urbem prima septembris triumphali pompa effusis obviam civibus, ac prætenso prædivite umbraculo domum adductum tradit MS. Vaticani (b) author, de quo supra memoravi.

Pratum ab Hispanis vastatum. Petrus Soderinus Florentia pulsus. Medicæi patriæ restituti. (b) MS. arch. Vat. sig. n. 111.

LXII. Usus est singulari humanitate in adversarios plures, quos opprimere potuisset; ob quam eum Petrus Delphinus commendavit (c): *Sit faustus & felix hic reditus tuus, domine pientissime: sit tibi & patriæ, sicut extitit, optatissimus, ita & salutaris custodiat Dominus introitum tuum & exitum tuum ex hoc nunc & usque in sæculum, ut reformato in melius Florentinarum rerum statu, in pace in idipsum dormias & requiescas. Cæterum commendo tuæ dignationi concives istos tuos, populumque universum, si qui sunt, qui aliqua fortasse olim te injuria affecerint; cum sis adeo mitis ingenio, ut nihil ad tuam mansuetudinem addi possit; omnes pro tuo more benigne amplexaberis, reddesque pro malo bonum. Fuisti semper in omnes humanus, affabilis, comis: hac tua ingenita lenitate atque clementia cognoscent facile omnes, charam tibi esse ipsorum salutem. Vale ex* Fonte *bono die* III. *septembris MDXII.* Porro solum vertere coactus est Petrus Soderinus, qui Pisas schisma molituris seditiosis ad cogendum pseudosynodum permiserat, scelerisque pœnas dedit.

(c) Petr. Delph. l. 10. ep. 91.

LXIII. Ludovicus XII. percussus anathemate.

Quod ad Ludovicum Francorum Regem attinet; fuisse ipsum mense junio in Cardinalium senatu anathemate perculsum, refert Paris de Grassis, qui in ejus mensis diariis hæc verba apponit: *Sententia excommunicationis in Regem Franciæ per Pontificem consistorialiter promulgata.* Cujus tamen sententiæ formula deest, uti plura alia edicta, & illustria monumenta; quæ ab authore adjecta significantur, ab exscriptore quod forsitan typis cusa: legerentur prætermissa. [1]

LXIV. Lata hujusmodi anathematis sententia, in Ludovici Regis & fœderatorum imperio, nimirum in Insubria, Liguria, Navarra, Britannia minori magnæ rerum conversiones ac perturbationes sunt consecutæ: medio enim labente junio Galli, qui viribus inferiores cum Helvetiis inire pugnam non audebant, Ticinum se recepere, ut eandem urbem firmarent validis præsidiis, donec nova ex Galliis venirent subsidia, tumultuaria pugna fusi impedimenta ac tormenta æneа amisere, moxque fuga præcipiti trans alpes avolarunt (d): segnesque misere obtruncati fuere, Ticinum ingenti pompa legatum apostolicum Matthæum Cardinalem Sedunensem excepit (e), eodemque victoriæ cursu abreptum Mediolanum, quod schismaticorum conventiculum adeo exhorruerat, Pontificis fœderatorumque fidem imploravit: quæ Paris de Grassis (f) accurate describit, quamvis a contumeliis in Gallos intorquendis sibi non temperarit.

(d) Bonac. in diariis Justiman. l. 11. Guicc. l. 10. Gallorum clades. (e) Ext. ea de re lit. Card. append. conciliab. Pisan. p. 149. 151. 153. (f) Paris in. 3. p. 862.

LXV. Ticinum & Mediolanum ad Pont. partes se conferunt. Gallorum magna strages ubique edita.

*Die*, inquit, *martis* XXII. *junii Pontifex nuntium habuit ex Papia a multis, præsertim a reverendissimo domino Cardinale Sedunensi Apostolicæ sedis legato, qualiter die* XVIII. *præterita exercitus apostolicus victoriam habuerat contra Gallos apud Papiam; nam cum illi sparsim, ut soliti erant vagari more imperantium ad diversa loca diverterent, ut evitarent dignam nostrorum ultionem, ubique occidebantur: propterea collecto omnium numero in Papiam quasi in locum tutum aufugerunt; ubi forsan a Rege Gallo succursum habere, & se defendere immo potius exercitum apostolicum*

NOTÆ [1] ANathematis in Ludovicum sententiam quam in cœtu purpuratorum patrum decretam, immo & latam a Pontifice affirmat Paris de Grassis, numquam tamen in lucem prodiisse suspicor, cum neminem legerim qui ejus ectipon exhibuerit. Quin & Bartholomæus Senarega qui per hos annos rerum Genuensium annales scribebat, testatur Cardinalem Sedunensem figmentum hoc sparsisse *Regem Gallorum excommunicatione gravi irretitum esse*. Numquam vero ejus temporis scriptor rem hanc figmentum appellasset, si Pontificis bulla de censuris in Regem Gallorum latis in lucem publicam produisset. MANSI

*cum invadere & superare possent : sed legatus cum exercitu apostolico illuc sine mora se conferens, paratis omnibus, quæ ad pugnam pertinerent, & certis pontibus extructis, civitatem milite cinxit, bombardis aliisque id genus tormentis Gallos & civitatem non tantum, ut ad pugnam invitaret, quantum ut illam expugnaret, coegit ut sese dederent. Itaque Galli octodecim bombardis paratis in pugnam extra civitatem descenderunt; & tamen ex alia civitatis porta sarcinas & suppellectilem infinitam versus Galliam clam miserunt : sed cum instructæ essent utrinque acies, Galli, ut legati vocabulo utar, tanquam vilissimæ meretrices fugam arripuerunt tanta velocitate, ut inter fugiendum multi lapsi sint; quos nostri partim trucidarunt, partim servarunt, ex quibus intellectus est omnis eorum paratus & desperatio rerum Italicarum, & maxime quod tres olim Cardinales schismatici ibi prope apud locum Mortariæ manebant, vel potius latitabant. Itaque legatus cum exercitu ad portas civitatis accedens, ac secum ducens exercitum validissimum, ut illam diriperet; sed ante portam invenit clerum festiviter indutum, ac paratum ad receptionem legati apostolici pomposissimam; & etiam invenit nobiles ac cives & populares omnes supplices, & terræ pronos, sanctissimum nomen Julii Pontificis Italiæ liberatoris acclamantes, & veniam petentes, immo gratias agentes quod eos a Gallorum servitute & insupportabili jugo liberasset.*

Vilis eorundem fuga.

Mortaria Legato Apost. dedita.

LXVI. *Hoc audito legatus sic a Pontifice prius instructus deditionem admisit, ea tamen conditione, ut milites pro sua liberatione certum quid erogarent, & dicto facto compositione in summa quinquaginta millium ducatorum stabilita. Legatus a populo & clero pensilis gestatus est in ecclesiam cathedralem, deinde in palatium publicum, & a magistratu juramentum fidelitatis & obedientiæ recepit. Intellexit autem post paulum, qualiter nostri, qui Gallos in fugam conversos prosecuti fuerant, multos ex Gallis prope mille interfecerunt, sarcinas & suppellectilem ac munitionem universam ceperunt, & præsertim bombardas quatuordecim in loco quodam ibi vicino ad certum stratagema, sive potius proditionem ordinatas, præter octodecim, quas in acie contra nostrum exercitum, ut dixi præpararunt : quarum omnium aliquæ fuerant Regis Catholici in bello Ravennate nuper deperditæ & aliquæ Pontificis & Venetorum & ducis olim Valentini. Sed & eadem die in crepusculo idem legatus nuntium habuit ex Mediolano, qualiter civitas illa tam illustris & tam excellens, utpote quæ caput esset ducatus ac status regii in Italia, a Rege Gallo defecerat, atque in Pontificis & ligæ sanctissimæ deditionem venerat, legatosque jam jam in manibus suis obedientiam & fidelitatem juraturos, ac petituros ut ab intolerabili Gallorum jugo liberarentur, prout factum esse idem legatus scripsit. Pontifex primo lectis intra se ipsum literis ad me ibi cum multis astantem subridens inquit : Vicimus Pari, vicimus. Ego genuflexus gratias egi Deo & suæ sanctitati dicens : Prosit jam dudum sanctitati vestræ; at ille : Immo, ait, prosit vobis omnibus, & Italis omnibus, & fidelibus omnibus, quos Deus a jugo barbarico liberare tandem dignatus est, & sic aperiens literas illas satis prolixas & quasi duo folia complentes ad ultimum verbum palam legit prædicta continentes.*

Gallorum impedimenta direpta.

Mediolanensium a Gallis defectio.

Potitum Mediolano Maximilianum Sfortiam inferius dicetur. Ex qua Infubriæ rerum commutatione Galli Liguriæ dominatum brevissimi temporis spatio amiserunt (a) : cum enim Cardinalis Sedunensis apostolicus legatus Genuenses literis folicitasset, ut Gallicum jugum a suis cervicibus depellerent, tantus terror Gallum præfectum invasit, ut quamvis initio Ligures regias partes tueri vellent, tamen in arcem se receperit prætermissa publicæ rei cura : acciditque ut populus arma quæ ad Gallos defendendos acceperat, demum ad seipsos in libertatem vindicandos retinuerit : ad quod Pontificem, qui anno superiore ipsos ad libertatem capessendam missis exercitibus excitarat, cohortatum esse refert Paris : *Circa meridiem Pontifice adhuc quiescente supervenerunt nuntii ex Janua cum literis oliivæ, qui magistratus ita dicitur ibidem, unde Pontifex didicit civitatem illam alterationem fecisse hoc modo : nam cum primo certitudo defectionis Lombardiæ & Mediolani ad eos pervenisset, nonnulli cives extorres, qui in suburbana eorum convenerant, amicos colligere & coexules animare adversus hostes Gallos cæperunt, & eorum numerus fere trium millium exitiorum & fautorum erat : quo timore perculsus gubernator cives hortari ac rogare cæpit, ut fidem hoc tempore, quo res Gallorum nutabant, servare ad Regem prædictum vellent. Itaque omnes fere cives ac populares arma corripere pro Galli favore cæperunt, & gubernatorem ipsum per civitatem duxerunt quasi visurum quod omnia in ejus favorem cederent. Gubernator ubi civitatem visitavit, arces quoque, quasi munire vellet, ingressus est; sed mox cives animo mutato arma ad libertatem tuendam acceperunt. Quæ Pontifici illico signi-*

LXVII.

(a) *Aug. Justinian. l. 6. Bizar. l. 18. Folieta l. 12. Guiccard. l. 10. Paris to. 3. p. 866.*

Genuenses Gallos pellunt.

Solicitati a Julio ut recuperent libertatem.

*significarunt. Pontifex confestim rescripsit adhortatus, ut perferre vellent tamquam liberi qui semper fuissent, quique barbaris quandoque imperassent, non paterentur se nunc deinceps ab exteris subigi. Hæc hodie sic nuntiata sunt, quæ qualem sint habitura eventum dies ipsa monstrabit.*

LXVIII. Restitutam fuisse in pristinam libertatem, dignitatemque Genuensem rempublicam, creato Joanne Fregosio duce tradunt historici Genuenses (*a*); atque ita Liguria compulsis ad deditionem arcibus, Castelleto nimirum, & pharia turri a Gallico imperio divulsa est. Dum ita Gallica potentia ruebat in Italia, Pontifex ex victoriarum frequentibus nuntiis ingenti gaudio percepto publicæ lætitiæ signa edi voluit, ut refert prædicti MS. tabularii Vaticani author (*b*); de quibus hæc tradit idem Paris (*c*): *Die dominica* XXVII. *junii Pontifex, vocatis ad se urbis gubernatore, & suæ domus magistro, & me, dixit, quia jam penitus voti compos erat ob exterminatos Gallos, & conflictos, & expulsos ex Italia, propterea quod statuit gratias Deo reddi in omnibus terris & locis non solum Italiæ, sed & Hispaniæ, & Angliæ, & Alemanniæ, & aliorum locorum confæderatorum contra Gallos, & iis tribus diebus fieri processiones solemnes a clero Romano: etiam volebat quod incendia & flammæ & id genus lætitiæ indicia fierent his tribus diebus, præsertim hac nocte dum ipse ab ecclesia S. Petri ad vincula iret ad vaticanum.* Describit pluribus author accensos festos ignes, varia pulveris tormentarii ludicra aere sparsa, accensaque funalia, dum per urbem Pontifex vehebatur, qui ea lætitiæ significatione delectabatur, applausus exciebat, utque etiam postea religioso instructo agmine celebris supplicatio habita sit, necnon sacra ornamenta basilicæ S. Petri dono collata a Pontifice fuerint, ad aras vestiendas, quibus phygia arte intexta erant hæc verba: *Julius II. Pontifex Maximus Italia liberata.*

(*a*) *Bonaccurs. in diariis Bizarr. Folieta. ubi sup.*

(*b*) *MS. arch. Later. sign. n.* 111.

(*c*) *Paris to.* 3. *p.* 871.

Solemnes supplicationes celebratæ pro parta victoria.

LXIX. Confluebant per eos dies Romam plurium Italicarum urbium, quæ in libertatem pristinam assertæ fuerant, oratores, inter quos Bononienses superioris ad Bentivolos defectionis veniam supplices poposcisse refert Paris (*d*), sic inquiens: *Die veneris* XXV. *junii quatuor oratores Bononienses urbem ingressi sunt.* Et infra: *Fuerunt per me admoniti, ut non in splendido & spectabili paratu, sed potius in humilitate demissi, idest dimissis aureis torquibus, & vestibus auratis, ac similibus pompis, tanquam qui veniam petunt, & pœnitentes adirent Pontificem; quod & fecerunt: & item admonui, ut non nisi licentia Pontificis expresse habita pedem ejus de more oscularentur, quia erant censuris illaqueati.* Ac nonnullis interjectis: *Statuit*, nempe Pontifex, *quod Cardinalis ipse*, scilicet Achilles de Grassis, *qui erat etiam eorum episcopus Bononiensis, prius ipsos nomine suo, ipsius Pontificis, & sedis Apostolicæ absolveret ab excommunicatione prædicta, & pœnitentiam arbitrio suo imponeret.*

(*d*) *Paris to.* 3. *p.* 870.

Proximo mense, Placentinorum, qui in Romanæ ecclesiæ potestatem rediere oratores Romam accessisse addit idem author (*e*) *Die*, inquit, *lunæ* XXVI. *julii, qua fuit dies & celebritas S. Annæ matris gloriosæ virginis Mariæ, oratores Placentini sive nuntii quatuor admissi fuerunt ad consistorium præstaturi obedientiam & fidelitatis juramentum sanctissimo domino nostro Julio.* Nonnullis interjectis explicat, cur non in consistorio consueto admissi sint, utque intermissa temporum flexu obsequiorum officia præstiterint: *Petii*, inquit, *a Pontifice, an isti oratores nunc veniant tanquam subditi Ecclesiæ, vel incipiant ex nunc velle se Ecclesiæ dare: quia in primo casu simpliciter sunt admittendi, id est, a nullis obviandi, nec recipiendi; & in secundo casu sunt aliter recipiendi, id est honorandi: & respondit mihi Papa, oratores istos advenisse nunc, ut continuent obedientiam & subiectionem antiquam, quæ desiit anno MCCLXXII. nam cum prius essent subditi Ecclesiæ, ut constat ex documentis publicis, quæ sunt in gazophilacio fiscali, ex aliquo casu desierunt tunc, sed modo reversi sunt continuantes illam primam subiectionem; ideo non esse istos solemniter admittendos, nisi tanquam subditos: alioquin Bononienses & alii similiter vellent admitti, &c.* Describit consuetos ritus, qui in nuncupanda concepta sacramenti formula servati sunt; immunitate vero onerum, quæ Galli imposuerant, donati sunt: tum leges in creandis magistratibus datæ (*f*). Tum septembri mense ineunte Regienses quoque oratores fidem Julio & successoribus solemni ritu detulerunt: vigesima septima octobris Parmenses quoque fidem in consistorio publico Julio addixere. LXX.

(*e*) *Id. p.* 898.

Placentia veteri jure Ecclesiæ obnoxia.

Regienses & Parmenses se Pontifici subdunt.

(*f*) *Ext. apud Leon. X. l.* 10. *bull. p.* 311. 914.

Ante hos Alfonsus Ferrariæ dux, cujus causa bellum a Gallo Rege susceptum in pontificem vidimus, inopina rerum conversione perculsus, ne Pontifici adhærentium fœderatorum armis principatu exueretur, tentandam pontificiam clementiam, ratus, una cum Fabritio Columna, quem in Ravennate prælio ceperat accessit (*g*), ut censuris solveretur; cujus adventum maximæ gloriæ versum LXXI.

Ferrariæ dux a Pontifice veniam precatur.

(*g*) *MS. arch. Vat. sign. num.* 111. *Bonac. in diariis.*

Pon-

(a) Paris to. 3. pag. 879.

Is Gallum Regem ad perdendum Pontificem incitarat.

Pontifici refert Paris (a), ob prostratum scilicet adductumque ad pedes pontificios hostem : *Domini nostri Jesu Christi nutu hæc facta sunt omnia ; ut iste illustrissimus dux Ferrariæ nuper ideo privatus ducatu, quia Regem Gallum ad prælia contra ecclesiam Romanam & sanctissimum dominum nostrum Julium vocaverat, ut & pontificatu privaret, & bona apostolica deprædaretur, ad vestigia pedum, ad veniam, ad jussa Pontificis supplex humilisque & tremebundus accessit, veniam de erratis poscens ; & vix ista posteritas ulla crederet, vera tamen ita facta sunt omnia, ut vix ipsi, qui hæc videmus credamus posse fieri aut esse facta. Et tamen factum est anno MDXII. die IV. julii, quod præfatus illustris dominus Alfonsus Estensis ad urbem venit ducens secum illustrem dominum Fabricium de Columna, quem nuper in clade Ravennate captivum habuit, & Pontifici reddidit liberum, ac magnis honoribus & liberalitate insignem fecit.*

LXXII. Multis interjectis ait, Pontificem erga ipsum hoc clementiæ specimen explicuisse, ut non ante valvas basilicæ, sed in consistorio Cardinalium absolveretur; tum subdit : *Arbitrio meo remisit, si pœnitentiarii eum virgis deberent, percutere, & si Dominus Alfonsus veniret cum corrigia in collo ; & neutrum visum est mihi, quia nec oratores Veneti fuerunt percussi, & satis cum corrigia in collo dicitur venisse, qui supplex venit. Et etiam respondit quod vellet absolvere tantum dominum Alphonsum & suos familiares, utque consistorium intrarent, sed pedem non oscularentur : & nolebat interdictum relaxare, quia id facere volebat per breve, & ea absolutio fieret cum reincidentia &c. Itaque ipsa die hæc facta sic fuerunt ; videlicet ipse dominus Alfonsus summo mane cum sua comitiva in locum elegantissime ornatum venit humilis expectans vocationem suam.* Et infra : *Veniens ad Pontificem petiit per me sibi licere obsculari pedem antequam loqui inciperet : quod Pontifex benigne concessit. Deinde hæc verba formatim dixit, quæ mihi ipse in cedula prius recitaverat, videlicet.*

Explicita in eum clementia.

LXXIII. *Beatissime & clementissime pater, cognosco vere & confiteor peccasse multis modis intolerandis tam contra divinam majestatem, quam contra sanctitatem vestram vicarium domini nostri Jesu Christi, & contra hanc sanctissimam sedem Apostolicam, eoque gravius, quo ipse meique progenitores fratresque maxima beneficia ab ea accepimus : quare ob susceptam ingrati adversus sanctitatem vestram animi labem, illatasque ipsi injurias pœnitudine & dolore afficior.* Interjicit hæc verba Paris : *Et cum hoc verbum diceret ingemiscere cœpit tam flebili voce, quam lachrymis manantibus ; quibus tersis continuavit dicens. Propterea supplex & pronus accedo ante ora beatitudinis vestræ, inque genua ad ipsius pedes me provolvo, & deposco per divinam misericordiam & ipsius sanctitatis pietatem, ut mihi, licet non merenti, veniam tribuat, polliceorque ejusdem sanctitati, nunquam me posthac quidquam in ipsam & hanc sanctam sedem Apostolicam commissurum ; meque paratum exhibeo ad expianda commissa, atque ad pœnas vel in memetipso, vel in principatu, fortunisve meis omnibus suscipiendas, quas vestra sanctitas mihi inflixerit ; cui me meaque demisse commendo, rogoque ut parcat.* Pergit Paris : *Et cum hæc dixisset faciem humiliavit tergendo digitis oculos madentes.*

Demissa Ferrariæ ducis oratio.

*Pontifex qui ea mithra pretiosa gravabatur, illam sibi demi fecit, & levem imponi : tum respondit longo sermone dicens, dominum Alfonsum in hoc vel maxime vere dixisse quod erraverit, & quidem multipliciter erraverit, & omnia errata ejus in sedem Apostolicam explicavit : nam & exprobravit quod cum esset a Venetis undequaque oppressus ac pene submersus in omni ruina, juvit & liberavit eundem. Deinde cum expulisset ex Bononia Bentivolos & ipsi ad eum recurrerint, quod contra juramentum præstitum eos susceperit & juverit. Pontifex quidem potuisset ipsum privare ducatu ob perjurium, tamen passus est : quinimmo quia Rex Franciæ volebat contra Ferrariam venire, & ipsam capere, Pontifex eundem dominum Alfonsum tunc ducem fecit capitaneum ecclesiæ Romanæ ad resistendum Regi : & quia Rex volebat habere sal in minori pretio quam esset honestum, Papa volens obstare Regi misit gentes & pecunias ad ipsum dominum Alfonsum seipsum defendendum contra Regem : sed ipse mutato animo adhæsit Regi contra Papam, ex quo facto Papa privavit ducem ducatu, & inde omnia mala Italiæ secuta sunt : tot ruinæ, tot strages, tot oppida & civitates direptæ, tot ecclesiæ profanatæ & schisma in ecclesia Dei ; & dominus Alfonsus non solum schismaticis contra Pontificem adhæsit, sed etiam omnibus modis & bello & crudelitatibus innumeris juvit & debacchatus est.* LXXIV.

Pontificium responsum.

Exposita illi ingrati animi labes.

Levia fuere initia ingentium malorum.

*Et quia Deus tanta mala non potuit pati, Regem ex Italia expulit miraculose ; qui etiam in Francia sustinere non poterit iram Dei, nec Regum Hispaniæ & Angliæ, & aliorum principum Christianorum persecutionem : unde videns dominus Alfonsus se a Rege destitutum, in quo spem* LXXV.

suam

*suam posuerat, & videns exercitum Pontificis, qui ex Helvetiis innumerabilibus & potentissimis constabat, nec illis se posse tuto committere, venit nunc ad misericordiam; quæ si spontanea esset bona esset, sed ut creditur coacta: attamen quia veniam petit, etiam Pontifex dixit se negare non velle nec posse ad imitationem Jesu Christi domini nostri: & sic Papa obtulit se paratum illum absolvere, prout absolvit.*

*Jussus Alphon. Ferrariam restituere fugit.*

LXXVI. Pergit author ritum describere, quo illum Pontifex in gratiam cum Ecclesia restituit: subditque postea Julium ab eo Ferrariam repetiisse promisso Atestino comitatu ac viginti millium nummorum censu: at ille collato cum Fabritio Columna consilio in Neapolitanum regnum contentis itineribus clam inscio Pontifice aufugit (*a*), deinde in Illyricum trajecit, ac demum a Prospero Columna stipatus incolumis in principatus sui limites deductus, regiaque a Ferrariensibus pompa exceptus, Pontificis Venetorumque vim propulsavit, atque etiam Regium suæ ditioni adjecit (*b*).

*(a) Paris de Grassis ubi sup. & ms. arch. Vat. sig. n.111. Bonacc. in diariis*
*(b) Id. ms. arch. Vat.*

*Rex Navarræ Socius Gall. Regis pulsus regno.*

LXXVII. Infelicior longe alterius Ludovici Gallorum Regis fœderati, nimirum Joannis Alebretensis Regis Navarræ sors extitit, qui servatæ cum Gallo amicitiæ odio Hispanis armis regno depulsus est; an jure an injuria Galli Hispaniqne non minus verbis quam armis certarunt. Accusant enim Hispani (*c*) illum sensisse cum schismaticis, & Ludovico Regi Francorum adversus Pontificem adhæsisse: ex quibus Mariana (*d*) indicat Ferdinandum dolo & fraude subreptitium edictum a Pontifice XII. kal. martii elicuisse, quo eidem Joanni, ut schismatis reo ac Ludovici Regis Romanæ ecclesiæ hostis socio jus regium adimebatur.

*(c) Gomesius l.5. c. 8. Sur. l. 10. c.4.*
*(d) Marian. l. 30. c.8.*

LXXVIII. Non fuisse Navarræ Regem schismatis flagitio inquinatum contendunt Galli, assentiturque Surita (*e*); atque ab eo Hontantonio Ferdinandi oratori nec non Anglico Guillelmo Kuynghetæ responsum, Pisani conciliabuli gesta a se damnari: neque ullis argumentis demonstrari posse, illum a Romani Pontificis obedientia descivisse, quamvis a Ferdinando ei insidias struente insusurratum sit Julio, ipsum schismatis laqueis irretitum; neque enim eum ullos ad Pisanam pseudosynodum procuratores misisse; quamquam parum sibi consuluit, qui nullos ad Lateranense concilium antistites legarit: ipsum vero, cum Navarra inter Hispaniam Galliamque interjaceret, pristinamque amicitiam eum Ferdinando & Ludovico Regibus, quos mutuo implicitos bello dolebat, colere percuperet, Ferdinando Regi, qui ipsum acerrime urgebat, ut sibi Pontificique fœdere jungeretur, perque Navarram & Pyrenæorum montium angustias Hispano exercitui iter patefaceret, quo se Anglorum copiis ad invadendam eripiendamque Gallo Aquitaniam conjungeret, daretque propterea obsidem Vianæ principem, arcesve sex pignus fidei futuras clientum suorum præsidiis tenendas traderet, respondisse (*f*); has leges regia dignitate nimis indignas videri: cæterum se pontificio obsequio addictissimum profiteri, neque Hispanico nec Gallico bello implicari se velle: ac ne Galli in Hispanias, neve Hispani in Galliam traducerent copias, montium aditus clausurum: juste enim vereri si cum Hispano & Anglo arma junxisset, Benearnia se & aliis principatibus Gallicæ coronæ fiduciariis spoliatum iri. Dum vero is Gallum lacessere timet, in se Ferdinandum conjungendæ Hispaniis Navarræ cupidum concitavit, a quo repentino illum impetu obrutum fuisse narrat Mariana (*g*).

*(e) Surit. l.10. c.7.*
*Navarræus solicitatus ut Hispano & Anglo se conjungat.*
*(f) Sur. l. 10. c.7. & 8.*
*Professus est nolle se implicare bello.*
*(g) Marian. l.30. c.12.*

*Pompelona Hispano dedita. Reliquæ urbes ad victorem pronæ.*

LXXIX. *Pampelonam duceret Vasconum regni caput Albano duci mandata venere. Ille nihil cunctatus, collecto exercitu, motisque continuo castris, ad Vasconum fines pervenit die mercurii ad tertiumdecimum kal. augusti. In primo agmine Ludovicus Beamontius longo exilio irritatus, atque doloris ulciscendi cupidus curabat. Periculo cognito Vasco, Regina uxore cum filiis in Bearnem amandatis, ipse Pompelone restitit, eam urbem tueri constituens. Imbecillæ vires erant, neque hostibus potentia par. Iter expeditum, nullo repugnante, opinione faciliora omnia extitere. Ita Vascone Lumbierrem oppidum profecto, accedenti ad mœnia Albano cives supplicum velamenta explicarunt, supinas manus tendentes: verteret in noxios iram, se dedentibus parceret. Nuncupatis conditionibus, urbs dedita est ad VIII. kal. augusti ipso Jacobi Apostoli memoriæ sacro die. Cætera eo regno oppida Pampelonis exemplo incitata metuque hostium secutura videbantur.*

Ita Navarræ Regem schismatis calumnia circumventum regno exutum ajunt (*h*); quem ut jure oppressum ostendant scriptores Hispani, atque, ut injustitiæ labem a Ferdinando amoveant, tradunt, Joannem Alebretensem Ludovico Regi adversus Hispanum Pontificemque in omnem belli eventum se junxisse; cujus rei hanc probationem asserunt (*i*), nempe illius fœderis formulam in regii administri in stupro cæsi veste repertam transmissamque ad Ferdinandum Regem, qui mox vires in Vasconiam effuderit. Au- LXXX.

*(h) MS. arch. Vat. sig. n.111. Sur. l. 10. c. 10. & seqq. Gomes. l. 5. Polydor. l.27. appendix Sabellici.*
*(i) Gomes l.5.*

xisse

xiſſe autem ſuſpicionem ferunt, Ferdinandum, cum Anglo arma junxiſſe non ad cauſam pontificiam contra Gallum proſequendam, ſed ad Vaſconem catholicum ſibi Anglicis armis ſubiiciendum; quod parta ſibi Navarra Anglos illuſerit, neque iis ad eripiendam Gallo Aquitaniam, in quam Henricus avita jura ſe habere contendebat, arma junxerit, ut inter ipſos fœderis legibus conſtitutum fuerat: numquam præterea Vaſconiæ Regem ſine judiciario ordine a Julio regio
(a) Spondan. hoc ann. honore dejectum tradunt (a) Galli, atque aliquos Hiſpaniarum Reges imminente morte non levi conſcientiæ angore agitatos ob retentum Vaſconiæ imperium. Cæterum a Ludovico Rege ad Joannem Alebretenſem in Navarræ regnum reſti-
Pompejopolis a Gallis obſeſſa. tuendum inſtructus eſt maximus exercitus, a quo Pompelona obſidione cincta. In ea vero Gallica irruptione admiſſum eſt a blaſphemo milite Germano ingens ſacrilegium; ob quod divinæ ulti-
(b) Marian. l.30. c.15. onis exemplum in illum fuiſſe editum, refert hiſce verbis Mariana (b).

LXXXI. *Galli communicato conſilio feſtinare decernunt, moramque ſuperiorem majori conatu & ardore corrigere. Gemina virginum ſacrarum monaſteria extra urbem ſita ſunt, alterum divæ Engratiæ nomine, Claræ alterum: hæc Galli collegia diripuere, nulla locorum ſanctitatis memoria, me-*
Sacrilegium Germani militis. *tuve: quidam, quinetiam centurio Germanicus aperto ſacrario pixidem argenteam prædandi avidus, Euchariſtiam, quæ in ea continebatur, in altare impius juxta & temerarius projecit; virgo templi æditua eo ſpectaculo commota: Apage, inquit, tantum nefas: Chriſtiana ſacra impiis attrectare manibus non metuis? non te pudet? e cælo vindictam expecta. Adeſt in limine quem violaſti, teſtis idem & ultor Deus. Ad quam ille renidenti vultu: Hic, ait, Hiſpanorum Deus eſt, non Germanorum. Ab his initiis tetri de religione diſſidii paulo*
Dictum illius impium. Divina de eo ultio. (c) Gomes. l.5. *poſt in iis regionibus ſubſecuti fundamenta non obſcura ponebantur. Suſcepta impietas impune non fuit: Judæ inſtar proditoris diruptis effuſiſque viſceribus periit.* Soluta (c) eſt Pompelona obſidio ſuperveniente ſubſidiario Hiſpanorum exercitu; ſecutaque alia ex aliis bella fuere, de quibus ſuo loco dicetur: nunc ad concilii Lateranenſis hiſtoriam redeundum eſt.

LXXXII. Daniæ & Norvegiæ Rex Lateranenſi concilio adhæret. Venere in urbem menſe auguſto tres Joannis Regis Daniæ & Norvegiæ oratores ad Julium Pontificem, quem, ſpreta ſententia a pſeudoſynodo Mediolanenſi lata, verum Chriſti in terris vicarium agnovit, profeſſuſque eſt, ſe una cum ſuis Norvegiis & Danis indicto a Pontifice concilio, ut pote conciliorum ſupremo præſide adhæſurum, preceſque Maximiliani Cæſaris & Regis Francorum petentium, ut Piſano conciliabulo faveret, non admiſiſſe; tum etiam ſignificavit, Jacobum Scotiæ Regem in ipſius Pontificis obſequio perſtare, necnon daturum ſe operam, ut Moſcovitarum princeps ad pontificium concilium oratores mitteret: quæ ſingula accurate recenſet Paris de Graſſis (d). (d) Paris to.3. p. 905.

*Ego præcedens duxi ipſos tres oratores, qui erant tres canonici ſimplices, videlicet unus ſecretarius Regis, & alii ejuſdem Regis cubicularii, doctores: & poſtquam ter genuflexerunt, & pedem ſinguli oſculati fuerunt, datis in manibus Papæ literis & mandatis retrocedentes ad ſcabella Cardinalium, ut moris eſt, genuflexi permanſerunt. En quibus ſecretarius regius alte, & animoſe, ac eleganter impoſita pronunciavit primo obedientiam præſtans nomine Joannis Regis Daciæ Norvergiæque; deinde exponens qualiter Rex hujuſmodi mandata, quæ habuit in ſcriptis publice notificaret ſanctitati ſuæ, & ſic legit alte qualiter, cum Imperator Maximilianus & Rex Franciæ ſimul ipſum dominum Joannem Regem Daciæ invitaſſent ad conciliabulum Piſanum, ubi multos Reges Chriſtianos adfuturos promittebant, & caſu quo non placeret Piſis conciliabulum illud celebrari, quod in ripa Rheni celebraretur; ubi multæ ad reformationem totius Chriſtianitatis & Eccleſiæ Dei ordinarentur: & ipſe Rex Daciæ non voluit aliud prædictis Imperatori & Gallo reſpondere, niſi prius conſulto Romano Pontifice tanquam vero conciliorum ordinatore. Itaque miſit eos; ut caſu, quo concilium per Pontificem indicendum ſit, rogavit nomine regio, ut illud celebretur in aliqua parte Alamanniæ circa Rhenum, & ipſi nomine regio adhæreant concilio per Pontificem indicendo, aut indicto conſentiant, & quoniam intellexerunt concilium Lateranenſe fuiſſe inchoatum, ipſi petebant Regi ſuo talem inchoationem intimari per breve ſuæ ſanctitatis: & ſimiliter prælati omnes de dictis regnis Dacianis conſentiunt cuicumque concilio per Papam tam indicto, quam indicendo, prout in ſcriptis nunc exhibitis conſtabat.*

LXXXIII. Præſtita ab ejus oratoribus Pontifici obſequia.

*Et ſucceſſive idem ſecretarius expoſuit qualiter ſereniſſimus Rex Scotiæ nepos ex ſorore præfati Joannis Regis Daciæ fuerat interpellatus a prædictis Imperatore & Gallo, ut Piſano concilio adhærerent; ſed ipſe Scotus reſpondit eiſdem, qualiter non volebat in tam ardua re reſpondere niſi prius conſulto prædicto Rege Daciæ* patruo ſua: qui deinde ſibi conſulens reſcripſit, ut idem prædictis Imperatori &* LXXXIV. Scotus a Gallo tentatus pro ſchiſmate conflando.

* Avunculo.

*Gallo responderet, sicut ipse dictis responderat eisdem: quo facto Scotus omnia ad Dacum agenda retulit; nam & oratores etiam misit ad Dacum, ut nomine suo cum eisdem Dacis oratoribus missis ad Papam, indicendo aut indicto consentiret: & sic etiam nomine Regis Scotiæ adhæsio facta est. Sed placuit Daco, ut Scotus ad partem suos oratores proprios ad Papam super hac re destinaret; cum etiam princeps Ruthenorum & Cæsar Tartarorum ac Gothorum, qui nunquam antea ad ullum concilium condescenderunt, dabit operam, ut nunc concilio per Papam indicendo adhæreant & indicto consentiant, petentes se in illius decretis sanciendis, & in reformatione tam urbis quam orbis & Ecclesiæ admitti debere. Pontifex ad hæc omnia convenientissime respondit; laudans Reges Daciæ & Scotiæ ac principem [scilicet Moscorum] & alios de bona voluntate: & conclusit se jam indixisse concilium apud Lateranum in urbe, quæ est omnium provincialium patria communis, & sedes Apostolica; & ex nunc adhæsionem & consensum, quem incorporaverit concilio Lateranensi admittere dixit. Data literarum Daciani fuit de mense aprilis die x. anni præsentis.*

Concilio Lateranensi adhæret.

LXXXV. His consentanea repetit Petrus Cordier (a) Parisiensis doctor, qui ad Daniæ, Scotiæ, Sclavoniæ, & Gothorum Reges missus fuerat a Gallo conciliabuli rogatu, in literis ad eandem pseudosynodum datis, quæ Lugdunum profugerat; ibique adhuc trepida hærebat, ut Gallicanum clerum acerbis decumarum imperiis vexaret; testaturque Danorum Regem pontificiam authoritatem defendisse, ac pollicitum daturum operam, ut Moscovita in Ecclesiæ gremium reverteretur, mitteretque oratores ad concilium indicendum a Pontifice, si in loco accommodo celebraretur. Scotum etiam Regem de discordia Pontificis indoluisse, ac præsules Scotos pontificiam authoritatem concilii authoritati prætulisse, atque argumentis Thomæ Cajetani tenacius inhæsisse, quæ ipse, utpote schismaticus tenebrio, confutare nisus sit.

(a) *Petr. Cordier. in actis sua Legationis.*

Petrus Cordier pseudolegatus schismaticorum.

Scribit contra pontificiam authoritatem.

LXXXVI. Ita pseudosynodulares schismatici pudore oppleti conticescere coacti: pontificia vero majestas in dies magis effloruit; nam ipse Maximilianus Cæsar, qui Daniæ & Norvegiæ Regem in schismatis societatem allicere conatus fuerat, nec non Augustæ, Treveris, & Coloniæ Germanici imperii cœtus solemnes coegerat, (b), ut Germanos a pontificio obsequio divelleret, suaderetque concilii authoritatem pontificiæ antecellere, cum ipsos in pristina pietate constantes reperisset, priora de cogenda pseudosynodo Pisana edicta damnare decrevit, misso Romam oratore Matthæo Gurcensi episcopo; cujus adventus spe Pontifex primam futuram concilii Lateranensis sessionem prorogavit his de causis: *Cum*, inquit (c), *satore zizaniæ instigante, & nonnullorum malignitate, qui Christianorum nomen in vanum recipere non formidant, bella atrocia tam in Italia, quam extra eam viguerint & vigeant, dictique prælati Germani, Hispani, Anglici, Poloni, & alii propter hostium pericula tute adhuc accedere non potuerint, nuperrimeque venerabilis frater noster Matthæus episcopus Gurcensis charissimi in Christo filii nostri Maximiliani Romanorum Regis in Imperatorem electi in tota Italia locumtenens generalis, & ad nos orator destinatus, prope urbem ad illam venturus sit, cum quo multa gravis importantiæ & magni ponderis statum & quietem Ecclesiæ, principum Christianorum, & Italiæ concernentia, præsertim de pace inter ipsum Maximilianum Regem & dilectum filium Leonardum Lauredanum Venetorum ducem, quæ nobis cordi est, componenda habenda sint colloquia &c. Anno a nativitate Domini MDXII. indictione XV. pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Julii divina providentia Papæ II. anno IX. ultima mensis octobris.*

(b) *Chytræus Saxon. l. 6.*

Conventus celebrati in Germania. Cæsar schismaticorum conatus damnat.

(c) *Ext. diplom. in actis concil. Lateran. ex editione Binii to. 4. par. 2. p. 25.*

Missus ab eo orator episcopus Gurgensis.

Porro Cæsarem legasse ex conventu Treverensi ad Pontificem Matthæum Langium Gurcensem scribit etiam Michael Coccinius (d), atque his historiæ suæ finem statuit. Fuisse autem illum conventum celeberrimum refert Nicolaus Baselius (e), sic inquiens: *XI. die mensis aprilis Maximilianus Imperator in Trevirorum civitate constitutus diem illo conveniendi principibus regni condixit, quod per trimestre tempus duravit; convenere autem regni principes electores cum reliquis principum, ducum, comitum, baronum, nobilium, comitatum, & communitatum regni Germanici oratoribus plurimis. Aderat quoque Julii Pontificis maximi legatus Laurentius Campegius Bononiensis causarum palatii apostolici auditor episcopus Feltrensis, Ludovici Regis Gallorum orator Claudius episcopus Marsiliensis, Henrici Regis Angliæ Rupertus eques auratus, Joannis Regis Navarræ orator, Friderici Saxonum ducis & principis electoris orator, Sigismundi Regis Poloniæ orator, Laurensii episcopi Herbipolensis orator, Reinardus Vormatiensis Philippi Spirensis oratores, cum reliquis. Eo in conventu plurima tractata fuere de bello contra Venetos, de declinatione Pontificis* LXXXVII.

(d) *Michael Coccin. de bell. Ital. to. 2. rer. Germ. ex biblioth. fratren.* (e) *Basel. in add. ad chron. Naucleri hoc anno.*

Treverenses cœtus celeberrimi.

ab

*ab Imperate advocato ecclesiæ : & aliis multis*. Quæ obscure Baselius indicat, clarius explicat Chytræus (*a*); nimirum Veneti belli cæsareæque cum Pontifice dissensionis causa indictis jam duobus conciliis disceptatum fuisse quodnam alteri anteferendum videretur, ad quod præsules profecturi essent, principesque suos oratores decreturi : Lateranensis autem a Pontifice indicti antelatam majestatem, fremente Claudio Massiliensi episcopo pseudosynodi oratore. In eo autem conventu tunicam Domini inconsutilem, quam S. Agritius attulerat, ostensam referunt Treverenses (*b*) & Moguntini (*c*) annales, quod testatur quoque Baselius (*d*) : *Deinde*, inquit, *Cæsar devotione motus præsentibus ibidem omnibus, qui ad conventum illum confluxerant, altare majoris ecclesiæ S. Petri Apostoli principale aperiri jussit, atque rei veritatem de tunica Salvatoris nostri inconsutili experiri voluit. Aperitur altare, invenitur tunica Domini inconsutilis cum aliis reliquiis sanctorum plurimis & pretiosis, quemadmodum chartæ hinc inde impressæ indicant*. Confirmatque Joannes Faber in oratione funebri Maximiliani : *Tunica*, inquit, *Domini inconsutilis per hunc Cæsarem in civitate Treverensi, cum illic conventum ageret principum, cum innumeris sanctorum reliquiis anno salutis MDXII. reperta est*.

(*a*) *Chytraus Saxon. l. 6.*

(*b*) *Annales arch. Treveren. p. 83. in Richard.*

(*c*) *Serar. rerum Moguntin. l. 5. in Vriele.*

(*d*) *Baselius ubi sup.*

LXXXVIII. Latam in iis Treverensibus conventibus sententiam a Maximiliano adversus ebrietatis vitium, refert Dolgastus (*e*), ac præcipuam hanc decreti partem repetit : *Universis ac singulis nostris & sacri Romani imperii regnorum, dominiorum, provinciarumque nostrarum hereditariarum subditis cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut præeminentiæ existant, tam ecclesiasticis quam sæcularibus serio mandamus & injungimus, ut contumaces ac violatores hujus nostri Cæsarei mandati, si quos forte compererint, pœna non contemnenda mulctari, aliisque idoneis ac opportunis mediis coerceri curent; nec id quemquam impune violare, spernere, aut transgredi permittant. Si qui vero e nobilibus aut equestris ordinis viris ab hoc vitio sibi temperare minime velint, eos cœno peiores & angue, abominandos, ac ab officiis & muneribus sacri Romani imperii publicis aliisque dignitatum tam ecclesiasticarum, quam politicarum fastigiis removendos ac abdicandos sancimus & volumus, remotosque & abdicatos, neque promovendos, neque amplius dignitatibus præficiendos ullis esse censemus, & statuimus : tenuioris autem fortunæ homines pœna afficiendos corporali pronuntiamus : si quis porro magistratus superior, aut inferior in exequenda hac pœna negligentior aut remissior extiterit, nostram & sacri Romani imperii indignationem gravissimam, ac mulctam fisco sive ærario nostro imperiali, omni spe veniæ sublata, irremissibiliter solvendam ipso facto se noverit incurrisse : iis vero in locis, ubi hoc ingluviei gulæque vitium consuetudine veteri introductum perspiciant, summa cum animadversione simili pœna proposita corporali illud declinent*. Non excisum propterea hoc vitium est e Germanica natione, ex quo inficiendæ illius hæresi occasionem sumpsit Lutherus, dum jejunia Ecclesiæ, tum Apostolorum traditione inducta acerrime insectatus est; quippe helluonum turbam mox illi adhæsisse videbimus postea. Pergit Nicolaus Baselius : *Soluto autem conventu principum Cæsar Maximilianus dimissa Treveri Coloniam, dein Brabantiam descendit*.

(*e*) *Dolgast. to. 10. p. 130.*

Pœnæ in ebrios constitutæ.

Helluonum causa a Lutero suscepta.

LXXXIX. Translatos Treveris Coloniam cæsareos cœtus, atque in iis sancitum, non tolerandum Cardinalium perduellium schisma, memorat Chytræus (*f*) : atque ita Maximilianus, cum animadverteret spretas ab omnibus schismaticorum argutias fraudesque, exarato Coloniæ cæsareo diplomate, de quo inferius, datas jam ante ad transfugas Cardinales de congregando concilio literas, ut subreptitias improbavit, damnandique Pisani conventiculi, amplectendæque synodi Lateranensis partes imposuit prædicto Matthæo Langio episcopo Gurcensi; quem jam, ante Ravennatem cladem, pacem inter Pontificem & Cæsarem conciliasse tradit Baselius (*g*) : sed illius formulam tantummodo xxv. novembris die in æde S. Mariæ de populo solemni ritu evulgatam. Ut autem Gurcensis Romæ eximia pompa exceptus fuerit, fuse describit Pierius Valerianus scriptis Romæ VII. idus novembris hujus anni literis (*h*) ad eum, qui Campegio Apostolico in Germania legato a secretis erat; tum quæ Cæsareo nomine Pontifici dixerit, quæve responsa ab eo tulerit Gurcensis, subiicit : *Gurcensis primo, mox legati & oratores omnes, & magna vis nobilium ingrediuntur ad Pontificem, quem in solio sedentem Cardinalibus aliquot circumseptum offendunt. Gurcensis itaque ter genu procumbens sacrosanctæ simulachrum majestatis pie veneratus est, admissus inde ad pedum oscula : tum Pontifex illi manum, mox faciem obtulit osculandam. Gurcensis inde utroque genu posito adventus sui causam explicuit brevi, sed castigata oratione; cujus argumentum erat, se delegatum a Cæsare, ut omnino Christianæ reipublicæ dissidia com-*

(*f*) *Chytraus Saxon. l. 6.*

Schismaticorum argutiæ ab omnibus spretæ.

(*g*) *B[illegible] l. in aa[illegible] ad ([illegible] nolog. [illegible] uel.*

(*h*) *Ext. in to. 2. rerum Germanie. ex editione Freheri.*

Exhibita a legato Cæsareo Pontifici obsequia.

*ponerentur, bello quod adversus Apostolicæ sedis dignitatem tot annis gestum est finis demum imponeretur, principum Italicorum, civitatum, & populorum jura perpenderentur, abominabile schisma, quod pullulare cœperat, eradicaretur, & exustioni prorsus demandaretur. Ad hæc Pontifex multum diuque adventum ejus ob hæc eadem se desiderasse respondit, cumque optatissimum ideo applicuisse: placere quod animi gereret, quod authoritas Imperatoria ad hæc eadem accederet: quantum in se esset, remis velisque omnia deducturum, quæque tanto rerum molimini opportuna forent omni diligentia prospecturum: hortari denique hominem, ut obviis ulnis hæc exciperet, eoque animo, quem professus fuerat, persisteret: futurum sperare se ut res tranquillo adeo statu sedarentur, ut quod bonum faustumque sit, universa respublica Christiana quieti & honestati suæ quamprimum restitueretur.*

XC. Donatus postea est cardinalitia purpura Gurcensis a Julio, cum in æde B. Mariæ de populo concordiæ inter Pontificem Cæsaremque redintegratæ leges evulgandæ essent; quem tamen insigniis sacris abstinuisse refert Paris de Grassis, qui singulas rei gestæ circumstantias ita describit (a): *Die S. Catharinæ videlicet* XXV. *novembris Pontifex accessit ad ecclesiam B. Mariæ de populo pro missa de Spiritu Sancto habenda in publicatione novæ ligæ inter ipsum Pontificem & Imperatorem, & Reges Catholicum & Anglicum initæ, & hic actus fuit cum omni solemnitate habitus. Et primo ut Pontifex haberet ibi secum Gurcensem in habitu cardinalatus præsentem, misit ad ejus domum unam mulam phaleratam & ornatam sicut Cardinales solent habere, & cappas duas unam rubeam & alteram violaceam, & totidem mantella cum suis capuciis & vestes cingendas, ac bireta nonnulla rubea, & rocheta duo, & alia insignia cardinalatus, ut ipse Gurcensis in habitu cardinalatus compareret & præsens esset; mihique imposuit, ut ipsum in loco & ordine cardinalatus ponerem, videlicet post ultimum diaconum: sed ipse Gurcensis non venit nisi ut episcopus indutus & cum Pontifici dicerem, an sic etiam ponendus esset cum Cardinalibus, & post ultimum diaconum in capella qua missa esset cantanda. Et Pontifex ad me conversus dixit: quare non, si Cardinalis est, non debeat ibi esse? respondi nec episcopos nec Cardinales cum mantello in capella esse debere, sed cum cappa convenienti; ut Pontifex rursus dixit mihi, ut sinerem eum esse in quo habitu vellet tam in capella, quam extra eam.* Pluribus interjectis de sacris ritibus inter divina mysteria servatis habitaque iis absolutis ab Ægydio Viterbiensi Augustiniano concione, & indulgentiis collatis, subdit: *Tum ego portavi capitula publicanda ad Pontificem & vocavi illuc dominum Phedram acolytum, qui osculato pede accepit de manu Papæ folium cum capitulis legendis, & Papa dixit, ut ascenderet pulpitum & publicaret, prout fecit. Quo facto Papa cantavit: Te Deum laudamus; & deinde versiculos & orationes duas solitas, & in fine dedit benedictionem.*

(a) *Paris de Grassis to. 3. pag. 938.*

Fœdus inter Pont. Cæsarem Hisp. & Anglum promulgatum.

XCI. Meminit de hoc fœdere inter Pontificem, Cæsarem, Hispaniæque & Angliæ Reges inito Petrus Justinianus (b); neque admissos Venetos ab irato Pontifice refert, cum Veronam ac Vicentiam ipsi Cæsari dimittere recusassent: quare Venetos recuperandi veteris imperii studio Gallo postea se conjunxere, atque iterum in Italiam evocarunt, uti videbimus. Tristissima porro erat hoc tempore Italiæ facies; cum milites nullis sustentati stipendiis licentia in populos amicos æque atque hostes uterentur, ut refert MS. tabularii Vaticani author (c); fœderati vero exercitus, pulsis jam Gallis, de præda inter se partienda certarent, & urbes quas possent sibi subiicerent. Disceptatum maxime de Mediolanensi principatu; quem Helvetii præsidiario exercitu tenebant, ad quos Maximilianum Sfortiam, cujus patri principatus ereptus fuerat, Romanorum, Hispanorum, Francorumque Reges oratores, misisse, prensasseque singulos eorum gratiam; ut in ipsorum quemque Insubriæ possessionem transfunderent, narrat Petrus Justinianus (d): sed eos demum in Badensi conventu Sfortiam cæteris prætulisse, quem Cæsar potiusquam Gallum eo principatu donari cupiebat; atque ita dirempta lite, is exeunte decembri avitam ditionem recuperavit; de qua re hæc tradit Nicolaus Baselius (e): *Eo anno* XXIX. *die mensis decembris Maximilianus dux Mediolani filius Ludovici Sfortiæ, quem Helvetii annis superioribus Gallorum Regi tradiderunt; quique apud eundem Regem in carcere mortuus est, expulsis per Cæsarem a Mediolano Gallis in multitudine pugnatorum gravi, victor Mediolanum intravit, estque maximo ab Mediolanensibus honore exceptus, comitantibus eundem plurimis de cæsareo exercitu principibus, comitibus, nobilibus, & utriusque ordinis viris fortissimis, in primis Matthæo Gurcensi episcopo.* Hæc ille; quibus alii consentanea scribunt: fuisse autem postea a Gallis pulsum victis Helvetiis, dicetur suo loco: nunc ad Lateranense concilium, a quo di-

(b) *Petrus Justin. l. 11.*

Veneti ejus beneficio exclusi.

De præda Italica inter victores certatum.

(c) *MS. arch. Vat. ubi sup.*

Helvetii de principatu Mediol. ferunt sententiam.

(d) *Petr. Just. l. 11.*

(e) *Basel. in append. ad chronol. Nauclerii Bezar.*

Maximilian. Sfortia ab iis exceptus.

digressi sumus, revocanda narratio.

XCII. Promulgato fœdere, de quo paulo ante memoravi, cæsareus orator in proxima sessione tertia, Lateranensi concilio conjunctum & obsequentem futurum Maximilianum Regem Romanorum professus est; cujus sessionis historiam Paris his verbis descripsit (a): *Die veneris tertia decembris fuit habita sessio tertia in concilio Lateranensi; & non tertia novembris propter aliquas causas, quibus motus fuit Pontifex ad differendum*, ut infra: *Tum dominus Thomas cognomento Phedra concilii secretarius receptis literis patentibus en manu reverendissimi domini Gurcensis præfati Cæsaris locumtenentis, accessit ad conspectum Pontificis genuflexus; super quem manu elevata benedixit, per hoc dans sibi licentiam pulpitum ascendendi & dictas literas legendi: quod factum fuit. Continebatur autem in illis quod Cæsar Maximilianus adhærebat concilio Lateranensi, & propterea miserat Gurcensem, ut suo nomine aprobaret & adhæreret eidem concilio inchoato tanquam canonico & sancto, & per consequens concilium inchoatum in Galliis & in Pisis nullum & nullius authoritatis tanquam indictum a non habentibus authoritatem; & omnia per se ibi gesta, si qua per suos procuratores istic degentes gesta fuissent, irritat, & pro irritis haberi vult, datque facultatem eidem Gurcensi comparendi quoties opus sit, ac substituendi.*

(a) *Paris to.3. pag.* 948.

Sessionis tertiæ acta.

Cæsar adhærere concil. Lateran. profitetus.

XCIII. Affert eas cæsareas literas Antonius de Monte Cardinalis in actis concilii Lateranensis, quibus amplissima authoritate Maximilianus Gurcensem instruxit: *Ad comparendum*, ut ait, *pro nobis & nomine nostro in synodo seu concilio Lateranensi superiori per sanctissimum in Christo patrem & dominum dominum Julium II. sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summum Pontificem dominum nostrum sanctissimum, de consensu sacri reverendissimorum dominorum Cardinalium collegii indicto & denuntiato; & illud approbandum & prosequendum, & si & in quantum opus foret illud ad alium locum & aliud tempus transferendum, etiam en toto tollendum & extinguendum, nec non revocandum, annullandum, & irritandum, & penitus deleudum omnia & singula ea, quæ per ecclesiam Gallicanam in civitate Turonis anno superiori fuerunt acta, conclusa, & deliberata; similiter ad revocandum omnia & singula mandata & procuratoria, si qua a nobis emanaverunt, pro indictione concilii Pisani; quod nonnulli Cardinales tunc indixerant, & idem concilium Pisanum penitus tollendum, & extinguendum, &c. Datum in civitate nostra imperiali Colonia die prima septembris anno Domini MDXII. regnorum nostrorum Roman.* XXVII. *Hungariæ vero* XXIII.

Mandata de Pisano conciliabulo revocat.

Pergit Paris de Grassis: *Quibus patentibus lectis idem Gurcensis surrexit, & qualiter approbabat nomine Cæsaris in omnibus velle concilio Lateranensi stare, & procuratores per Cæsarem in concilio Pisano revocavit: & statim procurator concilii, qui fuit dominus Marianus de Cucinis alioquin procurator fiscalis, rogavit omnes præsentes in testimonium, ut moris est, & notarii concilii, ad eum accesserunt, qui eu cedula sua, prout ipse pronuntiaverat, legit illis verbatim, illis scribentibus.* Concepta porro erat hisce verbis ea damnati Pisani conciliabuli formula a Matthæo Gurcensi Cæsaris procuratore repetita: *Ego vigore dicti mandati Cæsareæ maiestatis clementissimi & invictissimi principis ad abolendum omne schisma, quod in Ecclesia Dei oriri posset, & etiam pro executione capitulorum conclusorum coram sanctissimo domino nostro, revoco quodcumque mandatum qualitercumque concessum conciliabulo Pisano, & procuratores quoscumque, qui in dicto conciliabulo intervenerunt, & omnia acta & agenda per illud conciliabulum, quæ declaro irrita & nulla nomine præfatæ Cæsareæ majestatis, & adhæreo sacro & canonico Lateranensi concilio Ecclesiam universalem repræsentanti, rite & legitime congregato. Declaro etiam majestatem cæsaream numquam dedisse mandatum ad præfatum conciliabulum.* Ex quibus fuisse subreptitium colligitur diploma illud, quod in Pisanæ pseudosynodi principio legitur. Cum autem hæc in concilio palam esset professus Gurcensis, ipsum ad pontificiorum pedum oscula accessisse refert Paris de Grassis, dum subdit: XCIV.

*Quo facto, ego dixi Cardinali Cornelio, ut simul cum Gurcensi ad Pontificem ambo simul venirent, & ibi Gurcensis pedem Papæ osculatus est reverenter; & quia etiam volebam quod manum & os Pontificis simul oscularetur, tamen Pontifex prævenit eum colloquendo dicens. Omnia bene & sancte iam sunt processura en quo ambo coniuncti sumus. Deinde ego sciens quoniam multi erant procuratores principum & prælatorum ad concilium vocatorum, qui habebant mandata præsentanda Papæ ibi in concilio, propterea feci quod idem promotor simul cum uno cursore & duobus prælatis vocarunt alte prælates monitos, ut comparerent per se ipsos aut procuratores eorum, alioquin &c. & sic in medio loco concilii, tum ante fores, & tertio extra fores concilii: & hoc facto idem pro-* XCV.

*promotor ante Pontificem genuflexus retulit qualiter omnes, &c. citarunt, & accusavit eorum negligentiam, ut desuper secundum formam juris procedatur. Pontifex dixit ad primam sessionem se responsurum, & comparuerunt multi procuratores episcoporum nationis Polonæ, Hungariæ, Daciæ, Hispaniæ, ac Italiæ, ac multarum nationum, &c. qui omnes jurant in animam principalium suorum, quod essent aut legitime aut juste impediti, & Pontifex audiens admisit sic, prout, &c.*

Multorum principum oratores concurrunt ad Lateran. concilium.

XCVI. *His factis, jussi aperiri fores, & omnes excludi exceptis mithratis & principibus & aliis stare jussis simul cum officialibus & deputatis. Tunc electus Forliviensis nomine Petrus Griffus paludatus & mithratus veniens ante conspectum Pontificis, ut Phedra habuit signum crucis a Pontifice, & ascendit pulpitum, ac legit cedulam, per quam Gallia interdicto subiiciebatur; propterea quia Cardinales privatos, hæreticos, & schismaticos fovebat, excepta Britannia, & loca omnia, ad quæ illi divertissent, interdicto subiiciebat: concilium sive conciliabulum Pisanum & omnia ejus gesta irritabat, & sessionem quartadecima decembris indicebat.* Liberata ideo illius edicti acerbitate Britannia minor extitit, cum in Apostolicæ obsequio constans perstaret: quam etiam alias, sæviente Avinionensi schismate, pietatis in Romanum Pontificem exemplo, quamvis undique cinctam schismaticis præluxisse vidimus. (*a*) Porro Annam Britannam, ad quam principatus ille spectabat, ex Ludovico Rege viro partum gerentem, sæpius ipsum non sine lachrymis & flexis genibus orasse ferunt (*b*), ut a schismate moliendo absisteret, alioqui divinas illum iras in se commoturum, nec putare se umquam prolem feliciter in lucem edituram, aut vita fruituram, uti contigit; quippe enixa ægre puerum Gallici sceptri futurum heredem, qui baptismi sacramento renatus mox vitam cum morte commutavit. Tradunt etiam (*c*) Normannos & Aquitanos sacramento fidei Ludovico Regi addictæ solutos, earumque provinciarum Anglis ereptarum jura restituta Henrico Regi; quem ad eas comparandas classem ingentem instruxisse, & Gallica littora infestasse scribunt historici (*d*): quæ in edicto mense augusto conscripto in Ludovicum contineri vel in alio potuerunt, sed in hac sanctione a Lateranensi concilio confirmata prætermissa sunt.

Gallia ob schisma sacris interdicta.

Britonum laus insignis.

Annæ Reginæ pii conatus.

(*a*) *Spond. hoc ann.*

(*b*) *Marian. l.30. c.13.*

Aquitani & Normanni Sacramento fidei liberati.

(*c*) *Ext. in actis concil. Lateran. sess.3. ex editione Bynii to. 4. concil. par.2. p. 31.*

(*d*) *Gomes. l.5. Polydor. Virgil l.27.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

XCVII. *Sacro approbante concilio*, & infra, *post felicem faustamque charissimi in Christo filii nostri Maximiliani Romanorum Imperatoris electi semper Augusti huic sacrosancto Lateranensi concilio veram adhæsionem & sinceram unionem, omnia & singula per damnationis alumnos, Bernardinum Carvajal, Guillelmum Brizonet, Renatum de Pria, Fredericum de Severino, olim Cardinales, eorumque fautores, adhærentes, complices, & sequaces schismaticos, hæreticos, & in suam ac aliorum perniciem debacchantes, unitatem sanctæ matris Ecclesiæ scindere satagentes in conciliabulo Pisano, Mediolani, Lugduni, vel alibi, quæcumque, quotcumque, & qualiacumque fuerint, etiam decimarum impositiones in universo regno Franciæ per eos factas, quorum tenores & qualitates, ac si præsentibus de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales insererentur, pro expressis haberi volumus, usque in præsentem diem acta, gesta, & facta, conscripta & publicata, seu ordinata, & in futurum forsitan gerenda, quamvis sint nulla, irrita, & inania, & a nobis, præfato concilio sacro approbante, damnata & reprobata fuerint, potiori pro cautela damnationi & reprobationi hujusmodi, inhærendo, eodem sacro concilio approbante, damnamus, reprobamus, & detestamur, illaque nulla, irrita, & inania, nulliusque roboris, efficaciæ, effectus, vel momenti fuisse & esse decernimus & declaramus; nec non literas nostras, per quas propter receptiones, favores, adhærentiam, & auxilium per Regem Franciæ & nonnullos alios regni Franciæ prælatos, officiales, nobiles, & barones schismaticis & hæreticis indicti conciliabuli Pisani damnati & reprobati prosecutione notorie præstita, regnum Franciæ, & præsertim Lugdunum, ducatu Britanniæ excepto, sub data videlicet Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MDXII. idibus augusti pontificatus nostri anno IX. de fratrum prædictorum consilio, ecclesiastico subjecimus interdicto, nundinasque Lugduni fieri solitas in Lugduno ex tunc de cætero fieri inhibuimus, dictasque nundinas in civitate Gebennensi faciendas transtulimus, cum decretis, declarationibus, inhibitionibus, omnibusque & singulis in eis contentis clausulis: similiter sacro concilio prædicto de illis plenariam notitiam habente ac approbante, innovamus, regnumque præfatum, ut præfertur, illiusque civitates, terras, oppida, & loca quæcumque hujusmodi interdicto subiicimus, ac ipsas nundinas ex Lugduno in civitatem præfatam Gebennensem faciendas transferimus, &c. Dat. Romæ in publica sessione in Lateranensi sacrosancta basilica solemniter celebrata anno incarnationis dominicæ* MDXII.

Francia excepta Britannia sacrorum usu mulctata.

Lugdunenses nundinæ Gebennam translatæ.

III.

III. *non. decembris pontificatus nostri anno* X. Addit Paris de Grassis, ut hæc sententia totius concilii suffragiis approbata sit.

XCVIII. *Qua*, inquit, *lecta cedula idem lector dixit sic, videlicet: Placent ne vobis, patres, omnia in hac cedula præsenti lecta, expressa & contenta? & Pontifex primus alte dixit: Placent. Tum ego accessi ad capita sedilium Cardinalium, & prælatorum dicens quod priusquam responderent de laudabili more invitarent singuli singulum subsequenter, & dicerent alte id quod placeret, & ibi præsente uno protonotario, & uno scriba, ac uno scriptore votorum explorarent vota: & sic factum est. Et demum ego retuli Papæ omnes præsentes nemine excepto consensisse per verbum: Placet. Tunc Pontifex dixit, velle quod de cætero omnes quotquot erunt respondeant alta, ita ut intelligantur faciliter ab omnibus: quod cum ego capite innuerim non bene esse, & Pontifex in me acrius respiciens innuit se omnino sic velle; quod ego alte indixi omnibus, ut de cætero alte respondeant quod, & qualiter respondendum sit. His finitis dixi cantoribus, ut inchoarent cantantes alte: Te Deum laudamus; & sic fecerunt: & illico jussi aperiri januam & admitti familiares cum cappis Cardinalium; prælatis vero dixi, ut exirent: & sic finis tertiæ sessionis.*

XCIX. Interfuisse huic sessioni centum viginti patres, quorum nomina ab Antonio Cardinale de Monte recensita sunt, refert Alexius episcopus Melphitanus in oratione tum habita (a), conquestusque est de principibus atque aliis antistitibus, qui ad tantum concilium, in quo de sedandis vitiis, atque decernendo in fidei hostes bello sacro agendum erat, majore numero non confluxissent, indignumque id esse exclamavit: *Cum tamdiu*, inquit, *tamque vehementer concilium invocarent & cuperent, nunc inceptum etiam vocati & jussi postponunt.* Quibus perstricti præ cæteris ii, qui conciliabulum tanto ardore moliti ad verum concilium, in quo & lites suas componere, & si qua pietas eos moverat, rem Christianam & divini Numinis gloriam augere poterant, accedere detrectarent.

*(a) Ext. in actis concil. Lateran. sess. 3. to. 4. concil. part. 2. ex edit. Binii pag. 32.*

*Præsulum non concurrentium ad concilium inertia insignis.*

C. In proxima sessione IV. Leonardus Lauredanus dux Venetorum concilio Lateranensi adhæsit, Pisanique conciliabuli schisma execratus est; atque Francisco Foscaro oratori mandata amplissima (b) dedit, quorum formula in actis concilii extat, eorumque meminit Paris de Grassis (c) in sessionis IV. historia: *Die*, inquit, *veneris* X. *decembris habita est quarta sessio in concilio Lateranensi.* Et infra: *Finitis precibus longis cantatis aliqui Cardinales voluerunt quod omnes præter mitbratos & officiales ac solitos excluderentur: sed quia erat legendum mandatum dominii Venetiarum, & legendæ quædam literæ patentes* (d) *Ludovici olim Regis Franciæ factæ tempore Pii II. quibus ipse irritabat omnino pragmaticam sanctionem; & quia etiam advocatus concilii erat concionaturus super ipsa eadem pragmatica sanctione tollenda, ideo Pontifex me proponente, non voluit quod aliquis exiret: Immo quod portæ aperirentur patentes omnibus aliis, qui ingredi vellent, prout factum fuit. Itaque dominus Phedra secretarius concilii veniens ad Pontificem accepit de manu sua mandatum Venetorum, quod tunc secretarius oratoris attulerat ad Pontificem cum excusatione oratoris, qui erat infirmus. Accipiens autem Fedra mandatum accessit ad pulpitum & legit illud alte; per quod Veneti adhærebant concilio Lateranensi favorabiliter, detestantes conciliabulum & synagogam Pisanam, & fautores Gallicos, ut concilium malignantium & hæreticorum. Inde legit literas patentes olim Ludovici Regis Franciæ tempore Pii II. ut dixi, factas, per quas ipse Rex omnino abrenuntiabat pragmaticæ sanctioni, ut iniquæ & injustæ; & fuit elegantissima compositio, quæ omnibus de synodo nostra placuit tam in sententia, quam in ornatu: quibus literis lectis, dominus Melchior Bartissimus Neapolitanus advocatus consistorialis & particularis advocatus concilii, accepta a Pontifice venia dicendi accessit simul cum procuratore fiscali non ad pulpitum solitum, quia dixerunt aliqui Cardinales, quod promotor non debet ascendere pulpitum illud, sed accesserunt ad postergale sedis episcoporum Cardinalium; & ibi ambo stantes fuerunt; tum ipse dominus Melchior elegantissime proposuit detestationem pragmaticæ sanctionis omnino tollendæ per hoc sacrum concilium, & quod summus Pontifex cum omnibus patribus ibi existentibus declararent, omnia facta virtute sanctionis pragmaticæ annullari, & beneficia per illam collata non bene collata esse, immo collatores & omnes adhærentes excommunicari & censuris ligari, ac fructus beneficiorum ipsorum sic collatorum ex nunc applicari expeditioni contra Turcam, &c. quo finiente dominus Marianus Cucinus procurator fiscalis & concilii instititit petens omnia per advocatum proposita executioni mandari, & Pontifex nihil ad hos respondit; sed tunc ego & non prius jussi omnes exire ex concilio: qui quia tarde & vix exire videbantur, Pontifex nutu facto jussit ut exirent:*

*Veneti concilio Lateranensi se conjungunt.*

*(b) Ext. in actis concil. Lateran. sess. 4.*

*(c) Paris to. 3. pag. 957.*

*(d) Inserta sunt annal. to. 19. A. C. 1416. n. 118.*

*Execrantur conciliabulum schismaticorum.*

*Ludovici XI. rescindentis pragmaticam sanctionem lectæ literæ.*

*rent: & sic remanentibus tantum mithratis & oratoribus ac officialibus consuetis, episcopus Alexandrinus ad Pontificem venit; & habita humiliter dicendi venia, ascendit pulpitum & legit cedulam longam super abrogatione pragmaticæ sanctionis prædictæ, & nonnulla alia; & denique indixit quintam sessionem pro die mercurii, quæ erit inter primam & secundam dominicas quadragesimæ futuræ. Lecta cedula Pontifex altius, quam forte conveniret, clamavit: Placet; tum euntibus ad Cardinales & officiales & prælatos super scrutatione votorum Pontifex turbatus est, quia non sibi placet quod plane, sed quod alte & altissime omnes tam Cardinales quam prælati dicerent votum suum; unde necesse fuit quod iterum dicerent alte quid placeret. Ex quibus aliqui Cardinales surgentes & nudato capite adversum Pontificem dixerunt: Placet; quod videntes singuli alii omnes idem fecerunt; ex quo Pontifex remansit satisfactus: quod in veritate mihi non placet, cum nec sit de honestate, nec de consuetudine, nec minus, ut opinor, de jure, quod prælati, qui sunt in eo actu tanquam judices, & propterea induti debent esse pluvialibus & mithris, ut proferunt ipsas sententias dicentes per verbum, placet, aut non placet, in ipso actu surgant & mithras deponant; immo si essent stantes & sine mithris, pro illo actu dicendo sedere & mithras in capite ponere deberent. Hoc facto scrutatores votorum retulerunt Pontifici omnibus patribus placuisse nemine excepto; & sic finis.*

CI. Non latam tum fuisse decretoriam sententiam de abroganda pragmatica sanctione, sed promulgatum a Pontifice ac sacro Lateranensi concilio, in proximis sessionibus judiciarium ordinem ad eam excutiendam rescindendamque constitutum iri. Tum præsules ac proceres Gallos, qui pragmatica sanctione hactenus erant abusi in judicium vocatos, ad afferendas causas ob quas non abroganda videretur, ostendunt acta Lateranensis concilii descripta ab Antonio Cardinale de monte; quibus pontificia duo diplomata de eodem inserta sunt, iisqoe Julius pio ecclesiæ libertatis defendendæ studio permotum se profitetur: Cum, inquit, (a) *jam per multa temporum spatia per nonnullos prælatos Gallicæ nationis & nobiles laicos, ac alios illis faventes præsertim cujusdam sanctionis prætextu, quam ipsi pragmaticam vocant, Apostolicæ sedi, sanctæque Romanæ universalis Ecclesiæ capiti, libertati & authoritati enormiter detractum, sacrisque canonibus derogatum fuerit: nos rem adeo perniciosam, in Dei offensam & Ecclesiæ præfatæ vilipendium, & evidens detrimentum amplius ferre nequimus, cum sanctio ipsa ab omni ad id legitima potestate carentibus, nullorumque summorum Pontificum, aut generalium legitimorum conciliorum authoritate facta, sed quodam abusu tantum in illis partibus introducta & observata fuerit, illaque cum in ea contentis nulla & invalida merito declarari & abrogari debeat; quam etiam claræ memoriæ Ludovicus XI. Francorum Rex abrogavit, &c.*

Judiciarius ordo indictus ad abrogandam sanctionem pragmaticam.

(a) Ext. in act. conc. Later. sess. 4. ex edit. Binii t. 4. conc. par. 2. pag. 38. 39.

Egerat jam ante cum Ludovico Rege Julius de rescindenda eadem sanctione anno superiori, cum dissensio inter utrumque glisceret; quem pium Pontificis conatum Rex ferre non potuerat, atque apud Jacobum Regem Scotiæ perperam erat questus de Iulio, quod episcopatus, abbatias, & alia amplissimi census sacerdotia pontificio arbitratu conferre vellet, (b) accusabatque ea re ecclesiæ Gallicanæ libertatem infringi, pro qua defendenda regias opes viresque impensurum se profitebatur. Verum injustas eas querelas fuisse constat; cum libertas ecclesiæ Gallicanæ in eo potius sita esset, ut a supremo sacrorum Antistite, non ab Rege dignitates sacræ tribuerentur; nec in eo quidquam novi Julius ad labefactandum regium decus moliebatur, cum sui prædecessores adversus conatus Regum, qui vectigalia ecclesiastica plerumque in pravos usus avertebant, infracto animo se opposuisse viderimos. Uti vero damnata sit a concilio Lateranensi pragmatica sanctio tamquam adversa pontificiæ authoritati, dicetur inferius. CII.

Ludovici falsæ querelæ.

(b) Ext. de eo Scotiæ Regis lit. in append. concil abuli Pisan. p. 160.

Celebrata est quarta sessio, quæ fuit sessionum Lateranensis concilii; quibus Julius præfuit, ultima, in qua Christophorus Marcellus peroravit (c) conversusque ad Pontificem ipsum hortatus est, ut sicut oppressam hostium armis Ecclesiam erexerat, ita depressam vitiis in pristinum sanctitatis splendorem restitueret: *Quemadmodum*, inquit, *tu*, *pater sancte, in tam justissimo adversus potentissimos hostes suscepto bello ita gessisti, ut ardentissimos æstus, acerbissima frigora, noctes insomnes, adversas valetudines, omnia vitæ incommoda, & fere mortem ipsam non tantum intrepide tuleris, sed quasi sponte tua obieris, unde prius largissima opum effusione, ingenti comparato exercitu & Bononiæ salus apparuit, & pulsis novissime ab Italiæ finibus hostibus omnem gloriam, omnem immortalitatem, quam nullus umquam Pontifex assequi potuit, tibi merito vendicasti; Rhegiumque, Parmam, Placentiam tuo sacratissimo imperio subdidisti; ex quo omnis Italiæ locus, omnis populus, omnis civitas, omnis res-* CIII.

(c) Ext. ejus orat. in actis Lateran. sess. 4. to. 4. concil. ab. par. 2. p. 40.

Julii ob res gestas elogium.

pu-

*publica, omnes denique privatim & publica gandent, jubilant, exultant, teque omnis ævi, omnium sæculorum, omnium gentium principem & caput appellant: sed longe melius in posterum appellabunt habebuntque; si hac tua felicitate, fine tandem armis imposita, in pace sint omnia constituta.* Et infra: *Cum igitur tantæ reipublicæ unicus atque supremus princeps fueris institutus, beatissime Pontifex, cui summa data potestas ad divinum injunctum imperium, tuum est, quemadmodum oppressam armis erexisti, amplificasti, ita moribus depravatam Ecclesiam reformare, corrigere, illustrare.* Ne cœpta perficeret mors obstitit, de qua proximo anno dicetur; nunc reliquas hujus res adjungimus.

CIV. Tartarorum Præcopensium irruptio in Poloniam.

Hoc anno Sigismundo Poloniæ Rege cingendæ regiis insignibus conjugis celebritate districto, vigintiquinque equitum millia Præcopensium Tartarorum irrupere in Wolyniam, Russiam, & alias provincias: ad quorum reprimendos impetus contracto raptim exercitu, Poloni inito cum hostilibus aciebus atroci certamine in castra Tartarica penetrantes captivos solvere cœperunt: qui mox erectis in cœlum liberis manibus, victoriamque a Deo precati, secures arripuere, versique in milites Tartaros adorti sunt tanto impetu, ut ii mox in fugam se conjecerint, atque ita exiguo cruore parta de immanissimis hostibus pulcherrima victoria, qua sexdecim millia Christi fidelium ex barbarorum servitute eruta sunt; ac de qua hæc prodit Jodocus (a): *Hoc verissimum mihi narratur ex hostibus, quorum a captivis viginti quinque millia fuisse perhibentur, multo minorem partem dilapsam esse, Sarmatis ea pugna tanto majorem lætitiam addidit, quo leviori negotio parta videretur, dum ex toto exercitu vix centum interempti, cæterum plerique telis vulnerati essent, servata est omnis præda: captivi plus sexdecim millia omnis sexus & ætatis vinculis soluti in patriam reducti. Præterea Tartarorum equi supra decem millia capti fuere. Incidit hæc memorabilis pugna in diem D. Vitalis ad* XXVIII. *aprilis circa Lopuzna.* Attritus ea clade Tauricæ Chersonensi Cæsar pacem a Sigismundo Rege petiit dato Medlingeri Imperatoris nepote obside. Cæterum adeo virtutum exemplo Polonis præluxisse Sigismundum ferunt, ut ad illius exemplum compositi ebrietatem aliaque vitia, quibus dediti erant execrarentur. Missam autem ab eo ad Lateranense concilium pro sacro ad amplificandam religionem decernendo bello legationem suo loco dicetur.

Parta de iis victoria. Sexdecim millia captivorum erepta.

(a) Id. ib.

CV. Ardebat interea, ut antea indicatum est, Turcicum imperium gravissimis dissensionibus; quippe Selimus Bajazethis II. filiorum natu ultimus bellica laude florens, fretusque opibus Cæsaris Præcopensis, tum Sophi Persarum Regis, qui multas de Turcis victorias hoc anno retulerat, successibus confirmatus, parenti ac fratribus eripere imperium meditatus, expeditionem concepit, cum illi plures proceres studerent, in quem Adrianapoli Bajazethes duxit exercitum, prælioque fudit: ex qua fuga servatus (b) Selimus procerum opera patri reconciliatus est, invitoque deinde patre postea renuntiatus Imperator, prætorianos milites largitionibus sibi devinxit, patremque ipsum coegit in amœnum locum secedere, in quo senium transigeret: ita Bajazethis summa felicitas repente in summam calamitatem conversa est. Describit tristem casum Paulus Jovius (c) ex fidissimis cubicularii Bajazethis scriptis: *Bajazethes*, inquit, *modo terrarum orbis principum amplissimus in tanta hominum perfidia, rerumque omnium iniquitate secedendi consilium capit, Byzantioque excedit cum familiaribus suis collecta pretiosiore supellectile, petiturus Didimoteecam Thraciæ urbem amœnitate hortorum, cælique temperie, & exilio & præsenti fortunæ opportunam: sed cum acerbissimis curis agitatus animus eum deficeret, & affectæ corporis vires collaberentur, medio itinere statui tabernaculum jussit, ut valetudinem quiete curaret: ibi septuagesimo sexto ætatis suæ anno ab Hamone Judæo medico, qui jussu Selimi salutiferæ potioni venenum miscuerat, necatur. Aliqui tamen senio & longa valitudine, & ad extremum prægravantibus curis attenuatum interiisse contendunt. Sed Antonius Utrius Ligur a cubiculo Bajazethis, qui de his rebus commentaria ad Leonem Pontificem conscripsit, referebat nobis, se in expirantis corpore non dubia veneni indicia deprehendisse. Ferunt Selimum pronimum paternæ vitæ exitum urgente etiam senio expectare noluisse, quoniam si eo sospite adversus Achomatem in Asiam trajecisset, nihil tutum pacatumque Byzantii se relicturum existimabat, ratus Bajazethem se absente ad repetendum imperium nullam moram esse facturum. Perstrinxit quoque crudelem animum avaritia supra imperii solicitudinem: namque vasa auro argentoque cælata, & præter signatam pecuniam plenos pretiosissimarum gemmarum & unionum loculos, quæ tot progenitores Reges ex immensa illa opum amplitudine reliquerant, unus Bajazethes universa asportabat, ingentia sane atque opportuna subsidia in proximum donati-*vum

Selimus parenti & fratribus imperium eripere meditatur.

(b) Paul. Jov. l. 14. Funditur a Bajazete.

(c) Jovius hist. l. 14. Patrem ad fortunam privatam redigit.

Veneno necat.

*vum, præsertim cuncta debenti militibus, qui pretio & spe futuræ liberalitatis unius horæ momento cuncta detulissent. Paterno autem funeri delato in urbem Byzantium summa in speciem pietate justa persolvit, statuens illi æternos ignes, & sepulchrum cælati operis; ne cui imperium & vitam inviderat, supremos quoque honores invidisse videretur.*

CVI. (a) *Turcogr. l.2.*

Recenset Turcogræciæ author (*a*), patriarchas qui imperante Bajazethe Græcis præfuerunt, ac infœlicissimam schismaticorum sortem invitus etiam in luce collocat. *Sub patriarchatu*, inquit, *præscripti Pachomii nostri obiit sultanus Bajazita postquam triginta novem annos regno præfuisset.* [1] *Eo regnante fuerunt patriarchæ hi subscripti. I. Nipho Thessalonicæ metropolita. II. Dionysius, qui antea patriarcha fuerat. III. Maximus Serrarum. IV. Nipho iterum. V. Joachimus Dramæ. VI. Pachomius Zichnensis metropolita. VII. Item Joachimus. VIII. Pachomius, & ipse denuo patriarcha. Hoc pachomio patriarcham agente, diem suum obiit uti dictum sultanus Bajazitha II. Imperator urbis, successit ei filius Selimes.* Hos vero patriarchatum a Mahometano principe veluti rem profanam ac vænalem coemisse, refert author; ita ut annuum vectigal Turcæ pendendum malis eorundem artibus, dum se mutuo pellunt oblatis barbaro muneribus, ad tria millia ducatorum & quingentos ascenderit. Ita non modo Græcorum corpora ac fortunæ in Turcarum servitutem cæcidere, sed etiam eorum animæ sacerdotum simoniacorum, qui non a Christi vicario, sed a Mahomete jus authoritatemque regendarum ecclesiarum petebant, tyrannidem passæ sunt.

CVII. Patrem Veneno tollit. Fratres & nepotes persequitur.

Porro Selimus interempto Bajazethe fratres Achomatem & Corchutum, tum nepotes ferro vel laqueo necavit, duobus Achomatis filiis Amurate & Aladino ad Ismaelem Persarum & Campsonem Ægypti & Syriæ Reges transfugientibus; quamobrem postea ingentia conflata sunt bella, adeo ut Selimus iras, quas in Christianos conceperat, tardius effundere potuerit; quippe qui mox atque potitus est imperio, de excindenda Rhodo, pellendisque oriente Christianis superbe minas jactarit (*b*).

(b) *Bosius sup. l. 17.*

CVIII. (c) *Joan. Barro. dec.2.l.7. c.1.*

In Indiis Christiana res divina ope virtuteque fidelium aucta (*c*) ac firmata est, capto Benastarino arce munitissima Turcarum prælidio infessa, victricibus armis Albuquerquii proregis, quem divina providentia ex magno eripuerat periculo: cum enim Malacensibus motibus compositis rediret, illisa ad latentem in aquis scopulum nave, in eamque influentibus undis, animadvertens puerum infantem jam mergendum, illum humeris excepit (*d*) dum alia ex navi auxilium adveniebat, dictitans, illius innocentia fretum confidere se Christi benignitate fluctibus emersurum, uti feliciter liberatus est; & Cochimum reversus infideles sedibus distingui a fidelibus voluit ad arcenda scelera, quæ ex ea permixtione oriebantur; quo factum, ut quadringenti circiter Malabares ab idolorum cultu ad Christiana sacra traducti sint: refecta classe, atque etiam nova ex Lusitania veniente auctus, inque hostes progressus, eos ad petendam pacem compulit (*e*), interque cæteras leges, ea adjecta ut traderent oppidum munitum; tum Christianos, qui ad eos transfugerant, & Christi religionem violarant, promissa tamen vitæ incolumitate; quæ quidem iis non adempta, quamvis severitatis exemplum in ipsos statutum sit, ut refert Osorius (*f*): *Lusitani*, inquit, *qui apud Saracenos in Mahumetis nomen juraverant, cæsi quidem minime sunt, sed ne quisquam auderet eorum scelus imitari, illud ab Albuquerquio exemplum editum fuit, quo non minus, quam si capitali supplicio omnes affecisset terrorem multis incussit, omnibus enim nares & aures, & dexteras manus & sinistrarum pollices abscindi præcepit.* Eosdem vero in Lusitaniam ablegavit, ne ea sceleris nota in Indiis extaret: ex quibus Ferdinandus Lupis in insula sanctæ Helenæ expositus ita eam oleribus excoluit, conseruitque arboribus, ut eo adventantes Lusitanos commodissime refecerit.

(d) *Osor. l.8. Maffejus l.5.* Albuquerquii ducis pium facinus. Infideles distincti sedibus a Christianis.

(e) *Jo. Barros. c.5.*

(f) *Osor. & Maffejus ubi sup.* Plures Malabares ab idolis traducti ad Christum.

Insula S. Helenæ coli cœpta.

CIX. (g) *Jo. Barros. decad. 2. Asiæ l.6. Osor. l.8. Maffejus l.5.*

Interea dum in India citeriore Goense imperium Albuquerquius contra barbaricos conatus assereret, in ulteriore India Malaca in gravissimum discrimen multis petita bellis adducta est (*g*): quippe Saraceni & idololatræ ex Albuquerquii discessu

---

NOTÆ [1] MEndum irrepsisse in historiam Turcogræciæ quoad annos Imperii Bajazethis compertum plane est. Cum enim anno 1481. Bajazethus cœperit, quod ex Turcicis annalibus Leunclavii Annalista noster recte adnotavit, & hoc vel superiori anno obierit, non equidem 39. sed ad summum 31. annos imperii complevit. Forte tamen Turcogræciæ author non 39. sed 29. annos scripserit; & hæc chronologia cohæret cum annalibus Turcicis versis a Joanne Raynaldo Carli a me sæpe commemoratis in quibus Bajazethis obitus non quidem cum egira 918. quæ hoc anno cœpit, sed cum egira 917. componitur. Annales quidem Turcici Leunclavii egiram 918. signant, sed scriptorem illum annum adnotare qui rei jam absolutæ proxime succedit, non vero quo accidit a viris doctis jam animadversum. MANSI

Malaca a barbaris obsessa. Victi hostes divina ope.

fu animis aucti Christiani nominis efflorescentis gloriam non ferentes, tum ex cæso viro principe, qui securi perculsus perfidiæ pœnas dederat, furore perciti, duce Patecatiro variis incursionibus Malacenses vexarunt. Concitati etiam in nostros nonnulli Reges, qui instructis classibus commeatus Malacæ interclusere. Sed divina ope & terrestribus præliis hostes fusi sunt, & naves hostium cibariis onustæ interceptæ. In quo bello egregium facinus cujusdam Christiani militis celebratur (a): *Captivus quidam*, inquit Maffejus, *ignoto nomine Lusitanus egregium, qua roboris animi, qua fidei Christianæ specimen præbuit. Is librandi peritus, cum in nostros obverso tormento ejaculari extremi supplicii metu proposito juberetur, intrepidus abnuit, ac fortiter datis cervicibus ex hostium simul manibus & corporis custodia in cælum evolavit.* Profligatus eo bello Onuzius Saracenus insulæ Javæ majoris tyrannus novum aliud graviori terrore movit, de quo partam fuisse divinitus victoriam suo loco dicetur.

(a) *Osor. & Maffejus ubi sup.*

Lusitani militis constantia insignis.

CX. Hoc anno Molucæ insulæ, Bendaque nucum myristicarum caryophyllorumque feraces veteribus Latinis Græcisque incognitæ, in quibus nulla Christianæ religionis vestigia inerant, sed vel idololatriæ, vel Mahumeticæ superstitioni addicti erant incolæ, Emmanuelis Regis Lusitaniæ auspiciis, imperioque Alfonsi Albuquerquii Indiarum proregis ab Antonio Abræo ac sociis institoribus patefactæ (b) sunt: qui mox columnas crucis trophæo insignitas in iis locavere, suisque laboribus evangelio viam aperuere. Describit inter alios eas insulas, necnon pretiosa illa, quæ ferunt divinæ munificentiæ munera Maffeus (c) accurata & eleganti oratione, quam repetitam lectori non ingratam futuram putamus: *Ibi emporium est, gens æneo colore fuso capillo, robur in membris, in animis feritatem ostentat; viri mercaturam, feminæ agriculturam exercent: nullum habent Regem: suis institutis ac ritibus vivunt, & ubi consulto opus est, ad seniorum cœtus refertur: in cultu divino illata non ita pridem fabulosa Mahometis dogmata vulgo sectantur.* Conflictabantur pariter nefariis superstitionibus Molucenses; quibus frugum & aquæ inopia laborantibus divina providentia medullam quarumdam arborum instar panis usui futurum, ramorumque dulces liquores pro potu suffecerat, ut dictus author in Molucarum egregia descriptione depingit. Cultas S. Francisci Xaverii sudoribus hasce insulas (d) pluribus Christianæ religionis germinibus feliciter fœcundatas suo loco, Deo dante, dicetur.

(b) *Jo. Barr. decad. 2. Asiæ l. 6. c. 7. Osor. l. 8. Maff. l. 5.*

(c) *Maff. ibid. 127.*

Banda & Molucæ patefactæ.

Molucensium ritus prophani. Divina providentia pro sustentandis insulanis quibus panis & aqua defuere.

(d) *Maff. l. 12.*

CXI. Increbrescente latius Christianæ potentiæ fama Zamorinus Calecutiensis Rex ab Alburquerquio pacem flagitavit (e), locumque arci ad Calecutum condendæ attribuit. Tum Maldivarum Rex in Emmanuelis fidem jure stipendiario venit. Quinetiam Abyssini Imperatoris orator fœdus cum Lusitano Rege expetens accessit; qui solemni pompa & sacerdotum cantibus exceptus, cum gereret crucem ex ligno crucis illius, cui Christus affixus fuerat confectam: ex cujus doni aspectu omnes ingenti gaudio affecti fuere, cum cernerent in illis regionibus tam longo marium intervallo ab Europa disjunctis legatum Christiani principis, cujus fiducia futurum confidebant, ut ubique Christi nomen sancte coleretur. De qua legatione, nec non de alia ab Rege Congi Lusitanorum hortatu ad Pontificem missa hæc scribit Maffeus (f): *Abassinorum Æthiopum Rex cum Emmanuele societatem ac fœdus vehementer expetiit. Is tum erat patre Natus defuncto David admodum adolescens, atque ob id sub tutela degens Helenæ aviæ virili animo & consilio fœminæ. Legati in eam rem fuere insigni probitate ac prudentia vir Matthæus Armenius, & alius ex Abassina nobilitate primarius: ii quo arctius jungerent amicitiam, fidei pignus ad Emmanuelem ferebant sacrosancti ligni fragmentum ejus, in quo salus humani generis olim ingemiscente rerum natura pependit. Hunc ergo Matthæum ad se recta cum socio venientem, ut in Lusitaniam ex India transveheretur, Albuquerquius cum cætera benignitate, tum vero propter sacras, quas afferebat, reliquias, exquisitis cæremoniis, & sacerdotum occursu gratulabundus accepit, & accurate commendatum navarchis in Europam a Cocino transmisit. Per idem fere tempus Emmanuelis hortatu Alfonsus Congi Rex Henricum filium ac præcipuos ex eo regno in Lusitaniam, ubi ferme aliti educatique fuerant, atque inde cum honestissimo comitatu Romam usque religionis ergo proficisci jussit: ubi magno totius Romanæ ecclesiæ gaudio excepti augebat lætitiam ipsa longinquitas summum in terris Dei vicarium Christiano ritu supplices adorarunt.*

Calecutii Rex pacem exorat a Lusit.

(e) *Jo. Barros. l. 7. c. 5. 6. Osor. & Maff. ubi sup.*

Maldivarum Rex fit eorum vectigal.

(f) *Maff. l. 5.*

Abissinorum legatio ad Lusitanos.

Fragmentum Crucis Christi dono allatum.

Congi Rex filium & nobiles Romam mittit.

Cultus ab iis Pontifex.

CXII. Hæc de Congensi legatione brevi stylo Maffæus, quam Osorius (g) fuse describit, cujus verba, cum plura pietatem redolentia, dignaque posterorum memoria contineant, afferimus: *Emmanuel*, inquit, *cum omni comitate gentem illam*, nimirum Congensem, *universam ad Christum allicere contenderet, Regis fratrem & filium cum reliquis pueris in disciplinam viris religiosis & eruditis tradidit, qui eos* la-

(g) *Osor. l. 8.*

latinis literis, & religionis moribus & institutis imbuerent. Deinde Simonem Sylvium hominem apprime nobilem ad illum cum muneribus legavit: munera vero erant equi pulchre instrati & phalerati, & mulæ similiter ornatæ, vasa sacra, tabulæ pictæ, infulæ, & omnia, quæ ad religionis cultum rite conficiendum erant idonea; fabros præterea, qui templa & regias ædes ædificarent. Id præterea Sylvio commisis, & infra, ut illum admoneres, ut quamprimum posset legatos Romam mitteret, per quos authoritatem Pontificis maximi & Ecclesiæ sacrosanctæ jus & imperium in omnibus rebus sacris agnosceret, &c. Nonnullis interjectis de legatione Lusitana exposita Alfonso Æthiopum occidentalium Regi subdit Osorius: Rex vero, nempe Congensis, res singulas in manus sumere, laudare, mirari, manus in cælum tendere, gratias Deo summas agere, quod per Reges virtutibus amplissimos & numini cœlesti charissimos fuisset e tenebris impietatis emersus, ut cælestem lucem aspiceret: Regem vero Emmanuelem non satis habere illum tam divino beneficio constrictum tenere, nisi etiam præterita beneficia recentibus donis magnificentissime cumularet. Quia vero Emmanuel illi regia insignia, quibus uteretur, mittebat, quæ pertinerent ad virtutis insitæ monimentum, & universæ posteritatis ornamentum, de ea re literas publice proposuit, quibus testatum omnibus esset, & memoriæ etiam sempiternæ consecratum muneris illius institutum, & regiæ beneficentiæ documentum.

Sacrorum ornatus ad Congitanos transmissus.

Lusitaniæ insignia Congi Regi communicata.

CXIII. Publicæ literæ de conversione Congensium promulgatæ.

Literis autem his referebat, quo pacto Regis Joannis opera fuisset illa regio lumine Christianæ religionis illustrata, & e tyrannide infestissimi dæmonis erepta, & quanta malignitate fuisset opus illud tam præclarum opera antiquissimi serpentis, per quem primi parentes e sedibus beatissimis expulsi fuerant impeditum, quanta cura, studio, vigilantia Rex invictissimus Emmanuel opus, quod a Joanne Rege clarissimo inchoatum extiterat, perficiendum susceperat. Religionis vero Christianæ disciplinam in summa referebat, & deinde commemorabat, qua ratione pater illius opera perditissimorum hominum a Christi fide, quam fuerat ante professus, impie & nefarie descivisset, & ob eam rem in ipsum Alfonsum maximum natu filium, quod impietatem illius imitari noluisset, se teterrimum præbuisset. Commemorabat deinde exitium, in quod pulsus a patre fuerat, & molestias, quas in exitio pro Christi nomine cum summa jucunditate pertulerat, & qualiter moriente patre cum fratre (is erat Pansa Aquitimus) qui regnum per summam injuriam occupare conabatur, cum solis triginta sex hominibus Christi nomine sæpius inclamato conflixerat, cum frater illius exercitum maximum haberet, & quomodo non copiis humanis, sed divinis, ut hostes ipsi fatebantur, bellum profligatum fuerat, & frater casu etiam divino captus in potestatem illius venerat; de cujus ille improbitate & pertinacia supplicium jure sumpserat.

A triginta sex viris deletus infidelium exercitus.

CXIV.

Insignis adeo victoria Christi beneficio parta, qua dæmonum veterem superstitionem in Congitano regno instaurare molientium tyrannis depulsa est, fusius ad Dei gloriam illustrandam ex ejusdem Osorii (a) libro tertio repetenda videtur; de Alfonsi enim regni Congitani hæredis baptismo loquutus subdit: Istam salutaris atque repentinæ conversionis initiis sempiternus hostis generis humani magna contentione repugnavit, ad eamque rem gerendam alium Regis filium nomine Pansum Aquitimum, qui a Christianæ religionis sacris vehementer abhorrebat, instigavit, ut patrem a studio religionis averteret: facinus esse indignum clamitabat instituta patriæ deseri, deorum simulachra convelli, fana, quæ fuerant ad illum diem sanctissima, violari. Ad hæc Rex molestissime ferebat esse sibi per homines religiosos concubinis interdictum; nec usum illi nisi tantum unius uxoris legitimæ concedi: & ipsæ mulieres cum cernerent se Regis conjunctione destitutas, & de honore, in quo fuerant, dejectas, Regem per se & per regni proceres solicitabant, & ut eum a sententia deducerent maxima opera contendebant: accedebant augures atque venefici, qui apud gentem illam in summo honore fuerant, qui minas a diis proponebant, diraque supplicia denuntiabant illis, qui a pristina religione descivissent. Cum vero Alfonsus summa vi perditis impurorum conatibus obstitisset, acerbissimum patris odium in eum concitaverunt, in eamque fraudem Regem impulerunt, ut crederet sibi a filio insidias comparari. Itaque eum in ultimos regni fines relegavit; & quantum scelerato filio indulsit, tantum de religionis Christianæ studio remisit: sed cum fraudes detectæ fuissent, Rex filium in pristinum honoris gradum cum amplificatis opibus revocavit. Is autem instinctu Divini Spiritus appulsu in terris sibi a patre commissis capite sanxit, ne quis simulachrum aliquod fallacissima religione dedicatum domi contineret, aut ei aliquo in loco supplicaret. Hac re nuntiata magnus hominum motus factus est, multique contra illius statum cum fratre conjurarunt. Pater illum evocavit, ut admoneret, ne tumultum excitare vellet,

(a) Osor. l. 3.

Dæmon felices successus perturbat.

Alfonsus obsistit idolorum sacerdotibus.

Legem fert in idololatras.

ter, & ab ea sententia desisteret: sed is cum se negotiis innumerabilibus impeditum se esse diceret, nec ad patrem ire, neque decretum rescindere ullo pacto voluit: itaque multi ab illo ad fratrem deficiebant. Interim pater cum esset & senio confectus, & morbis oppressus, & impeditus, e vita paulatim discedere videbatur. Cum multi Alfonsum certiorem de valetudine patris efficerent, & eum accerserent, ut fratris, qui copias ad occupandum regnum comparabat, sceleri resisteret; ille tamen quandiu de morte patris certus esse non potuit, venire non est ausus. At ubi illum vita functum esse rescivit, nocte [sic enim mater illum, ut faceret admonuerat] in urbem ingressus est.

Alphonsus vita defuncto patri succedit.

CXV. Postero die convocatis illis regni proceribus, quibus multum fidebat, in modici campi planitie, quæ ante regias ædes erat, orationem habuit, qua jus hæreditatis, quod obtinebat, & humanitatem, qua suis consulebat, & fidem, qua erant illi omnes obligati, prudenter exposuit, & ad fidem & officium omnes cohortatus est. Illi, quod faustum felixque esset, Alfonsum Regem continuo salutant, eique musicorum instrumentorum concentibus, & maximis clamoribus de regni maiestate & amplitudine gratulantur. Id frater cum accepisset, cum jam magnas circum se copias haberet, duplicem aciem instruxit, & in fratrem recta contendit. Alfonsus perexiguo militum numero stipatus erat; quos tamen ad spem victoriæ vehementer excitavit, adhortatusque est, ut firmissime crederent, cæleste auxilium eis minime defuturum, facillimeque maximos exercitus a paucissimis hominibus Christi ope defensis profligari; in eoque loco fratrem expectavit. At frater magno cum impetu in eum invebitur, tantaque erat sagittarum copia, at in nubis modum umbram efficere videretur. At Alfonsus quamvis fortiter dimicaret, omnem tamen spem habebat in Dei præsidio collocatam: itaque maximis vocibus Christi numen invocabat, & opem Apostoli Jacobi quod Hispanos facere in bellis acceperat implorabat, & has voces magna contentione identidem repetebat; nec illum spes in Christo reposita fefellit; hostes enim subito timore perculsi terga verterunt, & cum prima acies se in fugam coniiceret, secundam aciem impressione facta pertubavit, atque similiter fugere compulit: ac frater exanimatus metu, cum in silvas se abdere voluisset, in cippum incidit; sic enim appellant instrumentum ad feros capiendas in silvis appositum, & ibi captus est cum duce, quem secum propter virtutis militaris opinionem conjunxerat. Is dux cum se captum animadverteret, misit ad Regem, qui diceret, se mortem minime deprecari, quam se meruisse judicabat; hoc tamen per illum summum Deum, quem Rex ipse colebat, orare, ne se pateretur ad supplicium tradi antequam Christianus fieret: de vita hac exigua miseriis innumerabilibus circumvallata minime solicitum esse; ab illa vero sempiterna, ne prorsus excluderetur id maxime formidare. Addidit præterea tantam hominum multitudinem a tam paucis hominibus nulla ratione vinci atque superari potuisse; sed se magnam militum copiam in equis insidentem, & crucibus insignitam, tantaque luce splendentem, ut omnium oculos perstringeret, in prælio conspexisse, cujus metu perterritus terga repente dare coactus sit: quare se minime dubitare, solius Christi numen summa fide esse colendum, & sempiterna prædicatione celebrandum. Alfonsus vero non modo pio illius postulato satisfecit, sed etiam vivum conservavit, fidelique illius opera multis in locis usus postea fuit. At frater partim ex vulneribus, quibus in præcipiti ruina percussus fuit, partim ex dolore intra paucos dies mortuus est: &, quod fuit multo funestius, nulla ratione potuit a suscepti sceleris & impietatis pertinacia dimoveri. Hactenus Osorius de victoria, quam apud Congitanos commendatam æternitati Alfonsus Rex publicis literis voluit; perstringit mox reliqua Osorius, quæ in iis continebantur.

Frater idololatra maximos exercitus in eum educit.

Parta divinitus sic de idololatris victoria.

Cœlestis exercitus Christiano Regi præsidio fuit.

CXVI. Exponebat deinde, nimirum Alfonsus Rex Congi, quo consilio Petrum suum cognatum, qui unus erat ex triginta sex hominibus, qui illi opem attulerant, ad Regem Emmanuelem legaverat: ex quo Petro intellexerat in Lusitania Regis ipsius amplissimi jussu vota pro Congensis regni salute, & Alfonsi ipsius fide persoluta fuisse, quo nullum clarius extare posset insignis charitatis indicium; itaque se non solum pro Christi sanctissima religione, pro templorum sanctitate, pro Ecclesiæ sanctionibus necem & cruciatum, si opus ita fuisset, minime recusaturum; verum & pro Regis Emmanuelis amplitudine omne discrimen salutis aditurum. Adiiciebat deinde. Ut autem magis nos Rex optimus, summisque laudibus in omni æternitate prædicandus, sibi devinciret, misit ad nos virum nobilissimum cum muneribus & ornamentis, quæ satis quam propensa in nos esset voluntate declarabant; & quia est in more positum, ut Christiani Reges insignia gestent ad posteritatis memoriam propagandam, & majestatem regiam insigniter illustrandam, voluit idem Rex in hoc etiam plurimum nobis suæ benignitatis impertire. Scutum enim nobis misit primum

Scutum cruce insitum cur a Lusitanis transmissum.

*mum quidem crucesignatum, ut animo recoleremus victoriam, quam Constantinus Imperator cruce in cælo perspecta de hostibus suis consecusus est, ne umquam ab animis nostris memoria victoriæ, quam similiter adepti sumus, elaberetur. Et quia Jacobus Apostalus, cujus opem, ut Hispani faciunt, in eodem prælio frequenter imploravimus, in acie perspectus hostes exterruit eiusdem Apostoli species, voluit ut in eisdem in signibus insculperetur. Præterea ut amoris conjunctio, quæ nobiscum cum illa est illustri signo consignari possit, Regum Portugallensium insignia, quæ quinque scutis in crucis formam dispositis continentur, reliquis signis admiscuit; iis enim quinque scutis Christi optimi maximi vulnera designantur, quæ in cruce pro humani generis salute pertulit: cum enim Alfonsus primus Portugaliæ Rex cum quinque Regibus Saracenis maximo exercitu constipatis confligere in Lusitania voluisset, in cælo, unde auxilium precibus efflagitabat, Christi speciem eiusdem quinque vulneribus illustratam oculis atque mente conspexit, innumerabilemque hostium multitudinem Christi numine confirmatus occidit, & ea de causa illa insignia ad memoriam posteritatis assumpsit. Itaque modis omnibus Rex singulari pietate præditus, cum hæc ad nos tam præclara regiæ stirpis insignia misit, nostram posteritatem admonere voluit, ut in bellis non humanis viribus, sed divino Christi præsidio niteretur. Pro his tantis beneficiis Emmanueli Regi fratri nostro charissimo gratias immortales agimus; neque solum fratrem & patronum agnoscimus, sed omnes regni opes, atque adeo vitam pro illius dignitate profundere parati sumus: qui tamen, quamvis omnia, quæ possumus, illius gratia faciamus, nullam tamen partem illius erga nos meritorum officiis nostris assequemur. Reliquum igitur erit, quando nos parem gratiam referre non possumus, ut Rex ille summus atque sempiternus, in cujus honorem Emmanuel hæc tam præclara opera molitur & effecit, illi præmium divinum atque sempiternum constituat: nostros autem liberos & cunctam posteritatem obtestamur, admonemus, & pro jure etiam nostro jubemus hæc insignia gestare, illis scuta distinguere, literas consignare, signa in bellis intertexta præferre, semper animo atque mente recolere, quæ per illa designantur, ut sic memoriam ad pietatis & justitiæ recordationem excitantes de hostibus suis victoriam freti Christi præsidio consequantur. Sed quia more etiam receptum est, ut egregia facta nobilitentur, & homines, qui meritis suis in locum altiorem ascendunt, posteritati suæ virtutis memoriam præbeant, idem Rex Emmanuel alia nobilitatis insignia nobis misit, quibus genus eorum ex illis sex & triginta, qui valde strenue se gesserunt, in eo prælio, quo Christi præsidio muniti fratris impetum contudimus, illustrare possem, quod etiam impulsi monitis illius exequimur, ut hoc virtutis præmio multi ardentius in studium virtutis incitentur; ut ita non solum in hac vita contra hostiles impetus muniamur, sed etiam in futura bonis sempiternis frui possimus.*

Cur scuta quinque in crucis formam disposita.

Decretum ut hæc insignia præferantur a Congensibus.

CXVII.

*His literis in publico propositis, & in totum regnum exemplis earum ad principes missis, Alfonsus decrevit quam gratus esset in Emmanuelem testificari; Petrum deinde, ut ab Emmanuele fuerat admonitus, ad Pontificem maximum legavit. Petro autem duodecim viros nobiles comites adiunxit. Emmanueli vero magnam vim eboris, & munera, quibus illa regio abundat dono misit: duodecim præterea nobiles pueros cum Petro in Lusitaniam venire jussit, qui simili ratione fuerunt literis & moribus instituti. Emmanuel, postquam Petrus in Lusitaniam rediit, illi & Henrico Alfonsi Regis filio, & reliquis viris e nobilitate delectis, omnia, quæ ad iter erant necessaria, præbere large atque munifice jussit. Ii fuerunt Romæ a Pontifice & ab omnibus Ecclesiæ principibus benigne & comiter accepti: literas deinde Pontifici Regis Alfonsi detulerunt; illarum sententia hoc continebat, se primum Joannis hoc nomine secundi Portugalliæ Regis opera cum regno fuisse e potestate dæmonis & e turbulentissimi erroris tenebris in libertatem, & in lucem vindicatum; deinde Regis Emmanuelis studio & sumptibus in ejusdem sanctissimæ religionis disciplina progressum, clarius lepræ deformitatem, qua fuerat antea deformatus, agnoscere, & pristinum errorem & amentiam vehementius detestari, & pro beneficio, quo mirabilibus signis a Deo perductus in pietatis splendorem extiterat, perpetuo se Deo gratias acturum, neque tam divini muneris memoriam unquam depositurum; sed quoniam intellexisset, esse Christi summum in terris vicarium, quem omnes Christiani principes unice colerent, & cujus jussa tanquam cælestia atque divina sequerentur, ne se a reliquorum principum Christianorum communione segregaret, & aliqua in re a pietatis via deflecteret, Romam filium suum Henricum jam sanctis in Lusitania literis eruditum, & Petrum cognatum suum, virum cujus prudentiæ atque probitati valde confideret, se mittere statuisse, ut ipsius Alfonsi nomine pedes illius oscularentur, & regnum universum ipsius Pontificis vo-*

Regis Congi literæ ad Pont. quid continuerint.

lun-

*luntati & imperio dicarent; nec enim se unquam ullo tempore commissurum, ut obsequio & pietate erga sanctam Romanam ecclesiam ab ullo Christiano principe vincerentur. Pauca deinde adiiciebat, quæ ad fidem legatis habendam, & postulata quædam ad religionis causam necessaria facilius impetrando pertinebant.*

CXVIII. Divina beneficentia in Congitanorum conversione enitet.

*Legatio benigne fuit accepta, & postulatis egregie satisfactum; considerabant enim & Pontifex & Cardinales gentem barbaram, & ab omni cultu humanitatis abhorrentem, non nisi cœlesti quadam beneficentia & Numinis præsentissimi dono atque munere in tantum pietatis studium excitari potuisse: & idcirco illas Æthiophiæ recentes post tam multa sæcula primitias gratissimis animis accipiendas esse decreverunt. Hæc quidem Emmanuel ad Æthiopiæ religionem firmius sanciendam designavit atque constituit.* Porro Alfonsum summa felicitate annis quinquaginta regnum gessisse, populos ad studia pietatis incitasse, regium decus apostolico munere ornasse, frequentes ad Congitanos de pietate & justitia, de divini judicii severitate, de sempiternæ vitæ præmiis, de Christi disciplna conciones habuisse, tradunt scriptores (*a*).

(*a*) *Osorius l. 3. & Maffejus lib. 1.*

CXIX. Claudimus hunc annum insigni facinore viri apostolici, nimirum Antonii Laurerii Minoritæ, qui cum ex Socotoræ insula una cum præsidiariis Lusitanis, qui arcem proregis Indiarum jussu ob exiguum militum numerum everterant, rediret in Cambaiæ ora, naufragium passus, atque in servitutem traditus, sanctimoniæ suæ egregio specimine Mahometanos ita perculit, ut ipsum ac socios liberos dimiserint: *Cum jamdiu,* inquit Maffeus, *in eo servitio degerent atque ad eos eximendos accederet nemo, Laurerius omnium consensu delectus est, qui Goam de redemptione contenderet ea lege, ut si nihil transegisset, intra certum diem bona fide rediret; atque eius reversionis quasi obsidem & pignus ille sacrum cingulum reliquit Regi, testatus professionis suæ ritibus atque institutis, haud minimam sanctimoniæ partem horrido in illo fune consistere. Ut Goam pervenit absente per id tempus prætore, nihil decidi super tanta re potuit; Ita infecto negotio protinus, uti receperat, in Cambajam revertit. Quæ res tanta admiratione Regem affecit purpuratosque, ut confestim sine ullo pretio, quin etiam ornatos, lautosque Lusitanos benigne dimiserint. Neque id modo Laurerii virtus & sanctitas consecuta est, verum etiam apud illas nationes non parva cum utilitate egregiam probitatis existimationem & famam nomini Lusitanico peperit. Sane quam egregio documento non solum ad conscientiæ fructum & officii religionem, sed etiam ad opes & gloriam constantia promissorum & fide, nihil in rebus humanis esse præstantius.*

Antonii Laurerii Franciscani nobile facinus.

INDEX

# INDEX
## IN TOMUM TRIGESIMUM
### ANNALIUM ECCLESIASTICORUM.

## A

Al-

Ar-

# B



1499.

mis-

Cle-

# F

ratur

# H

Vasco

Con-

ros

a

Eam

K



L

Ma-

# M

## N

semo-

## R



re

## S

pia

# T

# V

# X

# Z



# INDEX
## ANIMADVERSIONUM
### In quo paginarum numerus indicatur.

# A



# B



# C



Cy-

FINIS



